Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Ioannis Cuspiniani, uiri clariss. poetae & medici, ac diui Maximiliani Augusti oratoris, De Caesaribus atque Imperatoribus Romanis, opus insigne: ab innumeris, quibus antea scatebat, mendis uindicatum: una? cum Volphgangi Hungeri IV reconsulti doctiss. annotationibus, quibus innumera cu?m huiusce autoris, tum aliorum quoq[ue] historicorum loca & restituuntur, & explicantur. De utilitate uero? huius Historiae, simulq?[ue] autoris ipsius uita, ex doctiss. Praefationibus operi praemissis, lector abunde? cognoscet. Accessit etiam rerum & uerborum tam in Annotationibus, qua?m ipsis imperatorum uitis memorabilium, copiosus Index.

https://hdl.handle.net/1874/423833

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

J. GUSPINIANUS
W. HUNGERUS
DE
CÆSARIBUS

S. fol.
92

175.
P.
cũsp cassarea

Historia Gentium
Folio nº. 92.

bro ſſ t m qbz diſſentiũr obmittr

Supp⁹ oꝛ q medicꝰ teneꝛ legẽ t mellĩr dicta
Actoꝝ veꝛẽ ſi q illa oĩa nõ poſſũ cogſcẽ pꝛ h' m
ſtro aſſ⁹ rangꝛ cũm illi tẽ q vita breuis ẽ ad cogſ
uendũ oĩa ꝺre naſcẽtib⁹ t pꝛ h' ea q ſt ſſ⁹ mãifa t
m qbz oĩꝝ ĝũe t mayꝰ expꝛ eſt rene. ſi ea de qbz
dubitaſ t m qbz diſſidẽ pꝛh dumꝛ ſlo ſ ſic dic ax.
q oĩe nihĩ coĩ cãũ ẽ ad aliq opõm ira t oĩa q ſt
in h' mũdo nata ſt ad aliq opõm vũ n ẽ aceptũ q
nõ tendat ad aliq finẽ t pꝛ h' oĩa q ſt in mũdo hũr
aliq opõm ad cognoſcẽdũ ſii ſẽ bona ii mala cũ
hõ ſit ſimp oĩm ũr illd oĩa ſũ ſt ad hoĩez pꝛ hõ
vñ cũ medicꝰ opet cũ ẽre naſcẽtib⁹ mudalibz t alibz
oĩa iſta nõ ꝓnt cogſcẽre pꝛ breuit vite ꝓꝓa ſtat
q oĩm ſtoꝝ qꝺ ẽtez ſt pala t mãſt ũr ille que
hũc ſapoꝛẽ ut ſi ſapoꝛ ſuũ ꝺcat mã ẽ q illd h'
ẽtez ſbalꝭ medendi calleãt qꝺ ẽtez ſt occul
te ut q aliq me ſit laxatiꝝ q h' miq ponit cogſm
p ſapoꝛẽ ſi ſbm p expꝛ vñ ꝺic G. q de ſpbꝰ me
q ſi ad ſ uoluit cogſcẽ nõ aliq me ſit laxatiꝝ opet
q utic longa expꝛ q nihſ calſ ũt p ſapoꝛẽ pꝛ
cogſcꝰ ſꝛ nõ q ubi pbꝰ nõ q̃ndãt nõ ẽ tenend'
ſic ꝺic pꝛiac q aman fidarꝛ ẽ m ſbꝰ calo t ame
ꝺic q m ſbo vñ aptũ ẽ amãt t planctgo t cũ oĩa
iſta ſt ſic vñ ſ q̃h cũm ſit ꝛ debẽt im amaꝛo ſi
nõ p amẽ t pꝛ h' ẽ obmittend' Dic G vita breuis
ſ. cũ vita ſit t milꝭ h' cũ mellĩr de vita hũana.
ſꝛ nõ q vita ſimp⁹ logꝺa t longa ſi nũ ẽ ſimp
q̃rta ad ãrẽ ſꝛ nõ q ẽ longꝺ⁹ ut breuit⁹
tepend⁹ a cũ mẽ⁹ ut cert⁹ a cũ mẽ⁹ uer nihĩ
ut pauꝛ hũoꝛ ſpũa t calo⁹ nihĩ vñ q m hoc
plus ſit de hũdo ſpũo t calore q̃ m aliq alio ali
pꝛ h' ẽ longeuꝰ vite ſuꝑiꝛ ꝓ q ꝺic phꝰ m hꝰ
de alibz q h' ẽ longeuꝰ vite q̃ ad al' pꝛ elephãt
tẽ q m hoc plus ẽ de hũdo ſpũo t calore nihĩ
q̃ m aliq ali pꝛ q̃ m elephãte Ad cogꝺ me t pꝛ h'
medlige ꝺeuꝛ t pꝛ ẽt pꝛiap t ſmaꝛ t ẽmaꝛ
nu alie ea q pala ſt ſic q ꝓ ſapoꝛẽ cogſ t m qbz ơr
ſ pbꝰ ĝũe ut q ãeꝛ ſapoꝛ ſit q ſbo calo t mãſe
q pbaꝭ tene ꝓ h' mẽoꝛ pꝛ ẽt ẽmaꝛ q ãꝓte
cogſcꝰ ũ ꝓ expꝛ ſic q aq̃ me ſoluat ut ſimpl ꝺe

Illud uo nõ ꝺz nos amo
ue q m ſapientiã ꝺeꝰ hũc qꝺ que
nõ vñ nob ad plenũ iõi accidũ
Si poſ credulos hic illd q̃pe quo

medicinã ſbalꝭ ſbẽ ſi n hũana ũ
errouſ pictin meꝛe nõ pꝛ ꝓſentiã m

Supp⁹ ꝺic q ſi me diſſentiamꝰ ſbalꝭ
m aliq q illd nõ ẽ tenend' In h' aſſ⁹ poꝛ ecclaſ me
phoꝛ qm ſibi mutuẽ ꝺicãũ. ꝺic q ꝺicto ſapiẽ
noſ cũ ſbare nõ ꝺz Si poſ debẽ mutuo ſtare mtẽ
cõm vnũ. pea aſſeꝛ cõm t ve oꝛe mutuo ſtare
in tenendi vnũ q medicinã me ẽ ſbalꝭ ſbẽ t pꝛ h'
nãt ẽ q ẽ cõ hũanũ mãbar pictin pea ẽ me
dicinã ſbalꝭ ſlo ẽ q vñ ſibi pbꝰ ſuppoſitũ
ꝺic cũ mutu vitare nõ ꝺicãũ ſibi q ꝺicit mtẽ
cõm hũuoꝛ t pilla veꝛã mtẽdi ꝺicit v ꝺz nez
ue mlti ſt actoꝛes q ꝺicũt q mutabolã ꝺhuũ te
ꝛẽ t alij ꝺicũt q mutabit ſi ſt vñ q actio
nũq ſit ut a ſto nũq mutabit ponit ſbue vẽtꝛe
t ẽ vñ eſſe hmõi cũ p ꝺicit mtẽdẽt nõ ẽ hmõi
q illi actoꝛes qꝺ ꝺicũt q mutabit ſbuũ vẽtꝛe
nõ melliꝰ q ſbuũ a ſua ꝙplẽ Si ꝓmodũ ſit q
pꝛicip ſtẽ cortina t pua ſuꝑa pꝛ cibũ ſbuũ
ventꝛe nõ q cala Si p modũ ꝙdicꝰ t ſi nõ ſt hmõi
illi q ꝺicũt q nõ ſbuũ ventꝛi q ſi q illi melliꝰ
q nõ ſbuũ a ſua natꝛi ꝙplẽ t pꝛ h' nõ debem⁹
gnabaꝛ Si tuẽre rõm t mtẽdm vnũ q me
dicinã ſt ſbalꝭ ſbẽ p ventꝛe q pceꝺũt a ſoꝛ ſpẽ.
q cũ ſoꝛ ſpes ex toto nob ſit ignota t ventꝰ
q pceꝺ ab ea exc ignota t h' ẽ q ꝺic q ẽ ſbalꝭ
ſbẽ t diſſt cogſcꝰ q nũq illa ventꝰ pꝛ cogſcũ p
tẽm Si p ꝺimiũ exprimꝰ pꝛ ẽ alio m expõi q
medicinãa dñe eſſe ſbalꝭ ſbẽ p q ꝺr de herbis
q oĩꝝ herba ſtrmtẽ ſuauioꝛẽ t emtẽnoꝛẽ hꝛ
opõm ſi ſint ſicca q̃ ſi ſint recẽs ut eugaũ
t calamẽtũ t calmũ t oĩꝝ ſilep q m ex ꝙſpici
ẽ hmõi gſſa t relicta ẽ hmõi ſbalꝭ acrem.
t h' mtelligẽ ẽ de herbis dm ſuã ventꝛe remẽdũ
t nõ te illas q̃ amittũt ea vna die ut ẽ capillꝰ
venꝛ t gnẽꝛ t pꝛ h' nãt ẽ q cor hmõi mcmtr

Qui tedit aĩm ſuã
delitus ſeculaꝛib⁹ negligit ſim
damnũ mẽ t phie t aiũ doctiꝛ
ſon n ſider adhibenda ẽ t mayꝰ m
ea v G t Aug qcordãt. v nõ diſſe
dãt Vnicle veꝛũ mmemtr

pictin t mayꝰ m illuſ ſbalꝭ hmõ q ſe pꝛ.

7758

Quia actor in p̄cipio appellauit dicens q̄ nō debuerat
quis nō videat textum ad plenū dēcidi sup̄
q̄ ita supplicali- nō videat arctetur vō tūc eo
sibilē cū q̄libet arctatus est vñ dicit nō ē n̄ p̄ mihi ne
cessitā- obmittēdi studij p̄ hoc in appellatione q̄ possit negligens
q̄ secus negligēdi studi- negligens dicit vñ ē in scripto
dicū appellatione in ꝑ ad 2ᵃᵐ. Illud q̄ ē in se quātū calet est
q̄ p̄ negligēdi studiū. Si negligis fidei amici me- oīa
pha- dicū verbū p̄ negligens q̄ si in primo dicit
q̄ nō ē ei licet abhibēda- et mutare in ea vel ꝯ- de
cernēdo- et vel nō cernēdo diffinitiue mutare si ē sic
appellatus ē q̄ ꝑ dicit amicū in vi de libris ex
uentu eius- si opponit ventū testū nutrigni
- augmentū opponit ventū nutritū remouēs sic
absentia- libri- et si ab sit mutare sit
nūq̄ curre de in testū ne de pulchre ventis.
- pulchre capitū- libri- et si dicit allegando
si ab bñ studeat- cognitū est sine forte expe
ponit hñ eū ne q̄ nō videbit re- audiet si la
bore si- ab reddit ē hi studiū nō potit hic
studiū me- alicui- Dicit ꝑ q̄ reddit dñm suū tali
ens- ꝑ rehaus- melius hic pulchre uestes pulch-
calamū- pulchre capillos- est bñ cōpti- bñ pu
lchi- hic ultro denarios bñ cōcti bñ bibe- ve
huia- filiis. Negligis sunt hūm me- ipm me
- si ꝑ me- pandet q̄ ultro phanē in meli phia
- sic sin- opr est q̄ ꝑ nō rectū- ꝑ ꝑ
si poza- ab ignoz sunda- ut ꝑ me
- q̄s ignib- nō me- mg- Illud ignoz ꝑ- ꝑ
ne- ea que res- negligis ē sunda- phi- negligis
ē verbū oīm amicū sin mgens ens- q̄ dicit sic
ei licet abhibēda ē- ne mutare in ea sup̄ phia ut qui
ne ē ei licet ab abhibenda vel ꝯ- de cernēdo ꝑ ꝯ-
rens phm scalē in me- ꝑ dicit phm grille q̄ dicit
sunt phi sup oīm- si hi ꝑ cū ab- excellens- pro
melius de dicit- vel dicit nō sup̄ cernēdo sino discer-
nēdo- nō ē melius ꝑ ꝯ- de dicit ab diffinitiue
cernēdo- q̄ dicit in illo ē vicus.

Assumpt- ꝑ ꝑ- vi- ꝑ- sin
gulū- cultū- et hūi-

Quia in p̄cipio ꝑ- actor- ꝑ- de sin
gulis me- p̄ hi in hac ꝑ- sub- ponit hi
gulis me- ponit sic ab- ē sīlr ē- q̄ dicit in ea
nouē diē- dicit ꝑ in nobi ꝑ- oppo- q̄ duo
cōtrarie- quedā alia duo ꝑ- vnū- ꝑ- cū debet
stare- q̄ dicit phm ꝑ- de hō q̄ stare- dicit er
melius id- cuius- vnū- vñ dicit- ꝑ hi- oīa dū

vnū si vnū hic- sic nō sic dicit- dicit- eo- q̄
cedit- bibi- q̄ oīa sustinētū- sile- q̄ ꝑ- q̄ repli-
- sic- sile- q̄ restant- ad- sic q̄ restant- ad
pdit- sile- ē- ad- sic- q̄ restant- ad- ꝯ-
- sic- sile- ē- ad- sic- q̄ restant- ad- ꝯ-
duo- sūlr- ad- sic- q̄ restant- ad- ꝯ-
ē- sile- ē- ad- sic- q̄ restant- ad- ꝯ-
p̄ q̄ duo- phm- ꝯ- ad- sic- q̄ restant- ad- ꝯ-
- ē- sile- ē- ad- sic- q̄ restant- ad- ꝯ-
- sic- sile- ē

S. fol. 92

IOANNIS CVSPI

niani, uiri clariſs. poetæ & medi-

ci, ac diui Maximiliani Auguſti orato-

RIS, DE CAESARIBVS ATQVE IMPERATO-

ribus Romanis, Opus inſigne: ab innumeris, quibus antea ſcatebat, mendis uindicatum: Vnà cum

VOLPHGANGI HVNGERI, IV-

RECONSVLTI DOCTISS. ANNOTATIONIBVS, quibus innumera cùm huiuſce autoris, tum aliorum quoq; hiſtoricorum loca & reſtituuntur, & explicantur.

De utilitate uerò huius Hiſtoriæ, ſimulq; Autoris ipſius uita, ex doctiſſ. Præfationibus Operi præmiſsis, Lector abundè cognoſcet.

Acceſsit etiam rerum & uerborum tam in Annotationibus, quàm ipſis Imperatorum uitis memorabilium, copioſus INDEX.

Ex donatione Buxelii

Cum Cæſ. Maieſt. & Chriſtianiſs. Gallorum Regis Caroli, gratia & priuilegio ad annos ſex.

BASILEAE, PER IOANNEM Oporinum & Nicolaum Brylingerum. Anno 1561

ACADEMIA TIGURINA

GENEROSO ET MAGNIFICO VIRO,

DOMINO IOANNI IACOBO FVGGERO,

Kirchbergæ & Vueiſſenhorni Domino, inclyto Romanorum Imperatori FERDINANDO

à Conſilijs, &c. S. D.

ALBERTVS REYFFENSTAIN.

AGNA mihi, ac propè ſingularis, à multis retro annis, cũ VVOLPHGANGO HVNGERO, uiro celeberrimo, multarumq; pulcherrimarum artiũ, quib. Iuris utriuſq; abſolutam cognitionem adiunxerat, doctrina egregiè exculto, familiaritas & neceſsitudo interceſsit. Non uno enim inter nos, poſteaquam primam contraxiſſemus noticiam, coniuncti eramus uinculo: fiebatq; ut ſtudiorum communicatione, & morum ſimilitudine, profectionum quoq; & itinerum ſocietate, ego illi perpetuus eſſem ſectator, ille uerò mihi uiciſsim ducem ſe præberet & patronum. Ab his principijs, ut ſæpe in rebus humanis ferunt occaſiones, eò uſq; progreſsi ſumus, ut duarum ſororum filias (qui ferè proximus affinitatis gradus eſt) in matrimonio haberemus: quarum altera, quæ mihi coniuncta erat, Anno ſupra milleſimum & quingenteſimũ quinquageſimo tertio, maximo animi mei cum uulnere, uitæ huius uſuræ, cum nondum uigeſimumprimum ætatis ſuę compleuiſſet, poſtridie Calendas Martias in ipſo flore, piè renũciauit: altera adhuc meliore fortuna, diuinoq; beneficio, liberis in matrimonio ſuſceptis, tuendis ac honeſtè educandis cõſeruatur. Quibus rebus illud quoq; acceſsit, ut me ille, cum ab honeſtiſsima uxore, antea felici fœcunditate duarum filiarum biennio pater effectus eſſet, ſummi honoris beneuolentiæq; cauſa, pro duobus itidem filijs ordine naſcentibus, quibus diebus ſacro fonte abluebantur, ex Chriſtianæ pietatis more & officio, prædem ac alterum parentem ſiſteret. Minimè itaq; mihi ſuccenſeri poſſe exiſtimo, ſi quemadmodũ eius uiri mors præmatura mihi accidit acerbiſsima, ita quoq; cùm nomi-

nis ipsius celebritas,tum etiam filiorum,quos illa sacrosancta sponsio meos fecit,quosq; egregia indoles non mihi solum, sed etiam plerisq; alijs, qui usu rerum & doctrina me longè antecellunt,charos facit,cõmoda me non leuiter afficiant & commoueant. Si uerò hęc cum priuata sint,& paucorum inter se uincula, parum ad institutum meum facere uidentur:multum profectò respub.literaria, quæ omnibus bonis ex æquo charissima esse debet, huc momenti affert. Scio enim,nec semel solùm uidi,quanta ille cura & fidelitate Cuspiniano euoluẽdo, cum uel minimum ocij nactus esset,eo potissimum consilio totum se daret,ut auctor nõ minus quàm Plutarchus omniũ lectione dignissimus, aliquando in manus studiosorum,non ut prior habet editio,multis in locis deprauatus,ideoq; à ueritate, aliena culpa, longè remotus,sed suę restitutus integritati peruenirет. Nec desunt multorum grauissimorum hominum testimonia, quibus facillimè probare me posse non diffido,illum Spirę,cum ad Tribunal dicundo iuri,totius terrarum orbis amplissimum sederet, ab huius scriptoris lectione, quoties id per negocia facere licuit, nunquam uacationem sibi desumpsisse. Memini quoq; sæpe eum dicere solitum,Iuris ciuilis prudentiam,historiarumq; cognitionem,habita præsertim iusta ac diligenti temporum inter se,ac studij utriusq; collatione, ad efficiendum hominem politicũ reiq; publicæ maximè idoneum gubernatorem,pariter currere debere: uidẽturq; adhuc aures meæ illis personare uocibus, quas ea de re nõ paucas mecum conferebat.

Cum igitur ipsius institutum non posse non probari existimem:pari ratione iniquum esse sentio,laborem iam absolutum,nauatamq; summa diligentia operam,studiosis interire. Quæ cum ita sint,& quidam alij magni nominis uiri, ante me, ut in HVNGERI Adnotationes aliqua præfarẽtur rogati,usq; adeò negocijs publicis (priuata enim eos, ut per me credi par est,non auertissent) occuparentur,ut huic muneri uacare, secus quàm studio declarandæ beneuolentiæ uellent ipsi,non possent: mihi uerò ut ueteris amicitiæ coniunctionisq; animorum, qua inter nos suauissime uixi-

mus,

mus,rationem haberem, auctores essent: flagitiosum duxi, prætextu rustici pudoris,cùm illis amicitiæ nostræ nexibus, tum uerò multò magis, optimis literis,earũq; studiosis,quacunq; in re uel officio,quod illis gratum atq; utile contingere posset,operam à me denegari. Nam ut HVNGERVM ipsum,qui in sempiternam uereq; beatam uitæ cœlestis societatẽ relatus,nihil tale desiderare credi potest, missum faciam:qua tandem humanitate,quo'ue probabili consilio legitimè pijs manibus parentasse uidebor,si in propaganda & quasi per manus fideles tradenda posteris,doctissimi hominis,& de optimis studijs egregiè meriti memoria, nomini ipsius ex uirtute & excellenti eruditione comparatã immortalitatem mea negligentia, officioq; minus liberaliter prẹsti to inuidebo? Et si quod æquè inhonestum est,atq; impium, illo mortuo,hunc laborum paternorum fructum filijs, ad quos tãquam portio hẹreditatis pertinet,corrumpam? Cur deniq; communia discentium studia,si Cuspinianus(de cuius laudibus plura commentari, huius nec loci nec instituti est) renatus illaudata occultatione & quasi furto concepto, subtrahatur,magni me ipsum criminis reũ acturus, defraudabo? Itaq; à duobus clariss. Iureconss. Domino NICOLAO EVERHARDO Phrisio,& THOMA SCHOBERO,mihiq; eadem affinitate,qua Hungerus erat, cõiunctis, cum id iure quodam suo à me petere & impetrare deberẽt, impelli me passus sum,ut alieno operi manum admolirer. Nam quòd ad me attinet, ingenuè fateor, nihil in toto hoc Opere meum esse:& æquissimo animo alienum eatenus dici patior,ne ab humanitatis amicæq; & candidæ uoluntatis officijs,quæ sola à me exigũtur,prẹstandis submonear. Qua enim hoc fieri debeat,causam nõ uideo,aut rerum humanarum prorsus nihil intelligo. Vtinam autem ipsi Hungero, multorum annorũ lentus, ideoq; fatalis morbus, longiorẽ uitam non inuidisset:editurus erat dubio procul maiora doctrinæ suæ, augustioraq; ingenij monumenta. Posteaquam uerò,quod unum possumus, hoc optare potius nobis nunc licet,quàm illius quod uellemus uiuentis dulcissima consuetudine frui:è re est, & mei quidem præcipuè muneris, filijs

(de quorum ingenijs reipub. bene ominor) paternæ uirtutis & laboris exemplum proponere, ut qua possunt, (debent enim certè) studiorum contentione, & perhonesta æmulatione illũ nobis quasi postliminio aliquando restituant. Agnosco equidem, quàm difficile sit hoc munus, mihi præsertim, quem nihil cõmendationis uel ipsi Cuspiniano, uel instauratori Hungero, quod par erat, allaturũ multo antè prospiciam: uidearq; egregiè meo perfunctus officio, si hoc solũ effecero, ut nihil nominis ipsorum celebritati per me detrahatur. Neque uerò illud obscurè sentio, in quantũ temeritatis apud sapientes doctosq; homines me cõijciam discrimẽ: quando pleriq; omnes, quod usu compertũ est, qui talem aliquam prouinciam in se nulla uerecundia aut pudore capere consueuerunt, non minus indocti, quàm stolidè inepti & futiles habeantur. Vna tantum spes me sustentat & consolatur, æquos æstimatores, ad quorũ prouoco iudicia, meq; solis illorum calculis officiosè & reuerenter subijcio, etsi non multos, paucos tamẽ futuros, qui hoc à me Hungero eiusq; liberis dari debuisse iudicabũt: non immeritò, si huic oneri suscipiendo ceruices subduxissem, me tanquàm minimè cõstantem in amicitia colenda, & quòd contra boni uiri officium in re seria ac honesta, simulatorem potius aut histrionem quendam comicum, quàm uerum egissem amicum, conuicturi: quæq; in omni actione uitiosa est, ignauiæ castris adscriptum reprehensuri.

Tibi uerò, generose & magnifice Domine IOANNES IACOBE, has Adnotationes, cum in lucem emittendæ essent, duabus de causis consecrandas iudicaui. Nam cum publicè de omnibus bonis literis optimè merearis, idoneus mihi uisus es huic labori defensor. Conscius etiam sum mihi ipsi probè, eorum quæ priuatim à te accepi, beneficiorũ: pro quibus à me uicissim plurimam deberi tibi grati animi significationẽ, studiosè & perlibenter agnosco: speroq; satis meo me feciſſe muneri, si mea tibi, quod maximè cupio, probauero obsequia: & Hungeri filijs, ut inceptum studiorũ cursum feliciter promoueant, te Mecœnatem parauero. Optimè Vale: Kalend. Februarij, Anno 1561.

AD STVDIOSVM LECTOREM PRAEFATIO.

MONSTROSA uerò ac deteſtabilis fuit ſuperiorum illa ſeculorum immenſa barbaries, quæ omnium bonarum literarum craſſa ignoratione, ſingularum propè rerum uitæ utilium nobis inuexit amiſsionem: effecitq;, ut incuria & ignauia multorum, ad quorum officium pertinebat, ſingulari induſtria & erga patriam amore, res cognitione hominũ digniſsimas poſteris tradere, pleraq; nunc, eaq; perneceſſaria deſiderentur. Norunt enim non pauci, quantis quibusq; tenebris in uniuerſum bonæ artes obrutæ iacuerint, & quàm turpiter priſcorum temporum ſcriptores, quorum memoria ad hæc noſtra uſq; tempora, unà cum ipſis omnium præceptionum doctrinarumq; pleniſsimis uoluminibus, ſingulari DEI beneficio penetrauit, cum homines indocti qui linguarum aut nullum aut exiguum habebant uſum, imperium poſsiderent, deprauati ſint & corrupti. Quid autem grauius, quid excellenti illa humani generis natura indignius dici poteſt, quàm ea ignorare, ad quæ cognoſcenda, diuinitùs inſito rationis lumine per ſe rapitur: & iſta luce carere, quæ uel ſola à feris beſtijs, aut fatali malo mente captis diſcernit? Quid denique amabilius, aut magis in uita homini, rerum cognitione, tametſi ad ſummam perfectionem ingeniorum humanorum tenuitas peruenire uix poſsit, adpetendum? Vt enim ab ipſa primaq; totius mundi ſyntaxi ordiamur, quotus quiſq; eſt, ſi magiſtrum habeat in admonendo docendoq; non ommino rudem, aut per ſe ipſe, bonitate ingenij, initia, cauſſas & progreſſus rerum inquirat, cui non admirabilis ſit, ille elementorum inter ſe ordo, pulcherrimaq; harmonia? Etſi autem ipſa naturæ qualitate inter ſe pugnare, ideoq; diuerſas habere actiones uideantur: perpetua tamen officiorũ communicatione & relatione æquè ac ſi manus manũ lauet continentur, ſuamq; nihilominus tuentur ſtationem. Eadem in motibus cœleſtium corporum, ut à toto ad partes deſcendamus, ratio eſt: quando ita certo ordine diſtinguantur, ut ſingulas anni partes moderentur, ac ſuum illis uiciſsim laborem atq; ocium præfiniant. Sequuntur deinde ſuperiorum corporum uim & naturam, non ſolùm omnia diuerſorum generum animalia, ſed & plantæ ac herbæ, & quarum longè alia maximeq; arcana ratio eſt gemmæ. Atq; hæ quidem res præterquam quòd ſunt cognitione digniſsimæ, magnumq; in uita uſum habent, eo quoq; nomine uel maximè & præcipuè addiſcendæ ſunt, ut ex his principijs ſupremi architecti infinitam diſcamus agnoſcere ſapientiam. Et quanquam eorum quæ breuiter tantũ attingenda fuere, ignoratio, peſtis per ſe plus quàm pernicioſa fuerit, & damnoſa: tamen illud quoq; acceſsit mali, ut rerum geſtarum, ſiue ex uirtute ſiue ex uicio emanarint, paucíſsimi ſcriptores, qui ex fide, & ſine animi morbo aliquo, commentarios ſuos euulgarint, habeantur. Plerique etiam, quod impares eſſent oneris magnitudini, lumen ſuum rebus, quas conſcribendas ſuſceperunt, inſcitia ademêre. Vnus ferè demum & magnus ille IOANNES IOVIANVS PONTANVS, poſt Abbatem Vrſpergenſem, & paucos alios, tanquã ultor prioris infelicitatis, hiſtoriam ſui temporis illuſtrem ac ueram nobis reliquit: quem Philippus Cominæus non longo annorum interuallo, & Galeatius Capella ſecuti, bene de omni poſteritate meriti, rebus maximis tenebras illas & ſordes ueteris inſcitiæ, ſumma fide in recitando, dexteritate uerò & ſapientia non minorè in ſcribendo deterſerunt. Quorum innumero haud immeritò Ioannes Auentinus, rerum cognitione celebris uir, & diligentiſsimus ſcriptor, illuſtre nomen promeretur. De recentioribus enim, ut Petro Bembo (quẽ à nimij in patriam amoris ſuſpicione grauis

ac matura ætas, & in dicendo modestia & candor, facilè bonis lectoribus purgare possunt. Paulo uerò in primis Iouio, & alijs quibusdam, cum hic de se ipso iudicium in Præfatione sui operis faciat, hic nihil attinet dicere: de cæterorum uerò scriptis res ipsæ, quomodo cum ueritate narratio cõsentiat, loquãtur. Studium profectò ipsum cõscribendæ historiæ, ut res per se maximas, totíq; terrarũ orbi cõspicuas tractat, ita nõ humilis, nõ parui est, aut cuiuslibet ingenij: sed eius potius, quod heroica quadã uirtute excitatũ, pares in describendis rebus adfert spiritus, easq; ex ipsarum rerum magnitudine & Heroum, quorum excellenti uirtute, consilio & successu, gestæ sunt metitur. Neq; enim de re non satis intellecta, quisquã satis appositè pronunciabit: & imperitus scriptor prudentiam magni alicuius heros, iusticiam fortitudinemq; in administranda domi foriscq; Repub. siue togatum eum finxerit, siue armatum, deformabit magis quàm illustrabit. Id uerò non solum stultum, sed & flagitiosum haberi potest. Est enim historia lumen temporum, & quasi regula utilissima, cum multiplici experientia, quæ demonstrationi par est, coniuncta, multarum rerum: ueruméq; est illud, Rerum utplurimùm eundem, aut non absimilem esse, etiam post multa temporum interualla euentum, tametsi (quod fieri necesse est) magna sit diuersitas personarum. Maxima igitur eorum studium commendatione dignũ est, qui præclarè res gestas, qua potuerũt diligentia & fide, posteritatis memoriæ prodiderunt. Vt uerò cæteris omnib. in disciplinis semper alij alijs præstitere: ita in scriptione historiæ non eadem omnium est dexteritas, non par iudicium, & in proferendis factis & consilijs acumen: rectè ut dici possit, non absimiles esse scriptores luminibus cœlestibus, quorũ alia alijs pulchriora, ipsoq; motu uelociora, deniq; in corporib. inferioribus potentiora experimur. Nam ut ex multis hoc unum expendamus, qui singulorum regnorum peculiares & illis proprias reliquere historias, rectè illi quidem fecere: sed non tantum adiuuant lectorem, quantum qui magis fructuoso studio & labore longè maiore, ideoq; celebratiore multorum retrò seculorum ac regnorum uniuersam continentemq; historiam sunt complexi. In illis enim tantum parietem quendam excellentis architecturæ, aut membrum statuæ artificiosæ, uidere licet: hic tota œconomia, omniscq; domestica supellex conspicua est. Obuia sunt enim ibi maximarum pulcherrimarumq; rerum exempla, extant initia & progressus imperiorum: discimus regnorum maxima incrementa, & summa tandem fastigia, ex minimis principijs, uirtutem, clementiam & iusticiam gubernatorum consecuta esse. Demonstratur itidem, quàm leui sæpe occasione, propter crudelitatem & importentem dominationem, ambitionẽ in adfectandis alienis opibus & potentia, libidinem deniq; & ignauiam, res maximæ è summo loco deturbentur. Fit itaq;, ut ne adnimaduertentibus quidem, latissimum pelagus multiplicis eruditionis se obferat. Eo autem maximè consilio, ut mihi quidem uidetur, Ioannes Cuspinianus, uitas omnium ordine Imperatorum, Caij Suetonij & Plutarchi secutus institutum, describendas suscepit, ut cum de toto terrarum orbe maximè illustribus Monarchis, penes quos summa supremi imperij & ordinaria successio fuit, differeret, non tantum insignia illorum exempla, dicta & facta, quidq; in illis uel honestum esset, uel uitio damnaretur, proponeret: sed etiam ut uniuersam illam supra mille & quingentos annos temporũ seriem integram connexamq;, nõ interciſam aut mutilatam, posteritati relinqueret. Qua in re admirabilis fuit & uerè excellens diui Maximiliani Imperatoris prudentia, qui cum omnibus esset ornatus uirtutibus summo Imperatore dignis, huius laboris Cuspiniano, quòd tantarũ rerum magnitudinem uero æstimaret iudicio, auctor fuit: suaq; illum liberalitate multum adiuuit: auctoritate etiam, ne operis propè immensi & infiniti difficultate uictus desperaret, confirmauit. Vt autem quò uolo perueniam, cum historiæ multiplex sit utilitas &

doctrina,

doctrina, magna in ea euoluenda opus est prudentia: neq; quisquam cum fructu illam legere uidetur, qui non ex uarijs exemplis, quorum plena est historia, animum ad omnes casus egregiè, siue aduersæ siue secũdæ res se dederint, præmuniat. Eius uerò doctrinæ duæ sunt partes: prior in personarum obseruatione consistit, posterior temporum & mutationis imperiorũ exactam indagationẽ habet. De personis grauissimè Hesiodus ad fratrẽ Persen uaticinatur, πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις βλάπτει ἀνδρὸς ἑπαυρεῖ. Et Achilles apud Homerũ, de totius exercitus salute solicitus, Agamemnonem suis plus æquo indulgentem uoluptatib. magni criminis reum faciens, δημοβόρους βασιλῆας adpellat. utrumq; enim summæ uirtutis, & animi ferè plus quàm humani est, aut secundas res ita moderari, ne nimium efferri, & minus quàm par est, status uitæq; nostræ conditionẽ agnoscere uideamur: aut simul cum fortuna, si illa ad nostram uoluntatem non fluat, animi constantiam retinere. Artifices huius rei rarissimi leguntur: exempla uerò utriusq; uitij illustria, legentib. nõ uno in loco proponuntur: quorum pauca exueteribus historijs recitanda proposui, cum ex illis tanquã illustriorib⁹, recentiorum facilis sit dijudicatio. Ac primùm quidẽ, in Timotheo Atheniensi, Cononis filio, quàm procliuè sit in alteram partem peccare, uidere licet. Ille enim cum ingenti rerum feliciter ab se gestarum, ob patriam omni hostili metu liberatam, nouaq; auctam potentia floreret, tantos sibi sumebat spiritus, ut non meminisset, aliquid fortunæ his in rebus tribui oportere: sed suæ uirtuti, animiq; fortitudini stultè & petulanter omnia largiretur. Qui si ciuili, aut ethnico tantum more sapere didicisset, potuisset illam animi elationem modestia corrigere: & agnoscere beneficio fortunæ, cum diuinæ potentiæ nihil tribueret, hos sibi contigisse successus, quos fatali superbia momento temporis omnes auertebat. Itaq; obscurus deinde ac inglorius, nulla re memorabili gesta, insolentiam istam magno suo cum dedecore luit. Habent etiam Romanæ historiæ, & his similes, & longè tristiores ludos. Ac penè difficile est iudicare, an usquam alibi æquè tragici casus legantur, atq; summorum duorum Imperatorum Pompeij Magni & Iulij Cæsaris fuere: admirandumq; sit, ambos, cum uterq; omnibus propè muneribus ac honoribus ciuilibus, in repub. legum seueritate, morumq; disciplina præreliquis optimè constituta perfuncti essent, eò ambitionis & superbiæ prolapsos esse, ut prorsus omnis officij & pietatis erga rempub. oblìti, suam causam patriæ saluti, quàm cedendo aliquantulum de iure suo, conseruare ipsis erat non difficile, anteferrent. Alter enim, cum prius magnos hostium exercitus profligasset, regnaq; edomita in prouincias populiq; Romani iura redegisset, hoc uno ciuili bello inferior, in summas incidit acerbitates, manusq;, ut tristem uitæ sortiretur exitum, & ne in exilio quidem, quod ultrò sequebatur, tutus esset, sicarij eunuchi effugere non potuit. Vsqueadeò enim indignè & grauiter hanc fortunæ auersæ contumeliam ferebat, qua tanquam fatali ludibrio, omnis ipsius conculcata erat & prostrata auctoritas, ut quibuscunq; periculis obijci mallet, quàm uictoris aspectum (à quo dubio procul, longè quàm à se ipso habitus fuisset clementius) uidere. Alteri uerò, in ipso tribunali & senatus habẽdi loco, cum & summus esset, & nouis legibus ad placitum figendis impensè operam daret, à reliquis uerò quorum cum ipsa repub. comminuta erat dignitas, & libertas, cõcepto odio timeretur diuturna istius celebritatis possessio, uigintitribus uulneribus contrucidato, denegata est. Si quis enim utriusq; res gestas, sapientiam, iusticiamq; in administrandis domi muneribus publicis, fortitudinem uerò foris, & moderationem in debellandis, ac continendis in officio hostibus, rectè & diligẽter intuebitur: fœdam horribilemq; in uitæ exitu, quo solo infelices aut beati homines censentur, ambitione accersitam deformitatẽ deplorabit. Miserabilis eodem propè modo fuit superioribus seculis magni cuiusdam Herois interitus: qui rerũ bellorumq;

rumq; difficillimorum, quæ multis annis continenter solus curauerat, cumulatissimam gloriã corrupit, cum leui de causa, & re paulo maioris momẽti quàm lana caprina, ut dici solet, ne iustitiæ opinionem apud suos pariter, & uicinos, à quibus magnifieri & metui uolebat, amitteret, bellum non necessarium mouit, seq; ipsum infelici pugna hosti præbuit interficiendum. Quemadmodum uerò omnium longè difficillimum est, nobis ipsis cum res secundæ sunt imperare, & fortunam reuerenter habere: ita facilius nihil est, quàm in aduersis animum despondere, ac (ut Cicero inquit) tumultuantem de gradu deijci. Huius quoq; rei in maximis præstantissimisq; uiris exempla non rara conspiciuntur. Etsi enim Annibal Carthaginensis, qui bellorum ingenti mole uiginti continuis annis toti Italiæ incubuerat, & Cannẽsi pugna, stratoq; ad Thrasimenum Romano robore, ipsis urbis mœnibus terrorem inferens, extremam potentissimæ reip. cladem allaturus timebatur: paulo tamen pòst, cum successus illi secundi relanguissent, ipseq; fortunam Punicam toties uictus agnosceret, poto ueneno, tanquam nefariè à dijs Tutelaribus humanisq; omnibus præsidijs destitutus, sibi ipsi mortem consciuit. Non dissimili quoq; fremitu, animiq; indignatione Iuba rex impatientissimus commutatæ fortunæ, seruulum, qui accepto precio ipsum è uiuis tolleret, legitur conduxisse. Quid de Marco Catone Vticensi aliud sentiendum? quem ita aduersi casus fregerunt, ut in se ipsum suprà quàm Annibal fuerat crudelis, strictum mucronem, implacabili victoris Cæsaris odio impulsus, pectori admoueret. Erat & hoc animi planè deiecti & fracti indicium, quòd Alfonsus rex Aragoniæ, à Carolo octauo Gallorũ rege bello diuexatus, summam salutis in fuga repositam habebat: & filio Ferdinando res desperatas, tanquam naufragij tabulas, quibus ille è summis periculis enataret, cum homo iuuenis, & tantis rebus longè impar, nõ minus ipso patre consilij inops esset, instaurandas relinquebat. Qui mediã secuti sunt uiam, maxima eorum est paucitas. In Græcorum historijs, si quisquam hanc promeretur laudem, Phocionem & Aristidem in summo loco ponendos esse ferè nulli dubiũ est: cum hic pro ingentibus in rempub. Athenienſiũ meritis Agnonide & Epicuro Demophilo accusatoribus, porrectam sibi cicutam, ac si in appetenda etiam morte, sententiam contra ipsum dicentibus necessitate ineuitabili parendum esset, cõstantissimo animo hausit: alter uerò, non solum priuatas offensiones, quæ ipsi cum Themistocle erant sæpe in repub. aduersario condonauit, uerùm etiam in exilium eiectus, illam patriæ felicitatem & successus precatus est, ne unquam illi Aristidæ meminisse esset necesse: ac deinde fortuna uertente, pro irrogata infamia, patriæ utilissimam nauando cõtra hostes operam, re ipsa comprobauit, nullam tantæ atrocitatis debere esse homini priuato iniuriam, & acerbitatis, quam deinde aliquo cum incõmodo uindictæ cupiditate respub. luat. Vnus ferè Publius Scipio Africanus in repub. Romana talis haberi potest. Illum enim, cum expugnata Carthagine noua, tota Hispania Punicos exercitus expulisset, uictorq; ab omnibus oblata ingenti auri ui tanquã Deus aliquis in summo haberetur honore: & iam tum, non quantùm nutanti patriæ profuisset, sed quantum ad illam omni Punicorum armorum metu liberandam sibi restaret, animo metiretur, res secundæ minimè dementabant: nec aduersa fortuna, cum ab ingratis ciuibus post deuictum Annibalem, & restitutam tranquillitati rempub. Romanam, repetundarum accusaretur, ita fregit, ut aut sibi ipsi uim faceret, aut sumptis armis, cum accusatoribus fortunam periclitari uellet: ratus omnem rerum ab se gestarum gloriam uni patriæ deberi, & illi scelestam aduersariorum criminationẽ oportere condonari. Qua in re longè Themistoclem Athenienſem & Alcibiadem superauit: quorum uterq; cum ad hostes defecisset, armorum strepitu iniuriam à se propulsare, & ne quid de ipsorũ dignitate & loco diminueretur, publico cum incommodo causam disceptare

instituе-

inſtituebant. Vidit quoq; hoc noſtrum, tametſi aliàs turbulentum multisq; modis infelix ſeculum, duo terrarum orbis ex uirtute profecta miracula: alterum in Carolo Quinto Imperatore, qui ſemper ſecũdos fortunæ ſucceſſus ampliſimasq; uictorias tanta moderatus eſt clementia, ut ne ueſtigium quidem ullum ſeuerioris quàm par eſt, imperij in eo adpareret: alterum in Ioanne Friderico Electore Saxoniæ, qui domi foriſq; ab eminẽti Electoriæ dignitatis faſtigio, diuerſis fortunæ aduerſæ ictibus eodem tempore deturbatus, tanta animi conſtantia tamq; leni patiẽtia has grauiſsimas clades temperauit, ut patria exutus, & alieni iuris factus, ipſi uictori æquè atq; hoſtibus magnæ fuerit admirationi, & in ſummis, quod uix ei ſaluis rebus contingere potuiſſet, honoribus habitus. Neque uerò, ut ſuprà oſtenſum eſt, perſonas tantum intueri ſtudioſum lectorẽ ſatis eſt: ſed & temporum & cauſarum, ex quibus magnæ mutationes ſæpe ortæ ſunt, exactam cognitionem comparare conuenit. Nec difficilis eſt harum rerum obſeruatio. Occurrit enim, quocunq; animum uertas, uniuerſa humanarum rerum periodus, grauiſsimis & infinitis propè calamitatibus plena: neque unquam fieri poteſt, quin multa multis, etiam in optimè conſtitutis gubernationibus, cum ad cataſtrophen ſuo fato rapiuntur, publicè & priuatim grauiter moleſteq; accidant: cum ruente tota domo, tignum quoq; & parietem unà ruere neceſſe ſit. Hoc omnes ætates teſtantur, & rerum maximarum conuerſiones, fatalesq; exitus demonſtrant. Quid enim poſt Medos, Aſſyrios & Perſas (penes quos ſumma fuere imperia) Græcorum rebuſpub. & moribus, quæ tot ordine clariſsimos, prudẽtiſsimos & fortiſsimos habuere gubernatores, illuſtrius dici, aut cogitari poteſt? Non ſolum enim domi legibus continebantur ſanctiſsimis, ſed foris etiam propter domeſticam diſciplinam & fortitudinem terrori erant uicinis omnibus. Quibus quidem ornamentis hæc quoq; acceſſit ſumma felicitas, ut multæ apud illos, toti humano generi æquè utiles atque neceſſariæ, cæteris uerò gentibus ignotæ artes excolerentur. Nec minus admiratione digna eſt eiuſdẽ gentis Monarchia, quam Alexander magnus ſumma celeritate & uirtute, cum non ſemel parua manu inuictos hoſtium (ut putabantur) exercitus profligaſſet iuuenis, conſtituebat. Huius pulcherrimi corporis nec caput nec pedes nunc adparent: momento enim ferè temporis, à morte Alexandri, ſumma imperij in quatuor partes diſſecta, magis magisq; ſubinde à ſplendore ſuo & maieſtate receſsit, pudendamq; poſteris uaſtitatem, nobis uerò præter luctuoſam ſui & funeſtã memoriam nihil reliqui fecit, quàm quòd bonæ literæ ibi natæ, grauiſsimiq; ſcriptores diuinitus cõſeruati & ab interitu uindicati, ad nos ab inteſtato peruenere. Id enim proprium habent, ut uel ſolæ, reliquis omnibus rebus ſenio & corruptione ad interitum decurrentibus, immortalitati quàm proximè accedãt. Ac ut cætera omittã, pro Solone & Lycurgo, nunc illi Turcæ ius dicunt: pro uirtutum & optimarum diſciplinarũ ſtudijs, promiſcuarum libidinum & barbaricæ crudelitatis officinę uiſuntur: rectè ut dici poſsit, — *En queis conſeuimus agros?* In maiore rerum faſtigio Romanũ Imperium fuit: neq; illius reipub. inſtitutis, ſi extra communem aduerſæ fortunæ aleam conſiſtere potuiſſet, quidquam admirabilius aut firmius habent hiſtoriæ. Videmus quibus initijs creuerit, quales quantosq; in propaganda & confirmanda potentia fecerit progreſſus, quamdiu illi ciues uirtutis & patriæ amantes contigêre. Videmus etiam, poſtquam ambitione cœptum eſt concertari, in quàm deformem ac turpem ſui ſtatus metamorphoſin ſit prolapſa. Vt enim Ariſtocratia, pulſa Regum tyrannide, illi omnium fuit utiliſsima: ſic non longo temporis ſpacio fortuna cum reipub. forma commutata, & rerum ſumma poſt Octauium Auguſtum ad ſucceſſores delata, paucis exceptis, quorum clementia & ſingulari beneficio Dei res illi minus acerbæ, ut à prioribus uulneribus aliquantum reſpirare poſſet, conceſſæ fuere, perpetuam cum monſtris

habuit

habuit colluctationem. Nec absimilis fuit unquam cæterorum regnorum, & ordinum, tametsi inferiorem tenuerint locum, conditio: cum & illa suas pertulerint acerbitates. Id Philippus secundus Macedo, Persei pater, suo infortunio comprobauit: Mithridates itidem, & Ptolemæus Auletes, regnis unà cum familia & posteritate sua amissis exemplo sunt. Minimè aũt mirũ uideri debet: quando & domesticæ cuiusq; res, & singulorum, à difficultatibus rarò admodum sint immunes. Cum igitur historiæ innumerabilia ferè exẽpla inconstantis & fluxæ fortunæ in rebus humanis tanquã regulã uitæ in tabula depictã nobis proponãt: uirtutumq; ac uitiorũ, personarũ denicq; quibus illæ inhærent, & temporum eruditissimam cõtineant enumerationẽ: magnam sui apud omnes studiosos, & eos qui aliquo in Rep. funguntur munere, amorem & cognoscendi contentionem meritò excitant. Proficiet autem plurimùm studiosus Lector, si ex illarum frequenti lectione animum suum ad casus humanos æqua mente, & sine indignatione perferendos inflexerit, & erudierit: id quod res est existimans, imperiorum & rerump. Deum auctorem esse, & conseruatorem: ideoq; non deserendam esse, utcunq; euentus sæpe aliena culpa honesto pioq; instituto non respondeant, ullam reipublicæ partem. Verissimum enim est illud Pindari in Pythijs,

εἰ πᾶς ἐσθλόν τι μάσσας σιὼ
νόον δαίσεται βροτοῖς
ἀθάνατοι τὰ κρύβδα
ὐ λιώσαιτ' ἀνθρώποις ἐόσσιν φρένας,
ἀλλ' ἀγαθοὶ τὰ καλὰ πρέψαντες ἔξω.

Infelix quoq; & stultus est ut plurimũ ille impetus & fremitus, qui quæ consilio & ratione auertere non potest, aut effugere, ijsdem furiosè recalcitrat: contrà quàm habent uersiculi,

εἰ τὸ φρόνημα φρένει, φρένες καὶ φρένα.
εἰ δ' ἀγωνακτεῖς,
καὶ σαυτοῦ λυπεῖς, καὶ τὸ φρόνημα φρένει.

Bene & feliciter Vale.

AD EVNDEM.

HUmanos quicunq; modo comprendere casus,
Et ratione cupit, quibus ingens angitur orbis,
Dum rerum hic studijs summas adfectat habenas
Omnibus, alternis supremo in culmine postus
Inferiora premens, alternaq; damna uicissim
In caput ipse suum magno constantia torquens:
Ille sed indignè premitur, sublimia semper
Fulmina, & auersas expertus pectore sortes,
Decipitur, nec habet quidquam quod credit habere
Se certi: neq; enim uires contendere supra
Naturæ exiguas fas est, & luditur ipsa
Ex imis statuens arcana indagine cæli.
Namq; ea conuersis uolui quæ sæpe uidemus
Sortibus, ambigui quo tandem uertere cursum
Carbasa tensa uelint, aut quæ caua littora fessas

Sint habitura rates, tantum rimantia turbant
Pectora, perturbantq; metu, pauor intus anhelas
Occupat assiduè mentes, scinditq; sequentis
Expectata diu quamuis, uotisq; uocata
Sollicitis, incerta tamen fallaxq; repente
Spes auræ, nec adhuc finis requiesq; laboris
Vllius, aut aliquis uicino in margine portus
Conspicitur, tantùm ponto nox incubat atra.
Quare agite in cœlum dubias attollere mentes
Sit studium, faustusq; labor, mandataq; cura:
Atq; Deum, postquam discendi tanta cupido est,
Consulere: hic tacitos fatorum expromere sensus,
Et rerum occultas nobis aperire latebras
Et ualet, & solus didicit secreta docere:
Nec quisquàm, nisi cui tribuit prius ipse, docebit.
Nam caput & rerum quærenda est summa perennis,
Ipse ubi discendi metas & pondera fixit.
Scilicet imperio qui continet omnia, mundum
Constituit duplici, placitis cœlestia poscens
Regna suis, hominum permittens cætera curæ:
Non tamen arbitrio quouis retinenda, nec ausu
Sceptra, nec illicitas ad uim rapienda per artes:
Sed quibus ipse etiam moderator & arbiter adsit
Plurimus, atq; suis dominantum corda gubernet
Auspicijs, reprimatq; audentem plura tyrannum,
Quàm pro iure licet, populi pœnisq; furores
Compescat legum fortis defensor & auctor.
Ipse etenim lateat ne te mens inscia uerum
Auctoremq; scias Regum, Regumq; datorem
Terrarum iubet esse deos, qui sceptra potenti
Concutiunt dextra, & ualidis simul instruit armis
Illorum ut stabiles uires in pace colenda
Et bello inuictæ fracto metuantur ab hoste:
Nostra quoq; ut plectant acres commissa magistri,
Et facere officium doceant gemebunda prementes
Colla iugo insueto. uiditq; hæc omnia quondam
Fatidico iuuenis somnio, monuitq; futuros
Euentus rerum uarios, qui sæua leonum
Illæsus nuper demulserat ora furentum,
Ignibus & nullos iniectus senserat ignes:
Et fore prædixit motus, quibus excitus orbis

In ſua uulnificum conuertat uiſcera ferrum,
Membraq́ non capiti parcant, membriſq́ uiciſſim
Vim caput obuertat, litemq́ aut carcere diro
Terminet, aut ſtatuat ſupremo in funere finem.
Nam uelut ante locum capiens, munusq́ prophetæ
Zacharia genitore ſatus, uentura canebat
Lucis regna nouæ, Chriſti prænuncius index,
Quàm Deus ipſe Deo genitus, ſe protinus orbi
Inferret, mediumq́ uiris miſceret inermi
Paucorum numero ſociũm latera utraq́ ſeptus:
Sic etiam hic, ſed non ſomno uinoq́ ſepultis,
Ordine uenturas cogens in tempora ſortes
Concinuit, ſibi ne ſecurus mollia fingat
Ocia, & ad luxus famulantia tempora uertat,
Et monitus uitæ redeat melioris ad uſum
Quiſquis is eſt, cuius tangunt communia pectus
Seu mala, ſeu facies lætæ gratiſſima ſortis.
Res quippe humanas urgentibus omnia fatis
In peius ruere, & uitio ſuccedere ſemper
Deteriora bonis: capiti namq́ inuidet aurêo
Lapſa polo rupes, nullo impellente reciſa,
Colliſumq́ humeris altè deturbat honorem.
Et licet argenti ſuccedit lamina, pectus
Brachiaq́ exornans: precij tamen illa minoris,
Et minus eſt rari femoriq́ inducit ahenum
Nobilitate carens, gratoq́ colore metallum
Adproperans tacitè mundo inſidioſa ſenectus.
Ipſæ abeunt etiam, quod conterit omnia, durum
In ferrum tibiæ atroces, ferrumq́ minantur.
Teſta pedes fulcit ſubtus figulina labantes,
Vtilis ad motus uarios cædesq́ ciendas,
Vltima ne careat lachrymis quæ uiuitur ætas.
Hos quoq́ portendunt immania monſtra labores,
Monſtra per innumeros plus quàm crudelia caſus.
Torua leæna locum ſuprema in ſede priorem
Sortita eſt, diris fauces laniatibus implens
Sanguinis humani, uicinaq́ regna pererrat
Cæde furens, & bella onerans naſcentia bellis.
Et uelut accipiter, liquidum ſuper aera pennis
Mota uolubilibus rapitur, Medosq́ feroces,
Aſſyriosq́ truces, ſtricto qui plurima ferro

Certatim in miseras uerterunt regna ruinas.
Et tandem exactis dominandi cursibus, ipsi
Occubuere simul, gemitumq; dedere cadentes,
Exigit, & stimulis in fata ingentibus urget.
Altera in imperio, deformes unguibus ursa
Signat humi incessus, & tantum uiuere rapto
Edocta, intendit uires mapalia circum,
Ambesisq; grauem distendit carnibus aluum,
Infestans pariter pecudes pecudumq; magistros,
Dulciaq; alueolis furatur mella, domosq;
Turbat apum doctas, fertur sine lege modoq;,
Sub pedibusq; premit, quidquid moderabile suasu
Spes iubet esse aliquas: acceptaq; damna, ferendo
Leniter, emendat. bello hæc genus acre gerendo
Euocat in campum Persas, his arma ministrat,
Et furias, totus quales exterritus orbis
Viderat haud ullos, nomenq; horrebat ad ipsum
Indomitæ gentis sæuis obtritus ab armis.
Tertia regna tenet rapidis uelut acta sagittis
Concutiens alas Tygris funesta quaternas,
Horrendùm ingrediens, ipsa truculentior ursa,
Et patulo toruæ rictu gulaq; leænæ.
Hæc rapit atq; ruit, quæcunq; dat obuia tellus,
Qua Taurus regione micat, qua maximus Atlas,
Frigoribusq; urit Rhodope glacialis inertes
Agricolas, lignumq; educere fissile syluis
Imperat, & Parthos eadem uiolentia sæuæ
Tygridis edomuit, docuitq; haud sera timere
Inuictas Macedum uires, ingentiaq; arma.
Quin etiam Solymæ, ne quid superesset inausum,
Cesserunt Graijs bellum facientibus arces.
Quid referam Illyrios proceres, & marte cruento
Euersas Thebas, tua prudens Oedipe regna?
His etiam accedunt, omnis quas Græcia passim
Sustinuit clades uarijs iactata procellis,
Supplicibusq; modus pacis præscriptus Athenis,
Et data iura Tyro uictæ, legesq; Mileto,
Ipsaq; fortuna Sardes proscripta maligna.
Nec tamen hos requies casus excepit amica,
Dum furit Antigonus, miseri plectuntur Achiui,
Sæuaq; Cassander dat causam in fata tyrannus,

Manſuramq; parat Perdiccas crimine famam,
Demetriusq; deûm ſummos ſibi ſumit honores,
Quiſq; ſuis patriæ uitijs damnoſus & orbi.
Ecce autem in clades quaſi non ſatis iſta fuiſſent
Monſtra graues, terris grauius ſuccedit in omen,
Beſtia quarta, oculis bipatentibus omnia circum
Colluſtrans: quæritq; ſimul, quibus impete uaſto
Vim faciat, perdatq;, & regnis exuat hoſtes,
Exertans duplici ferratos ordine dentes,
Cornuaq; à ſummo criſpantia uertice dena:
Se quibus obtrudit medium, regnatq; ſuperbè
Exiguum atq; hominis præfixum lumine cornu,
Vi propria euellens cerebro tria cornua ſummo,
Illorumq; ſui faciens faſtigia iuris,
Grandè ſonans, & cuncta minis atrocibus urgens,
Inuoluensq; metu: Latium hæc, duroſq; Quirites,
Et genus à Phrygio deductum armauit Iulo.
His omnem Libyam, regna his quoq; Punica latè
Euaſtanda dedit, totumq; emiſit in orbem,
Vt denſa rapidos effundens grandine nimbos.
Hoc pridem oblitæ bellorum & pacis amantes
Herculeæ littus ſenſere ad utrumq; columnæ.
Senſit & Ionium, neq; pontus inhoſpitus Helles,
Cimmeriæq; malum poterant fatale paludes
Effugere, atq; armis rigidi genus utile Thraces:
Antiochuſq; cadens bello, Macedumq; tyrannus,
Puluere quem ſicco deſcriptus terruit orbis.
Id Rhodanus queritur, luget quoq; nobilis Iſter
Fluminibus gaudens ter denis, montibus ortus
Arnobijs, unde irriguo lauat amne Sueuos,
Excipiensq; Lycum Boijs adlabitur aruis:
Nec minus erumpens uicino è gurgite Rhenus,
Qua ſecat ipſe tuos felix Alſatia fines,
Et quas eximij plantandis uitibus oras
Vangiones Nemeteſq; colunt, qua Geldua fagus
Sæpe uiatores umbris excepit opacis,
Vidit & obſtupuit trabibus coniunctus acernis.
Quin ipſos etiam terrere Tuiſconas auſa eſt,
Qua luteas pallens Albis prouoluit arenas,
Menapioſq; acres bello Cattoſq; ſubegit,
Brachia ad æquoreos extendens uſq; Sicambros.

Vt ſæpe aucupio uolucres capiuntur eodem
Innumeræ, cupidus cum retia tenſa magiſter
Explicat, & miſeras obiecta decipit eſca,
Moxq; feneſtratos epulantibus inijcit hamos.
Nam niſi ſerpentem coluber deglutiat ingens,
Pro tumido nunquam ſeſe geret ille dracone,
Nec premet imperio cognatæ ſquamea gentis
Colla, nec inficiet linguis uibrantibus hoſtem.
Imus & ambimus cuncti, neq; totius orbis
Ambitus eſt ulli tantus, quin plura uorando
Hæc oculis atq; illa animo, uelut æquor arenas,
Eſſe decem cupiat, ſolus quibus imperet, orbes,
Omnia dum tentat, cælum quoq; ſede ſuperna
Munitusq; loco incaſſum tentare uetaret
Ni Deus intactas quas ipſe receßit ad arces:
Et modico tandem contenti uiuere buſto
Cogimur. hæc meta eſt, hic noſtris exitus actis.
Sic ſumus in terris magni, morimurq; beati:
Sic humiles etiam retrò fugientibus auris
Reddimur, & florum ſimiles marceſcimus ipſi.
Sic genus humanum preßis ceu ſarcina terris
Deſinit eſſe ſuper, mutatq; in funere ſortes,
Et ſeris quondam lugenda nepotibus acta
Crimine, pro patrijs ariſq; focisq; relinquit.
Et quia nulla fuit capiti conſtantia rerum
Aurato, argentiq; nitor conceßit aheno
Degeneri, ferrata ſibi quid ſomniat ætas
Mollius, æternum pulchri ceu ueris honorem,
Et nullas hyemes metuit, nec frigora curat,
Quæ celeres Arcto reuehunt aſperrima Cauri.
Nos etiam, iſtorum quòd plurima cauſa malorum
Et ſumus, & fuimus, quodq; ipſis cladibus anſam
Materiamq; damus, uicti fateamur oportet,
Crimine non uno, non una labe notati:
Pluribus uſq; notis ſceleri famulata ferentes.
Quæcunq; aſpicimus uerſi fora, pectora circum
Quodq; manus regum longas, & brachia ſæpe
Ferrea ſentimus, duris quòd ſæpe flagellis
Cædimur, auſpicium debere hoc omne furori
Attribui noſtro, quem ſic ſua præmia tandem
Exercent, damniſq; faces communibus addunt.

Sic ſæpe exiguo correptam è fomite flammam
Vulcano dominante incendia magna ſequuntur,
Corripiuntq́ domos uicinaq́ tecta domorum
Eripiunt oculis ſubitò, raptimq́ uagantur
Fluctibus undarum fruſtra remorantibus, alto
Dum gaudent, & tigna uorant, per rura, per urbes.
Quis nunc in famem legeret noſſetq́ Mephitin,
Quina bonos ſi tunc habuiſſent mœnia ciues,
Cum pater & geminæ fugerent ſcelera impia natæ?
Nónne patri arma mouens natus, belloq́ fugatum
Inſectans, tota in cladem rapit agmina ſecum?
Et tandem implicitus quercu dependet ab alta
Crinibus, atq́ luit patrium qui læſit honorem?
Troicus in patriam ſic bella ciebat adulter,
Exitio clarus generis, regnóq́ cadentis.
Perſica Cambyſes atrox uix regna uidebat
Ebrietate furens, fraternaq́ funera turpi
Incæſtu cumulans, caderet cum iuſſa necari
Et ſoror & coniunx fratrem miſerata peremptum.
Ipſe quoq́ occiſos pœnis pendebat amicos
Magnus Alexander, diuinaq́ numina iactans
Mente habitare ſua, ſuperis ultoribus, acres
In furias actus faſtum ponebat inanem,
Regnaq́ Tarquinius Romana libidine uertit:
Crudeliſq́ dedit uerſa Carthagine pœnas
Annibal, & ſecum patriam raptauit ad umbras.
Nec ſtetit imperij truculento firma Neroni
Summa diu, matriſq́ exectam protinus aluum
Ipſe ſibi mortem conſciſcens iure luebat.
Adde etiam Caium, qui quartus in ordine Romæ
Cæſar erat: nónne hoc patriæ dominante ruebant
In peius faſces? quos tandem ignauia ludos
Præbuit? & querulis ſubmota clientibus auris?
Quis numeret, quæ perfidiam ſunt ulta bilinguem
Incrementa mali, comitataq́ damna rapinas?
Deniq́ non modus eſt uitijs, numeruſq́, nec uſquam
Qui queat innocuus dici, crediq́, retexit
Lumine perluſtrans certo ſol aureus orbem
Vllum hominum, dum quemq́ trahit male ſana libido,
Tranſuerſumq́ rapit, iamq́ huc impellit & illuc.
Sic ego dum pecco, tu dum temerarius audes

In facinus, frenos & non habet ille furorum,
Quartus ab algenti melius probitate cauere
Aestimat, illautam quàm spe producere uitam.
Vnà omnes ruimus, fatisq; aduoluimur ipsis,
Vt grauius grauiusq; premant, inhonoraq; tandem
Suprema abrepti subeamus funera morte.
Nos igitur, malè quæ cauti & quæcunq; uolentes
Fecimus, hæc eadem pigeat fecisse: Deumq;
Offensum multa scelerum feritate precemur,
Mitius ut plectat, nec agat sub tartara sontes,
Dum precibus locus est, dum pœnituisse furorum
Tempus & hora sinunt: ne tunc cum fortè parati
Non sumus, & montes nobis confingimus auri,
Præda neci demur, regnis cœlestibus orbi.

FINIS.

AD DIVVM CAROLVM AVSTRIVM, IMPERATOREM

Romanorum semper Augustum, Hispaniarum regem, Catholicum, Pium, Felicem, Victorem, Pacificum, Dominum & Principem suum Clementissimum, in Historiam Cæsarum conscriptam à Cuspiniano, Proœmium Christophori Scheurlæ I. V. D. Aduocati patriæ.

HORATIVS poeta in carmine quodam suo ad Censorinum, enumeratis rebus plurimis, quæ hominum opinione maximi fieri consueuêre, addit, neq; à se posse talia amico, neq; eum sibi donari uelle:

Sed non hæc mihi, inquit, uis, nec tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens.

Ego uero Diue CAROLE, multo magis atq; uerius dicere præfariq; hoc posse uideor huic muneri meo, quod ad Maiestatem tuam in præsentia mittendum statui. Quid enim aut à mea humilitate tantæ excellentiæ tribui possit rerum omnium quas fortuna conferre hominibus solet, quo non abundet iampridem omnibus illa copijs circunfluens? Aut ego ita desipiam, ut huius aliquid generis Diuo CAROLO dignum à me proficisci posse confidam? Iure igitur deueni ad hæc literarum & doctrinæ monumenta, quæ essent eiusmodi, ut neq; uulgo & imperitis magni facienda, neq; bonis atq; sapientibus non admirabilia uideri possent. Sed si quis, ut est hominum hoc tempore magna curiositas, hoc nunc requirat, quæ me res aut causa impulerit, ut tuæ Maiestati non uererer obstrepere, & hac mea illam ueluti allocutione interpellare in maximis & grauissimis Reip. curis: ei si respondeam cupiditate & studio quodam hoc esse factum meo erga Diuũ CAROLVM singulari atq; eximio, in certissima spe futurũ, ut uoluntas atq; opera mea comprobationem illius inueniret, nunquid cùm ratione iustam atq; locupletem reddisse, tum responsione illi pia atq; moderata satisfeciisse uideri debeo? Si enim is ego sum qui à maioribus hunc sensum unà cùm uita accepi, qui non ad hoc sum institutus, sed ita naturæ instinctu animatus, deniq; non edoctus sed genitus, ut non solùm Cæsaream omnem Celsitudinem, tanquam Romani diuinitùs constituti Imperij legitimam potestatem, ueneratione cultuq; summo prosequar, sed familiam Diui CAROLI & domum Austriacam, de cuius cœlesti quadam propagatione tot Ducum lumina, tam multiplex heroum quasi iubar exortum est atq; emicuit, maxima cum reuerentia admirer atq; suspiciam: cur non mihi permittatur, ut hanc inclinationem uoluntatis & cupiditatem animi mei quibuscunq; uel rebus uel uerbis possim, declarem? Cur non huic ueluti exultationi cordis mei libertas quædam concedatur sua? An dubitare uerò possim aut debeam, non gratam acceptamq; hanc propensionem incitationemq; studij mei, Diui CAROLI clementiæ, uel solius pietatis nomine atq; respectu futuram esse? neq; enim hecatombis modò, sed & tusculo litari Dis immortalibus, præclaro intellectu, dicere solita fuit antiquitas. Etsi, nisi uitandũ mihi esset quasi præconium quoddam laudum mearum, commemorare poteram nõ pauca quæ à tua, CAROLE, Maiestate erga paruitatem meam profecta, animum mihi in hoc proposito addere meritò debuisse uideantur. A te enim in Hispanijs tuis quondam magna benignitate, cum legationis munere fungerer, auditus: à te eo sum honore affectus, ut immortali laude celebrando Mercurino Cattmario planè Nestori tuo responsionem ad me demandares. Tibi ego in frequenti cœtu procerum tuorum designato Imperatori Rom. & successum hunc communi ciuitatum Imperij Romani uoce gratulatus, & quemadmodum par fuit, à Deo, ut is honor tibi faustus, felix, fortunatusq; esset comprecatus sum. Sed quominus de me meo ore plura commemorem, uerecundia prohibeor. Mihi autem etiam peculiariter ad te librum istum mittendi, Imperator, & dedicandi Maiestati tuæ planè necessitas imposita fuit, conditione ea qua hunc ab autoris hæredibus impetraueram atq; obtinuerã, cum quibus post longam tanè tractationem ita conuentum esset, ut tuæ Maiestatis auspicijs hic liber publicaretur, destinatus eidem iampridem ab ipso autore, & ultima etiam uoluntate illius cõsecratus. Simili pacto & alter Cuspiniani mihi liber traditus est, in quo Consulũ historia quædã continetur, sub fratris tui inclyti regis FERDINANDI nomine emittendus, de quo par erit fides & diligentia mea. Atq; uidebatur hic locus, & ea quæ mihi cum Cuspiniano necessitudo intercesit, postulare, ut de illo differerem copiosius: neque alienum hoc futurum erat, si apud te, Imperator, celebraretur tuus tuorumq; maiorũ studiosissimus, & quem ob prudentiã & integritatem singularem auus tuus Diuus MAXIMILIANVS, magnificissimet atq; dilexisset. Sed mihi simul cauendũ fuit,

ne lon-

ne longior quàm oportet à me oratio haberetur: simul in ea sum spe, optimi & laudatissimi uiri prædicationem faciendam suscepisse alium, qui & melius & exactius omnia persequi posset. Ego quidem aliquando ab Imperij tui, CAROLE, ordinibus legatus ad Pannonicos Dynastas, cum ad Cuspinianum uenissem, egi cum homine sedulò, ut labores suos edere, & uiuus fama sua frui uellet. Sed refragatus mihi fuit uehementissimè, in cura atq; studio cùm augendi tum emendandi scripta sua, & in nimia quadam solicitudine euentus. Cum etiam illud Horatianum sæpius commemoraret, quo non accelerandas editiones nouorũ operum ingenij, sed diu & nonum usq; in annum reprimendas Poeta censet. De ipso quidem genere scripti pauca facienda uerba sunt: quo quidem nullum aliud esse potest magis utile aut salutare hominibus, ut fortasse quædam speciosiora reperiantur. Historia enim sola est, quæ efficere potest, ut non semper quasi pueri simus in uita, utq; pulcherrimorũ non solùm exemplorum ad imitandum, sed considerationum etiam ad iudicandum copia facultateq; instruamur. Quæ si essent sola, incomparabilem tamẽ cum ullis alijs bonitatem haberent. Sed adiungitur his incredibilis delectatio atq; uoluptas, cognitionis rerum singularium, factorumq; ac dictorum memorabilium, & consiliorum prudentium: qua nihil dulcius neq; iucundius esse homini potest, præsertim illi qui conditionis suæ memor, generis cura respectuq; tangitur. Neq; est uel alia materia, uel latior quasi campus, in qua exerceri, & in quo excurrere hominis mens & intelligẽtia possit: cuius hoc esse proprũ munus peculiareq; opus esse scimus, ut præterita cum futuris conferens, sic præsentia disponat atq; constituat, ne in eorum quæ secutura sint, coniectura & prouidentia fallatur. Cui autem satis fuerit sua solius uel attentio, uel perueſtigatio, uel etiam experientia, in tanta uarietate casuum, mutabilitate temporum, omnium rerum instabilitate & fluxu quodam? Illustrat igitur non modò illa tempora historia, quorum seriem exequitur: sed etiam, ac magis quidem, ea quibus legitur atq; cognoscitur. Id autem maximum existimandum, quòd ueritatem quoq; hæc in rerũ etiã diuinarũ animaduersione, mirificè declarat, atq; cõprobat, doctrinę illius quasi oculis contemplanda exempla proponens, quibus & recta ueraq; de Deo, deq; rebus diuinis sententia confirmetur, & illa secundũ Pindarũ, sapientia odiosa obtrectandi Deo retundatur. Quo de sensu Cicero illud egregiũ, & nunquam nimis sæpe memoratum elogium protulit: Historiam esse testem temporum, lucem ueritatis, uitam memoriæ, magistram uitæ, nunciam uetustatis. Sed mihi laudes historiæ canere non est propositum. Cum uerò sit nihil ulla in parte huius cõtemnendum: tamen meo iudicio plurimi facienda illa sunt, quæ non longissimè ab eorũ temporibus qui fortè legerint, absunt, uel in illa etiam incidunt. Dicit apud Ciceronem alicubi Atticus, ut opinor, malle prædicari à Cicerone memorabilem illum annum consulatus ipsius, quàm quod aiunt de Romulo & Remo. Nostrorum etiam historicorum multi ab origine, & quasi fundamentis mundi narrationes aliorũ retexentes, orsi sunt libros suos. Quod equidem non reprehendo: sed hoc iam ferendum nõ puto, eosdem quo propius ad suã ætatem atq; memoriã accesserint, eo fieri remissiores atq; negligentiores, quasi in opinione quadam, quæ ipsis nota fuissent, ea neminem etiam posterorum ignoraturum. Quapropter & hic autor carior, & illius scripta gratiora nobis esse debent, quæ in Cæsarum historia inchoata, ut par fuit, à C. Iulio Cæsare, deq; optimis & probatissimis scriptis collecta, ad tuum usq; CAROLE, diuinũ Imperium deducuntur, in diligenti persecutione proximorum temporũ & superioris seculi, in quo tuorum maiorum imperia resplendent. Hac etiam de caussa tuus hic esse proprius liber uidebitur, usq; adeò ut si alteri ueluti consecraretur, nefarium facinus fieret. Hic tibi occurrent tui Rudolphi, Alberti, Friderici, hic MAXIMILIANVS ille auus tuus, omnes Austriaci sanguinis atq; generis: quã sibi domũ Aquilæ Romanę iampridem, ubi quasi nidularentur, delegerunt. Fama est, obscurior illa quidem & incertior, nescio quem potentem hominem concupisse suos maiores aspicere, & carminibus magicis curasse excitari de bustis simulacra quædam illorũ. Est ea sanè cupiditas non indigna animo excelso & magno. itaq; & apud Homerum Vlysses nõ contentus uaticinio Tiresiæ, cuius caussa ad orcum nauigasset, animas etiam heroum & heroidum uidere & cognoscere uult. Sed quis iam simulacra & umbras requirat, si uerè quales quiq; fuere, cernere ac contemplari liceat? Has autem uiuentes quasdam imagines, studium & diligentia atq; assiduitas eruditorum hominum in

hiſtoria producit. Hęc non idola, ſed ipſos illos ueteres claros laudatosq; ac magnos uiros intuendos proponit. Non effugiunt hæ imagines, ut Poeta ait,

Par leuibus uentis, uolucriq; ſimillima ſomno:

ſed mente atq; animo penitus comprehenduntur, ac tenentur. Neq; eſt alia cauſſa, cur omnibus ſeculis, & apud omnes gentes poetæ tanto in precio fuerint, quàm quòd tales uirtutis atq; laudis effigies carminibus ſuis, ut quaſi funderent, elaborarunt. Quos aliqui eo putant pręſtantiores, quòd generatim illa licentia faciendi quid libet, abſolutas & undiq; perfectas has proponere eis concedat: cum hiſtoria & in negocijs explicandis, & hominibus exprimendis, ad certam quandàm legem narrationis ſingularis, ac eorum quæ facta ſint fidem deuinciatur. Sed neſcio quo pacto in hac omnia ſunt, ſi non ſplendidiora, at firmiora: ſi non formoſiora, at grauiora: ſi non elegantiora & magis ornata, at (ut ita uocem) caſtiora, & quaſi bona ualetudine ſua magis ſpectabilia. Atq; hæc quidem ſtudia, ut te facere conſtat Imperator, omnibus uiribus excitabis iacentia, & fouebis, perculſa ſeculi huius barbaria nocente. Illa in tuam ſe curam & protectionem tradunt, tuæq; ſe committunt fidei. Inualeſcunt indies mala, uita fit corruptior, mores deteriores: neq; turpia iam uituperantur, neq; laudantur honeſta. Quid ita? Quia animi hominum nullis moderationis frenis cohercentur, cupiditates nulla diſciplina reprimit, nihil in educatione puerili laboris ſuſcipitur, adoleſcentiam nemo reſpicit, ætas uirilis quibus in rebus laudem quærat, pudet eloqui. Quin etiam ſenecta iam eò eſt impudentiæ prolapſa, ut iuuentutis uitia diſſimulanda eſſe uideantur. Non poteſt negari, hæc tempora multas & magnas habere difficultates. Vbiq; propemodum locorum atq; gentium terrores & pericula ſeſe oſtendunt, uereq;, ut Poeta cecinit,

Vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes
Arma ferunt, ſæuit toto Mars impius orbe.

Nunquam hoc accideret, ſi non prius uitam, mores, ingenia Barbaries perdidiſſet atq; uaſtauiſſet. Nam noſtra profectò ætas maiorum quædam delicta ſiue meritò ſeu immeritò luit. Superiorum annorum atq; etiam uetera quædam peccata noſtrum ſæculum exercent. Sed tu Diue CAROLE, ſapientia tua emendabis uitia, clementia ſuſtinebis atq; corriges mala: optimas artes & literas atq; ſtudia humanitatis reuocabis in lucem: quibus exorientibus atq; inualeſcentibus, occidet atq; debilitabitur Barbaries: quam cum nomino, ſentina quædam malorum omnium intelligi debet. Sed hæc non tam monendi tui, exhortandi ue cauſſa (quis enim te aut certius perſpicit qua in parte maximè auxilio atq; ope indigeant res humanæ? aut quis unquam ad ſubueniendum fuit paratior ac promtior?) ſed quaſi in curſu acclamare tibi ut unus de populo uolui: idq; neque mihi indecorum, neq; tibi contrarium futurum eſſe exiſtimaui. Multæ ſunt tuæ & magnæ uictoriæ, quas & hæc ætas celebrat, & admirabitur poſteritas. Tua uictricia arma duæ iam orbis terrarum partes expertæ ſunt: tertia, utinam tua opera benignè, placidè, tranquillè, concordia inter ordines Imperij conſtituta, horum celeriter uim ſentiat. Tu autem, qui non ſolùm intelligis quantum in hoc ſit, ut Chriſtianitas nullo hoc tempore bello inteſtino cõflictetur, ſed etiã natura ingenioq; te eſſe miti ac pacifico iam ſæpe declaraſti, non audies ullorum uoces, quæ ſuggerere cõtra clementiam atq; manſuetudinem tibi aliquid conabuntur. Amiſit tua Maieſtas nuper ſapientiſsimum Principem Georgium Ducem Saxonum, amiſit & Tridentinum præſulem: quorum alter me ſummo fauore proſecutus, alter etiam familiariter mihi notus fuit. Vtroq; profectò uti ad tractationes quietas, atq; remotas à turbulentia potuiſſes. Potuiſſes & Treuerenſi præſule, quem nuper nequaquam idoneo tempore mors abſtulit. Sed ſuperſunt Diue CAROLE, nunc etiam, qui ſua tibi opera, labore, conſilijs, ope rerum omnium, ad ſedatas atq; pacificas deliberationes præſtò erunt: ut quamuis illorum clariſsimorum Principum amiſsione reſpublica ſine dubio magnam iacturam fecerit, optima tamen nunc etiam ab his qui ſuperſunt ſpes eſſe uideatur. Hac igitur uia ſi perrexeris ad procurandam ſalutem rebus communibus, omnia felices, proſperos, fortunatos, ſecundos, quæcunq; ages, exitus ſortientur, & cunctorum expectatio confirmabitur, & ijs quæ tibi maxima cõtigêre, multo maiora atq; ampliora precabuntur uniuerſi. Eam autem famam relinques ad poſteritatem, qua nulla alia clarior neq; illuſtrior eſſe poſſet. Et, ut quod primum eſt, ultimo loco dicam, Deo opt. max. cuius honore cultuq; tibi nihil eſt antiquius,

quius,non gratius acceptiusúe:neq; tua erga illum pietate dignius quicquam agere, ſuſcipereq; poteris.Sed redeo ad rem,cuius cauſſa atq; occaſione hæc ſcribenda ſuſcepi. Tu igitur diue CAROLE,in hoc libro,quem cum in plurimorum manus peruenire cuperemus,tuæ Maieſtati peculiariter dicandum mittendumq; cenſuimus,& ueterum præclara multa facinora,& poſteriorum à quibus tu proximè originem ducis, domi foriſq;,in pace ac bello ſapienter atq; fortiter geſta plurima,horum conſtantiã, pietatem,iuſticiam,clementiam,liberalitatẽ,horum uires, fortitudinem, ſeueritatẽ, animi magnitudinem atq; robur,eorundem iura,leges,ciuitatum conſtitutiones,bella,uictorias,triumphos,interq; hæc tuas etiam res & celebritatem naſcentem recognoſces.Hic illis te Germanosq; tuos Romanis artibus egregiè inſtitutos admirabere,quæ ſunt,ut Poeta ait,

Regere imperio populos,pacíq; imponere leges,
Parcere ſubiectis,& debellare ſuperbos.

Hic explicatum factorum præſtantia,illud Agamemnonis Homericum pulcherrimum cernes encomium,quo fecit hunc & regem,bonum,& fortem bellatorem: quæ cum tibi,ut neceſſe eſt,& ſapientiſsimo & uirtute excellentiſsimo Principi placuerint,probari etiam tibi patiere,tuæ maiorumq; tuorum Maieſtati addictiſsimi,& de ueſtra domo multis modis bene meriti,autoris operam,uoluntatemq; & ſtudium:ac meam quoq; poſtremò diligentiam,cupiditatem atq; rationẽ in his ſcriptis cùm obtinendis,tum emittendis,tum etiam cum hoc Proœmiolo T. M. dedicandis,non aſpernabere,inq; cura reſpectuq; reipub.& nos aliquo beneuolentiæ fauore complecteris.

Nicolaus

NICOLAVS GERBELIVS PHORCENSIS

candido Lectori Salutem.

De vita Auctoris

QVum anno superiore Crato Mylius, egregius Typographus & amicus noster, insigne illud Opus de Cæsaribus Ioannis Cuspiniani in manus accepisset, metueretq; ne exemplar (scriptum enim erat non summa cum dili gentia) mendis atq; erroribus scateret, cœpit per amicitiam me, perq; necessitudinem, qua diu coniunctissimè uiximus, obtestari, uti libro diligenter euoluto obseruarem, si quid scriptoris insscitia aut incuria peccatum esset, id à me emendaretur, restitueretur q; suo nitori. Quanquam autem me huic oneri imparem certò scirẽ, alijsq; quottidiè occupationibus impedirer: tamen hominis assiduæ preces, & Historiæ dignitas, tum etiam communis studiosorum utilitas, me tandem uicerunt. Tametsi & illud sæpe animum meum subierit, turpe & fœdum esse, si nullam opem, nullum adminiculum adferrem Cuspiniano, à quo tot olim fuissem beneficijs ornatus, maximè cum uiderem tot eum à scriba suo uulneribus esse dilaniatum. Cum itaq; maximè timerem, ne diligentissimi hominis lucubrationes cum dedecore aliquo in manus eruditorum peruenirent, summisi humeros, & cura quàm potui maxima adui gilaui, ut castigatior exiret in publicum liber meo iudicio utilissimus. De quo mihi postea copiosius differendum erit, si prius pauca de Auctoris uita, & quę mihi saltem comperta sunt, exposuero.

Oppidum est in Orientali Francia, nobilissima illa Germanię prouincia, Suueinfordia, siue à Sueuis conditoribus, siue animalium traiectu ita nuncupatum. Quod in Mœni fluminis ripa situm, olim fuit sub Ducibus: postea libertati redditum, Romani Imperatoris ditioni cesit. Ex hoc oppido originem duxit Cuspinianus. Qui cũ apud suos literarum elementa percepisset, tandem maiore ui ingenij excitatus, Viennam, nobilem illam superioris Pannoniæ urbem, cum ęqualibus profectus est. Nullũ enim erat ea tempestate in Germania celebrius gymnasium, ob abundantiam rerum omnium, & doctissimorum hominum incredibilem multitudinem. Cum enim sapientissimi Principes Austriæ studia humanitatis & Mathematices instituissent, maxima passim ex omnibus adiacentibus regnis & prouincijs eò turba confluxit. Hic Cuspinianus, ut erat acri ingenio, statim philosophiæ præcepta edidicit. Deinde sub Conrado Celte, eximio tum philosopho & poeta, etiam politiores literas magna cum aui ditate arripuit: natura enim & ingenij ui ad ea studia sua spõte impellebatur. Et quia unum magistrum & auctorem Apollinẽ utriusq; studij, poetices atq; medicinæ fuisse credebat, etiam medicinæ professionẽ mansuetioribus Musis adiunxit. In his pulcherrimis studijs, tantam famam, tantamq; cum laude gloriam consecutus est, ut eo tempore in uniuersa doctorũ turba, nemo Cuspiniano facũdior aut eloquentior (ut tum erant tempora) haberetur. Memini sanè, cum adolescens sub annum Domini M. D. II. Viennæ literis operam darem, & Diui Maximiliani clementissimi Cæsaris iussu Iohanni Stabio nobili Mathematico & Poetæ laurea danda foret, congregataq; esset eruditissimorum hominum maxima concio, soli Cuspiniano inaugurandi Stabij & laudandæ Poetices prouinciam esse demandatã. Hic quo habitu corporis, qua forma iucundissimi oris, quanta cum grauitate & Græca & Latina pronunciauerit, quàm uaria, quamq; concinna fuerit oratio, non audeo dicere, ueritus ne fidem quæ dixero, sint superatura. Hanc dicendi admirabilem gratiam, corporis statura & dignitas suprà quàm dici potest, amplificabat. Erat enim corpore procero & obæso, sed tã eleganti proportione & forma, ut ei nihil dedecoris crassities illa adferret. Crines erant aurei, sed ab syncipitio rariores. Facies prorsus niuea, os uenustissimum, tantaq; in dicendo suauitate & gratia, ut nihil unquam audiuerim iucundius. In gestu & motu corporis, in capitis nutu & renutu, omniq; illo oratorio habitu, tanta moderatione & grauitate, ut nihil uiderim uspiam cũ hoc coferendũ. Itaq; uerè dicere possum, in illo Pericleam illam παιθὼ & Ennianam Suadæ medullã per omnia diffusam fuisse membra: tam apta, decentia atq; iucunda erant, quæcunq; uel dicebat, uel faciebat. His artibus, & tam multiplici optimarum rerum cognitione instructus, perfacilè in doctissimorũ uirorum amicitias peruenit. Nam primùm omnium optimus Imperator Diuus Maximilianus, eum in senatum suum adsciuit: eumq; in Vngariã, Boemiã, Poloniamq; Oratorem misit, annis duodecim continuis, eius consilijs & opera in difficillimis rebus sæpissimè usus. Quem adeò clementer, adeò mansuetè amplectebatur,

batur,ut sæpe in multam noctem cum eo de negocijs imperij, de rebus secretissimis collocutus sit,planè ut erat mansuetissimus Princeps,familiarissimè. Tanta enim erat in Cuspiano prudentia,tanta fides,& tã tenax arcani custodia, ut illius fidissimo pectori optimus Imperator tutò potuerit etiam reconditissima committere. Habebat inter amicos præcipuè Iohannem Graccum Pierium,uirum summum, unum totius Imperialis aulæ meum olim Mecœnatem & patronum. Deinde Iohannem Stabium, Andream Stiborium, & Stephanum Rosinum,præclaros mathematicos & philosophos.Inter hos gratissimus illi erat Iohannes Gremperius,homo festiuus & mirè lepidus.Quo Cuspinianus in periculosissimis sæpe legationibus comite usus est, ob facilitatem morum,& singularem urbanitatem.Nam cum semel unà cum Cuspiniano Budam uenisset,& fortè fortuna Turcarum ingens turba in editiore loco capite plecteretur, Gremperius albissimorum corporum formam admiratus, clàm unius ex obtruncatis Turcis aurem abscidit: qua cum aure miros iocos atq; ludos in amicorum cœtu concitabat.Cuspinianus,cũ nominis celebritate & tot peregrinationibus in maximorũ Regũ & Principum noticiam peruenisset,ut ab obliuione labores suos uindicaret,ad conscribendam historiam se applicauit.Et quia in summi Imperatoris aula diu uersatus fuerat,de Consulibus & Romanis Imperatoribus scribendi argumentum arripuit.Ad quod suum institutum, multam supellectilem suppeditauit rarissimorum librorum copia.Patebant enim ei ex Cæsaris liberalitate & beneficentia omnes undiq; uetustiores Bibliothecæ, omnia Ducum Austriæ secretiora scrinia & ἀφχεῖα.Ex quibus uir omnium diligentissimus,multa quæ ab alijs prætermissa sunt, accuratissimè deprompsit.Primùm itaq; omnium Consules aggressus est,quos antequã ab eo uita eriperetur,reuidit & emendauit. Postea Cæsares & Imperatores usq; ad Diuum Maximilianum perduxit.Quos morte præuentus inemendatos, & ob scriptoris insciti am fœdissimis erroribus deprauatos reliquit, ut pòst paulo docebimus. De dicendi genere aut elegãtia,quibus tanta historia ornari & illustrari potuisset, nõ admodum eum solicitũ fuisse uideo.Forsan,si quid coniectura consequi possum,satis facturum se ingenuo lectori arbitratus,si quæ ipse uerissima esse cõperisset, simplicissima oratione mandaret posteritati.Siue quòd ante annos plus minus quadraginta, nondum in Germania is fuerit literarum cultus & nitor,quẽ nunc etiam in adolescentibus propè nostris uidemus. Multi sanè in hoc scribendi genere docti & graues uiri uersati sunt,quorũ pleriq; ornatius & elegantius,multi etiã ineptius & sordidius sua prodidere.Tolerabiliorem huius nostri dictionem faciet ingenuitas & fides, cum incredibili diligentia & studio perquirendæ ueritatis coniuncta. Satis enim est Historico,ut præclarè dixit apud Ciceronem Catulus,non esse mendacem.Quod uerò laudem maxima dignum est,nihil omisit,quod uisum est illi ad ordinem rerum, ad cognitionem antiquitatis, ad temporum rationem & consequentiam,ad mores,ad susceptæ materiæ explicationem pertinere.Nam illud in primis admiratione dignum censebis:cum de Latinis,Græcis,Francis,Germanisq; Imperatoribus,quinetiam de Turcis scribendum esset,adeò bellè,adeò aptè,adde etiã diligenter singulos singulis temporibus adaptauit,ut ueluti uno in conspectu simul omnes sub oculos ueniant. Illud uerò uno ore fatentur eruditi,nihil unquã plus erroris,plus obscuritatis attulisse studiosis hominib.quàm si quis Genealogiarum rudis & ignarus,ad conscribendã historiam accesserit:qua in re,ut uerè dicã, nullũ adhuc ego legi diligentiorẽ Cuspiniano. Nam in historia Berengariorũ,cũ alij propè omnes quatuor faciant,hic noster peritia genealogiarũ adiutus,duos tantum fuisse adserit.In Henrico tertio,Deus bone,quas nebulas nobis offudit eius rei ignorantia? Quòd si uel in solis Ludouicis hanc seduli tatem præstitisset,meritò à nobis summa laude celebraretur.Pulcherrimã hanc & necessariã cognitionẽ magno studio urget Cuspinianus:uerùm tãta aliquoties ingenuitate,ut si quã do hæreat,neq; quod uult assequi potest,candidè fatetur,se post ingentes labores nihil certi reperisse : quod passim per se diligens lector facilè deprehendet.Iam uerò cum uarietas in historia admirandum in modum oblectet & detineat lectorem, molestissimumq; sit liberali ingenio,semper eandem audire cantilenam, mirè studuit fastidium hoc è lectorum animis eximere.Quoties enim uisum illi, longius progressam narrationem:confestim uel descriptionem urbis,machinæ, miraculiúe interserit,quo legendi auiditate lectorem remoretur. Nihil prætera eorum quæ in historicis plurimùm oblectant legentes,prætermisit. Vt sunt descriptiones famis, pestilentiæ,terræmotus,inundationum,aut insolitarum tempestatũ.Taceo quorundam Im-

dam Imperatorum & Principum mirabilia consilia, mirabiles mortes, mutationes regnorum, occasus nobilium familiarum. Ac ne omnia consecter (sunt enim innumerabilia & immensa) monasteriorum, templorum, sepulchrorum structuras excellentes, maximè uerò preciosissimi illius Mausolæi, quod Friderico Tertio me præsente Viennæ consecrabatur. Breuiter, ut lectorem alacrem & perseuerantem efficiat, data nonnunquam opera, iucundissima quædam solet intexere: ut de Græco igni, nullo alio quàm aceti liquore extinguibili: de machina Procli, de qua ferè nihil alij scripto res prodidere. Ad quas res ei maximo adiumento fuere æternitate digna monimenta Iohannis Monachi, qui historiam suam à condito orbe usq; ad Caloiohannē Constantinopolitanum Imperatorem deduxit. Quem præstantissimum autorem utinā propitius aliquis Deus è tenebris eruat, siue is Viennę adhuc, siue Norinbergę (incōpertum enim mihi) cum tineis & blattis bellum gerit. Cū sit ergo in Cuspiniano tanta bonarum rerum copia & uarietas, tam raræ historię, tot casus, tot consilia, tot euentus, tam intolerabiles morbi & mortes, tam multiplex prudentia: quis erit usquā tā sordidus aut amens, qui aspernari uelit tantas opes, qui nō auidissimè cupiat animū suū hac honestissima uoluptate explere? Quid uerò Regibus, quid Principibus, quid rerum publicarum gubernatoribus magis expetendum, quàm ut se in his Cæsaribus tanquam in speculo intueantur? In quo quid honestum, quid turpe, quid appetendum, quid fugiendum sit, exactissimè intelligent. Nam si in ædibus nostris eos qui fuligine aut fumo faciem fœdauerunt, ad speculum solemus adducere, ut inibi ipsi uideāt, quid eos dedecoret: quanto satius est, Principes uiros nos ad historiam, tanquā ad speculum ducere, ut illic quæ recta aut praua, cum ferre monitores alios nolint, legere possint. Et quoniam exemplis præcipuè mouemur, non est usquam alibi maior ad bene beateq; uiuendum exemplorū uis & copia, quàm in hoc scripti genere. Sed ab alijs hæc tractata melius atq; præclarius. Nunc de laboribus nostris breuiter expo nam. Cū in manus meas uenisset hoc Opus, statim primo obtutu multa deprauata, multa omissa, multa inuersa deprehendi. Quod certè hoc modo accidisse conijcio: Cuspinianus archetypon sua manu scripserat, sed adeò obscurè & illegibili scriptura, ut non nisi cum mora atq; ab homine in ea re probè exercitato legi posset. Erant non nulla per autorem in margine adscripta, ad quæ sæpenumero familiares & amicos meos, doctos certè homines adhibui, tentauiq; si possent legere. Qui etiamsi anxiè torquerent se, non tamen quod conabantur, potuere cōsequi. Ex quo fit ut facilè credam, eum qui ex archetypo librum descripsit, multa quæ legere nequiuit, transilijsse: ea tantum scripsisse, quæ lectu erant facilia. Quod ut manifestius appareat, unū atq; alterum locum adijciam. In uita Traiani Imperatoris ita scriptum erat: Memoria & illud dignū est Traiani Imperatoris, qui correptus ab uxore Plotina, quòd calumnijs suorum procuratorum prouinciæ diuexarentur, detestari cœpit improbos. Hic tria hæc uerba deerant, istos fisci lienes. In Antonino sic legebatur: Vnde & ipsa insidias fratri Commodo per Quadratum adulterum, &c. Hic deerant ad absoluendam sententiam, Quintianum struxit: ubi palàm scriptoris insicitia deprehenditur, qui Quintianum legere nequiuit. In Seuero statim ab initio: Studiorum causa Romam uenit, moxq; omen futuræ felicitatis. Hoc loci tota sententia hæc desiderabatur: Ea hora, qua hospes suus Adriani uitam legit, arripuit. Non multo pòst in eodem Seuero: Consul deinde Germano exercitui præponitur. Sed in ea legione famam nobilitatemq; assecutus longè maximā: utpote qui à Germanis legionibus. Ibi sequentia uerba omnia sunt prætermissa: Vbi auditum est Commodum occisum, ac Iulianum odio multorum imperare, multis adhortantibus, &c. Paulo postea in eodem: Seuerus haud ex re sibi arbitrabatur Albinum, &c. latè Imperatore, pro tam latè imperare. In Diocletiano locus erat deprauatissimus, is scilicet: Sed Maxentium suppositum fertur arte mulieris laborantis animum mariti tenere auspicio gratissimi capti à puero. Viden quis sensus? quę cohærentia uerborum? Eum locum ita restituimus: Sed Maxentiū suppositum ferūt arte muliebri, tenere mariti animū laborantis, auspicio gratissimi partus capti à puero. In Alexio statim in initio sic legebatur: Sed præter hanc pietatem, cum à Turcis redemptus precio, redemptus magna pecunię ui expositā esset, dolo fratrem captum, &c. Hic humanissime lector uides, quàm sit deprauata sententia. Quæ cum me aliquandiu egregiè torsisset, ita tandem eam restituimus: Cum à Turcis magna pecuniæ ui, & ingenti precio redemptus esset, &c. Sed quid ego pergo recensere omnia? cum

nia? cum ferè nulla pagina sit, quæ non habuerit aliquid inuersum aut immutatũ. Vt pro tum consule, tamen consuli: pro peremissent, permisceret: pro minimè, perpetuò ferè reponebatur misericordia: pro uocasse, uixisse: pro nummum, caicium. In Henrico Aucupe, pro abusus positum erat absens. In Carolo Magno hæc Græca deerant: ἐς ἀλλήλους τροφήν. Potuissent nõnulla felicius fortè restitui, si græcus Zonorę liber, de quo superius scripsimus, extaret. Nihil sanè, quod optima fide referre possum, studij, diligentiæ, laboris omisi, quod ad dilucidam & plenam optimi atq; diligentissimi Autoris lectionem pertinere credidi. Quòd si qua in re, id quod in tam deprauato codice facilè euenire potuit, hallucinati sumus, ueniam non uoluntariæ negligentię atq; culpę petimus. Nam si nõ omnia (quis enim omnia potest?) pro cuiusuis arbitrio aut uoluntate reposuimus: illud tamen certò affirmauero, multo castigatiorem atq; purioré uenturum in hominum manus hunc autorem, quàm si iuxta manu scriptũ exemplar fuisset excusus. Hæc humanissime lector, de uita & moribus Cuspiniani, de utilitate huius historiæ, & laboribus nostris exponere tibi uolui, quò acceptior Autor, iocundior Historia, & gratius tibi foret officium nostrum. Quod si studiosis placuisse intelleXero, nullius laboris, nullius me operæ pœnitebit: Vale. Argentorati, Kalen. Augusti, ab anno redempti orbis M. D. XL.

Spero autem me studiosis historiarum & antiquitatis rem gratam facturum, si Autorum, quos citat Cuspinianus, catalogum subiunxero: si qui fortè adhuc, quos extare non putamus, à diligentibus harũ rerum conquisitoribus, in ueteribus Bibliothecis inueniri possent. Sunt autem hi qui sequuntur:

A

ABbas Vrspergensis, quẽ aliquoties Auerspergen. appellat.
Abbas Panormitanus.
Accursius.
Acropolites.
Agathius.
Albertus Monachus, qui uitas Pontificũ scripsit.
Albericus.
Albertus Argentinẽsis, Annalium scriptor.
Alexander Benedictus.
Ambrosius.
Ammianus.
Annales Vngarorum.
Annales Argentinenſium.
Annales Boemorum.
Anastasius Bibliothecari⁹.
Antonius.
Appianus.
Apostolicus abbreuiator.
Arago Cardinalis.
Augustinus.
Ausonius.

B

Baldericus Pontifex Dolensis.
Bartolus.
Beda.
Blondus.

C

Callimachus Experiens.
Capitolinus.
Cicero.
Claudianus.
Conradus de Monte puellarum.
Conradus Peutinger.
Coriolanus Cepio, qui Scodrẽsi obsidioni interfuit.
Cornelius Tacitus.
Cosmas Pragensis.
Crastonius Gorippus, qui libros Iohannidos scripsit, qui habentur in bibliotheca Budensi.
Cuspinianus de rebus Austriæ.

D

Dandalus Venetus, Annalium scriptor.
Demetrius Cyzicenus.
Demetrius Cydonius, qui Alcoranum in linguam Græcam transtulit.
Dion.
Dionysius Carthusianus, qui contra Alcoranũ scripsit.
Donatus Acciaiolus.

E

Egesippus.
Eginhardus.
Egnatius.
Aeneas Syluius.
Eumenius Panegyrista.
Eusebius.
Eutropius.

F

Felix Peutantius Seginensis Cancellarius.
Florus.
Franciscus Picus.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Philelphus.
Frontinus.

G

Gaguinus.
Georgius Merula.
Gotfridus Viterbiensis.
Guido Rauennas.
Guilhelmus Lateranensis bibliothecarius.
Guilhelmus Coasinus, qui scripsit de oppugnatione Rhodi.

H

Haytonus.
Herodotus.
Hieronymus.
Hircius.
Hugo Floriacensis.
Hugbaldus, qui carmen de Caluis scripsit.
Hunibaldus.

I

Iacobus de Voragine.
Iohannes Monachus, qui & Zonoras.
Iohannes Cremonensis.
Iohannes Reuchlin Phorcensis.
Iohannes Stabius.

Iohan-

Iohannes Stabius.
Iohannes Auentinus.
Iohannes Boccatius.
Iohannes Damaſcenus.
Iohannes Segobienſis, qui Alcoranum Latinũ fecit.
Iohannes Thurocius, Annaliũ Vngaricorũ ſcriptor.
Iohannes Menlin.
Iornandes.
Ioſephus.
Iulius Cæſar.
Iuuenalis.

L

Lampridius.
Landulphus.
Leonhardus Aretinus.
Ligurinus.
Liuius.
Lucanus.
Luitprandus.
Lupoldus Babenpergẽſis.

M

Mamertinus Panegyriſta.
Martinus Monachus.
Martinus Segonius.

N

Nauclerus.
Nicolaus Cuſanus.
Nicolaus Sagundinus.
Nicolaus Chalcondyles.
Nicolaus Monachus.

O

Oneſius.
Onoſander, qui ſcripſit de Imperatore eligendo.
Opius.
Oroſius.
Otho Phryſingenſis.

P

Paulus Diaconus, qui & Vuarnefridus.
Paulus Florus, qui res geſtas Iuſtiniani carmine ſcripſit.
Paulus Andreas, qui Chalcidicæ oppugnationi interfuit, aliquoties Andreocius dicitur.
Petrus de Vineis, magiſter epiſtolarum.
Petrus Abbas Cluniacenſis, qui Alcoranũ uertit.
Philoſtratus.
Platina.
Plinius.
Plutarchus.
Pomponius Lætus.
Pomponius Mela.
Procopius.
Pſellus.
Ptolemæus Lucenſis, liber immenſus quem uidi.

R

Rhegino.
Richardus, qui ab alijs Ricoldus, contra Alcoranũ ſcripſit.
Richardus S. Victoris.
Rudolphus Agricola.
Rufinus.

S

Sabellicus.
Scylax, qui ſcripſit hiſtoriã Conſtantinopolitanam.
Sebaſtianus Brant.
Seneca.
Sextus Aurelius.
Sichardus.
Sigebertus.
Silius.
Simocatus hiſtoricus.
Spartianus.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.

T

Thadæus Romanus, qui res Friderici Primi carmine deſcripſit.
Theodericus Nyem.
Thomas de Haſelbach, qui ſcripſit Annales.
Thraceſius.
Turpinus.

V

Vbertinus Puſculus, qui ſcripſit de excidio Conſtantinopoleos.
Vincentius.
Volaterranus.
Vopiſcus.

Z

Zonoras, qui & Iohannes Monachus.

IOANNIS CVSPINIANI V. C. Poetæ, Medici, ac Diui Maximiliani AVGVSTI ORATORIS, IN LIBRVM DE Cæsaribus & Imperatoribus Romanorum PRAEFATIO.

SCRIPTVRVS Cæsares à C. Iulio ad Maximilianum Augustum, operæprecium duxi, de Monarchia quædam paulo altius repetere: quũ ueteribus quibusdam, nunc paucorum optimatiumq; gubernatio, ὀλιγαρχία atq; ἀριστοκρατία dicta, placuerit: nunc popularis dominatio, quæ δημοκρατία uocatur, à quibusdã laudata sit: nunc uerò unius principatus administratio, quam μοναρχίαν uocamus, cæteris prælata. Quod apud Persas factum, Herodotus in Thalia pluribus commemorat. Quũ enim post Magorum (qui Persarum regnum occupauerant) cædem, Persæ de omni rerum statu deliberatius consultarent, tres præcipuè duces ac optimates, Othanes, Megabyzus & Darius de triplici gubernatione, diuersas tres protulere sentẽtias. Othanes enim ut popularem persuaderet gubernationẽ, à Monarchia quantum potuit dehortabatur, quòd pro libidine unus omnia impunè ageret, ac insolẽtia cæteros ex peccandi licentia cõtemneret, uim nonnunquã inferret, leges corrumperet, patrię iura labefactaret, indemnatos interimeret, fœminas pro uolũtate sua constupraret. Quod in multitudine fieri non posset, ubi iuris æquabilitas ea prohiberet, quæ Monarcha uiolentia sibi ipsi uendicaret. Megabyzus contrà, ut optimatium paucorumq; statum populari præferret, Othani cõtrarius, dixit populari multitudine nihil esse neq; insipiẽtius neq; insolertius. Cumq; plebs indocta nihil sciat, nihil sapiat: neque iustum, neq; honestum intelligat, instar torrentis præceps sine consilio ruat: quod pauci & optimi, quorũ & consilia sunt optima, non faciunt: qui omnia maturè agenda obeunt, ratione duce, nil perperam agentes. Tandem Darius Persis pro uiribus persuadere nitebatur contra popularem gubernationem, quæ neq; ratione, neq; consilio, neq; diligentia utitur, & contra Aristocraticum statum, Monarchiam longè omniũ esse optimam dixit. Nam unius uiri, qui optimus sit, imperio nil melius esse constat. Vnus sit qui imperet, unus rex, unus dominus. Imperatorum enim multitudo bona non est: cum inter animalia quoque uideamus in apibus regem unum, in gregibus & armentis ducem unum, grues ordine literato unũ sequuntur ducem, mundi rectorem credamus unum. Nihil ergo melius Monarchia, qua facilè & seditiones quæ inter paucos & optimates soboriuntur sopitæ extingui, in uulgo tumultus (quando quidẽ turbulentum est & mente caret) sedari possunt, ubi plerunq; malicia rempub. uexat. Vicit ergo Darij sententia, ut Monarchiã Persę cæteris statibus præferrẽt. Moxq; ipse Darius astu equisonis solertis rex creatus, Persis imperitauit. Populus Romanus non potuisset unquam armis orbem terrarum uel portiuncula attingere, nisi ducem habuisset, quo præeũte labores, pericula adijsset, ut imperiũ tandem sibi constitueret. Ob id cum Aristotelem lego, rempublicam Lacedęmoniorum inter Græcos facilè principem extitisse inuenio: quòd ex Monarchia, Aristocratia ac Democratia, permixta constitutaq; fuit. Habuit enim regem qui unius gu-

bernationem, Senatum qui paucorum potentiam, Ephoros qui populare statum repręsentabant. Populum Romanum longe antecellere hos Grecos nemini dubium est, qui ab initio sub regibus incrementa accepit, ac summum fastigium attigit, ducentisq; ac quadraginta amplius annis sub Monarchia coaluit. Sed cum naturales sint conuersiones rerum publicarum (ut Plato dixit) Pop. Rom. à rerum gubernatione ad Aristocratiã defecit, Consulibusq; suis ac senatoribus rempub. auxit, fines Imperij dilatauit ac extendit. Tum aliquando sub Democratico statu (quum tribuni patricijs & nobilitati infesti gubernarent, & in triumuiratu optimates extinguerent) uires exercuit, ac annis pene quadringẽtis gentium aliarum regiones in ius suum deduxit. Tandem iterum, quia inter optimates facile odia excitant, & in uulgo (quæ belua est multorum capitum) tumultus exciti rempub. euertunt, dum discordiæ ciuiles primùm sub Tib. Graccho ob legem agrariam ortæ sunt, & post annos quinquaginta, Sylla & Marius nouo tumultu dehinc Cæsarem contra Pompeium ciuilia odia sumere docuerũt, ad Monarchiam res Romana sub Cæsaribus rediit: anno urbis conditæ (ut Sextus Aurelius scribit) septingentesimo uigesimo secundo, ab exactis uerò regibus quadringentesimo octogesimoq;. Nam ad
1 Augusti tempora ille supputat, licet aliter alij tempora nunc colligant. Tum mos Romæ repetitus est, uni prorsus parendi, pro rege Imperatore, uel sanctiore nomine Augusto appellato. Hi nunc Cæsares annis iam mille quingẽtis amplius, uniuersum terrarũ orbem ferro ac flamma circũire, & nunc hanc nunc illam terræ portionẽ rapere annixi sunt, pro gloria paranda augendaq;: ut uerum nimis uideatur illud Ciceronis, gloriam humanã in paruis nimium angustijs coarctatam esse in hac terra quam incolimus, paludibus, fluminibus, solitudinibus, lacubus, stagnis & syluis intercisam, ac nonnunquam desertam. Vnde religiose & sanctissimè ait Plinius, cum terræ portionem habitabilẽ describeret: Hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes: hic honores gerimus, hic exercemus Imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella, etiam ciuilia, mutuisq; cædibus laxiorẽ facimus terram. Et (ut publicos gentium furores transeam) hæc in qua cõterminos pellimus, furtoq; uicini cespitẽ nostro solo affodimus, ut qui latissimè rura metatus fuerit, ultraq; fines exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat? uel cum ad mensuram auaritiæ suæ propagauerit, quam tandem portionẽ defunctus eius obtineat? Quo pacto igitur Cæsares in terra hac nostra arma exercuerint, & bellis innumeris cædes stragesq; cõmiserint, populosq; subegerint, nunc ordine recensebimus, initium à diuo Iulio Cæsare sumentes.

C. IVLIVS CAESAR.

NON ignoro futuros obtrectatores, qui obstrigilare nomẽ meum audebunt, quòd in Cæsarum catalogũ C. Iulium primum posuerim: cum alij plerique omnes ab Octauiano Historias & Annales suos auspicẽtur, recentiores præsertim, antiquitatis haud curiosi obseruatores: cũ uidelicet solus Octauianus Cæsarum potentias stabiliuerit, & quòd sub eo Christus Opt. Max. natus fuerit, & Monarchia deinceps continuata semper uiguerit. At ego, quum considero appellationem Cæsarum ab eo propagatã, tanquam à uiro arum i uigore præstantissimo, cuius uirtus, constantia, sublimitas, omniũ penè capax fuit quæ cœlo continentur (ut Plinius ait) utpote quod proprio uigo-
2 re celeritate que, quasi quodam igne, uolucri scribere & legere, simul dictare & audire

& audire consueuit (quaternas enim tantarum rerum epistolas pariter libratis dictare, ac si nihil aliud ageret, septenis solitus erat:) & qui signis collatis quinquagies dimicauit, M. Marcellum transgressus, qui undequadragies dimicauerat: ac undecies centum & nonaginta duo milia hominum prælijs suis (præter ciuiles victorias) occiderit: quicq; clementia omnes ætatis suæ superauerit, usq; ad pœnitentiam magnanimitate, liberalitate, magnificentia incõparabili, sublimitate animi inuicti, omnes superando: iurè mihi ab eo initium sumendum duxi. Omnes enim Romani Imperatores ab hoc Cæsares uocantur: quemadmodum Aegyptij reges Ptolomæi, Parthorum Arsacidæ, Latini Murhani, Albani Syluij cognominantur. Vnde & Ausonius cecinit: *Primus regalem patefecit Iulius aulam.* De quo nunc quæ apud eruditiores ac approbatos scriptores inuenio, fideliter conscribam. Caius igitur Iulius Cæsar filius fuit L. Cęsaris (ut ait Plinius) qui Pisis dum se mane calciaret, subitò extinctus est. Sic enim in septimo scribit: Nullis euidentibus causis obiere, dum calciantur matutino duo Cæsares, prætor & prætura põ. Ro. functus dictatoris Cæsaris pater: hic Pisis exanimatus, ille Romæ. Vir fuit excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniori, nigris uegetisq; oculis, capite caluo, ualetudine prospera, in extrema ætate uertiginosus, & bis morbo comitiali correptus. Matrẽ habuit Aureliam, fœminam primariam & singulari pudicitia mulierem (ut Plutar. inquit) quam amisit cum bellum Gallicum gereret. Adeò ut inanis sit illorum æstimatio, qui cæso utero materno genitũ eum scribant, & Cæsarem hinc uocatum. Quod primo huic fortè euenit, qui hoc nomen sortitus est. Licet aliqui etymon hinc ducant, quòd à cæso elephanto in pugna, qui lingua Maurorũ Cæsar dicitur, uel quòd oculis fuerit cæsijs, hoc est glaucis, uel à cæsarie qua natus proditur, primus, quisquis is fuerit, Cæsaris nomen indeptus sit. Quantum autem hanc suam genitricem obseruarit in omni ætate, uel hinc maximè patet, quòd cum in Rubiconis fluminis transitu, ciuilia bella contra Pompeium moliretur, etsi pluribus agitaretur & molestis cogitationibus, nihil tamen illi molestius fuit, quàm cum insomnium haberet de matre, cum qua uidebatur illicito se commiscere concubitu: quod sanè uehementer hominem terruit. Patrẽ uerò decimosexto ætatis anno amisit, cum undiq; æstuarent Syllanæ tempestates, quibus Marium Sylla eiecit: ob quem etiam Cæsar, qui affinitate Mario coniunctus erat (nam Iuliam Cæsaris amitam uxorem habuit) coactus est urbem relinquere, & Italiam peruagari, licet quartana febri uexaretur, donec in Bithyniam ad regem Nicomedẽ ueniret. In reditu uerò, cum propinqui iã & affines, Mamercus, Aemilius & Aurelius Cotta, ueniam à Sylla impetrassent, à piratis captus, & quinquaginta talentis dehinc redemptus est. Fecit autẽ prima stipendia, de more nobilium Romanorum, in M. Thermi prætoris cõtubernio. In Asia primùm, deinde circa Mitylenas: in quarum expugnatione Ciuica corona donatus est. Deinde in Cilicia sub Seruilio Isaurico militauit. Post mortẽ Syllæ in urbem rediit, in foro eloquentiam exercitans, unum & uigesimum agens ætatis annum. Cornelium Dolobellam repetundarum accusauit, sed damnatus non est: licet oratio tam luculenta esset, ut posteri sine admiratione eam legere non possent, ut Tacitus scribit. Erat enim ei ciuilis eloquentiæ uis tanquam à natura insita, quã multo labore ac exercitio auxit. Nam & in Rhodo sub Apollonio Molone, clarissimo dicendi magistro, operam diligentissimam nauauit. Vnde & in perorandis causis maximum assequutus splendorem, maximam etiam plebis gratiam adeptus est, ut etiam C. Pompilio competitori in tribunatu præferretur. Tum quæstor creatus, ulteriorem Hispaniam sortitus est. Dehinc Aedilis, spectacula gladiatorum, uenationes & ludos, pompas atq; conuiuia profusissimis sumptibus exhibuit, ut priorum munificentias omnes obliteraret, plebemq;

sibi obsequiosissimã efficeret, adeò ut defuncto Metello põtifice maximo Cæsar ipse sit creatus põtifex: licet potẽtissimos & clariss. uiros Q. Catulũ & Seruilium Isauricum haberet competitores. Dehinc prætor effectus, cum Catilinæ coniuratio detecta esset: de qua cum suspectus haberetur, & moto tumultu per tribunos plebis, decreto patrum prætura summoueretur, iterum est accitus, & amplissimis uerbis collaudatus. Post præturam præses ulterioris Hispaniæ factus, sed non expectato successore, priusquam annus finiretur, Romam profectus, consulatum cum M. Calphurnio Bibulo, superatis competitoribus obtinuit. In quo Gn. Pompeium M. Crasso reconciliauit, filiamq; suam Iuliam Pompeio uxorẽ dedit. Acta senatus & populi diurna, conficienda ac publicanda curauit. Legem agrariam promulgauit, multaq; contra collegam Bibulum, contra M. Catonem, L. Lucullum, uiros insignes ui efficit. Post consulatum imperium Galliarum cum Illyrico, suffragantibus socero Pisone ac genero Pompeio, impetrauit per quinquenniũ. Vbi maxima perfecit bella, longè superans Fabios, Scipiones, Metellos, Syllam, Marium utrunq;, atq; Lucullum: quoniam, non totum belligerans decennium, omnem fermè Galliam, quæ inter alpes & Rhodanum, Rhenum & Oceanum est, perdomuit. Octingenta cepit oppida, trecentos subiugauit populos: aduersum trecẽtas partim
4 instructus myriadas, centum quidem ferro cæsis, totidem uitæ reseruatas captiuas habuit. Agressus deinde est Britannos, Romanis antea ignotos. Tum
5 contra Heluetios (quos Quados etiam uocari Eutropius asserit suo sæculo) Tigurinos, Neruios, Sicambros, Sueuos, Heduos, Germanosq; exercitum duxit, bellaq; grauissima confecit. De quibus ipse cõmẽtarios eadem manu qua gessit, scriptitauit. Hodie septem libris adhuc extant licet A. Hircius octauum adiecerit. Cœpit ergo Cæsar Romanis consulibus suspectus esse, cum in dies gloria eius crescceret: quam ipse quoq; & largitionibus & fauore auxit. Timebant enim, ne Monarchia subsequeretur: hinc contra decretũ abrogatũ Imperium. Mox subsecutæ sunt Cæsaris & Pompeij inimicitiæ, quæ magnũ malum Reip. peperere. Hinc nata Bella ciuilia, quæ urbẽ exhausserunt, atq; mirum in modum perturbarunt. Quoniam Pompeio atq; senatu fugato, ærariũ perfractum: hinc Pharsalici belli conflictus, in quo septem milia equitum contra mille Cęsaris, & quadraginta quinq; milia peditũ cõtra uiginti duo Cęsaris instructi, stragẽ passi sunt. Pompeius ex desperatione fugatus et interfectus à Septimio Ptolemęi milite & Achilla, bellũ Alexandrinũ peperit: quæ quia tanta sunt ut paucis nõ possint enarrari uerbis, quisquis scire illa cupiet, treis Cęsaris cõmẽtarios Belli ciuilis, Lucani decẽ Pharsaliæ libros, Hircij siue Oppij de bello Alexandrino, Africo, Hispaniensi libros tres, ut interim Plutarchũ atq; Suetoniũ sileã, legat. Confectis itaq; bellis quinquies triumphauit: de Bello Gallico, Alexãdrino, Põtico, Africano, & Hispaniẽsi. Militibus cõgiaria & dona, populo largitiones, epulũ & spectacula exhibuit, uenationesq; ac gladiatores,
pro emerẽdo fauore. Ordinationẽ dehinc anni & fastorũ dierũ fecit, ut Reip. statum reformaret. Senatum suppleuit, ac patricios allegit, omniaq; officia & magistratus in bonũ ordinem redegit. Medicos & omnis disciplinæ professores ac eruditos iure ciuitatis donauit, cùm ipse foret eruditissimus. Ius laborioseq; simul & seuerè dixit. Vestium ac uictus sumptus superfluos absci-
6 dit. Multa autem de ornanda instruendaq; urbe, ampliandoq; imperio cogitauit, sed morte præuentus finire nequiuit. Nam cum honores nimios in se reciperet, conflauit in se odium. Animum enim habuit humano maiorẽ, semper ingentia, semper infinita expetentẽ. Consulatũ enim gessit continuum siue: ut Appianus in secundo scribit, cõsul per decennium cõtinuũ designatus fuit, calcatis legibus, cũ magistratus is annuus esset. Nec, nisi decem anni interfuissent, quispiam poterat capere, ut Cicero tertio de Legibus scribit: licet

bit: licet tertium & quartum consulatum titulotenus gesserit, Consul simul & Dictator existens. Insuper dictaturam, quæ semestris dignitas erat, perpetuã in se recepit: quia dictator in omnem uitã electus est. Adhæc Imperatoris prænomen decreto est ei à Senatu datum, quod cupidè accepit: non (ut Dion scribit) tanquam maximæ alicuius pugnæ uictori, neq; summa dignitate prædito, sed ueluti omnium rerum domino, à quo cæteri Imperatores nomẽ prætexere, ab illoq; Imperatores Romani ac Cæsares nuncupantur, tanquam à primo qui in Romana Rep. obtinuit principatum: & primùm Monarchiam (ut Suidas dixit) arripuit. Quod Accursius Augusto, sed perperam, attribuit. Præterea cum sibi Censuram uendicaret, hoc est præfecturam morum, cognomẽ Patris patriæ (quod ante eum primus Cicero meruit) statuamq; suam inter Reges locaret, & in curia sede aurea uteretur, diuinósque sibi nonnullos honores fieri pateretur, inexpiabile odium incidit: potissimum cum eò arrogantiæ uenisset, ut quę loqueretur, pro legibus haberi uellet: nec adeuntes se (etiã uniuersum Senatum) honore dignaretur ullo, assurgere contemnens. Quę res inuidiam sibi maximam mouit. cum etiam accederet rumor, regio nomine se oblectari: licet se Cæsarem, nõ regem esse, pleriscq; assentatoribus responderit. Quia tamen aliqui migraturum omnibus cum diuitijs aut Alexandriam, aut Ilium, eum Parthorum se regnum Imperio adijcere significaret, clàm incusabant: maturata est dudum in eum concepta conspiratio, per sexaginta coniuratores. Quorum principes C. Cassius, M. Brutus, & Decius Brutus fuerunt. Hi Idibus Martijs Cæsarem in curia (licet & ab aruspice Spurinna, & Artemidoro, pluribusq; prodigijs admonitus esset) uiginti tribus uulneribus interfecerunt, anno ætatis suæ sexto & quinquagesimo: cum sese etiam coniuratores isti mutuis ictibus, dum in unum corpus tot intendunt plagas, cõsauciassent: multum trepidantibus senatoribus, & hinc aufugientibus qui coniurationis inscij erant. Vnde cecinit Ausonius, *Iulius interijt Cæsar grassante Senatu.* Maxima autem pompa funus in campo Martio celebratum, ac rogus extructus est luctu publico, summisq; honoribus corpus combustum. Columna xx. pedum lapidis Numidici erecta, circa quam longo tempore sacrificauere quidã. Coniuratorum domus destructæ & incensæ, plures trucidati. Qui euaserunt, sibijpsi manus intulere, ut Cassius Brutus à Genio uexatus, donec seipsum interficeret, nullusq; percussorum ferè triennio superuixit. Nam M. Antonius explicata ueste Cęsaris cruenta & ensibus perforata, de tanti uiri crudeli cæde pulcherrima oratione ad populum conquestus, percussoribus nihil tutum in urbe reliquit. Cum dehinc septem continuis diebus, stella crinita (quam nos Cometen uocamus) apparuisset, in cœlũ animam Cęsaris migrasse creditum est: in deorum numerum mox est relatus. Regnauit autem quatuor annos tantum, & menses septem. Immo dixit Ausonius in Monostichis: *Iulius (ut perhibent) diuus trieteride regnat.*

Habuit autem Cæsar uxores quatuor. Cossutia prima dicta, dives admodum, sed è familia equestri, puero penè adhuc Cæsari desponsata fuit: quã per renunciationem in sponsalibus dimisit. Secunda Cornelia, Cinnæ quater consulis filia fuit, ex qua Iuliã filiam genuit: quam in uxorem Gn. Pompeio dedit post reconciliationem: licet antea Seruilio Cepioni hanc despondisset, cui Pompeij filiam, etiam Syllæ filio Fausto desponsatam, collocauit. Hanc Corneliam uxorem Cæsar mirùm amauit: utq; eam repudiaret, nulla re à Sylla dictatore persuaderi potuit, aut compelli. Immo & defunctam pro rostris laudauit oratione cultissima: magnam hinc popularem beneuolentiam assecutus. Eius etiam fratrem L. Cinnam, qui in ciuili discordia Lepidũ sequutus exulauerat, reduxit. Tertia uxor fuit Pompeia, Q. Pompeij filia, Syllæ neptis: quam repudiauit, diuortiumq; fecit, ob P. Clodium muliebri habitu in sacris Bonæ deæ

deprehensum, qui deperisse eam ferebatur, atq; adulterasse. Quartam uxorem duxit Calphurniam, L. Pisonis filiam, qui se in consulatu sequebatur. Hæc multùm Cæsarem amauit, plurimumq; eo die quo in senatu occisus est, somnio territa (nam maritum in gremio suo confodi somniabat) hortari cœpit ne curiam ingrederetur. Post Cæsaris uerò occisionem, ad ædes M. Antonij se contulit, cum pulcherrimam orationem pro rostris de laudibus Cæsaris habuisset. pecuniamq; à Cæsare relictam transtulit, & penes eum deposuit. erat autem numerus quatuor millium talentorum. Nullum tamen filium ex ulla peperit. Immò C. Octauium ex sorore sua nepotem testamento ex dodrante hæredem instituit, in familiamq; ac nomẽ adoptauit. Fertur autem plures alias illustres corrupisse fœminas Romanas: Posthumam Seruij Sulpitij, Lolliam Auli Gabinij, Tertulam M. Crassi, Mutiam Gn. Pompeij. & ante omnes dilexit M. Bruti matrem Seruiliam, ob quam rem eius etiam existimatus est filius, ut inquit Plutarchus. Reginas præterea amauit, Euriem Mauram, Bogudis regis Mauritaniæ uxorem, & Cleopatram Aegypti reginam, ex qua Cæsarionem filium progenuit. Pronũ igitur in libidinẽ fuisse autores scribunt: licet esset in cibo ac potu insignis parsimoniæ, uinique parcissimus. Eloquentia militari excellentissimus, quod libri atq; Commentarij à se scripti satis superq; testantur. Laborum atque periculorum tolerantissimus, audax, rei militaris peritus, constans ac seuerus, mirumq; in modum clemens. Qua animi mansuetudine effecit, ut militum animos magno amore ac fidelitate in se traheret. Tantæ in primis continentiæ, ut occiso Pompeio, cum scrinia literarum offendisset, & dehinc in Africa Scipionis, ne legere quidem uoluerit, sed incendio tradiderit nõ uisas, ne maiora suscitarentur ex literis lectis bella. Verum illud Platonis uidetur: Præclara plerunque ingenia ut uirtutes maximas, ita uitia quoq; maxima producere solere. Hæc de Cæsare Iulio: si quis plura scire uelit, Tranquillum Plutarchumq; adeat. Non tamen omittẽdum Ausonij de Iulio Cæsare Tetrastichon censeo, quod tale est:

Imperium binis fuerat solenne quod olim
Consulibus, Cæsar Iulius obtinuit.
Sed breue ius regni sola trieteride gestum,
Perculit armatæ factio sæua togæ.

OCTAVIANVS CAESAR AVG.

OCTAVIANVS à patre Octauio senatore dictus, ex adoptione uerò Caij Cæsaris maioris auunculi Caius Cæsar, postremò Augustus. Hic autem Octauius pater Cæsaris, primus ex sua familia senator, cum equestris ordinis maiores essent, præturã Macedoniæ summo cum honore (Tullio teste) administrauit, & antequam consulatum peteret repentina morte sublatus est. Ex prima uxore Ancharia Octauiam maiorẽ: sed et minorẽ Octauiam filias tulerat ex altera Actia, et hunc Augustum filium, Thurinum in infantia dictum, quòd pater tum in Thurina regione aduersus Spartacum ac fugitiuos rem prosperè gessisset, cum is natus esset. Fuit autem Actia mater Octauiani, filia M. Actij Balbi Aricini senatoris clarissimi, & Iuliæ sororis C. Cæsaris: & ideo eius ex sorore nepos, cum ipse esset maior auunculus, hoc est frater auiæ. Et ideo ex testamẽto in familiã eius adoptatus, Cæsaris nomen assumpsit: eoq; deinceps uti maluit, quàm paterno. Augustus uerò dictus est, cum post bella Ciuilia prouincias ordinasset, & imperium condidisset. Cum in senatu tractaretur an Romulus quasi alter Vr-

bis

bis conditor dici deberet, sanctius & reuerentius uisum est nomen Augusti, ex sententia Munacij Plancij, quòd loca quoque religiosa & inaugurata Augusta dicantur, ab auium gestu, aut ab auctu. Octauianus itaque quatuor natus annos patrem amisit. Actia mater Marcio Philippo consulari uiro nupsit: qui ubi Cæsar occisus in Curia fuerat, Octauiano filio Apolloniæ studijs uacanti rescripserunt, ne hæreditatem maioris auunculi adiret, néue se quippiam extolleret, sed priuatas præferret conditiones. Quod minimè Octauianus, qui auunculum plurimùm amabat, obseruauit. Nam cum decimumsextum attigisset annum, à Iulio auunculo donis militaribus in triumpho Cæsaris donatus, uirilem togam assumpsit, cum in duodecimo anno Iuliam auiam defunctam laudasset. Ac deinceps cum Cæsar in Hispanias proficisceretur, auunculum subsequutus, mira industria itineris superauit difficultatem, per annumq; princeps equitũ cum auunculo mansit. Quare ab eo paulo pòst Apolloniam Epiri urbem nobilissimam præmissus est, quoniam adolescens adhuc esset, ut literis uacaret, & in militia simul instrueretur: quoniam turmæ equitum ex Macedonia aduentantes, hic exercitabantur, prætoresq; copiarum quasi ad Cæsaris affinem illuc sæpius uenerant, cum ipse expeditionem in Dacos ac Parthos moliretur. Sex ibi tantum menses moratus, beneuolentiam exercitus ac militũ sibi cõparauerat. Cũ ad se uenientes liberalitate complecteretur, circa horam uespertinam Cæsarem in Senatu trucidatum intellexit. Vbi se hæredem comperit, mox urbe repetita hæreditatem adijt. Indignum dehinc æstimans Cæsaris ultionẽ non assumere, Brundusium (ubi exercitus erat) accessit: qui ueluti Cæsaris filio obuiam iuit, Cæsaremq; salutauit: hocq; deinceps nomen retinuit. hinc omnis ad illum multitudo affluxit: quorum quidam * amicitia Cæsaris defuncti, alij liberti, alij serui, arma, apparatus, pecuniasq; attulerant. Gentium itaq; multitudine stipatus ingenti, ad Vrbẽ reuertitur, uindicaturus Cæsaris interitum: licet mater sæpius adhortaretur, ne quid inchoaret pœnitendum. Deterreri tamen non potuit, quin M. Antoniũ consulem adiret, qui iam apud C. Antonium Marci fratrem & prætorẽ de more prisco adoptionem susceperat. Sed dissuadente M. Antonio, quod tam onerosam adiret hæreditatẽ, quia pecunias quas interceperat post Cæsaris interitum, reddere noluit Octauiano: qui trecenos sestertios, quos publicè & priuatim Cæsar legauerat, ab se consequi nequiuit: inter eos graues inimicitiæ ortæ sunt, quia tanquam puerũ contempsit Antonius & irrisit: quanquam semel & iterum essent reconciliati. Ob id Octauianus quinq; illa ciuilia bella & insigniora gerere incepit, ut auunculi necem uindicaret scilicet, & acta Cæsaris tueretur. Aduersus enim M. Antonium bellum gessit primum Mutinense circa Mutinam, quod tribus mensibus cõfecit. contra eundem & Actiacum circa promontorium Actium ultimum: Philippense secundum, in campis Phi 8
lippicis contra Brutum & Cassium percussores Cæsaris. Perusinum tertium, contra L. Antonium M. fratrem circa Perusiam. Quartum Siculum & nauale, aduersus Sextum Pompeium, magni Pompeij filium. Quæ quia ordine descripta sunt apud Tranquillum & L. Florum, præterea Appianum Alexandrinum tribus penè ultimis libris integris Bellorum ciuilium: ut Plutarchum omittam in Bruto, Antonio, & passim in alijs: superfluum prorsus esset multa de his commentari ac perscribere, quæ abundè nimium ab illustribus auctoribus perscripta sunt. Illinc lector mutuet quæ cupit. Multa adeò strennuè in his egit, ut consulatũ illi petere per decem ante annos quàm ex lege liceat, Senatus concederet decreto, multosq; alios honores illi conferret, ut latissimè Appianus in tertio Ciuilium scribit. Verùm post Mutinense bellum cum Vrbi appropinquaret, Consul cũ Q. Pedio electus sacrificauit. duodecim uultures (ut olim Romulus) inter sacrificandum uidit, perfectisq; sacris iterum se

forte amici.

se parenti in adoptionem dedit lege Curiata. Cæterùm Pansa in hoc bello uul
neratus, cùm se morti proximũ uideret, suadet Octauiano, ut amicitiam cum
M. Antonio ineat, si uelit imperium assequi, & de patris percussoribus uindi-
cari: quod & fecit, & cum eo ac M. Lepido triumuiratum iniit, in quo crude-
lissima & cruentissima centum & quadraginta Senatorum, ut Florus: trecen-
torum, ut Plutarchus, proscriptio fuit. De qua Appianus ciuilium libro quar
to abundè nimium. Tandem etiam, cum leues quędam intercessissent odij in-
ter Cæsarem & Antonium suspiciones, per Pollionem & Mœcenatem recon
ciliati sunt: sororq; Cæsaris Octauia maior natu, ex Ancharia quę Marcellum
prius habuit, Antonio nupsit, post Fuluiæ interitum. Tum orbem inter se hoc
pacto diuisere, ut Orientem omnem usq; ad Euphratem fluuium Antonius,
Occidentẽ Cæsar, Lepidus Lybiam possideret. Sed fuso fugatoq; in mari Se-
xto Pompeio, cum Antonius Parthos iam accessisset, magni honores Cæsa-
ri sunt delati: in quibus aureum trophæum cùm inscriptione, & perpetuus tri
bunatus. Quam quidem tribunitiam potestatem per se dehinc exercuit, ut Se
xtus Aurelius memorat, atq; perpetuam in se recepit, ut Suetonius testatur. Id
autem accidit, cum iam octo & uiginti natus esset annos: & Lepidus ex triũ-
uiris unus, exercitu spoliatus, Circeijs exularet. Paulo pòst uicto Antonio cir-
ca Actium promontorium, cum deinde Alexandria potiretur, Antonium se-
ras pacis cõditiones petentem, coegit ut sibi mortem cõscisceret. Dehinc Ae-
gyptum in prouinciæ formam redegit, & inundatione Nili accessu difficilem
inuiamq; paludibus, ut annonam urbis copiosam efficeret, fossas incuria uetu
statis limo clausas labore militum patefecit. Ob id huius tempore ex Aegypto
urbi annua ducenties centena millia frumẽti inferebantur, ut Aurelius scribit.
Multas dehinc cõspirationes ac coniurationes prudentia fatoq; euasit, priuś-
quam fastigium Imperij attingeret, rerumq; potiretur. Cum enim quidam fœ-
licem eius statũ odissent, L. Murena & Fannius Cepio diuersis moribus (nam
Murena sine hoc facinore potuit uideri bonus: Cepio & ante hoc erat pessi-
mus) cum iniissent occidendi Cæsaris consilia, oppressi authoritate publica,
quod ij facere uoluerãt, iure passi sunt. Neq; multo pòst Ruffus Egnatius per
omnia gladiatori quàm Senatori propior, collecto in ædilitate fauore populi,
quem extinguẽdis priuata familia incẽdijs indies auxerat, in tantum quidem,
ut ei præturam cõtinuaret, mox etiam consulatũ petere ausus, cum esset omni
flagitiorum scelerumq; conscientia mersus, nec melior illi res familiaris quàm
mens foret, aggregatis simillimis sibi, interimere Cæsarem statuit, ut quo sal-
uo saluus esse non poterat, eo sublato moreretur. Sed neq; hic prioríb. in occul
tando felicior fuit, abditusq; carceri cum conscijs facinoris mortem digniśi-
mam uita sua obijt, ut Velleius scribit. Cantabros & gentes illis uicinas quæ la
trocinia exercebant, oppressit, ac sub corona iure belli uendidit. Constat enim
Alpinos omnes prędones fuisse, ac à Iulio Cæsare quondã per legatũ Ser. Gal
bam perdomitos: deinde à Tiberio Cæsare uiuente Augusto, ut ex arcus in-
scriptione in eo loco apparebat: IMP. CAES. TIB. DIVI. F. AVG. PONT.
MAX. IMP. XIIII. TRIB. POT. S. P. Q. R. Q. DE EIVS DVCTV AVSPI
CIIS QVE GENTES ALPINAE OMNES QVE A MARI SVPERO AD
INFERVM PERTINEBANT, SVB IMPERIVM PO. RO. SVNT REDA
9 CTAE. Item Aquitanos, Rhetos, Vindelicos, Dalmatas, numero prouincia-
rum Pop. Rom. cõiunxit. Sueuos, Cattosq; deleuit, & Sicambros in Galliam
transtulit (ut uerbis utar Aurelij Sexti) et in proximis Rheno agris collocauit,
ut Tranquillus narrat. Pannonios stipẽdiarijs adiecit. Getarũ populos Baster-
nasq; lacessitos bellis ad cõcordiam compulit. Nec ulli genti sine iustis & ne-
cessarijs causis bellum intulit: Iactantis ingenij esse affirmans, ob triumphalis
pompæ superbiam & lauream corollam ciuium uitas ac securitatẽ periclitari.

Qua

Qua uirtute modestiæ effecit, ut Persæ obsides offerrent, creandíq; regis arbitrium permitterẽt. Persarum enim & Parthorum regna olim cõfusa & eadem esse Plinius tradidit. Hi igitur magnitudine nominis Augusti perculsi, Phraatis Parthorũ regis filios nepotesq; obsides dedere, signaq; militaria M. Crasso & Antonio ablata remiserunt. Tum Indi, Scythæ, Garamantes, Aethiopes, legatos cũ donis miserunt. Sed adeò ignominiosè à Germanis acceptus clade Loliana & Variana, ut consternatus barbam continuos aliquot menses nutriret: nihil fuit illa cæde cruentius. Tres enim legiones obtruncatæ, signa & Aquilæ duæ à Germanis * raptæ, quas hodie possidemus. Non enim biceps est Aquila, ut imperitum uulgus credit: sed duæ simul, quarum altera alteram expansis alis obtegit. Tertiam signifer legionis tertiæ abstulit, paludeq; demersit, ne in hostium manus ueniret. Alioqui tres haberemus aquilas in insignibus Imperij. Nec unquam hæ redditæ sunt Imperatoribus Romanis, quod Parthi fecerunt, sed semper in hunc usque diem seruatæ. Licet Tacitus scribat, Germanicũ cũ in Teutoburgiensi saltu reliquias Varianæ cladis inspicere cõcupisceret, per L. Stertinium apud Bructeros undeuicesimæ legionis Aquilam cum Varo amissam reperisse. Quam ob rem uehementissimè miror, unde irrepserit inanis hæc fabula de Variana clade, quæ nomen dedisse turri Augustensi Perleich à perditis legionibus fertur: quasi hic conflictus ante Augustam Vindelicam in latissimo illo campo inter Lycum & Vindam contigerit. quod planè effectum est, cum apud Bructeros: qui sunt Phrysijs conterminí, inter Amysiam & Luppiam amnes in Theutoburgiensi saltu, clades hæc euenerit. Quod apertissimè Tacitus in primo Historiarum ab excessu Augusti libro docet, qui graphicè hunc locum depingit: cum illum Germanicus Cæsar contemplaretur, & militibus cæsis suprema persolueret. Strabo item libro septimo Geographiæ Germaniam describens, ubi Visurgim fluuium in Lupiam ad Amysiam deferri scribit, Bructeros, Caucos, Cheruscos, Germaniæ populos commemorat. In quibus, inquit, tres Romanorum ordines militum cum imperatore Quintilio Varo fœderibus fractis per insidias obtrũcati sunt: pœnas uerò luerunt uniuersi, & Germanico iuniori præbuere triumphum clarissimum. Constat autem, quo in loco sit Amysia fluuius & Visurgis, studiosissimo cuiq;, qui quartam Europæ tabulam Ptolemæi & secundum eiusdem librum in descriptione Germaniæ uiderit, adeò ut fabula illa omnino ridenda sit. Cæterùm ut ad Augustum redeamus, circa militarem disciplinam seuerus & diligens fuit: nec arma sumenda esse dixit, nisi maioris emolumenti causa. Vrbem pro maiestate Imperij ornauit & excoluit, tutamq; (quantum potuit) in posterum effecit: plurima opera publica faciens, templa præsertim ædesq; sacras, & fora iudiciaria, urbemq; in regiones & uicos distinxit. Alueum Tyberis repurgauit & laxauit. Post Lepidum mortuum Pontifex Maximus fatidicos libros recensuit, parum idoneos reiecit ac concremauit: annum confusum iterum negligentia atque incuria sacerdotum & pontificũ, denuò ad pristinam rationẽ redegit. Sacerdotia reformauit, abusus correxit multos in Republica. Leges quasdam retractauit, quasdam ex integro sanxit: senatorum numerum definiuit, officia noua excogitauit. Habitum ueститumq; pristinum reducere studuit: liberalitatẽ omnibus per occasionem exhibuit. In reprimendis populi uoluptatibus insuetis seuerus fuit: spectacula tamen omnis generis edidit, spectandíq; morem correxit & ordinauit. Omne suum Imperium bifariã diuisit, ut Strabo attestatur. nam partem sibi asciuit, quæ scilicet militũ præsidio indigeret, regionẽ puta barbarorũ iugum detrectantẽ: in cuius prefecturas procuratores cõsulares & prætorios uiros misit. partẽ populo dedit, regiones uidelicet pacatas, quib. populus Imperatores uel cõsules dedit. Ob id aliæ Cæsaris, aliæ populi dicebantur prouinciæ. Summæ fuit clementiæ, sum-

* Fortè, captæ.

mæ

mæ ciuilitatis, summæ patientiæ, ut obtrectatoribus grauius nihil diceret, & altercationes libellosq; famosos de se contemneret, iocosq; nihili faceret mordaces: paululum se à populo in dandis testimonijs ac suffragijs secerneret. Ob id Pop. Rom. fuit perquàm charus, immò dilectissimus, honoribusq; magnis affectus, paterq; patriæ maximo cõsensu totius plebis ac uniuersi Senatus uocatus est. Statuæ præterea, ac pro eius incolumitate publica uota facta sunt à prouincialibus: nec minora à regibus ac socijs. Dictaturam tamẽ, nullis precibus impelli poterat, ut assumeret: dominiq; appellationẽ ut opprobrium exhorruit, licet consulatus tredecim gessisset. Quinimò, ut scribit Donatus, de tyrannide omittenda & repub. Senatui reddenda cogitauit. Virgilius tamen, cuius amicitia delectabatur, suasit ut dominaretur. Si enim, inquit, iusticiã, quod modò facis, omnibus in futurum distribues, dominari te & tibi cõducet & orbi. Virgilij sententiam sequutus Augustus, principatum tenuit, qui suapte natura cupidissimus erat dominandi. Parsimonia uerò utebatur & in suppellectili haud superflua, & uestitu domestico, et conuiuijs cœnisq; moderatis sine nimio sumptu. Conuiuabatur autem sæpe, alacri comitate omnes assidẽtes prouocans: minimi enim erat cibi, & uulgaris, uini autem parcissimus. nam diu rarenter bibebat. Si tamẽ sitis urgebat, perfusum aqua frigida panem aut fructus aliquos edebat. Corpore toto pulcher, & forma eximia, per omnes ætatis gradus: lenocinij omnis negligens, uultu sereno tranquilloq;, oculis glaucis, ut Plinius ait: ut uerò Aurelius scribit, claris magis ac nitidis, quorũ acie clarissimorum siderum modo uibrante, libenter accipiebat cedi ab intendentibus tanquam solis radijs aspectu suo. A' cuius facie dum quidam miles se auerteret, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret? respondit: Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Dentes habuit raros & exiguos, capillum leuiter inflexum & sufflauum, supercilia coniuncta. nasum à summo eminentiorẽ, ab imo deductiorem. Crure sinistro non perinde ualebat, sæpius claudicans: lithiasi etiam laborabat in uesica. Natali suo plerunq; ægrotabat: exercitio frequenti utebatur, & sub dio spaciabatur, & lectica ferebatur, multisq; exercitij generibus gaudebat. Disciplinas omnes amabat: eloquentiam prima ætate laboriosissimè exercuit: multaq; opera scripsit & equestri & pedestri oratione. Licet orthographiam scribendo parum obseruaret, tamẽ orbem descripsit: quod ex itinerario Antonini Pij Augusti patet, et ex tertio Plinij, qui se Augusti ordinẽ partitione Italiæ sequi negat. Græcarum autem literarũ miro tenebatur amore, Apollodoro Pergameno doctore usus, quem etiam natu grandem Apollonian secum eduxerat. Eruditos sui seculi fouebat omneis, Virgilium in primis & Horatium Flaccum poetas. Duosq; inter amicos præcipuos dilexit, ob taciturnitatem Mœcenatem, ob patientiam Agrippam. Tot tamen uirtutes uitijs non caruere. Nam in prima ætate libidini usq; ad opprobrium uulgaris famæ inseruiuit. quod & Sextus Pompeius, M. & L. Antonij ei obiecerũt, qui ei adulteria & uirginum stupra dedere uitio: licet quidam non ob libidinem, sed quo facilius aduersariorum consilia per cuiusq; mulieres exquireret, adulteria cõmisisse scribãt. Fertur & inter duodecim catamitos, totidemq; puellas accubare solitus, Apollinem se finxisse. In partibus tamen cæteris uitæ continentissimum fuisse constat, ac sine suspicione ullius uitij: nisi quòd aleę ludo usque in extremam senectutẽ oblectabatur, palamq; ac passim lusit. Primam sponsam adolescens habuit, P. Seruilij Isaurici filiam. Sed post reconciliationẽ in triumuiratu cum M. Antonio, ut necessitudine aliqua necterentur, priuignam eius Claudiam Fuluiæ ex Publio Clodio filiam duxit, uixdum nubilem: sed post simultatem cum Fuluia socru inchoatam ante bellum Perusinũ, aut ex alia obscœna re, quam Augustus quodam epigrammate explicuit, intactam adhuc uirginem Claudiam dimisit. Tertiò, Scriboniam de familia Libonum in matri-

monium

monium accepit, nuptam antè duobus consularibus uiris, et ex altero matrem etiam, ex hac Iuliam filiam genuit, quæ primum Marcello Octauiæ sororis suę filio uix pueritiam egresso nupsit. Sed eo mortuo M. Agrippæ dedit, intercessione sororis suæ. Habuit enim Octauia Augusti soror ex Marcello duas filias et Marcellum filium, quem generum sibi & filium fecit Augustus. Is autem ubi obijt, quum non facilè deprehenderet quem sibi ex amicis generum eligeret Augustus, sed dubitaret: suasit Octauia soror ut Agrippam generum suum caperet, quod obtinuit. Egit cum genero Octauia, ut filiam suam repudiaret, & Cæsari gener fieret, licet prius ex Marcello liberos haberet. Sustulit igitur Augustus ex Agrippa & Iulia nepotes tres, Caium, Lucium, & Agrippã posthumum. Ex quibus Caium & Lucium mox adoptauit, & iuuenes ad curam reipub. admouit: alter in Lycia, alter in Massilia perijt. Agrippam dehinc etiã adoptauit, sed ob naturam sordidam abdicauit, in insulamq; transportari iussit ob ferox eius ingenium. Vnde Spartianus inquit: Quid dẽ Augusto? qui nec adoptiuum bonum filium habuit: cùm illi eligendi potestas fuisset ex omnibus. Neptes duas præterea habuit: Iuliam quam L. Paulo Censoris filio, & Agrippinam quam Germanico sororis suæ nepoti collocauit: Octauia enim soror ex Antonio duas quoq; filias Antonias habuit, quarum alteram in uxorẽ duxit Domitius Aenobarbus: alteram Drusus Liuiæ filius, priuignus Augusti. Ex hac nati sunt Germanicus & Claudius, nepotes sororis. Qui ut optimè erudirẽtur, summè laborauit: filiam uerò & neptes ut lanificium etiam exercerent, in bonaq; custodia essent, omni conatu enixus: quanquam frustra, quia omnibus stupris atq; flagitijs exponebantur, quas ob id relegauit in insulam Pandateriam, uinioq; usum & omnem delicatiorem cultũ ademit. Sed mortuo Agrippa genero, Tiberium priuignum, filium scilicet Liuię Drusillæ, elegit Iuliæ filiæ maritum, ac sibi generum: coegitq; pręgnantem uxorem dimittere, ex qua prius etiam filium susceperit. Nullam igitur è sobole fœlicitatem, quam ex Scribonia habuit, sortitus: ob id pertæsus etiam morum peruersitatem diuortium fecit. ac statim Liuiam Drusillam, quę ex Tiberio Nerone iam grauida erat, illo concedente, quartam duxit uxorem: cuius filij erant Tiberius & Drusus. Dilexitq; eam unicè ac perseueranter: sed nihil liberorum ex ea tulit, cùm maxime cuperet. Post tertium enim mensem peperit Drusum patrem Claudij imperatoris, ex Augusto uerò edidit infantem immaturum: mulier comis, ultra quàm antiquis fœminis probatum: mater impotens, uxor facilis, & cum artibus mariti simulatione filij bene composita: & quæ ad extremam ætatem uixit. Quintodecimo enim anno Tiberij mortua est, ut Tacitus prodit, qui eam Iuliam Augustam nominat. Iohannes Monachus in uita Tiberij tradit, ipsam octuagesimum annum attigisse sine ullo morbo. Mortua enim elata est adhibitis quibusdam imaginibus cum luctu mulierum Romanarum, ad annum, iussu senatus. Solita hæc fuerat multorum filias enutrire, & commoda multa præstare. Et quondam nudis quibusdam adolescẽtibus occurrentibus dixisse fertur, cum plericq; eos morte mulctandos censerent, modestis mulieribus hos statuas uideri. Sed cum à quodam interrogaretur, quomodo Augustum obtinuisset: respondit, quòd ipsa diligenter & prudenter agens summum studium adhibuisset, ut omnia faceret ex animo Augusti: nec curiosè perquisiuisset quicq; eorũ quæ Augustus faceret (simulans eius uenereos usus) neq; audire neq; sentire. Cęterùm si pensetur fœlicitas Augusti cũ infortunijs quæ terra et mari, domi foriscq; passus est, pulchra serie à Plinio enarrata in septimo repetiet. Verũ fit illud eiusdẽ Plinij dictũ: Deus ille cœlũ nescio adeptus magis an meritus. Hærede nõ suo filio, excesit, dolo Liuię Drusillę (ut Aurelius refert) metuẽtis, ne, quia priuignæ filium Agrippã quem odio nouercali in insulam relegauerat, reduci compererat, eo summã rerum adepto pœnas daret. Quod

eleganter

bus, onerosam sibi iniungi seruitutem conquerens. Quod quidem (ut Aurelius Sextus scribit) astu fecerat ut discèret, quid singuli sentirent: atrociter explorans animos omnium. quæ res bonos multos pessùm dedit. Existimantes enim ex animo eum longa oratione Imperialis molestiæ magnitudinem declinare, dum sententias ad eius uoluntatem promũt, incidêre in exitia postrema. licet & alias causas Trãquillus recenseat, cur delatum à patribus principatum recusauerit. Verebatur enim Germanicũ, in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum fauor, qui etiam uocatus à Pop. Ro. ferebatur. Sed ea integritate Germanicus erat (licet neptem Augusti Agrippinam uxorẽ haberet, ex eaq; plures liberos, filiusq; Drusi esset, fratris Tiberij, & Augusti nepos, cuius Drusi memoria ingens apud Po. Ro. fuerat) ut omnibus uiribus conaretur Imperium non in se, sed in Tiberium transferre, miris & præcipuis laudibus ipsum apud legiones, quæ tum tumultuabantur, celebrans. Et quamuis milites seditiosi arma minarentur ni Imperium assumeret, moriturum tamen potius se, quàm fidem exuere clamitabat. Tanta erat fides Germanici Cæsaris. Cuius laudes, præter ea quæ Tacitus scribit, locupletissimè Tranquillus in Caligula aperit. Tiberius itaq; arte & dolo Imperium assequutus, ab initio principatus liberalem se ac modestum gessit: paucissimis cõtentus honoribus. Imperatoris enim nomen recusauit. Nam serò imperiũ assequutus est, circa annum scilicet sextum & quinquagesimum ætatis suę: nec ab 20
ullo Imperator aut dici aut appellari uoluit, adulationibus spretis ac contemptis: aduersus conuicia ac maledicta patientissimus. Versipellis tamen, & qui aliud ore loqueretur, aliud animo sentiret, omnia dissimulans. Nec unquam quempiam suorum consiliorum passus est conscium fore. Senatũ senatoresq; omnes usq; ad submissionem ueneratus: humanitatis propè excellẽs modum, pristinamq; ferè libertatem exhibẽs. Quandoquidem singula, & parua & magna ad P. C. referebat. Vectigalia, monopolia, ædificia, delectum, exercitus, patrum more decerni statuit: autoritate consulum singula penè administrauit. Quòd si quando de tribuendis militaribus donis quidam secum agerent, indignatus corripuit, quòd non hæc senatui perscriberẽt. In omnibusq; se ciuilem 30
admodum, etiam minoribus exhibuit: præsidibus prouinciarum tributa suadentibus rescribẽs, Boni pastoris esse tondere pecus, nõ deglubere. Tandem inde se uarium præstitit, ac paulatim principem exercuit: Licet utilitatem publicam aspiceret in primis, multa senatus acta ac constitutiones rescindens. ludicres religionis ac noxæ adhortatus ut malas corrigerent consuetudines, ipse impensas ludorum ac spectaculorum temperauit, luxui definitas constituens leges, & in ualis & in supellectili superflua, & in sumptuarijs conuiurijs. Cærimonias externas, Aegyptios ludaicosq; ritus compescuit, cunctosq; ludæos urbe Roma excedere iussit. Sacerdotes Isiacos, quòd Mundum adolescentem 40
admississent cum Paulina Romana in Isidis templo, in cruces adegit: quod latissimè Iosephus decimooctauo Antiquitatum, & Egesippus in secũdo historiarum perscribunt. Expulit & mathematicos, nisi artem se destituros promitterent. Pacem quoad potuit firmauit, latrocinia seditionesq; repellens: stationibus militum frequentibus per Italiam constitutis, & Romæ cohortes prætorianas ordinans. quibus tumultus orituros sedulò cauit. Hostiles motus per legatos compescuit, per blanditias atq; promissa euocatos: atq; ad se extractos reges (ut Eutropius quoq; annotauit, & Eusebius) nunquã remisit, ut Archelaum Cappadocem. Cuius regno in prouinciam uerso, Mazacã nobilissimam ciuitatem Cæsaream appellari iussit: ut Marabaudum Germanũ Sueuorum regem, quem callidè circumuenit, quod Aurelius Sextus scribit: ut Rastupolim Thracem, quod Tranquillus narrat & Tacitus. Post adeptum Imperium, biennio continuo extra urbem pedem non extulit: sed priuatus filijs, Campaniam, quasi nunquam rediturus, tum Capreas secessit in insulam Neapolitani 50

sinus

sinus, magnificentissimis ædificijs extructam. Reip. curam abiecit, Hispaniam & Syriam per aliquot annos sine cõsularibus legatis habuit. Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis Sarmatisq; Gallias à Germanis uastari neglexit, non sine magno Imperij dedecore. Tandem uitia malè diu dissimulata detexit. Ob nimiam uini auiditatẽ, Caldius Biberius Mero ioculariter, pro Claudius Tiberius Nero, est uulgò dictus. Libidini usq; adeò deditus, ut quũ Sextus Claudius eum uocasset ad cœnam, prodigus ac libidinosus senex, nudæ puellæ ministrarent mensæ. Sed portentosæ libidinis auctor in spintrijs, cum puellis & exoletis, quæ nescire nullum dispendium est, ut omnium luxuriosissimus habitus sit & fuerit. Ebrietati ac luxuriæ summam adiecit auaritiam, ut nunquam militibus expeditionum salaria exolueret, nihil exædificaret, nulla spectacula ederet, militibus legata Augusti non præstaret. Et ut crudelitatem rapacitati annecteret, ditiores ac locupletiores ad fastidium uitæ cogeret plures, multos bonis suis spoliatos occideret, odiũ in necessarios ac propinquos exerceret: Drusum fratrem, Iuliam uxorem in exilium relegatam: Liuiam matrem, quam nec ad se quidem uenire, nisi rarissimè passus est, nec defunctæ aliquem honorem exhibuit, eiusq; testamentum pro irrito habuit. Quinimo nec filios dilexit, sed nurum Agrippinam relegauit. Parem crudelitatem in nepotes atq; amicos exercuit, quorum cùm uiginti è numero principum ueluti conspiratorios suos depoposcisset, uix tres incolumes emisit. Omnes alios alia de causa perdidit ac interfici iussit, atrociter sæueq; tyrannidem exercens, ut carmina iam multa in eum passim conscriberentur: nullusq; dies à pœna hominum, etiam sacer religiosusq;, uacaret. Cuius sæuitiam latissimè Tranquillus edisserit, commemorans multa tormentorum noua supplicia. Vnde & conuicijs & libellis proscissus est famosissimis. Quæ atrocia scelera Tacitus etiam enarrauit primis quinq; libris, qui nuper inuenti sunt. Postremò in Astura prope Campaniam in languorẽ incidit, qui indies auctus in uilla Luculliana eundem absorbsit, octauo & septuagesimo ætatis anno, Imperij tertio & uigesimo. Non sine suspicione uenenj tamen mortuus est: quanquam aliqui scribãt puluinum iniectum, cùm abstraheretur ei annulus è digito. Morte eius ita lætatus est populus, ut pars clamaret Tiberium in Tiberim proijciendum, pars oraret superos ne ulla sedes mortuo nec inter impios daretur: alij unco in Gemonias ducendum cadauer clamarent: quidam Atellam corpus deferendum putarent: Romam tamen portatus publico funere, crematus est. Vir corporis ampli ac robusti, staturæq; proceræ, & qui manu sinistra agilior ualidiorq; esset. Coloris candidi, facie honesta, cum prægrandibus oculis, quibus & noctu in tenebris uidebat. Valetudinis prosperrimę, sed qui in senectute ob habitum corporis in urbe continuè esse pudori sibi duceret, ut Cornelius scribit: & hinc in Campaniam secederet. Quippe illi prægracilis & incurua proceritas in senio euenit, & nudus capillo uertex, ulcerosa facies, ac plerunq; medicaminibus interstincta. Et ob id Rhodi etiam secretò uitare cœtus, recondereq; uoluptatibus assueuerat. Fuit liberalibus artibus apprimè eruditus, Latinam & Græcam linguam callens, eloquio insignis: sed ut Eutropius inquit, ingenio pessimo, truci, auaro, & insidioso: & qui repentinis consilijs (Aurelio teste) melior erat quàm meditatis. Vnde Augustum legimus dixisse de Tiberio: O miserum populum Ro. qui sub tam lentis maxillis edit. Et Plutarchus scribit Augustum dicere solitum, Se Romani Imperij successorem eum esse relicturum, qui nunquam bis de eadem re consultasset: lentam morositatem notare uolens Tiberij, cùm lenta in eo sæuaq; esset natura. Habuit autem uxorem primam Agrippinam, M. Agrippę filiam, neptem Pomponij Attici: ex qua filium Drusum accepit, cum qua coniunctissimè uixit: coactusq; est hanc grauidam inuitus dimittere, licet plurimùm amaret: ac Iuliam Augusti filiam ducere uxorem alteram, cuius mores improbauit. Quamuis enim ab initio mutuo amore cum hac

eleganter scribit Tacitus in primo lib. historiarum ab excessu eius. Alij profluuio uentris extinctum morbo scribunt, Nolæ, in oculis Liuiæ, cum ijs uerbis: Liuia nostri coniugij memor uiue & uale: exitu ualde facili, xiij. kal. Septembris: duobus Sextis Pompeio & Apuleio consulibus, anno ætatis lxxvi. minus triginta quinque diebus: licet Aurelius septuagesimum septimum ingressum scribat, cum regnasset sex & quinquaginta annos, cum Antonio & Lepido duodecim, solus quatuor & quadraginta. Quod certè, nisi magnis naturæ & studiorũ bonis abundasset, uix aliàs fieri poterat. Magnis dehinc honoribus ad urbem delatus, atq; in Mausolæo, postquam crematum corpus fuit, quod sibijpsi struxerat, reliquiæ impositæ sunt. Recitatæ hinc testamenti tabulæ, quibus Tiberius hæres institutus & in nomen adoptatus fuit, cum cæteris cohæredibus. Verùm præter ea quæ Plinius de fortuna Augusti scribit, sic loquitur Plutarchus in libro de Romanorum fortuna: Octauius (inquit) Cæsaris filius, qui primus Augusti nomen habuit, cum quartum & quinquagesimum annum ageret, precatus à dijs est, Scipionis fortitudinẽ, beneuolentiam Pompeij, Cæsaris fortunam, quam quidem inquit fortunã rerum esse omnium maximarum uictricem. Sed omnia hæc claudam Ausonij tetrasticho:

Vltor successorq; dehinc Octauius: idem
Cæsar, & Augustus nomine nobilior.
Longæua & nunquam dubijs uiolata potestas,
In terris positum credidit esse Deum.

CL. TIBERIVS NERO.

CLAVDIVS Tiberius Nero Cæsar, filius fuit Tiberij Neronis, qui sub Iulio Cæsare bello Alexandrino quæstor, & in triumuiratu Antonij Augusti & Lepidi prætor erat, & Liuiæ Drusillæ uxoris Augusti. Quæ cum prægnans esset, inscia an marẽ editura esset, uarijs captatis omínibus, ouum incubanti gallinæ subductum, nunc sua, nunc manu ministrarum per uices uicq; eò fouit, quoadusq; pullus insigniter cristatus exclusus est. Vnde hũc infantem Scribonius mathematicus quandoq; regnaturum prodidit. Hæc Liuia, post hunc iam genitum Tiberium impregnata & grauida, Augusto petenti ac uolenti nupsit, tertioq; post mense Drusum Neronem in domo Augusti peperit. Vt prouerbio diceretur, fœlicibus etiam trimestres nasci filios: quum suspicio esset, eam prius ex Augusto per consuetudinem adulterij, antequam duxisset uxorem, impregnatam. Vnde Tiberius priuignus est dictus Augusti. Nam uerus eius parens paulo pòst utroque liberorum superstite diem obijt: quem nono ætatis anno defunctum pro rostris laudauit, si Tranquillo credimus. In proscriptione triumuirali cum parentibus per Siciliam & Achaiam circumductus, uictoria Actiaca Augusti currum comitatus est. Adolescentiam omnem habuit luxuriosam, deditus spectaculis gladiatorum & ludis. Fratrem Drusum in Germania amisit, siue collapsum equo & fracto crure (ut Liuius scribit) siue morbo cõsumptũ, ut Suetonius. Huius corpus pedibus toto itinere prægrediens Romam usq; peruexit. Ad eum enim in Germaniam ægrotantem iter ducentorum milium passuum die ac nocte uehiculis tribus emensus est, teste Plinio. Tum se ad magistratus ac principatus honores accingit, quos ordine omnes adijt: quæsturam, prætúram, consulatum, tribunitiamq; potestatem exercuit, etiam cum in Rhodum secessisset. Vbi solitus est gymnasia, scholas et auditoria professorum obambulare, et ipsorum iurgia cõpescere, et penè priuatus post hoc usq; in octauum manere annum. In hac insula, adipiscendæ artis

artis Chaldæorum gratia magistrum Trasullum habuit. Peritiam autem eius scientiæ hoc modo expertus est. Quoties super negotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur. Is literarum ignarus, corpore ualido, per auia ac derupta (nam saxis domus imminebat) præcesserat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset. Et regredientem, si uanitatis aut fraudium suspicio incesserat, in subiectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Trasullus ijsdem rupibus inductus, postquã percunctantem commouerat, imperium ipsi & futura solerter patefaciens, interrogatur an suã quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderũ ac spacia dimensus, hærere primo, dein pauescere: & quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus, postremò exclamat, ambiguum sibi ac propè ultimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum & incolumem fore gratatur: quæq; dixerat oraculi uice accipiens, inter intimos amicorum tenebat. A filio huius Trasulli prædictum quoq; Neroni fuit imperium. Bello Cantabrico tribunus militum, Tigranẽ Armeniæ regem regno restituit. Signa à Parthis Crasso ablata, recepit: Galliã anno ferè rexit: dehinc Rheticum Vindelicumq; bellum, tum Pannonicum ac Germanicũ gessit: ob quæ triumphauit, & urbem ouans ingressus est. Postquam uerò ex Rhodo in urbem concessit. Drusum filium ut togam uirilem assumeret, in forum duxit. Post mortem Caij & Lucij adoptatur Tiberius in filium ab Augusto, cum M. Agrippa posthumo. Sed coactus ipse pòst Germanicũ fratris sui filium adoptare, ut protinus adoptione facta, Germanicus Augusti nepos esset: quod & Iurisconsultus de adoptionibus annotauit in Institutionibus. Cùm enim circumspectissimus ac prudẽtissimus princeps uirtutes Tiberij cum uitijs perpendisset, (improbauit namq;, nec dissimulanter, nonnunquam eius morum diritatem) cùm uirtutes pauciores duxisset, & hunc reipub. utilem animaduertisset: pro concione palàm reip. causa sese hũc adoptare iurauit, de eoq; sæpe illum Ennij uersiculum pronunciauit: Vnus homo nobis uigilando restituit rem. Sed mox Agrippam Augustus ob sordidum ac ferox eius ingenium abdicauit, sepositq; Surentum (uel ut Tacitus scribit) in insulam Planasiam. Qui mortuo Augusto, antequam mors eius palàm fieret, à quodam tribuno militum iussu Tiberij est occisus, ut latè recenset Tacitus. Qui etiam tradit, pòst occisum Agrippam, Clementem seruũ eius se simulasse Agrippam, & cõcitasse in populo tumultum, quasi uiueret adhuc Agrippa. Sed iussu Tiberij ipse etiam est occisus: ut iam Tiberius certus esset, uni sibi spem successionis succumbere. Sed iterum tribunitiam potestatem in quinquennium accipiens, cum defectio Illyrici esset nunciata, grauissimum omnium externorum, post Punica, bellorũ cxv. legionibus, totidemq; auxilijs triennio gessit, domito toto Illyrico, & in ditionem redacto. Cùm uerò à Senatu redeunti triumphus esset decretus, cum magnis honoribus & nouis cognominibus, urbe in mœstitia existẽte, ob cladem Varianam, triumphum distulit: & laurea coronatus intrauit urbem, ac prætextatus. moxq; sequenti anno Germaniam adijt, ac Rhenum traiecit, prosperius rem gerẽs quàm Quintilius Varus, qui ob temeritatem pessum iuit. Parum tamen abfuit, quin & ipse à quodã Ruteno occideretur. Sed post biennium regressus, splendidissimũ egit triumphum, populo triumphale exhibens conuiuium, mille mensis extructis. Cum uerò cum Augusto lustrum conderet, in Illyricum profecturus, reuocatur literis matris properis. nam & Augustus usq; in Campaniã eum prosequebatur: hunc spirantem adhuc reperit, licet id incertum sit. nam Liuia acribus custodijs domum & uias sepserat, donec omnia rectè prouideret. Sed eo mortuo, Romam reuersus, senatum conuocat iure tribunitiæ potestatis: perlecto q; testamento Augusti, maximos gemitus ac dolores simulauit, principatum pluribus recusans, multis precantibus senatoribus, pleriscq; ad genua procumbenti

uiueret, mox ortæ dissensiones fecerũt ut perpetuò secubaret, eiusq; tædio ab urbe secederet. In Rhodo autem existens nuncium accepit, ob libidines atque adulteria Iuliam uxorem damnatam, & repudium factum: quo nuncio mirum in modum lætatus: licet literis Augustum patrem precaretur, ut ei dona relinqueret. Cui tamen post mortem patris Augusti ne peculium quidem à patre concessum, quòd nil de eo testato cauisset, reliquit. Sed hanc interfecit Tiberius, teste Tacito. Ex hac Iulia uxore, priuignum habuit Caium, quem Augustus in filium adoptauerat cum Lucio. Nam Iulia post Agrippæ obitum Tiberio nupserat. Is cùm ad orientẽ missus esset ab Augusto, ex uulnere periit. Drusum naturalem filium Romæ amisit, morbo & intemperantia consumptum. Nulla enim alia re quàm uinolentia patrem regenerauit Drusus, si Plinio credimus, ebriosus ut pater. Sed Tacitus ueneno sublatum tradit, quod illi Seianus per Lygdum spadonem propinauerat. Germanicum filium adoptiuum in Syria perdidit, à Gn. Pisone ueneno peremptum, ut Iosephus tradit, & latissimè Tacitus in secundo scripsit. Vnde perturbatus animo secessum Campaniæ petijt, quasi nunquam rediturus Romam. Prohibuit insuper Tiberius omnes amicos filij sui ac familiares ante faciem suam accedere, ne recordatione filij luctus ac dolor innouarentur. Ex hoc Germanico natus est Caius Caligula, qui Tiberio mox in Imperio succesit, ut dicemus inferius. Ex Druso uerò naturali filio Tiberium habuit nepotem: utrosque suspectos habuit, cùm iam in odium incidisset hominum omnium. Ob id sæpè Priamum fœlicissimum iactitare solitus erat, quòd superstes omnium liberorum uixisset. Quemadmodum uerò Tiberius Gaium successorem principatus pronunciauerit, & quemadmodum adhortatus est eum ut Tiberium in partem principatus assumeret priusquam moreretur, elegantissimè Iosephus decimooctauo Antiquitatum tradit. Vbi & alia multa scribuntur, quæ sub Tiberio in Iudæa ac Syria gesta sunt. De quibus & Egesippus in secundo historiarum, & Eusebius tam in sacra historia quàm in temporum libro. Nam quæ Tranquillus in tertio, Orosius in septimo, Eutropius in septimo, Dion ac Sextus Aurelius scribũt, in aperto sunt. Vt interim neotericos consultò præteream. Sed tamen Cornelius Tacitus, cuius priores libri quinq; nuper reperti sunt, in primis uidendus est, qui in his quinque libris omnem eius uitam complexus est, & ea quæ sub eo Romæ gesta sunt. Ioannes etiam monachus diligentissimè & breuiter uitam eius perscripsit: qui pleraque, quæ longum nimis esset commemorare, in eius uita, digna tamen annotatu retulit. Quis enim omnia agglutinet, nisi superstitiosus? Operæprecium tamen censeo monstrare digito, ea quæ hic non continentur, ut quisque suo satisfacere possit desiderio. More tamen meo in calce, Ausonij tetrastichon subnectam:

Prænomen Tiberi nactus Nero, prima iuuenta
Tempora laudato gessit in Imperio.
Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro,
Quæ prodit uitijs, credit operta locis.

C. Cæsar.

CAIVS CAESAR.

CAIVS Cæsar filius Germanici, uiri omnium laudatissimi, & Agrippinæ, M. Agrippæ & Iuliæ filiæ, non Drusi filius, ut magno errore scribit Eutropius. nam Germanicus Drusi filius, fuit adoptatus à patruo Tiberio. Sed cùm omnibus uirtutibus esset redimitus, iubente Tiberio à Gn. Pisone ueneno sublatus est. Huius itaq; filius Caius fuit, qui Tiberio successit. Id in uita Tiberius præsentiens, ut latissimè in decimooctauo Iosephus describit, successorem principatus pronunciauit, licet Tiberium nepotẽ suum maluisset: intelligens ex ijs quæ ei obueniebant insperatò, non in hominũ potestate esse de Imperij cõstitutione decernere, sed maiestatis supernæ potentia. Lege illic miranda, quæ Iosephus scribit quintodecimo capite. Sed ut Suet. tradit, testamento Caium ex Germanico, & Tiberiũ ex Druso nepotes, hæredes æquis partibus reliquit, substituitq; inuicem: Tradũt quidam Tiberium, Caium puerum admodũ, & quæstura ornasse; & in Imperio substituisse, ignarum eius naturæ. Sæpè enim dicere solebat: Tu aliòs cotidie occidis, at te alij tandẽ interficient. Rursus alij tradunt, Tiberium substituisse in dignitate, ut huius crudelitate suam obtegeret sæuitiam. Et ob id antiquum usurpasse adagiũ: Me mortuo terræ ignis misceatur. Caius autem mortuo Tiberio, cui tabificũ ferebatur dedisse uenenum, Imperium assequutus, Caligula est (ut Aurelius inquit) cognominatus, quia in exercitu natus à calciamento militari dictus, & inter milites educatus. Existimo omnino caligas apud ueteres calciamẽti genus fuisse, simile huic quali nostro seculo Hungari utuntur, & Turci. Ex eo argumento, quia caligas clauis suffigebant, qui ob hoc Caligares nuncupantur, ut hodie nos uidemus innumeris clauis calciamenta Hungarica suffixa. Vnde Plinius sępenumero caligares clauos è ferro ac chalybe rubiginem ac marcorem contrahere scribit. Et Egesippus centurionem quendã Iulianum Hecatontarchum appellatũ tradit, propter clauos quibus creberrimis & acutis calceos fixos habebat. Quòd ergo inter milites habitu tali erat educatus, cognomen sortitus est Caius, militibus admodum carus. Vnde & Alumnus legionum dici uoluit, teste 12
Seneca: Caligulæq; nomen, conuicium & probrum esse nonnunquã existimabat. Hunc cùm olim Herennius Macro primipilaris Caium salutasset, iratus tanquam Caius dici nollet, sæuam suam atq; probrosam naturam in iuuentute adeò texit, ut post relegatam matrem suam Agrippinam, quæ in Pandataria insula perijt inedia, ac fratrum Neronis & Drusi calamitates, obliuiosum omnium rerum se simularet, cunctisq; obsequiosissimũ ueluti seruum præstaret: licet clàm ganea obambularet, & adulteria passim exerceret, adeò ut Tiberius diceret crebrũ, Se alere, Natricem & Phaëtontem sibi & Po. Ro. quod & acci 13
dit. Nam & Tiberium ueneno aggressus est, & spiranti adhuc puluinũ iniecit, cùm annulum è digito detraheret. Et in Po. Ro. omnem sęuitiã exercuit, ut meritò Phyton & serpẽs diceretur, cùm imperium fauore militum qui eum diligebant, esset assequutus. Sed & plebs urbana, ob memoriã Germanici patris, miserationemq; propè afflictæ domus, adeptum illi Imperium fauebat: imò irrita uoluntate Tiberij, Tiberio Gemello repulso cohærede, omnium rerum habenas cum summa lætitia Senatus accepit, cæsis innumeris uictimis. Ab initio principatus, quòd pietatem in cineres matris ac fratris, in patris, patrui, ac sororum omniumq; propinquorum memoriam exercebat, summè popularis extitit: amabaturq;, quòd monstrosorum libidinum autores urbe summouerat:
Scriptores uerò rerum gestarum, quos Tiberius aboleri iusserat, requiri ac lectitari permitteret, quòd magistratibus liberam iurisdictionem concederet cum mero Imperio, ut nostri loquuntur: uectigalia & census reformauit, tum incendiorum damna suppleuit: regnisq; multa auxilia dedit: populo congia-

rium ac epulum, multaq; spectacula exhibuit, & noua & prius non uisa, quæ la tè Tranquillus explicat. Quorum gratia nunc pius, nunc castrorum filius, nũc pater exercituum, nunc optimus Cęsar uocabatur. Tandem in tam uanam glo riam & eleuationem prolapsus est, ut se adorari appellariq; Latialem Iouem pateretur, uictimasq; ac hostias expeteret, constituens propria sibi sacerdo tia. Tum sæuitiã in omnes propinquos exercuit, in auiam proauiamq; : Tibe rium fratrem interfecit ueneno, socerum item Syllanum: tres sorores suas cõ stuprauit, & in insulas inde relegauit. Ptolemæum regis lubæ filium conso brinum suum necauit, senatores multos occîdit: equites ac matronas quo dam tumultu uiginti elisit. Concluſis nonnunquam horreis populo famem indixit: carceratos sine ulla pensitatione criminis ad supplicia duxit omnes, multos bestijs obiecit honesti ordinis, plures in metalla damnauit, plures diſ secuit. Ex leuibus autem causis hæc tormenta ijs inflixit, exulesq; iussit uni uersos trucidari. Hanc sæuitiam atrocitate & inuerecundia uerborum auxit, sæpè tragicum illud iactitans: Oderint dum metuant. & illud uerbum in ore habuit: Vtinam Po. Ro. unam ceruicem haberet. Optabatq; sæpè exercituum cædem, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ, ut sua tempora redderentur insigniora. Tantaq; usus malignitate ac superbia, ut statuas uiro rum illustrium ferè omnes deiecerit: parumq; abfuit quin carmina Homeri cõ bureret: Virgilium, quem nullum dixit habere ingenium, Liuiumq;, quem uer bosum appellauit, unà cum iureconsultorum scriptis deleret, extirparetq;. Ve tustissimis familijs sua eripuit insignia. Libidinis erat inexplebilis, ac luxuriæ portentosæ, qua in uiros & mulieres ita debacchabatur, ut præter sorores qui bus cum incestum commiserat, deperiret diobolare scortum, cui Pyralis no men erat. Sed omnibus honestis insidiabat matronis: quas ubi cum maritis ad cœnam uocatas uitiasset, palàm de concubitu in conuiuio differebat, earum has laudans, has uituperans. Cùm uerò & luxu, & conuiuijs, & balneis, ædifi cijsq; et sumptibus inutilibus, omnes eas quas congesserat Tiberius pecunias, & sibi successori reliquerat, summa prodigalitate consumpsisset ac decoxisset, tum animum ad rapinas conuertit, noua exquirens atque inaudita uectigalia, testamenta diuitum irrita faciens, reosq; una sententia quadraginta condem nans: sic turpes auctiones instituit, ut lucra corraderet, aceruosq; auri quibus se uolutaret maximos coëgerit. Vnicam fecit expeditionem in Germaniam, sed qua nullum memorabile Imperatoris boni ac strenui opus perficeret: mo litus trucidare nefando consilio legiones, sed prohibitus urbem ouans intro iuit: minatus electissimo cuiq; utriusq; ordinis necem, ac ingentia facinora me ditãs. Nam & post eius obitum duo libelli reperti sunt, quorũ unus Gladius, alter Pugio titulo uocabatur: in quibus nomina continebantur destinatorum morti, & arca ingens cum ueneno. In talem ergo feram ac crudelem bestiam, non hominem, conspirationes aliquæ detectæ sunt: ultima tandem per Chæ ream, Cassium tribunum, & Cornelium Sabinum facta, fœlicem sortita est exi tum. Nam cùm Caius pueros recognosceret repręsentaturos spectaculũ, atq; inspiceret, Chærea ceruici gladiũ à tergo immisit, ex aduerso pectus Sabinus traiecit, cadentem xxx uulneribus confecerunt. Cadauer tumultuario rogo semiambustum, leui cespite in hortis Lamianis obruerunt, donec sorores ab exilio reuersæ concremauerunt. Sic mortuus est anno ætatis uigesimonono, cùm imperasset triennio & decem mensibus, dies octo secundum Tranquil. cùm ab Orosio nõ plenis annis quatuor regnasse dicatur, quod idem penè est. Sic condignam necem assequutus est uir & ante imperium nequitia summus, libidinum mancipium, amicus delationis & calumniæ. In rebus arduis timi dus, potẽtiæ auidissimus, prodigus & decoctor, sed qui diuitias rapinis & iniquitatibus corrogaret, omnis uirtutis & amicitiarum immemor, quandoquidem maximis supplicijs illos affecit, qui suæ amicitiæ studuerunt: summum ho

stem

ſtem iudicans, qui quàm plurimis eſſet ornatus uirtutibus. Literas tamen amabat mediocriter, à puero in ijs benè inſtitutus: ſiue Græcè ſiue Latinè dicendum foret, non ineptus. Iudicij nõ uulgaris, & in alienis ſcriptis cenſendis ingenioſus atq; acerrimus. Habuit autem plures uxores. ante initium principatus habuit Iuniam Claudillam, M. Syllani nobiliſsimi uiri filiam, quam ex partu amiſit. Claudiam appellat Tacitus, quam cõiugio accepiſſe ſcribit, auo Tiberio Capreas diſcedenti comes exiſtens, immanem animum ſubdola modeſtia tegens, nõ damnatione matris, non exilio fratrũ, rupta uoce qualem diem Tiberius induiſſet pari habitu, haud multũ diſtantibus uerbis. Vnde mox ſcitũ Paſ- 15
ſienis oratoris dictum percrebuit, neq; meliorẽ unquam ſeruum, neq; deteriorem dominũ fuiſſe. Dehinc Enniã Næuiã Macronis, qui cohortibus prætorianis præerat, uxorem ſolicitauit ad ſtuprũ, aſſentiente tamen marito: matrimonium & iureiurando & chirographo promittens. qua re in amicitiam per hãc uenit cum Macrone, qui poſtea Tiberio, iuſſu Caij, uenenum porrexit. Adeò uterq; in necem Tiberij elaborarat. Poſt adeptum autem imperium accepit Liuiam Horeſtillam, C. Piſoni prius nuptam, quam è conuiuio abduxit, & mane gloriatus uxorẽ inſtar Romuli ſibi eſſe repertã. Hanc intra paucos dies repu *fortè raptã*
diatam, biennio pòſt relegauit: quòd repetiſſe prioris mariti Piſonis uſum medio tempore uidebatur. Quartam dehinc uxorẽ duxit Lolliam Paulinam, M.
Lollij, Caij filij, Auguſti Rectoris filiam, ante C. Memmio nuptam, qui conſularem exercitum regebat. Cùm facta fuiſſet mentio auiæ eius, ut quondam pulcherrimæ, ſubitò prouincia euocauit, ac perductam à marito coniunxit ſibi, breuiq; miſſam fecit, interdicto cuiuſquam in perpetuum coitu. Hanc Plinius ſcribit in Naturali hiſtoria lib. nono, ſe uidiſſe in ſpõſalium ceremoniarum cœna ſmaragdis margaritiſq; cooperta, alterno textu fulgentibus toto capite criniſbus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitiſq;. Nec dona prodigi principis illa fuerant, ſed auitæ opes prouinciarum ſpolijs partæ. Tandem Cæſoniam accepit, luxuriæ perditæ mulierem, quæ iam ex alio uiro tres habuit filias, neque pulchram, neq; iuuenem. Hanc tanto ardore amauit, ut pelta & galea armatam, iuxta ſe adequitantem militibus oſtenderet, amicis uerò nudam. Huic quondam ex ſomno expergefactæ gloriabatur, quantum lucri egiſſet, quòd ipſe interim dum ea meridiaret, ſupra quadraginta reos una ſententia damnaſſet. Ex hac filiam habuit Iuliam Druſillam appellatam, quam per omnium deorum templa circumferens, Mineruæ gremio impoſuit, alendamq; commendauit, ut Tranquil. tradit: ut uerò Ioſephus, in Capitolio Ioui obtulit, confirmans ſibi Iouiq; communem natam filiam, duos patres uni proli conſtituens. Hanc omnino ex ſe genitã illo demonſtrauit argumẽto, quod feritatem paternã imi- 15
taretur, cùm ludentiũ puerorum oculos infeſtis unguibus peteret. Huic filiæ, cùm adoleuiſſet, ciues pro uirili portione pecunias cõtulerunt nomine alimẽtorũ & dotis, cùm pater conquereretur de oneribus & patrijs & Imperatorijs.
A Cęſonia uxore credebatur medicamento amatorio potionatus, ut ualetudinẽ neq; corporis neq; animi integrã habuiſſe feratur, præſertim cùm puer ſępe comitiali morbo laborarit: & inſomnio uſqueadeò uexatus ſit, ut raro plus tribus horis nocte dormiret. Ob id uultum habuit natura horridũ, et ex induſtria tetrũ in terrorẽ formabat: quia oculos concauos cum temporibus excauatis in lata fronte geſtabat, eminẽtis alioqui ſtaturæ. Sed eo occiſo, perijt & unà uxor Cæſonia, à cẽturione Lupo gladio cõfoſſa, filia uerò parieti eſt illiſa: nefandiſſima tota ſoboles ac integra domus è medio ſublata eſt. Ex Ioſepho tamẽ deprehendimus, Caiũ primo anno Imperij ac ſequẽti magnificè rebus uſum, medio-
crẽ ſe exhibuiſſe, ut apud Romanos & alias gentes amplisſimus haberet: ſed procedente tẽpore, magnitudine dignitatis, humanũ perdidit intellectũ, & ſeſe uolebat diuinitate honorari. Poſt cuius mortem uidebatur reſp. ad priorẽ libertatẽ redire, & iterũ ſub cõſulibus degere: ſed fruſtra hoc eſt attentatũ. Nam

milites Claudium ui rapuerunt, & ad principatum euexerunt, ut pòst dicetur. Hæc de Caligula satis. Si quis plura cupiet, Tranquillum & Iosephum in decimooctauo & decimonono libris, ubi præsertim de eius cõiuratione plura scribuntur, Aurelium Sextum, Orosium cum Eutropio in septimo uideat, cum ijs quæ Eusebius lib. ij. historiæ sacræ, & in lib. temporũ colligit. At nos huius uitam Ausonij tetrastícho concludemus, more nostro.

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar
Succeßit, sæuo sæuior ingenio.
Cædibus incæstusq; dehinc maculosus, & omni
Crimine, pollutum qui superauit auum.

TIBERIVS CLAVDIVS

TIBERIVS Claudius Drusus, filius fuit Drusi Neronis, priuigni Augusti, & fratris Tiberij Imperatoris, ac Antoniæ minoris, quæ nunquã expuisse dicitur à Plinio: patruus Caligulæ, infans à patre relictus, uniuersam penè adolescẽtiam mala ualetudine conflictatam habuit, ut animo simul & corpore esset paulò hebetiori. Vnde & uecors à Sexto Aurelio dicitur: & ab Antonia matre sæpè portẽtum hominis dictus, quasi à natura inchoatus quidem, sed non absolutus foret. Auia Augusta pro despectissimo semper habuit, pariter & soror Liuilla. Augustus auũculus maior parui semper existimauit hominẽ. Tiberius patruus honorẽ ei consulatus abnegauit. Ideo in contubernio sordidorũ hominũ delitescens, ebrietatis & aleæ quoq; infamiã subijt. Quanquã apud ordinem equestrem, Senatumq; ipsum nõnihil fauoris & gratiæ haberet. Post cœnas enim frequenter obdormiscebat, & tum ossibus iaculabatur, tum ferula ac flagro excitabat, multisq; uexabatur stertẽs ignominijs: & penè à Caligula consulatu esset deiectus, cùm Neronis & Drusi, fratrũ Caij, statuas segnius locãdas curasset. Cùm uerò Caius iam occisus esset, & inter milites tumultus exortus, qui percussores inquirerent, totam urbem cõmouisset, timens ne & ipse raperetur ad supplicíũ, sese occultauit. Et ut Aurelius tradit, cùm Senatus censuisset gentem Cæsarũ exterminari, deformi latebra latens, repertus à militibus est. Gratus miles, teste Iosepho, præ obscuritate uix eum agnoscens apprehendit, & ad cõmilitiones adducens Imperatorem salutauit. Iste inquiens est Germanicus, eum cõstituamus Imperatorem. Ductusq; ui ad palatium urbis Imperator à militibus creatur: quando quidẽ priuatus mediocriter agebat inter omnes, ab omni turbarum inquietudine se subtrahens: sed amore militum quem in Germanicum habebant, summam rerum assequutus est. Cùm autem Senatus de communi libertate asserẽda cogitaret, multitudo uerò unum rectorem exposcebat, à militibus qui iureiurando fidem promiserant, Imperator est factus, anno ætatis quinquagesimo, promittens singulis quaterna dena sestertia. Et sic primus Cæsarum fidẽ militis prẽmio est pignoratus. Quales autem tumultus sint exciti inter milites qui Claudium Imperatorem eleuarunt, & senatores qui in Curia conuenientes de reparanda pristina libertate diu multumq; anxiè deliberarunt, & quo pacto accesserit consilium Agrippæ regis Iudæorũ, qui dolosè utrinq; Iudaico ingenio artem suam exercuit, Iosephus abundè explicat in decimonono, qui uidendus. Nam nõ possumus omnia afferre qui breuitati studemus & digito omnia demonstramus. Initio principatus (cùm esset imperiũ stabilitum, & præteritorũ indicta oblíuio, quæ græcis ἀμνηστία dicit, punitis paucis Caij cõiuratoribus) parentibus ac maioribus suis, auiæ ac fratri, cunctisq; propinquis diuinos honores instituit, sacrificiaq; in memoriã eorum cum ludis ac certamínibus celebrauit, honores uerò sibi illatos spreuit ac cõtempsit: & in cunctis tam ciuilem se gessit, ut breui spa

cio

cio omnium in se fauorem ac amorem traheret. Priuatis tamen insidijs infesta batur, ut quidam è plebe, quidam & equestris ordinis in eum cõspirarent: Qui nimo & bellum ciuile contra eum mouit Furius Camillus Scribonianus Dal matiæ legatus, quem exercitus Imperatorem elegit, Annio Vinicio procuran te, quòd Romani de moribus Claudij desperarẽt. Sed cùm die dicto in unum undiq; ad nouum Imperatorem conueniretur, neq; aquilæ ornari, neq; conuel li quoquo modo potuerunt. Exercitus tanta & tam inusitata miraculi fide mo tus & conuersus in pœnitentiam, Imperatorem Scribonianum quinto statim die destitutum interfecit, seq; sacramento prioris militiæ cõtinuit, ut Orosius scribit. Licet quidam scribant militibus non parentibus Camillo, manu se pro pria transuerberasse. Huius filium Furiũ Scribonianum tradit Cornel. Tacitus in exilium missum, quasi finẽ Principis per Chaldæos scrutaretur, unà cum ma tre Iunia. Sed exuli non longa uita fuit, siue sit ueneno extinctus, siue fortuita morte. Censuram intermissam reuocauit, & hanc gessit: in qua theatralem po puli lasciuiam, seueris edictis increpuit: Et lege lata sæuitiam creditorũ coher cuit, ne in morte parentum pecunias filijs familiarum fœnori darent. Ius labo- *fortè mori-* rioſè dixit, nonnunquam circumspectus & sagax, nonnunquam incõsultus ac *tem* præceps, interdum friuolus & amens: quod pluribus exemplis indicat Tran quil. Cùm olim Claudio essent decreta Triumphalia ornamenta à Senatu, arbi tratus principali Maiestati indigna, expeditionem in Britanniã sumpsit. Quã cùm in deditionẽ recepisset, sine ullo prælio ac sanguine, sexto demum mense reuersus est in urbẽ cum preciosissimo Triũpho: in quo multi illustres uiri ac nobiles fuerũt, qui Triumphum celebriorem reddidêre. Curã urbis tantam ha buit, ut cùm subortum esset incendium, duabus cõtinuis noctibus circa id ex cubauerit, proposita cuique mercede qui subueniret æquali cura. Annona e xistente arctiore, ob assiduas sterilitates, cogitauit hyberno tempore inuehen dos cõmeatus, suscepto in se damno si quid per tempestates accideret. De sup plendo senatu egit, & Heduos Gallos assumpsit: famosos probris immiti quadam seueritate Senatu amouit: ob id pater Senatus dictus, cùm alij Cæsares pa tres Patriæ dicerentur. Opera publica multa & magna magis quàm necessaria extruxit. Aquam Claudiam Romam introduxit, de qua re & Plinius & Fronti nus multa scripserunt. Spectacula & magnifica & inusitata edidit. Ad Sena tum super Collegio Aruspicum retulit, ne uetustissima Italiæ disciplina per de fidiam exoleſceret. Ludos Seculares fecit. Institutiones quasdam correxit, no uas sanxit, plerisq; indulgentissimus ac liberalissimus princeps. Nouas literas adinuenit, quæ usui eo imperante fuerunt, pòst oblitteratæ sunt. Sed liberto rum ac coniugis imperijs (teste Aurelio) ita subiectus fuit, ut Claudium fœ licem Pallantis fratrem legionibus ludęæ pręfecerit. Ad quem præsidem, Pau lum fuisse perductum, in Actis legimus Apostolorum. Quo de fide disputan te, ac de iudicio futuro, tremefactus est Felix. Qui successori suo, nomine Fe sto, ut Iudæis gratificaretur, reliquit Paulum uinctum. Huius Felicis & Euse bius & Iosephus, sed & pluribus Tacitus, meminerunt. Posidi eunucho, post triumphum Britannicum, inter militariũ fortissimos, arma insignia tanquã par ticipi uictoriæ dono dedit, hastaq; pura donauit. Polybiũ inter Consules me dium incedere fecit. Hos omnes anteibat Narcissus ab epistolis, dominũ se ge rens ipsius domini, Pallasq; prætorijs ornamentis sublimatus: adeoq; diues, ut causante eo inopiam fisci lepidissimè famoso elogio uulgatũ sit, abundè ei pe cuniam fore, si à duobus libertis in societatem reciperetur. His itaq; libertis ac uxoribus addictus, nõ principẽ se, sed ministrũ egit: horũq; studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est. Et, ut Sextus inquit, Li berti summã potestatem adepti stupris, exilio, cæde, proscriptionibus omnia fœdabãt. Fuit enim Claudius natura sæuus sanguinariusq;, tormenta quæstio nũ ac pœnas parricidarũ coràm aspiciẽs, gladiatorijsq; ac bestiarijs spectaculis

pluri-

plurimùm delectatus. Alioqui timidus, & ad omnia pauidus, ut initio Imperij nulla conuiuia inire sit ausus. Insidias temerè delatas adeò expauit, ut deponere imperium tentauerit. Ob id innocentes plures propter leues suspiciones occidit. Pari stultitia & ira exercuit, & inconsiderantiam, siue simulauerit, siue reuera obliuione captus. Plures damnatos postero die & in consilium & ad aleæ lusum admoueri iussit. Tantam negligentiam sermonis ostendit, ut nec quis, nec inter quos, quó ue tempore ac loco uerba faceret, scire ac cogitare existimaret. Alioqui liberalibus artibus à prima ætate haud mediocriter eruditus, & græcè doctus ac latinè. Historias latinas post necẽ Cæsaris in adolescentia orsus, ad sua usq; tempora quadraginta tribus libris, adiuuante Sulpitio Flauo, & adhortante Tito Liuio, deduxit. Græcas pariter historias scripsit, Cyreni con & Carchedoniacon uiginti octo libros. Vir cuius forma dignitatem auctoritatemq; præ se ferret: specie & canicie pulchra, corpore prolixo, nec exili, risu indecenti, capite tremulo, & ualetudine semper graui. Conuiuijs plus nimio deditus, uini cibiq; appetentissimus, usq; adeò ut sæpè stomachum uomitu cogeretur exonerare. Somni breuissimi, libidinis in fœminas profusissimæ, marium omnino expers. Aleæ perquàm studiosus. Cùm uerò signa pœnitentis & matrimonij Agrippinæ & adoptionis Neronis dedisset, ueneno ob hæc est tentatus: quod aliqui tradunt ab Agrippina ipsa boleto medicato, quem auidissimè comederat, oblatum, à Locusta uerò muliere ita præparatũ, ut mentem turbaret, & mortem differret. aliqui per Halotum spadonem prægustatorem in arce cum sacerdotibus epulanti submini stratum: quo extinctus est sexagesimoquarto ætatis, Imperij decimoquarto anno, ut Tranquillus: ut uerò Iosephus, annis tribus & decem regnauit, mensibus octo, diebus uiginti, quod penè idem est. Tacitus Xenophontem medicum ab Agrippina adhibitum refert, qui pinnam rapido ueneno illitam, faucibus eius demississe creditur, haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum prẹmio. Mors eius cælata, quum arte muliebri corrupti custodes ægrum simulant, donec circa Neronem successorem omnia ordinarentur. Dehinc funeratus est solenni principum pompa, & in Deorum numerum relatus, per Apotheosin. Habuit autem admodum adolescẽs sponsas duas, Aemiliam Lepidam Augusti proneptem, ex Paulo Aemylio Censoris filio & Iulia nepte. hanc uirginem repudiauit, quòd L. Paulus Augusti progener, qui pater fuit huius Aemiliæ Lepidæ, coniurauerat in Augustum. cuius coniuratio priusquàm inualesceret indicio detecta, ab Augusto compressa est. Alteram sponsam habuit Liuiam Medullinam, cui cognomen & Camillæ erat, è genere antiquo dictatoris Camilli. quam eo ipso die qui nuptijs erat destinatus, ex ualetudine amisit. Deinde uxores duxit Plauciam Herculanillam, triumphali patre natam, cum qua diuortium fecit ob libidinum probra & homicidij suspicionem. Genuit tamen ex ea filium Drusum Pompeium, quem puberem amisit, iactu piri crudeliter enecatum. cui ante paucos dies mortis suæ, filiam Seiani desponderat, & filiam Claudiam ex Liberto suo Botere conceptam: quamuis ante quintũ mensem diuortij natam, aliq; ceptam, exponi tamen ad matris ianuam, & nudam iussit abijci. Tum Aeliam Pætinam ex Tuberonum familia natam patre consulari, ex qua Antoniam filiam suscepit, ob leues offensas repudiauit. Sed post diuortiũ elaborauit fautore Narcisso, ut rursus nuberet Claudio, in cœlibatu uiuẽti ex obitu Messalinæ. Hæc tertia fuit uxor Valeria Messalina Barbati Messalæ cõsobrini sui filia, ob impudicitiã famosissima: quæ primò clàm, mox passim quasi iure adulteriis utebatur. Ex quo facto plures metu abstinentes extincti sunt. Deinc atrocius accensa, nobiliores quasq; nuptas & uirgines scortorũ modo secũ proposuerat, coactiq; mares ut adessent. Quòd si quis talia horruerat, adficto crimine in ipsum omnẽq; familiã sæuiebatur: ut magis uideretur sub Impe-
ratore uir, q; Imperatori nupta esse. Hęcita exarserat in amore C. Silij, omnium Roma-

Romanorum pulcherrimi, ut nõ furtim, sed multo comitatu domum eius uen
titaret, illiq; & honores & opes largiretur. Postremò ob magnitudinem infa-
miæ, nomen matrimonij cum Silio concupiuit, deturbata è matrimonio eius
Iulia Syllana nobili fœmina. Profecto itaq; Hostiam principe sacrificij gratia,
cuncta nuptiarum solẽnia celebrauit. Id cùm Narcissus Claudio renunciasset,
in hortis Lucullianis ictu à Tribuno transfixa est: quod timeret ne simul cum
uxore, quam alias ardentissimo amore cõplectebatur, Imperium quoq; amit-
teret. Occisa est aũt Messalina assidente matre Lepida, quæ florenti filiæ haud
concors, supremis eius necessitatibus ad misérationem euicta erat. Idq; epu-
lanti Claudio nunciatum est. Sed ille & tum & sequentibus pluribus diebus
neq; odij neq; gaudij, nec iræ nec tristitiæ, nec ullius humani affectus signa de
dit: siue accusatores aspiceret lætantes, siue filios mœrentes. Nam pater duo-
rum liberorum tulit ex hac Messalina filiam Octauiam, quam primò L. Sylla- 18
no desponsatam, qui se prætura abdicare coactus, moriq; initio anni iussus est,
Neroni priuigno suo collocauit: & filium quem primo Germanicũ, mox Bri-
tannicum nominauit. Iurauit dehinc se permãsurum in cœlibatu Claudius, sed
durauit minimè. Nam cõsilio Narcisi Aeliam Petinam, ex qua Antoniam ge-
nuerat, quæ Gn. Pompeio Magno qui confossus est, deinde Fausto Syllæ, no-
bilissimis iuuenibus collocata est, recipere cogitauit. Consilio autem Calisti
Loliam Paulinam, C. Cæsaris uxorem, quòd absq; liberis esset, ducendam co-
gitauit. quæ post Agrippinæ nuptias, iussa est Italia decedere. Præualuit ta-
men Pallas libertus, qui suasit ut Iuliam Agrippinam Germanici fratris filiam,
uxorem duceret: quæ illecebris etiam blandissimis, ac osculo quo cognati ute
bantur, in amorem sui pellexit Claudiũ, ut incestas nuptias celebraret. Ab hac
Agrippina Vbiorũ oppido, quò ueteranos coloniamq; deduci impetrasset,
quia illic genita erat, & eam gentem Rheno transgressam auus Agrippa in fi-
dem acceperat, nomen ex uocabulo ipsius inditum est. Quanquam autem cæ
teris quoq; ut facerent concessisset, nemo tamen exemplum sequutus est, præ
ter unum equitem. Nuptiarũ die in quinq; & xxx. senatores, trecentosq; equi
tes animaduertit, ut incestas nuptias funestas quoq; faceret. Nã & Sillanus die
nuptiarum sibi mortem consciuit, & Caluina Iunia soror eius Italia est pulsa.
Paulòq; pòst Neronem priuignum Domitij filium adoptauit, in nomen fami-
lię undecim iam natum annos, eiq; filiam Octauiam collocat: licet filium habe
ret naturalem Britannicum biennio minorem, quem Agrippina domi secum
detinuit, donec Burrus militiæ princeps Neronem ad castra militum circum-
ferret, à quibus Imperator fuit salutatus, qui postea Britannicum ueneno sustu
lit. Hæc ex Tranquillo, Eutropio, Sexto Aurelio, Orosio atq; Corn. Tacito:
utinam integer ad nos diligentissimus scriptor uenisset. Quæ uerò per præsi-
des Syriæ atq; Iudęæ fecit Claudius Imperator, ex Eusebij lib. ij. sacrę historiæ,
& Iosephi decimonono ac uigesimo libris requiras. Non erit iniucundum ui-
dere ludum de morte Claudij Cæsaris à L. Annæo Seneca conscriptum, qui
nuper est repertus. Huius igitur Claudij uitam tetrasticho Ausonij, ut consue
uimus, concludamus:

Claudius irrisæ priuato in tempore uitæ,
In regno specimen prodidit ingenij 19
Libertina ferens nuptarumq; improba facta,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

Nero

NERO CAESAR

ERO Cæsar filius fuit Domitij Aenobarbi, sceleſtiſsimi uiri, & Agrippinæ Germanici filiæ. Tam infœlici genitura editus in lucem, ut pater Domitius ex ſe atq; Agrippina, nihil quicquam niſi deteſtabile in perniciem reipub. poſſe naſci, apertè fateretur. Ob id Plutarchus de eo ſcribens inquit: Agrippina uerò filium habens ex Domitio Aenobarbo, nupſit Claudio, & ſimul filium in adoptionē dedit: qui poſtea Claudius Nero appellatus. Hic temporibus noſtris imperans, matrem necauit: nec multum abfuit quin flagitijs & amentia Romanorum ſubuerteret Imperium: quartus ab Antonio per gradus ſucceſſor. hæc Plutar. Nā Agrippina Domitij uxor & Neronis mater, filia fuit Germanici. Hic Domitius ex Antonia maiore filia Octauiæ & Antonij genitus fuit: ex hoc uerò Claudius Nero natus eſt, & apud amitā Lepidam enutritus, quia trimus patrē amiſit, ſub ſaltatore atq; tonſore educatus eſt. Sed cum undecimo ætatis anno à Claudio adoptaretur, Annæo Senecæ ſenatori in diſciplinam eſt traditus. Immanitatem mox exhibuit amitæ Lepidæ, quæ ſimultates cum Agrippina matre exercuerat, cui mors indicta eſt, Nerone eam ream accuſante. Britannicum Claudij filium, * ſubditiū apud patrem coarguit. Decimoſeptimo ætatis anno, cùm Claudius diem obijſſet, proſperū tempus à Chaldæis prædictū, medio diei ante Idus Octobris: Nero egreſſus eſt in publicum ad cohortes excubitorum, proq; Palatij gradibus Imperator ſalutatus, lecticæ impoſitus, & à militibus per caſtra in curiam delatus. Vbi & à patribus Imperator uocatus, multisq; honoribus eſt auctus. Futuri Imperij accepit præſagium, cum ſedenti Claudio Circenſibus ludis cum Britannico filio Claudij Troiæ ludicrum cum cæteris pueris nobilibus ageret, cùm uniuerſæ plebis fauor in ipſum inclinaret. Ferebantur & dracones eius infantiæ affuiſſe, tanquā uitæ cuſtodes: & ipſe haudquaquam ſui detractor, unam omnino anguem in cubiculo uiſam narrare ſolitus eſt. Præterea acceſsit populi inclinatio ex memoria Germanici, cuius ille reliqua ſoboles uirilis erat: & matris Agrippinæ miſeratio augebatur, ob ſæuitiā Meſſalinæ. His adiutus auxilijs, Imperator eſt factus. Tum Claudiū patrem apparatiſsimo funere elatum laudauit, & in deorum numerū referre præcepit, multis ei decretis cœleſtibus honoribus. Matri Agrippinæ ſummam rerum commendauit, in quam & cæteri omnes cumulabant honores. Primumq; quinquenniū liberalitate, clementia, ac comitate ita exegit, ut omnes principes ſuperaret: adeo, ut poſt Traianus dicere ſolitus ſit, procul diſtare cunctos principes à primo quinquennio principatus Neronis. Grauiora uectigalia aut aboleuit, aut minuit. Et cum quondā Burrhus prefectus cohortiū in duos latrones animaduerſurus, exigeret à Nerone ut ſe ſubſcriberet libello ſupplicij deputati, inuitus accipiēs chartā exclamauit: Quàm uellem neſcire literas. Quæ uox Neronis generoſa ac principe digna, Senecā commouit ut librum de clemētia Neronis ſcriberet. In omnes ordines tam clemens ac benignus, ut & ſalutantes ad ſe * mitteret, & uiciſsim eos memoriter ſalutaret: ſpectaculaq; uarij generis ediderit, ſumma cum liberalitate: declamauerit q;, ac carmina ſæpius in theatro recitauerit, cum magno uniuerſorum applauſu. Sed cùm ius diceret, ac ſententias pronunciaret, nihil temerè unquam fecit. Prauos mores emendauit, ſumptibus ſuperfluis modū adhibuit, quadrigariorum licentiam repreſsit, ædificiorum nouam formam inſtituit ac excogitauit: inſulares domos cum porticibus ac ſolarijs ad arcenda incendia (quibus obnoxia urbs erat) conſtruens. Multas leges bonas tulit: quibus falſarios coërcuit, ne teſtamentis fraus fieret. Augendi propagandiq; Imperij nulla fuit cupido, cum uix ob uerecundiam patris ſui abſtineret exercitum è Britannia educere. Pontum in prouinciæ formam redegit, Polemonis reguli permiſſu, à quo Pole-

fortè ſubditicium

fortè admitteret.

Polemoniacus pontus appellatus est: simili modo & Cottias Alpes, Cottio rege defuncto. Cùm uerò Alexandrinam meditatus esset peregrinationem, die profectionis ob tremorem nescio quem, dum templa ingrederetur, destitit ab incepto. In Achaia deinceps Isthmum perfodere aggressus, sed irritus eius conatus. Quemadmodum inanis erat ad Caspias portas expeditio. Sed quanquam hæc cum honore ageret, mox tamẽ Imperatoriæ dignitatis oblitus, sese Musices studio ita addixit, ut non modò nihil eorum omitteret quæ generis eius artifices, uel conseruandæ uel augendæ uocis gratia faciunt, uerumetiam in scenam prodire cõcupiuerit, & in theatro publicè cantauerit, ac id pluribus diebus, multos sibi eius sortis homines adiungens: cum quibus & certauit agonali certamine, quod à se institutum, Neronæum uocauit: ac Tragœdias plures cantauit, personatus theatrum ingressus. Flagrauit & aurigandi studio, ac citharizandi, adeò ut & coronas ex Græciæ agonibus sibi oblatas gratissimè reciperet. Quinimo & in Græciam profectus, Olympiæ præter cõsuetudinem Musicum agona commisit. In quibus, ut Philostratus scribit, ter uictor Nero fuit. Reuersus è Græcia triumphum agens, Neapolim, Antium, Albanum, & Romam introiuit in curru triumphali Augusti, coronatus & purpuratus. Paulatim petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatem aperuit ac detexit. Crepusculo pileatus popinas ibat, circumq; uicos uagabatur: obuios quosq; aut uerberibus aut uulneribus dehonestans, cloacisq; immergens, nũc tabernas effringere & expilare conatus, ut sæpe periculũ uitæ adiret. Die cùm seditiones pantomimorum in theatro orirentur, lapidibus & saxis ipse ita in populum iecit, ut prætoris consauciaret caput. Commessationibus ita inseruiuit, ut è medio die ad mediam noctem epulas protraheret, inter scortorum sedens cœtus & exoletorum. nam & pueris abutebatur, & nuptis. Virgini uestali Rubriæ uim intulit: Acten libertam ita deperibat, ut penè sibi matrimonio iungeret. Sporum puerum eunuchum ornamẽtis muliebribus excultum ad sese deferri iussit, & pro uxore habuit. Sic & Doriphorum libertum, quem Tacitus Pythagoram uocat, in coniugem accepit: & maritum suum, quum se mulierem affingeret, fecit: eoq; progressus est, ut neq; suæ neq; aliorum pudicitiæ parcens (testante Aurelio Sexto) ad extremum amictus nubentiũ uirgi 21
nũspecie, palàm conuocato Senatu, do te dicta, cunctis festa ex more frequentãtibus nuberet. Agrippinam matrẽ incestauit, ac contaminauit. Et cùm à Seneca (teste Tacito) admoneretur, ut matris insidias, mulieris atrocis ac imperioseq; caueret, meretricem Agrippinæ similimã inter concubinas recepit. Per cuncta autem flagitia uolutatus ac fœdatus, nihil flagitij reliquerat: prodigalissimus & effusissimus tam donando quàm ædificando, ut iam opibus exhaustus ac egens, ad rapinas animum intenderet, sacrilegijsq; templa Deorum spoliaret. Ac tum demùm ad crudelitatem se uertit. Nam Claudio mortuo, cuius necis adeò conscius fuit, ut boletos, quibus uenenũ is acceperat, Deorum cibum appellaret: Britannicum mox secum cœnantem, ueneno præparato à Locusta fœmina (cui ob hanc operam impunitatem & ampla prædia dedit) è medio sustulit. Cumq; ad primum gustum concidisset, comitiali morbo correptum ex consuetudine emẽtitus est. Tum matrem Agrippinam ueneno aggressus, cùm eam antidotis sentiret præmunitam, lacunaria parauit, quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent. Consilio illo patefacto per conscios, solutilem nauem excogitauit, cuius uel naufragio, uel camerę ruina periret, simulata reconciliatione ad se euocauit. Sed cùm nauis naufragio esset demersa, nando euasit. Id cùm per libertum Cæsari significaretur, in uincula coniectus libertus, percussores matri submisit, qui eam occiderent. Vt uerò Centurionem stringentem ferrum uidit Agrippina, uterum protendens, Ven trem feri, exclamat: Hic est hic est fodiendus ferro, qui monstrum tale tulit. ministrumq; rogauit, ut utero dirum ensem conderet. Tum ictibus multisq; uul-

neribus confecta est. Tum Nero perfecto scelere (ut quidã tradunt) spectauit intrepidus occisæ matris cadauer. Tum & amitam Lepidam, ex duritia aluí laborantem, ut largius purgarent medici, interfici iussit, eiusq; bona diripuit suppresso testamento. Multos præterea affinitate ac propinquitate sibi coniunctos, crudelissimè interfecit. ut A. Rubellium Plantium iuuenem, priuignum Ruffum Crispinum ex Popea impuberem, Tuscum Cecinnam nutricis suæ filium, Senecam præceptorem suum, Burrum pariter magistrum suum, libertos & senes multos ueneno sustulit, in quoscunq; pro libidine grassatus, nobilissimum quemq; exitio destinauit, ut in eorum capita malum depelleret, quod sibi immineb at: cùm cometa sex continuis mensibus appareret in cœlo, duæque coniurationes in eum iam forent detectæ, ac nullus deinceps adhibitus interimendi modus quoscunq; libuisset, quacunque de causa, ut longè lateq; recitat Suetonius: sed iam in senatores etiam ita desæuisset, ut eum ordinem è re pub. se sublaturum minaretur. Nec populo quidē ac mœnibus patriæ pepercit. Vrbem ipsam incendit, causatus ędificiorum deformitatem ac uicorum flexuras: durauitq; incendium illud sex diebus, & noctibus septem, quod è turre Mœcenatiana prospexit, Troianum incendium decantans scenico habitu. Conuicia quæcunq; patienter tulit. Sed cùm iam Galliæ defecissent, duce Iunio Vindice, ac mox Hispaniæ duce Galba, collapsus animo, cùm inter prandendum audisset Galbam salutatum Imperatorem ab exercitu, mensam subuertit: & ut Plinius inquit, duos calices crystallinos in suprema ira fregit: ac propè intermortuus, sine uoce iacuit. Dehinc furibundus in theatrum ad spectacula descendit, meditatus uniuersum Senatum ueneno per conuicia necare, incendere urbem, feris in populum immissis quò difficilius defenderetur. Sed desperatione deterritus, expeditionem contra Gallos parauit, cum summis populi exactionibus. Sed cùm annonę quoq; charitas esset, omnium inuidiam meruit. Varijs igitur angustijs & cogitationibus afflictabatur, crudelissimisq; somnijs molestabatur. Venenum itaque à Locusta sumens in aurea pixide, fugam moliebatur. Sed cùm ab omnibus derelictus esset, amicorumq; fores omnium conclusæ, nec quisquam repertus qui eo petente sibi ceruicem amputaret, præceps procurrit sese immersurus Tyberi. Sed cùm auocaretur à quodam liberto Phaonte, in uilla inter Salariam & Nomentanam uiam circa quartum lapidem, ubi audiuit se hostem à Senatu iudicatum, & ab equitibus inquiri, ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito, uel (ut Sextus Aurelius scribit) semet ictu gladij transegit, adiuuante trepidantem manum impuro illo eunucho Sporo, qui Neroni instar fœminę denupserat, ut superius scripsimus. Sic qui dedecorosè uixit, turpius perijt, anno ætatis trigesimo secundo, die quo quondam uxorem Octauiã interemerat, cùm tredecim annis iam imperasset & menses octo. Cuius mors tantum gaudium publicè præbuit, ut plebs pileata, quasi iam tandem assequuta esset libertatem, per totam urbem discurreret. Verùm ut diuus Augustinus in lib. Ciuitatis diuinæ uigesimo scribit, plericq; Neronem minimè occisum arbitrantur, sed subtractum, ut pateretur occisus & uiuum occultari in uigore ipsius ætatis, in qua fuit cùm crederetur extinctus, donec suo tẽpore reueletur et restituatur in regnum. Vnde nonnulli Neronem futurum Antichristum suspicati sunt. Quocirca scribit Tranquil. se adolescentem post uiginti annos seruum uidisse, quem Tacitus ex Ponto fuisse scribit, cithara & cantu peritum, oris lineamentis Neroni simillimum: qui se Neronem esse iactabat: à Parthis acceptus, sed à Calphurnio Asprenate postea occisus. Habuit autem Nero uxores tres: primam Octauiam, filiam Claudij principis, quam pater Neroni despondit post matrimonium Agrippinæ. Huius consuetudinem citò aspernatus, corripientibus amicis, sufficere illi debere respondit uxoria ornamenta. Eandem mox sæpe frustra strangulare meditatus, dimisit ut sterilem. Sed improbante diuortium populo, relegauit primùm

primùm in Campaniam, dehinc in insulam Pandateriam. Non alia exul fœmina uisentium oculos (ut tradit Cornelius) maiore misericordia affecit. Dehinc ei adulterium obijciens, multos subornauit: quos etiam tormentis compulit, ut Octauię adulterium faterentur. Tandem Anicetus à se dolo stupratam confinxit. Ob id mori iussa infœlix Octauia uinculis restringitur, uenæq; eius per omnes artus exoluũtur. Et quia pressus pauore sanguis tardius labebatur, prę feruidi balnei uapore enecatur. Hæc Octauia dedit Senecæ alteri materiam scribendi Tragœdiam, cui titulus est Octauia. Die uerò duodecima à diuortio Octauiæ, pòst duxit Poppeam Sabinam, Titi Ollij filiam, & equiti Ro. Ruffo Crispino antè nuptam: ex quo filium genuerat Crispinum, quẽ Nero occidit: quæ nomen aui paterni sumpserat illustri memoria Pompeij Sabini consularis & triumphali decore præfulgentis. Huic omnia alia fuêre, pręter honestum animum: sermo comis, nec absurdum ingenium, modestiam præferebat & lasci uia tamen utebatur. famæ nunquam pepercit: maritos & adulteros non distinguens, neq; affectui suo aut alieno obnoxia. Vnde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. Rarò in publicum progrediebatur: idq; uelata parte oris, ne satiaret aspectũ: uel quia sic decebat. + hunc unicè dilexit, quia luxuriæ magistra singularis erat. nam greges asinarum secum duxit, utpote quæ balnearum solium asinino lacte temperabat, quò cutem erugaret ac extenderet, canq; doremq; custodiret. Hæc grauida, ictu calcis afflicta est à Nerone, cùm in iracundiam esset ab ea prouocatus. Tulit tamen ex hac filiam Claudiam Augustam, quam intra quartum mensem amisit. Cùm deinceps Antoniam filiam Claudij ex Petina (ut diximus) quæ uxor fuit Cornelij Sullæ, sibi copulare peteret, ea uerò nuptias suas recusaret, iussit occidi: ac deinde Statiliam Messalinam, Tauri bis consulis ac triumphalis abneptem, tertiam uxorem duxit. Qua ut potiretur, uirum eius Atticum Vestinum consulem in honore ipso trucidauit. Hæc de Nerone scelestissimo Imperatore satis sint. Plura qui uelit, Tranquillum, Tacitum, Iosephum, Aurelium, Eusebium, Orosium atq; Eutropium adeat. Quæ in Iudæa sub Nerone gesta sunt, fideliter Eusebius in secundo atq; tertio historiæ sacræ, atq; Egesippus in secundo & tertio commentariorum explicant. Nos ijs contenti, subiungamus Ausonij tetrastichon.

Aeneadum generis qui sextus & ultimus hæres,
Polluit & clausit iulia sacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoq; crimina uitæ:
Disce ex Tranquillo, quæ meminisse piget.

CVm uerò in isto Nerone Iulia & omnis Cæsarum nobilis familia defecerit, quòd pulchro prodigio significatum scribit Plinius lib. xv. & in Galba Tranquil. ab initio, operæprecium mihi uidetur hoc loco, omnem familiam Cæsarum subiungere arbore quadam, qua uno conspectu totum illud genus innotescat, multaq; recondita hinc intelligantur. Nam sequentes tres principes, Galba, Otho, Vitellius, rectè ab Apollonio Tyaneo Thebani Imperatores dicuntur: quòd sicut Thebani breui admodum tempore Græciæ tenuerant principatum, ita isti paucis mensibus Romę imperauerunt, tanquam Tragœdiarum tyranni personam mutantes, qui se inuicem eliserunt sicut clauí clauos excutiunt. Sed aspice iam Lector Cæsarum pulcherrimam seriem.

C. IVLIVS CAESAR.

M. Actius:		Iulia, soror Cæsaris.
Octauius:		Actia, filia M. Actij.
Augustus fil.		
Tiberius Nero:		Liuia.
August. post hunc:		Liuia.
Tib. priuig. Augusti.		
M. Agrippa:	vxor,	Iulia.
Agrippina horum filia.		
Germanicus:		Agrippina.
Caius Cæsar horum filius.		
Drusus priuignus Augusti:		Antonia.
Claudius Cæsar horum fil.		
Domitius Aenobarbus:		Agrippina, filia Germanici.
Nero horum filius.		

SERGIVS GALBA.

SERGIVS Galba Imperator, filius fuit Galbę Sulpitij uiri consularis causidici, & Mummiæ Achaiæ neptis Catuli, proneptísq; L. Mummij Achaici, qui Corinthum excidit. Nam & Caium habuit filium, qui sub Tiberio à proconsulatu prohibitus, uoluntaria morte obijt: & Liuiam Ocellinam alteram uxorem duxit, diuitem & pulchrã, cùm ipse gibber esset. Ab hac sua nouerca fuit Sergius Galba adoptatus, & Liuius dictus: eiq; Imperiũ fuit denunciatum, licet serum, per Augurem, dum auus suus fulgur procuraret: somniumq; ipse habuit de fortuna fœliciſsimum, eiusq; simulachrum æneum reperit, quod postea dedicauit. Tacitus præterea in quinto commemorat præsagium Tiberij de Sergio Galba, tum consule cùm L. Sulla, quem accitum & diuersis sermonibus pertentatum, postremò Græcis uerbis in hanc sententiam alloquutus, Et tu Galba quandoq; gustabis Imperium: seram ac breuẽ potentiam significans, scientia Cladęorũ artis, cuius adipiscendę ociũ apud Rhodum, magistrũ Trasillũ habuit. Et Augustus puero Galba existente dixisse fertur, cùm inter æquales salutaturus Cæsarem uenisset: Et tu fili Imperio nostro adhæreas. In adolescentia liberalibus disciplinis & iuri operam dedit. Obseruauit aũt ante omnes Liuiam Augustam, cuius & uiuæ gratia plurimùm ualuit, eiusq; opera ex palatio processit ad Consulatum: & mortuæ testamento penè ditatus esset, ni fraude Tiberij fuisset impeditus. Honoribus ante legitimũ tẽpus perfunctus, prętor ludos Florales exhibuit. Dehinc prouincię Aquitaniæ anno ferè præfuit. Mox Consulatũ per sex menses ordinarium gesit. in militari aũt disciplina tam seuerus erat, ut ueteranum ac tyronem militẽ assiduo opere corroboraret: ita seuerè militem tractans, ut eo ingresso in castra, uulgaretur statim, ut & Aurelius Sextus scribit: Disce miles militare, Galba est, non Getulicus. Post necem Caij à Claudio in cohortem amicorum receptus, Africam proconsul biennio obtinuit, extra sortem electus: quã ita moderatè gubernauit, ut inter paucos laudatus sit, ut Plutarchus scribit: quia inteſtinam dissensionem & barbarorum tumultu inquietam, seueritate & iustitia coërcuit. Ob res igitur diligenter in Africa & olim in Germania gestas, triumphalia ornamenta accepit, & sacerdotium triplex inter Quindecimuiros, sodalesq; Titios, item Augustales cooptatus. Post hæc ab urbe semotus, in secessu uixit: donec ei oblata Tarraconensis Hispania. quam ingressus, signa accepit futuri Imperij. Octo enim annis prouinciam rexit. Primùm acer & uehemens in puniendis

dis delictis, paulatim in desidiam segnitiemq; conuersus est, ne quid materiæ Neroni præberet. Ob id Tacitus tradit, quòd segnitia in Galba uocabatur sapientia, tanquam minus suspecti sint principibus desidiosi & segnes. Cùm uerò Iulius Vindex, qui Gallijs præfuerat, & à Nerone primus defecerat, Galbam adhortatus literis esset, ut se humano generi assertorem ducemq; accommodaret, quoniam augurijs ac ominibus fatidicisq; carminibus significaretur, Proditurus est ex Hispania Imperator: non diu cunctatus, conditionem 24
suscepit: cùm neces damnatorum à Nerone pro tribunali cum deploratione status temporum, militibus pronunciasset. A quibus cùm consalutatus esset Imperator, legatum se Senatus ac populi Romani professus est. Et ut se ostenderet senatorias partes sequi, Senatoriamq; maiestatem tutari, quosdam elegit ex primoribus, qui apud illum essent loco Senatus, legionesq; & auxilia super exercitum ueterem conscripsit: singulosque obtestatus, ut communem causam iuuarent: licet propè exinopinato cuncta turbata essent, quòd quidam pœnitentia ducti, alienati sunt: & nonnulli à liberto Neronis ad fraudem præparati, penè occidissent Galbam. Et orta in Gallijs tumultu in exercitu Vindicis ac Virginij, cùm Vindex occidisset, consternatus ex Galba: quia rumor uulgatus erat, cunctos uelle Virginium imperare. Pauefactus igitur Virginium precatus est, ut secum simul Romanum Imperium libertatemq; tutaretur: affectusque pœnitudine rerum cœptarum, secessit Cluniam oppidum Celtiberiæ, cum desiderio pristini ocij ac quietis. Interim ab urbe nuncij ueniunt, Neronis mortem significantes: quibus recreatus, Cæsaris appellationem assumpsit: paludatus, militaribusq; ornamentis indutus, iter ingressus, moliebatur ut Nymphidius Sabinus + prætoris præfectus ac Caligulæ spurius, à *fortè prætorij.*
militibus occideretur, dum se Imperatorem declarare contendit. Et in Germania Capito Fonteius legatus, ac in Aphrica Clodius Macrus trucidarentur, qui Nymphidio opem pollicebatur. At Galbam Senatus oratores circa Narbonem urbem Gallicam offendentes, hilariter salutauerunt: rogauerũtq;, ut se uoluntarium desideranti populo ostenderet. Cùm uerò sæuitiæ eius ac auaritiæ præcessisset fama, quòd ciuitates quasdam Hispaniarum Galliarumq; grauioribus tributis oppressisset, non admodum gratus fuit eius in urbem aduentus: ac tum potissimùm, quòd ad officium remigandi eos redire coẽgerat, quos Nero olim ex remigibus legitimos milites classiarios fecerat: quodque Germanorum cohortem, à Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisq; experimentis fidelissimam, dissoluit, ac sine ullo commodo remisit in patriam. Plutarchus tradit, remiges illos clamantes in itinere obtriuisse, ac permultam cædem, totq; cadauera, in urbem, haud fausto auspicio, ingressum: horribilemq; omnibus ac formidabilem factum, quanquam senem infirmũq;. erat enim annos natus tris & septuaginta. Ob id imperium maiore adeptus est fauore ac autoritate quàm gesserit. quanquam enim multa documenta egregij principis daret, nequaquam tamen grata erant: quia trium regebatur arbitrio amicorum, ac consilio, quos unà & intra palatium habitantes, ac assiduò adhærentes, pædagogos uulgò uocabant. Inualidum enim senem Galbam T. Iunius & Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignauissimus, odio flagitiorum oneratum, ac contemptu, destruebant. T. Iunius legatus in Hispania, cupiditatis immensæ fuerat: Cornelius Laco ex assessore præfectus prætorij, arrogantia socordiaq; intolerabilis. Tertius erat libertus Itellus, qui primus Galbæ nuncium ex urbe in Hispaniam attulerat, de morte Neronis, & quòd Imperator esset à Senatu decretus. Ob id annulis aureis ab eo donatus, & Martiani cognomine ornatus, primæ potestatis erat. His tribus se abutendum permittens ita tradidit, ut uix sibi ipsi cõstaret: modò acerbior parciorq;, modò remissior ac negligentior, quàm conueniret principi electo, atque illius ætatis. Quosdam uiros illustres Senatorij ac equestris ordinis, inauditos suspi-

cione minima cõmendauit. Rarò liberalitatem in ciues Romanos exhibuit, ni
24 si anguſtam, & quodam tempore præſcriptam. Beneficia à Cæſaribus data iu-
dicibus eripuit: erepturus & equitibus & ſenatoribus officia, nec daturus niſi
inuitis ac recuſantibus. Liberalitates Cæſarum priſtinas ſuſtulit, ac libertis ſuis
addixit. Quibus etiam ut gratificaretur, uectigalia, immunitates, pœnas inno-
centum, & impunitatem noxiorum donauit. Cùm uerò Po. Ro. Haloti ſpado
nis, & Tigillini, Neronis emiſſariorum, ſupplicium ardentiſsimè peteret, Halo
tum procuratione ampliſsima ornauit. Tigillinum non diu uicturum, tabido
morbo ſeneſcentem excuſauit. Vnde & Tigillinus, cùm Ouinius apud Plutar
chum, quem Tacitus ac Tranquillus T. Iunium appellant, uxorem accepiſſet
illius filiam quę Iudęa erat, ei propinauit quinquaginta & ducenta milia argen
teorum: iuſsitq; mulierem quæ pellicibus præerat, ut monile à collo oblatum
(quod argenteorum quinquaginta & centũ milium eſſe dicebatur) illi circum
aptaret. Hinc inuidiam Cæſar Galba meruit, & etiam moderatè geſta calum-
niam habebant, offenſis propè uniuerſis ordinibus. Apud milites uerò præci-
pua flagrauit inuidia, quos nulla largitione donauit, ſed inani ſpe decipiebat.
Vnde cùm quondam iactaret, ſe legere militem, non emere conſueſſe, tam
graui odio ſunt accenſi erga eum, quaſi non ſolos eos ipſe priuaret, ſed legem
cæteris daret quoque Imperatoribus, ut undiq; tumultuarentur, & occultatã
maleuolentiam detegerent. Commouit enim & prætorianos metu & indigni
tate: qui ut ſuſpectos ac Nymphidij ſocios amouit, & Germanos qui ſub Vir-
ginio in Gallia depugnabant, fruſtrabanꝰ ſpe ſua: utpote qui ob eam pugnam
qua Vindex periit, remunerationem magnam ſperantes, ex liberalitate Galbę
nullam conſolationem conſequebantur. Ob id rupere fidem, ſacramentum mi
litare reijcientes, Imperatoremq; in Hiſpania factum palàm diſplicere concla-
mabant. Quod ubi accepit, nõ tam ſenectam quàm orbitatem ſibi obfuturam
arbitratus, Piſonem Frugi Licinianum, egregium iuuenem, filium appellans a-
doptauit: cuius fama & nobilitas erat notiſsima. Egregium quidem iuuenem,
generoſum, prudentem, mitem, M. Craſſo ex Scribonia genitum: uultu habi-
tuq; moris antiqui, recta interpretatione ſeuerum, deterius interpretantibus
alijs apprehendit, ac in caſtra perduxit. Sed nullum militibus de more donati-
uum prębuit. Quo faciliorem occaſionem aſſequutus M. Saluius Otho, intra
ſextum adoptionis diem occupandi Imperij & trucidandi Galbæ negocium
ſuſcepit. Nam & portenta plurima acceſſerant, quæ exitum talem portende-
rent. Et cum aruſpex Vmbricius ſacrificantem moneret ut periculum percuſ-
ſorum, qui propè eſſent, caueret: mox intelligit, caſtra ab Othone occupari.
Sumpta lorica, quanquam parum profutura aduerſus tot mucrones, in forum
uſq; proceſsit: à conſpiratoribus perſuaſus, oppreſſos eſſe qui tumultum exci-
taſſent, aduentare gratulabundos qui Othonem occidiſſent. Equites uerò eo
conſpecto incitati, eum contrucidarunt: quibus etiam fertur ultrò iugulũ ob-
tuliſſe. Trucidati & cum eo Piſo filius adoptatus in templo Veſtę, & T. Iunius,
& alij plures, ut latè Tacitus narrat. Relictus autẽ ad lacum Curtij, miles grega
rius caput amputauit, & ad Othonẽ detulit. Qui illud haſta ſuffixum, cum ludi
brio circumferendũ lixis calonibusq; donauit. Quod deinde laceratũ & mul-
tis contumelijs affectum abijciebatur. ſerò truncum corpus ſepultum eſt à di-
ſpenſatore Argio in hortis eius Aureliæ uiæ. Sic periit tertio & ſeptuageſimo
ætatis anno, imperij menſe ſeptimo, Galba Cæſar, uir iuſtæ ſtaturæ, capitis cal-
ui, & cœruleis oculis. Qui in uniuerſo corpore, morbo articulari conflictaba-
tur: homo cibo & potu & libidine præpoſtera luxurioſiſsimus: ex nobili alio-
qui Sulpitiorum genere oriundus. Qui neque familia, neque diuitijs, multis
Romanis eſſet inferior ſed pleroſque anteiret: quiq; Imperatorum quinque ui
xiſſet imperia, cum honore & gloria adeò, ut gloria magis quàm uiribus Nero
nem ſuſtulerit è medio, alienoq; imperio fœlicior quàm ſuo. Vnde eleganter

de eo

de eo scribens Cornelius: Vetus (inquit) in familia nobilitas, magnæ opes, ipsi Galbæ medium ingenium magis extra uicia quàm cum uirtutibus. Famæ nec iniurioſus, nec uendicator, pecuniæ alienæ non appetens, ſuæ parcus, publicæ auarus: amicorum libertorumq́, ubi in bonos incidiſſet, ſine reprehenſione patiens: ſi mali forent, uſque ad culpam ignorans. Sed charitas natalium & metus temporum obtinuit, ut quod ſegnitia erat, ſapientia uocaretur. Dum uigebat ętas, militari laude apud Germanias floruit. proconſul Africam moderate iam ſenior, citeriorem Hiſpaniam pari iuſtitia continuit: maior priuato uiſus, dum priuatus fuit: & omnium conſenſu capax imperij, niſi imperaſſet. Vnicam habuit uxorem Lepidam, qua mortua, & duobus ex ea filijs amiſsis, induci nō potuit ut amplius uxorem duceret. Licet Agrippina uiduata morte Domitij plurimùm ſolicitaret, etiam dum maritus adhuc eſſet Galba, & à Lepida iurgio manuq́ pulſaretur. Cætera lector require in Plutarcho, Tacito, Tranquillo, Aurelio, Oroſio, ac Eutropio. de quo hoc cecinit Auſonius tetraſtichon:

Spem fruſtrate ſenex, priuatus ſceptra mereri
Viſus es, imperio proditus inferior.
Fama tibi melior iuueni: ſed iuſtior ordo eſt,
Complacuiſſe dehinc, diſplicuiſſe prius.

OTHO CAESAR.

OTHO Imperator, filius fuit L. Othonis uiri illuſtris, & ſub Tiberio, cui perſimilis fuit, clariſsimi: ac Albię Terentię ſplēdidiſsimę fœminæ, quę & L. Ticianū fratrem Imperatoris ex eodem peperit. Vir ſplendidis ortus maioribus ex oppido Ferētino, cuius pater conſularis, auus prætorius: maternū genus impar, nec tamen indecorū, ut ait Tacitus. A prima adoleſcentia prodigus ac procax, adeò ut ſæpe flagris obiurgaretur à patre. Noctu uagabatur, inualidum quemq́ obuiorum uerberans. Patre defuncto, libertinam aulicam anum amauit, ut per eam Neroni inſinuaretur. Cui mox cognitus pergratus erat, ſimilitudine ac congruentia morum. Et ut aliqui tradunt, conſuetudine mutui ſtupri: breuiq́ apud Neronem tanta potentia creuit, ut omnium conſiliorum ſecretorumq́ particeps fuerit. Cùm uerò crebrò in conuiuijs immodicè formam & elegantiam Poppeæ, quam à marito tum Otho abduxerat, Neroni laudaret, irritamentis talibus in amorē Poppeæ exardeſcēs Nero, ſub prętextu legationis in Luſitaniā Othonem miſit: quanq́ ut depoſitum, priuſquā Octauiā amoliretur Nero uxorem, Otho ſępe ui tenuit, Nerone excluſo foris. Poppeā quoq́ acri Neronis amore abutens ad ſuperbiā, dictitabat ſe nuptam eſſe Othoni, qui animo & cultu magnificus foret: cùm Nero aſſuetudine anillæ Actes deuinctus, nihil traxiſſet ex contubernio ſeruili, niſi abiectū & ſordidum. Ob id Nero ne in urbe eius æmulus eſſet prouincię Luſitanię hunc præfecit, quam decē annis quæſtorius ſumma moderatione ac ſingulari abſtinentia adminiſtrauit. Cùm aūt Galba defeciſſet à Nerone, oblata occaſione ultionis, primus Otho acceſsit ex ducibus ad partes Galbæ. Et quantum auri argentiq́ habebat in poculis, argentario id omne dedit, ut inde nummi fierent, quos miniſtris Galbianis enumerauit, fecitq́ue iter multos dies cum Galba: eodemq́ue momento & ipſe ſpem imperij concepit, tum ex conditione temporum quæ tumultuoſa erant, tum ex prædictione Seleuci mathematici, qui imperium ſibi futurum denunciabat, ut Tranquillus ſcribit. Plutarchus & Tacitus mathematicum Ptolemæum appellant, niſi idem ſit qui Ptolemæus Seleucus dicebatur. Omni igitur officio atque ambitione uſus, militum animos demerebatur, atque beneficio deuinciebat: affabilitateq́ ac militari promotione militibus ſeſe ita inſinuauit, ut palàm omnes prædicarent hunc ſolum ſucceſsione imperij dignum. Sperabat autem adoptionē à Galba, ad quam T. Iu-

nius, qui magnæ potentiæ apud Galbam erat, pro uiribus Galbam induxerat. Sed postquam Piso prælatus ei est, ad uim conuersus, conspirationem iniit: ad quam & magnitudo æris alieni eum impulit, qui se nisi principem uiuere non
27 posse asseruit. Duobus itaque (si Tacito ac Plutarcho credimus) licet Tranquillus quinq; tradat, prouincia hæc cõmissa est, Proculo Tesserario spiculatori, et Veturio Optioni: quos precio & promissis onerauit, data pecunia ad perdendos plurium animos. Hi duo igitur manipulares imperium populi Romani susceperẽt transferendum, & transtulerunt. Nam Otho, & si in cœna Gal
28 bam in palatio destinasset aggrediendum, distulit tamen in sextum diem post Pisonis adoptionem: ac præsens Galbæ sacrificanti, cùm aruspicis uerba audisset, se inuisere antiquas ædes simulans, quas architectus iam inspexerat, abiit: & in castra delatus, Imperator est passim ab omnibus salutatus. quibus uicissim pollicitus est omnia, sese tantum habiturum id quod sibi reliquissent. Exacto q; per scelera die, Senatum ingressus, quasi raptus de publico, & suscipere imperium ui coactus, gesturusq; communi omnium arbitrio, palatium petit: multis honoratus gratulantium & blandientium adulationibus. Decreta ei tribunitia potestas, & nomen Augusti, & omnes principium honores, à plebe etiam Nero appellatus: quod nomen non recusauit, sed quibusdam epistolis ad prouinciarum præsides etiam subscripsit. Sed ea nocte quæ necem Galbæ secuta est, à laruis dicitur molestatus ac perterritus, & ante lectum prolectus. Cùm uerò post cæsum Galbam sacrum faceret, in quo exta inauspicata portendebant, pœnitens sumptus & operę frustra insumptæ fertur dixisse (teste Dione) Quorsum attinebat me longis tibijs canere? Quæ uerba in uulgi fabulam abierunt, cùm sumitur inanis opera. Olim enim in sacris longis tibijs cani solitum est: qui mos postea sublatus, authore Plutarcho. Interim exercitus Germanicus facta coniuratione contra Othonem, in Vitellij uerba iurauit, quem Imperatorem in castris eligunt. Hoc ubi comperit, Senatui persuadet, ut legatio ad Vitellium mittatur, quæ doceat electum iam principem, horteturq; ad quietem ac concordiam. Otho literis Vitellium consortem Imperij, generumq; sese offert. Sed aduersus dijs atq; auspicijs, expeditionem incho
auit. Et dum classiarios à portu Hostiensi euocat, tantus excitatur tumultus, ut omnes penè senatores obruissent. Sed neque religione neque prodigijs motus, magna temeritate bellum, quod alij trahi suadebant (quoniam fame & angustijs locorũ urgebat ut hostis) præpropere atq; impigrè cum magno ardore inchoauit, ipse Brixelli oppido Italiæ circa Padum substitit. Sic igitur bellum ciuile molitus, tribus primùm leuibus prælijs, hoc est, uno apud Alpes, alio circa Placentiam, tertio circa locum quem Castoris uocant, contra Vitellianos duces congressus, uictor exitit. Quarto apud Bebryacum fraude superatus est, cùm spe colloquij facta, quasi ad conditionem pacis militibus eductis, ex im-
consultatione prouiso & in ipsa + consalutatione circumuenitur. Vnde tędio ciuilis belli, nõ desperatione, quando integræ legiones ex Dalmatia, Pannonia & Mœsia expectabantur, mortem meditatur, captato secreto. In quo binos codicillos consolatorios ad sororem, quæ Druso Germanici filio nupserat, & ad Messalinam Statiliam Neronis, scripsit. Fratrem Saluium Ticianum, cui urbis curam permisit, fratrisq; filium Cocceium adolescentem cohortatus ut sibi quisq; pro facultate consuleret. Diuisit pecunias deinde domesticis: & cùm duos pugiones arripuisset, explorata utriusq; acie, alterum puluino subdidit, quo post somnum se uno ictu infra læuam mamillam interfecit, trigesimo octauo ætatis anno, nonagesimoquinto imperij die, apud Veliternam funeratus. Vir ab adolescentia semper mollis & effœminatus, & munditiarum penè muliebrium, & imberbis. Cui minimè tam uirilis mors & Romana conueniebat, adeò ut plerique eum laudibus efferentes mortuum, palàm dixerint, & Galbam non tam dominandi quàm pristinæ libertatis causa restituendæ à se occisum: duobusq;

facino-

facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonæ famæ, quantum malæ. Idcirco multi milites, pedes ac manus iacentis exosculati cum lachrymis, haud procul à rogo seipsos interfecerũt: Multi etiam absentes accepto mortis nuncio, præ dolore uim suæ uitæ attulerunt. Plura quisquis de eo scire cupit, Tacitum, Plutarchum, Trãquillum, Dionem, Orosium, Eutropium, Aurelium adeat. Nos Ausonij tetrastichon subiungamus de more.

Aemula polluto gesturus sceptra Neroni,
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit, qui morte decora
Hoc solum fecit nobile, quòd perijt.

A. VITELLIVS.

AVLVS Vitellius, L. Vitellij clari uiri & ter consulis filius, ex Sextilia probatissima fœmina, infœlici genitura editus, adeò ut pater magnopere semper contenderit, ne qua ei prouincia se uiuo committeretur: mater uerò plurimùm lamentata sit, cùm Imperatorem esse à legionibus proclamatum audierit: quoniam Capreis inter scorta Tyberiana primam adolescentiam egit, Spintria cognominatus. Dehinc omnibus probris contaminatus, præcipuum in aula locum tenuit, Caio per aurigandi, Claudio per aleæ studium, Neroni per + citharœdos & musicæ certamina familiaris. Quorũ trium principium indulgentia, non solùm honoribus, uerùm & sacerdotijs amplissimis auctus, proconsulatum Africæ obtinuit. In qua singularem innocentiam præstitit biennio continuato, cùm fratri succedenti legatus fuisset. Vrbanum dehinc officium & curam publicorum operum administrauit. In quo dona & ornamenta templorum surripuisse, & commutasse pro auro & argento stagnũ & aurichalcum ferebatur. Cùm uerò uentri esset deditissimus, à Galba inferiorem Germaniam prouinciam adeptus est contra omnium opinionem. Cogitabat enim Galba, nullos minus metuendos, quàm qui de solo uictu cogitant: cũ epularum largitas, minimè cum sapiẽtia copuletur. Et quemadmodum aliena uirtus regibus est formidolosa, ita desidia minimè metuenda. Putabant pleriq; Vitellium à T. Iunio adiutũ, qui sub Galba potentissimus erat, ut superius scripsimus, adeò ut magis contemptu quàm gratia esset electus. Erat aũt tanta egestate oppressus, ut quia uiaticum deerat, ex aure matris detractum unionem impignoraret ad itineris impensas, domumq; suam locaret, positis liberis suis cum uxore in meritorum cœnaculũ: uixq; à creditoribus abire permissus est. Sed cùm aduentaret, ab exercitu perbenignè susceptus, cùm prodigalitas eius omnibus esset quàm notissima. Hanc etenim nouis indies experimentis auxerat, comis supra modum, & facilis, par ignominiosis, damnatis & reis, quibus nihil intulit molesti: nec quicquam poscenti negauit. Quare uixdum mense transacto, neque diei neq; temporis habita ratione, ac iam uespere subitò à militibus è cubiculo raptus, cùm cibi esset uinicq; meridiani plenus, primùm à Fabio Valente unius legionis duce, Imperator salutatus est. Assensit uoluntati militum, qui eum & Germanicum dixêre. Quòd ab uniuersis delatum cupidè recepit. nam Cæsaris nomen recipere noluit, si Plutarcho credimus: si Suetonio, in perpetuum recusauit. Augusti uerò nomen distulit. Tum ab uniuersis militibus in Colonia Agrippinensi per celeberrimos uicos circumlatus, Imperatorq; acclamatus ab utriusque Germaniæ legionibus, consternatisq; quòd eius caminus incẽdio flagraret: Bono, inquit, animo estote, nobis hæc flamma illuxit. Paulo pòst cũ annũciata esset Galbę cędes, ut Othonẽ uersus quasdam 29

copias

citharœ

copias mitteret, exercitum partitus est. Prodigijs multis fidem plusquàm certam præstitit, Bebriacensi uictoria elatus. Cùm Othonis audisset mortem, prætorianos exauctoratos iussit arma tradere Tribunis: quiq; ob cædem Galbæ præmium ac munera poscebant, iussit ut interficerentur, ut summi ac optimi principis spem ostenderet. Priusquam in urbem ueniret, in ciuitatibus omnibus ac uillis more triumphantis circumlatus, in fluminibus delicatissimis naui gijs usus, profusissimos undique apparatus fecit: nulla disciplina militem petulantem coërcens, licet rapinas, uerbera, plagas, indiscriminatim in obuios quosq; sine delectu exerceret. Adeò apud illum erant omnia indisposita, temulenta, peruigilijs ac Bachanalibus quàm disciplinæ & castris promptiora. Videns campos quibus pugnatum est, optimè olere occisum hostem, detestabili uoce iactitauit: plurimùm meri hauriens, passimq; diuidens, ad odoris grauitatem leniendam: inanibusq; uerbis usus, & in Othonis sepulturam, & pugionem quo se interfecerat. Paludatus dehinc præcedente classico urbẽ introijt cum armato exercitu, diuina humanaq; iura hinc commiscens. Die Alliẽsi omino so & infausto pontificatum maximum in se recepit, pari amicorum libertorumq; socordia, magistratusq; qui quotannis creari solent, in decem annos ordinauit, ut amplius non opus esset ullis comitijs. Tum in medio Martij campi inferias Neroni dedit, adhibitis sacerdotibus, & parato conuiuio, in quo cytharœdus Neroniana cantica personauit. At cùm arbitrio histrionum ac aurigarum gubernaretur, consilioq; horum magnã imperij partem administraret, pronus fuit ad necem cuiusq; & supplicium, minimam ob causam. Nobiliores condiscipulos & æquales suos ad imperij societatem pellectos blanditijs, occidit, uario genere fraudis: unum qui febre laborauit, ueneno in frigido aquę potione perdidit, plures ense. Nulli publicanorum aut stipulatorum, qui à se debitum olim aut in uia portorium exegissent, pepercit. Sed unum cùm coràm in ipsa salutatione interfici iussisset, pascere se oculos dixit. Etcùm alter mactaret, duos filios pro patre deprecãtes supplicio adiecit. Sed neq; ordini equestri pepercit. Equitem raptum ad pœnam clamantẽ audiuit, se esse scriptum ab eo hęredem: ubi & libertum eius cohęredem legit, utrũq; iugulari iussit. In plebeios desæuit passim. Mathematicos urbe Italiaq; submouit. Suspectus & de matris morte Sextiliæ, quę paucis antè diebus opportuna morte excidiũ domus prę uenit: et nihil è filij principatu assequuta, nisi luctum et bonã famam. Memor enim prędictionis Mathematicorũ, cùm Imperatorem filium appellatum audisset, & qui se Germanicũ scriberet, dixit: à se non Germanicũ, sed Vitellium genitum: nec in gaudium euecta, quin quũ domus suæ tantum aduersa sensit. Ob id tędio pręsentiũ & imminentium metu, quidam uenenum à filio sumpsisse scribunt. Licet alij eã sustulisse credunt, quod à quadã fatidica muliere acceperat, diutissimè eum imperaturum, si superstes parenti extitisset. Oblectabatur liberto Asiatico ob nimiam libidinem mutuam, quem sæpè reiecit, & rursus in delicijs habuit: uendidit, & iterum surripuit: ac tandem equestri dignitate ornauit: luxuriæ, libidini ac delicijs ita deditus, ut uentri omnem operam dare genitus uideretur. Epulas ferè quotidie quater sumebat, cibis exquisitissimis usus, & esculentis delicatioribus: quæ non nisi summis maximisq; impensis, è remotioribus locis ac æquoribus comparari poterãt: adeò, ut rectè sensisse Egesippus putetur, qui scribẽs de eo, Si diutius (inquit) uixisset, luxurię sumptibus & precio mensarum Romani imperij opes abliguriſſet. Intẽpestiuę enim ac tam sordidę gulę fuit, ut ne in sacrificio quidem sibi temperarit, quin inter altaria farra rapta è foco mandaret: & in itinere circa popinas semesa pridianaq; comederet. Talis erat Vitelliana uorago atq; ingluuies, & ut Cornelius tradit, epularũ fœda & inexplebilis libido, cùm ex urbe atq; Italia irritamenta gulę & in castra gestarentẽ, strepẽtibus ab utroq; mari itineribus: exhausti cõuiuiorũ apparatibus principes ciuitatum, uastabãtur ciuitates, degenerabat à labore ac uirtute

tute miles assuetudine uoluptatum & ducis contemptu. Helluantem itaq; imperatorem destituerunt octauo imperij mense, Mœsiarum ac Pannoniæ exercitus, tum Iudaicus ac Syriacus, qui & absentes & præsentes in Vespasiani uerba iurarunt. Hoc ubi resciuit, ut cæterorum studium ac fauorem retineret, omnia largitus, sine modo, sine mensura, blandimentis usus erga milites, Imperatoriæ dignitati indecentibus. Sed cùm perurgeret hostis terra mariq;, L. Vitellium fratrem, parem uicijs, sed principatu eius uigilantiorem, cum exercitu misit: cui uxor erat Triaria, ultra fœminam ferox. Sed tum Vitellianus exercitus ab Antonio primo, qui acerrimus erat Vespasiani propugnator, apud Cremonam in primis superatus est. Dehinc Cecinna Vitellianus dux in partes Vespasiani transijt, relicto Vitellio, Fabiusq; Valens Vitellianus item dux in mari captus est. Ob id sæpe inter duces Vespasiani ac Vitellium ipsum tractatum est de pace: se depositis armis, uelle se ac liberos Vespasiano permittere: uolebatq; imperio cedere, si suorũ mentes flectere potuisset: qui reclamabant, horabanturq;, ut potius per uirtutẽ ultimum effunderet spiritum, quàm per ludibrium & contumelias se Vespasiano committeret. Id cùm iterum iterumq;, & sordidatus militibus, & multis cum lachrymis sæpe dixisset, pollicentibus omnibus extremam operam, animum resumpsit, Flauiumq; Sabinum fratrem Vespasiani cum reliquis in Capitolium fugere compulit. illud quoq; incendit, incendiũq; inter epulas è domo prospexit. Epulabatur enim, ne moriturus prandium amitteret: & uini poculis ita se obruebat, ut sensum amitteret futuri uel opprobrij uel periculi. Sed mox pœnitens facti, pugionem consuli Celio Simplici tradidit, quasi iure necis, uitæq;. Sed aspernante consule et reclamantibus qui astiterãt, discessit, ueluti positurus in æde Cõcordiæ. Cùm uerò nondum concordia clamaretur facta, in palatium, cùm bellum nunciaretur in latebras confugit, paucis comitibus pistore & coco comitantibus. Tandẽ cùm hostilis exercitus irrupisset in urbem, qui omnia rimaretur, è latebra extractus, mendacio primùm elusit quærentes, qui eum non agnoscebant. Deinde cognitus religatis post terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, laniata ueste seminudus in forum trahitur: licet instantissimè peteret carcerem, quoad Vespasianus in urbẽ ueniret: multis increpantibus, fœdo spectaculo, nullo illachrymante, quibusdam stercore & cœno incessentibus, alijs incendiarium & patinarium uoci ferantibus: quibus ita insultantibus liberali uoce respondit, se tamen Imperatorem esse. Ad Gemonias tandem scalas raptus, numerosis ictibus cõfossus interijt. Et inde unco tractus est in Tyberim. Tum & frater L. Vitellius, & filius Vitellij, interfecti sunt. Perijt anno uitæ septimo & quinquagesimo, imperij mense octauo. Habuit autem uxores duas, Petroniam scilicet Cõsularis uiri filiam, & ex ea filium Petronianum captum altero oculo. Hunc hæredem à matre sub conditione institutum, si de patris potestate exijsset, manumisit: & ut creditur, breui interemit insimulatam parricidij, quasi paratum ad scelus uenenum habuisset. Petroniam autem quòd Dolobella post eum uxorem duxisset, interfici iussit: proiectam humi iugulat, magna cum inuidia noui principatus. Duxit deinde Galeriam Fundanam prætorio patre genitam, ex qua utriusq; sexus liberos tulit, sed marem titubantia oris prope mutum & elinguem. Cui post occisum Othonem, infanti adhuc, uniuersum exercitum occurrere iubet: perlatum & paludamẽto opertum sinu retinens, Germanicum appellauit, cinxitq; cunctis fortunæ principalis insignibus, ut Tacitus tradit. Sic A. Vitellius Imperator occubuit, consulatum, sacerdotia, nomenq; inter primores nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. Nam qui eidem principatum detulêre, ipsum non nouerant. Quali uerò prælio à Vespasianis ducibus sit deiectus, et quo pacto sit bellatum, lõgè lateq; Corn. Tacitus: sed & Tranquillus, Orosius, Sext. Aurelius, Eutropius cætera prosequuntur. Si extaret Plutarchus integer, & huius Vitellij & Neronis gesta, quæ & à se scripta reliquit, copiosius

30 30

sius intelligeremus. Quærendi sunt codices paulò diligentius, & inuestigandi libri, ne pereant antiquorum labores. Vtiq; omnium illorum Cæsarum uitas conscripsit, si eius scriptis quæ extant fides habenda est. Sed nos tetrasticho Ausonij concludamus, more nostro.

Vitæ sors mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fueris Cæsar: sic sibi fata placent.
Vmbra tamen breui imperij, qui præmia regni
Sæpe indignus adit, non nisi dignus habet.

FL. VESPASIANVS.

FLAVIVS VESPASIANVS filius fuit Sabini ex antiqua Flauiorum gente, & Vespasiæ Pollæ, filiæ Vespasiani Pollionis, ter Tribuni ac Præfecti castrorum: natus in Sabinis, & sub Tertulla auia paterna educatus in Ethruria, quam mirum in modum amauit. Et ut eius sibi memoriam seruaret, è poculo eius argenteo festis diebus potare perseuerauit. Vnde Sabinus pater, cùm in suburbano suo Flauiorum quercum antiquã Marti sacratam uidisset, per tres Vespasiæ coniugis suæ partus (nam Sabinum, Vespasianum, & filiam puellulam Pollam peperit) singulos repentè ramos à frutice dedisse, quorum primus exilis fuit, & citò arefactus imo, puella annum nõ peregit in uita. Secundus uerò cùm prævalidus ac prolixus foret, magnam sibi fœlicitatem portendere cõiectatus, Sabinum filium, qui domi militiæq; clarus ad præfecturam urbis processerat, significare credidit. Cùm autem tertius ramus ad arboream amplitudinem crescceret, Vespasiano filio Imperatorium fastigium portendi arbitratus est. Imò matri suæ Sabinus, hoc est, auiæ Tertullæ nunciauit, nepotem ei Cæsarem genitum: quæ mox in cachinnum soluta, filium delirare mirabatur, cùm ipsa senex mentis adhuc compos esset. Sed patrem ostenta illa non deceperãt. nam per omnes magistratus gradus ac dignitates ascendens, tandẽ ad Imperatorium fastigium euectus est. Accepta uirili toga, cùm iam frater eius Sabinus Senator esset, uix à matre impelli poterat contumelijs, ut Senatoriam peteret dignitatem, quam ueluti onerosam recusauit. Tum Tribunus militũ in Thracia, Quęstor in Creta ac Cyrenis, pòst Aedilis, Prętor sub C. Caligula, ludos pro uictoria eius Germanica edidit. Sub Claudio principe legatus legionis in Germaniam missus est: in Britanniam translatus, tricies
31 & bis cum hoste conflixit. Insulam Vectem Britanniæ proximam Romano Imperio adiecit. Quare et triumphalia ornamenta, duplex sacerdotium, consulatum & proconsulatum meruit. Vespasiani enim uirtute factum est, ut scribit Iosephus, ut Claudius de Britannia sine proprio sudore triumpharet. Tacitus scribit proconsulatum in Aphrica egisse famosum, inuisumq;. Tranquillus integerrimè administrasse tradit. Et Sillius: Compescet ripis Rhenũ, reget impiger Aphros. Sed ex omnibus ijs magistratibus nihilo factus est ditior. Cùm in Achaica peregrinatione inter Neronis comites ipsum cantantem negligenter audiret, in indignationem incidit, ab eoq; discessit. Sed mox Iudęa prouincia ei oblata est, in qua tribus legionibus bellum Iudaicum administrabat. Cùm uerò Florus procurator Iudææ, auaritia ac immanitate bellum inflammasset, impulissetq; Iudæos contra Romanos arma ut capesserent (nam rumor percrebuerat tum è Iudæa profecturos qui rerum potirentur: quod Iudęi pro se interpretantes, Sabinum præsidem & Mutilium præfectum Romanorum, ac Gallum uarijs pręlijs debellarunt, fugaruntq;) ut hic motus comprimeretur, cum ampliore exercitu in Iudæam missus est Vespasianus, dux strenuus & industriæ singularis: qui acceptis ad copias duabus legionibus, & alarijs militibus

litibus multis, cum filio maiore Tito, castigata castrorum disciplina, ciuitates Iudęę in se conuertit, multisq; pręlijs se Imperatorem strenuissimum exhibuit. Vnde mox cùm plurima sibi ostenta euenirent, spem concepit Imperij, cùm occiso Galba, Othonem uideret atq; Vitellium de principatu contendentes, quãdoquidem & somnia & oracula futuri Imperij undiq; accepit. Et Iosephus dux belli Iudæorum captus, cùm à Romanis interficiendus duceretur, arctiori meq; custodiretur, Vespasiano prænunciat mortem Neronis, eumq; futurum Cæsarem & filium Titum denunciat. Sed, inquit, me arctius colligato, & ad maiorem pœnam custodito, si in te ista confingo. Hic postea opera Titi uinculis exutus, septem libros Iudaicæ captiuitatis Imperatoribus patri ac filio obtulit, qui publicę bibliothecæ traditi sunt. Et ob ingenij gloriam dehinc Romæ statuam meruit. Sed plura licet auguria imperium Vespasiano denunciarent, nihil tamen attentauit, donec sui milites & amici ipsum instantissimè extimularent ac perurgerent: quibus tamen se indignum esse respondit, ciuilia detestatus bella. Versabat enim animo, quot quantaq; bella oritura essent, cùm Mœsiaci exercitus (qui tamen absens fauorem ultrò obtulit) & Illyrici ignoraret cogitationes. Reluctantem igitur cogunt ut capessat imperium. Quinto igitur Idus Iulij, Iudaicus exercitus iurauit, quum iam Calendis Iulij Tiberius Alexander præfectus Aegypti legiones in uerba Vespasiani adegisset. Et legiones Mœsiacæ, cùm iam omnium legatorum nomina qui legionibus præerant proposita essent, ex omnibus nullum potiorem esse duxerũt Vespasiano, quẽ crearent Imperatorem. Noluerunt enim inferiores esse ijs qui in Hispania Galbam, qui in urbe Othonem, & qui in Germania elegerant Vitellium. Adiuuit & negocium Syriæ præpositus Licinius Mutianus, deposita simultate, quã olim cum Vespasiano habuit. Et Vologesus Parthorum rex, quadraginta milia sagittariorum ultrò promisit. Præmissis itaque in Italiam copijs, ipse Alexandriam transijt, ut claustra Aegypti obtineret. Vbi & fœlicia auspicia in Serapidis templo excepit: & quendam oculis orbatum, inspuitione sua, ac dum calcaret alterum debili crure claudum, pristinis sanitatibus restituit, adhortantibus sic eum amicis. Moxq; aduenêre literæ, fusas esse ad Cremonam Vitellij copias, ipsumq; in urbe interemptum nunciantes. Bella uerò ciuilia in Italia gesta, abundantissimè Tacitus describit. Qui narrat quoque Iulium Sabinum, proiectis Romani fœderis monimentis, Cæsarem se salutare iussisse, magnamq; & inconditam popularium turbam in Sequanos rapuisse. Nec tamen Sequani detrectauêre certamen. Fortuna melioribus affuit: fusi Lingones, Sabinus festinatum temerè bellum pari formidine deseruit, utq; famam exitij sui faceret, uillam, in quam perfugerat, cremauit. Illico uoluntaria morte interijsse creditus, nouem tamen annos miris artibus latebrisq; cum Epponina uxore, rari exempli muliere, & amicis quibusdam uitam traduxit. Vespasianus autem in urbem reuersus, nihil habuit charius aut melius, quàm afflictam nutantemq; rem stabilire & ornare: militum licentiam ad nimiam audaciam progressam, reprimere: prouincias & ciuitates tumultuosius agentes, coërcere: disciplinam militarem eneruatam, corrigere ac castigare. Egit splendidissimum cum Tito filio de Iudæa triumphum, cuius pompam Iosephus libro septimo Iudaici belli latissimè exequitur. Tum Achaiam, Lyciam, Rhodum, Bisantium, Samum insulam adempta libertate, Tracheam, Ciliciam, & Commagenem ditionis regiæ usq; ad id tempus, in prouinciarum formam redegit. Cappadociæ, ob assiduas Barbarorum incursiones, & legiones, & consularem Rectorem dedit. Vrbem incendijs & ueteribus ruinis deformem, reparauit: permissa ædificandi copia uolentibus, ubi domini locorum deerant. Capitolium incensum paulo antè cùm Sabinus in illud confugeret, restituit. Vt æreæ tabulæ, quibus publica monumenta continebantur, cùm deflagrassent in Capitolio, restituerentur ex exemplaribus undique quæsitis, curauit. Instru-

mentum imperij uetuſtiſsimum confecit, quo continebantur penè ab exordio urbis Senatuſconſulta, plebiſcita, de ſocietate et fœdere, ac priuilegio cuicũq; cõceſsis. Poſt triumphũ et Romani Imperij firmiſsimum ſtatum, templum Pacis mira celeritate, & artificum clariſsima opera, extruxit: cuius et Ioſeph. & Plin. & Martialis, & paſſim alij meminerunt. Condidit & amphitheatrum media urbe. Ordines, Senatorium ac Equeſtrem, ciuilibus bellis exhauſtos, ſuppleuit & refecit. Ex Italicis & prouincialibus honeſtiſsimos quoſq; allexit. Vt tamẽ cuiq; ordini tam dignitatem ſuã quàm libertatem traderet: lites exurgentes ob tumultuoſa tempora miro ingenio ſedauit. Per ſortitionem enim eligebantur præfecti rerum reſtituendarum, quæ bello Vitelliano à militibus raptę fuerant. Et quum multitudo eſſet cauſarũ ac litium, inſtituit Iudices qui cognitione extraordinaria de cauſis centumuiralibus dijudicarent. Et hãc ita multitudinem monſtroſam ad breuiſsimum redegit numerum. Libidinem ingraue ſcentem, & fœneratorum in filiosfamiliàs duriciem, nouis legibus coërcuit. In alijs uſque ad uitæ finem, & clemens & modeſtus fuit, utpote qui ne mediocritatem quidem familiæ ſuæ diſsimularet: irrideret autem eos, qui Herculem generis ſui conditorem ac parentem per adulationem ementirentur: ſeq́ue ipſum accuſaret, quòd ſenex triumphandi honorem concupiſſet. Nam & Tribunitiam poteſtatem, quæ pars maxima Regalis erat imperij, & Patris patriæ appellationem ſerò recepit: modeſtus in omnes, & amicos ſalutantes, & philoſophos contumaces. Ferebat enim patienter amicorum motus, contumelijs eorum, ut erat facetiſsimus, dictis iocularibus reſpondens. Cùm enim Licinius Mutianus (quo adiutore imperium adeptus erat) fiducia meritorum inſoleſceret, ſeq́; ſocium magis imperij, quàm miniſtrum ageret: inceſſu, excubijs, uim principis amplectens, nomen remittens, adhibito aliquo utriq; familiari Veſpaſianus dixit, Mutiane, noſti me uirum eſſe. Quo uerbo Mutiani inſolentiam repreſsit. Vt olim Demetrium Cynicum oblatrantem canem appellaſſe, quòd neque aſſurgere, neq; Cæſarem ſalutare dignaretur, ſatis habuit. Ac inter cætera bona, ut tradit Aurelius Sextus, illud ſingulare Veſpaſiano fuit, Inimicitias obliuiſci: adeò ut Vitellij hoſtis ſui filiam, locupletiſsimè dotatam, ſplendidiſsimo uiro coniungeret: inſtrumentóque dotali & ſupellectile matronali excoleret. Et cùm olim à quodam magiſtro admiſsionum ſub Nerone prohiberetur aula Veſpaſianus, iubereturq; Morboniam abire, Cæſar factus, nulla in hunc uſus uindicta alia, niſi ut ijſdem uerbis hunc quoque iuberet Morboniam abire. Solum Heluidum Priſcum, quòd ſe contemneret, & in omnibus edictis, prætor exiſtens, ſine honoris præfatione ſemper Veſpaſianum nominaret, in ordinem redactum, dehinc interfici iuſſum, magni æſtimauit ſeruare quoquo modo, ob eius uirtutem: miſſis qui percuſſores reuocaret. & ſeruaſſet, niſi iam periſſe falſò nunciatum eſſet. Nullius ítaq; cæde unquã lætatus eſt. Quinimo & iuſtis ſupplicijs ſæpe ingemuit, ſæpe illachrymauit. Sola pecuniæ cupiditate meritò culpatus, adeò ut teſte Tacito, prorſus ſi auaritia abeſſet, antiquis ducibus par foret. Licet Aurelius hoc prauè à quibuſdam creditum tradat, quòd Veſpaſianus infirmus fuerit aduerſus pecuniam. Hoc tamen palàm tradit Suetonius, quòd uectigalia uetera reuocauerit ſub Galba omiſſa, noua & grauiora addiderit, prouincijs tributa auxerit, duplicauerit́q; : negociationes etiam priuatas exercuerit, non ſine pudore: reos ac procuratores locupletiores condemnauerit, ac pro ſpongijs uſus fuerit, ut dicere ſolebat. Ob id quidam natura cupidum, quidam neceſsitate ob inopiam ærarij, & clades urbium, impulſum ſcribunt. Nam & per omnes terras qua ius Romanum eſt, renouatæ à Veſpaſiano urbes ſunt cultu egregio, quę aut terræmotu, aut incendio afflictę corruerãt: & pleroſq; conſulares inopes iuuit cenſu ſenatorio, liberaliſsimus planè in omnes. Rhetoribus ac poẽtis tã Græcis quàm Latinis primus è fiſco annua ſalaria conſtituit. Ingenia &

nia & artes uel maximè fouens. Donauit enim quondam Saleium Baſſum po
ętam quingentis ſeſtertijs. Nec minus liberalis in artifices fuit, utpote qui Co-
loſſi refectorem, à quo coloſſus centum & ſeptem pedum altitudinis erectus
eſt, munere imperatorio donauit, alijſq; mechanicis inſignioribus pręmia mul
ta dedit. Ludos & ſpectacula edidit, conuiuia celebrauit honorifica & pluri-
ma. Inſtitutum uniforme omni imperio tenuit, teſte Aurelio, uigilare de no-
cte, publicisq; actibus abſolutis, charos admittere, dum ſalutatur calciamenta
ſumens & regium ueſtitum. Pòſt autem negocijs, quęcunq; aduenijſſent, audi
tis, exercere ſe uectatione: deinde requieſcere, accubante aliqua concubinarũ.
Poſtremò ubi lauiſſet, remiſsiore animo conuiuium curabat. In quo ſemper co
mis ac hilaris, multa iocoſa tranſegit. Dicaculus & penè ſcurrilis: pluribusq; fa
cetijs, quæ etiam extant, et quibuſdam etiam Græcis carminibus ſatis tempe-
ſtiuè ac ſalſè uſus, quæ latiſsimè à Tranquillo enarrantur. Nam & in periculo
ac metu mortis extremo, iocis non abſtinuit. Cùm enim honor deûm Princi-
pi non antè detur, quàm agere inter homines deſierit, tentatus & agitatus mi-
nutis alui lubricæ motionibus, cum creberrimo frigidæ aquæ uſu inteſtina ui-
tiaſſet, ualetudinemq; urgentem perſentiſceret, dixit, Credo me mox futurum 33
deum: ac ſi mortem ſibi ioco denunciaret. Et ut Sextus ſcribit, ſerijs ioca qui-
bus delectabatur admiſcens, interijt. Cùm enim legationes audiret, cubans (ut
imperatorijs fungeretur muneribus) aluo repentè ad defectionem ſoluta, Im-
peratorem ait ſtantem mori oportere. Itaque uentris profluuio feſſus & aſſur-
gens, inter ſubleuantium manus extinctus eſt, ſexageſimo & nono ætatis an-
no, ſupra menſem ac diem ſeptimũ, imperij uerò x. Vir ſtaturæ quadratæ, mem
bris q; compactis & firmis, & ualetudinis proſperrimæ: quam & abſtinentia et
frictione tuebatur. Et qui militia acer, agmen anteire, & locum caſtris capere,
& noctu diuq; conſilio, ac ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti ſolebat, cibo
fortuito, ueſte habituq; uix à gregario milite diſcrepans. Habuit autem uxo-
rem Flauiam Domicillam, Flauij Liberalis ſcribę Quæſtorij filiam: ex qua tres
liberos tulit, Titum, Domitianum, & Domicillam. Quorum genituram ita co
gnitam habuit, ut cùm multę coniurationes contra eum fierent, eas patefactas
ingenti diſsimulatione contẽpſerit. In Senatu dixit, aut filios ſibi ſucceſſuros,
aut neminem. Vxorem ac filiam priuatus adhuc amiſit. Poſt uxoris obitum,
Cenidem Antoniæ libertam adamauit, habuitq; penè iuſtæ uxoris loco, Impe
rator iam principatum aſſequutus. In huius defunctæ locum pellicis, dehinc
plurimas conſtituerat, quarum familiaritate & in balneo & in triclinio & dum
geſtaretur utebatur. Tam bonum principem Reſpub. tyrannorum ſæuitia e-
xanguis, poſt Auguſti mortẽ annis ſex & quinquaginta, ne penitus corrueret,
aſſequuta eſt, ut Aurelius docet. De quo ſi quis plura ſcire uoluerit,
Tranquillum, Aurelium, Oroſium, Eutropium, Egeſip-
pum, atq; Euſebium, Philoſtratum & Dionem
adeat, qui deſiderata docebunt. Nos
Auſonij apponemus te-
traſtichon.

Quærendi attentus, moderato commodus uſu,
Auget, nec reprimit Veſpaſianus opes.
Olim qui dubiam priuato in tempore famam
Par alijs princeps tranſtulit in melius.

T. VESPASIANVS

TITVS Vespasianus, Vespasiani Cæsaris & Domicillæ filius, natus est eo anno, quo C. Caligula Cæsar occisus est. Et in aula cum Britañico simul educatus, sub eisdem magistris ac eisdem disciplinis, tanta familiaritate à cunabulis ei coniunctus, ut cũ ex eadẽ uenenata potione, qua Britannicus periit, biberet, graui morbo diu afflictaretur. Vnde postea memor rerum gestarum, ei auream statuã collocauit, equestremq; alteram ex ebore. Inerant autem puero plures animi corporisq; dotes, quæ simul cum ętate creuerunt, ac gratiã cum autoritate cõpararunt. Forma scilicet egregia, robur decẽs in mediocri statura, memoria singularis, docilitas immẽsa ad omnes disciplinas idoneas: Græcæ, Latinęq; linguę adeò peritus, ut siue oraret siue poemata fingeret, facilè sine labore & pene ex tẽpore ageret: pacis & belli iuxtà studiosus, horumq; arma ęquè tractare peritus. Musicam ita callebat, ut canere psallereq; iucundè sciret. Scribere notis ita nouit, ut amanuenses suos pręcelleret, ac quę cunq; uellet chirographa imitaretur: ut ioco, dum per ludum certaret, falsarius quandoq; uocaretur, licet omnia ex bonitate ingenij ageret: qui à puero præclaris studijs erat deditus, & simul literarum ac militię studiosus. Vbi adoleuit, & in Germania & Britannia militauit, non sine excellenti industria ac modestia, Tribunus militum existens: tanta fama, ut in utrisq; prouincijs & imaginibus & statuis cum titulis ac inscriptionibus decoraretur. Post militiam, & se foro exercuit, & causis operã dedit. Tum Quæstor factus, meruit præfecturam legionum in Iudæa, Tarichearumq; ciuitatem Iudęæ inclitam ita oppugnauit, ut primus in hostes citato equo pergeret: quosdam ex Iudęis à tergo instantes, alios per + transurum occideret, nonnullos antè capiens ictu ora trãsuerberaret, multos alium super alium collapsos inuoluens configeret: ut latè Iosephus Egesippusq; scribunt. Tantusq; pauor Tarichearum defensores inuasit, ut nemo sustinuerit prohibere uenientem. Et ita Titi uirtute ciuitate capta, & altera urbs Gamala huic è regione posita, eius quoq; ductu expugnata est. Nam in ipso cõflictu ortus est turbo, qui Romanorum tela ferebat in Gamalenses. Gamalensium uerò sagittas & spicula retorquebat. Vnde Titus Gamalam introiuit, eamq; funditus excidit: cùm Gamalenses partim manibus Romanorum trucidarẽtur, partim se precipitarẽt, adeò ut prẽter duas mulieres, nullus saluus euaserit. Sed ipse amisso sub + fœminibus equo, uix alterũ inscẽdit: in quo cõtra se dimicantẽ deiecit, et occidit. Vespasianus pater tãta filij uirtute lętatus, cùm acciperet Galbam imperium assequutum, filium hunc Titum ad gratulandum in urbem causa officij præmisit. Itaq; quaquà iter faceret, homines in sui admirationem conuertit. Et cùm maturam petẽdis honoribus iuuentam ferret, uulgus fingendi auidum, disperserat, ascitum esse in adoptionem. Id licet nõ esset, tamen fama illa postea ueritatem assequuta est. Nam & olim uiuente Britannico, cũ quo Titus educabat, (ut diximus) cùm adhibitus esset Metoposcopus, qui ex facie hominũ quid cuiq; euenturum sit prædiceret, ut Britannicum inspiceret, hunc minimè negaturũ: quod euenit. Titum aũt qui astabat, imperaturũ omnino uaticinatus est. Et cùm ex itinere reuerteret in Cyprũ, quia audiuit Romę omnia turbata, adiens Veneris Paphiæ templũ, sciscitatus de nauigatione cęsis hostijs, et de imperio per ambages interrogauit, spẽq; imperij cõcepit, ad patrẽ in Iudęam ꝓfectus est. Sed ubi pater rerũ potitus ad urbẽ contendit, Titus ad perdomandã Iudęã relictus, crudeli oppugnatione Hierosolymã, fame, ferro, flãma confecit: annoq; secundo principatus Vespasiani cœpit, octaua die mensis Septẽbris, qua sibi filia nata est: cũ quinquies antea à Barbaris regibus et à magno Põpeio capta esset. Cuius dirã expugnationẽ et crudele excidiũ, Iosephus 7. libris, & Egesippus 5. elegãtissimè & abundantissimè explicãt.

transitũ

fœmoribus

Volue-

Voluerunt aũt gẽtes finitimę ob Iudaicam uictoriã (teſte Philoſtrato) conari, Titum ſalutantes ipſum Imperatorẽ: qui tali ſe honore indignum mox reſpondit, aſſerens auctorẽ talium operum Deum. Et cùm (ut fit) quidam patri Veſpaſiano ſuggereret, quaſi orientis regnũ ſibi uendicaret Titus, deſciſceretq; à patre, quòd inter ſacrificandũ de more priſcę religionis diadema geſtaſſet, ut rumorẽ hunc filius tolleret, Romã expeditiſsimus uenit, inopinanti patri uanidicos rumores coarguit. Mox imperij particeps atq; tutor, cum patre triũphum egit, cenſuramq; geſsit, et Tribunitię poteſtatis ac ſeptem cõſulatuum collega: tanta concordia imperium gubernantes Romanorũ, ut nulla lyra conſonantiorem harmoniam reddere poſsit, quàm ex iuuentute Titi ac ſenectute Veſpaſiani, patris ac filij, Reſpub. ſimul unionem iucundam et reſonantem acceperit. Quoniã Titus imperante adhuc patre (quod rarò fieri ſolet) appellatus eſt Romæ Imperator, omniumq; officiorum curam ad ſe recepit, patrisq; nomine & epiſtolas & edicta cõſcripſit: pręfecturamq; prętorij adeptus, ſuſpectũ quęq; & oppoſitum ſibi, immiſsis qui per theatra & in caſtris inuidioſa iactantes, ad pœnã poſcerẽt, quaſi criminis conuictos oppreſsit. In quo inciuilius egiſſe fertur. Nam dum A. Cecinnam uirum conſularẽ ad cœnam uocaſſet, ac egredientem tandem confici iuſsiſſet, ſiue ob ſuſpicionẽ coniurationis, ut Tranquillus ſcribit (nam eius chirographũ apud milites deprehenderat, quo continebatur coniuratio) ſiue ob ſuſpicionẽ ſtupratæ Berenices, ut Aurel. Sext. quæ à Tito amabatur: plurimũ quidem contraxit inuidię pręſens: ſed in poſterum ſecuritati ſuæ ſatis cauit, tutior enim deinceps fuit. Fuit aũt & ſuſpecta in eo luxuria, qui ad mediam noctẽ nonnunquã cum profuſiſsimis familiaribus cõmeſſationes protraheret, et ſpadonum greges aleret, et Berenicem reginam (cui etiam nuptias promiſerat) ardẽter deperiret. Quod & ſub patre uenũdediſſet in concionibus, & nundinaſſet, rapinarũ cupidus uiſus eſt, & pleriſq; Nero dictus: ſuſpectum habuerant grauiter, ſi ſummã rerum attigiſſet. Sed hęc in melius conuerſa, immortalem ei gloriam ac maximas laudes peperêre. Nam ubi patrię curã ſuſcepit, incredibile eſt quantũ quos imitabatur antecelluerit clementia, liberalitate, honorificẽtia, pecunię contemptu, omniumq; uirtutũ genere, ut amor & delicię humani generis uulgò diceretẽ: ſiue omnium ita uoluntatem promeruiſſet ingenio, ſiue arte, ſiue fortuna. Nam conuiuia inſtituit iucunda magis q; profuſa: amicos elegit potiores melioresq;, quibus & principes ſucceſſores in Rep. poſt eius obitũ utebantur. Et Imperator factus Berenicẽ, quam ardenter amabat, domitis affectibus, remiſit in patriã: & licet nuptias ſuas ſperaret, abire iuſsit. Eneruatorũ greges ac delicatorũ artifices omnino à ſe remouit, adeò ut onus imperij mutatũ oſtenderet in temperantiam. Nulli ciuium quicquam ademit, alieno abſtinuit. Et ut uerbis Aurelij Sexti utar, cũ donata, conceſſaue à prioribus principibus firmare inſequẽtes ſolerent, ſimul ut imperiũ cepit, talia poſsidentibus edicto ſponte conceſsit. In ceteris uerò deſiderijs ita animos hominũ occupauit, ne quem ſineſpe dimitteret, dicens: Neminẽ debere à facie principis diſcedere triſtẽ. Quadam aũt die in cœna recordatus, nihil ſe cuiquã toto die pręſtitiſſe, memorabili dicto: Amici, inquit, diem perdidimus. quaſi ſignificaret, optimũ theſaurum principum eſſe fideles amicos, quibus eſſet cotidie impertienda opera. Tam magnificę erat liberalitatis. Populum uniuerſum tanta comitate tractauit, ut gladiatorũ munus ad ſpectantium ędem arbitriũ, amphitheatrum extrueret, thermas ædificaret, nauale prælium in ueteri naumachia exhiberet, largiſsimumq; munus gladiatorũ cum quinq; milibus ferarũ uno die daret, munificentia nulli cedens. Clementiæ uerò ac manſuetudinis tantæ, ut pontificatũ acciperet ob hoc ſolum, ut puras à ſanguine ſeruaret manus, ne cuiuſquã necis aut autor aut conſcius eſſet. Cùm eñ duos ampliſsimi ordinis uiros, in manifeſta aduerſum ſe coniuratione deprehenſos, ut cogitatũ ſcelus abnuere non poſſent, admonuiſſet, deductos in ſpectaculũ, utrunq; cir-

ca se assidere iussit: petitoq; ex industria gladio Mirmillonũ, quasi ad explorandam aciẽ, uni atq; alteri dedit. Quib. perculsis, et cõstantiã mirantibus, inquit: Videtis ne potestates fato dari, frustraq; tentari facinus potiundi spe, uel amittendi metu? Fratremq; Domitianum, ut Sextus scribit, parantem insidias, mili tumq; animos solicitantem, flens sępius obtestatus est, ne parricidio assequi cuperet, quod & se uolente esset obuenturum ei, & iã haberet, cùm esset potestatis particeps. Tristia quædam, sed fortuitò, sub eo acciderunt: ut conflagratio Vesuuij montis in Campania, incendium Romę triduanum, pestilentia crudelissima: in quibus tamen aduersis, parentis solicitudinẽ atq; affectum ostendit & consolando & opitulando: pluribus restituens, quæ incendio perdiderant. Delatores flagellis ac fustibus cæsos uænire iussit, ac in insulas deportari. De eadẽ re pluribus legibus agi, edicto cauit. Cùm itaq; omnibus esset admodum charus, eumq; publicas delicias uocitarent uulgò, perijt post biennium, duos menses, et xx dies imperij, ętatis quadragesimo ij. febre correptus, in eodẽ quo pater apud Sabinos agro, ut Tranquillus & Sextus scribunt. Sed ut Philostratus memorat, necatus est à Domitiano, ueneno leporis marini propinato: quo Neronem quoq; tradunt multos in conuiuijs sustulisse: quum sæpius admonitus ab Apollonio esset, ut à propinquissimis caueret. Vix credi potest, quantum luctus urbi prouincijsq; intulerit huius mors, cùm totus Senatus circa uesperam ipsius nunciata morte irruerit in curiam, quasi perpetuo custode orbatum terrarum orbẽ defleturus: tantasq; ei laudes congesserit, quantas nec uiuo unquam, atq; præsenti. Moxq; inter diuos relatus est, teste Eutropio. Vnde Dion tradit, Titum Augusto comparandum in diuersa ætate: huncq; si minus uixisset, nunquã à Romanis dilectum fuisse: neq; illum, si plus. Nam Augustus crudelior in principio propter hostes & seditiones, postea longo tempore multis in pop. Ro. beneficijs claruit. At Titus humanè imperans, perijt in robore gloriæ: fortasis non uacaturus culpa, si diutius uixisset: quia Fortuna maiori quàm uirtute utebatur. Habuit autem primam uxorem Arricidiam Tertullo patre, equite Romano, & quodam præfecto prætorianarum cohortiũ, progenitam: qua defuncta, duxit Marciam Flauiam splendidi generis. Cum qua, sublata Iulia filia, diuortium postea fecit. Berenicen (ut diximus) amauit quidẽ, sed à se remouit. Domitiani fratris uxorem ferebatur corrupisse. Quod tamen tam cõstanter negauit ipsa, ut potius gloriatura fuisset, quæ omnibus alioquin probris contaminata erat, si qua consuetudo ei cum Tito fuisset. Cætera lector ex Tranquillo, Dione, Philostrato, Sexto Aurelio, Orosio atq; Eutropio require. Nos Ausonij annectamus tetrastichon:

Fœlix imperio, fœlix breuitate regendi,
Expers ciuilis sanguinis, orbis amor.
Vnum dixisti moriens te crimen habere,
Sed nulli de te, non tibi credidimus.

DOMITIANVS

34 DOMITIANVS filius Vespasiani Cæsaris, & Domicillæ, frater Titi Imperatoris; à paterna pietate ita degenerãs, ut Caligulæ & Neroni similior esset quàm patri ac fratri. Pubertatis eñ & primę adolescentię tempora tanta inopia & infamia gessit, ut nullum argenteũ uas in usu haberet. Ita erat pení & luxui deditus, cùm diceret à pluribus in iuuentute constupratus. Tẽpore Vitellij in Capitoliũ cum patruo Sabino cõfugit, dum in urbe tumultuaret. Sed facto incẽdio, & irruentibus hostibus, apud ędituũ absconditus latuit. Vitellio interfecto progressus, & Cæsar consalutatus, honorem præturæ urbanæ cum consulari potestate titulotenus suscepit, uim dominationis tã licenter exercens, ut iam tum futuræ tyrannidis daret indicium. Inchoauit expeditionem in Gal-

in Galliã ac Germanias, ne fratri Tito cedere uideretur & operibus & dignatione. Patris ac fratris currulem sellam lectica sequebatur: & triumpho Iudaico, albo equo comitatus est utrunq;, simulans modestiam. Studio poëtices deditus, quod paulo pòst abiecit. Vndiq; & à Vologeso Parthorum rege, & in alijs oriẽtis regibus petijt, ut aduersus Alanos à patre Vespasiano mitteretur. Quo defuncto, cum se testamẽto fraudatũ publicè iactitaret, fratri Tito insidias struere molitus: cùm iam mortuus esset, obliquis & crebris orationibus eum carpens, efferri iussit, unico consecrationis honore eũ dignatus. Ab initio clementiam simulans, & primis annis moderatus, tenebras & secreta captauit, ut muscas ridiculè figeret remotis omnibus. Vnde percunctanti cuidam, quis cum eo in palatio esset, responsum est, Ne musca quidem. Varius itaq; circa administrationem imperij cõmixtis uirtutibus & uitijs, donec ingentia uitia uirtutes superarẽt. Sumptuosissima spectacula edidit, non modò cũ uenationibus, sed & gladiatoribus, prælioq; equestri ac pedestri, cum nauali pugna. Fecit & seculares ludos, de quibus in Consulibus diximus. Instituit quinquẽnale certamen Capitolino Ioui triplex, musicum, equestre, & gymnicũ. Fuitq; autor Capitolinorum agonum, per quos annus magnus & lustrum diligentius seruabatur. In Albano celebrabat & Mineruæ quinquatria, cum collegio quod instituit: omnibusq; certaminibus præsedit habitu Deorum amictus. nam & dominũ se & deum appellari iussit, more Caligulæ, non tam epistolis quàm publicis edictis: arrogantiæ & uanæ gloriæ immẽsæ ac inenarrabilis, utpote qui non modò sibi aureas argenteasq; statuas ac arcus triũphales cõstitui iussit, sed assumpto Germanici nomine, septembrẽ ac decembrem menses à se denominauit. Congiarium populo & epulũ Senatui equitiq; dedit. Aedificia multa publica fecit, Iouiq; custodi ingens templũ in Capitolio erexit, seq; in sinu Dei sacrauit. Bibliothecas incẽdio absumptas, petitis undiq; ex Alexandria exẽplis reparauit. Expeditionesq; quatuor habuit, gessitq; eas per legatos, non sine maxima Reip. pernicie, & Romanorũ clade horrẽda. Vnam aduersus Sarmatas, in qua legio eius cum duce interfecta est. Alteram aduersus Cattos, duos aduersum Dacos: à quibus Oppius Sabinus uir consularis & Cor. Fuscus præfectus prætorij cũ magnis copijs occisi sunt. De Dacis Cattisq; duplicẽ triumphum egit. De Sarmatis solam lauream usurpauit, quam Ioui Capitolino retulit. Cũ L. Antonio Saturnino, qui superiorem Germaniã curauit, bellum ciuile mouit. Nam is uehementer in Domitianum, ob iniuriam uerborum accensus est, qua se scortum uocari dolebat, unde & imperiũ corripuit. Sed per Norbanum Appium acie stratus, occisusq; est. Absens igitur mira felicitate bellum hoc confecit, præsagijs quàm nuncijs uictoriam prius assequutus. Cuius famę celeritatem ita miratur Plutarchus in Paulo Aemilio, ut scribat: Hęc ita fuisse, nemo nostrę ętatis ignorat. Quin etiam in communi rerum usu quædam nouauit, quædam sustulit. Histrionibus scenã interdixit. Castrari mares uetuit. Et ut Apollonius apud Philostratum inquit, terram fecit eunucham. Nam cùm frumenti inopia, ob uinearum studium & aruorum negligentiam prouenisset, edixit, ne quis in Italia nouas uites plãtaret. Sed rem exequi minimè perseuerauit, quòd libelli in Domitianum spargebantur, quibus carpebatur. Ius diligenter dixit, ac æquissimè: tantamq; curam coercendis magistratibus adhibuit, ut neque modestiores unquam, neq; iustiores extiterint. Aboleuit scripta famosa tam in uiros quàm in fœminas, non sine auctorum ignominia. Probrosis fœminis lecticæ usum ademit, iusq; capiendi hæreditates: peruersamq; libidinem tam in uiris quàm in mulieribus, ac incestus uirginum, seuerè coercuit, stupratores acerrimè puniuit. Et tantę fuit ab initio clementiæ, ut ab omni cæde abhorreret: cupiditatis atq; auaritię, ne ullam quidem suspicionem habuit. Deinde & priuatus, & initio principatus, largissimè familiares suos prosequutus. Abstinentię & liberalitatis aliquot experimẽta dedit, quę latè Tranquillus enarrat. Mox ad sęuitiam

conuersus,interfecit nobilissimos ex Senatu plures. In his Ciuicam Cærealem Asiæ proconsulẽ, Saluidienum Orficũ, & Acilium Glabrionẽ in exilium egit, & pòst interemit. Tum quoq; Aelium Lamiã, Saluium Cocceianum, Metium Pomposianum, Salustiũ Lucullum, Iunium Rusticũ, Heluidium Prisci filiũ, Flauium Sabinum occidit, ac Aretinum Clementẽ, Flauiumq; Clemẽtem patruelem suũ: prẽterea & pantomimos, histriones, Hermogenẽ historicum, philosophos omnes ac mathematicos urbe Italiaq; submouit. Indies ferocior factus, noua genera tormentorũ, nouaq; supplicia adinuenit, magis sanguinarius Nerone: qui subtraxit oculos, iussitq; scelera, non spectauit: cùm sub Domitiano præcipua miseriarũ pars esset, uidere & aspici. Ad rapinas dehinc animum adiecit, nihilq; pensi habuit quin prędaretur omni modo bona uiuorum ac mortuorum, qualicunq; occasione. Omni aũt ætate ita libidine furens ferebatur, ut coitus assiduitatẽ & fœdum huius exercitium Græcorum lingua κλινοπάλω, hoc est, lecti palęstram uocaret: interq; uulgatissimas meretrices, diu noctuq; uersaret. Cùm itaq; terribilis cunctis & inuisus esset, oppressus tandem est conspiratione intimorũ amicorum, familiariũ, & simul uxoris. Hoc tẽpore in cœlo tale prodigium apparuit. Quędam iridi similis nubes, Solem circumdedit, quę lumen eius obscurabat. Portendebat aũt Domitianum à Stephano (cuius nomen, figurã illius uisi in cœlo portenti significat) esse iugulandum. Is cùm tyrannum interficere decreuisset, breuem gladiolum sinistro brachio occultans, manum tanquam fractam multis fascijs circumligauit. Inde Domitiano dixit, Opus est mihi secreto, ut nouas atque incredibiles res percipias: datoq; colloquio, tradidit libellũ, ac legenti suffodit inguina, uulnere letali quidẽ, sed quòd per cruciatus cum lentitudine illũ conficeret, adiectis uerbis inimicissimis. Domitianus aũt cùm esset robusto corpore, primo uuluere nequaquam deiectus, apprehẽdit Stephanum, eiq; superincumbens eruere oculos nitebat, faciemq; aureo calice pertundens, ac auxilia à custodibus corporis implorans. accurrerunt Clodianus Cornicularius, Parthenius, Maximus & Saturius liberti & cubicularij: qui septẽ uulneribus saucium contrucidarunt. Tandem frustra affuerunt serui, cùm penè exanimatus esset. Sic perijt Domitianus, anno ætatis xlv. imperij decimoquinto. Cuius cadauer plebeiorũ lóculo, quod Sandapilã uocant, à uespillonibus & portatoribus cadauerũ elatum est, quod Phillis nutrix in suburbano suo sepeliuit. Mortẽ eius grauissimè tulerunt milites, qui Petronium uno ictu, Partheniũ amputatis genitalibus, et in os coniectis iugulauêre, tanquã autores cędis. Senatus mirè lętatus est, cum acclamationibus contumeliosissimis, & decreta abolitione omnium imaginũ, titulorum ac memoriæ. Sagittandi studio pręcipuè tenebat: tamq; doctus sagittarum, ut inter patẽtes digitos extentæ manus uiri procul positi iacula transuolarent, ut inquit Sext. Aurelius. aleę etiam studiosus. Habuit aũt uxorem Domitiã Longinam, prius Aelio Lamiæ nuptam. Ex qua in secundo consulatu suo filium tulerat, alteroq; anno consalutauerat ut Augustam. Hãc Paridis histrionis amore deperditam, repudiauit: intraq; breue tempus impatiens diuortij, quasi efflagitante populo, reduxit. Ob quam fœminam Domitianus & Aelium Lamiã occidit, cui prius nupta erat. Cùm enim Titus adhortatus esset Lamiam, ut alteram duceret uxorem: respondit Aelius, An et tu etiã mihi eam abducere uis, ut frater tuus fecit? Quo ioco irritatus Domitianus, eum occidit. Fratris Titi filiam Iuliã, adhuc uirginem, oblatam sibi uxorẽ, cùm deuinctus Domitiæ nuptijs pertinacissimè recusasset, alteri collocatã corrupit, etiam uiuo patre. Mox patre ac marito orbatam, ardẽtissimè dilexit, coęgitq; abortũ facere. sic uidua abortu perijt. Hæc ex Tranquillo, Sexto Aurelio, Dione, Philostrato, Orosio, Eutropio ac Eusebio excerpsimus. Vtinã Cornelij Taciti historia extaret integra Augustalis, ut plura decerpere liceret. Sed inuidẽt Dij nobis, ut omnia acta sciamus, Nunc tetrasticho Ausonij concludamus.

Hacte-

Hactenus edideras geminos gens Flauia iustos:
Cur duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos: quia dona bonorum
Sunt breuia: æternum, quæ nocuere, dolent.

COCCEIVS NERVA.

COCCEIVS NERVA Cęsar, filius fuit Neruæ: nam matrẽ hactenus non inueni. natus oppido Narniẽsi, ex nobilissima domo. Hic quòd mitissimo esset ingenio, & summo loco natus, uisus est dignus principatu. Imperator igit occiso Domitiano designãtur Nerua, inuitus imperiũ assumens. Recordabat periculi, quod aliquando euaserat. Cùm em Domitianus principum ciuiũ olim curiosissimè natales dies atq; horas exploraret, multosq; etne speran tes quidẽ se ad ullam potestatẽ prouehendos occideret, Nerua ab Astrologis per calumniam delatus, uix mortẽ effugit. Vnus mathematicus Neruę amicus, mortẽ eius esse proximã testatus, eũ liberauit. Quando quidẽ Metium Põposianũ interfecit Domitianus, quòd habere imperatoriã genesim uulgò ferebat. Cui Vespasianus cõsulatũ ob hoc dedit, dicẽs: Si successor est futurus, quãdoq; memor erit tanti beneficij. Nerua igit annũ agens circiter sextũ & sexagesimũ, Romanus princeps cõstituitur: cùm iam undiq; arcus & statuę diruerent, aureisq; ac argenteis cõflatis, quas Domitianus locari fecerat, grandis colligeret pecunia. Mox orto rumore, q̃si uiueret Domitianus, et afforet, ita trepidare cœpit, ut colore mutato, ac uoce amissa uix cõsisteret. à Parthenio aũt cõfirmatus. recepta fiducia ad solenne delinimentũ cõuersus est, teste Aurel. Sext. Cùm uerò in curia à Senatu gratãter exceptus esset, solus ex omnibus Arrius Antoninus, uir acer, eiq; amicissimus, conditionẽ imperantiũ prudenter exprimẽs, amplexus eum, gratulari se ait Senatui & populo, prouincijsq;, ipsi aũt nequaquã: cui satius esset malos semper principes eludere, q̃ tanti oneris uim sustinẽtem, haud molestijs modò & periculis subijci, sed tamæ etiã inimicorum pariter & amicorũ esse obnoxiũ: qui eũ se mereri omnia pręsumant, si nõ quod cõcupiuerint extorqueant, atrociores hostibus fiunt. Cęterũ Nerua inito imperio, initio principatus mox clemẽtię ac liberalitatis dedit indicia. Reos em Maiestatis absoluit, exules in patriam reduxit, ac oẽs qui metu diffugerãt, reuocauit. Seruos uerò ac libertos qui in dominos patronosq; cõiurauerãt, interfici pręcipit: edicto decreto, ne deinceps serui dominos cuiusq; criminis postularẽt. Cauit et edicto, ne quis Maiestatis aut Iudaicę sectę quenq; accusaret. Nã sub Domitiano, ut tradit Suet. præter cęteros Iudaicus fiscus acerbissimè actus est, ad quẽ deferebãtur qui uelut professi Iudaicã intra urbẽ uiuerẽt uitã, uel dissimulata origine imposita genti tributa non pepẽdissent. Vnde cùm per calũnias multi essent dãnati, punitiq;, inter quos et Suras philosophus fuit, orto tumultu quasi multi iniustè accusarẽt, Fronto Cõsul exclamauit, malũ esse eũ imperare, sub quo neminí quippiã concessum sit: Sed multo peius sub eo uiuere, sub quo omnia maximè liceãt. Quo salubri dicto admonitus Nerua, talia deinceps in tantũ inhibuit, ut iureiurãdo testatus sit, nullũ se deinceps Senatorẽ necaturũ, etiã deprehẽsum aduersum se in cõspirationibus: quod et pręstitit. Nã licet ita imperaret, ut uerè diceret, posse se uel depositò imperio tutò priuatũ uiuere: tamẽ Crassus Calphurnius, ex antiqua Crassorũ familia, cũ quibusdã cõiuratis aduersus Neruam cõspirauit. Coniuratione detecta dũ ludí agerent, confessu eos dignatus (ignorabat em apertam eorũ conspiratione) gladiatorios enses assumẽs quæsiuit, Num satis acuti uiderent, pertentarent atq; inspicerent: quasi minimè curaret, si uel tunc in eo loco repentè occiderẽt. Ita animi erat planè erecti, minimeq; cadẽtis. At Sext. Aurel. tradit, Calphurniũ Crassum promissis ingentibus animos militũ pertentantẽ, detectũ cõfessumq;, Tarẽtum cũ uxore remouisse, patrib. lenitatẽ eius increpãtibus, Sed Aelianus Casperius pręfectus pretorio,

qui &

qui & sub Domitiano præfecturam gesit, tumultuãtes prætorianos aduersus Neruam commouit, ut spe uindicandæ seditionis quosdam eorum, ceu hostes Cæsaris, ad mortem iure uideretur postulare. At Nerua eò usq; restitit, ut reductà ueste à summo pectore, iugulum confodiendum porrigeret, etsi nihil profecit. Nam Casperius arbitrio suo usus, quoscunq; neci destinauerat, occidit,
27 teste Dione. Ne tamen accessu maleuolorum teneretur, Iunij Maurij constantis uiri dicto ita admonetur, ut scribit Aurelius: qui conuiuio familiari adhibitus, cùm Veientonẽ consulari honore functum quidem, apud Domitianum tamen multos occultis criminationibus persequutum, adesse uidisset: inter colloquia mentione Catuli facta, calumniatoris præcipui, dicente Nerua: Quid nũc faceret si Domitiano superuixisset? Nobiscum, inquit Mauritius, cœnaret. Clementiæ & libertatis tantæ, ut à Domitiano spoliatis ea redderet, quæcunq; in aula ac fisco reperta sunt, summa fide. Ciuibus autem egenis ut uitam sustentarent, decies & quinquagies cẽtena milia nummûm erogauit. Iussu insuper eius Senatores delecti, qui agros emerẽt, diuiderentq; egenis. Puellas puerosq; parentibus pauperibus natos, sumptu publico per Italię oppida ali iussit. Ad hęc afflictas ciuitates releuauit: & quicquid antea pœnæ nomine tributo accesserat, indulsit. His alijsq; laudatissimis sumptibus exhaustus pecunijs, uestes, uasa argentea, aureaq;, ac supellectilem omnem, cum agris unà & domibus auctioni subiecit ac uendidit, necessarijs paucis reseruatis: ut amicos iuuaret, quibus ingentia contulit. Sed ut impendia releuaret, sacrificia multa, equestres cursus, spectaculorum et ludorum genera sustulit. Nec sibi aureas argenteásue poni statuas passus est. Vsque adeò autem abstinuit ab omni cruoris effusione, ut cùm ab eo poscerentur ad exitium Domitiani percussores, tantum sit conterritus, ut neque uomitum, neq; impetum uentris posset differre. Cibum enim sæpe reiectabat, ita ualetudinarij erat stomachi. Obstitit autem quoad potuit: æquius esse mori dictitans, quàm autoritatẽ imperij fœdare, proditis autoribus à quibus summam rerũ accepisset. At milites neglecto principe (uisus eñ ob ętatem contemptior) requisitos, uno ictu Petroniũ, Parthenium uerò exemptis prius genitalibus & in os cõiectis, iugulauêre, ut tradit Aurelius, redẽpto magnis sumptibus Casperio: qui scelere tã truci insolentior, Neruam cõpulit referre apud populũ gratiam militibus, quòd pessimos mortaliũ peremisserent. Nihil unquã de suo arbitrio statuit, semper principes uiros cõsilio suo adhibens, dum Reip. consuleret. Multas leges sanxit, quarũ et Iurisperiti meminerunt. Duę in primis memorantur ualdè celebres: altera, ne mares castrarentẽ: altera, ne quis fratris sororis'ue filiã duceret uxorem. Dignos aũt potissimũ ad honores euexit, nec beneficentia cuiquã bono defuit. Vnde et Verginiũ Rufum collegã consulatus minimè dedignatus est habere, de quo multa superius inter Coss. scripsimus. Et M. Vlpium Traianum in filium adoptauit, & partem imperij assignauit, Cæsaremq; in curia appellauit. Imperijq; & iura & insignia in Germaniam usq; (cui tunc præerat) transmisit, hunc uerisiculum adijciens:

Telis Phœbe tuis lachrymas ulciscere nostras.

In hoc aũt in primis publicę saluti cõsuluit, qui uirtutem hominis, nõ genus spectauit. Elegit eñ hũc uirum Hispanũ, non Italum: & peregrinũ, nulla secum interueniente cognatione: licet propinquos haberet ac cognatos q̃ plurimos, quorum tamen charitatẽ ob Reip. amorem non duxit anteponendã: cum quo Traiano uixit annis tribus, ut Sextus Aurelius scribit, q̃ familiarissimè. Cæterũ si Dioni credimus, haud multo pòst adoptatum Traianũ, ubi annum unum, mẽses treis, ac dies nouẽ imperasset, quoniã parum prospera ualetudine ob imbecillitatẽ stomachi erat, utpote qui sępe cibũ reiectabat: dum suggerente ira uoce quàm maxima cõtra quendã Regulum nomine, inclamaret, sudore correptus et febre, morte sublatus est, anno ętatis octauo & sexagesimo. Alij quinque & sexaginta annis natum obijsse scribũt. Eusebius & Eutropius septuagesimo

ſimo ſecundo ætatis anno in hortis Saluſtianis perijſſe referunt. Et Traianũ Agrippinę Imperatorẽ ſalutatum. Sic mortuus eſt Nerua Imperator, uir probus & honeſtus, omniũq; laude dignus. Quẽ Apollonius Tyaneus apud Philoſtratum ſe nunq̃ ridentem neq; ludentẽ uidiſſe aſſerit. Quo die exceſsit, Solis defectio facta eſt, ut prodit Sextus. Quæ uerò fuerit eius uxor, hactenus non cõperi. Nam Dionis reliquiæ ad nos uix uenerũt. Xiphilinus em̃ quidam, audax nimium & improbus, cõcerpſit Dionis ſcripta, ut paucæ admodũ quiſquiliæ ad poſteros uenerint. Videantur tamen & Oroſius lib. 7. & Eutropius lib. 8. Aurelius Sextus, & Philoſtratus. Sed Auſonium nunc audiamus canentem:

Proximus extincto moderatur ſceptra tyranno
Nerua ſenex, princeps nomine, mente parens.
Nulla uiro ſoboles, imitatur adoptio prolem:
Quam legiſſe iuuat, quam genuiſſe uelit.

VLPIVS TRAIANVS.

VLPIVS Nerua Traianus, ex patre Traiano genitus, uiro cõſulari & familia antiqua natus Italicę in Hiſpania, primusq; Cęſarum peregrinus, licet Sext. Aurelius ex urbe Tudertina natum eſſe ſcribat, Vlpiũq; ab auo dictum, Traianũ uerò à Traio paterni generis auctore, ac de nomine patris Traiani appellatũ. 38
Quem dignũ principatu fecerunt, morũ ſimplicitas, & coniuncta ſpectatę fortitudini, uno per omnẽ uitam tenore; integritas atq; iuſtitia, ac ualetudo proſpera cũ animi uigore, qualis in ætate florentiſsima eſt: quæ neq; adoleſcentiæ impetu effertur audacius, neq; rurſum ſenili langueſcit tarditate. Secundũ enim & quadrageſimum annum agens, ſuſcepit imperiũ: ut Euſebio placet, & Dioni. Licet Suidas quadrageſimo ætatis anno ſumpſiſſe imperium ſcribat, Principẽ iuſtum ac corporis robore præſtantẽ. Vtcunq; tamen ſit hæc ętas, imperio digna eſt. Iuuenis em̃ princeps nimiũ audet, ac credulus eſt: ſenior uerò, imbecillis ac timidus. Sed media ętas, quæ teſte Heſiodo optima eſt, iure conuenit Imperatori, ut Onoſander ſcribit in Aureolo illo opere De eligendo Imperatore. Traianus itaq; apud Agrippinã Coloniam imperij inſignia ſumens, moxq; Germaniã trans Rhenum in priſtinum ſtatum reducens, gentẽ rebellem repreſsit: & inde Germanicus dictus. quod & Iuuenalis in ſexta Satyra ſic meminit: Dacicus, & ſcripto radiat Germanicus auro. Cuius etiã reditum è Germania tanq̃ optimi principis, uoto proſequit̃ decima Satyra. Sed antequã imperium adipiſceretur, per quietẽ ſomnium habuit, quo à uiro graui ætate, & purpura & corona conſpicuo, uidebatur annulo ſibi in dextrum ac ſiniſtrũ iugulum imprimi ſignũ. Præterea cùm iam per multos atq; atroces tyrannos perditus ac proſtratus eſſet Ro. Reip. ſtatus, in remedium tantorũ malorum diuinitus creditus eſt electus, cùm pleraq; mirifica eius imperiũ denunciarent. Inter quæ cornix è faſtigio Capitolij Gręca uoce clamabat, καλῶς ἐσαὶ πάντα hoc eſt, erunt omnia bene, (denotans fœlicẽ ſucceſsionem Traiani. pui id agebat ſemper, ut apud populum mitis, apud Senatum uenerãdus, & omnibus eſſet amabilis: grauis nulli niſi hoſtibus. Fuit ſanè admirabilis, utpote cuius uirtutes diuus Gregorius ſcriptis recognoſcens, precibus adeò illi cœleſtem uitam impetraſſe creditur. Vbi de patris morte factus eſt certior, manu ſua ad Senatum ſcripſit, nullius ſe boni uiri neq; uitæ neque dignitati obfuturum, quæ iureiurando ſancta confirmauit. Idq; per omne imperij tempus ita inuiolatum ſeruauit, ut ne conuictos quidẽ in ſe conſpiraſſe, aliter quàm per Senatũ cognita cauſa puniret. Aelianum uerò & prætorianas cohortes, quę ſeditionem (ut ſuperius ſcripſimus) aduerſus Neruã excitauerant, diſsimulato cõſilio, tanq̃ his indigeret, accerſitos ad ſe extra urbem è medio amouit, ac ueluti importunos à ſe dimiſit. Ab hac in patrem pietate auſpicatus imperium, urbem ingreſſus,

multa

multa in communi rerum usu correxit ex publicis: nihilq; putauit antiquius, quàm bonis omni ratione gratificari. Quos in fidem susceptos adeò fouere ac demereri studuit, ut urbibus quoq; per Italiam ad alendos pueros, ne uel hæc ætas beneficiorũ suorum expers foret, multa largiretur. Liberalis penitus in amicos, & tanquam uitæ conditione par, societatibus perfruebatur. Nam & in uenationibus & in conuiuijs scõmatibus magnopere delectabatur. Sępeq; do mos nonnullorum ignorantiũ obrepẽs, cũ ijs accubuit. Ac teste Suida nemini inuidit, neq; aliquem dignitate priuauit, sed mirum in modum omnes bonos fouit. Idcirco neminem uerebatur, neq; oderat. Et ut scribit Aurelius, cùm duo sint quæ ab egregijs principibus expectentur, sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobiq; prudentia: tantus erat, ut in eo maximarũ rerum modus quasi temperamento uirtutis emicuisse uideretur. Nisi quòd cibo uinoq; paululum deditus erat, citra tamen ebrietatem, quanquam abundè biberet. Addit Dion, quòd et in amoribus puerorũ sibi indulserit, ac pronior in pueros, quàm quòd cuiquam propter eos molestior esset. Re autem & usu, quòd ad doctrinam attinet, doctus magis, quàm præceptione diligentiore: qualis in oratoribus. Ita callebat eruditionis uim, ex eiusq; præscripto agebat ut nihil fuerit in quo non optimè institutus uideretur. Et licet Sextus tradat, eum simpliciora magis ingenia quàm eruditissimos dilexisse, quòd parcæ esset scientiæ, moderateq; eloquens: tamen Dion scribit, muneribus eum poëtas affecisse, & Celso statuam publicè poni iussisse, & quendam philosophorum in curru triumphali à Traiano honoris causa positum, Plutarcho grauissimo historico ac philosopho usum: adeò ut rectè Satyricus scripserit sub eo, Et spes & ratio studiorũ in Cæsare tantum, Solus enim tristes hac tẽpestate Camœnas Respexit. Vnde & Cecilius Plinius inquit: Quem honorem dicendi magistris, quam dignitatem sapientiæ doctoribus habes? ut sub te spiritum & sanguinem, & patriã receperint studia, quæ priorum temporum immanitas exilijs puniebat. Cæterùm laboris
39 fuit patientissimus, studiosus optimi cuiusq; ac bellicosissimi. Dant em̃ ei aliqui uitio, nimium rei bellicę studium: quum tantũ corrigendis augendisq; suis
40 & hostium euertendis rebus nunquam deesset. Quin secus ac solent, si eiusmodi occasionem sunt nacti, haud temerè sub alio minus milites elati atq; insolentes fuêre, reprimente nimirum eos cùm omnimoda principis uirtute, tum præcipuè continentia. Neq; enim inuidebat cuiquam, neq; ullum euertebat, aliena pecunia ut iniusta nece abstinens, ad bonos honestandos pronus atq; intentus. Non timebat, non oderat quempiam, nulla iræ dominatio, minima delatoribus apud eũ fides. Animi alti ac erecti, qui semper aliquid præclari ac magnifici moliretur. Vt cũ circũ, quantus po. Rom. sufficeret, collapsum quadam parte & ampliauit, & maioribus additis ornamentis restituit, inscriptione hãc magnitudinem professus. Quanquàm autem multa in belli, multa in pacis negocia impenderet, tot tamẽ tantisq; ab eo institutis operibus ac necessarijs maximè ædificijs publicis, uijs, portubus, bona damnatorum non aliter ac sanguinẽ insumere nefas putauit. Quandoquidẽ amari & obseruari, quàm timeri malebat. In augenda re familiari moderatus. Bellum grauissimum sumpsit in Dacos hostes, quorum & uires auctas, & consilia prouidens, indignabatur annuam ijs pecuniam pendi oportere. Decibalum Dacorum regem primùm ingenti clade strauit, coẽgitq; supplicem ad genua procidentem, pacem petere, & Romam oratores ad Senatum mittere. Appellabatur autem hic Dacorum rex Decibaldus alio nomine Diurpaneus, teste Orosio. Acer in re militari ac rebus gerendis, opportunè hostem inuadens, tempora se recipiendi discernens, insidiarum artifex, & pugnæ magister, rectè uictoria uti & cladẽ ferre sciens. Et quãuis à Romanis hostis iudicatus, multo tamẽ tempore legionibus restitit. Aduersus eum Iulianus Domitiani legatus, hoc strategmate usus, ut militũ & centurionũ nomina hastis inscriberet, ex hoc cogniturus, qui

hostem

hoſtem percuſsiſſet. Quare iuxta Tapas multos occidioni dedit. Inter cadaue-
ra Vezenas Decibali legatus, poſtquã uiuus ſtatim fugere nequiret, tanquam
mortuus iacens, ſequenti nocte aufugit. Tum ueritus Decibalus, ne Romani
ex recenti victoria regnum quoq; ſuum inuaderent, arbores concidit, arma in-
ſtruxit, ut procul armatorum faciem redderent. Quibus deterriti Romani, re-
ceſſerunt victi. Sed poſtquam Traianus uenit moturus arma cõtra ipſum, non
ignarus rex ſe prius Domitianum, non Romanos uiciſſe, plurimùm extimuit,
& à Traiano victus pacẽ impetrauit. Vnde & Dacicus dictus eſt, & ob victo-
riam ſpectacula Populo gladiatorum & hiſtrionũ exhibuit. Sed nihilominus
per otium à bellis uacabat ciuilibus negotijs: qui ſæpè pro tribunali litigantes 41
audiuit, ac ius frequentiſsimè in foro Auguſti ac porticu Liuiæ dixit. Sed ite-
rum rebellantem Decibalum regem, & contra fœdera facientem, Traianus ex
bona fide ſingula gerens, conſcripto exercitu, ac tranſmiſſo per pontem Danu
bij, quem admirando opere ſuper Iſtrum conſtruxerat, ut latè Dion deſcribit,
licet ſæpe dolis peteretur, & iam Longinus legatus Traiani in uinculis eſſet, ita
profligauit, ut cùm uniuerſum iam regnũ amiſiſſet, timens ne uiuus caperetur,
ſibi ipſe mortem conſciuit: iuſſus enim erat arma, machinas, & earum opifices
transfugasq; tradere, & demoliri munitiones, abſtinere à regione capta, ami-
cos & hoſtes Romanis, ſuos putare eoſdem. Quas cùm conditiones non ſer-
uaret, ſed contra fœdera arma pararet, legationes ad finitimos mitteret, lazigi-
bus partem agri adimeret, uictus eſt: & necem ſibi cõſciſcens, Traiano inuitus
regnum reliquit. Tum Dacia Romanis parêre iuſſa, prouincia facta eſt. Rece- 42
pti quoque theſauri regis, quos in alueo fluuij Sargetiæ defoderat. Tum urbes
Traianus cõdidit, & colonos deduxit: Marcianopolim urbem ſcilicet Mœſiæ,
quam à nomine ſororis Marciæ appellauit: cuius puella uas aureũ, quo aquam
è fonte hauriebat, in flumine perdidit, et mirabiliter recuperauit. Putabat enim
princeps aliquid Numinis in hoc eſſe fonte. Tum alias quoq; ciuitates extru-
xit, ut Nicopolim. Recognito aũt exercitu, cùm ſaucijs multis faſciæ deeſſent,
ne ueſti quidem ſuæ pepercit: quin deligãdis uulneribus in lacinias conciſſam,
militibus diuiſit. Mortuis uerò & occiſis, aras & annuam parentationem con-
ſtituit. Sub idem tempus Palma Syriæ præfectus, eam Arabiæ partem quæ ad
Petram uergit, occupauit totã, perdomuitq;, ac Rom. Imperio parêre cõpulit.
Traianus interea Romam rediit, centumq; ac uigintitribus diebus ſpectacula
edidit magnifica. In quibus beſtiæ iugulatæ ſunt ſeparatim nũc mille, nunc de-
na millia: partim cicures, partim feræ: præter quina millia gladiatorũ paria. Au-
diuit in his Indorum & aliarum Barbararum gentium nationes. nec quicquam
tamen per ludos & otium à bellis ſegnior ad ciuilia cõmoda. Pecuniæ attritæ
uſum ſuſtulit, & adulterinos nummos conflauit. Pontinas paludes, ſaxis con-
ſtratis uijs circum, ac põtibus magnificentiſsimi operis excitatis, permeabiles
fecit. Bibliothecas ordinauit. nam Bibliothecã nobiliſsimam publicauit, quæ
Vlpia dicta eſt: in qua libris linteis geſta principũ, ac elephantinis Senatuſcon
ſulta cõſcribi iuſsit. Aedificia plurima eius titulis & inſcriptione fiebant, præter
eius etiã uoluntatem. Ex quo herba parietaria, quæ in muris naſcitur, à pleriſq;
dictus eſt. Amicis ſtatuas poſuit. In foro ingentem columnam extruxit, ut hoc
ſimul opere & ſibi ſepulchrum, & teſtimonium ipſi operi cõplanato foro per-
petuum pararet. Nam excidi quaquà uerſum extra deſignatam columnæ mo-
lem iuſsit, donec pro craſsitudine ad iuſtam altitudinem columna extaret. ubi
adhuc infra baſim huiuſmodi legitur inſcriptio hodie in urbe: *IMP. CAES. DI-
VI NERVAE F. NERVAE TRAIANO AVG. GERMANICO DACICO.
PON. MAX. TRIB. POT. XVII. IM. PP.* In primisq; Suram dilexit. De quo
multa inter *COSS.* ex Dione narrauimus. Pòſt in Armeniam expeditionẽ ſum-
pſit: quia Armeniorum rex regni inſignia ac regium diadema à Parthorum re- 43
ge, ueluti illi obnoxius eſſet, receperat. Cùm uerò Armeniorum ac Parthorum

e fines

fines ingressus esset, reges ac regionis illius Satrapæ mox cum muneribus ei occurrerunt. In quibus equus erat edoctus prioribus pedibus procidēdo adorare, ac caput pedibus submittere. Subactis Armeniæ oppidis, Parthamasirem Armeniorū regem grauiter mulctauit: regē uerò Heniochorum honore prosequutus, aliosq; reges. Qui autem spōte deditionem fecissent, aut in fidem uenissent, ut amicos benè tractauit: parêre recusantes, paruo negotio cōpellens, subegit. Ob id in eius honorem multa Senatus decreuit, atq; illud in primis, ut optimus appellaretur à Senatu. Qua sola appellatione magis gaudebat, quòd suis moribus & mansuetudini conueniret, quàm ulla alia. Fuit enim & Parthicus dictus. Nam ubi cū toto exercitu in Parthos profectus est, subornatis quibusdam clàm qui falsos de hoste rumores dissiparent, renunciari falsa exploratoribus iussit: ut milites quę imperasset intrepidè singula facerent, & ad omnia belli momenta parati essent. Ipse pedibus omne iter emensus, quoties flumina trajicienda erant, ut alius miles incedebat. Occupauit autem & Nisibin & Bactra. Dum uerò Antiochiæ ageret, crudelissimus & funestissimus terræmotus uicinis urbibus ac populis accidit: de quo in Cōsulibus multa scripsimus. A cuius periculo Traianus liberatus est, dum per fenestram domus quam inhabitabat, uix ablatus est per quendā ignotum, cui maior quàm humana forma erat, ut à dijs seruatus crederetur. Quieuit dehinc aliquot dies ob formidinē sub diuo, & tabernaculis publicis in Hippodromo. Pòst in Parthos profectus, Eufratem flumen ponte iunxit: & hunc, frustra resistentibus Barbaris, traiecit. Vniuersamq; Adiabenorum gentem subegit, cum plerisq; Assyriæ urbibus, quam Attyriam Barbari uocant: et hinc ad Babylonem usq; penetrauit, ut bitumen illud cerneret, quo Babylonis muri ac mœnia structa fuerunt. Inuisitq; hiatum illum, unde grauis exhalat spiritus, quo uolucres & iumenta omnia exanimantur ipso olfacto, si propius accesserint. Voluit tum Traianus fossa Eufratem in Tigrim deriuare: sed ab incepto destitit, ubi Eufratis alueū excelsiorem Tigri multo esse comperit: Ctesiphonēq; mox recepit. Ac tum Parthici cognomen Senatus cōfirmauit, supplicationesq; & triumphos decreuit. Pòst in mare rubrum nauigauit, ac Mesenem insulam in Tigri, quam Atabilus rex per ea tempora gubernauit, in suam potestatem redegit. Dehinc uarijs periculis in mari iactatus, cùm Oceani naturam inuestigare accuratè eniteretur, nauigātes fortè in Indiam cōspicatus: Vtinam (inquit) iuuenis essem, uiresq; ac robur suppeterent, profectò in fines Indorū penetrarem. Indicas enim res agitabat animo, earumq; magno tenebatur studio, multa de gentis uictu & uestitu paulo curiosius scisciatus. Scripsit præterea multa Senatui de uictis à se populis, ob quæ Senatus triumphalem illi arcum in illius foro extruxit, multo ornatu. Licet ille urbem posthac nunquam introiuerit, & deficientibus uiribus, præ tædio bellorum, & magnitudine curarum, subactas gentes coactus est liberas facere, cùm iam tumultuari inciperent, & eiecto præsidio deficere: dū æmulatione Alexandri Magni rubrum mare & Oceanum inuiseret, manibusq; Alexādri parentaret. Verùm audita populorū rebellione qui defecerant, misit ad eos cum exercitu Maximum, qui acie uictus occubuit: & Luciū, qui recepta Nisibi, & Edessa ferro igniq; funditus absumpta, multa prosperè gesit. Tum Euritij Clarij, & Iulij Alexandri legatorum opera, capta Seleucia, & incendio deleta est. Interea Traianus nouarum rerum anxius, Parthis, qui iam ad defectionem spectantes imperia detrectabant, regē dare constituit: propiusq; Ctesiphonta profectus, in patentes campos Romanos & Parthos in concionem uocauit, atq; ex suggestu multa præfatus super his quæ egisset, Parthenaspatem regem Parthis diademate impositio designat. Mox Arabiā petijt, Agarenosq; rebellantes adortus est frustrà, cùm sæpè equites ad muros urbis Agaræ subeūtes, coacti sint castra repetere. Ipse etiā Traianus cùm urbi adequitaret sine regio ornatu, uulneratus penè fuit: ex canicie namq;, orisq; uenerandi maiestate hostibus coniectura

ctura cognitus. In eum igitur quem principem ſuſpicati erant, ſagittas adeò frequentes cõiecêre, ut equitem qui ponè Cæſarem ſequebat, transfigerẽt. Tum prodigia multa uiſa. Apparebant enim irides, tonitrua, fulgetra, grandines immenſę cum grauibus tempeſtatibus, quoties Romanus cũ hoſte Agareno confligeret. Cùm uerò ueſcerẽtur, ſubita muſcarum uis edulijs & poculis inſidens, fœdo contactu cuncta Romano moleſta & inamœna faciebat. Cùm igitur & imperatorijs difficultatibus & morbo tentaretur, interim ludęi qui Cyrenẽ incolebant, duce quodam Andrea, Romanorum Græcorumq; indiſcriminatim ad ducenta & uiginti millia trucidarunt: quos partim ferris medios diſſecuêre, partim beſtijs obiecêre, partim inter ſe decertare coëgerũt. Nec tãta cędę contenti, præcingi cæſorum inteſtinis, inungi ſanguine, uelari cute, ueſci denique humana carne nõ exhorruêre. Par facinus atq; atrox nefas in Aegypto ac Cypro inſula patratum eſt, duce quodam Artemione: ibiq; rurſum circiter ducenta & quadraginta millia hominũ obtruncata ſunt. Ob cuius facti atrocitatem, Iudæus Cyprũ pœnis attingere prohibebatur, ac legibus. Siquidem uel tempeſtate, uel per errorẽ illuc delatus, ſtatim ſupremo ſupplicio mulctabatur, ceu capite damnatus. ſed nec illa clades inulta manſit. Nam Traianus miſſo cum exercitu Lucio Quieto, tũ antecedentibus alijs ducibus, ludęos qui per uniuerſum ferè terrarum orbem tantũ cędis ediderant, profligauit, magnãq; eorum multitudinem ſtrauit. Cuius facinoris gratia (ut Euſebius libro quarto Sacrę hiſtorię ſcribit) L. Quietus prędes ludęæ ab Imperatore factus eſt. Cæterùm cùm aduerſus Agarenos cõſilia principi non ſuccederent, inde re infecta digreſſus, ac paulo poſt aduerſa ualetudine correptus, ingraueſcẽte indies morbo, obmiſſa Meſopotamia, in quam expeditionẽ parabat, in Italiã nauigare cœpit, relicto P. Aelio Adriano in Syria cum legionibus. Multa tamen moliti ſunt Romani, dũ Armenia & Meſopotamia potiri nituntur, fruſtrà. Parthi em̃ iam repudiato Parthenaſpate per cõtemptum, indignũ regno exiſtimantes, ipſi res ſuas priſtino gentis more ac inſtituto adminiſtrare cœperunt. Interim grauior morbus Traianũ oppreſsit: uenenum ſibi datum ſuſpicatus eſt. quidam tradunt, ſiſtẽte ſanguine qui ei ſtatis diebus ab imo profluebat, cõtractam ægritudinem fuiſſe. Stupore itaq; membra reſoluta ſunt, ut pars corporis ſenſu defecta aliqua manſerit. Sic apoplectus primùm, demum aqua intercute repletus, apud Selinuntem Ciliciæ urbem, quæ & Traianopolis pòſt dicta eſt, repẽtè extinctus eſt: cùm imperaſſet annos undeuiginti, menſes ſex, dies quindecim: anno ætatis ſexageſimo quarto. Huius exuſti corporis cineres relati Romã, humatiq; Traiani foro, ſub eius columna, & imago ſuperpoſita, ſicut triumphantes ſolent in urbẽ inuecta, Senatu prędẽte et exercitu. Eo tẽpore, teſte Aurelio, multo pernicioſius quàm ſub Nerua Tyberis inũdauit, magna clade ædiũ, & terræmotus grauis per prouincias multas, atroxq; peſtilentia, fameſq; & incendia facta ſunt. Quibus omnibus Traianus per exquiſita remedia plurimùm opitulatus eſt, ſtatuẽs ne domorũ altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles & ſumptus (ſi quando talia cõtingerent) exitioſos. Vnde meritò pater patriæ dictus eſt. de qua appellatione ſic Plinius: Quod quidem nomen, qua benignitate, qua indulgẽtia exerces, ut cum ciuibus tuis, quaſi cum libertis parẽs uiuis. Habuit autem uxorem Pompeiã Plotinam, fœminã modeſtiſsimam ac optimam, Sanctiſsimam à Plinio dictam. Quæ palatium aſcendens, ubi maritum imperatorem factũ cognouit, & ex gradibus unde ab omnibus cõſpici exaudiriq; poſſet, ad populũ circumfuſum conuerſa: Talis (inquit) huc ingredior, qualẽ etiam egredi opto. Et quidẽ per omne tempus quo in imperio fuit ita ſe geſsit, ut de ea nullus conqueri potuerit. Memoratu & illud dignum eſt Traiani imperatoris, qui correptus ab uxore Plotina, quòd calumnijs ſuorũ procuratorum prouincię diuexarentur, deteſtari cœpit improbos iſtos fiſci lienes: uſurpans uerbũ hoc memorabile, quod in præcordijs omniũ principum utinã eſſet recõditum. Nam qua-

dam egregia similitudine fiscum uocabat lienem. Sicut em̄ crescente in corpo-
ribus nostris liene, artus reliqui tabescunt: ita turgēte principis fisco, reliqua ci-
uitatis membra macrescunt & ægrotant. Ita uxor hæc bonæ frugis, maritū suis
præceptis iuuit ac corripuit, ne suæ laudis foret incuriosus: & ad honestiorē re-
duxit ordinem. Cæterùm cùm Traianus sine liberis è uita excessisset, factione
Plotinæ quæ amore flagrabat Adriani, ac cōsilio Attiani, qui municeps & Cæ
saris procurator erat, cùm uicinus esset & potens, declaratus est Cęsar. Et ob id
mors Traiani aliquot dies occultata fuit, ut adoptio procederet. nā uiuēs Tra-
ianus nunquam adoptauit Adrianum. Quæ res deinde ex literis eius ad Sena-
tum patuit. Quandoquidem epistolis, nō ipse, sed Plotina subscripsit, id quod
in nullo antè alio fecerat. Verùm ut finiam Traiani uitam, Martiana soror Tra-
iani (cui postea Augustę cognomen fuit, & inter Deas à Senatu cōsecrata) sim
plicissima & honestissima fœmina fuit, Plinio teste. Tantum memorię huic de
latum est, ut scribit Eutropius, ut non aliter principibus in Senatu acclamatum
sit, Ne sis felicior Augusto, melior Traiano: tantū bonitatis obtinuit. Sed quis-
quis meliora et plura legere uolet, Dionem, Sextū Aurelium, Eutropium, Oro
sium, aliosq; adeat. In primisq; iuniorē Plinium, qui Traiano panegyricum &
epistolas scripsit: Plutarchumq;, quo cum familiarissimè uixit, et qui plura inge
nij sui monimenta ad eū perscripsit, eo usus pręceptore ac magistro. Ex breuis-
simis enim ac paucissimis reliquijs colligere ea debemus de Traiano, quę olim
latissimè Marius Maximus, Fabius Marcellinus, Aurelius Verus, et Statius Va
lens (qui omnes uitam Traiani monumētis mandauêre literarum) prosequuti
sunt, sed omnes interiêre. Est autem liber Plutarchi de imperatoria institutione
uidendus: præliminaris quoq; ad Traianum epistola, quæ sic sonat:

Plutarchus Traiano Augusto S. Modestiam tuam noueram non appetere
principatum, quem tamen optimis moribus semper mereri studuisti. Itaq; tan
to dignior hoc iudicaris, quanto à crimine ambitionis abesse longius existima
ris. Quo nomine tuę uirtuti gratulor, & fortunę meæ, si eū rectè gesseris, quem
probè meruisti. Alioqui te periculis, & me detrahentium linguis subiectum iri
non dubito: cùm & ignauiam imperatoris Roma non ferat: & sermo publicus
delicta discipulorum refundere soleat in præceptores. Sic Seneca Neronis sui
culpa, detrahētium uerbis incesitur: adolescentum suorum temeritas, in Quin
tilianum refunditur. Et Socrates in pupillum suum clementior fuisse culpatur.
Tu uerò quodcunq; uelis aut cupias, rectissimè geras, si non à te ipso receſſe-
ris, si primùm te animumq; tuum composueris. Si omnia ad uirtutem dispo-su-
eris, rectè tibi uniuersa processerint. Ciuitatis constitutiones, morumq; uires
tibi descripsi: quibus si (ut par est) obtemperaueris, Plutarchum uiuendi
habebis authorem. alioqui præsentē epistolam testē inuoco, quòd
in perniciem quidem Romani imperij non pergis, authore
Plutarcho. Nunc Ausonij tetrastichon
subnectamus:

Aggreditur regimen uiridi Traianus in æuo,
Belli laude prior, cætera patris habens.
Hic quoq; prole carens sociat sibi sorte legendi,
Quem fateare bonum, diffiteare parem.

P. AELIVS

P. AELIVS ADRIANVS.

PVB. Aelius Adrianus filius fuit Aelij Adriani qui cognomẽtò Afer dicebatur, ex Domitia Paulina matre, Gadibus orta, ut Spartianus notat, & cõsobrinus Traiani Imperatoris: Marillinus atauus, qui primus in sua familia senator Po. Ro. Et ita origo eius uetustior à Picẽtibus fuit, ab Adria oppido agri Piceni, quod & mari Adriatico nomẽ dedit, teste Aurel. Sexto. Posterior uerò origo eius ab Hispaniẽsibus fuit, Italicæ urbis: quanq̃ ipse Romæ fertur natus, ac decimo ætatis anno patre orbatus. Tutores habuit Vlpiũ Traianum consobrinũ suum, & Celium Tacianum, quem alij Accianũ fallò uocãt, equitẽ Romanum. Fuit autem ingenio acri, & studijs pręsertim Gręcis inclinatus: quibus tantã operã dedit, ut in lingua Gręca cõsummatissimus haberet, et plerisq; Græculus uocitaretur. Quintodecimo anno ad patriã redijt, statimq; militiã inijt, uenationis suprà quàm dici potest studiosus. Nam ut Dion scribit, uenãdi studio usq; ad insaniam & periculũ tenebatur: nam inter uenandum diffracto humero, & crus penè contriuit. Vrbem præterea (postquam imperium assequutus est) in Mysia condidit, quam Adriani uenatica septa nominauit. Et quanquam huic rei assiduam operã daret, nihil tamen eorum neglexit, quæ ad administrandam Rempub. & imperij cõmoda pertinerent. Quantopere item uenationi intẽtus fuerit, argumentũ est Borysthenes equus quo in uenãdo plurimùm utebatur. cui mortuo sepulchrũ fecit, columnã erexit, et epigramma inscripsit. Sed in uenãdo tanti roboris fuit, ut suẽ eximię magnitudinis solus uno ictu occiderit. Cæterùm ut ad iuuentutẽ suam redeã, à Traiano abductus à patria, & pro filio habitus: primùm decẽuir litibus iudicãdis, hinc tribunus secundæ legionis, dehinc in Mœsia à mathematico de futuro imperio pręsagiũ accepit, & postea sortes Virgilianas cõsuluit, præsumptionẽq; futuri imperij ex fano quodã Nicephori Iouis accepit. Ad intimiorẽ amicitiam Traiani uenit suffragãte Sura, nepte per sororẽ Traiani uxore accepta, fauẽte etiã Plotina. Tum quęsturam gessit. & post quæsturã ad bellum Dacicũ profectus, ut se Traiano familiariorẽ faceret. Plurimùm uino indulsit. Tum tribunus plebis factus, dehinc secũda expeditione Dacica primæ legionis præfectus, à Traiano gemma adamante donatus, quam Traianus à Nerua acceperat, unde spem successionis concepit. Dehinc prætor factus est. Postea legatus prætorius in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas cõpressit. Disciplinam militarem tenuit, procuratores latius euagantes coërcuit. Ob hoc Consul factus: & iterum cùm legatus esset Syriæ, literas adoptionis accepit. At cùm natalem adoptionis celebraret, nunciata est ei mors Traiani. Dion tradit, nunquam Adrianum à uiuo Traiano adoptatum, sed factione Plotinæ, quæ illius amore flagrabat, adoptionem factam: mortẽq; Traiani aliquot dies occultatam, supposito qui pro Traiano fessa uoce loqueretur. Id postea ex epistolis quas Plotina scripsit, cognitum est. Et, ut Apronianus Dionis pater, qui Ciliciæ pręerat, se huic consilio interfuisse prædicauit. Vnde cùm mortua est Plotina, per nouem funeris dies atratus incessit, eiq; templum erexit, & hymnos in eam fecit, ac excellentissimè coluit: utpote per quam imperium adeptus fuerat. Erat Adrianus, quum imperator declararetur, Antiochiæ, quæ est metropolis Syrię: uiditq; per somnium, ignem de cœlo in nitenti & puro aëre in humerum sinistrum incidere, deinde in dextram transilire. illum exterruit, nec læsit. Petijt dehinc literis à Senatu, imperium sibi firmari: nullum aut honorem aut titulum, quem non iussisset Senatus, expetens, ut Dion prodit. Spartianus inquit, eum ueniam petijsse à Senatu literis, quòd de imperio suo iudicium Senatui non dedisset: salutatus scilicet præproperè à militibus Imperator, quòd esse Respublica sine imperatore non posset. Ad priscum se statim morem instituit, & tenendæ per orbem terra-

44

rum pací operam intendit: unde omnia trans Euſratem ac Tygrim reliquit, de
ficientibus nationibus quas Traianus ſubegerat. Quoniam Mauri laceſſebãt,
Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri non poterant, Aegyptus ſeditio-
nibus urgebatur, Lycia ac Paleſtina rebellabãt. ſed ad ſingulas prouincias miſ
ſis præſidibus, omnia pacauit. Traiano diuinos honores à Senatu impetrauit,
Traianiq; imaginẽ curru triumphali uexit, ne optimus imperator morte amit-
teret triumphi dignitatem. Premiſsis dehinc exercitibus Mœſiã petijt, ob Sar-
matarum tumultum. Marcium Turbonem Pannoniæ Daciæq; præfecit. Iuſſit
hinc Senatus occiſi ſunt uiri cõſulares, Nigrinus, Palma, Celſus, Luſius, quòd
inſidias Adriano ſacrificanti parauerant: uel, ut Dion ſcribit, in uenatione ei in
ſidias tetenderant. Tum Romam ueniens ſeſe excuſauit, iurauitq; nunquã ſe-
natorem niſi ex Senatus ſententia puniturum. Quantum autem ſenatoriæ de-
tulerit grauitati, uel hinc maximè patet, quòd colaphum liberto ſuo infligi iuſ-
ſerat, cùm ipſum inter duos ſenatores ambulantem conſpexiſſet, cum hac addi
tione: Ne tam impudenter inter eos ambularet medius, quorum adhuc ſeruus
eſſe poſſet. Mox populo, ut gratiã mereretur, cõgiarium donans, & pecuniam
remittens quę fiſco debebatur: ab uniuerſis debitoribus, damnatorum bona in
ærarium publicum intulit. Pueris ac puellis quibus Traianus alimenta ſtatue-
rat, incremẽta dedit: ſenatoresq; pauperes ſumptibus iuuit, ad honores explen
dos. Gladiatorium munus ſex diebus continuis exhibuit, natali ſuo mille feras
edidit, optimos quoſq; de Senatu in contubernium ſuum aſciuit. Senatui legi-
timo cùm in urbe uel extra urbem eſſet, ſemper interfuit: faſtigium Senatus ex-
tollens quantum potuit, ac difficilè nouos ſenatores faciens: pluribus autem
qui potentia creuerant, in præfecturis ſucceſſores dedit: conuiuijs amicorum
ſæpè interfuit. Aegros bis ac ter die, & nonnullos equites Romanos ac liber-
tinos uiſitauit, ſolatijs refouit, & conſilijs ſubleuauit, inſtar priuati hominis.
Profectus in Gallias Germaniasq;, magis pacis quàm belli cupidus, militem e-
xercuit, & labantem militarem diſciplinam poſt Octauium Cæſarem refecit.
In ordinandis & officijs & impenſis, omnia delicata ſuſtulit, arma correxit: Tri
bunatum, niſi cuius ætas prudentia & robore firmaretur, nulli dedit. Aetatem
& in milite requiſiuit, eorumq; numerum & noticiam tenuit. Reditus prouin-
ciales explorauit, enixus ſummè, ne quid ocioſum uel emeret uel paſceret. In
Britannia murum per octingenta milia paſſuum primus duxit, qui Barbaros à
Romanis diſcerneret. Amicorum adeò ſtudioſus, ut ſingula exploraret, & ſe-
cretiſsima quæq; rimaretur. et per hoc in uitia lapſus adulterij: quæ ubi cogno-
uit, neq; ipſe ab ijs abſtinuit. Compoſitis in Britãnia rebus, tranſgreſſus in Gal-
liam, in Hiſpanias poſtea uenit. ibi in Tarracone ædem Auguſti reſtituit, pòſt
Germanis regem conſtituit. Maurorum motus compreſsit, & à Senatu ſuppli-
cationes emeruit. Bellum Parthorum repreſsit. Per Aſiam in Achaiam nauiga
uit, Eleuſina ſacra ſuſcepit. Athenienſibus multa contulit. Tum in Siciliam na-
uigauit, ut Solis ortũ uideret, arcus ſpecie, ut dicitur, uarium: et hinc Romam,
pòſt in Aphricam tranſijt, multum prouincijs benefaciens. Tum per Aſiam ad
Orientem profectus, omnes principes in celeritate itineris ſuperauit. A Capa-
docibus ſeruitia profutura ſuſcepit. Reges ad amicitias inuitauit: quos ad ſe ue
nientes ita accepit, ut eos pœniteret, qui non uenerant. Antiochenſes odio ha
buit: & in Iudæa tum tumultus erat, quòd uetarentur mutilare genitalia. Pera-
grata Arabia, Peluſium uenit: Pompeij ſepulchrum innouauit, eiq; parentauit,
hoc carmẽ adijciens: Oſſa uiri magni tenui quàm clauſa ſepulchro. Literarum
& poematum ſtudioſiſsimus fuit: Arithmeticæ, Geometriæ, picturæ peritiſsi-
mus. Multa amatoria carmina ſcripſit, & uerſibus cõpoſuit. Profeſſores tamen
omnium artium ſemper, ut doctior, riſit, cõtempſitq;. Cum his quoq;, carmini
bus ſæpè certauit: controuerſias declamauit, Ciceroni Catonem prætulit, Vir-
gilio Ennium, Saluſtio Cecilium, Homero Antimachum: uoluitq; ut in ſcholis,

pro

pro Homero legeretur pueris. Tum professores omnium disciplinarum locupletauit & ditauit, licet quæstionibus agitaret. Famæ tam cupidus erat, ubi libros etiam à se scriptos de sua uita, libertis suis literatis dedit, qui eos suis nominibus publicarent. Inter quos erat Phlegon Trallianus Adriani à secretis, qui etiam multos libros composuit, ut Suidas in Collectaneis scribit, & quem Eusebius egregium Olympiadarum scriptorem in Chronicis uocat. cuius Epistolam elegãtissimam de Iudeis & Aegyptijs, nec non Christianis, lege apud Vopiscum in uita Saturnini. Adrianus armorum & rei militaris erat scientissimus, uocatosq; ad militiam, equis, mulis, uestibus, sumptibus, & omni ornatu donauit. Omnes reges muneribus uicit suis, à plerisque etiam pacem redemit. Sed nulli maiora dona dedit, quàm Hiberorum regi. Cum omnibus publicè lauit. Peregrinationis ita cupidus, ut omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, presens uellet addiscere. Tempestates ita patienter tulit, ut instar Masinissæ nunquam caput tegeret. Iurisconsultos, Iulium Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum, consilio suo adhibuit: multaq; in Repub. reformauit. Instauratit Romæ Pantheon, Septa, basilicam Neptuni, forum Augusti, lauacrum Agrippæ. Fecit sibi sepulchrum, & pontem sui nominis. In colloquijs humilimorum ciuilissimus fuit, memoriæ ingentis, facultatis immensæ, dicaculus & iocosus: multasq; orationes & ipse dictauit, & ad omnia respondit. Vno tempore scripsit, dictauit, audiuit, & cum amicis fabulatus est. Rationes publicas perfectissimè tenuit. Militibus charus fuit, quòd esset in eos liberalis: à Parthis dilectus, quòd regẽ retraxit, quem Traianus dederat. Armenis, Albanis, Hiberis, Bactrianis charissimus. Innocentes pauperes sponte ditauit. Callidos diuites odio habuit. Sacra Romana diligentissimè curauit, peregrina contempsit. Pontificis maximi officium peregit. Cùm autem iam peragrasset omnes penè partes orbis nudo capite, & in summis plerũq; imbribus ac frigoribus, in morbum incidit letalem: deq; successore solicitus, Seruianum, Fustum, Pletorium, Gentianum, quasi affectatores imperij & futuros Imperatores detestatus est, moriq; coëgit. Ceionium autem Commodum Verum inuitis omnibus adoptauit, eumq; L. Aelium Verum Cæsarem appellauit. Tum ludos Circenses et donatiuum populo dedit, ac militibus. At Commodus ualetudinarius cùm largius antidoto uteretur, ingraueſcente ualetudine per somnum Cal. Ianuarijs perijt. Habuit hic patrem L. Ceionium Commodum Verum: cuius paternum genus ex Hetruria, maternum ex Fauentia fuit. Mortuus autem, sepultus est in mole Adriani, ubi adhuc legit in pariete: L. AELIO DIVI ADRIANI AVG. F. COS. II. Cuius uitã elegãtissimè Spartianus perscripsit. Tum Adrianus adoptauit Annium Antoninum, qui postea Pius dictus est: ea tamen lege, ut ille sibi duos adoptaret, Annium Verum, & M. Antoninum, qui postea duo Augusti primi gubernarũt. Adrianus uerò miserabili cruciatu affectus, inq; ultimum uitæ tædium delatus, gladio se transfigi à seruo iterum atq; iterum petijt, uenenumq; à medico popoſcit. Tandem Baias petijt, Antonino Romę ad imperandum relicto. Vbi cùm nihil proficeret, accersito Antonino, in conspectu eius apud Baias perijt, hos uersus enuncians:

Animula, uagula, blandula,
Hospes, comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis iocos.

Dion scribit, Adrianum, postquam promissa pecunia & data uenia nemo ei obtemperaret, Mastorem quẽdam barbarum nomine, Iazigem genere, (quo homine propter robur & audaciam plerunque in uenationibus usus fuerat) & minis & pollicitationibus coegisse, ut cædem sibi inferret: ac circumscripsisse locum sub mamilla, quem Hermogenes medicus demonstrauerat, quo letaliter percusso statim sine dolore expiraret. Sed ubi hoc ei nõ succesit (nam Mastor attonitus fugit) multum de se querebat, quòd nullum percussorem reperi-

e iiij re posset.

re posset. Deinde consilio medicorum super uitam, abstinuit cibo & potu qui ad salutem, imò ad morbum exaugendũ faceret. Moriturus tandem dixit: Turba medicorũ interfecit regẽ. In uilla Ciceroniana Puteolis sepultus, mortuus est anno ætatis lxij. cùm imperasset annis xxi. menses undecim. Vir procerus statura, forma comptus, flexo ad pectinem capillo, promissa barba, ut uulnera quæ in facie erant naturalia tegeret. Primus enim Cęsarũ Adrianus, Dione teste, barbã nutriuit. Memorię, & omnis penè artificij opifex incredibilis. Sed ingenij inuidi, lasciui, & ad ostentationẽ sui insolentis. Commẽticiæ facilitatis ac clementiæ simulator, & ambitiosissimus. Supra omnia tamen magicis artibus studiosus, adeò ut sacris magicis uteretur, & per magicam uanitatẽ plura inquireret. Antoninus Pius templum pro sepulchro apud Puteolos ei constituit, diuinosq; honores exhibuit, unde & passim dictus est Pius.

Habuit aũt uxorem nomine Sabinam, quam ut asperã & morosam dimissurus, ut ipse dicebat, si priuatus fuisset: & quòd apud eam iniussu eius familiarius egerant, quàm reuerentia domus aulicæ postulabat, Septitius Clarus pręfectus prætorij, & Suetonius Tranquillus epistolarum magister, eis successores dedit. Pręterea etiã non sine fabula uenení dati ab Adriano defuncta est. Nam propè seruilibus iniurijs affecta, ad uoluntariã mortẽ cõpulsa est. Hæc palàm
47 iactabat, se quod immane ingeniũ persuasisset elaborasse, ne ex eo humani generis pernicies grauidaret. Sed qui plura de Adriano scire uoluerit, Dionem, Spartianum (nam Martius Maximus iactura temporum concidit) Orosium, Eutropium, ac Eusebium adeat. Tetrasticho Ausonij nunc claudamus:

Aelius hinc subijt, medijs præsignis in actis,
Principia & finem fama notat grauior.
Orbus & hic: sociatq; uirum documenta daturum,
Adsciti quantum præmineant genitis.

ANTONINVS PIVS.

ANTONINVS Pius, filius T. Aurelij Fuluij consularis (à quo & ipse T. Aurelius Fuluius dictus est) & Arriæ Fatidillæ, quæ filia fuit Arrij Antonini bis cõsulis, hominis sancti: qui olim Neruam miseratus quòd imperare cepisset, à quo ipse et à sua auia materna Boionia Procilla, cognominatus Boionius Antoninus: ut suspicãdum sit, falsò scriptũ in Aurelio Barinius, cũ Eutropio & Capitolino ac cęteris Boionius dicatur. Aelius aũt Adrianus ex adoptione appellatus est: Pius uerò à Senatu cognominatus, uel quòd socerũ fessa iam ętate, manu pręsente Senatu leuauerit, uel quòd morti pleroscp destinatos ab Adriano per malã ualetudinem reseruauit, ac diligenti custodia ne quid eis obueniret enixus est: uel quòd infinitis ac immẽsis honoribus Adrianum mortuum decorauit: licet natura fuerit alioqui clementissimus, nihil asperum temporibus suis admittens. Vir ingenio clarus, moribus clemens, uultu placidus, forma conspicuus, & statura decorus ac longus. Cũ uerò senectute incuruaret tiliaticijs tabulis in pectore positis fasciabat, ut rectus incederet. Eloquentiæ singularis, nitidæ literaturæ, sobrius, mitis, largus, alieni abstinens, omniaq; cũ mẽsura ac sine iactãtia faciẽs: ut Numæ Põpilio bonorũ sententia cõpararet: utpote qui eandẽ felicitatẽ, pietatẽ, securitatẽ, ceremoniasq; semper obtinuit. Sub auo paterno primũ, tum materno, educatus in uilla Laurina: cõsobrinorũ & affiniũ hereditate ditatus, quos oẽs religiosissimè coluit. Vsurã ita exercuit, ut plures iuuaret. Quęstor liberalis, prętor splẽdidus, cõsul magnificus, et inter iij cõsulares ab Adriano deputatus, quibus Italia cõmittebatur. Quã cùm regeret, imperij omen accepit, & in procõsulatu Asiæ potissimùm. Post proconsulatum in consilijs Adriani Romæ frequens uixit. Dehinc ab eo adoptatus,

cùm

cùm Aelius Verus iam mortuus esset: sed ea lege, ut ipse sibi adoptaret M. Antoninum fratris uxoris suę filium, & L. Verum Aelij Veri ab Adriano adoptati filium, qui pòst & Verus Antoninus dictus est. Post adoptionem in Senatu gratias agens, factus est patri, & in imperio proconsulari & in tribunitia potestate, collega. Cui quoad uixit religiosissimè paruit. Sed Adriano apud Baias mortuo, Reliquias eius Romam peruexit, easq; sanctè atq; reuerẽter in hortis Domitię collocauit, cunctisq; repugnãtibus inter Diuos eũ retulit: sacerdotes instituit, clypeumq; Adriano magnificentissimũ posuit. In uictu eius erat opulentia sine reprehensione, & parsimonia sine sordicie. Panem siccum frequẽter comedit ad sustentandas uires in senio, antequam salutatores uenirent. Imperium sic temporatè gubernans, ut nulli successorẽ quos Adrianus euexerat, daret: septem ac nouem annis præsides in prouincijs detineret, bella plurima per legatos gereret. Britannos, Mauros, Germanos, Dacos, Iudęos rebellãtes contudit, Alanos refrenauit. In Achaia atq; Aegypto rebelliones per præsides repressit. Adeò ut autoritate sola rexerit orbẽ terræ, nullo penè bello, ut Sextus Aurelius scribit. Iussit tributa modestè suscipere procuratores, quia lucro minimè lætabatur. Excedentes modũ reprehendit, condemnatis indulgentiam impetrauit. Ciuilis Imperator penitus, multum Senatui tribuens, ac quæcunq; in prouincijs ageret, consilio amicorũ uteretur. Tanta diligẽtia subiectos sibi populos rexit, ut omnes sub eo prouinciæ florerẽt: quoniã omnium prouinciarũ rationes apprimè sciuit: ociosis salaria subtraxit, dictitãs, nil esse crudelius quàm Remp. ab ijs arrodi, qui nihil in eam labore suo conferũt. Multas ciuitates adiuuit pecunia, ut opera uel noua facerent, uel uetera restaurarent. Famẽ urbis sedauit emẽdo fruges, & dando gratis populo. Quę terrę motu conciderant, instaurauit, & quæ incendio absumpta erant. Reges pacauit plures, à quibus ita timebatur atq; amabat, ut parentẽ atq; patronum magis quàm dominũ putarent: omnesq; uno ore (scribente Sexto) in cœlestiũ morem propitium optantes, de controuersijs inter se iudicẽ poscerent. Quinctiã Indi Hircaniq; legatos misere, iusticia tanti Imperatoris comperta: quam ornabat sereno uultu, maiestate pleno, conspectus regius, appetentia gloriæ carens, & ostentatione. Amicis suis in imperio haud aliter usus, q̃ priuatus. Creber ac frequens cum his, & deambulatione, & sermone, & conuiuijs: cùm & ipse nonnunquã amicorum conuiuia ceu priuatus (quod & in uindemijs fecerat) frequẽtaret. Piscando & uenando multum se oblectauit, multaq; de iure sanxit, quod hodie quoq; in iurisperitorum libris manifestè apparet: usus Vlpio, Marcello, Iaboleno, Volusio, alijsq; iurisperitis. Intra urbes mortuos sepelire uetuit. Omnium quæ gessit & in Senatu & per edicta, rationẽ reddidit. Perijt anno septuagesimo, cùm Alphinũ caseum in cœna edens auidius, nocte reiectaret, febre correptus: qua tertio die grauatus, spiritum reddidit apud Lorium (quod oppidum Ethruriæ est, prope Romam xiiij. lapide, uia Aurelia) Anno imperij uigesimo iij. Sepultus in mole Adriani cum hac inscriptione: *IMP. CAES. T. AELIO ADRIANO ANTONINO AVG. PIO PONT. MAX. TRIB. POT. XXIIII. IM. II. COS. IIII. P. P.* Moriturus Remp. M. Antonino, & filiam præsentibus præfectis cõmendauit, iussitq; in eius cubiculum transferri Fortunam auream, quæ in cubiculo principum poni solebat. Filię priuatum patrimonium reliquit. Amicos omnes legatis idoneis testamento prosequutus est. Cum iucunditate à Senatu diuus est appellatus, cunctis eius pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniamq; laudãtibus. Ob cuius honorem decreti sunt sodales Antoniani, Circenses, templum, flamen: solusq; omnium propè principum prorsus sine ciuili & hostili sanguine, quantum ad seipsum pertinet, uixit.

Habuit autem uxorem Anniam Faustinam, Annij Veri filiam. Ex qua duos filios mares, duasq; fœminas genuit. Maiorem filiam Lamiæ Sillano, minorem M. Antonino dedit, nuptiasq; Faustinæ filiæ, cùm eam M. Antonino 48

coniun-

coniungeret, usq; ad donatiuum militum celeberrimas fecit. Cæterùm multa de uxore Antonini ob nimiam libertatem & uiuendi facultatẽ dicta sunt, quæ iste cum animi dolore compressit. Vnde cùm ab ea argueretur post adoptionem, quasi nesciret cur cõgiarium militibus & donatiuum populo de proprio ut promiserat daret: Stulta, inquit, posteaquam ad imperium transiuimus, & illud quod habuimus antè perdidimus. Dehinc Faustinam Augustam appellari à Senatu permisit, cùm iam patri & matri, auis ac fratribus mortuis statuas decretas libenter accepit. Sed tertio imperij anno uxorẽ perdidit, quæ à Senatu consecrata est, delatis Circensibus atq; tẽplo, & flaminicis & statuis aureis atq; argenteis: cùm etiam ipse hoc concesserit, ut imago eius cunctis Circensibus poneretur. Tũ puellas alimentarias in honorẽ Faustinę, Faustinianas cõstituit. Qui plura de Antonino Pio scire uoluerit, Iulium Capitolinum, Aurelium Sextum, Paulum Orosium, Eutropium adeat: ac Eusebium tam lib. temporum quàm historiæ sacræ libro quarto reuoluat, ut quæ sub eo gesta sint plenius cognoscantur. Pro more, Ausonij tetrastichon subiungam:

Antoninus abhinc regimen capit, ille uocatu
Consultuq; Pius, nomen habens meriti.
Filius huic fato nullus, sed lege suorum
A patria sumpsit, qui regeret patriam.

MARCVS ANTONINVS.

QVM à C. Iulio Cæsare hucusque singuli rexerint Augusti, annos circiter ducentos, ut Herodianus tradit, hoc uerò tempore bini Cæsares æqua potestate imperium administrauerint, uno statui capite ac promiscuè de utrisque loqui: de unoquoque tamẽ, quò ad genus, seorsum. M. itaque Antoninus filius fuit Annij Veri, qui in prætura decessit, & Domitiæ Lucillæ Caluillæ, Caluisij Tulli bis consulis filiæ: uir omnium uirtutum & sanctitate uitæ præcipuus, cœlestisq; ingenij, in omni uita philosophiæ deditus. Vnde & Philosophus cognominatus est. Verùm à principio aui sui nomen habuit, Annius Verus dicebatur, & Catilij Seueri materni proaui. Post excessum uerò patris, ab Adriano Annius Verissimus uocatus est: post uirilem togam Annius Verus. Patre mortuo, ab auo paterno adoptatus & educatus, magnis præceptoribus traditus est, à quibus philosophiam, & omne literarum studium assequutus est, habitumq; philosophi gessit: potissimum tamen detulit Frontoni Cornelio, cui & statuã à Senatu impetrauit, & Apollino Chalcedonio Stoico philosopho, ad cuius domum discendi causa etiam Imperator uenit. Sed plerosq; alios insignes philosophos audiuit, ut Sextum Cheronensem Plutarchi nepotem, Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & alios multos magistros, quibus honores quantũ potuit maximos exhibuit: imagines eorum aureas fecit, hos quoq; & condiscipulos honoribus ac diuitijs auxit. Iuuenis admodum ab Adriano in Saliorũ relatus est collegium, in quo sacerdotio & præsul & uates & magister fuit, omenq; futuri imperij accepit. Sumpta uirili toga, quintodecimo ætatis anno L. Ceionij Commodi filiã sponsam ex Adriani suscepit uoluntate. Amauit autem uenationẽ, pugilum luctamina, cursus, aucupatus, & pilæ studium. Sed ante omnia philosophię studium. Cùm autẽ Adrianus L. Aelium Verum adoptasset, eoq; mortuo minus habilis esset imperio Marcus, cùm decẽ & octo annos tantum ageret, Antoninũ Pium amitæ Marci uirum ea conditione elegit, ut sibi Marcum Pius adoptaret, & Marcus sibi L. Cõmodum adoptaret. Neque lætus ex illa adoptione, sed tristis in regiam domum concessit, explicans quot mala in se contineret imperium: ac tum primùm pro Annio Aurelius cepit uocari, quòd in Aureliani, hoc est Antonini adoptionis iura transisset. Sed in Aulicam adoptatus domum, omnibus parentibus suis

tantam

tantam reuerentiã, quantam priuatus exhibuit: licet pluribus òccuparetur honoribus in ſummis obſequijs erga patrem. Et cùm per uiginti & tres annos in domo patris uerſatus eſſet, uix duabus noctibus tot annis ab eo manſit, quotidie in eius amore creſcens, adeò ut cùm iam Pius cõſenuiſſet, finemq; uitæ ſuæ adeſſe cerneret, eum ſucceſſorẽ imperij omnibus commendauit atq; cõfirmauit, traducta Fortuna aurea in cubiculũ Marci per tribunũ. Defuncto tũ Pio, à Senatu coactus regimẽ publicũ capere, fratrem ſibi participẽ in imperio deſignauit, quem L. Aureliũ Verum Commodũ appellauit, Cęſaremq; atq; Auguſtum dixit: & ex eo pariter Rempub. regere. ipſe nomen Antonini recepit, & quaſi pater L. Commodi eſſet, & Verum eum appellauit, addito Antonini nomine: filiamq; ſuam Lucillã fratri deſpondit. Adepti imperiũ ita ſe ciuiliter ambo egerunt, ut lenitatẽ Pij nemo deſideraret: cuius corpus iam magnifico exequiarũ officio Adriani ſepulchro intulerunt, creatis ſodalibus Aurelianis, atq; flamine ex affinibus ac amiciſsimis. Tum mirabili cura & prouidentia tẽperauerunt ambo grauiſsima iſta incõmoda urbis, quæ iundatio Tyberis fecit: qua multa urbis ędificia corruêre, et animalia periêre, et fames grauiſsima ſubſequuta eſt. Vnde Aurel. Sext. ſcribit, M. Antoninũ quaſi ęrumnarum publicarũ defenſorẽ obiectum fuiſſe, cùm terræmotus non ſine interitu ciuitatũ, inundationes fluminũ, lues crebrę, locuſtarũ ſpecies agris infeſtę, prorſus ſummis angoribus mortales attererẽt. Et iã bella undiq; feruebãt. Imminebat bellũ Parthicũ, Britannicum: & iam Catti in Germaniã ac Rhetiã irrũperant, cõtra quos Aufidius Victorinus miſſus eſt, cũ aduerſus Britannos Calphurnius Agricola, Iulij Agricolę nepos, proficiſcereẽ, et cõtra Parthos L. Verus (conſentiẽte Senatu) mitteretur. Nam res urbanę Imperatoris Marci preſentiã poſtulabãt. Verus in Syriã ueniẽs, in delicijs apud Antiochiã et Daphnẽ urbes uixit, per legatos bellum Parthicũ gerẽs, cùm Marcus omnibus horis Reip. incubaret. In Armenia res proſperè geſtę, Armeniacum nomen utriq; principũ attulerunt. Sicut mox 49
bello Parthico profligato, uterq; Parthicus appellatus eſt. Quæ nomina Marcus per uerecundiam primò repudiauit: ſicut & patris patriæ nomen, quod ei abſente fratre eſt oblatum, ſed in eiuſdẽ præſentiam diſtulit. Poſtquã enim frater uictor à Syria rediit, ambobus P. P. nomẽ decretũ eſt. Nam Romæ Marcus ſumma diligentia Remp. moderabatur nouis legibus, & multis & bonis, quas ex iureconſultorum prudentia ſanxit, cum maximo Senatus conſenſu. Neque enim quiſquã principum amplius Senatui detulit. Tulit eẽ leges de aſſertionibus, de auctionibus, de menſarijs, de ſtatu defunctorũ, de ſumptibus publicis, de uiceſima hæreditatũ, de tutelis liberorũ, de bonis maternis, de filiorum ſucceſsionibus pro parte materna, & ius uetus penè reſtituit. Quod ex iureconſultorũ libris animaduerti hodie quoq; poteſt. Scæuola iureperito uſus: moderatiſsimus per omnia, ut ex malis bonos, ex bonis optimos faceret. Quemadmodum eẽ malos deterruit, ita bonos inuitauit. De alimentis publicis multa prudenter inuenit, uias urbis diligẽtiſsimè curauit, delationes contẽpſit. Cùm aũt Marcomannicum bellum ſuboriretur, finito iam Parthico, quod Lucius quinquennio confecerat, per Senatũ ſunt ambo decreti huic bello Imperatores. Licet id Marcus ſolus cum ſumma & felicitate & uirtute tranſegit. L. aũt cum fratre in uehiculo ſedens, dum iter facerent, apoplexi arreptus perijt, quem M. diuum fecit. Dum enim uiueret, eius uitia quoad potuit cælauit (quia uehementiſsimè diſplicuerant) flaminẽq; & ſodales Antoninianos, cum ſummis honoribus dedicauit. Solus deinde Rempub. tenuit multo melior ad uirtutes, utpote qui à nullo impediretur. Cùm ergo prouincias ingenti moderatione ac benignitate tractaret, cũ Germanis res feliciter tranſegit. Nam Pannonias, oppreſſis Marcomannis, Sarmatis, Vuandalis & Quadis, liberauit ſeruitio. Marcomannos enim in tranſitu ipſo Danubij deleuit, & prędã prouincialibus reddidit, acceptisq; Marcomannis in deditionem, plurimos in Italiã traduxit: filium

dehinc

dehinc Cõmodum Cęsarem faciens, cum eo triumphauit. Et cùm exhaustum esset ærarium, ne Marcomannicum bellum intermitteretur, distracta omni supellectile sua regia, aurum multum adeptus est. Sed in amore omnium existẽs, & nulli molestus, octauo decimo anno imperij sui, & sexagesimo primo uitæ, diem ultimum clausit. Licet Aurelius Sextus, quinquagesimo nono anno uitę apud Bendobonam morbo consumptum scribat. Alij ex pestilentia, sexta die quàm ægrotasset, mortuũ tradunt in Germania. Vix dici potest, quantũ urbs, audito mortis nuncio, publico luctu confusa mœrorem induerit: Senatus atra ueste ornatus collachrymarit. Et, quod de Romulo creditum est, omnes pari consensu præsumpserunt Marcum cœlo receptum esse. Ob cuius honorem templa, columnæ, multáque alia decreta sunt: hodiéque statua eius apud basilicam Lateranensem, ubi natus & educatus creditur, Pacificatoris Equestris cernitur.

Habuit autem uxorem Anniam Faustinam, filiam Pij, sic annitente Adriano, ut Marcus Pio gener esset: ut quandoque ad eum imperium peueniret. Obstitit enim puerilis ætas, ne ab eo successor designaretur. Ex hac dicitur filium reliquisse Commodum: prorsus fœlix, si hunc filium non genera sset. Quanquam multi sint qui Commodum ex adulterio genitum, nõ ex Marco scribunt: ut latissimè Capitolinus explicat, qui de nephandis amoribus Faustinæ erga gladiatorem pulchram fabulam narrat. Sed tranquillitas ac boni principis pietas effecit, ne eam repudiaret, licet eam inter adulteros nõnunquam prandentem deprehendisset. Sed non modò nihil uxori fecit, sed ad uarios honores adulteros promouit: quod sanè ei crimini datum est. Filiam suam Lucillam Pompeiano dedit bis consuli, de quo inter Cõsules mentio facta est. Filium quoque habuit Verum nomine Cæsarem, quem septennem amisit: ac quinque diebus tantum luxit, decreta sibi aurea statua. Lampridius scribit, Faustinam uno partu enixam geminos, Commodum scilicet & Antoninum, qui quadrimus elatus est. quem parem astrorum cursu Commodo Mathematici promittebant. Cùm Faustina esset prægnans, uisa est in somnis serpentes parere, sed ex his unum ferociorem. Amisit & Faustinam filiam in radicibus mõtis Tauri. Et Faustinam uxorem diuam à Senatu appellatam, gratulatus est. Quam cùm secum in æstiuis haberet, matrem Castrorum appellauit. Cui mortuę instituit puellas Faustinianas, in honorem uxoris. Nec uoluit liberis suis superducere nouercam, contentus in concubina: quanquam multum laboraret Fabia, ut in eius matrimonium ueniret. Scribit enim Herodianus Marcum Imperatorem filias quidem suscepisse complures, mares autem duos tantum. Iuniori Verissimo nomen fuisse, & adolescentulum admodum fato functum. Sed alterum Commodum, magna diligentia ac cura educasse. Cùm triennio bellum gessisset cum Marcomannis, conatus prouinciam facere Marcomanniam, Auidius Cassius rebellauit in Oriente, ac se Imperatorem appellauit: suggerente Faustina, mariti ualetudinem suspectam habente. (timebat enim, ne infantes filios tueri sola non posset: atque aliquis existeret, qui capta statione regia infantes de medio tolleret.) uel ut alij tradunt, ementita morte Antonini. Sed hic mox à Senatu est hostis iudicatus, bona eius proscripta, & in ærarium publicum sunt relata: quoniam in priuatum ærarium Antoninus congeri noluit. Cassius statim interfectus est, caput eius allatum Antonino: quod tamen humari iussit, è nihilo lętatus, dicens se uoluisse sine Senatorio sanguine imperium transigere. Tum exercitus Metianum filium Cassij, cui Alexandria erat commissa, occidit. Reliqui filij iussi exulare, accepta parte patrimonij. Sed plura de hoc tyranno Auidio Cassio scribere minimè duxi. Non enim omnes purpuratos, sed Cæsares ac Augustos hoc Catalogo enarrare statui. Quisquis tamen Auidij Cassij uitam integrã edisscere uoluerit, Vulcatium Gallicanum adeat, qui præter mores Cassij, pietatẽ etiam ac clementiam Marci Impe-

ci imperatoris copioſè explicat. Sed res ipſa exigit, ut per ociũ de L. Vero pau
cula ſubſcribã. Hic filius fuit L. Aelij Veri, qui ab Adriano adoptatus, primus
Cæſar eſt dictus, & mox in eadem ſtatione perijt. Mortuo patre Cæſare, in A-
driani familiam uenit, Aeliusq; eſt dictus. dehinc Aurelio datus eſt adoptan-
dus, cùm ſibi ille Pium filium, Marcum nepotem elegiſſet: poſteritati ſatis pro
uidens, qui poſtea Pij filiam uxorem accepit. Verus autem Marci filiam Lucil
lam uxorem duxit. In puerítia optimè inſtitutus, & uerſu & oratione ſoluta: li-
cet ad literas non ingenioſus eſſet. Poſt ſeptimum annum in familiam Aure-
liam traductus, unde hæc nomina omnia ſortitus eſt: L. Ceionius, Aelius, Cõ-
modus, Verus, Antoninus. Ludis, iocis, delicijs aptiſsimus. Amauit uenatio-
nes, palæſtras, & omnia iuuentutis exercitia. Ludos inſuper Circenſes ac gla-
diatorios. Poſt mortem Pij, Marcus in eum contulit Imperatoriam poteſtatem
ac tribuniciam: licet illi ſoli ſenatus detuliſſet imperium. Dehinc Verus uoca-
tus, in Syriam poſtea profectus, adulterijs & omni luxuriæ genere fuit infama
tus. Quæq; in Syria conceperat uitia, Romam etiam deduxit: popinæ, aleæ, &
nocturnis incurſionibus per urbẽ ita deditus, ut Neronis, Caij & Vitellij eſſet
æmulus. Aurigas gladiatoresq; amans, & in noctem cœnas trahens, porcum
ageret, nõ imperatorem. Quæ omnia quaſi neſciens Marcus, diſſimulabat, ne
pudore illo fratrem carperet: imò ut parſimoniam peregrinando addiſceret, &
timore bellico emendatior rediret, ſeq; imperatorem eſſe recordaretur, à Mar
co in Parthicũ bellum miſſus eſt, ne in urbe ante oculos omnium peccaret. ſed
nihil profecit penitus. Quandoquidem ex bello reuerſus, cœnam in noctem
uſq; inſtituit, poſt quam teſſaris luſum eſt uſq; ad lucem: quæ omnia latiſsimè
Capitolinus explicat. In Apulia uenabatur, Athenis inter ſymphonias & can-
tica nauigabat: in alijs Aſiæ, Pamphiliæ, Ciliciæq; ciuitatibus, ſeſe uoluptati-
bus omnimodis dediderat, cùm in Syria legiones ſuæ cæderentur. Quoniam
bellum Parthicum eius duces confecerant, qui Babylonem, Mediam, Arme-
niam uendicabant. Vnde nomen Armenici, Parthici, Medici, acquiſiuit: quod
& Marco Romæ agenti delatum eſt. Ad amicæ uulgaris arbitrium in Syria po
ſuit barbam. E qua Romam reuerſus, minore reuerẽtia circa fratrem fuit, liber
tis deditus & luxui. Plurimos præterea ſecum ex Syria adducens hiſtriones, fi-
dicinas, tibicines, ſcurras, preſtigiatores, & id genus innumera mancipia, cum
quibus in uilla ſua abſq; omni reuerentia inſaniuit. Quòd peperiſſe clandeſti-
nas inter ipſum & Marcum ſimultates rumor erat. Vnde quibuſdam ſuſpicio
fuit, Luciũ ueneno interijſſe: cùm apoplexi correptus, in uehiculo ſedens cum
fratre, apud Altinum, & (ut Sextus Aurelius tradit) inter Veronam ac Concor
diam iter faciens, periit: cùm triduo mutus uixiſſet poſt ſanguinis detractionẽ,
quum ex bello Germanico uterq; rediret. Satis conſtat Marcum mores Lucij
peroſum diſſimulaſſe, publiceq; & uiuum & mortuum ſemper laudaſſe, ac di-
uum inſuper uocaſſe. Vixit autem annis quadraginta duobus, imperauit cum
fratre annis undecim, in ſepulchro Adriani ſepultus, ubi Cæſar pater eius natu
ralis conditus erat cum huiuſmodi inſcriptione: *IMP. CAES. L. AVRELIO VERO AVG. ARMENIC. MEDIC. PARTHIC. PONT. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. V. COSS. III. P. P.*

Habuit autem uxorem L. Verus Imperator Lucillam, filiam Marci maxi-
mam natu, ſororem Commodi. Quam pater, poſtquam L. fato functus eſt, ma
nentibus adhuc Lucillæ principatus inſignibus, Pompeiano deſpondit, cuius
inter Coſſ. mentionem fecimus. Cui etiam Commodus priſtinum reliquit ho-
norem uſurpandum. nam & ſella imperatoria ſeſsitare in theatro, & ignem de
more præferri patiebatur. Et per hoc in odium Criſpinæ coniugis Commodi
uenit, unde & ipſa inſidias fratri Cõmodo per Quadratum adulterũ & Quin-
tianum ſtruxit, ab eo poſtea occiſa, ut Lampridius & Herodianus ſcribunt.
Quiſquis ijs pauculis minimè fuerit contentus, adeat Ruffum Sextum, Sext.

Aurelium, Eutropium, Oroſium, Euſebiũ. Sed in primis Iulium Capitolinum & Herodianum. nam alij deſiderantur plures, qui uitam Marci & Lucij ſcripſerunt: ut Marius Maximus, Lampridius, Vulcatius Gallicanus, cæteri. Quinimo ſenior Gordianus, referente Capitolino, fertur libris elegantiſsimis uerſibus triginta uitas Antonini Pij & Marci ſcripſiſſe: quos Antoniniados, ut Virgilius Aeneidos, & Statius Achilleidos, inſcripſerit. Nos tetraſtichon Auſonij ut conſueuimus, apponamus.

Post Marco tutela datur, qui ſcita Platonis
Fecit, ad imperium patre Pio melior.
Succeſſore ſuo moriens, ſed principe prauo:
Hoc ſolo patriæ, quòd genuit, nocuit.

COMMODVS CAESAR.

COMMODVS filius fuit Marci Philoſophi imperatoris, & Fauſtinæ Antonini Pij filiæ, & per matrem Adriani neptis, in pueritia præceptoribus eum erudire conatus eſt, quanquã nihil omnes profecerint. Quandoquidem ſtatim à pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ſcurram ſe & gladiatorem magis quàm imperatorem oſtenderet, crudelitatisq; exempla de ſe multa prębuit iuuenis. Et cùm ad Germanicum proficiſceretur bellum, cùm uitæ ſuæ cuſtodes honeſtiores ſubmoueret, peſsimos quoſq; detineret, amicos ſenes & patris miniſtros abij ceret, aurigæ habitu currus regeret, gladiatoribus cõuiueret, honeſtiſsimis quibuſq; inſidias tenderet: ob hoc bellum ignominioſè remiſit, licet triumpharet Romam reuerſus: & de nocte per tabernas ac lupanaria uolitaret, criminum ſocijs prouincias gubernandas committeret. Hinc in Senatus odium uenit, & in ſenatorũ ordinem crudeliter deſeuit, quorum plurimos neci tradidit: quos latiſsimè Lampridius & Herodianus recenſent. Sic puer guloſus, & impudicus adoleſcens, omnes cohabitantes infamauit: & ab omnibus infamatus, irridentes ſe feris obiecit. Paulo maturior ætate, omne genus ſceleris patrauit. Senatum ipſum uelut abiectum mancipium ita neglexit ac contempſit, ut honores, præfecturas, ac dignitates per ſeruos ac libidinum magiſtros uendiderit. Ac plurimùm eos in ſenatum conuocauit, qui nullius uirtutis, meritò cæteris contemptibiliores fuerant, nulla ratione habita neq; ætatis, neq; cenſus, neq; generis, neq; uirtutis: Herculem ſe Romanũ, & deum pium & fœlicem dictitans. Vnde à Græco quodam poëta hi uerſus, (qui non ineleganter facti ſunt) in ipſum ſunt ſcripti, quòd Antonini nomen minoris fecerat quàm Herculis: cùm tamen ſapientia Marci, bonitas Veri, pietas Antonini id nomen conſecrarint. Verſus hi ſunt:

Commodus Herculeum nomen habere cupit,
Antoninorum non putat eſſe bonum,
Expers humani iuris & imperij.
Sperans quinetiam clarius eſſe Deum,
Quàm ſi ſit princeps nominis egregij,
Non erit iſte Deus, nec tamen ullus homo.

Inter trecentas cõcubinas, quas ex matronarum meretricumq; delectu ad formæ ſpeciem collegerat, in palatio per cõuiuia & latebras debacchabatur: cum trecẽtisq; exoletis Lucillã ſororem occidit, cæteras conſtuprauit. Marciã concubinã præ cæteris dilexit, ac Amazonẽ appellauit: uocatus & ipſe ab ea Amazonius. Quo pacto & Decembrẽ menſem appellauit, cùm Nouembrem Exuperatoriũ, octobrem Inuictum, Septembrem Herculẽ, Auguſtum Commodũ uocitaret. Impudentiæ tantę, ut muliebri ueſte in theatro publicè ſedẽs, ſæpiſsimè biberit: inter gladiatores pugnauerit, multa ferarũ millia confecerit ſua manu, licet aliâs debilis eſſet. Ad cõficiendas enim feras uires omnes intendebat. Et ut Herodianus tradit, profeſſus eſt omneis ſe ſua manu feras occiſurum.

rum. Siquidem ita esse certa manus illius dicebatur, ut quodcunq; uellet, de ia culo sagitta ue contingeret. Erant enim cum illo assidue Parthorum lectissimi sagittarij, ac Numidæ iaculatores, quos ille tamẽ omnes longè artificio superabat. Quo pacto aũt in theatro Commodus ceruos, damas, tauros, pantheras, leones, elephantes, in publico spectaculo cõficere solitus sit, latissimè Herodianus prosequitur. Bella per legatos gessit tantum. Victi Mauri, uicti Daci, Pannoniæ quoq; compositæ. Prouinciales tamen in Germania, Britannia, Dacia, eius imperium recusarunt. Quæ tamen omnia per duces sedata sunt. Vendidit 52
autem prouincias & administrationes, & supplicíorum diuersitates, immunitates malorum & sepulturas, seculum suum aureum & Commodianum appellans: licet per negligentiam suam annona euastaretur, & ingens penuria fieret. Cæterùm cum urbem tanquam suam coloniam incẽdi iussisset (quod tamen Lætus præfectus prætorij prohibuit) & populum in amphitheatro interimi à classiarijs militibus præcepisset, cubicularios quoq; suos ex nutu facilè sine omni causa occideret, factæ sunt in eum conspirationes per Q. Aelium Lætum præfectum, & Marciam concubinã. Qui uenenũ ei propinantes inefficax per athletam, quem Herodianus Narcissum appellat, eum strangularunt. Sextus Aurel. scribit, Marciã generis Libertini, forma insigni, meretricijs artibus pollentem, cùm animum eius penitus deuinxisset, egresso è balneo uenenì poculum obtulisse. ad extremũ, cùm illud nihil operaretur, immissum ualidissimum palæstritam, qui compressis faucibus ipsum suffocarit. Sic omnibus incõmodus Commodus expirauit, anno uitæ tricesimo secũdo, imperij decimotertio. Acclamationes populi in eum factas latissimè describit Lampridius. Herodianus in secundo scribit, Marciam cum Læto & Electo deliberasse, cùm iam corpus Cõmodi per noctem uehiculo impositũ, in Aristeum esset missum, quòd de eius morte rumores sererent, quasi repente in opoplexiam incidisset: quod de illo facilè creditum iri existimabant, quem constabat identidem solitum immoderatis epulis saginari. Senatus eius cadauer, ut unco tractum in Tiberim deijceretur decreuit, & populus postulauit. Sed iussu Pertinacis postea in monumentum Adriani translatum est, cum huiusmodi inscriptione:

IMP. CAES. DIVI M. ANTONINI PII GERMANICI SARMATICI F. DIVI PII NEPOTI, DIVI ADRIANI PRONEPOTI, DIVI ADNEPOTI L. AELIO AVRELIO COMMODO AVG. SARMATICO GERMANICO MAXIMO BRITANNICO PONT. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VIII. COS. VI. PP.

Hunc post obitum inter deos retulit Seuerus Imperator amantissimus sui nominis, odio Senatus: addito flamine, quem ipse uiuus sibi parauerat. Sic tandem extinctus est post multiplices insidias Commodus, cui alioquí prẽter ætatis florem, congruens corporis modus suffragabatur: pulchra uirilisq; facies, tranquillæ faces oculis atq; micantes, flaua & crispa cæsaries, ut in sole ambulanti uelut igne quodam rutilaret.

Habuit aũt uxorem Crispinam nomine, sed multo longius detulit Marciæ concubinæ, quam uxoris propè loco habuit: sic ut præter ignem, omnes hono 53
res illi ueluti Augustæ tribueret. Quæ tamen unà cum Electo cubiculario, ac Læto præfecto, causa fuit ut occideretur, cùm legisset libellum quo ipsa, mox Lætus, Electus, ac ingens numerus eorum qui multum autoritatis habuerant, neci destinati erant à Commodo: ut latissimè Herodianus primo historiarum suarũ libro prodit. Sed Lampridius, Orosius, Eutropius, Sex. Aurelius, ac Eusebius quoq;, legendi sunt de rebus à Commodo gestis. Nos Ausonij tetrastichon subijciamus:

Commodus insequitur pugnis maculosus harenæ,
Threcidico princeps bella mouens gladio.
Elisso tandem persoluens gutture pœnas,
Criminibus fassus matris adulterium.

AELIVS PERTINAX.

AELIVS Pertinax filius fuit Helui Succesi libertini, qui filio nō
men indidit ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd
pertinaciter eam regeret: Puer literis traditus, & calculo imbu
tus, Sulpitio Apollinari grāmatico græco succesit, doctori li
terarū apud Ligures, in agro Lollij Gentiani educatus. De-
inde præfectus cohortis in Syriam est profectus. Bello Parthi
co in Britanniā est translatus. In Mœsia tum rexit alam, tum classem Germani-
34 cam. Tū à Marco in Senatū allectus, ope Pōpeiani, Marci generi, prętor factus
est, & primæ legioni impositus: statimq; Rhætias & Noricū ab hostibus uindi
55 cauit. Ex quo eminēti industria, studio M. Imperatoris, Cos. est designatus, cō-
sulatumq; absens gesserat. Ac postquā Cassius occisus est, utriusq; Mœsiæ ac
Daciæ regimen tenuit, ut meritò ad Syrię regimen proficisceretur, & tum qua
tuor cōsulares prouincias gubernaret. Sed cùm ei iam diuiti, ob Perhennium,
56 qui magnæ erat auctoritatis apud Cōmodum imperatorem, dum in uita esset,
nō liceret urbē ingredi, in Liguria in uilla paterna triennio substitit. Perhēnio
defuncto, iussus à Cōmodo in Britāniam proficisci, militum seditionem cōpe
scuit, non absq; periculo: utpote inter occisos relictus, licet seditionē hanc acer
rimè uindicaret. Pòst Aphricę proconsul factus, multas iterum seditiones per
tulit. Tandem præfectus urbi mitissimus & humanissimus post cæteros habi-
tus, Cōmodo plurimùm placuit: unusq; erat reliquus è grauissimis illis, quos
pater Cōmodo amicos reliquisset, cuiq; plurimū ex omnibus sociis ducibusq;
Cōmodus detulerat: tutus hactenus, uel grauitatem ipsam uerito, uel ob pau-
pertatem hominis dissimulante Cōmodo. Siquidem id quoq; illius laudibus
accedebat, quòd cùm plurima omniū administrasset, & aduersum Germanos
atq; orientales barbaros multis trophæis ob res domi belliq; præclarè gestas
insignis esset, tamen erat omnium pauperrimus. Occiso uerò Cōmodo, Lætus
præfectus prętorio, & Electus cubicularius, Pertinacem ad imperiū uocarunt
nocte intempesta. Qui ad occidendum se missos arbitratus, constanti & forti
animo, ne habitū quidem oris demutauit, mortem se ferre animo æquo edisse-
rens, ut perpetua ac tristi formidine liberaretur. Sed ubi amoto metu de nece
Cōmodi disseruerunt, intellecta omni re, totū se illorū potestati permisit. Qui
eum Imperatorē denunciarunt, dicētes morbo apoplexiæ Cōmodum interijsse,
& in castra deduxerunt. Et ita sexagenario maior Imperator est appellatus.
Nocte cum è castris in curiā ueniisset, assentiente uniuerso Senatu cum cōsule
inuitus, eademq; die qua appellatus est Augustus, primus omnium nomē Pa-
tris patriæ & proconsulare imperium, necnon ius quartæ relationis, licet no-
men Imperij tanquā rem inuidiosam & senectutem causando, recusaret. Preci-
bus tamē uictus, aulam Imperatoriam conscendit, moxq; ad cōuiuium Magi
stratus & proceres Senatus rogauit. In odium militum uenit, qui de immutan-
do Imperatore cogitarunt: & triarium Maternum Lasciuium Senatorem no-
bilem ducere in castra uoluerūt, sed nudus fugit. Vnde timore coactus, omnia
quæ Commodus militibus & ueteranis dederat, confirmauit. Dehinc reuoca-
uit eos qui deportati fuerant crimine maiestatis: eorum memoria restituta, qui
occisi fuerant. Census retractari, delatores uinctos grauiter puniri iussit, mol-
lius tamen quàm priores Imperatores. Leges de testamentis tam utiles quàm
honestas tulit, ne legitimi hæredes ac necessarij priuarentur. Quicquid inculti
soli uacabat, occupantibus adiudicauit: decemq; annorum immunitatem ac
perpetuam libertatem agricolis cōcesit. Imperatorijs possessionibus nomen
suum inscribi prohibuit, dictitans non esse illas proprias imperantium, sed cō-
munes Romanorum & publicas esse. uectigalia omnia penitus remisit, atq; in
antiquam libertatem reuocauit. Donatiua & congiaria quæ Cōmodus promi
serat,

ferat, exoluit: annonæ consultissimè prouidit. Aes alienum ab initio imperij contractum, facta auctione supellectilis Cõmodi Imperatoris, dissoluit. Operibus publicis certum sumptum constituit, stipendia debita soluit, præmia militantibus posuit. Auariciæ suspicione priuatus non caruit. Nam & sordidè se gessit in prouincijs consularibus regendis: & cùm paternum patrimoniũ perexiguũ esset, subitò factus est dives. Quinimo apud uada Sabatia mercaturas Imp. exercuit per homines suos, nõ aliter quàm priuatus solebat. Imò non multum amatus est etiã à ciuibus suis, qui ad eum Imperatorem iam confluxerant, & nihil de eo meruerant, cùm ipse lucri libidine munera reciperet. Senatui legitimo interfuit, & ciuilem se semper salutantibus exhibuit. Lætus tamen Prefectus prætorij, qui eum Imperatorem fecerat, quòd sæpius reprehenderetur ab eo, conuocatis militibus qui inter uina & epulas consilia inierunt Pertinacem è medio tollendi, in palatio eum confodit, sexto imperij mense, cum Electo & cæteris duobus cubicularijs. Sic perijt uenerabilis senex, cui fuit imperatoria statura, cum habitudine hominis pinguiore, facies uenusta, demissa barba. Eloquẽtia erat mediocri, sed magis blandus quàm benignus ac beneficus. Et ob id χρηστόλογος appellatus, quòd bene loqueretur, & malè faceret. Simplicitatem tamen amabat, & cõmunem se affatu, conuiuio, incessu præbebat. Nunquàm ad ulciscendum iniuria accepta ductus, per laboris genera uniuersa ad humanæ conuersationis exemplum eò prouectus, ut pila fortunæ uocaretur. Et quanquam milites & aulici eum odio haberent, populus tamen eius mortem indignissimè tulit. Et idcirco huic mortuo Diui nomen decretum est. Ob cuius laudem ingeminatis adusq; defectũ plausibus acclamatum est: Pertinace imperante securi uiximus, neminem timuimus, patre pio, patre Senatus, patre omnium bonorum. Caput eius conto fixum milites, qui eum occiderant, per urbem in castra pertulerunt. Reliquiæ eius recuperato capite in sepulchro aui uxoris locatæ sunt. Et Iulianus successor illius, corpus eius honorificentissimè funeratus est, cùm per Senatum & populum in Deos esset relatus. Ludi dehinc Circenses ei sunt facti, & flamines creati, Heluiani appellati.

Habuit autem uxorem Flauiam Ticianam, Flauij Sulpitiani filiã, quem prefectum urbi loco sui fecerat. Circa uxoris pudicitiam minus curiosus fuit, cùm palàm citharœdũ illa diligeret, & ipse usq; ad infamiã Cornificiam diligeret. Ex qua filios & filias habuit, quos ipse in palatio nutriri uoluit, cùm imperium cogitaret deponere, & ad priuatam uitam redire, cùm horruisse imperium semper uisus sit. Filium & filiam superstites reliquit, filius post patris obitũ flamen est factus Martiani sodalis, qui diui Marci sacra curabant, Heluiani postea propter Heluium Pertinacem dicti. Memorat Herodianus filium iam adolescentem nunquã in aulam Palatinam deductum, se intra priuatos parietes continuisse, & in ludum literarium atq; gymnasia de more itasse, ut nihil priuatis absimilis erudiretur, & omnia perinde ut quis è medio agitaret, neq; ullam aut tyrannicam aut omnino imperatoriam pompã ostentaret. Fuit enim Aelius Pertinax filius Pertinacis Imperatoris illius, quem, teste Spartiano, Antoninus Caracalla, pòst Imperator, occidi iussit, ob hoc solum, quòd filius esset Imperatoris: Licet fortè ob hoc etiam occidi potuerat, quòd cum Antoninus Parthicus, Arabicus, Alemanicus siue Germanicus, à deuictis ijs gentibus dici uellet, Aelius Pertinax diasyrticè dixit, uocetur etiam Geticus Maximus: quòd ideo dixerat, cùm Gothi, quos ille obiter subegit, Getæ dicantur. Sed reuera, quia fratrem Getam innocenter sustulit, Geticum appellauit. Hæc ex Eutropio, Orosio, Sexto Aurelio, Eusebio, Capitolino, & Herodiano excerpsimus. Et nunc Ausonij tetrastichon subiungamus:

Aeli iudicio & consulto lecte Senatus,
Princeps decretis prodite, non studijs.
Quod docuit malefida cohors errore probato,
Curia quòd castris cesserat imperio.

DIDIVS IVLIANVS

DIDIVS Iulianus, qui Pertinaci in imperio succesſit, filius fuit Petronij Didij Seueri & Claræ Aemiliæ, ac pronepos Saluij Iuliani bis conſulis & præfecti urbi, ac Iureconſulti nobilis, patria Mediolanenſis, educatus apud Domitiam Lucillam, matrem Marci Imperatoris. cuius ſuffragio Quæſtor, Aedilis, Prætor, Præfectus legionis, Cõſul & Proconſul Aphricæ, ſucceſſor Pertinacis fuit. Qui audita Pertinacis morte, ubi reſedit tumultus in urbe, qui à populo ob eius cædem excitus fuit, & milites in caſtris uenale imperium edicũt, tradituros ei ſe qui plurimum pecuniæ polliceretur, tutoq; in aulam deducturos ſpondent. Vt ueſpere factus eſt certior Iulianus inter uinum atq; epulas militum edicti, relicta menſa (ſic enim perſuadebant uxor, filia, & paraſitorum turba) accurrit (grandem enim ferebatur habere pecuniam, magnoſq; auri & argenti theſauros) aſcẽſis ſcalis ſupra murum, cum militibus de numero dandæ pecuniæ conuenit: Commodi ſtatuas à Senatu ablatas inſtauraturum ſe promittit, omnemq; licentiam, ac plus multo auri quàm aut petere auderent, aut accepturos ſperarent. Idq; ſine mora ſe facturũ ſpondet. In quam ſpem erecti milites, Iulianum declarant Principem, ſimiliter ei Commodi cognomen imponũt. Sic imperium emercatus, maiore militum comitatu quàm cæteri cõſueuerant (nam impetum multitudinis uerebatur) optimè armis munitus, in aulam deducitur. Ac tum primùm corrupti ſunt militum mores, fœdaq; & inſatiabilis pecuniæ cupiditas, & contemptus Imperatoriæ maieſtatis inoleuit, cùm nullus crudeliter interfecti principis uindex exiſteret, & nemo emptum nundinatumq; imperium prohiberet. Quæ cauſa fuit, ut etiam in poſterum turpiſsimi contumaciſsimiq; euaderent milites, auaricia milites ad contemptum Principum euehente, etiam ad ſanguinem uſq;. Vbi igitur Iulianus Imperium eſt adeptus, delicijs continuò crapulæq; deditus, circa Rempublicam indiligens, uitam molliſsimam traduxit: ſpe ſua militibus fruſtratis. Nec fidem promiſſorum impleuit, nec publico ærario pepercit. Ob id contemptui habitus militibus, & infenſus, à populo contemnebatur, & maledictis inſectabatur etiam in Circenſi ſpectaculo: ubi geminauit populus in Iulianum conuicia, & Peſcennium Nigrum ad urbis præſidium uocauit. Quæ omnia Iulianus placidè tulit, ac diſsimulauit. Populus autem in milites inuehebatur uehementiſsimè, quòd ob pecuniam Pertinacem occidiſſent. Quæ ideo pertulit Iulianus, ut populi fauorẽ promereretur. Cùm itaq; Syriacum exercitum pertimeſceret, Nigrum miſſo primipilari occidi præceperat. Nam Britannicum ac Illyricum exercitum minimè extimeſcebat. Igitur Peſcennius Niger in Syria, Seuerus in Illyrico & Pãnonia ſuis exercitibus à Iuliano deſciuêre, hic in Pannonia, ille in Oriente declaratus Imperator. Curauit itaq; Iulianus, ut Senatus Seuerum hoſtem iudicaret, & ſucceſſorem mitteret: miſſusq; ſucceſſor Valerius Catulinus ut ei ſuccederet, & centurio Aquilius qui occideret Seuerum. Miſſaq; & claſsis. Sed omnia in irritum facta, ad deſperationem Iulianum impulerunt, ut à Senatu S. C. de participatione imperij peteret, quod ſtatim factũ eſt. Cùm itaq; plures ad Seuerum mitteret cum literis, ſpe quidem pacis, reuera autem ut ipſum occiderent, re intellecta, Seuerus hos occidit. Et cùm nihil à militibus, nihil à Senatu poſſet impetrare Iulianus, ad magicas ſe cõuertit uanitates, & carminibus profanis ac hoſtijs inſuetis, odiũ populi ac militum deliuire conatus eſt, ſed fruſtra. Nam ab omnibus deſertus, remãſit in palatio cum uno de præfectis ſuis Geniali, & Repentino genero. Tum Senatus autoritate abrogatum eſt Iuliano imperium, Seuerusq; Imperator appellatus. Tum miſſis à Senatu qui eum occiderent, à quodam gregario milite, inter fœdiſsimas comploratione, ab omnibus deſtitutus, obtruncatus, trucidatusq; eſt: licet fin-

gere-

geretur ueneno interijsse. Corpus eius à Seuero, eius uxori est traditum ad sepulchrum, & in proaui monumento sepultum, cùm imperasset mensibus duobus, diebus quinq;, ut Capitolinus scribit: licet Aurelius Sext. Eutropius Orosius, septem scribant illum gubernasse mensibus. Vixit autem annis quinquaginta sex, mensibus quatuor. Vir senex, gulosus, aleator, & armis gladiatorijs exercitus, ac superbus. In quo præcipuè id reprehensum est, quòd eos quos regere sua auctoritate debuerat, regendæ Reipub. præsides ipse fecisset. Homo alioqui parum uitæ cõtinentis habebatur. Sed tam infœlicem exitum propria pecunia sibi comparauerat.

Habuit uxorem Maniam Scantillam, ex qua filiam habuit Didiam Claram, quam Cornelio Repentino in cõiugem dedit, ipsumq; præfectum urbi in Sulpitiani locum fecit. Ambæ Augustæ sunt appellatę, quo die ipse appellatus est Imperator, & Tribunitiam recepit potestatem, ac ius procõsulare. Egit tamen gratias Senatui, quòd uxor & filia eius nomen Augustale acceperunt. Ipse uerò Patris patriæ nomen recepit. Deinde uocatis ad palatium, inuitè eò transierunt, quasi iam imminens exitium præsagirent. Occiso eo, filiæ nomen est abrogatum Augustæ, sed concessum patrimonium. Cæterùm uolenti plura de Didio Iuliano inuestigare, operæprecium existimo, ut Spartianum, Herodianumq; diligentissimè reuoluat, quisquis pauculis ijs, & quæ Sextus Aurelius, Eutropius ac Orosius scriptitarunt, contentus esse minimè uoluerit. Superest ut consuetudini nostræ innitentes, Ausonij tetrastichon subinferamus, quod tale est:

Dij bene, quòd spolijs Didius non gaudet opimis,
Et citò periuro præmia adempta seni.
Tuq; Seuere pater titulum ne horresce nouantis:
Non rapit imperium uis tua, sed recipit.

SEVERVS IMPERATOR.

SEVERVS Imperator, filius fuit M. Getæ equitis Romani, & Fuluiæ Piæ, in Lepti ciuitate Aphricæ natus. Literis Latinis ac Græcis eruditus. Studiorum causa Romam uenit, ea hora, qua hospes eius Adriani uitam legit, moxq; omen futuræ felicitatis arripuit. Quæsturam diligenter exercuit, & post quæsturam sorte Beticam accepit: atque inde Aphricam petijt, ut rem domesticam post patris mortem cõponeret. Pòst quæstor in Sardinia, & hinc legatus proconsul Aphricæ. Vbi à mathematico quodã omnia edidicit, quæ postea ei facta sunt. Sub Marco Tribunatum plebis seueriss imè egit, & à Marco item anno tricesimosecundo ætatis prætor designatus, ad Hispaniam missus est legioni quartæ Scythicæ, deinde præpositus est circa Massiliã. Post hæc Athenas studiorũ sacrorumq; causa profectus, cùm iniurias ab Atheniensibus pertulisset, Imperator factus, quò se ulciscereturr, eorum priuilegia imminuit. Tum Lugdunensem prouinciam legatus accepit: tantumq; à Gallis, ob seueritatem, honorificentiam, & abstinentiam dilectus, quantum nemo. Proconsulari potestate Pannonias ac Siciliam rexit. Consul deinde Germano exercitui preponitur. Sed in ea Legione famam nobilitatemq; assecutus longè maximam: utpote qui à Germanis legionibus, ubi auditum est Commodum occisum, ac Iulianũ odio multorum imperare, multis adhortantibus repugnãs Imperator est appellatus, apud Carnuntũ Idib. Augusti, teste Spartiano. Licet Aurelius Sext. scribat, eũ in Pannonia Sabaria creatum Augustũ. Parua est aũt hodie distantia Sabariæ à Carnunto, si (ut plerique docti contendunt) Carnuntũ fuit, ubi hodie Petronella oppidum ostenditur. Vtraq; sanè ciuitas in Pannonia superiori iacet. Firmatis post tergum prouincijs, Romam contendit cum

Illyriciano & Gallicano exercitu, qui in eius uerba iurauerant. Excipiebatur enim ab omnibus tanquam ultor Pertinacis, licet hostis iudicaretur procurante Iuliano, missis ad eum à Senatu legatis, qui milites ab eo exciperent: quos tamen mox in suas partes traduxit, auctoresq; qui ad se occidēdum à Iuliano uenerant, facilè euitauit. Quinimmo missis literis ad prætorianos effecit, ut Iulianus in palatio occideretur, licet eum in participationē imperij uocasset. Quo occiso, armatus Romam uenit, tota urbe trepidante, ne ciuile paterentur bellum. Nam & eo tempore Pescennius Niger à Syriacis legionibus Imperator erat appellatus, & Clodius Albinus in Britannia ad imperium aspirabat. Seuerus itaq; cùm homo esset militaris, ac laborum patientissimus, adeò cunctis uenerabilis erat militibus, ut nihil non pro illo cupidissimè facturi uiderentur. Consilium ergo iniit capiendorum militum omnium, quicunq; Pertinacem interemissent: quos omnes exauctorauit, ablatis quoq; armis iussit nudos discedere ab urbe centesimo lapide. Cum reliquo tandem exercitu armis instructo, Romā petijt: attonitis metuentibusq; pariter primo conspectu Romanis audacia uiri. Sed Senatus populusq; uniuersus laureati exceperūt eum faustis acclamationibus. Senatus eum ad portas urbis consalutauit. Tum inito Iouis templo, factaq; re diuina, nouissimè ad imperatoriā domum se recepit. Postridie curiā iniit, placida oratione omnes publicè priuatimq; complexus benignè: Se in urbem ueniisse aiebat, ut occisum Pertinacem ulcisceretur, daturumq; operam ut
62 status optimatium fundamenta se principe iacerentur. Nullumq; nisi iudicio damnatum capite, bonisue mulctatum iri. Non passurum delatores, æmulum se Marci futurū gerendo Imperio. Neq; solum Pertinacis cognomen, sed mentem quoq; habiturum. Cuius imagini funus Censorium mox duxit, eumq; inter Diuos sacrauit: addito flamine & Heluianis sodalibus, qui Marciani fuerant. Se quoq; Pertinacem uocari iussit: homo prouidus ac sobrius, cui omnia mirabilia inerant, præcipueq; ingenij acumen, laborum tolerantia, rebusq; maximis aggrediendis singularis audacia. Ordinatis deinde rebus in urbe, triginta circiter dies amicos Iuliani proscribendo, causas plurimas audiendo, accusatos à prouincialibus iudicando, rei frumentariæ prouidendo, ad Orientis statum pacandum profectus est, ut cunctantem Nigrum, & delicijs Antiochenis uacantem, imparatum opprimeret. Iam enim uberrimo cnogiario plebem, militesq; donatiuo abundè sibi conciliarat: licet maiores natu clanculum reliquis prædicebant, uersipellem hunc esse hominem, & nihil non astu & arte tractantem: simulatorem, dissimulatoremq; idoneum: nihil pensi habentem, dum id efficeret, quod usui sibi aut emolumento crederet fore. Quod seniorum iudicium haud ita multo pòst euentus comprobauit. Nam & Albinum, qui præerat exercitibus Britannicis, summis delicijs innutritum, leuem alioqui & simplicem, spe quadam honoris inescare statuit, Cæsarem appellando: ne Romā ipse, dum Oriētis bello implicitus esset, cùm exercitu ueniret. Instructo igitur exercitu, mira celeritate in Aphricā profectus est, cum iam & in Senatu quasi participem imperij Albinum declarasset: cui statuas erexit, alijsq; honoribus fidem gratiæ suæ fecit. Timebat enim ne Niger per Lybiam & Aegyptum Aphricam occuparet, & penuriam rei frumentariæ faceret. Niger autem circa Bisantium oram omnē occupat, ut per eas angustias, omne iter Seuero intercipiat. Sed cùm Aemiliano duci Asiæ summam totius belli credidisset Niger, totus ille Nigri exercitus ad Cyzicū fusus fugatusq; est. Plericq; milites ad Seuerum defecerunt. Sed cùm in Syria Niger nouum instauraſſet exercitum, & iterum cum Seuero congrederetur apud sinum Isicum, ubi quondā debellatus est Darius ab Alexādro Magno, insignis edita est strages. Niger fuga dilapsus Antiochiam peruenit: in suburbano quodā latitans, ab equitibus est repertus, caput est amputatum, quod pilo infixum circumlatum est. Filij eius cum matre in exilium acti, & paulo pòst occisi: omnesque statim illius amici supplicio

affecti

affecti sunt. Sic periit Pescennius Niger, homo alioqui (ut perhibent) publicè priuatimq; minimè improbus. Ex patre Annio Fusco, matre Lampridia, modicis quidem parẽtibus genitus, literis eruditus, sed moribus ferox ad summum peruenit imperium. Ductor exercituum fuit, & Lugdunensem rexit prouinciam: Consulq; fuit, & tandem Imperator. Sed ubi occisus est à Seuero, breui omnis eius familia est extincta. Fuit autem statura prolixa, forma decorus, oris uerecundi & semper rubidi: ceruice adeò nigra, ut quemadmodum multi dicunt, ab ea Nigri nomen acceperit: cætera corporis parte candidus, & magis pinguis. Sed miles optimus, Tribunus singularis, dux præcipuus, legatus seuerissimus, Consul insignis, domi forisq; cõspicuus, Imperator infœlix. Cuius uitam, præter Herodianum, qui huius meminit, diligentissimè conscripsit Spartianus, quæ extat. Cęterùm Seuerus dehinc literas ad Senatum de uictoria sua dedit: postea Antiochensibus, quòd partes Nigri fouerant, iratior fuit, ac plerasq; ciuitates ob hunc puniuit. Dehinc circa Arabiã multa gessit. Parthis, nec non Adiabenis superatis, qui cùm Nigro consenserant: multaq; hinc nomina reportauit, quæ adhuc leguntur in arcu triumphali, Romæ sub radicibus Capitolij, patris filijq; Caracallæ nomine, hac inscriptione:

IMP. CAES. SEPTIMO M. F. SEVERO PERTINACI AVG. PP. PARTHICO ARABICO, ET PARTHICO ADIABENICO PONT. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CAES. M. AVRELIO L. F. ANTONINO AVG. PIO FOELICI TRIB. POT. VI. COS. PROCOS. PP. OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS. OB REMPVB. INSTITVTAM, IMPERIVMQVE POP. ROM. PROPAGATVM, INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI FORISQVE, S. P. Q. R. 63

Occiso Nigro, Seuerus haud ex re sibi arbitrabatur, Albinum (qui iam nimis potẽter, nimis molestè nomen Cæsaris usurpabat) tam latè imperare, quẽ illustri ortum genere, Senatorij patricijq; sanguinis, summis opibus ac diuitijs prædituin sciebat, ne in urbem irrueret, sibiq; imperium uendicaret. Coacto igitur exercitu, Galliam intrauit, & primùm circa Lugdunum (ubi Albinus ei cum Britannicis & Gallicis militibus occurrit) ancipiti marte dimicatum est. Tandem fusus fugatusq; Albini exercitus, direpta mox incensaq; Lugduno, & Albino caput abscisum, perlatumq; ad Seuerum est. Hunc finem habuit Albinus, breui sanè lætatus honore, & funesto: cuius item laudes ac cursum uitæ Spartianus in Nigro elegantissimè complectitur. Sed & Capitolinus eius uitam omnem graphicè describsit. Superfluum duco, omnia ea repetere quæ Capitolinus tradit. Paucula quædam inter Coss. de eo narrauimus. Sed ita confusi sunt tituli autorũ, ut nemo facilè discernat, an Spartiani an Capitolini sint Vitæ illorum Cæsarum, si quis diligenter legat. Cæterùm Seuerus omnem statim iram atq; atrocitatem animi, in illius necessarios Romæ effudit. Ac primũ 64 præmisso in urbem capite Albini abscisso, iussoq; publicè patibulo præfigi, uti exemplum cæteri caperent, quid item ipsis patiendum foret: ordinatis tamen Britanniæ Galliæq; rebus, sumptoq; supplicio de Albini amicis qui illic erant, Romam cum omni exercitu, quo terribilior esset, proficiscitur. Postea uerò quàm Iouis templum ingressus, sacrificia de more peregit, reuersus in palatiũ, populum ac milites muneribus nomine uictoriæ, ac multis nummis donauit: largitusq; est plurima dona, simulq; alia multa indulsit, quæ nunquam antea acceperant. Quandoquidem & frumenti summam primus adauxit, & aureis annulis uti, & domi habere mulierem permisit, quæ prius militibus interdicta fuerant. Tum Albini amicos crudeliter puniuit, bona publicauit, ærariũq; auxit: quæstui supra quàm dici potest addictus. Quos aũt, & quot occiderit cõsulares prætoriosq; uiros ac Senatorij ordinis, latissimè Spartianus recẽset. Imperium metu potius q̃ beneuolentia retinens, ut esset Imperator uerus nominis sui, uerè Pertinax, uerè Seuerus. Quanquam popularis esse inprimis uolebat,

edendis

edendis magnificentissimis spectaculis, centenis etiã sæpenumero occisis beluis, quas omnibus è regionibus conquirebat. Fecit & ludos seculares, maioremq; filium Cæsarem fecit, participato cum eo imperio. Et quũ Parthos, Arabes, Adiabenos deuicisset, triumphum, quòd consistere in curru ob articularem morbum nequiret, filio cõcessit. Tum iterum in Orientem profectus, Arabiam & Armeniã peruagatus, Parthos superauit, Ctesiphonte urbe, & omni Regia supellectile potitus. Nã Artabanus Parthorum rex fuga dilapsus, cum paucis aufugit: tum Mysorum & Pannoniorum recognitis exercitibus, urbem triumphans inuectus est, adducens secum iam puberes filios. Extant adhuc in Pannonia monumenta Seueri. Proximo enim anno quàm hęc scriberem, cùm orator Cæsaris Maximiliani ad Vladislaum regem Hungarię iuissem, in Theodatia oppido (nunc Thatta corruptè uulgò dicitur) ubi arcem nobilissimam condidit Sigismundus Cæsar, in quodam sacello diui Ioannis marmor album comperi, antiquis literis sic inscriptum:

IMP. CAES. L. SEPTIMIO SEVERO PIO PERTINACI
AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTHICO
MAXIMO BRI. G. PVBLIC.
D. D.

Vt Romam èst reuersus Seuerus, sacrificia, spectacula & ludos edidit pro uictoria, magno dato congiario: tum ius dixit, ciuilibus negocijs & liberis erudiendis intentus. Sed liberi, hoc est fratres, inter se dissidere primùm puerilibus colluctationibus ceperunt, dehinc aperta orta est dissensio, adulatoribus ac ministris ad gratiam multa suggerentibus. Cùm interim Bassianus Antoninus filius maior natu, Plautiani filiam uxorẽ duxisset, à quo Plautiano insidiæ utriq; Cæsari paratæ detectæ essent. Seuerus in Campaniam secessit ius dicẽs, & ciuilibus negocijs intentus: cupiens in primis ut liberi sui Romæ bonis moribus instituerentur, ut in pace atq; concordia uiuerent, ne inter sese dissiderent. Sed frustra ab eo multa persuadebantur, discordantibus fratribus. Interea nuncius aduenit de noua in Britannia seditione, ad quam sedandum, expeditionem iam senex edicit, & morbo articulari laborans. Magna tamen animi uirtute, utrunq; secum ducens filium, minorem Getam, quem in parte insulæ reponit, ac cum amicis natu grandibus ciuilibus rebus & iuridicundo præfecit, Antonino secum aduersus barbaros educto. Qui fratri & patri obtrectans, Seuerum patrem coëgit mœrore magis quàm morbo consumi. Qui Eboraci in Britannia iam senex morbo consumptus est, subactis gentibus quæ Britanniæ uidebãtur infestæ: Anno imperij xviij, ætatis octogesimonono, secundum Spartianum, qui eius somnium quoq; de aquilis ad illum numerum interpretatur: licet Aurelius Sextus sexagesimoquinto interijsse scribat, quod uero propius existimo. Cuius cineres ex Eboraco in loculo aureo aduecti Romam, in sepulchrumq; Antoninorum conditi. Nam corpusculo Seueri ignibus tradito, cinerem ipsum cum odoribus in uasculum alabastri coniectum Romam referebãt filij. Scribit Sextus Aurelius, cùm membrorum omnium, maximè pedum, dolorem pati nequiret, ueneni uice, quod ei negabatur, cibum grauis ac plurimæ carnis inuasit: quem cùm conficere non posset, cruditatem passus expirauit. Sic periit clarissimus Imperatorum bellicis operibus. Neq; enim aut ciuiles quisquam aduersus inimicos, aut externas aduersus Barbaros totidẽ alius uictorias reportauit. Vir bellicosus, liberalis, literatus, ac insignis mathematicus, & doctrinæ nimis cupidus, Punica eloquentia promptior. Vitam suam publicam priuatamq; ipse composuit: & quæ in uita sua conscripsit, publicè in tabulis picta dedicauit, ut inquit Herodianus. Latronum ubiq; hostis: crudelis tamen adeò, ut Senatus indicauerit, illum aut nasci non debuisse, aut mori, quòd & nimis crudelis, & nimis utilis Reipub. uideretur. Fuit autem decorus, promissa barba, cano capite & crispo, uultu reuerendus, canorus uoce: & post mortem,

mortem, depoſita inuidia ac metu crudelitatis, plurimùm amatus, & in Deos relatus. Habuit uxores duas, Marciã ſcilicet, ex qua maiorem natu Baſsianum ſuſcepit, quem Antoninum appellauit, dum Cæſarem faceret, appoſito Aurelij nomine, ut ſcilicet fratrem ſuum Getã ab ſpe imperij quam conceperat, ſubmoueret: & ſimul quod ſomniauerat, Antoninũ ſibi ſucceſſurum. Licet alij idcirco Antoninum dictum ſcribant, quòd Seuerus ipſe in Marci familiam tranſire uoluerit. Marcum enim ex omnibus Imperatoribus tantum coluit, ut Antonini nomen omnibus deinceps, quaſi Auguſti, aſcribendum putaret. Quinimo poſt mortem eius cineres, in honorẽ, Marci ſepulchro illati fuerũt. Huius Marciæ in hiſtoria uitæ priuatæ non meminit, referẽte Spartiano: tamen Imperator factus ſtatuas collocauit. Amiſſa hac uxore, ducturus aliã, genituras ſpõſarum requiſiuit, Matheſeos peritiſsimus. Et cùm in Syria quandam audiſſet, cuius genitura regem ſibi maritũ polliceretur, eandem uxorem petijt, Iuliam ſcilicet, & accepit interuentu amicorũ. Ex qua Getam peperit filium, & alium quendam. Habuit & filias quas dotatas maritis Probo & Aetio dedit. Et cùm 66
Prolio genero ſuo præfecturam urbis obtuliſſet, ille recuſauit: dixitq; minus ſibi uideri præfectum eſſe, quàm principis generum. Vtrunq; autem generum conſulem fecit, utrunq; ditauit. Fuit autem Iulia famoſa adulterijs, & in coniuratione notata. Cæterũ de Seuero ſcripſerunt poëtæ multi tempeſtate ſua, uersibus omnem eius uitam explanantes: & ipſemet de uita ſua ſcripſit, & Marius Maximus, quæ omnia iactura temporis interciderunt. Extant Oroſius, Eutropius, Ruffus Feſtus, Sext. Aurelius, Spartianus, & Herodianus. è quibus diſcere, quod hic deeſt, facilè potes. Nunc Auſonium ſubſcribam.

Impiger egelido mouit arma Seuerus ab Hiſtro, 67
Vt parricidæ regna adimat Didio.
Punica origo illi: ſed qui uirtute probaret,
Non obſtare locum, cum ualet ingenium.

M. ANTONINVS BASSIANVS.

MARCVS Aurelius Antoninus Baſsianus Caracalla (his enim nominibus cognominabatur) filius fuit Seueri Imperatoris & Marciæ, ut ſuperius ſcripſimus: cuius pueritia adeò blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis iucunda, & uniuerſo populo accepta fuit, ut nemo non clementiam, pietatem, bonitatemq; miraretur. Egreſſus autem pueritiã, adeò mores immutauit truculentior factus, ut eum quem puerum nouerant, multi eſſe nõ crederent. Superbus & grauis, tam geſtis quàm ore, de Alexãdro Magno ſemper loquebatur. Tiberium & Syllam palàm laudabat. Fratris Getæ contempſit humilitatem. Ac mox in omnem fæuitiam cõuerſus, cùm, mortuo patre Seuero, tanta ſibi relicta copia pecuniæ foret, quantam antea nemo, cum ampliore etiam exercitu quàm cui obſiſtere ulla uis poſſet, ſummam poteſtatem nactus, medicos mox ſupplicio affecit, quòd ſibi parum obtemperauiſſent, iubenti ſenis maturare necem. Tum occidit nutricios ſuos, & fratris, quòd de reconciliatione egiſſent. Duces q; exercitus adhortatus eſt magnis muneribus ac promiſsis, ut 68
militibus perſuaderent, uti ſe unum Imperatorẽ declararent. Pluribus itaq; machinis aduerſus germanum intendebat. Sed milites memores utrunq; à Seuero iam inde à pueritia pari honore cultuq; educatum, etiam ipſi parem utrique obedientiam beneuolentiamq; exhibebant. Antoninus igitur cognito, parum ſibi aduerſus exercitum procedere, icto cum Barbaris fœdere, ad matrem germanumq; feſtinat. Cõgreſſos reducere in gratiam mater conata, adnitentibus honeſtiſsimis quibuſq; Seueri amicis & conſiliarijs. Itaque ui potius quàm uoluntate ad concordiæ amoriſq; ſimulationem adducitur. Ita ambo

pari

pari honore imperium gerentes, ex Britannia Romam cum patris reliquijs uenerunt: in itinere seditiones quotidie agitãtes, nec eisdem diuersorijs utentes, eademq; mensa: tanta inerat utrisq; suspicio de ueneno. Vbi Romam uenerũt, populus laureatus uniuersus eos excepit, & Senatus consalutauit, magnaq; pompa reliquiæ Seueri compositæ sunt in templo. Seuerus inter Deos relatus est. Fratres in regiam discesserunt, partiti inter se domum, custodesq; corporis separatim sibi delegerunt: mox discordias ac simultates exercuerunt, insidias inter se moliti: diuersaq; tum urbanorum studia, ac diuersas populi mentes ob suam discordiam parabant. Sed maior pars Getam sectabatur, quòd probus, moderatus, & lenis, honestiora studia tractaret, ac disciplinarũ uiros celebres circa se frequenter haberet, & in palestra exercitatos: placidus & humanus in optimos quosq;: cùm frater Antoninus ferox ac crudelis esset, minis terribilis, ac factis sæuus. Cęterum paterni hoc amici uidentes, coram matre ipsa, consentientibus utrisq;, diuiserũt Imperium, ut Europa omnis Antonino cum partibus meridionalibus cederet: Asia uerò & quicquid in Orientem uergit, Getæ. Sed cùm mater frustra cõciliare fratres anniteretur, & indies odium fraternum glisceret: paratæq; insidiæ ueneno non procederent, quòd uterq; esset curæ ac diligentiæ singularis in cibo potuq; sumendo: tandem Antoninus irrupto fratris cubiculo, nihil eum tale expectãtem, supra matris pectus multo undantem sanguine sæuus obtruncat. Pòst domum exilit, ac per totam Regiam currẽs, clamitat magnum se periculum effugisse, uixq; euasisse incolumem. Ad castra fugiens uenit, insidias fratris inimici hominis narrat quomodo effugerit, multa mentitus: tum enormem militibus largitionẽ, tam in nummis quàm in annona donat: cuius magnitudine illecti, uulgata iam cæde fratris, unum illum declarant Imperatorẽ, Geta hoste appellato. Sed quo pacto Seuerus huic filio minori natu Getæ, nomen Antonini indiderit, & ex æquo regnare cum fratre iusserit, & quàm pijssimis & honestis moribus fuerit, Spartianus peculiari libello ad Constantinum August. longè lateq; explicat. Lege illic studiose lector, quæ desideras: omnia enim indicare, unde plura haurire queas, studioſè annitimur. Sed reuertamur ad parricidam Caracallã. His fretus dolis Antoninus Romam redijt, sub ueste senatoria loricam habens, cum armatis militibus curiam ingressus, questus est de fratris insidijs, longa & inepta oratione obliquans & inuoluens, ut quę fecisset uix intelligi possent. Continuò cepti occidi domestici omnes fratris, atq; amici, sic ut ne ætati quidem infantũ parceretur, siue ex plebe, siue Senatorij ordinis essent. Quinimo sæuitum in quoscunq; sine misericordia, quaq; de causa, qui opibus excellerẽt ut bona eorum raperet. Occidit itaq; Lætum Pompeianum, Marci nepotem ex filia natum. Dehinc in conspectu eius Papinianus lureconsultus, imò luris asylum, & doctrinæ legalis thesaurus, quòd parricidium excusare noluerit, percussus est securi, & filius Papinianus Quæstor. Quin & Cõmodi sororem iam anum, atq; ab omnibus Imperatoribus ut Marci filiam in honore habitã, morte affecit: causatus quòd necem Getæ, apud ipsius matrem defleuisset. Et coniugem quondam suam Plautiani filiam, ac consobrinũ Seuero cognomine, filiumq; Pertinacis & Lucillæ Commodi sororis. Et quicquid ex cognatione Imperatoria, aut in Senatu ex patricia nobilitate supererat, planè quasi ab stirpe abstulit. Vestalesq; uirgines uiuas terra obruit, quasi temerassent uirginitatẽ. Tandemq; in populum ludis Circensibus desæuit, ex omnibus ducibus Syllam Romanũ & Aphrum Hannibalem laudans. Vnde perosum se sentiens, malorum facinorum cõscientia Roma relicta, ad ripas Danubij secessit. Vbi corpus aurigando exercuit, cę dendisq; beluis operam dedit. Ibi Germanos sibi associauit, & corporis sui custodes fortissimum ac pulcherrimum quenq; effecit, habituq; Germanico sæpè incessit, ad labores subeundos promptissimus ac primus. Tenui mensa ac perexiguo cibo militari uixit, elegantiora omnia aspernatus, gregario militi

perquàm

perquam ſimilis. Ob hæc uelut homo militaris ac laborioſus, ab exercitu dilectus eſt. Dehinc in Thraciam diſceſsit, ac in Macedonia ſe ſimilem Alexandro Magno fecit, multis undique locatis ſtatuis ac imaginibus: geſtato habitu Macedonico. Pòſt in Aſiam uenit, Pergamum ciuitatem adijt, ac Ilium: tum ad Achillis tumulum proceſsit, ut & Achillem æmularetur. Tum in Antiochiam & Alexandriam conceſsit, ut Alexandri monumentum contemplaretur. Et ut ſub ſimulatione Alexandrinos trucidaret, à quibus honorificentiſsimè fuit exceptus: quorum tamen ingentem multitudinem inermem, quaſi legionem lecturus Alexandrinam, crudeliſsimè trucidauit, ac interfecit. Affectans nomen Parthici, ad Orientem feſtinauit: & per Oratores Arthabani regis Parthorum filiam uxorem petiuit, ſed diſsimulanter. Vbi uerò rex poſt primas preces abnegatas tandem promiſit, cùm ei cum uniuerſa multitudine occurreret, inermi ac floribus redimita, excepturus nouum ſponſum ac generum, dum ſacra faciunt, dato ſigno militibus, uniuerſi circumuenti occiduntur atque trucidantur: ægrè rege fuga dilapſo. Quod literis Senatui perſcribens, Parthicus eſt appellatus. Poſtea ſubſtitit in Meſopotamia, ut illic hybernaret. Sed apud Carras urbem, dum Lunæ deæ, ut Herodianus, uel Luni dei, ut Spartianus, templum inuiſeret, & ad requiſita naturę diſcederet, inſidijs à Macrino præfecto prętorio poſitis, per Martialem centurionem pugione per auerſum eſt traiectus, dum ſubligacula deduceret, uentriſq; oneri ſubleuando intenderet: quod literas Macrinus acceperat, quibus ſe intellexit propediem ab Antonino occiſum iri. Fuerũt & alij conſcij cædis, Nemeſianus, & frater eius Apollinaris, & ceteri. Martialis à cuſtodibus corporis dum fugam molitur, miſsilibus eſt confoſſus. Macrinus ſuper cadauer multa conqueſtus, & per ſimulationem lamentatus, tandem tradito igni corpuſculo, reliquias intra urnam coniectas matri Iuliæ ad ſepulturam remiſit. 69

Ea tunc Antiochiæ morabatur. Moxq; ob liberorum calamitates, incertum ſponte an imperio alicuius, mortem ſibi conſciuit. Hæc Iulia nouerca & uxor fuit Antonini, poſteaquam Plautiani filiam, quam primùm in Siciliam relegauit, tandem interemit. Cùm enim pulcherrima eſſet Iulia, & quaſi per negligentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſſetq; Antoninus, Vellem ſi liceret, reſpondiſſe fertur, Si libet licet: an neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus eſt, nuptiásque eas celebrauit: quas ſi ſciret ſe leges dare, tum uerè ſolus prohibere debuiſſet. Sic matrem duxit uxorem, ad parricidium iunxit inceſtum: ſiquidem eam matrimonio ſibi copulauit, cuius filium nuper occiderat. Et ex polluto poſt cuiuſdam ſcorti ignobilis matrimonio, genuit filium, quem ſuperſtitem poſt ſe reliquit, Marcum Antoninum Heliogabalum. Ita enim (teſte Spartiano) nomen Antoninorum inoleuerat, ut uelli ex animis hominum non poſſet, quod omnium pectora ueluti Auguſti nomen obſederat. Vixit autem Baſsianus annis quadraginta tribus. Licet apud Sextum Aurelium corrupti ſcribantur triginta anni. Imperauit ſolus ſine parente ac germano annis ſex, ut Herodianus Spartianusq; docent: qui abundè geſta huius Antonini recenſent. E quibus lector diſcere potes, quæ in Sexto Aurelio, Paulo Oroſio atq; Eutropio deſideras. Cæterùm pro fine Auſonium ſubtexam:

Diſsimilis uirtute patri, & multo magis illi,
Cuius adoptiuo nomine te perhibes.
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
In riſu populi tu Caracalla magis.

OPILIVS MACRINVS

OPILIVS Macrinus, qui Baſsiano ſucceſsit, homo nouus & libertinus, ſeruilibus officijs occupatus, è quibus fuerit parentibus genitus, propter obſcuritatem neſcitur. Animi atque oris inuerecundi, Mauruſij generis: malis artibus educatus, à iuris tamen ſcientia non alienus: ſed uenali lingua, & pudendis artibus ad præfecturam euectus, adeò ut cùm imperium
71 eſſet adeptus, ſtatueret omnia reſcripta ueterum principum tollere, ut iure, non reſcriptis ageretur: nefas eſſe dicens, leges uideri Commodi & Caracalli, & hominum imperitorum uoluntates: cùm Traianus nunquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſas facta præferrentur, quæ ad gratiam compoſita uiderentur. Sub Commodo fuit uitæ ſordidæ, & proſtibulum appellatus, gladiator, uenator, tabellioq;. Sub Seuero remotus ab officijs, etiam miſerrimis, & relegatus in Aphricam: ubi lectioni operam dedit & declamauit, ut infamiam damnationis tegeret. Sub Antonino uerò aduocatus fiſci factus, patrocinante ſibi Feſto liberto. Pòſt factus eſt præfectus prætorij, cùm ablegato
72 collega Antoninum Caracallum Imperatorem ſuum interimeret, tanta fictione, ut ab eo non uideretur occiſus. Incerti ignariq; milites quid agerent, extincto Antonino, biduo ſine Imperatore fuerunt, quærentes quem inter ſe principem potiſsimùm deligerent. Ferebatur enim Arthabanus Parthorum rex cum exercitu aduẽtare, ulturus iniurias. Primùm itaq; Audientium prefectum eligunt: ſed ille ſenectutem cauſatus, imperium abnuit. Deinde Macrinum conſcij factionis deligunt. Hic itaq; imperium arripuit, ſeq; nunc Seuerum Antoninum, cùm in odio eſſet omnium & hominum & militum, nuncupauit: licet Senatus eum odio Antonini Baſsiani libenter accepit, ſperans mitiorem futurum, quàm erat Caracalla. Moxq; ad bellum Parthicum profectus eſt, cum Arthabano fœdus iniit poſt primum conflictum, ac pòſt cum exercitu ex Meſopotamia Antiochiam profectus eſt, delicioſius agitans indies, hiſtrionibus & ſaltatoribus intentus, & luxui inſeruiens. Sed cùm milites dolerent Antoninum è Repub. ereptum, exiſtimantes quaſi cum eo Romanum eſſet imperium periturum, Macrinus ueritus ne in aliquem Antoninorum (qui multi ex affinibus Antonini Pij erant) inter duces exercitus inclinarent, filiũ mox ſuum, Diadumenum aliâs dictum, Antoninum iuſsit appellari. Iuuenem ſpecioſiſsimum, ſtatura longiuſcula, crine flauo, nigris oculis, tantæq; uenuſtatis ut paſsim ab omnibus diligeretur. Vocabatur autem Diadumenus, quòd diadema Triuię cùm naſceretur, in capite haberet, ita forte, quòd rumpi nõ potuerit, ueris intercedentibus neruis. Et hinc Diadematum puerum appellatum credunt pleriq;. Licet quidã de nomine aui ſui materni Diadumenum uocatũ ſcribãt. Fuit autem eo tempore tam amabile nomen Antoninorum, ut qui eo nomine non niteretur, mereri non uideretur imperium. Facta itaq; cõcione, ubi filium Antoninum militibus commendauit, ac largitionem inter milites maximam feciſſet, ſubſequutæ acclamationes ſunt, quibus Diadumenum Antoninum Cęſarem milites pronunciarunt, geminatisq; uocibus Imperatorem felicem dixerunt. Tum Antoniniana in caſtris ſigna fecit, & ſimulachra Baſsiani ex auro ordinauit, ipſumq; inter diuos retulit: ut à ſe interfecti Antonini ſuſpicionem militibus demeret, hæc omnia fecit. Nam & corpus Antonini Romam remiſit, ſepulchro maiorum inferendum: & munus inſtituit, ut honorificentiſsimè ſepeliretur. Tum militibus ſtipendium dedit ſolito uberius, ut pecunia imperium, cùm innocentia non poſſet, ſeruaret. Homo uitioſiſsimus & ſordidiſsimus, cùm omnes hactenus imperatores nobiles fuiſſent. Scripſit autem ad Senatum, excuſando ſe de nece Antonini iureiurando, plurima emẽtitus. Cui Senatus mox proconſulare imperium, & tribunitiam poteſtatem dedit. Hinc

inter

inter patricios delegit, quum nouus homo esset, Pontificemq; optimum appellauit, Pij nomine decreto. Dum igitur ad Parthos proficiscereturut sordes ac infamiam Victoriæ magnitudine aboleret, habito conflictu cõtra Parthos; defectu legionum quæ ad Varium Heliogabalum confugerant, interemptus est. Nam cùm milites cognouissent ex muliere quadam, cui nomen erat Mœsa, Heliogabalum filium esse Antonini Bassiani, à Macrino defecerunt, & primùm Iulianum Præfectum cum exercitu interfecerunt. Tum Macrinus proditione militum uictus est, & cum paucis fugiens, in uico quodam Bythiniæ cũ filio Diadumeno occisus est: suis partim deditis, partim occisis, partim fugatis. Abscisumq; utriusq; caput ad Antoninum perlatum est, cùm anno & amplius imperasset. Voluerunt quidam Diadumenum seruare, cùm Macrinum occiderent: sed quidam cubicularius protulit epistolas Diadumeni, quibus significabatur quanta futura in illo erat crudelitas. Sic periit Macrinus, homo superbus & sanguinarius: qui in uita imperatoria rigidior & asperior uideri uoluit, ut priora uitia aboleret, cùm lacerandi se potius occasionem præberet. Seuerum se & Pertinacem nuncupari uoluit, cùm Senatus eum pium & fœlicem appellasset. Et cùm milites seruilibus afficeret supplicijs, crudelitatesque nouas indies ostenderet, ob leues causas milites iussit interimi. Interemptus est sæpè filius cum patre, & uiuus mortuo illigatus, & longa tabe mori coactus, quales olim Mezentius exhibuit. Pro Macrino fuit appellatus Macellinus, cùm macelli specie domus eius cruentaretur sanguine uernularum. Et in odium omnium peruenit, & demum tumultu occisus: homo putidus, & imperatoria dignitate ineptus. 73

Habuit autem uxorem Noniam Galliam, ex qua natus fuit Diadumenus. Ad quam scripsit epistolam quæ adhuc extat, qua gloriabatur, nõ tam se ad imperium peruenisse, quàm quòd Antoniniani nominis esset pater factus.

Epistola hæc est: Opilius Macrinus Noniæ Galliæ coniugi S. Quid boni adepti simus, mea uxor, caret æstimatione: & fortasis de imperio me putas dicere. Non magnũ istud, quod etiam indignis fortuna concessit. Antonini pater factus sum, Antonini mater es facta: ô nos beatos, ô fortunatam domum, præclaram laudem. nunc demũ fœlicis imperij Dij faxint, & bona luno, quam colis, ut & ille Antonini meritum effingat, & ego qui sum pater Antonini dignus omnibus uidear.

Herodianus tradit, cùm milites pugnassent contra Macrinum, post defectionem, ipsum omnem imperatorium habitum atq; ornatum abiecisse: detonsaq; barba, ueste simplici accepta, conuelato capite, diem noctemq; fugisse. Inuentum autem in Chalcedone Bythiniæ urbe grauissimè ægrotantem, ac perpetuo itinere attritum, latitantem in suburbano quodam, ibiq; occisum. Sed hæc latissimè Herodianus in quinto historiarũ, Capitolinus in Macrino, Lampridius in Diadumeno, passim alij, Orosius, Eutropius, Sextus Aurelius. Nam si extarent Aurelius Victor primus, Iulius Cordus, & Lollius Vrbicus, plura scribi possent de his alijsq; Cæsaribus. Sed more nostro, Ausonij tetrastícho concludamus:

Principis hic custos, sumptum pro Cæsare ferrum,
Vertit in autorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit, grauibus pulsare querelis
Cessat perfidiam: quæ patitur meruit.

M. ANTONINVS VARIVS.

MARCVS Antoninus Baſsianus Varius Heliogabalus (totidem enim nominibus appellabatur) filius fuit Antonini Caracallæ imperatoris, & ſcorti Sœnidis ab Herodiano appellati, à Lampridio uerò & Capitolino Symiamira: nam erat quædam mulier Phœniſſa Mœſa nomine, ſiue Varia, ab Emœſa urbe Phœnicæ, ſoror Iuliæ, uxoris Seueri Pertinacis Afri, & matris Antonini. Ea, uiuente ſorore, multos annos in aula Imperatoria uixerat, Seuero & Antonino principibus. Sed poſt mortem Antonini Baſsiani ex aulica domo expulſa fuerat, per Macrini ſuperbiam. Huic erant duæ filiæ, quarum maior natu Sœnis, quæ Symiamira Capitolino dicitur, Sext. Aurelio Semea, & minor filia Mammæa uocabatur. E quibus & filij ſunt nati, ex Mammæa Alexianus, ex Sœnide ſiue Symiamira Baſsianus, ſtupro ab Antonino: qui & nomen Antonini accepit, et Heliogabalus dictus eſt, quo nomine Phœnices ſolem uocant. Et is Heliogabalus pulchritudine & ſtatura ac ſacerdotio conſpicuus erat, & in Solis ſiue Iouis templum confugerat, uelut in aſylum, ne à Macrino interficeretur, dum Antoninus pater occideretur. Ac ubi à militibus Imperator eſt dictus, quòd Antonini Baſsiani eſſet filius, ſecum à Syria deum Heliogabalum abduxit, Romæq; templum conſtituit, in quo prius ædes Horci fuit. Varius autem dictus eſt uel ab auia materna, uel à condiſcipulis, quod uario ſemine, de meretrice utpote, conceptus uideretur. Mœſa igitur ſiue Varia mulier, militibus perſuaſit, Baſsianum, qui & Heliogabalus dicebatur, filium eſſe Antonini. Et cum ditiſsima eſſet, profuſas largitiones militibus dedit, ut legiones à Macrino abducerent. Aſtu igitur mulieris Imperator declaratus eſt Heliogabalus, & occiſus eſt Macrinus. Fuit autem à cunabulis in ſummo enutritus luxu: & tantum Symiamiræ matri deditus, ut cùm ipſa meretricio more uiuens in aula, omnia turpia exerceret, ac ſine illius uoluntate nihil in Repub. faceret deinceps. Nactus itaque imperium, nuncios miſit Romam, ſimulq; figuram numinis Heliogabali, cuius ſacerdotium gerebat, in tabula pictam: ſeq; ſanguine Antonini Baſsiani genitum denuncians, deſiderium ingens ſui fecit, ſtatimq; in Senatu princeps appellatus eſt. Vbi Romã ingreſſus eſt, Heliogabalum in Palatino monte iuxta ædes imperatorias conſecrauit, eiq; templum fecit: cupiens omnia ſacra illuc transferre, Romanorum, Iudæorum, Samaritanorum, ac Chriſtianorum, dicens omnes deos dei ſui miniſtros. Primusq; Cæſarum fecit mulierem, hoc eſt matrem ſuam, in Senatu conſulum occupare ſubſellia. Licet & in colle Quirinali mulierũ Senatum extruxiſſet. Hęc itaq; Symiamira mater Cæſaris, Senatus cõſulta, ridicula admodum, de legibus matronalibus, quo ad ueſtitũ & ornatum, tulit plurima, & ſententiã dixit. Sed cùm ipſe per cuncta obſcœnitatis uitia impuriſsimus, ingreſſus eſſet Imperator in caſtra cum auia ſua Varia, ut eius autoritate honeſtior fieret, cùm curiam ingrederetur nefandiſsimus, & ueluti ſus in uolutabro ſeſe immergeret, ſtatim milites pœnituit quòd in Macrinum conſpiraſſent, ut hũc principem facerent. Moxq; inclinauêre animos in Alexandrum, conſobrinum Heliogabali, quem Cęſarem Macrino occiſo Senatus appellauerat. Tum potiſsimùm, quòd omnes honores, dignitates, magiſtratus ac poteſtates per libidinum miniſtros adminiſtraret, dignitatesq; hominum ignobilitate perderet perditorum hominum: quòd ſacra P. R. profanaret, & pollutus palladium auferret, uirgines q; Veſtales inceſtaret. Sed tã obſcœna fuit omnis eius uita in luxu ac libidine, ut eam in literas mittere, ſit profectò ſubuerẽdum. Conatus eſt enim pro uiribus Tyberij Caligulæ & Neronis genera libidinum nõ æquare, ſed maluit præſtare atq; excellere: utpote qui cogeret ſcriptores nonnullos de nefanda eius luxuria diſputare: quæ, ne uitia docere uidear, conſultò

74

obmit-

obmitto. Nam satis superq; in eius uita, ac nimium forte, Lampridius explicauit. Quanquam & ipse multa improba se reticuisse protestetur. Orestam ciuitatem condidit, & humanas hic hostias sacrificauit, & crudelitatē inauditam exhibuit. Vbi iam ob impudicissimam ac crudelem uitam omnibus esset inuisus, tum magis in eum exarsit odium militum, quum Alexandrum consobrinum suum, quem paulo ante adoptauerat & Cęsarem fecerat, trucidandum quibusdam, & eius titulos defœdandos præcepisset. Cùm nollet cum Alexandro in concordiam uenire, à militibus in latrina ad quam cōfugerat, interemptus est. Et cùm non posset cloaca excipere cadauer ob angustum foramen, tractum est per circi spacia more canini cadaueris, & in Tiberim tandem abiectum, ne unquam sepeliri posset, cum acclamatione indomitæ & rabidæ libidinis catulæ, nomēq; Antonini erasum: dictusq; Tiberinus Tracticius & Impurus, quòd solus omnium principum tractus esset, & in cloacam missus, & in Tiberim precipitatus: tam odibilis erat Heliogabalus, uita, moribus & improbitate. Occisa est & cum eo mater Symiamira. Et cùm Senatus eius nomen erasisset (nam ultimus Antoninorum fuit) cautum est, ne unquam mulier Senatum ingrederet. Variè autores de eius imperio tradunt. Aurelius Sextus eum imperasse biennio & mensibus octo scribit, & uixisse annis sedecim, cùm quatuordecim natus annos imperium adeptus sit, ut etiam Eutropius: quo cum etiam Lampridius concordat, qui propè triennio maiestatis Romanæ gubernacula ipsum tenuisse scribit. Herodianus uerò sexennio occupasse imperium tradit. Orosius, Eusebius, ac Cassiodorus quatuor huic attribuunt pro imperio annos. Duxit autem, teste Herodiano, uxorem illustrissimam fœminam, quam etiam Augustam appellauit: cumq; ea tamen haud paulo pòst diuortium fecit, ademptisq; honoribus priuatā colere uitam iussit. Post illam uerò, captum se amore simulans, ut aliquid uirile saltem facere uideretur, Vestalem sacerdotem, quam leges castam esse & uirginem perpetuò uolūt, abreptam è templo pro uxore habuit. Ita mœstum tanto flagitio ac piaculo Senatum per epistolam consolatus, humanum esse id peccatum, captum se illius amore. Cæterùm sacerdoti conguere sacerdotis nuptias, ob idq; etiam Augustiores futuras: sed eam quoque paulo pòst dimisit tertia uxore ducta, quæ referre suum genus ad Cōmodum dicebat. Sed neq; hāc diu seruauit. Quandoquidem, ut Lampridius scribit, mulieres nunquam iterauit præter uxorem. Et notissimam quandam meretricem cētum redemit sestertijs, eamq; ueluti intactam uirginem coluit. Neq; uerò humana tantum matrimonia ludebat, sed etiam deo suo quærebat uxorem: cui nunc Palladem, nunc Vraniam, nunc Lunam desponsauit, maximas solennitates deo instituēs. Quinimo abscisis genitalibus Matrise magnę sacrauit, ut Aurelius probat, ut probris se omnibus cōtaminaret, & cupiditatem stupri, quam assequi naturæ defectu nondum poterat, in se conuertens, muliebri nomine se Bassianam pro Bassiano iusserat appellari. Sed quisquis luxum eius in cœnis cum meretricibus ac cum exoletis passim exhibitum, cum omnibus alijs uoluptatibus noscere uelit, Lampridiū legat. Multa Marius Maximus scripsit, quæ perdita sunt. Sed quæ Herodianus, Sext. Aurelius, Orosius, Eutropius de hoc publico ludibrio & humana peste prodiderunt, satis superq; sunt. Exigeret nunc institutio mea, ut Ausonij tetrastichon subiungerem: sed cùm Ausonius hic deficiat, pro uirili supplebo, & uersus, qualescunq; nobis crassior Minerua suggeret ac dictabit, subiungemus:

Tun' etiam Augustæ sedis penetralia fœdas,
Antoninorum nomina falsa gerens?
Antonine scelus hominum, Solisq; sacerdos:
Sed potius monstrum, te tua gesta probant.

ALEXANDER CAESAR

ALEXANDER filius fuit Varij & Iuliæ Mammeæ Syræ, ſororis Sœnidis, quæ mater Heliogabali erat: nepos Variæ, quæ Mœſa dicebatur, & filium Antonini mentita militibus, iactato filiarum inceſtu, quo magis à militibus diligeretur: & conſobrinus Heliogabali, genitus in urbe Artena, & in templo dicato Alexandro Magno, cùm illic mater ſolennitatis cauſa adeſſet & enixeretur. Vnde & Alexander dictus eſt, mortuo Macrino Cæſar à Senatu dictus. Sed poſt adoptionem iterum Cæſar declaratus, Auguſti nomen recepit, addito & Patris patriæ nomine. Mox ius proconſulare, tribunitia poteſtas, & ius Quintæ relationis à Senatu uno die ſunt oblata more antiquorum Imperatorum, nè milites tumultum excitarēt. Quæ omnia ob bonos eius mores & uitæ integritatem facta ſunt. Ita enim à prima pueritia bonis artibus tam ciuilibus quàm militaribus fuit inſtitutus, ut ne diem quidem unum tranſire ſine literis aut militari diſciplina ſineret, matre ſua Mammea procurante, quæ ei nobiliſsimos quoſque præceptores adhibuit, Valerium Cordum, T. Viturium, Aurelium Philippum, Iulium Frontinum, Bebium Macrinum, & alios multos. Literatos omnes uehementer amauit, ſemperq; intereſſe conſilijs ſuis uolebat, plurimùm timens ne quid de ſe aſperum ſcriberent. Ob id etiam facundiæ græcæ excellens fuit, nec uerſu inuenuſtus: ad Muſicam pronus, & Matheſeos peritus. Vitas principum bonorum uerſibus ſcripſit. Lyra, tibia, organo, tuba cecinit: ſed nunquam alio conſcio, niſi pueris ſuis teſtibus. Dominum ſe appellari uetuit. Gemmas de calciamentis & ueſtibus tulit, uſus ſimplici ueſtitu: familiariter ſe erga omnes exhibens, ut amabilis eſſet omnibus, appellareturq; Pius, Sanctus, Reiq; pub. utilis. Cùm autem Senatus ob tot animi uirtutes ei nomen Antonini atque Magni daret, recuſauit, licet crebris acclamationibus ipſum in curia Antoninum & Magnum appellarent, oneroſa dicens tam inſignia nomina. Ob ingentem tamen animi uigorem, ſingularemq; conſtantiam contra militum inſolentiam, Seueri nomen à militibus inditum eſt, quòd tumultuantes legiones exauctorauerit, & quòd in milites grauiſsimè animaduertit, ſi quando peccarunt. Præterea Senatum & Equeſtrem ordinem perpurgauit, impuros quos Heliogabalus prouexerat ſequeſtrans, obſcœnosq; ac infames omnes ab aulico miniſterio abijciens. Annonam diligenter inſpexit, ad aurum colligendum attentus, ad ſeruandum cautus, ad inueniendum ſolicitus, ſine cuiuſquam excidio. Leges in annos firmauit, eos que diligentiſsimè ſeruauit. Multis ciuitatibus terræmotu obrutis, ad inſtaurationem pecuniam ex uectigalibus dedit. Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Aruſpicibus, Mathematicis, Mechanicis, Architectis ſalaria inſtituit, Auditoria decreuit, pauperum filios publicè aluit. Si prouincijs dabat procuratores, rationem ab his rerum geſtarum exegit. Aſſeſſoribus quoque ſalaria inſtituit, cunctosq; bonos beneficijs affecit. Militibus cibaria ordinatim diſpoſuit, ne egerent: ægrotantesq; per tentoria uiſitauit, matronisq; diſtribuit per ciuitates, reddens impendia donec aut conualerent, aut perirent. Poteſtates atque magiſtratus uendi paſſus non eſt. Cùm itaque Imperator ſine querela cuiuſquam, imperium annæmaton, hoc eſt citra ſanguinem, gubernaret, ueniunt inopinatò è Syria literæ, nuncíantes Parthorum regem uniuerſum ſibi uindicare Orientem. Aſſumit igitur Parthicam expeditionem, quam tanta diſciplina, tanta reuerentia ſui egit, ut non milites, ſed ſenatores ire dicerentur. Ita enim milites in alterius agros

us agros ruentes castigauit, ut aut fustibus aut uirgis cederet, aut condemnaret. Vel si dignitas hominis non admitteret, Christianam illam sententiam diceret: Quod tibi non uis, alteri ne feceris. Quod uerbum adeò dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus perscribi iuberet. Tum ordinato exercitu, Artaxerxen Persarum regem uicit, ac de præda suos ditauit. Post hoc speciosissimum triumphum in urbe egit, ut Lampridius, Eutropius, Orosius, Ruffus Sextus attestantur. Herodianus contrà scribit, Alexandri exercitum in Persico bello regis Artaxacis (ita eum appellat) morbo, ferro, frigoréque perijsse: uictumq; potius quàm uictorem fuisse. Extat apud Lampridium concio, qua apparatum belli & arma Persarum describit, supplicationes que pro rebus gestis dijs decernẽdas petit. Extant & acclamationes, quibus Parthicus & Persicus dictus est. Sequenti post triumphum die, Circenses ludos & congiarium Pop. Romano dedit. Actæ etiam sunt res fœliciter per legatos & proconsules suos in Mauritania, Illyrico, Armeniaq;. Et quanquam seueriss imus esset in milites, nullum tamen delictum atrocius existimabat quàm furtum, appellans fures quotidianorum scelerum reos ac hostes Reipub. Sed & ambitum grauissimè puniuit. Cùm Germanicum bellum imminer et, conscripto exercitu ad Galliam profectus est. Ibiq; à militibus, quòd seuerior ipse esset, & mater Mammea auarior, trucidatus Maximino duce, anno ætatis uigesimonono, post menses tres, ac dies septem. Licet Sext. Aurelius xxxvi. tantum annos uitæ scribat: tamen corruptum æstimo librum, quum imperasset annis tredecim, dies nouem. Sextus Aurelius tradit, Maximinum plures de exercitu corrupisse: & cùm Alexander uideret semet deseri à stipatoribus, matrem sibi fuisse causam mortis exclamans, accurrenti percussori, obuoluto capite, ceruices suas ualidè compressos obtulisse. Idem tradit, sub hoc imperante Taurinum Augustum effectum esse. Lampridius uerò Verconium Iurinum scribit imperium Alexandri infamasse, & quasi delirum Alexandrum in sua potestate fore iactitasse, & hominibus fumum u endidisse. Tandem illum ad stipitem ligatum, fumo quem ex stipulis & humidis lignis collegerat, suffocasse: quòd meritò fumo periret, qui fumum uenderet. Enarratq; alium quendam senatorem antiquæ familiæ Quinium Camillum tyrannidem affectasse, quem cùm tot tantisq; beneficijs afficeret Alexander, tandem cùm labores expeditionis Parthicæ ferre nequiret, in uillas suas ire præcepit, & pòst iussu Imperatoris occisus est. Subiungit idem Lampridius, ex desiderio eum duxisse uxorem cuiusdam Martiani filiam, eundemq; ab eo Cæsarem nuncupatum. Verùm cùm uellet insidijs occidere Alexandrum Martianus, detecta factione, & ipsum interemptum, & uxorem abiectam. Hero dianus scribit Mammeam matrem filio Alexandro in matrimonium puellam patricij generis dedisse, quam etiam marito charam gratamq; in primis, eadem paulo pòst aula per omnem contumeliam exegit. Et cùm ipsa tantum uocari Augusta uellet, eámque appellationem puellę inuideret, eò contumeliarum prouecta est, ut puellę pater, quamuis magnæ autoritatis, ad Alexandrum generum, impatiens Mammeæ iniuriarum quas ipsi natæq; inferebat, confugerit in castra, gratiam se habere Alexandro dictitans habiti sibi honoris, cæterùm Mammeam accusans, nihil non contumeliæ inferentem. Quare indignata mulier, interfici eum quidem iussit: puellam uerò ædibus Imperatorijs exactam, in Aphricam relegauit. Quo nomine uerò illa fuerit appellata, incertum est. Hoc satis constat, quòd Alexander uxorem habuit Memmiam, Sulpitij consularis uiri filiam, & Catuli neptem. Quæ unà cum matre Mammea obiecerunt Alexandro nimiam ciuilitatem, dicẽtes Molliorẽ sibi potestatem & contemptibiliorem impe-

rio facere. quibus respondit: Sed securiorem, atq; diuturniorem. Vetuit quoq; matrem & uxorem suam à famosis mulieribus salutari. Cæterùm omnem eius
78 uitam domesticam atq; publicam Lampridius tam diligenter perscripsit, quæ extat, ut ineptum sit frustrà omnia hic repetere. Quandoquidem omnes eius uitæ scriptores accuratè perlustrauit, Marium Maximum, Aureliũ Philippum libertum patris, Gargilium Martialem, Septimium Acholium, Encolpium & Desippum: qui omnes iactura temporis perierunt. Nos Lampridio, Herodiano, Sexto Aurelio, Eutropio, Orosio atque Eusebio erimus contenti. Et more iam suscepto uitam Alexandri nostro tetrasticho claudamus, quandoquidem nunc Ausonius deficit:

Raptus Alexander ferro cum matre Seuerus,
Indignam passus ob benefacta necem:
Exegit castris uitia, ac documenta seueris
Legibus instituit: hæc bona, morte luit.

MAXIMINVS THRAX.

79 MAXIMINVS Thrax è Barbaris parentibus, patre Micæa Gotho seu Mecca dicto, matre Abaha ex Alanis, ut ipsemet in iuuentute fatebatur, genitus: à pueritia pastor fuit & opilio in montibus Thraciæ. dein corporis uastitate ac robore inter eius gentis tenuissimos milites, procerus admodum ascitus, quasi que manuductus à fortuna, ad imperium uenit. Prima stipendia sub Seuero fecit, inter stipatores corporis sui in aulam locatus, & muneribus donatus, quòd magnitudine corporis conspicuus, & uirtute inter milites clarus esset. Ferus erat moribus, asper, superbus, corpore procerus, & uorax: magnitudine corporis tanta, ac fortitudine, ut alij eum Crotoniaten Milonem, alij Herculem, alij Antæum, alij Achillem, alij Aiacem uocarent. Et cùm de longis ac ineptis hominibus ueteres loqui uellent, trito iam adagio dicerent, Caligam Maximini. Erat enim ultra communem hominum mensuram octo pedum longitudine. Et cùm, Seuero ludos militares in natali filij celebrante, à rure prodijsset, uidẽs certantibus proposita præmia, principem barbara lingua rogauit, ut sibi quoq; liceret cum militibus certare. Seuerus proceritatem corporis miratus, ne quid indignũ militibus homo barbarus & agrestis inferret, concessit cum lixis luctari. Quorum sedecim, nulla temporum intercapedine data, strauit mira prosperitate: acceptisq; præmijs, stipendia equestria meruit. Cùm tertio pòst die eius uires Seuerus clarius cupe ret scire, præeunte Maximino, Princeps equum in gyrum uarijs anfractibus inflexit, ut barbarum fatigaret: & cùm ab eo quæreret, si hunc luctam aliquam ini re uellet? Cui assentienti Seuerus septem ualentissimos milites elegit, quibus cum luctaretur: sed cùm & illos nullo labore prosterneret & terræ allideret, in-
80 ter stipatores corporis sui datis donis elegit. Sub Antonino Caracallo ordines militares duxit, sub Macrino militare desijt, & in Thraciam concessit, ubi genitus erat. Ibi possessiones comparauit, & cum Gotthis ac Alanis familiarissimè uixit penè triẽnio, plurimùm ab ijs amatus. Sub Heliogabalo iterum Romam uenit. Sed cùm impurum hominem inuenisset Imperatorem, qui eum honore tantum tribunatus dignatus est, ægrè ab amicis retineri potuit. Alexãder uerò Imperator miro gaudio ac congratulatione hominem excepit, legionicq; tyronum præfecit, ut eos in militia instituere t. Quos ita exercuit, ut breui omnem perdiscerent laborem militarem: cumq; ijs luctamina quotidie perficeret. Hũc cùm Alexander in suam perniciem omni exercitui præfecisset, omnibus militibus, tribunis, ac ducibus gaudẽtibus, cùm in Gallia seuerius milites correxisset

Alexan-

Alexandri illo persuadente militibus quòd Imperator rem bellicam negligentius tardiusq; administraret, quòd Mammæa mater auara fœmina (quæ tamen sancta & bonis moribus fuerat) pecunijs congerendis ob sordes nimias inhiaret, & parsimonia erga milites uteretur, Alexander cum matre occisus est. Tum Maximinus primus è corpore militari, & nondum Senator, sine decreto Senatus Augustus ab exercitu est appellatus: filio sibimet in participatum imperij dato. Admiranda igitur astutia, primùm milites non uirtute regebat, sed præmijs atque lucris ac uenationibus legiones exercens. Interim tamen tam crudelis in uniuersas, præsertim tamen nobiles, quò suam ignobilitatem tegeret, ut crudelius animal in terris esse non diceretur quàm hic Cyclops, Busyris, Chiron, Phalaris, Typhon, & Gyges. Tot enim nominibus ob crudelitatem cognominabatur, quòd alios in crucem sustulisset, alios animalibus inclusos necasset, alios feris obiecisset, alios fustibus elisisset, sine delectu dignitatis. Sic uoluit barbaricam humilitatem uiolentia & crudelitate nobilitare, & imperium suum retinere sæuitia. Omnes enim generis sui conscios, ignobilitatis tegendæ causa interemit, omnesq; amicos, qui sepe illum paupertatis causa donauerant. Tantum uiribus suis confidebat, quasi occidi non posset, ueluti immortalis esset ob magnitudinem corporis. Plures ob id in eum factæ coniurationes. Nam & Magnus, uir patricius & consularis, ut arriperet imperium soluto ponte cùm in Germanos transiret, eum occidendum curauit. Et Osroeni milites, amore Alexandri, duce Quarcino, uel ut Capitolinus scribit, principe Tyto, à Maximino defecerunt. Sed detectæ conspirationes, crudelia supplicia ducibus attulerunt. Fuit autem Tytus, ut tradit Treuellius Pollio, Tribun. Maurorum, qui à Maximino inter priuatos relictus fuerat timore uiolentæ mortis. Vir præcipuus erga Rempub. domi forisq; laudabilis, sed imperio parum fœlix. Hunc enim inuitum & coactum milites Imperatorem fecerunt. Sed cùm sex mensibus imperasset, post uindicatam defectionem quam consularis uir Magnus Maximino parauerat, à suis militibus interemptus est. Cuius uxor Calphurnia sancta & uenerabilis fœmina fuit, ut late apud Pollionem inuenies. Sed Maximinus immanior deinceps ferarū more, quæ uulneratæ magis exulcerantur, in Germaniam cum omni exercitu maximoq; apparatu transijt, quem ab Alexandro susceperat. Ibi omnem crudelitatem ferro, flammis, populatione exercuit, multis in Germania interemptis, captis, & in fugam plurimis conuersis. Quę omnia postea Senatui literis, & tabulis imaginibus picta significauit. Quæ tamen post eius interitum flammis sublata est, iussu Senatus. Victa Germania Syrmiū uenit, Sarmatis paraturus bellum: ut usq; in Oceanum Septentrionem omnem subigeret. Sed cùm in odium militum quotidie magis ueniret ob sequissimam crudelitatem, qua nulli parcebat, facta defectione militum in Africa Gordianus senex proconsul octogenarius Imperator à militibus factus est, unà cum filio apud oppidū Thystrum. Quod mirum in modum Senatum oblectauit, qui ambos Augustos acclamarunt. Interfectis omnibus Maximini delatoribus atque amicis, unà cum præfecto urbis Sabino, appellatisq; hostibus Maximino ac filio eius, ac missis literis ad singulas prouincias & ciuitates, ut communi saluti libertatiq; subuenirent, publico S. C. & acclamationibus: lecto Senatusconsulto, Maximinus ut crudelissima belua exarsit, in furorem concitatus, & propemodum in proprium filium desæuit: sed temperata ira uino ubi deferbuit, milites contra Senatum excitauit. Sed interim Capellianus, qui Mauris præfuit, cōtra Gordianum profectus, ut sibi usurparet imperium occiso iuniore Gordiano. Qui cùm quadragesimumsextum agebat ætatis annum, Gordianum senem ad eam desperationem redegit, ut laqueo finiret uitam. Sic ambo imperarunt anno uno, mensibus sex. Quod tanto mœrore Senatum affecit, ut mox duos iterum Imperatores, Maximum Puppienum et Clodium Balbinum, cōtra Maximinum delige-

rent,

rent, addito paruulo nepote Gordiani, qui pariter Cæsar est dictus. Maximus contra Maximinum profectus, uir seuerus & prudens, Balbinus Romæ relictus seditionibus domesticis urgebatur, ingenti facto in urbe incẽdio: quo bona pars urbis & hominum correpta est. At Maximinus lætior factus de obitu Gordianorum et Capelliani uictoria, exultabat: sed de nouis Imperatoribus mœstus, perpetuum in se Senatus odium intellexit. Italiamq; uersus cõtra Maximum profectus Cæsarem, uehementius desæuit. Sed cùm in obsidione Aquileiæ exercitus fame laboraret, urgereturq; in dies magis, ducesq; aliquos suos trucidaret, in odium exercitus ueniens, unà cum filio à militibus est trucidatus in castris Maximinus, ambo quiescentes & in tentorio positi: pater sexagenario maior, filius uigesimum annum agens: horumq; capita hastis suffixa, & Aquileiensibus sunt ostensa, & postea missa sunt Romam. Vnde ingens prouincialium lætitia orta est, receptis Maximini militibus, quos commeatu & necessarijs recrearunt Aquileienses. Dehinc in uerba Maximi Balbini & Gordiani iurarunt, adortis illorum imaginibus. Sed quanta fuerit lętitia in urbe uiso Maximini capite ex metu quem habebant si ille uinceret, hinc coniectari potest, quòd Balbinus hecatomben fecit, iussitq; per omnes ciuitates
82 pari sacrificio supplicari. Maximus quoque ex Rauenna Romam uenit, dimissis Germanorum auxilijs, quibus cum uolebat bellum inferre. Duo Gordiani inter deos relati, Maximini nomen erasum: factę dehinc supplicationes, Imperatores in palatium se receperunt. Capita Maximinorum in campo Martio, insultante populo, exusta sunt: cadauera missa in profluentem. Talem exitum sortitus est Maximinus crudelis, cùm triennio imperasset cum filio suo. Qui tantæ fuit pulchritudinis, ut passim amatus sit à procatioribus fœminis, quæ de eo optauerunt concipere: proceritatis insignis, ut paternam uideretur contingere, nisi decimooctauo anno esset interemptus. Græcè & latinè egregiè institutus, sed superbissimus: utpote qui pateretur sibi osculari pedes ac genua. Audita est, cùm iunior occideretur, memorabilis illa uox: Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum. Fuit autem & in Christianos sæuissimus, unde & haud diuturnum assequutus est imperium. Sed quisquis plura de eo scire uolet, Capitolinum adeat, qui utriusque, patris & filij, uitam locupletissimè descripsit. Est & uidendus Herodianus libro septimo ac octauo suarum historiarum, Orosius, Eutropius, ac Aurelius. Nam qui ante hos scripserunt, Iulius Cordus, Aelius Sabinus, Valerius Marcellus, Curius Fortunatianus, Dexippus & Arrianus, iactura temporis perierunt. Symmachus etiam quinto historiæ suæ libro, multam eius uiri mentionem fecit. Nos ut seruemus morem institutum, subijciamus nostrum de hoc tetrastichon:

Maximinus atrox dum regnum sanguine quærit,
Sanguine commaculat sacra piosq; homines.
Sed dum desæuit nimium, discerptus ab illo est
Milite, qui frustrà contulit imperium.

GORDIANVS CAESAR.

DE Gordiano patre & filio iccirco nihil scripsisse in præsentiarũ uisum est, quòd eorum imperiũ sub Maximino fuit, durauitq; annum tantũ & mensibus sex. Et tamen quisquis plura de illis scire uolet, Capitolinum legat, de tribus Gordianis plura perscribentem: quorũ duo, pater, & filius Africæ proconsul & legatus, à militibus Imperatores dicti, à Senatu firmati, occisi sunt ab exercitu Maximini, duce Capelliano. Iunior in exercitu cum magna suorum strage, senior laqueo uitam cum imperio abrupit. Sed nec Roma hos uidit

uidit Cæsares, licet Senatus Maximum cum Balbino Imperatores crearet, ut suprà scripsimus. Ob id paucula de ijs recensui. Sed de tertio qui fuit Imperator, & sex annis regnauit, latius scribemus, Catalogum nostrum, ut cœpimus, continuantes.

Cùm in Africa Gordianus senior ac iunior duce Capelliano mortem obijssent, trepidus Senatus ob Maximini crudelitatē, uiginti uiros ad Remp. tutandam delegit. E quibus, ex consulibus duos, Maximum, quem M. Clodium Pupienum dicunt, Pupienum & Decium Celium Balbinum Augustos appellauit. Subsequutæq; sunt tum acclamationes: Imperatoresq; ea facti sunt lege, ut alter res domesticas, alter bellicas curaret: unus qui in urbe resideat, alter qui obuiam cum exercitu Maximino pergat. Sed dum in Capitolio rem diuinam faciunt, tum populus & milites Gordianum paruulum, annos agentem sedecim, petiuerunt ut Cæsar appellaretur (timebant enim seueritatem Maximi homines uulgares) raptusq; ad Senatum Gordianus, atque in concione positus, indumento imperatorio tectus, Cæsar est appellatus, addito S. C. De illis igitur duobus prius scribam, tum de Gordiano. nam alter bonitate, alter seueritate clarior habebatur. Et quum aliqui Maximum tantum & Balbinum scribant, aliqui Puppienum & Balbinum, arbitrabatē Capitolinus eundem fuisse Maximum Puppienum. Erat enim hic natu grandior, immò meritis ac uirtute clarior: licet ex plebe genitus esset, patre fabro ferrario. A pueritia tamen uirtuti & militari studuit seueritati, ut homo nouus per gradus dignitatis grauitate illustris ac uenerabilis fieret, militaris Tribunus & Proconsul multarum prouinciarum factus. Legatus in Germania satis fœliciter pugnauit. Tum præfectus urbis prudentissimus & seueríssimus approbatus est: & licet homo nouus esset, nemo tamen Senatui uisus est illo aptior ut principis nomen acciperet. Tam grauis atque seuerus fuit, non tamen inhumanus uel inclemens. Factionibus nunquam se præbuit. Immo à Senatu multum dilectus, à populo ueritus, siquidem sciebat eius censoriam præfecturam. Balbinus autem nobilissimus erat, cuius maiores ex Gadibus Hispaniæ cum Pompeio Magno uenerant, & ciuitate donati. Horum prius Theophanes Balbus Romæ appellatus Cornelius, quem M. Tullius defendit. Ipse autem Balbinus nobilitate familię, fortunisq; & clementia satis cognitus, & iterum consul, Rector Asiæ, Aphricæ, Bythiniæ, Galatiæ, Ponti, Thraciæ, & Galliæ, sanctitate & bonitate præcipuus, familiæ uetustissimæ, & admodum diues: eloquentia clarus, amabilis Senatui & populo. Hi ergo Cæsaris & Catonis moribus comparati, receptis imperatorijs honoribus, tribunitia potestate, iure procōsulari, pontificatu maximo, & Patris patriæ nomine: exhibitis quoque populo ludis scenicis ac Circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus contra Maximinum cum exercitu profectus est, prætorianis Romæ relictis. Cum quibus populus tantam seditionem excitauit, ut instar belli intestini urbs incenderetur, templa fœdarentur, plateæ cruore polluerentur, frustra prohibente Balbino, donec Gordianum purpuratum educeret. Quo uiso, milites & populus in concordiam redierunt, ob memoriam aui, & patris sui auunculi: ita erant Gordiano affecti, licet & paulo pòst altera seditio in urbe oriretur. Interea apud Aquileiam Maximinus occisus auspicijs Maximi, cùm Maximus apud Rauennam subsisteret, qui caput Maximini Romam transmisit, ut publicam lætitiam excitaret. Hecatomben enim mox Balbinus Romæ fecit, hoc est, centum boum sacrificium. Dehinc Maximus cum omni exercitu ad urbem approperat, cui plurimi sunt honores decreti. Quod sanè Balbinus ægrè tulit, paulatimq; discordiæ inter eos natę sunt tacitè, quę uix intelligebantur. Nam Balbinus Maximum quasi ignobilem, is alium rursus quasi debilem contempsit. Sed Maximini exercitus utrunque odio habuerat, quòd quem ipsi Imperatorem fecerant, occisus esset. Illi autem eis à Senatu dati essent, qui urbem & populum

populum regerent, leges optimas conderent, res bellicas pulcherrimè disponerent. Quocirca dolebant milites tantam esse authoritatem apud Senatum. Quærebant igitur occasionem, ut ambos occiderent: quę tum demum inuenta est, cùm ipsorum intelligerent inter se discordiam. Cùm itaque contra Parthos Maximus, contra Germanos Balbinus essent profecturi, ludis quibusdam scenicis milites tumultum excitarunt in palatio contra Maximum. Qui
85 cùm à Balbino præsidium Germanorum peteret, suspicatus monarchum, pri-
86 mum frustratus est. Sed cùm gliscceret seditio militum, ambo sunt nudati uestitu regali, & de palatio deturbati, ac per mediam ciuitatem ad castra raptati. Vbi autem Germani occurrebant in itinere, laniati ac occisi sunt, cùm annum unum imperassent. Itaque nec illi seueritas, neque huic clementia profecerunt, cùm ambo occiderentur. Gordianus iterum à militibus sublatus, Imperator & Augustus est dictus. Tam indignum exitum uita & moribus suis Maximus prædixisse Balbino fertur. Cùm enim iudicio Senatus ijs delatum esset imperium, fertur Maximus Balbino dixisse: Quid tu Balbine & ego merebimur, cùm hãc immanem beluam, hoc est Maximinum, exitio dederimus? Cumq; Balbinus dixisset, Senatus Populiq; Romani feruentissimum amorem & orbis terrarum: subiunxisse dicitur Maximus, Vereor ne militum odium sentiamus, & mortem. Cæterùm Gordianus, ut aliqui scribunt, filius fuit Gordiani qui in Aphrica perijt: uel, ut alij, ex filia nepos. Amabatur autem memoria aui uel auunculi siue patris à militibus, quòd ij militari morte ac necessitate perierant pro Senatu Populoq; Romano. In tantumq; diligebatur, ut ingenij studio ac gratia Senatus & milites eum filium, populus delicias suas appellarit. Et posteaquam constitit apud ueteranos, solum Gordianum regnare, inter populũ & milites ac ueteranos pax roborata est, & finis belli intestini fuit. Tum Popul. Roman. delicijs & uoluptatibus uacauit, ut quæ prius aspera gesta erant mitigaret. Sed mox tanta eclipsis solis facta est, ut nox crederetur, neque quicquam sine luminibus accensis agi poterat: quod sanè indicium fuit imperij haud diuturni. Nam & mox in Aphrica contra ipsum conspiratio facta est: quę statim euanuit. Et cùm ad bellum Persicum esset profecturus, quod tum imminebat, ne contemptibile eius uideretur imperium, ducta uxore, consilijs soceri adiutus, spadonum ac eunuchorum adulationes reiecit ac contempsit: factus multo nobilior Imperator, ex grauitate & sanctimonia uitæ soceri sui. Profectus itaq; ad bellum Persicum, fecit iter in Mœsiã: ac quicquid hostiũ in Thracijs reperit, deleuit, fugauit, expulit. Inde per Syriam in Antiochiam uenit, quæ iam à Persis tenebatur. Illic frequentibus prælijs pugnauit & uicit, Sapore Persarum rege, Artaxerxis filio, submoto: qui tantum Gordianum extimescebat, ut deductis ex urbibus præsidijs, eas integras redderet. Erat autem Sapores rex statura procerus, & corpore horribilis. Sic Carræ & Nisibis, quæ Antiochia est, captæ: sic & aliæ urbes. Persæ quoque, qui in Italia timebantur, relicto Oriente Romanis aufugerant, ut huius successibus nomen Persicum posset deleri. Quæ omnia Senatui Gordianus perscripsit, eaq; Misitheo, qui idem Themistocles dicebatur, uir modestus & frugi, prefecto et socero accepta retulit. Ob quæ & Senatus Dijs supplicationes, Gordiano triumphum decreuit, & Misitheo currum triumphalem, & titulum magnorum honorum, cum ijs uerbis:

MISITHEO EMINENTI VIRO: PARENTI PRINCIPVM: PRAETORI TOTIVS VRBIS: TVTORI REIPVBL. S. P. Q. R. VICEM REDDIT.

Occisus est autẽ Misitheus insidijs Philippi, qui per medicos curauit, (quoniam effusione alui laborauit) ut cùm poculum iuberetur sistendi uentris gratia accipere, poculum daretur quo magis solueretur, atque ita exanimatus est:

In cuius

In cuius locum ipse succesſit à Gordiano, & præfectus & parens appellatus. Sed immemor omnis fortunæ ac pietatis, mox inſidias etiam Gordiano ſtruxit. Vt enim in odium militum cum duceret, naues frumentarias abduxit, quas Miſitheus prius in exercitum aduexerat: dehinc artibus milites circumuenit, ut Philippum Imperatorem poſcerent, quòd iuuenis Gordianus nimium eſſet, nec regere tantum exercitum poſſet. Imperium igitur Philippo mandatum eſt, iuſſumq; à militibus, ut quaſi tutor eius Philippus cum Gordiano pariter imperaret. Suſcepto autem imperio, breui in eam ſuperbiam uenit, ut Gordianum nec Imperatoris, nec in Cęſaris, nec in præfecti, nec in alicuius ducis loco habere uellet. Et cùm ſe uiuere tantum precaretur, quod ei conceſſerat, tandem tantum amorem populi & Senatus circa Gordianum conſiderans, cùm iræ militum famis cauſa uehementes eſſent, clamantem ante conſpectum duci iuſsit, ac ſpoliari & occidi. Ita Philippus impiè imperium aſſequutus: cùm Gordianus regnaſſet annis ſex, ætatis anno xx. Clementiſsimus ac optimus princeps, quem Pop. Rom. delicias ſuas uocauit. Et ubi factus eſt certior Senatus de morte eius, in numerũ Deorum retulit. Nam Philippus literis, morbo eum periſſe, Senatui ſcripſit. Non fuit tamen inulta iuuenis Gordiani cædes: quicunq; in eum coniurauerunt, crudelibus ſupplicijs interierunt.

Habuit uxorem Tranquillinam, Miſithei uiri doctiſsimi ac eloquentiſsimi filiam, quem dignum putauit ſuæ familię inſerendum, quam à Scipionibus pleríque originem duxiſſe ſcribunt, & mox illum præfectum prętorij fecit: cuius item conſilijs & prudentia bellum Perſicum confecit, & multas urbes expugnauit, admirandaq; ſapientia exercitum ordinauit, uſq; adeò ut Tribuni eum & duces timerent & amarent: neque uellent peccare, neque ulla ex parte peccarent. Semper enim militum arma inſpexit, caſtra foſſa muniuit, uigilias obiuit, amabaturq; ab omnibus: quòd ſic & Rempub. amaret, & principem. Hunc poſtquam periſſe compererat Argunthis rex Scytharum, mox finitimorum regna deuaſtauit, ſciens huius conſilio Rempub. gubernatam. Vbi Senatus factus eſt certior de morte Gordiani, Marcum quendam uirum grauem ac ſapientem, quem philoſophum cognominat Zonaras, Imperatorem legit. Qui ſubita morte in palatio, ubi habitabat, deceſsit. Nec ſucceſſor dilatus eſt, ſtatimq; lectus à patribus Seuerus Oſtilianus: qui repentè cùm incidiſſet in morbum, medicis malè uenam ſoluentibus, occubuit. Interea literæ Philippi miſſę, in Senatu lectę ſunt, quibus rogabat uti patres ipſum Auguſtum confirmarẽt, quod factum eſt. Multa ſunt de Gordiano Imperatore & ſuis maioribus à ueteribus tradita, ab Arriano, Dexippo Græco, Iunio Cordo, Vulcatio Terentiano, Valerio Marcello, Curio Fortunatiano: qui omnes res geſtas Gordianorum perſcripſerunt: qui cùm omnes interierint, ex Iulio Capitolino, Sext. Aurelio, Oroſio atque Eutropio, reliqua diſcamus. Nunc uerò tetraſtichum noſtrum de Gordiano ſubijciamus, quem Gordium ob legem carminis (neceſsitate compulſi) appellauimus:

Gordius inde nepos poſt patris auiq; periclum,
Imperij ſedem, à milite raptus, adit.
At regno pulſus Balbinus cum Pupieno,
Tertius ex illis imperium obtinuit.

M. IVL. PHILIPPVS ARABS.

MARCVS Iulius Philippus Arabs, Voſtris Arabiæ urbe, obſcuris parentibus ac humili genere ortus, patre nobiliſsimo latronum ductore, teſte Aurelio, uirtute rei militaris clarus atque inſignis Romam uenit, & ſub Cæſaribus militauit. Cuius fortunæ, humilitas generis non obfuit. A teneris enim annis, relicto patrio ſolo, militare cepit. nam Arabes optimi ſunt equites, & militiam Romanam noſcere cœperunt, in oriente res gerente Pompeio. Philippus itaque haud parum diligens, per gradus promotionis aſcendit comes ordinis, deinde dux, pòſt præfectus prætorio: cũ Gordiano contra Perſas profectus: ubi fertur inſidias poſuiſſe Miſitheo prę fecto, ac ſocero Gordiani. Poſt cuius mortem à Gordiano, ignaro huius mali, prę fectus prætorio creatur, & exercitui prę ficitur. Quinimmo tanquam parens ab eo diligitur, quò ſua poſſet induſtria uti ac conſilio, perinde ut olim Miſithei conſiliis uſus fuerat. Sed ſuperbus Philippus, inſolentior enormitate fortunę factus, de imperio cogitat. Et ut artibus Gordianum circumueniat, ac de imperio deturbet, diligẽtius inquirit. Erat tum res Romana in ſumma trãquillitate, domi regulariter gu
87 bernata, in caſtris caſtigatiſsimè exornata, omnibus neceſſariis prouiſus exercitus ſolertia Miſithei, ſoceri Gordiani, adeò ut omnes milites Gordianum tanquam filium, ac Miſitheum tanquam eius parentem diligerent. Hoc ut immutaret Philippus, primùm fraude naues frumentarias auertit: deinde milites in loca ſterilia deduxit, ubi annona haberi nõ poterat, quò milites Gordiano redderet infeſtos, ignorantes artibus Philippi iuuenem Imperatorem circumueniri. Hinc famam ac rumorem per milites ſparſit, adoleſcẽtem eſſe Gordianum, qui imperium regere nõ poſſet: melius eſſe illum imperare, qui militem remq; publicam gubernare ſciret. Corruptisq; exercitus ducibus ac principibus, effectum eſt, ut Philippus palàm ad imperium poſceretur. Licet autem amici Gordiani uehementiſsimè reſiſterent, tamen quoniam fame uincebantur milites, imperium Philippo à militibus conceſſum eſt, ut quaſi tutor eius cum eodem pariter gubernaret. Philippus fraude aſſequutus imperium, ſuperbiſsimum ſe agebat contra Gordianum. Quod ægerrimè ille ferens, cùm ſe Imperatorem, & Imperatorum ac Scipionũ prolem de nobiliſsima familia agnoſceret: iſtum uerò ignobilem & ſuperbum: ob id conuocata concione, conqueri cepit de inſolentia Philippi. Sed cùm is duces ambiſſet ac milites, parum profecit. Iratior ille factus, & in Gordianum ſæuior, palàm eius pueritiam atque imperitiam indignam imperio deteſtari cœpit. Et cùm Gordianus equum ſaltẽ cum eo imperium peteret, aut ut Cæſaris loco haberetur, Philippus per amicos omnia agens, cogitare cœpit amorem Pop. Rom. & Senatus circa Gordianum ac totius Aphricæ ac Syriæ, totiusq; orbis Romani, quòd & nobilis eſſet, & nepos Imperatorum: poſſe fieri ut immutata militum uolũtate, Gordiano redderetur imperium: aſtu laborauit, ut ob penuriam annonæ milites irati, contra Gordianum clamarent acrius. Qua occaſione reperta, eum iuſsit clàm occidi. Mox Philippus Senatui literas mittit, Gordiano morbo extincto, ſe eſſe ab exercitu Imperatorem creatum. Deceptus Senatus credidit, ipſumq; Auguſtum appellauit, relato Gordiano inter Deos. Facta igitur pace cum Perſis, percuſſoque fœdere, dimiſſa Syria ac Meſopotamia hoſtibus, paſſus ui
ctricium armorum dedecus, iter per Arabiam fecit, ac paterno in ſolo Philippopolim urbem ſui nominis condidit. Dehinc urbem petens, filium conſortem regni fecit. In urbem reuerſus uoti compos, plura largitus eſt: ſed ipſius
88 aduentu, lætitia haud ingens, quòd prouincias amiſerat. Studens ſedare animos omnium, cum inducto Perſis decreto, illis bellum indixit, ſperãs ignominiam abolere. Res ſine ſanguine peracta eſt, Perſis prouincias reſtituere pollicentibus.

centibus. Dehinc xi. Calend. Maij seculares ludos, quòd esset millesimus annus urbis conditę, celebrauit, uenationesq; dedit: ubi feras omnis generis confecerat. Gordianus enim pro Persico triumpho elephantes, alces, tigros, leones, leopardos, hyenas, camelopardalos, onagros, equos feros, & innumera alia animalia uoto publico reseruauerat, ut Natali urbis triumpharet, quæ ille secularibus ludis & muneribus atque Circensibus dedit & occidit. Gladiatorum præterea paria mille in Circo Maximo exhibita. Et scenicos ludos in Pompeij theatro, tribus diebus, totidemq; noctibus peruigil populus spectauit, funalibus atque lychnis tenebras uincentibus. Et cùm multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus, aut ex ignibus coalitum, in curia diuagatum est. Theatrum Pompeij exarsit, & ei propinquum Hecatonstylon, centum columnarum in campo Martio opus, Centenariã porticum appellabant. Circenses dati, in quibus certamine currendi quadragesimus equorum è carcere missus est numeratus. Hæc omnia ludis secularibus exhibuit: licet Christianus esset. Fertur enim, quòd cùm in ipsis uigilijs Paschæ sacris interesse & communicare mysterijs uellet, ab Antistite loci non prius esse admissum, quàm cùm confiteretur peccata sua, & inter pœnitentes staret, pœnitentiamq; pro peccatis acceptaret. Quod cùm à sacerdote ei fuisset imperatum, ipse rebus atque operibus fidem religionis plenissimè comprobans, metum diuinum testatus est, ac mysteria sacra percepit. Obid plurimæ narrantur ab Origene ad Philippum & matrem epistolæ scriptæ: item & ad uxorem eius, absque ullo adulationis fuco, quibus ad Christianę pietatis cultum eos hortatur. Sed opera Fabiani pontificis cum filio & coniuge baptisma te insignitus, primus Cæsar nomen est professus Christi. Interea Scythę qui Misitheo fidem præstiterant, & illius nutu quieti erant, facta irruptione limites transgressi, urbes & agros Romani imperij uastare, prędas abducere, cędes undiq; facere, incendia suscitare, domos, uillas, tuguria euertere, metum haud inanem inferebant. Expeditioni propere præficitur Marinus quidam dux limitis Sarmatici, qui ab exercitu Illyricorũ Imperator est appellatus. quod cùm nunciatum esset Romæ, Philippus aduocato Senatu, plurimùm de Marini ingratitudine questus est. Decius uir clarus adhortatus est principẽ, ne timeret, quòd Marinus pœnas daturus esset: qui paulo pòst cæsus seditione militari, pœnas luit. Confirmatus uaticinio Decij Imperator, contra Scythas cum supplemento copiarum ipsum Decium misit: qui cùm ad exercitum peruenisset, concordi assensu milites Illyriciani inuitum ac repugnantem strictis ensibus Imperatorem fecerunt. Dux experientia rerum cautus, ne à principe accusari posset, néue locum calumnijs præberet, fidissimo nũcio literas ad Philippum dedit, quibus se excusabat, supplíciter orans, ne turbato animo ferret, se abdicaturum dignitatẽ promittens, ad quam inuitus tractus esset. Philippus uerò Punica fraude deterior, qui ut scelera tegeret, cultũ Christiani nominis simulabat, expeditionem, scriptis etiam nouis legionibus, contra Decium parauit: & cùm per duces posset bellum gerere, ipse eductis copijs profectus est, minis ingentibus palàm asserens, se Decium cum toto scelerato exercitu perditurum. Hac mente turbatus, ueluti furore concitus ferebatur. Itaque à militibus ipse Veronæ cæsus est, medio capite supra ordines dentium pręciso, cùm filius duodenarius Romæ à prætorianis occideretur, anno imperij quinto, ut Sext. Aurelius & Eutropius scribunt. Orosius ac Cassiodorus septem annos (si modò menda carent libri) dant imperio eius. Eusebius septem, qui eius uxorem Seueram nominat, ex qua filium iuniorem Philippum genuit, quẽ Sext. Aurelius Gallum Iulium Saturninum appellatum scribit: quemadmodum patrem M. Iulium Philippum ipse uocat, qui filius Agelastos fuisse, hoc est, irrisibilis traditur, & adeò seueri ac tristis animi, ut iam tum à quinquenni ætate nullo prorsus cuiusquam commento ad ridendum solui potuerit: patremq; quondam in lu-

dis ſecularibus petulantius cachinnantem (quanquam adhuc tener) uultu notauerit auerſo. Hæc paucula ex Oroſio, Eutropio, Aurelio, Euſebio excerpſimus. Nam ex ueteribus nullus extat, qui Philippi uitam conſcripſerit, quem in hunc quidem diem uiderim, præter Iohannem Monachum Græcum, qui aliis Zonoras dicit. Licet Vopiſcus tradat, Treuellium Pollionem à duobus Philippis, uſq; ad diuum Claudium & Quintilium fratrẽ, Imperatores omnes ſcripſiſſe. Nos tetraſticho noſtro ſic claudamus:

Cæſareos inter proceres fuit ecce Philippus,
Primus qui Chriſti ſacra fidemq; colit.
Natalem celebrat ludis qui ſplendidus urbis,
Et mox cum nato cæſus ab hoſte perit.

DECIVS CAESAR.

92 DECIVS, teſte Aurelio Sexto, è Bubali inferioris Pannoniæ urbe, clariſsimis natus parentibus, quorum tamen nomina ignorantur, à cunabulis ſpem bonam præbuit futuræ indolis: moxq; uirtutes cum ætate creuerunt, quibus ampliſsimas aſſequutus eſt dignitates. Bonis moribus, non ambitione, neq; emptis ſuffragiis, à militibus Illyricianis primũ Imperator eſt factus, ut ſuperius ſcripſimus. Dehinc à Senatu Auguſtus eſt appellatus. Ob magnitudinem deinde Imperij P. Cor. Licinium Valerianum exercitui præfecit, uirum militarem atq; optimum, ſexageſimumſextum annum agentem: qui etiam à Senatu tum cenſor in æde Caſtorum electus, aſſentiẽte Decio qui cenſuram ampliſsimo ordini per ſe permiſit, cùm nihil ageret, niſi quod Senatus iuberet: quod alij Imperatores (qui rerum potiti) non fecerant, cùm ipſi cenſores eſſent. Ob uitam itaq; militarem ac ciuilẽ omnibus charus fuit. Ius quintæ relationis, proconſulare imperium, ius tribunitiæ poteſtatis, arbitrio S. P.
93 Q. R. permiſit, contentus patris patriæ cognomine. Vir artibus cunctis uirtutibusq; inſtructus, placidus & comis, armisq; prõptiſsimus, ciuiles motus ſedauit in Gallia, priuſquam in urbem rediret: filiumq; ſuum Deciũ cùm in urbe moraretur, cogente Senatu, conſortẽ imperij ac Cæſarem fecit. Rempub. partibus cõmendans, cum filio ad liberandas Thracias profectus eſt: quando quidẽ Scythæ & naualibus & terreſtribus copijs omnia infeſtabãt. Victor in primis congreſsibus, hoſtes in anguſtias locorũ, quæ in Dardanijs ſunt, cõpulit, & obſedit: expugnaſſetq; fame, ni proditus ab ſuis fuiſſet. Quæ proditio quo pacto ſe habuerit, paucis manifeſtabo. Hoſtium dux per legatos petijt, uti relicta omni præda, ſineret eum cum ſuis abire trãs Iſtrum. Romanus Imperator negauit, auidus illos perdendi, qui toties fractis fœderibus irruperãt, & qui prouincias Romani imperij quieſcere nõ ſinerẽt: & ſua ſtrage uix domiti, amiſſo rege Decibalo, Neruæ Traiano illuſerint. Iamq; ferè uoti compos, Trebonianum Gallum, ducem limitis Mœſiæ, ad obſidendos aditus, ne fugerent, cum bona parte copiarum miſit. Gallus conſiliũ Barbaris patefecit, & eos monuit, ut ſe diuiderent, & alij conſiſterent in inſidijs prope paludẽ, alij in primo congreſſu fugam ſimularent paludem uerſus. Barbari nonnihil addentes conſilio Galli, rem peragunt. Cùm in pugnam deſcenderent, admiratus eſt Decius, quòd qui modò percuſsi metu erant, iam arma poſcerẽt: ignarusq; proditionis, certus uictoriæ, copias educit. Illi ſtatim terga dant, Imperator inſequitur: cumq; uentum eſt ad inſidias, atrociſsima fit pugna, utrinq; magnæ cædes. Deciani difficilimè prælia
5 bantur, luto paluſtri afferente cladem: tamen non moriuntur inulti, & loco & fato aduerſantibus pereunt. Decius pater cum filio occubuêre. Senior fortè equo ſedẽs, ne uiuus in manus hoſtium peueniret, inſilijt in uoraginẽ paludis:

inter

inter denſas hoſtium turbas elapſus, gurgite paludis ſubmerſus eſt: nec cadauer eius diligenter quæſitum, inueniri potuit. Vixit annis quinquaginta, teſte Aurelio. Filius bello extinctus eſt. Regnarunt biennio nondum finito. Sext. Aurelius, ſi fides codici habenda eſt, ſcribit imperaſſe menſes xxx. Arbitratur Pomponius Lætus, Decium ſe pro futura uictoria deuouiſſe, cùm id Decij antiquitus facere cõſuerint. Nam prioribus ſeculis alter bello Ethruſco, alter bello Latino, conſtanti animo inter confertiſsimos hoſtes pro uictoria patriæ ſe deuouẽtes occubuêre. Iornandes tradit, Decium cupientem Philippopoli ferre opem, citò petijſſe Berœam, & inde fugatum ab Echina rege Gotthorum, qui alijs Cniua appellatur, reparatiſq; in Mœſia uiribus redijſſe ad hoſtes, qui Philippopolim ceperant, & Priſcum ducem ſibi conciliauerant. In ipſo congreſſu ictum ſagitta Decium filium deceſsiſſe, & patrem, uel ut cædem filij ulciſceretur, uel ut morte ſua finem dolori inueniret, in cõfertiſsimos ſe immiſiſſe hoſtes, & nuſquam apparuiſſe, & dijs ante congreſſum immolaſſe, ad Abrittum Mœſię urbem. Inde factum loco nomẽ, qui Ara Decij appellatur. Decius pater bonitate Traiano adæquatus, nomenq; optimi principis iudicio Senatus meruit, atq; inde appellatus *IMP. CÆS. M. Q. TRAIANVS DECIVS AVG.* Nam ut prius annotauimus, ius procõſulatus, tribunitiam poteſtatem, ac cenſuram Senatui, eiusq; autoritate Rempub. geri permiſit. Exercitum Illyricũ mirè dilexit, quia ab eo primum Imperatoris nomẽ accepit. Senatus eum luxit, & inter diuos retulit, ac eius nomine Decianus thermas in Auentino ædificauit. In nominibus laudandus, ſi à Chriſtianorum ſupplicijs abſtinuiſſet. In quos plurimùm deſeuijt, crudelisq; fuit, ac plures martyrij corona affecit: magna enim ſub illo Chriſtianorum perſequutio fuit, adeò ut inter crudeles tyrannos à noſtræ religionis ſcriptoribus numeretur. Si quis uerò martyres hos cognoſcere uoluerit, Euſebiũ in ſexto lib. Sacræ hiſtoriæ adeat, ubi de Decio quędam narrãtur. Vixit annis quinquaginta. Regnauit cum filio, biennio circiter. Quæ autem, & quo nomine fuerit eius uxor, hactenus non comperi. Sed & Oroſius, Eutropius, ac Sext. Aurelius nonnulla de Decio tradunt. Sed Zonaras, qui Ioannes Monachus appellatur, diligentiſsimè eius uitam proſequutus eſt. Pomponius Lętus lib. primo hiſtoriarum, plura de Decio ſcripſit. Nos more noſtro tetraſtichon ſubiungamus. 94

Illyricus miles Decio dum credidit urbis
Imperium, acceptum deinde Senatus habet.
Sed poſtquam Gallos pacauit, falſus ab illo eſt
Gallo, qui regni poſt ſua ſceptra tulit.

GALLVS CAESAR.

STatueram, quum Cęſares ſcribendos hoc Catalogo inchoaſſem, omnium Imperatorum ac Cæſarum, quod in Germanis me aſſequutũ ſpero, familiam ac genealogiã me indagaturũ; quod ſanè in quibuſdam præſtiti. In pleriſq; uerò, potiſsimùm qui paucis annis regnarũt, ac tyrannis, hoc minimè licuit, nec ullo unquam labore aſſequi potui: quòd etiã ueteres animaduerterim haud multũ in diſquirenda familia Cæſarũ occupatos: ut iunioribus etiam haud adeò grauiter ſit ſubiraſcendũ, quòd quędam non tam accuratè ſciibant, quemadmodum deſideratur, quum etiam antiquiſsimi hiſtoriarũ ſcriptores multa memoria digna, neſcio quur prętererierint. Detur itaq; & mihi uenia, ſi non poſſum in tanta rerum obſcuritate, tyrannorum & Cæſarũ quorundam parentes, familiam, uxores ac liberos, id quod maximè cuperem, inuenire, cùm alij ante me longè doctiores quoq; id pręſtare non potuerunt. Scribam ea tan

tum, quæ apud autores receptę fidei comperio. Quo pacto igitur Gallus à reli quijs exercitus Romani, fusi à Scythis, post Deciorum mortẽ sit Imperator factus, superius in Decio patuit. Legio enim quę integra Scytharum fide remanserat, Gallum Imperatorem fecit. Qui superfuerant, ad hunc confugerunt, uelu ti seruatorem reliquiarũ Romani exercitus. Quo rumore adductus Senatus, Augustum illum appellauit: licet & ipse scripserit, & cum Scythis ignominiosum fœdus percusserit. Tunc primùm diuturno & libero potentatu Po. Rom. tributa pepẽdit, tunc primùm Respub. iugum Scythicę seruitutis accepit: tantaq; est imperandi auiditas, ut qui præesse cupit, & ad fastigium legi, urbes & prouincias sine discrimine donet. Adrianus ab alijs occupatas restituit, quod principis liberalitate uideri actũ potest: sed qui tributo pendendo obnoxiam fecerit urbem, pręter Gallum, fuit nemo. Drachmarum aurearum cc. fuit tributum. Secus tamen euenit quàm sperabat Imperator. Barbarus enim cùm uincit, insolentior est. Itaq; contemplatus diuitias Romani imperij, quòd & sua fide ille imperaret, ac per hoc tributum pro meritis non esset, incursiones facere, prædas abigere, ingentiq; agmine terra mariq; sæpius irrumpere. Depopulatur Dardaniam, Thraciam, Thessaliam, Macedoniamq;, & Hellada: & pars infestabat Asiam undique, cum plurium urbium uastatione & excidio, Scytharum exemplo, alij hostes surgunt, armaq; capiunt. Iam in uiscera Syriæ penetrant Parthi, & Armenias fugato rege Tyridate occupant, cuius liberi hostibus se dederunt. Scythæ magna onusti præda, in Dardanios, ueluti regni sedem, redeunt. Fuit interea Romę Gallus, & C. Vibium Volusianũ filium consortem imperij fecit. Scythæ rursus non contenti precio, iam Italiæ minabantur. Sic Barbari Romanis inhiabant opibus. Itaq; opera Aemiliani ducis limitis Mœsiæ, rapacissimi hostes nõ sine magna cęde in suas solitudines redire coacti sunt. Re itaque ab Aemiliano contra Scythas bene gesta, ab exercitu Imperator salutatur. Fuit autẽ is Aemilianus limiti Sarmatico in Mœsia à Decio præpositus, & à Gallo minimè submotus. Cùm Scythæ, solertissimum latrocinandi genus, contenti precio non essent, Aemilianus pro concione suis militibus id pollicitus est, si hostes uicissent. Romani præmio accensi, ad conferendas cum Barbaris manus incitatiores facti. Cumq; nimius ardor insisteret, apertis castrorum portis auidum pugnandi militem educit. Qui tanto impetu in hostes illatus est, ut non fugauerit modò, sed bona parte ceciderit, illorumq; regiones abactis prędis penè exhauserit. Reuersus in Mœsiam, pręmia quę assequutus est Aemilianus, persoluit. Qui hoc successu adeò gratus uictori exercitui fuit, ut ab eo sit Imperator appellatus. Ad hos motus opprimendos, Gallus unà cum filio proficiscitur, anno ætatis quadragesimoseptimo: nec profecit. Ambo in primis prælijs cęsi sunt, à suis deserti, & milites Aemiliano adhęserunt. Qui statim ad Senatum scripsit, docens se Imperatorem lectũ esse: promittens se liberaturum Thracias, & Mesopotamiam, & Armenias recuperaturũ, & depulsurum undique hostes nominis Romani. Priusquam opus aggrederetur, milites qui in alpibus erant, Valerianum Imperatorem faciunt. Quo nuncio accepto, qui sub Aemiliano erant, ne ciuili bello & cognatorum sanguine se inuicem inficerent, contemplantes præterea humilitatem generis Aemiliani, quia Lybicus in Mauritania ortus, à pueritia stipendia merebat, & cum ætate honores assequutus: Valerianus uerò nobilis laudatissimos habuit mores, ut eius uita censura diceretur: interfecto Aemiliano cùm tribus mensibus imperasset, anno ætatis quadragesimo, Valeriano se tradiderunt. Sic breuissimum fuit huius imperium. Quemadmodum & Galli, qui duobus tantum cum filio annis imperauit, imperio infausto ac rerum gestarum infœlici. Siquidem horum imperium clade generis humani infamatum est, cùm tanta pestilitas sub ijs undique fuit, quę ab Aethiopia primùm ex nimio Solis ardore initium sumpsit: ac consumptis ferè meridianis, per Orientem diua-

diuagata, cæteras orbis partes inuasit, ubique maximam partem incolentium exhauriens, & pleraque loca inhabitata relinquens, ut intra decem uix annos ea tabes finiretur: adeò, ut de mortalitate librum Cyprianus tum scriberet. Quam quidem prouenisse arbitrantur ex infœlicibus Galli auspicijs, utpote qui proditione imperium arripuit, & Christiani nominis infestissimus fuit. Vnde Dionysius Hermanioni cuidam de Gallo sic scripsit: At ne Gallus, inquit, malum Decij aut uidere potuit, aut cauere, sed in eundem lapidem offensionis impegit. Cuius cùm regnum floreret initio, & cuncta ei ex sententia caderent, sanctos uiros qui pro pace regni eius Deo summo supplicabant, perse quutus est: cum quibus & prosperitatem suam pariter effugauit, & pacem. Et quanquam in numismatibus Galli, qui adhuc hodie inueniuntur, legatur,

VIRTVS AVGVSTORVM, seu filium significans, uirtute non dolo principatum assequutos: plus tamen fortunæ quàm fidei in eo fuit, utpote qui proditione fuit imperium adeptus. De Gallo autem Dionysius historicus, qui per ea tempora floruit, Eutropius, Orosius, Aurelius, Eusebius, pauca scripserunt: ueteres desiderantur. Sed Ioannes Monachus eleganter de illo satis scribit. De Aemiliano Iornandes in libro de origine Gotthorum. Tetrastichon nostrum subijciamus, ut instituto nostro inseruiamus:

Ascendunt solium Gallus cum Volusiano,
Fraude: breui gaudent hi tamen imperio.
Parta dolo durare queunt haud tempore longo:
Occubuêre igitur, uix ubi constiterant.

VALERIANVS. GALIENVS.

CIrca id tempus Romani imperij per aliquot annos facta est cõfusio quædam. Nam eodem tempore Valerianus in Rhetia & Norico, quibus præerat, Imperator est factus, & Galienus filius Romæ. Sub quo deinceps triginta propè tyranni fuerunt, cùm Valerianus bello Persico esset occupatus. Galienus autẽ ad delicias lapsus, popinæ studebat: & ob id non modò uiris, sed mulieribus quoq; cõtemptui fuit. Sed sigillatim nunc de utroq; loquemur, subiungentes in fine de tyrannis triginta promiscuè. Valerianus itaq; Licinius nobili ortus prosapia, ex patre Valerio, adeò populari fuit ingenio, uitaq; ad senium usq; incorrupta, ut nullus unquam principum maiore militum studio, omniumq; ordinũ consensu ad imperium peruenerit. Censor permittẽte Decio antè, & hinc per omnes dignitatum gradus ad imperium euectus: homo maioris spei ac opinionis, quàm fortunæ. Quinimo Sex. Aurelius cognomento Cobobium scribit appellatum, stolidũ & inertem, splendidissimis genitum parentibus, neq; ad usum aliquem publicum officio, consilio, seu gestis accommodatum. Licet cõtra Trebellius Pollio annis septuaginta laudabili uita in eam conscendisse gloriã tradat, ut post omnes honores et magistratus insigniter gestos imperator fieret: non tumultuario populi concursu, nõ militum strepitu, sed iure meritorũ, & quasi ex totius orbis una sentẽtia: quanq; fatali necessitate superatus sit. Cum Persis em̃ bellũ gerẽs, à Sapore Persarũ rege uictus superatusq; est, cum ductu cuiusdã sui ducis, cui summã rerum cõmendauerat, in ea loca esset deductus, siue fraude, siue iniqua hoc euenit fortuna: unde nullis uirib. nullo cõsilio, nulla industria elabi poterat. Sic itaq; captus, ignobili, misera, ac ppetua seruitute apud Parthos cõsenuit. Quoad em̃ uixit rex Sapor, eo incuruato, pedẽ ceruicibus eius imponẽs, equũ ascẽdere solitus erat, pro scabello eo usus. Quanq; amici reges, Armeniorũ Arthabestes, & Cadusiorum Valerius, & Bel solus regũ rex, alijq; finitimi principes Saporẽ regem ea uictoria nimis elatum,

literis admonerent, ne abuteretur uictoria. Quinimo & Bactriani, & Hiberi, & Albani, & Tauroscythę Romanis auxilia pollicíti sunt, pro liberando Valeriano, Saporis literas aspernati, quas ad se de ea uictoria dederat. Quo pacto uerò crudelissima morte Sapores Valerianum occiderit, quòd esset natura crudelissimus, à ceruicibus cutem ad imos pedes detrahendo, Agathius libro quarto de Bello Gotthorum, & alijs peregrinis bellis, elegantissimè describit. Sed quum Valerianus apud Persas consenescceret, iam septuagenario maior, Odenatus Palmirenus decurio, (qui inter triginta quoque tyrannos connumeratur) collecto exercitu, agrestiumq; manu, rem Romanam tutatus est, quę ruinam minabatur, ac labore uigilijs que in pristinum propè statum reposuit. Nam regis thesauros, regiasq; concubinas, quas thesauris chariores rex Parthicus habuit, cepit. Quare timore perculsus Sapor, in regnum se ocyus suum recepit, nam & Balistæ exercitum, qui sese Odenato associauerat, uehementer timuit. Iam enim Odenatus imperium Orientis ceperat, strenueq; defendebat: quod multa & fortuna & uirtute à Romanis partum fuit. Quod nisi assum pssiset, in Oriente res perditæ essent. Sed uiriliter contra Persas profectus Odenatus, Nisibin primùm, & Orientis pleraq; cum omni Mesopotamia in potestatem recepit, ad Crisiphonta usque profectus, Saporem cum liberis in fugam uertens. Composito Orientis statu, à consobrino suo Mæonio, qui & ipse iam imperium assumpserat, interemptus est cum filio suo Herode, qui unà cum patre imperauit, homo omnium delicatissimus, & prorsus Orientalis Græcęq; luxuriæ, quẽ pater indulgẽtissimè amauit, & secum Imperatorem fecit. Quem Zenobia Odenati uxor nouercali odio persequebatur: et ob id Męonium contra Herodem suscitans, ut filijs suis imperium pararet. Nam & ipsa ueluti nobilissima omnium Orientalium fœminarum, & simul speciosissima, ob uirtutem Galienum contempsit, & se Augustam appellauit, imperium duobus eius filijs reseruans, Herenniano & Timolao, quos moriens Odenatus paruulos reliquit. Quorum nomine, Zenobia usurpato sibi imperio diutius quàm fœminam decuit, Rempublicam tenuit, paruulos purpuratos uiriliter circũducens, nec muliebriter ac more fœmineo Palmirenis ac Orientalibus pleriſque, sed uiriliter ac fortiter imperauit. Vnde cùm Herodianus dux Galliæ sine eius iussu contra Persas profectus esset, à Palmirenis uictus, omnes quos parauerat milites perdidit. Sed mater cum filijs ab Aureliano Augusto, ùt inferius dicemus, capta, in triumphum Romam deducta est: ubi consenuit, & in libertate mortua est, summa cum honestate. De qua abundè multa Pollio Trebellius in triginta tyrannis. Construxit autem hæc Zenobia urbem in Sarracenorum regione, quam de suo nomine Zenobiam appellauit, in altera Euphratis fluuij regione, ut Procopius libro secundo belli Persici commemorat. Sed Mæonius consobrinus Odenati, cõsensu Zenobiæ, Odenatum, uirum acerrimum & bellicosissimum, interfecit: quòd Zenobia nouercali erat animo in Herodem. Filius enim Odenati ex altera erat uxore. Sed cùm & hic Mæonius spurcissimus
96 esset, ubi per errorẽ breui imperator est factus, à militibus pro suæ luxurię meritis interẽptus est. Cæterùm de alijs tyrannis mox plura, nunc de Galieno. Cùm Galienus patris audisset captiuitatẽ, licet ab initio pręclara gesserat, mox in delicias lapsus, gaudebat & lætabat, exercitus urgebatur, ingens omniũ erat mœror, Rom. imperatorẽ seruiliter in Persida teneri captum, cùm se tam negligenter Galienus ageret. Exercitus cõueniunt in unũ, ac reliquias cõuocant, et Macrianum cũ filijs imperatores faciunt: sic persuadẽte Balista, qui præfectus Valeriani fuit. Habuit aũt duos filios, Macrianum iuniorẽ & Quietum, qui ambo cũ patre imperatores sunt appellati, consentientibus militibus. Nam fortissimi iuuenes erant, & tota mente in bellũ ruebant, ut legionibus ad omnia militaria exẽplo essent. Macrinus itaq; collectis exercitibus Orientẽ petijt, ut delatũ sibi imperiũ tueretur ac defenderet. Sed cũ esset circũspectus ualde quæ sibi euenire

possent,

possent, Pisonem nobilem Romanum & consularem uirum in Achaiam præmisit, ut Valentem, qui illic proconsulari imperio Rempublicam gubernabat, à Galieno illuc missum, opprimeret. Quo intellecto, Valens se imperatorem mox dixit: neque aliter subueniri sibi posse existimans. Nam uir militaris erat, & ciuilium uirtutum gloria pollebat: imò à Macriano formidatus, qui eum satis clarum nouerat. Breui igitur à militibus suis interemptus est: cùm iam Piso Thessaliam ingressus esset. Qui etiam paucis consentientibus imperium assumpsit, imperator quasi Thessalicus est dictus: uir summæ sanctimoniæ, & temporibus suis frugi dictus, omnibus principibus acceptissimus. Sed mox, missis à Valente percussoribus, trucidatus est, paulo antè quàm à suis Valens occideretur. Pisoni à Senatu diuini sunt decreti honores. Macrianus autem, relicto uno ex filijs in Oriente, rebus pacatis, in Asiam uenit: tum in Illyricum concessit. Ibi Aureolus quoque exercitum Illyricianum regens, in contemptum Galieni, coactus à militibus suis, sumpsit imperium. Vbi audiuit aduentare Macriani exercitum, mox deuicit. Nam Domitianus Aureoli dux fortissimus & uehementissimus, Macrianum cum filio, omnem'que exercitum strauit, qui triginta millium militum fuisse dicitur, ac Aureolo imperatori deditus est. Cum quo Galienus fecit pacem, quum sæpè frustra cum ipso pugnasset, communicato cum eo imperio. Sed post mortem Galieni à Claudio circa Mediolanum, in ponte qui dicitur Aureoli, est occisus: sed sepulchro & epigrammate ab eo donatus. In Oriente tum erat Odenatus: qui ubi deletum Macriani exercitum intellexit, ad alterum filium illic relictum Quietum festinauit. Sed qui cum Quieto erant, consentientes Odenato, authore præfecto Macriani Balista, occiderunt iuuenem: missóque per murum corpore, Odenato se omnes dediderunt. Balista multos Emissenos, ad quos confugerant Macriani, milites, cum Quieto, & thesaurorum custodem interfecit, ut ciuitas penè deleretur Emissena: quem etiam aliqui imperatorem fuisse inter triginta tyrannos connumerant, & occisum per hos, quos Aureolus miserat ad comprehendendum Quietum Macriani filium, quem prædam suam esse dicebat. Licet quidam à gregario milite in Odenati gratiam, qui tum uniuersum tenebat Orientem, in tentorio suo cubantem, occisum scribant: uirum ad gubernandam Rempublicam insignem & expertum. Quę omnia Odenatus Galieno, quasi partes suas ageret, literis nunciauit. At Galienus, audita morte Macriani & liberorum, quasi securus rerum, libidini & uoluptati se dedit, ludos omnis generis exhibens populo, & gladiatoria spectacula. Licet plerique patris Valeriani captiuitatem mœrerent, quem ille contempsit, nec eius censuram ferre potuit. Cùm itaque Galienus totum se ludibrijs & helluationi traderet, ab omnibus contemni cœpit, quum occupatum libidinibus imperatorem suum cernerent Galli. Ob id Cassium Labienum Posthumum ad imperium uocarunt: contra quem quum Theodatus dux Galieni cum exercitu proficisceretur, obsidere in quadam urbe Posthumum cœpit. Galienus muros circumiens, sagitta ictus discessit. Posthumus Gallias à finitimis ualidissimè uindicans, per annos septem rexit. Quæ res effecit, ut Galienus studio oppugnandi Posthumij imperij participem secum constitueret, pacem cum Aureolo faceret, & diuersis prælijs ac obsidionibus bellum traheret: & nunc feliciter, nunc aduersa fortuna pugnaret. Fuit autem Posthumus præses Galliarum à Valeriano, ob morum grauitatem, constitutus: & qui se in omni uita tam grauem exhibuit, ut ei Galienus filium suum Saloninum, tanquam uitæ & morum custodi, concrederet instituendum, quem Galli postea interfecerunt. Vbi imperatorem Posthumum cum omni exercitu elegerunt ob contemptum Galieni, qui luxuriæ & popinis uacabat: sed cùm annos septē Posthumus Gallias instaurasset, submotis Germanicis gentibus, quæ nullam eis securitatē reliquerant, pòst interēptus est cum filio Posthumo iuniore, quem

quem pater Cæsarem appellauit, ac deinceps Augustus est dictus: eloquentissimus declamator, & ob hanc solam uirtutem literis notus. Lolliano procurante, qui in locum Posthumi subrogatus, delatum sibi à Gallis (qui semper rerum sunt nouarum percupidi) assumpsit imperium. Sed paruam apud Gallos assequutus autoritatem, & ipse interfectus est à Victorino, Victoriæ filio: quæ castrorum mater dicta est: & post occisos Posthumum, Lollianum, Marium & Tetricum, apud Treuiros imperium adepta est, & fatali dehinc necessitate consumpta. Victorinum uerò, militaris industriæ uirum, in principatum imperij uocauit. Posthumus senior, cùm se uideret multis Galieni uiribus peti, & cum eodem contra Galienum conflixit. Cæterùm adhibitis ingentibus Germanorum auxilijs, quum diu bella protraxissent, uicti sunt. Interfecto pòst Lolliano, solus Victorinus imperauit, & filium Victorinum Cæsarem appellauit. Sed quum corrumpendis militum matrimonijs uacaret, à quodam actuario, cuius uxorem constuprauerat Agrippinæ, cum filio qui puerulus adhuc erat, est occisus. Vir fortissimus, & præter libidinem optimus imperator: uirtute Traiano, clementia Antonino, grauitate Neruæ, gubernando ærario Vespasiano, censura uitæ Pertinaci, & seueritate militari Seuero comparatus à scriptoribus. Quum interea Galienus uino, floribus, mulierculis, popinis, lenonibus ac mimis deditus esset, faber etiam ferrarius nomine Marius, triduanus imperator, armorum opifex, post superiores interemptos imperatores, imperium assumpsit, & triduo tantum imperauit. Vir strenuus, ac militaribus usque ad imperium gradibus euectus. Occisus est à quodam milite, operario eius in fabrili officina. qui gladio in eum ruens, dixit: Hic est gladius quem ipse fecisti. Miræ autem fortitudinis fuit in manibus ac digitis, quum currus digito salutari sisteret, & multos digitorum allisione contereret. Quum uerò Scythæ in Cappadociam irruerent, & in Bithyniam usque, multis captis ciuitatibus, penetrassent, Galieno tum apud Athenas summo magistratu administrando, qui Archon dicitur, extrema uanitate occupato, milites nouum sibi imperatorem faciendum cogitarunt: quos cùm placare non posset, omnes occidit. Interea Scythæ nauibus factis, Heracleam peruenerunt, atque inde cum præda in patriam reuersi, quibusdam naufragio ac nauali bello superatis. Sed mox per Euxinum nauigantes, Histrum ingressi, Romanum solum populati sunt. Quibus ut resisteret Galienus, Cleochanum & Athenum Byzantios instaurandis urbibus præfecit, à quibus iuxta Pontum debellati sunt Barbari. Gothi Asiam ac Achaiam omnem euastarunt, Epirum ac Aemoniam peruagati sunt. sed Veneriano duce, qui militari morte perijt, pulsi sunt. Martianus Scythas uaria fortuna agitauit. Tandem publicis malis excitatus Galienus, Gothis nauigantibus per Illyricum occurrit, et fortuitò plurimos interemit. Interea Marcianus & Heraclianus, cùm improbitatem Galieni ferre amplius non possent, consilium inierunt ut alter eorum imperium caperet. Paratis deinde insidijs, circa Mediolanum cum fratre Valeriano est interemptus à militibus Aureoli ducis Illyricæ. Vir alioqui oratione, poemate, atq; omnibus artibus clarus, & in plerisq; ingeniosissimus: si non abdomini & uoluptatibus deditus, dies ac noctes in uino & stupris uolutatus, orbem terrarum penè perdidisset. Nam triginta propè tyrannos passus est imperium dehonestare, ac mulieres imperare: Zenobiam in Oriente, in Gallia Victoriam. Vbi etiam, ut superius annotauimus, & duo Posthumi, Lollianus, duo Victorini, Marius, duo Tetrici imperauerũt. Nam & Tetricus senior cùm præses Galliarum diu Gallias rexisset, adhortatus à Victoria ad imperium, Augustus appellatus est, & filius Cæsar Tetricus iunior. Sed quum procacitatem militum & impudentiam eorũ ferre non posset, uolens se grauissimo principi Aureliano dedit. A quo in triumphum cum filio ductus, in summa tamen dignitate illum manere passus est.

In

In Oriente uerò pariter, ut paulo antè scripsimus, præter Zenobiam Odenatus, Herodes, Mæonius, Balista, Herennianus, Timolaus, imperium tenuerunt. Sed cùm omnis consumptus esset pudor, Republica subacta & calcata, in cæteris quoque orbis partibus surrexerunt imperatores siue tyranni: in Illyria Regillianus ducatum gerens, uir militari re semper probatus, auctoribus Mœsis, factus est imperator. qui contra Sarmatas multa fortiter gessit. Sed autoribus Roxolanis, consentientibusq; militibus, & timore prouincialium, ne Galienus grauiter sæuiret in eos, interemptus est. Omnes enim paulo antè Mœsiacos, tam milites quàm ciues, truculentissimè occidit: præsidiarios etiam Bizantinos, adeò ut pleraſque ciuitates uacuas à uirili sexu relinqueret. Fuit autem ei lubricum ac penè ridiculum principium ad Augusti nomen occupandum, quum ille, quæstione de analogia proprij nominis habita, ad imperium prosilijt. Nam Valerianus tribunus cùm diceret, Vnde Regilliani nomen deductum nos putamus? A Regno, quidam respondit. Quo dicto milites, ut ad ea quæ cogitant proniores sunt: Potest ergo rex esse, & nos regem facimus. eoq; nomine putarũt illum imperatoria dignitate honestandum. Ac sic demum iocante fortuna, Regillianus cùm sequenti die processisset, imperator est à principibus salutatus. Tum Ingenuum, qui tunc Pannonias regebat, Mœsiacæ legiones imperatorem faciunt. Sed is capta ciuitate, timens ne post conflictum in manus Galieni ueniret, ueritus eius crudelitatem, pugione se transfodit. Cæterùm & in Isauria Trebellianus factus est imperator, qui aliquandiu apud Cilicas imperauit, per quendam Galieni ducem occisus. Et in Aegypto Aemilianus ab exercitu Aegyptiaco electus est imperator: qui Thebaiden, totamq; Aegyptum peragrauit: & quatenus potuit, Barbarorum gentes forti autoritate submouit: Alexandrinus, uirtutum merito, uel Alexander uocatus. Sed cùm contra Indos pararet expeditionem, à Theodato duce Galieni in carcere strangulatus est. Afri quoque, autore Viuo Pasieno proconsule Africæ, & Fabio Pompeiano duce limitis Libyci, Celsum imperatorem appellauerunt. Qui priuatus ex tribunis in Africa positus, in agris suis uiuebat: iustitia & corporis proceritate dignus imperio. Sed per quandam mulierem, Galienam nomine, consobrinam Galieni, septimo die interemptus est, & canibus corpus eius dilacerandum proiectum. Sed præter hos tyrannos à scriptoribus Cyriades in Oriente memoratur factus imperator: qui Saporem regem, ad quem confugerat post parricidium, cum multo auro atque argento incitauerat ad bellum Romanis inferendum. Et ubi à deuicta Cæsarea sese Cæsarianum nominaret, ac mox Augustum, à suis interfectus est. Sed & Saturninus ab exercitu leuatus imperator, ob singularem uiri prudentiam, grauitatemq; insignem, multum à Valeriano dilectus: sed cùm seuerior militibus esset, interemptus est. Tradit Sextus Aurelius, Aelianum quoque apud Moguntiam factum imperatorem sub Galieno. Quem idcirco apposui, ut triginta tyrannorum numerus compleatur: licet Orosius Aemilianum apud Moguntiam oppressum scribat, ut subesse error suspicandus sit in Aeliano & Aemiliano. Tamen cùm triginta tum tyranni fuisse memorentur, hic uel unus potest addi, uel Firmus, quem Aurelianus interemit, ut inferius dicetur, qui eadem tempestate fuit. Fuit hoc tum admiratione dignum, quòd omnes quoscunque duces Valerianus fecerat, postea militum testimonio dum Galienus popinatur, & balneis ac lenonibus reputat uitam, ad imperium peruenerunt. Vt appareat, senem imperatorem in deligendis Reipublicæ ducibus talem fuisse, qualem Romana fœlicitas, si continuari fataliter potuisset, sub bono principe requirebat. Sed Galienum fortuna diutius, quàm oportebat, reseruauit. Ad quintum decimum enim annum peruenit cum Valeriano patre, qui septem, ipse uerò solus octo annos regnauit. Vixit autẽ annis quinquaginta, teste Sex. Aurelio: licet aliqui Valerianum sexto, alij nono anno captum tradant. Habuit

autem

autem Galienus uxorem, ut Trebellius Pollio scribit, Saloninam nomine, ex qua filium genuit nomine Saloninum Galienum dictum: uel de nomine matris, uel quòd apud Salonas natus esset. Vnde & inscriptio uetus legitur: *GALIENO MINORI SALONINO.*

Hunc Cæsarem fecit, & in locum Cornelij Valeriani filij sui alterius, in iuuentâ mortui, subrogauit: qui occisus est deinde cum patre suo. Dilexit autem perditè, imò deperijt Galienus concubinam Barbaram quandam regis filiam, quam Trebellius Piperam, Sextus Aurelius Pipam uocat. Quam per pactionem, concessa parte superioris Pannoniæ, à patre Marcomannorum rege, matrimonij spe susceperat. Et ut finiam Galieni uitam, Romæ in arcu S. Viti reperta est hæc inscriptio:

GALIENO CLEMENTISS. PRINCIPI, CVIVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE SVPERATA EST. M. AVRELIVS VICTOR DEDITISSIMVS NVMINI MAIESTATIQVE EIVS.

Sic est nulla labes tam grandis, quæ non possit obscurari: & uitia suum habent defensorem. Annius quoq; Cornicula Galienum constantem principem falsò sua uoce laudauit, cùm is diceret, nunciata patris captiuitate, Sciebam patrem meum esse mortalem. De Galieno & Valeriano scribunt Trebellius Pollio, Sex. Aurelius, Orosius ac Eutropius: è quibus hæc sumpsimus. Si extarent Męonius Astyanax, Iulius Atherianus, Gellius Fuscus, Cœlestinus, & scriptor horum temporũ Dexippus, ac Calphurnius siue Palphurius (utrũq; eñ inuenio) Suras qui Ephemeridas uitæ Galieni composuit, plura de utroq; ac de triginta illis tyrannis tradi possent. Neq; indiligenter uitam utriusq; cõplexus est Ioannes Monachus græcus. Nunc tetrasticho nostro hos claudamus:

Capto patre, fuit tam degener hic Galienus,
Vt luxu imperium contaminaret iners.
Hinc lacerant regna hæc diuersa triginta tyranni,
Et partes uarias mox sibi quisq; rapit.

Est autem illud in fine superaddendum, Cæsarem hunc esse Galienum appellatum: non Galenum, ut iste in suis Enneadibus scribit, quo nomine medicus ille Pergamenus dictus est.

FL. CLAVDIVS. QVINTILLVS.

97 FLAVIVS Claudius imperator è Dalmatis genus trahens, morum grauitate insignis, uitę fuit integerrimæ: procerę staturæ, oculis ardentibus, et lato uultu, ex nobilissima familia genitus Claudia. Plerique hunc, teste Aurelio Sex. Gordiano satum, dum adolescens à muliere matura instituitur ad uxorem, arbitrantur. Duos fratres habuit, Quintillum, qui post eum decem & septem dies imperauit, & Crispum. Sorores etiam plures, quarum una Constantina nomine, nupta Tribuno Assyriorũ, in primis annis defecit. Quintillus duos reliquit filios. Crispus filiam Claudiam habuit, quæ ex Eutropio nobilissimo gentis Dardanæ uiro, Constantium Cæsarem genuit: Claudio uerò nulli fuerunt liberi in iuuentute. Adeò moderatus in cibo ac potu, ut omnibus esset admirationi: digitis usq; adeò fortibus, ut sæpè equis ac mulis ictu pugni dẽtes excusserit. Militauit sub Decio, & inter fortissimos pugiles in Martiali iudicio, dum luctarentur milites, numeratus est: armillis, torquibusq; donatus. Et cùm quondam adolescens, qui cum eo luctabatur, genitalia ei extorsisset, omnes ei dentes uno pugno excussit: illius erat uerecundiæ ac pudoris. Sub Valeriano Illyrici exercitus tribunus fuit, ac quintæ legionis præfectus: ubi præclara multa ges-

ta gesſit,adeò ut maximis ab eo muneribus afficeretur. quod epiſtola Valeriani ad Syriæ procuratorem explicat. Licet etiam Decius grandibus eum donis ſit proſequutus,ob merita uirtutum. Galienus præterea ita amauit,excoluitq;, ut eum parentem amicumq; appellaret. Et ut ſcribit Sex. Aurelius, Claudius Galieni morientis ſententia imperator eſt deſignatus:ad quem Ticini poſitum, per Gallonium Baſilium indumenta regia direxerat. Imperatori autem facto Senatus Populusq; Ro. illi acclamationes pulcherrimas fecit: Auguſte Claudi dij te nobis præſtent:Claudi Auguſte principem qualis tu es ſemper optauimus:Claudi Auguſte tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus ſeruator, tu uerè princeps:& multa ſimilia acclamata ſunt. Et meritò quidem. amauit enim parentes,fratres,propinquos:malos perſequutus eſt,fures iudices palàm uindicauit,leges optimas dedit. Denicq; ita ſe in Rep. geſsit,ut eius ſtirpem ad imperiũ Senatus principesq; eligerent, ut inferius patebit. Vir ad Barbaros delendos natus: quos ſtatim multis in locis uicit, fudit, atq; cecîdit prælijs ac rerum penuria. Sarmatas, Getas, Scythas, Quados conſumpſit, Daciam recuperauit. Quamprimum enim factus eſt imperator, Aureolum tyrannum à Reip. gubernaculis amouit, eumq; interfecit: receptis regionibus quas ille occupauerat. Sed cùm deinceps Gothi, Scythæ,& uniuerſa Sarmatarũ genera,impetum in res Romanas facerent,ac undiq; Romanos laceſſerent,Claudius ut illis occurreret, ſe diſpoſuit(ferebantur tum trecenta uiginti milia fuiſſe gentium) ac deinde ingenita uirtute ſuperauit ac contriuit, ut pauciſsimi in patriam reuerterentur. Nauali quoq; pugna hos oppreſsit ac deleuit, cum duobus milibus nauium. Et cùm ſe Barbaræ gentes in heremis ac ſolitudinibus ob fugam continerent, in Hæmi montanis fame & peſtilentia confecti ſunt. Sic terrores illi depulſi. Sed Scythę, qui etiam Cretam ac Cyprũ uaſtare nitebantur,fame peſteq; repulſi abierunt. Finito bello Gotthico,cùm grauiſsimus undiq; morbus inualeſceret,eo dicitur quoq; morbo conſumptus interijſſe, cùm duobus tantùm regnaſſet annis. Sex. Aurelius tradit,Claudium iuſsiſſe inſpici libros Sibyllinos,in quibus cum morte primi in Rep. Romana, morbus ceſſare diceretur, uitam ſuam deuouiſſe pro Rep. ob id illi eſſe locatam in Capitolio ſtatuam aream,& clypeum aureum. Tradit Vopiſcus, quòd cum in ægritudinem incidiſſet Claudius,priuſquàm decederet,conuocatis ducibus, tribunis & præfectis,eſſe concionatum de eligendo imperatore,& longa orationis ſerie Aurelianum probauiſſe. Senatum uerò nunciata Claudij morte,eius fratrem Quintilium,Italici præſidij ducem,Cæſarem Auguſtũ appellaſſe. Exercitus interea Aurelianum imperatorem elegit. Poſtquàm nunciũ ad urbem peruenit, illius conatibus ſe imparem cum uideret,maleq; expertus concione militum uoluntatem,qui omnes fauebant partibus Aureliani, uenas ſoluit, & paulo pòſt deceſsit, decimaſeptima die imperij. Trebellius,quòd ſe grauem & ſerium cõtra milites oſtenderat, ac uerum principem pollicebatur, eo genere tradit interemptum,quo Galba, quo Pertinax. Gallus Antipater & Dexippus res geſtas illorum temporum ſcripſerunt,qui deſiderantur. Ex Trebellio,Eutropio, Oroſio,& Aurelio paucula hæc excerpſimus,& huius uitam hoc tetraſticho clauſimus:

Annis uix binis tum Dalmata Claudius orbis
Sceptra regit,geſtans prælia multa breui.
Sauromatas Quadosq; truces Gotthosq; feroces
Contudit,hinc ſtatuam ac aurea ſcuta tulit.

AVRELIANVS CAESAR

AVRELIANVS in Pannonia Sirmij familia obscuriore natus, ut quidam uerò scribunt, in Dacia Ripensi, & ut alij, in Mœsia. Sext. Aurelius tradit, ipsum patre mediocri, & ut quidam ferũt, Aurelij clarissimi Senatoris colono, inter Daciã & Macedoniam genitum. Mater eius fertur sacerdos fuisse templi Solis, qui in eo uico colebatur, habuisseq; nõnihil uaticinij ac
98 diuinationis, ob multa quæ tum puero acciderunt omina, prodigia & auspicia Imperij. Nã puer à cunabilis semper fuit uiuacissimus; & uiribus insignis. Nullus enim dies ab ineunte ætate transijt, in quo ipse se non pilo & sagittis exercuerit, etiam festis diebus, omnis ocij & inertiæ impatiens. Adulta uerò ætate fuit procerus statura, neruis ualidissimis, uini cibiq; paulo cupidior: libidinis raræ, gladij agitãdi studiosus, seueritatis immensæ, disciplinæ singularis. Erum pentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præsidiarijs, solus attriuit. Manu sua bello Sarmatico una die quadragintaocto interfecisse narratur: pluribus autẽ diebus plusquam nongentos. Tribunus legionis sextæ Gallicanæ, apud Moguntiacũ Francos irruentes trecentos cepit, quos sub corona uendidit, septingentis interemptis. Castrensia peccata militum tanta seueritate correxit, ut maximo timore militibus esset, omnibusq; formidolosus, ac uitia quæq; ab exercitu amoueret: ut pulcherrima epistola ad suum uicarium scripsit. Ob id à pluribus Imperatoribus diuersos ducatus & tribunatus sortitus est, & plures: liberatorq; Illyrici, & Galliarũ restitutor appellatus, à Valeriano consul designatus, plurimis maximisq; muneribus donatus, quòd Gotthos repulisset. Dehinc arrogatus, tandem mortuo Claudio Imperator factus. Ita à prima ætate per uirtutis gradus ascendit. Pugnauit & contra Sueuos, Sarmatas, & Marcomãnos, à quibus iacturam accepit Respub. sed tandem omnes superauit. Marcomanni enim tantum Romanis incussêre terrorem, ut iam de urbe sua desperarent, cogerenturq; libros adire Sibyllinos, ut sacrificijs quibusdam hostes arcerent. Magnæ sunt tamen in urbe excitatæ seditiones, ob quas in urbem uenit Aurelianus, ut compesceret, interfectis plerisq; nobilibus ac senatoribus, inciuilius imperio usus, adeò ut iam timeri, nõ amari inciperet: & plericq; perfodiendum talem principem, non optandum clamarent. Auctis dehinc urbis muris, compositoq; statu, ad Orientẽ profectus est. In itinere in Thracia & Illyrico occurrẽtes Barbaros strauit, Gotthorum ducem fudit fugauitq;, Bythiniam recuperauit, Thyanã ciuitatem expugnauit, è qua oriundus fuit præclarissimus olim philosophus Apollonius Tyaneus. Post obtentam dehinc Antiochiam, contra Zenobiam apud Emesam magno certamine pugnauit. Vbi Zenobia fugata, Victor Aurelianus Emesam ingressus, templa Soli extruxit. Cùm Palmirã oppugnaret, in obsidione ictu sagittæ periclitatus est. Tandem superata Zenobia, & recepto omni Oriẽte, Aurelianus in Europam reuersus, omnes illic qui uagabantur hostes, sua uirtute contudit. Sed cum inaudisset Firmum Seleucium quendam Aegyptum sibi uindicasse, assumpsisseq; imperium ad defendendas partes quæ supererant Zenobiæ, ex Carris ad hunc redijt superandum Aurelianus: eumq; obsedit, fugauit, & tandem occidit. Licet quidã eum laqueo uitam finisse scribãt. Sed Vopiscus peculiarem libellum de hoc Firmo ac cæteris tyrannis, qui tum fuerant, à se scriptum nobis reliquit, qui extat: ubi facilè, qui uir fuerit, & unde oriundus, inuenies. Aurelianus autem composito Oriente, mox petijt occidentem, audiens in Gallijs Tetricum imperare, qui e-
99 tiã scelera exercitus sui perferre nequiuit, sed Aureliano sponte prodidit. Hũc igitur cum regionibus in suam ditionem suscepit, & Romam ueniens speciosissimum triumphum egit, in quo Zenobiam & Tetricum adduxit. Pluribus hunc triumphum describit Vopiscus, apud quem inuenies quæ desiderabis lector.

lector. Perfecto triumpho, dona populo distribuit cum carne porcina. Tum plurimas leges, & quidem salutares sanxit, sacerdotia composuit, templum Solis fundauit, & pontifices roborauit. Ministris & architectis emolumenta decreuit. Ad Gallias pòst profectus, Vindelicos obsidione Barbarica liberans. Sed cùm per Illyricum iret contra Persas iterum pugnaturus, quòd Zenobiæ auxilium tulerāt, magnum cogens exercitum, apud Cenophrurium inter Heracleam & Byzantium malicia notarij sui interemptus est: quòd princeps esset seuerus, truculentus, sanguinarius, & Imperator magis necessarius quàm bonus. Sed & minister ille à libellis qui eum occidit, Mnesteus, cognita fraude, in stipitem ligatus, bestijs obiectus est. Aureliano templum, sepulchrum, & statuæ marmoreæ positæ sunt, & inter diuos relatus est, cùm imperasset annis sex, minus paucis diebus.

Habuit autem uxorem, cuius nomen hactenus non inueni: ex qua filiam reliquit, quæ Aurelianum proconsulem Siciliæ peperit. Huius tempore, scribit Sext. Aurelius, apud Dalmatas Septimium Imperatorē effectum, mox à suis obtruncatum. Idem tradit, Aurelianum primum apud Romanos diadema capiti innexuisse, gemmisq; & aurata omni ueste (quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus uisebatur) usum esse. Licet Vopiscus scribat, ipsum uestem holosericam neq; in uestiario suo habuisse, neq; alteri utendam dedisse. Plura qui scire uolet quæ in uita priuata egerit Aurelianus, Flauium Vopiscū adeat, qui copiosissimè de eo scripsit. Videndi & Eutropius & Orosius, & Sext. Aurelius. nàm ueteres scriptores iactura temporum perierūt. Callicrates Tyrius Græcus scriptor, Theoclius Cæsarianorum temporum scriptor, Aeolius magister admissionum Valeriani principis actorum scriptor, Varro Aelius, & Aurelius Festiuus libertus Aureliani, qui Ephemeridas Aureliani scripserunt. Extat Zonaras, qui & Ioannes Monachus dicitur, non negligens historiarum scriptor Græcus, qui hunc eleganter descripsit. Interea nostrum subdamus tetrastichon:

Orbem purgauit dux hostibus Aurelianus,
Et Persas ueteri limite continuit.
Vindicat & Gallos: mirum quàm deinde triumphat,
Post urbis muros & sacra templa locat.

P. ANNIVS TACITVS.

M. ANNIVS FLORIANVS.

Diuo Aureliano occiso, inter Senatum ac exercitū gratum surrexit nouumq; certamen. Licet enim post conditam urbem defunctis regibus Interregnum fieret, tamen pluribus iam seculis illud erat abditum. Sex totis igitur mensibus uterq; ordo certat, dum bonus quæritur Imperator. Tāta fuit inter eos cōcordia ac tranquillitas. Nullum enim habuit exercitus principem, qui Aureliano, quem occiderant, posset conferri. Idcirco de eligendo Imperatore ad Senatum retulit. Senatus eandem electionē in exercitum reiecit, quòd milites sciret ægrè eos accipere Imperatores, ob plurium animorum inconstantiam, quos Senatus elegisset. Tandem Senatus, cùm diu esset ita certatum magno temporis interuallo, permittentibus militibus, P. Annium Tacitum uirum egregium & Reipub. commodum, Imperatorem elegit, & Augustum appellauit, multisq; acclamantibus hunc inuitum imperium assumere coegit: Tacito diu multumq; reluctante, quòd iam ætate esset propemodum decrepita, & corpore ualetudinario. Sed obiectum est ei, Traianum seniorem imperium accepisse, & item Adrianū ac Antoninos: Imperatoris esse munus præcipere, militis pugnare. Tandem imperium assumens, omnia sese ex sententia

Senatus,quæ commoda Reip. uideantur, agere pollicitus est. Tunc primùm Respub.uelut longo postliminio reducta,suo iure ac iudicio usa est.Nec Senatus ob id dissimulauit suum gaudium, quum iam in antiquũ statum Rempub. restitutam arbitraretur. Quin de ea sibi principes creandi potestate ab exercitu reddita, supplicationes decreuit, hecatomben promisit, & publicè ac priuatim literas dedit suis & externis,Carthaginensibus,Antiochiensibus,Aquilegiensibus,Mediolanensibus,Alexãdrinis,Corinthijs,Athenienſibus,& Treuiris,ut Vopiscus quibusdam epistolis docet.Qui etiã narrat,Tacitum in Baianum secessum abijsse, ac duobus penè mensibus procul ab urbe degisse, cùm rumor emersisset illum faciendum Imperatorem,ut eam dignitatem ueluti sibi exitialem auerteret.Sed tandem Romam deductũ,factum Imperatorem inuitum.quod tamen ex sequentibus pluribus, tum potissimum ex eo facilè colligitur,quòd togis ac tunicis ijsdẽ pòst est usus in imperio,quibus priuatus. Assumpto autem imperio,stipendium & donatiuum ex more promisit.Aureliano statuas ex auro atq; argento decreuit.Dehinc consulta edidit,ne quis æs argento publicè priuatimq; misceret, aut æri plumbum. Tum patrimoniũ suum publicauit,& quam domi pecuniam congesserat, in militum stipendium uertit. Cornelium Tacitum historicum patrem suum appellauit: tantũq; dilexit, ut in omnibus bibliothecis libros eius collocari iuberet,institueretq; ut singulis annis decies publicè scriberetur,ne eius monumenta perirent. Domũ suam est demolitus, ut thermas illic publicas priuato sumptu extrueret. Vitæ fuit parcissimæ.Lactucis sibi somnum conciliauit,rarò balneis usus. Validior in senectute,adeò ut etiam senex minutulas literas ad stuporẽ legeret. Fuit admodum literatus. Nec unquam noctem intermisit, qua non aliquid uel scriberet uel legeret.Prima autem cura Imperatori fuit,ut omnes qui Aurelianum occiderant,ultimo supplicio puniret. Ob breuitatem autem temporis præclarum nihil gesit.Interemptus est enim tumultu militari, ut alij tradunt sexto mense: ut alij,morbo interijt. Quanquam eum factionibus oppressum plerique tradãt, ut animo mentecq; deficeret. *M. ANNIVS* Florianus,Taciti frater Germanus,uir imperandi cupidus, tum mox sine Senatus autoritate quasi hæreditarium arripuit imperium.Licet fratrem in Senatu adiuratum sciret, optimũ aliquem sibi principem nullum hæredem succedere debere. Cùm itaq; suo iudicio imperium inuasisset,duobus uix mensibus in eo lætatus, Tharsi à militibus est occisus: qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat, uirum rei militaris peritissimum. Licet Sext. Aurelius tradat,ipsum sibi uenas secuisse:quod de Quintilio fratre Claudij Vopiscus scribit.Sic duo ex una domo principes,quasi quidam interreges inter Aurelianum & Probum,alter sex mensibus,alter uix duobus imperarunt.Quibus duæ statuæ marmoreæ Interamne in patrio solo locatę fuerunt:sed fulmine dissectæ,perierunt.Si Suetonij Optatiani monumenta,quibus hos & alios Imperatores in literas retulit extarent,plura possemus in medium afferre.Sed præter Vopiscum, Orosium, Eutropium,& Aurelium,nullos uidi ex antiquis scriptoribus quos imitatus sum. Paucula hæc satis sint:sic tetrastichon nostrum de more subijciamus:

Mensibus hinc senis uacat imperium,quia Cæsar
E' patrum turba quæritur egregius.
Tum Tacitus senos menses regit,atq; duobus
Germanus,annum haud Cæsar uterq; tenet.

PRO-

PROBVS CAESAR.

PROBVS è Syrmio Pannoniæ urbe in confinibus Illyrij oriundus, ex patre Maximo Tribuno, qui apud Aegyptũ uita functus, uxorẽ, filium & filiã reliquit. Matre nobiliore, per quam Claudio principi sanctissimo atq; optimo propinquus fuisse dicitur: imò postquam occisus est, à Claudia sorore fertur funeratus. Cum itaq; Probus adolescens patrimonio esset moderato, uirtutibus sese clariorem effecit, & impubes ac imberbis propemodũ Valeriani iudicio tribunatum adeptus est, & ob merita ac uirtutes Galieno filio eum commendauit, pluribusq; donis est à Valeriano honoratus. Nam bello Sarmatico Tribunus existens, transmisso Danubio, multa fortiter & strenuè gessit. Valerium Flaccum, adolescentem nobilem, parentem Valeriani, è Quadorum manu liberauit. Vnde illi corona Ciuica à Valeriano donata est: sed & pro cõcione laudatus, dono accepit hastas puras, coronas uallares, ciuicas, uexilla, armillas, torquem aureum ac pateram, ob res præclarè gestas. Sed nõ modò sub Valeriano ac Galieno uirtutibus ac moribus effulsit, sed plura pariter priuatus sub Aureliano & Claudio fecit: murum cõscendendo, diripiendo uallum, interimendo comminus hostem, ob quæ plurima dona emeruit. Aurelianus illi Decumanos exercitus tanquam fortissimo tradidit, ut si sibi scienti cõtrarium aliquid eueniret, Probum principem faceret. Et Tacitus in Senatu fertur dixisse, cùm ei imperium offerreretur, illud Probo deberi. Cui Orientis ducatum cum ornamentis militaribus, & consulatum cum consularibus muneribus epistola quadam, quæ extat, promisit. Militibus uerò ita acceptus fuit, ut ab eis unicè amaretur. Quando quidem prædam inter eos ita diuisit, ut sibi præter tela & arma nil reliqui esset, omnia militibus partitus. Nec eos peccare passus est: & si quando cõmissum aliquod delictum grauius Aurelianus esset puniturus, à crudeli sæuitia illum abduxit. Bello Alanico, quum equus ex hoste captus esset miræ pernicitatis, utpote qui indicio captiuorũ ferebatur centum millia passuum singulis diebus perpetuo cursu cõficere, in eaq; celeritate octonas dies perseuerare, omnibus illum extra sortem Probo destinantibus, recusasse dicitur, testatus pernicissimũ equum fugacissimo conuenire militi. Cùm itaq; milites sorte illum proponerẽt, & Probi nomen ex urna primùm esset deductum (erant enim tum quatuor in exercitu milites, qui Probi nomen haberent) iussit iterum moueri urnam, atq; agitari: & cùm iterum atq; iterum semper Probi nomen primum educeretur, ad tollendam militum discordiam, magno omnium fauore est id præmium uni illi addictum, militibus, quorum nomina ex urna deducta erant, ita uolentibus. In Aphrica contra Marmaridas fortissimè dimicauit, non sine uictoria. Carthaginem à rebellione uindicauit. Arabianem quendam in Aphrica singulari duello prostrauit, & monumento honorauit. Multa in Aegypto fecit insignia opera, quæ plurimis seculis durarũt. In ciuitatibus pontes, tẽpla, basilicas, & id genus alia. Pugnauit etiã contra Palmyrenos, Odenati & Cleopatrę partibus Aegyptũ defendentes: partim felicíter, partim temerè. parũ enim abfuit quin caperet. Sed collectis uiribus, Aegyptũ & Orientis partem maximã in Aureliani potestatẽ redegit. Cùm itaq; fortitudine, clemẽtia, integritate omnibus esset militibus admirationi, Tacito defuncto, & Floriano imperium ui arripiente, omnis Orientalis exercitus Probũ Imperatorem delegit: quòd à Tribunis, ut fit, in concione alloquentibus sæpius iteraretur, Principem fore aliquem deligẽdum, fortem, sanctum, uerecundum, probum atq; clementem, ne iterum Senatus principem daret. Tum acclamationes subsequutæ ab omnibus: Probe Auguste, Dij te seruent. Moxq; Imperator appellatus, & pallio purpureo de more ornatus, & si reluctaretur & inuitus traheretur. Senatus militum electionem approbauit, pulcherrima

acclamatione & ſpecioſiſsimis laudibus & titulis, Francici, Gotthici, Sarmatici, Parthici, additum nomen Cæſareum, nomen Auguſtum, additum proconſulare imperium, Patriſpatriæ nomen cum pontificatu maximo, Ius tertiæ relationis, & Tribunitia poteſtas. Nam & reliqui milites audientes Probum imperare, Florianum interemerũt. Aſſumpto itaq; imperio & intellecto. S.C. quod in eius laudem Senatus decreuit, Probus patribus permiſit, ut ex magnorum Iudicum appellationibus ipſi cognoſcerent, procõſules crearent, legatos conſulibus darent, Ius prætorium preſidibus darent, leges quas Probus æderet, Senatuſconſultis propriis conſecrarent. Tum in eos animaduertit, modeſtius tamen, qui ſuperfuerant de Aureliani occiſoribus. Vindicauit & percuſſores Taciti. Floriani ſocijs pepercit, quòd principis fratrem, non tyrannum aliquem eſſent ſequuti: recepto illius exercitu, qui eum Imperatorem fecerat & occiderat, & alijs quoq;, qui in Europa ſuperfuerant. Ac in Gallias à Germanis tum poſſeſſas, cum ingenti exercitu profectus eſt. Quas recuperauit, receptis lx. urbibus, quas tum Germani obtinuerant, ablata illis omni præda. Et cùm ſecuri
102 in Romanum ſolum irruerent Germani, cæſis cccc. milibus, reliquias ultra Ni-
103 grum & Albim fluuios remouit, immẽſa præda & ſpolijs ex hoſte captis. Trãs Rhenum in Hoſtico caſtrametatus, excubias collocauit ut ſemper pugnaret, in eam redigens neceſsitatem Germanos, ut non modò nouem Reguli ſupplices ad pedes Probi procumberẽt, ſed etiam obſidum loco xvi. milia tyronum Probo darent: quibus auxiliaribus exercitum ſuum auxit, ualidioremq; reddidit. Ex hac uictoria coronas aureas à ciuitatibus Galliæ acceptas Romam miſit Ioui dicandas, cum literis laureatis de rebus à ſe geſtis. Dehinc pacata Rhetia in Illyricum uenit, & nullo bello excluſis Sarmatis, cuncta recepit quæ illi abſtulerant. In Thraciam dehinc ueniens, Gotthos ita terruit, ut illos aut in deditionem, aut in amicitiam reciperet: tam formidoloſum hoſtibus nomen erat Probi. Sed cùm in Oriẽtem tenderet, in Iſauria occiſo Palfurio latrone, Ciliciã ac Iſauriam latrocinijs perpurgauit, ac Pamphiliam. Cùm dehinc in Orientem uerſus, finitimas regiones popularetur, ſubactis Blemijs (quos Plin. in Aethiopia oculos in pectore ſcripſit habere, & Mamertinus tradidit hos leuibus ſagittis aduerſus Aethiopas prælia internicina committere, & Ammianus ad Nili cataractas collocat) ac Romam miſsis in ſtuporem, Parthos ita terruit, ut ad eum legatos mitterent pacem petentes. Qua conceſſa, ad Thracias reuerſus, Baſtarnas in ſolo Romano cõſtituit, qui in fide permanſerunt, cùm alij Barbari longè lateq; uagarentur, quos & fudit & fugauit. Fuſis Barbaris Saturninũ, qui Oriẽtis Imperium arripuit, diuerſis prælijs & ſolita uirtute ſuperauit, & miram in toto Oriente quietem cõſtituit. Fuit is Saturninus oriundus ex Gallijs, quem Aurelianus ducem limitis Orientis conſtituit, ſed præcepit ne unquam Aegyptum uideret. Qui contempto præcepto principis, Aegyptum intrauit, & ibi Imperator ſalutatus, Imperium arripuit. Fertur autem Probus & clementes ad eum literas ſæpè miſiſſe, & ueniam eſſe pollicitum: ſed milites qui cum eo fuerant, non credidiſſe. Obſeſſum denicq; in caſtro quodam, ab ijs quos Probus præmiſerat, inuito Probo eſſe iugulatum. Vir profectò magnæ literaturæ & bonæ prudentiæ, quæ uel ex ſua oratione cognoſcitur, qua difficultatem imperandi copioſè enarrat: cùm ui ad Imperium raptus fuit, ut docet Vopiſcus, qui multo plura de hoc ſcribit, ubi agit de tyrannis, qui ſub Probo fuerant. Alius enim hic eſt Saturninus ab eo, qui ſub Galieno tyrannidem ſibi uendicauit. Interea in Gallijs apud Agrippinam Proculus & Bonoſus imperium arripuerant, ac ſibi Britanniã, Hiſpanias omnes & Gallias uindicabant, aſcitis multis Barbaris. Germanos tamen nullis pollicitationibus poterãt adducere. Hos Probus uicit ac interemit. Proculus autem Liguſtici fuit ſanguinis, Albingauni natus, diu latrocinium exercens: licet etiam multa militaria edidiſſet facinora. Is per luſum prius in conuiuio, mox Lugdunenſibus ad id facinus hortantibus,

bus,aperte rebellauit.Pòst Gallorum fauore destitutus,aduentu Probi tristem sortitus est exitum. Sed admiranda fortuna ad imperatorium locum conscendit.Cùm enim in cõuiuio latrunculis lusitaret,ac decies imperator ipse exisset, statim scurra quidam,Salue (inquit) Auguste: & allata purpura, ut mos erat, humeros eius ornauit:sic uulgò est imperator salutatus.Bonosus autem in Britannia ortus matre Gallicana, licet eius essent maiores omnes Hispani, circa Rhenum est oppressus:Homo intempestiuæ luxuriæ,& natus non ut uiueret, sed ut biberet,quemadmodum Aurelianus dicere solebat. Ingurgitabat enim 104
se ille perpetuo uini hausto,ueratroq; exonerabat. Victus à Probo collum laqueo implicuit. Et hinc dictum haud infacetè, non hominem sed amphoram pendere.Quanquam Onesius Græcus autor tradiderit, Bonosum uel in uino fuisse prudẽtiorem,licet bibendi modum longè excederet. Sed utriusq; uitam Vopiscus eleganter satis tradidit.Probus uerò quia Galli,Hispani,& Britanni ea tempestate auxilio fuerunt, fecit his potestatem conserendæ uitis ac conficiundi uini. Ipse Almam montem in Illyrico circa Syrmium militari manu fossum uitibus conseuit,& Romanis in uoluptates uinum dedit, hoc quod Aurelianus antè facere constituit.Sed à præf.præt.suo prohibitus,qui dixisse fertur, Si uinum P.Ro.damus, supereſt ut & pullos & anseres demus. Romã dehinc reuersus, multa spectacula ædidit, post triumphum speciosissimum quem de Germanis egit aliisq; gentibus, Blemmijs ante currum ductis: quæ latissimè quasi rem admirandam Vopiscus describit. Tandem bellum Persicum parãs, cùm per Illyricũ iter faceret,à militibus suis per insidias est interemptus, quòd nunquam militem ociosum pateretur, dicens,Annonã gratuitam militem comedere non debere: & quòd iactabat breui milites non fore necessarios, cùm iam totum penè mundũ Romanis subiecisset, orbemq; pacasset. Adhæc cùm ueniſſet Syrmium, ac patrium solum effœcundari cuperet: siccandam cogitauit paludem. Quod ægrè ferentes milites, confugientem eum in turrem Ferratam, quam pro specula exædificauerat, interemerunt anno imperij eius v.li- 105
cet alij vi.anno,& mense quarto imperij tradant illum occisum.Ingens huic sepulchrum milites cum tali dehinc inscriptione erexerũt. *HIC PROBVS IMP. ET VERE PROBVS SITVS EST, VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM.* Et nimirum talem se & in toga & in militia gesit, ut res nomen sequeretur. Sarmatas enim contudit,tyrannos extinxit,orbem pacauit, iudicia bonorum de se admirabili uirtute cõfirmauit,pace terra mariq; parta. Laudes Probi tanquam Imperatoris sanctissimi & fortissimi,pluribus enarrat Vopiscus,qui eius uitam nobis tradidit, quem legendum diligenter censeo.Onesius enim scriptor uitæ Probi, & Turdulus Gallicanus,qui rerum eius gestarum Ephemeridas scripsit, & Elephantini præterea libri cum Bibliotheca Vlpia, iactura temporis interierunt. Paucula quæ Orosius,Eutropius,Sex. Aurelius atq; Eusebius de illo scripserunt,extant.Nos igitur ut consueuimus, nostrum de illo tetrastichon subijciamus:

Hinc probus & uerè Probus orbis sceptra gubernat,
Quem probat & miles, & sacra turba patrum,
Barbaricos motus compescuit undiq;, pacem
Romano pulchram fecit in imperio.

CARVS CAESAR

ARVM Imp. Sex. Aurelius Narbone natum scribit. Onesimus autem scriptor uitæ Probi, Romę illum scribit genitum, ibiq; literis* educatum: quod & ipse epistola quadã procons. Cilicię Iunio legatus scribens testatur. Cecilianus scriptor horum temporum, in Illyrico illum genitum prodit. Vopiscus in Ephemeride se legisse tradit, Carum Mediolanensem fuisse, sed auum eius iuri Aquilegiensis ciuitatis insertum. Hic per militares gradus creuit adeò, ut à Probo præf. præt. crearetur, & militum amore tandem imperator efficeretur: licet quidam falsò illum suspicati sint, in factione eorum fuisse, qui Probũ interfecerint: cùm imperator seueriſsimè in Probi percussores animaduerterit, acerrimeq; puniuit. Et nimirum Probum amauit, qui ab eo equestri statua, & domo marmorea, aliisq; plurimis muneribus fuit donatus, & ad summos euectus honores. Vbi itaq; ab exercitu imperator est appellatus, imperiiq; molem subijt, consensu omnium militum, bellum Persicum, quòd Probus parabat, cum omni belli apparatu aggressus, liberis suis Carino atque Numeriano prius Cæsaribus nuncupatis. E quibus Carinum ad Gallias tuendas misit, recepto secum Numeriano. Cõfecto autem bello Sarmatico in Pannonia, ubi tum Sarmatæ Pannoniam uastabant, in Italiam sese irrupturos minantes, occisis sedecim millibus, captis diuersi sexus uiginti milibus, inter eundum ad Persas, cum totis Probi uiribus, recepta Mesopotamia, Ctesiphontem peruenit. Ibi cùm domestica seditione Persæ laborarent, imperatoris Persici nomen emeruit. Et nisi fulmine ictus concidisset, regnum subuertisset Persicum. Credunt aliqui, præfectum suum prætorij Aprum, qui & ipsius & filij quærebat exitium, ut ipse imperaret, longius abductum, donec in morbum caderet. Eo itaq; ægrotante, ingenti exorta tempestate, immani coruscatione, immanioriq; tonitru exanimatus est. Vnde quidam dixerunt in fatis esse, Romanum principem Ctesiphontem non transire: imò Carum fulmine absumptum, quòd fines fatales transgredi tentasset. cecinerant enim uates antiquissimi, Romana arma Ctesiphontem transire nefas esse: & duces qui ausi fuissent, pœnas daturos esse. Putant, M. Crassum id cogitantem cum exercitu perijsse: M. Vlpium Traianum transgredi ausum, Italiam non repetijsse, & quinq; prouincias trans Tygrim statim amisisse: satiusq; fuisset iter non tentasse. legiones longo labore attriuit, & ferè consumpsit. Et quamuis uictor longius produxerit terminos, tamen non multum profecit: dubium an sic uoluentibus fatis, an culpa successoris Adriani. Ctesiphontem cupiens transire, superato Tygride, Valerianus à Sapore rege Persarum captus est. Verùm Odenatus Palmirenus uictor Romanæ maiestatis, Ctesiphontem usq; trans Tygrim peruenit. Carus imperator exercitum Probi Sarmatico bello latè uictorem duxit in Persida, hostile regnum uastauit: Seleuciam cinctam Eufrate, quam olim ceperat Aelius Verus Antoninus, expugnauit. Deinde Ctesiphontem petentem, & longius progredi uolentem, uel morbus uel ictus fulminis cœlo turbido & coruscante absumpsit. Sed oracula plerunq; aut uana, aut uix intelligibilia, credentes sæpius eludunt. Galerius enim, ut infrà scribemus, Ctesiphontem transiuit, & Romanos fines auxit ac dilatauit. Mortuo itaque Caro, traditæ sunt rerum habenæ eius filio Numeriano, qui comes patri bello Persico fuit, & nimio fletu ob paternam necẽ sibi oculos corrupit. Cum itaque oculis æger esset, aerq; & uigiliæ in bello Persico ei obessent, occlusa lectica ferebatur. Arrius Aper, cuius filia nupserat Numeriano, cupiens inuadere imperium, illum nihil tale timentem occidit. Est cadauer illius plurimis occultatum diebus, quasi ob inualidos oculos à uento ac sole se subtraheret imperator. Sed fœtore mors prodita, nec inulta tamen fuit. Quandoquidem con-

forte edoctum

concionantem Aprum Diocletianus, quem exercitus tum imperatorem fecit, manu sua confodit. Hic est autor necis Numeriani. Gloriare Aper, magni Aeneæ dextra cadis: quasi Aprum fatalem occideret, ut imperium assequeretur. quemadmodum sibi olim Gallicana Dryas uaticinabatur. Sic modestus & frugi iuuenis, cui Mars in armis familiare numen præbuit, Minerua peculiaris affuit, & citharam præbuit Apollo, miles, orator, simul & poëta, à socero suo occisus est crudeliter. Tantus enim fuit in eloquentia, ut statua illi decerneretur in Bibliotheca Vlpia, cum tali subscriptione: *NVMERIANO CAESARI ORATORI TEMPORIBVS SVIS POTENTISSIMO.* Et poëtas etiam omnes suæ ætatis uicit, qui gesta parentis iambis descripsit. Carinus autem, alter Cari filius, homo contaminatissimus, adulter frequens, & corruptor iuuentutis. Cui pater dum contra Persas proficisceretur, Gallias, Hispanias, Britannias, & totum ferè Occidentem regendum tradidit, cum Illyrico atque Italia. Et quem pater ob nimiam eius libidinem sæpè cogitauit è medio tollere, eique abrogare imperium & Cæsaris nomen. Vbi patris ac fratris intellexit interitum, liberius se omnibus enormibus immersit uitijs: piorum sanguine madefactus, totiusq; iuuentutis corruptor, Senatum, senatoriosq; uiros ac magistratus libidinum suorum ministerijs deturpans, uxores nouem repudiauit, pleriſque etiam ex se imprægnatis: cum mimis, pantomimis, ac meretricibus, lenonibusq; semper conuersatus: quos in aula secum habuit & conuiuio, plurimumq; illis detulit. Sed ubi Diocletianum audiuit ab exercitu in Perside imperatorem electum, cum exercitu contra eum progressus, & multis tandem prælijs apud Mergam in Dalmatia uictus, occubuit. Sex. Aurelius tradit Carinum trucidatum eius tribuni dextra, cuius dicebatur uxorem polluisse. Corrupit enim passim nobilium matrimonia. Condiscipulis quoq;, qui eum in auditorio uerbi fatigatione taxauerant, pernicioſus fuit. Refert idem Aurelius, quod alibi non inuenio, Sabinum Iulianum inuasisse imperium, & à Carino in campis Veronensibus occisum. Sed fortè illud, & cætera quoque tradita fuerunt ab Onesimo, uitæ Probi scriptore, qui hos quoque descripsit, & Fabio Ceciliano, & Aureliano Apollinari, ac Fuluio Aspriano, qui omnes de ijs tribus principibus scripserunt, & iactura temporis sunt periti. Ea tamen extant quæ Flauius Vopiscus, Orosius, Eutropius, & Sex. Aurelius conscripserunt. Et recentiores quidam: è quibus miror Sabellicum, qui Cæsarem alterum Numerarium uocat, cùm omnes antiqui ac recentiores, & pater historiarum nostri seculi Pomponius Lætus, Numerianum appellent. Quemadmodum & in numismatis Ioannes Monachus Græcus de ijs quoque in sua historia, sicut & de cæteris latè scripsit. Claudamus igitur nostro tetrasticho trium principum uitam, ut consueuimus:

Post Carus pater, & nati duo, sorte gubernant
Aequa orbem: at cecidit Cæsar uterq; breui.
Pannoniam Carus dum liberat hostibus, & res
Persarum attriuit, fulmine conciderat.

DIO-

DIOCLETIANVS CAESAR

IOCLETIANVS imperator Salonis Dalmatiæ ortus, parentibus obscuris ac ignobilibus, libertini sanguinis. Pater enim eius à quibusdam scriba & libertus Amillini senatoris dicitur fuisse, mater Dioclea appellata: unde & ipse Diocles dictus est passim, postquã imperium assumeret. Vbi uerò orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanũ morem conuertit, uiurpatis aliis quoq; prænominibus ac cognominibus. Sed militare à pueritia cœpit. Et cùm gregarius miles in Gallia esset, referente Vopisco, apud Tungros in quodam diuersorio, cuiusdam Dryadis utebatur familiaritate paulo syncerius, quæ cibum resq; necessarias illi subministrabat. Cùm igitur plurimùm illi deberet, & ipsa precium exposcẽs diceret: Diocletiane, nimium auarus, nimium parcus es, meæ largitati ac meis non respondes obsequijs: facetè ille, Largus (inquit) ero, cùm imperator fuero, & liberalius omnia persoluam. Mox uetula subiunxit: Diocletiane, eris imperator, cùm Aprum interficies. Qua uoce augurium futuræ fœlicitatis suscipiens, uenationi plurimùm indulsit, cùm aprisq; congressus, plurimos interfecit. Cùm interim Aurelianus, tum Probus, hinc Tacitus, pòst Carus imperatores fierent, ridens dixit: Ego semper apros occido, sed alter pulpamento utitur. Tandem cùm Arrium Aprum præf. prẽt. sua manu confodisset, quòd Numerianum generum occiderat, & ob id factus esset imperator, fertur dixisse: Fatalem Aprum tandem occidi. intellexitq; tum, uocem Dryadis haud uanam fuisse. Dicere enim solebat, nullam sibi aliam occidendi manu sua Aprum causam fuisse, nisi ut Dryadis impleret dictum, & suum firmaret imperium. Alioqui nulla necessitas ad tantam atrocitatem potuisset ipsum, primis potissimũ imperij diebus, impellere. Profligato deinde & prẽlijs uicto Carino, Augustus est appellatus, & à Senatu magno honore exceptus. Quum autem in diuersis mundi partibus insignes excitarentur tumultus, pluresq; undiq; surgerent tyrãni, in Gallijs, Britannia, Aegypto ac Italia, Diocletianus ceu uir prudentissimus animaduertit cõsorte imperij opus esse, quo & imperium firmaret, & pacem ubiq; redderet. Maximianum Herculeum legit, quo cum imperij habenas æquo iure, mira concordia gubernauit. Tantaq; fuit inter eos unio, ut eadem semper cogitarent, eadem facerẽt, nunquam alteri alter repugnaret, perinde ut gemini solent inter se chariss. fratres. Obtemperauit enim Maximianus Diocletiano tanquam filius patri, ac minor maiori, nec unquã eius uoluntati restitit, sed unanimes, tanquam pater & filius, nihil orbi pacando quoad imperium deposuêre, admiranda prudentia prætermisêre. Et iccirco hæc sibi cognomina indidêre, ut Diocletianus Iouius, Maximianus Herculeus diceretur: quasi ille Iouis, hic Herculis esset hæres ac successor, illorumq; opera imitarentur quàm felicissimè, ut quidam Eumenius Panegyrico diserte enarrauit, latissimè rationem horum nominum explicans. Vnde à Gallijs postea adeò dilecti Iouius & Herculeus, ut ab eis duo populi nomina sumpserint Iouiorum & Herculeorum: & Viennenses duas urbis portas, Iouiam & Herculeam appellauêre, ut Epigrammata docent, quæ Viennæ Allobrogum sic uisuntur:

106 *D. D. N. N. IMP. CAES. C. AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS P. F. INVIC. AVG. MVRIS CVRALONENSIB. AEDIFICIIS PROVIDENTIA SVA INSTITVTIS ATQVE ERECTIS, PORTAM VIENNENSIVM HERCVLIAM VOCARI IVSSERVNT.*

Et in fronte alterius portæ: *PORTAM ROMANAM IOVIAM VOCARI IVSSERVNT.*

107 Sed quomodo Gallias subegerint, ab initio exordiendum est. Turba rustica in Gallijs Bugaridarum, uel ut alij scribunt Baugaridarum nomine tumultus

imultus excitauit, ducibus Amando & Heliano. Ad quos ſedandos Diocletianus Maximianum præmiſit, qui mira celeritate tumultus cõpreſsit ac deleuit, pace Gallijs reddita. Cùm autem ea quoq; tempeſtate Quingentiani Africam 108
infeſtarent, Maximianus in Africam translatus, Quingentianos deuicit, & ad pacem redegit. Quinquagenarij & ſupra eum numerum annorum milites hi fuêre, qui Africã diripiebant, cupientes ſibi regnũ uindicare. Sed difficilius hic eſt tumultus ſedatus, quòd ueteranus miles tam facilè ad obſequium redigi nõ poſſet. Sic itaq; Maximianus tanquã Herculis æmulus, latrones plurimos imperio exegit, cùm Diocletianus interea in Aegypto cõtra Achilleum, qui ſeſe imperatorem illic fecerat, ſtrenuè pugnaret, eoq; Alexandriæ obſeſſo octauo ferè menſe ſuperaret ac interficeret, totumq; pacaret Aegyptũ. Nam urbes ueteres prope Thebas locatæ, dites ac populoſę, Buſtris & Copos erant, quas uictor euertit. Sed & Alexãdria obſeſſa, octauo menſe eſt capta. Cæſis dehinc rebellionis autoribus, qui Achillei cõſilio nitebantur, poſt nonum menſem prouinciam pacauit. Contentus enim optimatium cæde, abſtinuit à multitudine. Achilleum feris dilaniandum obiecit, terra ubiq; cęde potentiũ maduit, nimiũ acerbè uictoria uſus. Multa tamen prudenter in regione illa tum ordinauit, ut pacem fundaret. Sed cùm undiq; iterum noua naſcerentur bella, & in oriente 109
per Narſeum, & in Britannia per Carauſium, per Iulianũ turbaretur in Italia, ambo Auguſti duos ſibi adoptauêre Cæſares: Diocletianus Galeriũ Maximianũ, quem cognomẽto Armentarium Aurelius Sex. uocat: Maximianus Conſtantiũ, cognomine Chloron: de quibus paulo inferius plura. Carauſius fortè tum Britãnias occupabat, quum Iulianus in Italia ſe feciſſet imperatorem, teſte Aurelio. Qui mox acto per coſtas pugione, in ignem ſeſe abiecerat. Fuit autẽ Carauſius, qui ab alijs Crauſsius appellat, homo familiæ ſordidæ, ſed ingenio manuq; promptus, ac rei militaris peritiſsimus. Imò à militia ſtrenua nomen & fa- 110
mam aſſequutus haud uulgarem. Qui apud Bononiam per tractum Belgicæ, pacandum mare ſuſceperat, & obſeruanda Oceani littora, quæ tunc Franci & Saxones infeſtabant. Sed cũ is ſe inſolentius gereret, nec prædas Barbaris ablatas aut prouincialibus reſtitueret, aut imperatoribus mitteret, nec etiã Barbaris interciperet iter, cõtentus præda ac ſpolijs ditari, iuſſus à Maximiano occidi, ſumpta purpura intrauit Britanniã. & fruſtra cum illo bella cepta ſunt: quia ſeptimo tandem anno Alectus ſocius eum interemit. & is triennio Britannis occupatis, ab Aſclepiodoto præfec. præt. ſuperatus eſt, & decimo tandẽ anno quàm defecerant, Britanniæ receptæ ſunt. Conſtantium aũt Cæſarẽ, quem Maximianus adoptauerat, Gallis præfecit, ut eas in fide teneret. ubi ſtrenuè circa Lingonas populos pugnans, uno die utranq; fortunam expertus eſt. Cùm enim Alamanni magno irrumperent impetu, Conſtantium in fugam uertunt, & feſſus urbi propinquæ ſe intulit, cuius portas metu hoſtili occluſas cõperit. Et niſi demiſſo fune per muros in urbem receptus fuiſſet, uiuus in hoſtium ueniſſet manus. In urbe milites ita adhortatus eſt, ut fugæ ignominiam uirtute delerent, ut ciues etiam poſt concionem arma ſuſciperent, & dedecori abolendo auxilium præſtarent. Sic apertis portis erumpunt, hoſtes in fugam uertunt, & propè ſexaginta millia cædunt. Qua uictoria liberatæ Galliæ, attritæ Germaniæ, uires ſuas amiſêre. Interea Aegyptũ Diocletianus tenebat, expeditionem parans in Aethiopas. Sed ad res in Oriente turbatas ſedandas, Galeriũ cum exercitu pręmiſit. Narſeus enim rex Perſarum, Vareanis ſecundi filius, & Varrãcis nepos: qui Vareanem primum patrem, Hormiſdã auum, Saporem abauũ, & Artaxerxem atauum habuit: tum Armeniã Meſopotamiamq; bello laceſſe- 111
bat, pluribus regibus Sironitarum & Albanorũ, multisq; ducibus propinquis in auxilium uocatis. Cõtra hunc iuuenili ardore progreſſus Galerius, primùm æquo marte pugnatum eſt. Vnde animoſior factus, dum contra tantam multitudinem inconſultius progrederetur, haud longè à Carris uictus, omnẽ penè

amiſit

amisit exercitum. Atq; hinc per Syriam ad Diocletianũ uenit, ad quem antea
112 aduersi belli fama peruenerat, cui ante carpẽtum per mille passus cucurrit pur
puratus Cæsar, ueluti homo gregarius, priusquã audiretur, indignanter acce-
ptus. Quem ubi princeps castigasset minis acerrimè, hac contumelia quasi co-
te usus est ad uirtutem. Galerius refecto supplemento ex lectissimis militibus
Daciæ, Illyriæ ac Mœsiæ, contra Persas fœliciore auspicio profectus, ut igno-
miniam aboleret, omnia prius diligẽtius explorauit, quàm manus consereret.
Reperto autẽ hoste in maiore Armenia, castra noctu hostilia ex improuiso xx
milibus equitum adortus, Persarũ multitudinem fœlici uictoria strauit, dede-
cus aboleuit, fines Romani imperij longius produxit. Nam totam Assyriam,
expugnata Ctesiphonte cepit, & quinq; prouincias Transtygritanos, quæ sta-
tim redeunte ad urbem Traiano defecerant, subegit, & imperio adiunxit. Fu-
gatus uulneratusq; Narseus ad inuios Parthorum montes recessit: regis pro-
les, uxores & sorores, captæ sunt. Persarum nobilitas abducta, reguli & duces
triumpho reseruati. Ictũ est fœdus, ut Persæ ab Armenijs, Mesopotamia, Assy-
ria, nouisq; prouincijs abstinerẽt. Victor Galerius ad Diocletianum, qui cùm
113 firmissimo subsidio in Mesopotamiam cõcesserat, ut Romanis animum & ho-
sti terrorem præberet, peruenit ouans, ingenti honore ab eo susceptus, & pòst
Augustus appellatus. Oriente toto composito, Europã repetit Diocletianus,
pugnaturus cum Scythis, Sarmatis, Alanis, Bastarnis, Carpis, Cattis, & Qua-
dis, quos fudit fugauitq;, & copiosissimã illorum multitudinem abduxit. Qui
post triumphum in Romani imperij finibus positi fuerũt, ut ueteribus incolis
cohabitarent. Quandoquidem ob continuas incursiones maximę solitudines
erant. Erat tum magnitudo imperij tanta, ut ad Indos propagaretur ab ortu, à
meridie Aethiopes attingeret, ab occasu usq; ad Gessoriacum Oceanum, ab
Aquilone usq; ad finem Sarmatarum. Vnde maximus terror hostibus erat, qui
undiq; amicitiam per legatos poscebant. Post tot igitur uictorias, Diocletia-
no maximus à Senatu decretus triumphus, cum inclytis cognominibus popu
lorum à se deuictorum. Quibus non contentus uictoriosus princeps, diuinos
sibi usurpauit honores, ueluti in eo cœlestis esset maiestas, uoluit adorari more
regum Persarum, pedesq; exosculandos omnibus sine generis discrimine ex-
hibuit, idq; edicto sanxit, quemadmodum hodie nostri sancti pontifices fa-
ciunt. Caligulam imitatus, qui calciamẽta auro, gemmis & margaritis exorna-
uit, quo ornatu uoluit augustior uideri. Veste præterea gemmata, aureoq; ha-
bitu uoluit Deus censeri, abiectis ueteribus insignibus, quibus antiqui impera
tores à Tarquinio usq; Prisco utebantur. Aureo quoq; & gẽmato curru trium
phauit, splendidius multo quàm ueterum quispiam. Cùm Diocletianus iam
ætate profectiori mobilitatem fortunæ, tanquã solertissimus & sagacissimus
princeps contemplatus esset, decreuit imperio se abdicare, & priuatus uiuere:
utpote qui diceret nihil esse difficilius, quàm scire benè imperare. Adhæc ætas
imbellis, & rerum humanarum instabilium metus, quæ rarissimè continuo suc
cessu ad exitum eodem tenore perueniunt, suaserunt Diocletiano imperiũ de
ponere. Diocletianus uerò mira difficultate ferum & asperũ Maximiani inge-
nium frenauit, ut ei cõsentiret. Fuit autem natura ferus, sed naturam suam fran-
gens, consilijs Diocletiani obsequutus est. Igitur eodẽ die, cùm iam conueniss-
sent Reipub. habenas iunioribus mandare, Diocletianus Iouius Nicomediæ,
Herculius Maximianus Mediolani, imperiales fasces deponunt. Rem memo-
ratu admirabilẽ, & prioribus seculis non uisam peragentes. Cùm post decem
annos, quibus priuatus uixit, Diocletianus à Constantino ac Licinio uocare-
tur ad festa nuptiarum Constantiæ, causatus senectutem per literas, scripsit se
114 prius peste liberatum, nolle iterũ uenena imbibere, satis se pro rep. elaborasse:
nunc uerò in patria sua, hoc est Salonis, holera serere, hortum curare, & priua
tum agere malle. Cùm uerò hi imperatores rescripsissent minacibus literis, se

non

non admittere excusationẽ,quòd fauisset Maxentio ac Maximino, suspectans necem dedecorosam,dicitur,uenenum hausisse. Quidam tamẽ dicunt, stupore mentis & longa ægritudine cõfectum,animam inter suspiria efflasse. Vixisse dicitur quibusdam sexagintaocto annis:nonnullis lxxiij.secundum quosdam, duobus de octoginta. Imperauit annis uiginti. Mansit priuatus Salonis,rei rusticę indulgens,annis decem:& post mortem inter diuos relatus est. Vir sagax admodum,& ingenio acer, & qui seueritatem suam aliena inuidia impleret. In Christianos impius ac crudelis : utpote qui multa millia occidi iuberet. Vnicã inuenio hunc filiam habuisse, Valeriam nomine: à qua Valeria est regio dicta; teste Marcellino, quam Galerio Cæsari uxorem dedit post adoptionẽ, coacto priorẽ repudiare uxorem: quemadmodum Cõstantius à Maximiano adoptatus,eiusdem priuignam Theodoram uxorem cepit,priore coniuge repudiata.

Fuit autẽ Valerius Maximianus Herculeus uir asper, seuerus & immitis, ardens libidine:utpote qui cum duabus sororibus rem habuisse credebatur. Ciuilitatis expers, cõsiliis stolidis,ortu agresti, ut Sextus scribit, Pannonioq; (haud enim longè à Sirmio locus erat,olim cum palatio extructo, ubi parentes exercebant opera mercenaria)imò ferox natura, sed qui se probè Diocletiano submisit,eiq; obtemperauit,licet inuitus imperium abdicaret: plurimũq; pœnituit collegæ assensisse. Filium habuit ex Eutropia Syra muliere Maxentiũ,quem postea milites prętoriani imperatorem fecerunt:& Faustam filiã,quę Constantiño imperatori nupsit, cuius patri Constantino tradiderat Theodoram priuignam, ut paulo antè scripsimus. Sed Maxentium suppositum ferunt arte mulieris,tenere mariti animum laborantis,auspicio gratissimi partus cepti à puero, licèt illi postea nunquam fuerit charus. Audiens igitur filium imperatorem factum, è Lucania, in qua sedem priuatus elegerat, circa agros amœnissimos, se mouẽs,ad spem erectus fastigij resumendi quod inuitus amiserat, ad urbem se contulit,simulans filio ad gubernacula auxilio fore.sed milites indignati quòd ea tentaret,tumultum excitarunt:statim subiunxit,se hoc figmento uoluisse experiri,an milites Maxentium amarent. Inde tumultum suppressit: ac in Gallias profectus ad generũ Constantinum,ut illum imperio deturbaret, insidias præparans,quæ Faustæ uxori Constantini & filiæ Maximiani detectæ sunt. hęc patri maritum prætulit,& rem indicauit. Gener itaq; apud Massiliam illum obsedit,dehinc uiuum cepit. tum decreto iussus mortis eligere genus, præpostero, fractis laqueo ceruicibus,occubuit. Talem exitum meruit sanguinarius & cruentissimus Imperator in Christianos, cùm annos uiginti regnallet, ætate sexagenarius:qui alioqui plures titulos uictoriarum habuit, ut in fractis marmoribus Romæ conspicitur,in hanc scilicet formam:

M. AVR. VAL. MAXIMIANO INVICTO AVG. PONT. MAX.
SARMATIC. MAX. GOTIC. MAX. IMP. VIII.
COS. III. P. P. PROCOS.

Dicitur etiam Diocletianus aurei seculi parens,& Maximianus ferrei. Sed hæc & alia plura de laudibus Diocletiani Iouij & Maximiani Herculei, elegantissimè in Panegyricis Eumenius atque Mamertinus disseruerunt, qui uidendi sunt: quos illi populos ac gentes subegerint, & cur Iouius atq; Herculeus sint appellati. Addit Eusebius, quòd dum Maximianus insidias genero Constantino molitus, deprehensus esset, post eius interitum statuæ atq; eius imagines omnes ablatæ sunt,& in ædibus publicis eius nomina sunt erasa. Hi duo priusquam se imperio abdicarent, Constantium & Galerium Maximianum, cognomine Armentarium, consentiente Senatu, Augustos appellauêre : de quibus nunc ordine est disserendum.

Constantius,teste Treuellio Pollione,natus est patre Eutropio,uiro potente inter Dardanos:& matre Claudia Cõstantia, filia Crispi, fratris Flauij Claudij imperatoris:non filia Claudij,quia sobole caruit. Constantius uir fuit mitis-

simus & mansuetissimus, diuitiarumq; contemptor, & modici cultus, ut etiam à fictilibus non abhorreret. Quoties enim feriatis diebus epulum dabat, uasa argentea ab amicis accipiebat mutuò, ut abacum exornaret, & triclinia sterneret, studens diuitijs prouincialium ac priuatorum, non fisco. Solitus dicere, melius fore publicas opes à priuatis haberi, quàm uno claustro detineri frustra. Cùm ita facilem se & amabilem cunctis præberet, plurimùm diligebatur, à Gallis potissimùm: quòd Diocletiani prudentiam, & Maximiani cruentam temeritatem suspectam haberent. Eo autem regnante in Hispanijs, Gallijs, & alpibus, nulli motus fuêre, & hostes Pop. Rom. ab armis cessauêre. Vnde postquã se imperio seniores Augusti, Diocletianus & Maximianus abdicauêre, diuisus est inter eos ita Romanus orbis, ut Gallias, Hispanias, Italiam & Aphricã Constantius, Illyricum, Græciam, Asiam, & Orientem Galerius obtineret. Constantius uerò Aphricę atq; Italię administrationem recusauit, quòd existimabat ab uno tantum pondus minimè sustineri posse: Gallijs contentus, quibus diligentissimè præfuit. Habuit autem Constantius uxorem Helenam, obscuri generis fœminam, tamẽ sanctam, de qua inferius plura: licet quidam tradant, eam non uxorem legitimã illi, sed pro uoluptate uenerea fuisse cõcubinam: ex qua Constantinum imperatorem peperit. Sed hanc iussus repudiare, cùm adoptaretur, Cæsarq; fieret, priuignam Maximiani Theodoram accepit: ex qua liberos susce-
120 pit, Annibalianum, qui & Gallus dictus est, & Constantium patrem Iuliani principis, & Galli uiri scelerati, mariti Constantiæ, Magni Constantini filiæ, ac Constantiam uxorẽ Licinij imperatoris, de quo inferius. Consumptus est morbo, anno eius imperij decimotertio, ut Eutropius tradit: aut decimosexto, ut Eusebius supputat, in oppido Britanniæ Eboraci, & inter diuos relatus. Scri-
121 bit quidam Græcus, Cõstantium extrema uocula, cùm esset moriturus, seq; de lecto protenderet, ut ambabus manibus filium Constantinum, qui iam concito gradu aduenerat, amplecteretur, dixisse, mortem esse immortalitate meliorem. Dictus est autem Constantius Pius, quòd cùm alij Christianos persequerentẽ, is eos tulerat. Et ut tradũt Christiani historici, cùm plures in sua aula Christianos haberet, experiri uolens qui uiri fortes essent, ac animo cõstantes: simulat omnibus se præcipere, ut dijs suis sacrificarent, qui sui esse uellent: qui uerò recusarent, abirent impunè è palatio. Multi metu ac leuitate, quos Christianos nouit, idola uenerantur: quos tanquam leues & religionis desertores eiecit, ac aspernatus est. Qui uerò in religione sua fixi perseuerarunt, hos familiarius cœpit amplexari, & consilijs suis adhibere: adeò illi religionem præ cæteris cordi fuisse tradunt, & idola odio abominationiq; Imò semper Christianis consultoribus in rebus agendis usus fuisse dicitur. Sed Chlorus cognomẽto, quasi uiridis à colore appellatus est. Obsecro te Lector, ne panegyricũ illum Cõstantio dictum, cuius principium est, Si mihi Cæsar post diuturnum silentium, &c. dedigneris quàm diligentissimè legere: lætaberis enim.

Galerius autem Maximianus, quem Diocletianus adoptauerat, et Cęsarem fecerat, tradita ei filia Valeria, eximius & fœlix bellator fuit, ortus parentibus agrarijs, pastor primùm armentorum, unde ei cognomen Armentarius fuit: natus in Dacia Ripensi, ibíque sepultus est, quem locum Romulianum etiam uocabulo Romulæ matris appellarat. Is insolẽter affirmare ausus erat, matrem
122 (more Olympiadis Alexandri Magni genitricis) compressam à dracone semet concepisse. Hunc Diocletianus, ut suprà memorauimus, postquam Cæsarem fecit, ad Orientem pacandum contra Narseum Parthorum regem misit: ubi primùm infœliciter, dehinc fortissimè & prosperè pugnauit, captis omnibus penè thesauris Persicis, quos abduxit. Vbi uerò Augustus factus est, postquã Constantius Italiam & Aphricam (quę sibi cesserant) reliquerat, adoptauit duos quos Cæsares fecit, Seuerum, quem Italiæ præfecit & Aphricæ, & Maximianum, cui Orientem regendum dedit.

Interim

Interim prætoriani milites, quorum consuetudo est, rapere, stuprare, necare, incendere, & omnia diuina humanaq; commiscere, & scelera horrenda sine pudore facere, imperatorem fecêre Maxentium, in uilla sex millibus ab urbe discreta, itinere Lauicano. Qui non ut Cæsar, sed ut tyrannus, cooperantibus prętorianis summa sæuitia gubernauit: qui Seuerum fugientem ad Maximianum, qui in Illyrijs erat (nam uiribus Maxentij impar fuit) Rauennæ captum occidit, anno eius imperij secundo, teste Eusebio. Miror Aurelium Sextum tradentẽ Seuerum, ab Herculio Maximiano Romę intra tabernas extinctum: funusq; eius Galieni sepulchro illatum, quod ab urbe abest per Appiam milibus nouem, cùm omnes alij Rauennæ occisum scribant.

Galerius itaque Maximianus post mortem Seueri, consortem imperij facit Licinium, quem in Illyrijs reliquit. Ipse Romam proficiscitur, contra Maxentium pugnaturus. Sed quum defectionem militum intelligeret, si confligeret cum Maxentio, Illyriam redijt: & ob sæuam in cunctos libidinem, ac in Christianos horrendam crudelitatem, in morbum incidit, & consumptis genitalibus defecit. Nam ulcus inguinibus innatũ, uirilia exedit: et marcescente tota illa corporis parte, uermes pulularunt: remedia deerant, medici desperauêre. Fœtor enim tam intolerabilis erat, ut nullus omnino, ne medicorum quidem ullus propius posset accedere. Sic carnis in luxuria omni nutritæ, grauiorẽ ex corruptione putredinis nidorem exhalabat. Etsi erant medici qui noua tentassent (nam plures interfici iussit, qui medicamina frustra exhibebant) noluerunt tamen admouere manus, metuentes ne à sæuissimo principe occiderentur. Cùm itaque tantis afficeretur tormentis, ut suspicatus esset ea ob suam in Christianos sæuitiam se perpeti, decreta reuocauit, quibus Christianos puniri iussit: et ut accerserẽtur edixit, & pro salute principis orarent, sed non ualuêre preces pro cruento tyranno. Nec enim profuturus erat Christianis salute recupe- 123
rata, sed ad solitam potius paruo interuallo redijsset crudelitatem: qui publicos honores & summos magistratus magorum magistris decernebat: simulachrorumq; cultui usque ad superstitionem deditus, nihil sine augurijs & diuinationibus egit, delicijs & luxu ad insaniam usque diffluens: matronis, castissimisq; uirginibus insidias undique locauit, nec urbem aliquam sine adulterijs & uirginum stupris incontaminatam reliquit. Igitur digna morte perijt, & fœdissimo exitu mortuus est homo sanguinarius, quum solus regnasset annos duos: cum Cæsaribus & imperij consorte, annos sedecim: uel, ut Eusebius tradit, annos uiginti. Sed cautè & cum grano salis (ut aiunt) legendus est, quia intricatus facilè legenti errorem obijcit. Et ut finiam, ita quatuor principes orbem rexerunt: Diocletianus & Maximianus, adiunctis sibi Galerio atque Constantio: quorum alter natus est, ut acceptam ignominiam Valeriani captiuitate deleret: alter, ut Gallias Romanis legibus subderet. Quatuor sanè principes mundi fortes, sapientes, benigni & admodum liberales, unum in Republica sentientes, senatores Romani moderati, Populi Romani amici, sed Christianis infesti & contrarij, & potestate graues, præter unum Constantium: quorum uitas singulis libris Claudius Eusthenius, qui Diocletiano ab epistolis fuit, scripsit, qui desiderantur. Quemadmodum & Asclepiodotus iactura temporis perditus est, qui Diocletiani gesta descripsit. Pro uirili nostra ex Eutropio, Orosio, Aurelio Sexto, & Eusebij ultimis libris Sacræ historiæ, quia ea tempora diligentius scripsit, excerpsimus. Aetate nostra quoq; haud negligenter Pomponius Lætus de his Imperatoribus & Cæsaribus scripsit: licet in quibusdam haudquaquam uerum attigit, quò ad familias. Sunt legendi Panegyrici Nazarij, Eumenij, & aliorum qui ignorantur authorum, dicti his Cæsaribus, unde plura possunt de his intelligi. Sed negligendus non est Ioannes Monachus Græcus, quem alij Zonaram dicunt. Nos more nostro tetrastichon nunc subdamus:

Quattuor hinc ſurgunt, primuſq; Diocletianus,
Alter & Herculius Maximianus erat.
Quos ſequitur Conſtantius, inde Galerius, æqua
Orbem pacandum conditione tenent.

CONSTANTINVS MAGNVS.

EOdem penè tempore iterum quatuor fuêre principes, ut omnes Hiſtorici affirmant, maximè tamen diſcordes: & præter unum Conſtantinum, Chriſtianis mirum in modũ infeſti. Duo ex his Auguſtorum filij, Cõſtantinus Magnus ſcilicet, & Maxentius: duo autem homines noui, Licinius & Maximianus, Maximinus à pleriſque appellatus. De quibus promiſcuè eſt neceſſariò ſcribendum, ſeruata tamen ſerie genealogię, quoad fieri poterit. Cõſtantinus itaque natus eſt in Britannijs, licet alij apud Dacos natum ſcribant, quod ueriſimilius eſt. Hic enim & genitus & nutritus fuiſſe perhibetur patre Conſtantio Pio, matre Helena. Quam Conſtantius, dum Herculei priuignam Theodoram duceret, coactus eſt deſerere.

Fuit autem Helena, ut tradunt annales Britannorum, Coel regis Angliæ filia: licet Ambroſius ſtabulariam uocet, hoc eſt cauponariã, inter Britannos natam humili loco, ob formam Conſtantio patri tantum dilectã. Hæc mulier ſanctiſsima, filio nondum baptizato, Chriſtiana facta, & ſancta cruce inuenta, ex locis abditis tres clauos Chriſti filio attulit, è quibus unum ille loris equi affigi iuſsit, alium galeæ annecti pro amuleto, tertium in mare proiecit ad ſedandam maximam tempeſtatem. Filiumq; mater ad religionem Chriſti maximis quibus potuit precibus attrahere eſt conata, ſed hæc aliquanto pòſt.

Puer ipſe optimè literis ac moribus inſtitutus eſt in teneris annis: extremam uerò pueritiam in re militari fouendam Galerio Maximiano præbuit, qui Orienti tunc præfuit. A quo, cùm iam adoleret, miſſus eſt cum exercitu contra Sar
124 matas, ferociſsimam gentem. In qua expeditione, ultra ætatem, & plus quàm permitterent anni, geſsit: non modò hoſtes profligauit, ſed ducem Sarmatarũ catenatum Galerio adduxit. Qui cùm perdere mallet iuuenculum, minimè ea uictoria lętatus eſt: ſed ut cum leone in theatro pugnaret, hortatus eſt iuuenẽ, gloriæ ac laudis alioqui auidum, quemadmodum olim Herculem Eriſtheus. Sed ſuperato quoq; leone in certamine, cùm miris laudibus ſpectatores iuuenem efferrent, Galerius aũt plus animo cruciaretur, maiores meditatus eſt inſidias. Quas ut fugeret adoleſcẽs, aſſumptis fidiſsimis quibuſq; ſocijs, ad patrem uenit, benigniſsimè ab eo exceptus: utpote qui iã filij uirtutes multo antè perceperat, nec uanã de eo iam ſpẽ in animo geſſerat. Aurelius Sext. ſcribit, quòd dum Cõſtantinus iuuenculus à Galerio in urbe Roma religionis ſpecie obſes
125 teneretẽ, fugã arripiens, atq; ad fruſtrandos inſequẽtes, publica iumenta quaq; iter ageret, interficeret, tandem ad patrem in Britãniam peruenerit: ijſdẽ ſortè diebus, cùm Conſtantiũ parentem fata ultima perurgerẽt. Patre uerò mortuo, regnum Galliarũ Hiſpaniarumq; & alpiũ ſibi teſtamento relictum, accepit. Et cùm pater antea dum ægrotaret, cœleſti admonitus nũcio, filiũ futurum liberatorem imperij & orbis, Cæſarẽ & ſucceſſorem creaſſet, cũctis qui aderãt anni-
126 tentibus, potiſsimũ tamen Eroco Alemannorũ rege, qui auxilij gratia Cõſtantium comitabatur, imperiũ aſſequutus eſt, et triẽnio ſumma cũ laude Gallias rexit, deditiſsimos habens & obſequioſiſsimos milites: quibus iã agros, uillas, oppida ut neceſſaria ſuppeterẽt, de ueteri more aſsignauit: & quæ ad uictũ emeritorum erant cõtributa, ad hæredes trãſire iuſsit. Interim prętoriani, haud abnuente Senatu, Imperatorẽ fecêre Maxẽtium, filiũ Maximiani Herculei ex Syria Eutropia: quẽ alij muliebri arte ſuppoſitũ ferunt, ut antea ſcripſimus, quò charior eſ-

rior esset marito prolẽ cupienti. Qui mox cum summa ęquitia imperitauit in urbe, ciues libidinibus cædibusq; ad crudelitatẽ uexans, omnibus odiosus. Nam plerosq; claros uiros occidit, bona rapuit, uectigalia noua inuenit, uirgines stuprauit, & castissimis matronis uim intulit, inextinguibilis libidinis, et corradendis pecunijs inexplebilis. Sed crudele illius facinus in pudicã matronã haud est silentio prætereundum. Cùm olim captus esset amore castissimæ fœminæ Sophronię, cuius maritus præfectus urbis erat, misit ad eam ministros libidinum, quos solos aulicos habere cõsueuerat, quibus cum de Repub. cõsultabat, eãq; ad se deduci, quoniam pulcherrima erat, præcepit. illa rem ad maritum detulit. Vir mulieris, metu mortis abduci nõ uetabat uxorẽ: sciebat eñ sibi periculum futurum. Vxor illa castissima ut maritũ uidit perterritum, proditã pudicitiam 127
suspicata, quia Christiana erat, petijt à ministris se ornandi tẽpus, et impetrauit. Ingressa cubiculũ, cùm prostratis genibus orasset, quasi pudicitiã Deo immolatura, pectus mucrone traiecit. Illi cùm torquerentur mora, irrumpũt, & rem uti euenerat, ad principẽ referũt. Quo tamen exẽplo minime est territus alias plures appetere, sed acrius inflãmatus in quascunq;, quæ uel pulchritudine uel diuitijs alias excellerent. Fuit tum Maximianus Herculius, Maxentij pater, circa Massiliã, iubente Constantino, trucidatus: qui primùm filio, deinde genero imperiũ ui ac insidijs conatus est auferre: quod & superius scripsimus. Tum etiã Maxentius gloria efferretur, quòd circa Rauennam Seuerus esset cæsus, qui iussu Galerij aduersus urbem exercitum ductabat. Itaq; per literas sępius à Senatu Populoq; Romano Constantinus uocabatur, ut urbem sæuissimo tyranno liberaret. Accersitus toties literis, Italiam cum parte copiarum petijt, cum Maxentio conflicturus. Is uerò accepto nuncio, Constantini copias Italię fines tenere, exercitum educit: & in foro Iulij crebris prælijs deiectus, coacto exercitu ad mœnia urbis refugit, ijsq; se cõtinuit. Quintus tum agebatur annus imperij Constantini. Maxentius solicitus de belli euentu, magam consuluit (nihil enim unquam sine mulierc ularum aut augurum responsis, superstitiosus Imperator gesserat.) Maga improba prospera omnia pollicet̃, si prius cęsis infantibus placaret aduersa numina. quod summa uanitate cruentus princeps facilè perfecit, secto infante. Cõstantinus itaq; urbi appropinquans, ac multa secum animo uoluens de urbis Romanæ præstantia, quam cruentare ciuium sanguine uerebatur pientissimus princeps (iam enim inceperat religionis Christianæ fautor summum Deum uenerari) anxius belli euentum anhelus suspirabat. elevato itaq; ad sidera uultu, in æthere crucis fulgidum suspexit uexillum, cuius splendore legiones suę irradiabantur, uoxq; clamantis excepta est, ἐν τούτῳ νίκα, In hoc uince. Auspicio fulgidæ crucis lætior factus, & de uictoria iam securus, signum crucis quod in cœlo uiderat, fronti suæ inscribit, et uexillis applicat militaribus. Fertur etiam deinceps semper manibus suis gestasse ex auro crucis simulachrum. Tradunt alij, meridie in cœlo apparuisse ei ex stellis factum simulachrum crucis, quarum imagines has literas formabant: In hac uince. Et noctu in somnum resolutum, eandem uidisse imaginem, alloquutumq; siue à Deo siue ab angelis, ut publico edicto crucis simulachrum iuberet circumferri: id illi portendere certam uictoriam. Mox igitur aduersus hostẽ mouet exercitum, circaq; Miluium pontem castra locabat. Iusserat autem antè, nauibus ad decipulam compositis, Maxentius fluuium sterni, & superpositis pontibus exæquari. Cùm itaq; ei diem ac horam, quando educturus esset exercitum, & manus conserturus, maga præscripsisset, sacris suis peractis omnia magæ consilio egit, plenusq; uana spe, prior ante exercitum suum furibundus è portis prorupit urbis. Immemor præ nimia uecordia fraudis à se fabrefactæ, pontem cum paucis aggressus in profundum mergitur cum equo, nec usquam cadauer eius postea inuentum: quod ad perpetuos credo cruciatus delatum est. Sic unius nefandi capitis cæde seruata est impolluta (quod maximè affectabat) dextera religiosa

ligioſi ac piſſimi principis. Sic Maxentius libidinis & ſæuitiæ ergaſtulum, ſexto ſui imperij anno periit crudeliſſimè, ſed digniſſimè. Scribunt quidam, conantem euadere Maxentium, gurgite fluminis hauſtum, et imis retentum hare
128 nis ac limo, Tyberinum patrem deuoraſſe, & ſtatim euomuiſſe, reciſo capite. Quod uictor ante currum ſpectaculo exhibuit, dum urbē ingrederetur. Superato enim Maxentio, S. P. Q. R. quòd tyrannide liberatus eſſet, marmoreū arcum, triumphis inſignem, inter Palatiū & Celium poſuit: qui hodie quoq; ſed mutilatus conſpicitur, eregionè amphiteatri, cum huiuſmodi inſcriptione:

S. P. Q. R. IMP. CAES. FL. CONSTANTINO AVG. QVI INSTINCTV DIVINITATIS ET ANIMI MAGNITVDINE VNO TEMPORE TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE IVSTIS REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS.

Appellatus eſt deinde liberator urbis, & fundator quietis, exceptusq; eſt in
129 ſigni ac triūphali pōpa. Sed omnia accepta Deo tulit: & imaginib. ſuis, ſemper crucē aſſcribi iuſsit, cuius uigore iugū tyranni fregiſſet, & priſtinā urbi reddidiſſet libertatem, columnamq; ei decretam in crucis effigiē trāsformauit. Sed cur nō ſubdamus Aurelij Prudētij de hac re uerſus, qui libro primo cōtra Symmachum ſcribuntur, cùm ſint oppidò q; elegantes ac rotundi, de potentia crucis:

Hoc ſigno inuictus tranſmiſsis alpibus ultrò
Seruitium ſoluit miſerabile Conſtantinus:
Cùm te peſtifera premeret Maxentius aula,
Lugebas, longo damnatos carcere centum,
Vt ſcis ipſa, patres, aut ſponſus fœdera pactæ
Intercepta gemens, diroq; ſatellite rapta:
Immerſus tenebris dura inter uincla luebat,
Aut ſi nupta thorum regis conſcendere iuſſa
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.
Plena puellarum, patrumq; ergaſtula ſæui
Principis, abducta genitor ſi uirgine muſſans
Triſtius ingemuit, non ille impunè dolorem
Prodidit, aut confeſſa nimis ſuſpiria traxit
Vim libertatis nimiam, patriumq; dolorem.
Teſtis Chriſticolæ ducis aduentantis ad urbem
Miluius, exceptum Tyberina in ſtagna tyrannum
Præcipitans: qua non uictricia uiderit arma
Maieſtate regi, quod ſignum dextera uindex
Prætulerint, quali radiarint ſtemmate pila.
Chriſtus purpureum gemmati textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis:
Ipſe ſenatorum meminit clariſsimus ordo
Qui tunc concreto proceſsit crine, cathenis
Squallens carcereis, aut nexus compede uaſta,
Complexusq; pedes uictoris ad inclyta flendo
Procubuit uexilla iacens: tunc ille Senatus
Militiæ ultricis titulum, Chriſtiq; uerendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.

Eſt autem Labarum, ſignum quod ex auro in formam crucis transformabatur cum precioſis lapillis: quod ſignum bellicū inter alia precioſius erat, quòd Imperatorem præcederet, & à militibus adoraretur penè, de quo Caſsiodorus libro primo Tripartitæ hiſtoriæ, capite quinto, latiſsimè diſputat: quomodo

Conſtan-

Constantinus illud instituerit in formam crucis. Et hinc in Apologetico Tertullianus dixit, Sypara illa uexillorum et labarorum stolę crucium sunt. Vnde & Imperator de dignitatibus agens, xij. libro C. Rubricam ponit de Prępositis Labarum: quos & clarissimos & immunitate dignos, quòd in comitatu imperiali sint, iudicat. Vbi indocti, de Præpositis Labarum perperam interpretantur. Cabalistæ enim in characteribus, figuris, uerbis, & carminibus magnam uim inesse putant. Vnde Plotinus enumerat quatuor quibus insit mirabilis uirtus: scilicet qualitas specierum occulta, figura, & concentus, & uota. Idem Porphyrius & Iamblicus. Vnde Antiochus cognomento Soter, in expeditione contra Galatas per somnium uidit Victoriam sibi polliceri, quasi pro tessera bellica, triplicem triangulum inter se quinqueliniarem cum quibus dã characteribus. Sic Cõstantino Magno in ipsa meridiei hora coram omni exercitu, crux supernè apparuit. Aliqui in somno ipsum uidisse contendunt tali figura: Longam scilicet hastam bracteis aureis amictam, in fastigio cornu habẽtem obliquum in formam crucis distẽtum. In summo uertice cornua desuper nobili figura, quam ῥωχιαζόμενον appellamus, in arctum constricta, quę primordiales Christi characteres ostenderet: transuerso de cornu uelum pendebat aureum, imaginibus sacri regis liberorumq; pectore tenus acu pictum, tali forma:

Sed hæc obiter attigimus: redeundum nunc ad historiam.

Quum autem ut superius scripsimus, Galerius Maximianus sibi Licinium adoptasset, cõtra Maxentium, consortemq; imperij fecisset, quòd eius uirtutem in re militari prius bello Persico contra Narsen expertus esset: huic Licinio Constantinus sororem suam Constantiam uxorem dedit, Mediolanum accito. Tradunt aliqui, Licinium in nuptijs à militibus appellatum Imperatorem, ut Constantino gratificarentur. Alij uerò à Galerio factum Imperatorem scribunt. Fuit autem Licinius oriundus è Dacia, parentibus agricolis: et ab ijs puer nutritus, extrema pueritia militauit: promotusq; tribunus militum bello contra Narsen optimè se gessit, duci postea semper gratus. Sed tamen genus suum ad Philippum Augustum referebat. Ob id in publicis monumẽtis nomen illius adoptauit, dictusq; M. Iulius Licinius Licinianus. Quoniam proauus (ut ipse dicebat) fuit M. Iulius Philippus. Quinimo teste Iulio Capitolino, subuertit in Perside tumulum Gordiani, quòd titulus uidebatur progenitoribus suis iniuriã facere, cùm se uellet uideri à Philippis originem trahere. Erat autem asper admodum, & uicio auaritiæ ac libidinis haud mediocriter deditus, sed militaris disciplinæ acerrimus custos. Literis adeò infestus ob inscitiam, qua uix nomen decreti subscribere posset, ut uenenum & pestem Reipub. nominaret. Oratores uerò & philosophos summo odio & mirificè insectabatur. Spadones uerò & secretiores aulicos, tineas & sorices palatij ingeniosè appellabat. Ab initio igitur Licinius pulchrè cum Constantino consensit: una eademq; sententia legem statuunt, qua Deum Christianorum summis laudibus ubiq; uenerandum colendumq; decernunt. Quam legem etiam Maximiano, qui alijs Maximinus dicitur, ad Orientem (cui is præerat) transmittunt. Qui primùm huic legi obtemperans, Sabinum prefectum iussit simulata humanitate omnes Christianos captos uinculis eximere, libertateq; donare. Sed ubi se, haud sobriè singula animo reuoluens, Augustum contra horum uoluntatem creat, superbia inflatus, se priorem ambobus constituens; à Licinio bello est superatus: quem Constantinus aduersus illum cum exercitu ire iussit, ut eum omni honore spoliaret, atque Imperiali dignitate exueret. Quod & factum est. Nam fusus fugatusq;, & à suis desertus, tandem miserrimè occubuit, cum filijs quos iam socios imperij assumpserat, & propinquis Peucedio, Theotecno ac Quintiano, flagitiorum ministris: quorum opera magicas uanitates in opprobrium Christianorum exercuit. Licinius uerò Imperator uictoria

gloria elatus, superbire iam cœpit, & Constantinum contemnere (ut imperia difficile cum cõcordia custodiuntur) immemor beneficiorum atq; affinitatis. Christianorum Deum cœpit irridere, ad priores reuersus idolorum uanitates. Sed non modò Christianos omnes è palatio atq; exercitu suo abegit, uerumetiam palàm in eos desæuijt, plerisq; clarissimis atq; sanctissimis uiris in uincula coniectis, ac atrocissimè necatis: alijs in exilium relegatis, quorum uxores satellitibus in matrimonium concessit. Ipse cõtra ętatis suę uires adulterijs & stupris oblectabatur: sed auaricia insatiabilis, census nouos exigendo ac tributa, quibus agros cultoribus uacuos reliquit. Iure igitur Constantinus contra Licinium uires Gallicanas & Italicas, non prohibente affinitate, expertus est. Primi congressus fuêre in Pannonia, ubi uictus concessit in Macedoniam: ibiq; reparantem uires, & ingentes copias cogentem, improuisus Constantinus adortus fudit, copias dissipauit, inq; Thraciam fugauit. Nam apud Cibalas iuxta paludem Hiulcam nomine, Constantino nocte castra Licinij irrumpente, Licinius petijt fugam: fugaq; uolucri Byzantium peruenit, ibi Martinianum officiorum magistrum Cæsarem creat. Inuenio Constantinum, dum ad Hadrianopolim contra Licinium pugnaret, duos uidisse equites cædentes legiones hostium: quemadmodum olim uetustas bello Latino de Castore & Polluce fabulata est. Et in agro Byzantino scribunt ipsum uidisse lumen satis coruscans supra castra, cæteris noctu dormientibus, ut olim crucem in æthere conspexerat, cùm Maxentium deijceret. Quibus signis cœlitus sibi dari uictoriam agnouit. Tradit etiã Zonaras, uisum esse tum equitem armatum, crucis simulachrũ pro signo gestantem, qui exercitui præibat. Dehinc Constantinus acie potior apud Bythiniam ablato iam ei Byzãtio ac Chrysopoli, adegit Licinium pacta salute, indumentum regium offerre per uxorem. (nam infidus & inconstans rupit fœdus, & crebrò fortunam tentauit) Terrestribus igitur & naualibus pręlijs uictus, deditionem Nicomediæ fecit. Missusq; est Thessalonicen, ut ibi tanquam deditus & priuatus cum uxore uiueret. Constantia igitur uxor, ad fratrẽ Constantinũ supplex uenit: & primùm pro imperio mariti, tum pro titulo tantum, deuotissimè orauit. Cùm neutrum assequeretur, pro salute mariti precata, animum flexit fratris. Iussus est igitur sine purpura & insignibus ad Constantinum uenire. Interim Imperator ad Senatum retulit, quid de Licinio agendum esset. Senatores rescripserunt, ut id milites decernerent: quod ubi nunciatum est, proficiscentem Serras Liciniũ interfecerunt. Tradunt quidam, quòd dum Licinius Thessalonicæ moraretur, inijsse consiliũ de resumendis armis: & ideò missos interfectores, qui & Martinianum iugularent. Has meritas pœnas luit homo sanguinolentus & uecors, propè septuagenarius, cùm imperasset annis xvi. licet alij sexagesimum tantum attribuant uitæ annum. Habuit autem Licinius uxorem Constantiam, filiam Constãtij Imperatoris ex Theodora. Ex qua genuit Licinium iuniorem, & Aniballianum patrem Dalmatij Cæsaris. Sunt tum religiosissimæ latæ leges, cùm tyranni & Christi hostes perijssent, & Orientales essent Occidentalibus prouincijs iunctæ, paxq; Christicolis in orbe esset concessa. Fuerunt autem tales leges: Græcus sub cruce ne militet: Nemo quarta uel sexta aut Dominica cõdemnetur: Qui blasphemauerint CHRISTO, capite plectantur.

Tunc cœperunt Christiani pręfici gubernationibus orbis, et pręsides Ecclesiæ uenerari ac obseruari.

Nũc uerò ordo exigit, ut dicamus quis ille fuerit MAXIMIANVS Cæsar à Liciniano fusus & fugatus, qui in Oriente seipsum Augustũ fecerit, & Tarsi occisus est, cuius in fine libri noni historię sacrę Eusebius latissimè meminit. Alter uerò Maximianus, quẽ Orienti Galerius pręfecit, ut paulo antè scripsimus, ab alijs Maximinus appellatus, uocat Aurelio Sexto pariter Maximianus Galerius, ex sorore Armẽtarij Galerij progenitus, uero q; nomine ante imperium

Daza

Daza dictus. Cæsar quadriennio dehinc per Orientem, Augustus triēnio fuit: ortu quidem atq; institituto pastorali, cæterùm sapientissimi cuiusque cultor, amator literatorum, ingenio quieto, sed uini auidior: unde nōnunquam ebrius, quędam corrupta mente iubebat asperius: deinceps in sobrium tempus ac matutinum cætera distulit, ignorans se quæ antea iusserat, præcepisse. In Oriente 131
contra Christianos in summa truculētia desęuijt, licet priusquam se Augustum ui & arrogantia inflatus aduersus Constantinum & Licinium extolleret, simulata humanitate, Christianis parceret. Sed cùm aduersus Licinijū res nouas in Oriente moliretur, rupto fœdere oppressus est. Nam et exercitus eius ferro cōcidit: & qui superfuerant, eo relicto, alijs se dediderunt. Ipse abiectis imperij insignibus, fugitiuus se turbis colonorum immiscens, in agris latuit: & ne uiuus caperetur, se strangulauit Tarsi. Imperauit annis septē. Si igitur colligātur quos iā scripsimus, Cæs. & Imperatores, qui Maximiani dicebanť, tres inueniemus. Primus, collega Diocletiani Maximianus, cognomento Herculius: alter collega Constantij Maximianus Galerius, cognomine Armētarius: tertius collega Seueri Maximainus Galerius Daza. Sed posteriores duo sæpius ab autoribus Maximini appellantur, à quibusdam etiam Maximi, ut à Cassiodoro: qui in lib. Coss. ut superius annotauimus; Constantij collegam semper appellat Maximum. Sed marmora in thermis Diocletiani reperta temporibus Pōponij Lęti, qui se ea uidisse scribit, indicāt, Seueri collegā esse Maximinum appellatum: fuit enim ita ibi scriptum:

CONSTANTINVS ET MAXIMIANVS INVICTI
AVG. SEVERVS ET MAXIMI-
NVS CAES.

Eusebius præterea Cæsariensis in ultimis duobus Ecclesiasticæ historię libris, Galerium Maximinum appellat, si non est scriptoris erratum, aut librarij, quod uereor. Confusè enim de Maximinis, licet latè, historiam contexuit, adeò ut nisi in libro temporum scriberet Maximianum & Seuerum à Galerio Maximiniano Cęsares factos, quod & Eutropius & Orosius affirmant, dubitari posset dē tertio, de quo tamen pòst paulo subiungit. Maximianus prosequutione in Christianos facta, cùm iam à Licinio puniendus esset, apud Tharsum moritur, anno imperij sui sexto. Quod nimirum de tertio est intelligendum, cùm secundus anno uigesimo imperij sui mortuus tradatur, & primus Maximianus Herculeus Massiliæ fugiens interierit, ut superius annotauimus. Si quis meliora ijs inueniet, non grauetur quęso apponere: quæ potuimus, pro uirili in medium afferre annixi sumus.

Sed ad Constantinum redeamus. Qui tamen ante Licinij cędem Cæsares tres fecit, cùm ille priuatus uiueret: *CRISPVM*, ex Mineruina concubina susceptum: & *CONSTANTINVM*, ex Fausta cōiuge iisdē diebus oppido Arelaten si natū: & *LICINIVM* iuniorem, sororis & Licinij filium, mensium ferè xx. Iam itaq; Constantinus Italiam, Aphricam, & post Licinij bellum ciuile, Orientem possidebat, omnēq; orbem gubernabat, Maximus cognomento dictus, ut Nazarius suo Panegyrico luculenter edisserit: ab alijs Magnus. tum aliæ quoque adiectæ appellationes, restitutor generis humani, propagator imperij ditionisq; Romanę & fundator æternæ securitatis, atque conseruator. Sed ut fit, ex nimia felicitate insolentior factus, obtento totius Ro. imperij regimine, nimium appetens gloriæ & auidus laudis fuit: libertatis Augustorum immemor, cœpit esse parcus & nimis tenax. unde prouerbio uulgari, referēte Aurelio, dictus Trachala. x. annos prestantissimus, xij. sequentibus latro, decem nouissimis pupillus, ob profusiones immodicas. Ipse Traianum Cęsarem herbam parietariam, ob titulos multos ędibus inscriptos, appellare solitus est. Multis insuper prelijs uicit Sarmatas & Gothos, Thraciam diripientes, & omnem ferè Scythicam gentem: quibus & pacē dedit, & ob id etiam ei deditissimę fuerunt

runt omnes Barbaræ nationes. Cùm itaq; ex omnibus bellis uictoriam reportaret, ſemper proſpera uſus fortuna, ſui ipſius immemor, quemadmodum optimis principibus fuit æquandus ab initio, ita ultimo imperij tempore medijs eſt conferendus. Nam ex priſtino clementiæ fauore, immutatus eſt cæde ſuorum ac plurium nobilium, cùm in ſuos gladium conuertit. Egregiũ enim iuuenem, optimè indolis ſororis filium, mox uxorem, tum innumeros amicos contra ius æquitatis & ſacramentum occidit. Poſt quinquennalia quę Nicomediæ, & deinde data ſunt Romę, animo ſecurus, ablegatis curis, ſtatuit urbem ſui nominis ædificare. Et primùm in Aſia Sardico agro, pòſt ad Sigæum Troadis, ubi fundamenta iecit. Tertiò tranſtulit opus Chalcedonem, ubi muri erecti erant, ſed 10
132 aquilæ funiculos regulares ter quaterq; architectis rapuêre, & tranſmiſſo mari abiecerunt Byzantium. Periti augurandi illò transferri urbem iubent. Quod & Imperator fecit, ductis ritè foſsis, urbem in medio ſpacio condidêre architecti. Conditam urbem Imperator Mariæ uirgini conſecrauit, dedicauitq;. Fuit itaque antiquum Byzantium, quod à Pertinace & Galieno penè euerſum fuerat, ita reſtauratum, & ab Imperatoris nomine Conſtantinopolis appellatum: firmiſsimè munitum, & multis monimentis exornatum, quę ex omni orbe in eius dedicationem aduecta ſunt, adeò ut diuus Hieronymus eleganter ſcribat omnes penè urbes nudaſſe Cõſtantinum, ut Nean Romam, hoc eſt, nouam ſuam Romam (ſic enim appellabat) exornaret: quemadmodum in foro Traiani exornando, ueteres principes laborarunt. Ex arce enim quæ fuerat Ilij, tranſtulit Palladium. Ex Troade æneam ſtatuam Apollinis, mirandæ magnitudinis. Ex Roma cochlidem columnam Porphyreticam, quam uarijs ſignis circũdatam in foro lapidibus ſtrato locari iuſsit. Sed nec diu hæc ornamenta conſtitêre, propter frequentes terræmotus, & Barbarorum irruptiones. Scribit Aurel. Sext. etiam hunc pontem in Danubio conſtruxiſſe. Vir omnino commodus multis rebus agendis: calumnias ſedare legibus ſeueriſsimis, nutrire artes bonas, præcipuè ſtudia literarum: legere ipſe, ſcribere, meditari, audire legationes & querimonias prouinciarũ. Et cùm Porphyrius inſigne uolumẽ Con-
133 ſtãtino miſiſſet, exilio eſt liberatus. Si quos priuatus dilexit, opib. honeſtauit, non dignitate prętoria aut conſulari, ut principes priores fecerunt. Cùm aũtarmorum eſſet & eloquentię ſimul ac philoſophię ſtudioſus, & in diſſerendo accuratus, dicere ſolebat, pro utilitate Reip. Imperatorem non debere labores recuſare: & partem corporis recidendã, ſi remedium non admitteret: ſin cõtra, fouendã. Quo uerbo notabat malos homines, qui emendari nequeunt. Cùm exili belli dati eſſent de erroribus quorũdã epiſcoporum, igni impoſuit, ne illos iudicaret, quos ueneratione digniſsimos cenſebat, & ſumma autoritate colebat. Et mirum, cùm Chriſtianę religioni deditiſsimus eſſet (ob quam etiã fertur fuiſſe fœlix & fortunatus in rebus gerendis) quòd lauacrũ baptiſmatis in extremũ uitę tempus diſtulerit: fortè quòd iturus cõtra Perſas, uolebat in Iordane baptizari, Chriſtum imitaturus. Itaq; in extremo uitę ab Euſebio pręſule Nicomedienſi, qui ſectę Arrianæ ſe poſtea addixit, baptiſma ſuſcepit. Senex enim Perſis Meſopotamiam diripientibus, bellum indixit, paratas q; ad hoc opus copias eduxit, claſſeq; tranſuexit. Ipſe Sotiropolim urbem petijt, quę Pythia antea uocata eſt, ut aquis calidis ſenile corpus foueret, uiribus pro ætate conſeruandis. Priuſquam ſe ablueret, medici pharmacon dedêre: miniſtri corrupti precio ab affinibus, nocua immiſcuêre. Ille intrepidus poculum ebibit, pòſt paulo incidit in morbum, quo ingraueſcente ductus eſt in uillam publicam prope Nicomediam. Interea Conſtantinus iunior, qui copias omnes Antiochiæ cogebat cõtra Parthos, cùm patris aduerſam accepiſſet ualetudinem, Nicomediam aduolauit, ut pater diligentius curaretur. Medicorum fomenta nihil profuêre: intrinſecus abſumente ueneno mortuus eſt, & Conſtantinopolim regale funus perductum, comitante filio Conſtantino, & cum genitrice Helena religioſiſsima

sissima fœmina sepultus est, quæ octogenaria diē obijt, cui in templo xij Apostolorum sepulchrū tum sibi posterisq; suis extruxit Constantinopoli, cùm uixisset annos lxvi. ac imperasset xxxij annos, minus mensibus duobus: relictis filijs tribus, Constantino, Constantio, Constante. Duas autem fertur habuisse uxores. Ex priore, quæ fuit ab eo dilecta, natus dicitur Crispus: quem Sext. Aurel. ut paulo antè narrauimus, ex Mineruina scribit cōcubina progenitum, quem interfecit. Dicunt enim Faustam, priuignum Crispum, quia eum deperibat, ad libidinem sæpius tentasse, & renuentē detulisse apud maritum, illum uoluisse uim inferre, & uirum prębuisse fidē delationi, iussisseq; interfici. Cæsusq; est in oppido Histriæ Polæ. Post aliquot annos cōperta causa, occidisse uxorē. Alij aliter tradunt. Insidijs Faustæ circumuentum Crispum occubuisse, ne peritia in militando filijs obesset: & propterea pòst paulo sublatus est Licinius iunior. Non caruit suspicione ex eo quod factum est Constātinus, quòd aliquot quos nouerat cędis illorum misereri, perdidit. Faustam fertur in balneas ardentes cōiectam interemisse, cùm eum mater Helena ardore nimio nepotis increparet. Et hęc fuit altera eius uxor Fausta, Maximiani Herculij Imperatoris filia, quæ patris insidias, conantis Constantinum imperio deijcere, marito detexit, ut antè paulo memorauimus, & patri maritū prætulit. Extat pulcherrimus Panegyricus & elegantissimus, dictus à nescio quo oratore, Maximiano & Constantino in his nuptijs, qui cum alijs Panegyricis Imperatorū impressus circunfertur, quem omnino censeo studiosis historiarū esse legendum. huius initium sic incipit: Dixerint licet plurimi, etc. Ex hac Fausta cōiuge Constantinus quinque liberos procreauit: Constantinum II, Constantium, Constantem, quos imperij hæredes reliquit: Helenā filiam, quę Iuliano: & Constantiā, quę Gallo nupsere. Cùm aūt hos tres filios, multo antè q; moreretur Cęsares appellasset, singulosq; denis annis imperij participes fecisset, hoc modo, ut primus sui nominis Constantinus Hesperiarū partium ageret principatū decennali suo: alterū, qui nomē aui habuit Constantiū in uicennalibus suis Orientē gubernare cōstituit. Iuniorem uerò Constantem, ut tricennalibus imperaret: cùm iam languore se grauatū sentiret, testamento hęredes reliquit. Quibus et Dalmatium Annballiani fratris extincti filium, adiunxit, Cęsarēq; fecit: quòd iam pœniteret crudelitatis quā in affines perpetrasset. Sed hic Dalmatius anno imperij tertio factione Constantij in Oriente à militibus occisus est, ut inferius dicemus. Nicephorus in Græca laudatione Constantini docet, dierū nomina, quæ à planetis septē cognominabantur, in hęc quæ nunc à Christianis usurpātur, autore Christiano principe, esse mutata. Cęterùm de eius donatione satis eleganter Laur. Valla, & ex fide conscripsit, quū apud nullos alios auctores illius fiat mētio, nisi quę scribuntur in Decretis, ut & in Coss. nostris annotauimus. Libellus aūt de elephantia, deq; sanguine puerorū, & Syluestri baptismate, tanquā apocryphus omnino est reijciendus, cùm plenissimus sit uanitatibus et mēdacijs. Eusebius aliquot libros scripsit de uita Cōstantini (nam tertiū eius operis librum citat autor Tripartitę historię) hos si uidere nobis contigisset, & pleraq; alia annotassemus. Paucula tamen illa ex Eutropio, Orosio, Aurelio, Ruffino, Turratio, excerpsimus. Pomponius item Lętus disertissimè de illo haud parū multa conscripsit. Qui plura quę sub Constantino gesta sunt scire uolet, etiam Tripartitam historiam nō aspernetur, licet corruptissima sit, & ineptissimè tralata. Panegyricos quoq; Constantino dictos relegat, ubi pleraq; etiā notatu digna inueniet. Sed omniū copiosissimè de Constantino Magno scripsit Ioannes Monachus Gręcus in sua historia, qui de Iudęis & boue mira quędā narrat. Et nuper meus ille cordatus Ioannes Capnion Phorcēsis, illustris Sueuus, trilinguis, eruditissimus et integerrimus, ex quodā incerto Gręco autore uertit uitā Constantini Magni perquàm eleganter & feliciter, quæ impressa circumfertur studiosis omnibus perlegenda. Nunc uerò tetrasticho claudere statuimus tali:

Quattuor

Quatuor hinc iterum discordi mente gubernant,
Tres quorum lacerant undiq; Christicolas.
Hos Constantinus reparat uisa cruce cœlo,
Et libertatem reddidit Ecclesiæ.

CONSTANTINVS, ET FRATRES.

CVM mortuo Constantino Maximo, Imperium ad tres filios, & Dalmatium, Anniballiani fratris filium, testamento uenisset, plures undiq; diuersis in locis surrexerunt tyranni, fratres discordes lacessentes: de quibus singulis, ne confusio suboriatur, si indiscriminatim eos enarremus, ordine censeo scribendum: ac primũ de Augustis fratribus, quomodo inter se partiti sint imperium. Dalmatius in Oriente imperauit, in omni actione patruo quàm patri similior: unde & uirtus illi obfuit. Nam uix tertium imperij adimpleuit annum, cum factione Constantij patruelis est interfectus seditione militari, Con
134. stantio dissimulante: & ita ad tres, orbis Romani dominatio redacta est. Quoniam testamento orbem hæreditarium susceperunt: & hinc sorte ita diuiserũt, ut Constantinus cuncta trans alpes regenda haberet, hoc est Gallias, Hispanias, Alpes Cottias, Britannias, Orcades, Iberniam, & Thylẽ: Constans uerò teneret Italiam & Africam cum insulis, Illyricum, Dalmatiam, Macedoniam & Achaiam: Constantio cederet Thracia, cuius caput Constantinopolis, & quicquid à freto Propontidis Asiam uersus in Orientem protenditur. Occupabat interim Anniballianus, Dalmatij Cæsaris consanguineus, Armeniam, nationesq; circumpositas. Constantinus, qui Gallijs præfuerat, hac orbis diuisione non contẽtus, ob Italiæ Africæq; ius dissentire cum Constante cepit, legatosq; ad fratres misit, ut noua fieret diuisio. Cùm autẽ minimè proficeret longis querimonijs, tandem rem armis exequi statuit, fisus opibus Gallicanis, & equitibus Hispanis, Alpinoq; peditatu. His enim omnibus, ut diximus, præerat. Bellum igitur ciuile contra ius & fas fratri mouit, primas quasque ab initio inuadẽs regiones. Aberat tunc Constans in Dacia, gerens bellum contra Getas et Sarmatas: quod Constantinus non ignorauit, cupiens absenti fratri regiones depopulari. Et iam ad Aquileiam peruenerat, ubi missos à fratre milites obuiam, ut conatum repellerent, primùm excepit: paucitatemq; aspernatus, cum illis longè uiribus præstaret, rem bello tentandam iubet. Et quia per summum nephas arma ceperat, ac incautius fœdeq; temulentus congreditur, dum in alienа irruit, in insidias præcipitatur, à militibus circunuentus in medio cæditur. equus principis ictus uulnere, sessorem Constãtinum deijcit. Cùm iaceret humi sine purpura incognitus, multis ictibus confossus est, obtruncatusq;, ac proiectus in fluuium, cui nomen Alsa est, haud longè ab Aquileia. Sic Constantinus perijt, cùm in Gallia & toto Occidente nondum triennio finito, imperasset: anno ætatis xxv. Constantino occiso, Resp. ad duos Augustos redacta est. Constãs post fratris cædem mox Galliam intrat, magno conatu Alpibus superatis. Fuit eius imperium aliquandiu strenuum & iustum, præfuitq; Gallijs ut bonus rector. Mox immutatus, cum & amicis prauioribus uteretur, & ualetudine improspera laboraret: nam in delicias prolapsus, pedibus manibusq; articulorum dolore uexabatur, quę ęgritudines hominem reddebant difficilem, morosum, austerum, & tam prouincialibus grauem, quàm militibus illiberalẽ. Ob quas res cõiuratio in eum facta est, factione Magnentij, qua incautus, fessus in uenatione interfectus est: quem ipse Constans olim in Illyrijs, tumultu militari exorto, obiecto paludamento texit ac seruauit. Est autem cęsus Constans hoc modo: Quum quæreret tædia articularis morbi quouis modo mitigare, ubicunq; esset, uenatibus operam dabat, magnaq; uenandi cupidine per syluas saltusq;

tusq; errabat, cum formosis iuuenibus ludebat, cùm interim in eius necẽ conspirarẽt aliquot militares, adiutoribus Crescio & Marcellino, simulq; Magnentio. Qui ubi patrandi negotij dies placuit, Marcellinus natalem filij simulans, plerosq; ad cœnam rogat. Itaq; in multam noctẽ conuiuio celebrato, Magnentius quasi ad uentris secreta secedens, cubiculum ingressus, statimq; egressus est, indutus purpura, multis satellitibus cinctus: qui conscij non erant, coacti sunt assentiri, cùm uenerabilem habitum intuerentur. Abijt dehinc cum omni turba in prætorium, & donatiuum dedit, positis custodibus ne quis rem aperiret aut referret. Ea re cognita, Constans fugere conatus, apud Helenam oppidum Pyreneo proximum, à Gaisone cum lectissimis percussoribus missio, interficitur, anno decimotertio imperij. nam Cæsar triennio fuerat, cùm uixisset annis circiter triginta. Aliqui uenatione fessum & quiescentem in tentorio occisum tradunt, nihil tale cogitantem. Alij uigilem scribunt cognouisse parricidas, & abijsse in propinquum templum, & insignia imperij deposuisse, & ab altaribus tractum cæsum fuisse. Milites coniurati post cædem Constantis, Magnentium imperatorem salutant. Quæ cùm Romam essent nunciata, Nepotianum, Eutrophiæ sororis Constantini Augusti filium, gladiatores cingebant, & imperatorem cum populo faciebant. is hortãtibus perditis, Augusti nomen rapit. Heraclides senator, fautor Magnentianæ factionis, populum decepit, factaq; proditione, simulãs uelle cum eo loqui, obtruncat: caput pilo fixum, per urbis itinera deportatum est: grauissimæ proscriptiones & nobilium cædes sequutæ, imperauit dies duodetriginta. Erat autem Magnentius obscuris ortus parẽtibus, qui Galliam habitabat, Comes duorum ordinum apud Augustam Germaniç urbem, à Constante enutritus, magnoq; dilectus amore, & quondã ab eo defensus, dolo imperator factus, ut diximus. Vir legẽdi studio prõptus, sermone acer, animi tumidi, & immodicè timidus: artifex tamen ad occultandam audaciæ specie formidinem. Post mortem igitur Constantis Magnentius nomine Constantis & illius signo, literas ad eos quos formidabat scripsit, ut uenirent, siue cohortibus, siue urbibus præessent: quos in itinere occidi iussit incautos, ne superessent qui motum facerent. tantum factione ualebat. Interim ingenti agmine Italiam petit: & Mediolani diu immoratus, fratrem suum Decentium Cæsarem fecit: misitq; cum exercitu trans alpes, ut Gallias tueretur. Nam Constantius iam contra Persas in Oriente aduersam fortunam experiebatur. Vetrannio (qui & Britannion ab alijs dicitur) eodem tempore magister militum, imperium in Pannonia apud Mursiam corripuit. Illyriciani enim exercitus, grandeuum hunc & cunctis amabilem, diuturnitate & fœlicitate militiæ ad tuendum Illyricum crearunt principem, uirum simplicem & probum, iucundæ ciuilitatis: sed omnium liberalium artium adeò expertem, ut prima literarum elementa decrepitus iam imperator uix disceret. Cùm iam Magnentius ad Constantium legatos cum literis mitteret, uti Orientis regionibus & Thracijs contentus esset, nihil responsi accepit. Nam Constantius fratris cædem ulturus, Gallum patruelem, de quo paulo pòst, Cæsarem facit, & Orienti præfecit. ipse Hesperios petijt. Præmittit tamen ad Magnentium, ne Roma ciuili bello iterum uexaretur, Gallias concedens, si arma deponat. Magnentius sperans uincere, non paruit, à maga firmatus, quæ uictoriam promisit carminibus & sacris profanis, si uirginem iugularet, & cruorem uino misceret, ac militibus potandum præberet: quod Barbari immanes facere solent, cùm aliquid secretius agũt. Ergo ambo magnis copiarum uiribus ad pugnam sese apud Mursam accingunt, & manus conserunt. Vicit Constantius dimicans magna strage, & hostium & suorum. Haud enim unquam tantæ sunt Romanæ ullo bello uires attritæ. Cesa fuêre supra quinquagintaquatuor millia pugnatorum, qui numerus cum robore ad quæuis externa bella satis fuisset: uerùm hostes ad multam partem noctis cæsi. Magnentius dimisso equo & insignibus, in habitu equitis au-

fugit, suo equo relicto ut sessor putaretur mortuus. Victor Constantius altera die conscenso tumulo, unde latè planicies tota conspici poterat, cùm repletam cadaueribus conspexisset, ingemuit: cæsos omnes sepeliri iussit, uulneratos uerò curari & conseruari. Tradunt historici exercitum Magnentij ex xxx. millibus, Constantij Augusti ex lxx. millibus fortissimorum fuisse: ac perijsse illinc xxiiij. hinc propè xxx. millia. Cùm Magnentius in Italiam se recepisset, apud
135 Ticinum plures fudit incautius, & ut in uictoria solet audacius prosequentes. Cupidus rursus dimicationis tentare euentũ, profligati exercitus reliquias collegit, & nouo milite suppleuit. Misit tamen è senatoribus grandẽ natu ad Constantium, uelle prioribus iussis obtemperare, omnibusq; cedere terris, si Galliæ tantum concedantur. sed Cõstantius legatum reiecit, speculatorẽ uenisse hunc ratus. Misit iterum episcopos, qui tantum ducis quærebant titulum, nullam petentes prouinciam: quibus etiam nihil respõsum est. Hoc intelligentes milites qui sub Magnẽtio militabant, ad uictorem abierunt. Qua re territus tyrannus, nouas artes comminiscitur. Parricidam multis pollicitationibus Antiochiam mittit, ut Gallum Cæsarem in Oriente confodiat: qua re patrata, cogatur Constantius propter Persas, relictis Hesperiæ rebus, Orientem petere. Sed res prodita per uetulã: in cuius domo parricida, ubi in cœna liberius bibisset, rem quibusdam communicauerat: & hæc Gallo singula retulit. Vnde comprehensi omnes, quęstionibusq; confessi, supremo sunt affecti supplicio. Magnentius intelligens sibi fore dimicandum, quòd irritum hoc cesserat consilium, ex copijs Gallicanis exercitum reparat: sed uictus Lugdunum aufugit. Victori ut comites gratularentur, consilium ineunt tyrannum capere, & Augusto tradere. Ille uerò sentiens se custodiri, deesseq; locum fugæ, furorem simulat: fratri Desiderio uulnera infert, non tamen letalia, tum quosdam amicos interficit. Pòst coangustatus, gladio occultè prouiso, ictum pulsi parietis iuuans transfosso latere (ut erat uasti corporis) uulnere, naribus, atq; ore cruorem effundens, expirauit: mense imperij quadragesimo secũdo, anno ætatis quadragesimo. Eius morte audita, Decentius qui Gallias tuebatur sibi metuens, laqueo fasciæ ad collũ posito, apud Senonas uitã finiuit. Alter uerò frater Desiderius accessit ad Constantium, à quo liberaliter acceptus est. Geruntium Magnentianæ factionis co-
136 mitem, exilio uictor mulctauit, dum esset in Gallia. Britannion, quem & Vetrannionem diximus, apud Mursam ab exercitu Imperator appellatus, posita purpura & ueste indutus Gallica, Constantium adijt, & obuius uenienti factus est in Thracia, obuolutus pedibus ueniam petijt & impetrauit. Imperator senem ducem amplexus, patrem eum uocauit, & cœnæ adhibuit: à quo multa
137 de Magnentio ingrato homine intellexit, tum regno exuit. Sed grandæuo uiro non modò uitam, sed uoluptarium etiam ocium concessit. Iussit enim abire Prusiada Bythiniæ caput: & propinqua oppida, uoluit ut ad uictum senis contribuerent. qui plures ministros secum ducens, illic magna quiete uixit. Anno pòst sexto decessit, homo propè ad stulticiã simplicissimus. Siluanus uerò Bonisij filius in Gallia natus, qui bello Liciniano clarus sub Cõstantino Maximo, tribunus sub Magnentio fuit, pòst defecit ad Cõstantium: à quo missus in Galliam est. Imperator uerò qui calũnijs aures præbebat, successus eius suspectos habuit: quærebat igitur insidijs circumuenire. Syluanus hac re intellecta, militibus pro concione id est questus, & mox Cæsar appellatus. Vrsicinũ itaq; mittit pro sedãdo motu: à quo corrupti pecunia tribuni Syluani, Agrippinæ quodam tumultu Syluanũ occidunt, die imperij xxviij. licet aliqui duobus regnasse hunc mensibus tradãt. Hominem ingenio blandissimum: & quanquam barbaro patre genitus esset, institutione tamẽ Romana satis cultum & patientem. Cõstantius intellecta huius cæde, tanto gaudio exultauit, ut ferè insanus haberetur. Interea Gallus in Oriente regnabat, de quo nunc scribendũ ordo exigit. Fuit Gallus filius Cõstantij fratris Magni Constantini ex Theodora, & Gallæ

quæ

quę ſoror fuit Ruffini & Cerealis uirorum conſularium, progenitus apud Tuſcos in Maſſa Veternenſi, & ſatis liberaliter educatus: ſed ferinos mores educatio tollere non potuit. Vir natura ferox, & ad tyrannidē pronior, ſi ſuo iure imperare licuiſſet: quanquã coniuge ſua plus inflãmabatur ad crudeliſsima quęq; facinora, ueluti Megæra inſtructus ac inflammatus, quæ humani cruoris erat admodum auida. Iulianus, qui poſt Conſtantiũ regnauit, frater illius fuit. Vxor uerò Conſtantia, Cõſtantij Auguſti ſoror: unde & ſupra modũ turgida, & qua ſtimulãte omne genus ſęuiędi expertus eſt. Quã etiam Cõſtantinus Magnus, narrante Marcellino Anniballiano, regi fratris filio prius iunxerat. Et cùm in 138
Antiochia ad tuędum Orientē Cæſar relictus eſſet à Cõſtantio, cùm iam Cęſarem feciſſet, & illi nomen ſuũ indidiſſet, ut Conſtantius Gallus uocaret, noctu cum ſatellitibus incognitus per lupanaria & tabernas (ut olim Galienus) curſitabat, ſciſcitabundus ſub uoce Græca & alterata, quid de Cæſare ſentirent: malè de ipſo loquutos trucidabat, reperto aliquo figmento. Præmiſit aliquos Imperator qui hominē corrigerent, quos & ille iugulauit: Domitianum præfectũ præt. qui Marcellino Excomes & largitionum Præfectus dicitur, & Montium Afrum ſenem quæſtorem, qui eius facinora improbabant, ſecretius mandata Imperatoris exponentes. Quibus indignatus Gallus, iuſsit per forum tractos funibus, & fractis artubus ac uerberatos, in fluuium proijci. Hęc intelligens Imperator, miſit milites qui Gallum adducerent. Sed is Conſtantiam uxorem ad fratrem placandum præmittit, quæ in itinere deceſsit in Bythinia, in ſtatione quæ Cenos Gallicanos dicitur, repentina febre conſumpta. Conſtantius ſororis morte audita, Gallum dignitate priuat, exilio damnat: & ut ſecurius degat, Seruianum reum maieſtatis paulo antè abſolutum, & Peutadium notarium & Apodemium percuſſores mittit, ut ipſum obtruncent: qui uti noxio, manus poſt terga reuincto, in foro ceruicem abſcindũt. Sed mox pœnituit Imperatorem, miſsis citiſsimis qui prohiberēt: ſed ij retenti ſunt ab Euſebio eunucho cubiculario Imperatoris, cuius conſilio ferè omnia princeps agebat. ſed & Melobaudes armaturarum tribunus, id ſuaſiſſe fertur. Et Barbatio comes excepiſſe ipſum circa Petobionem Noricorum oppidum traditur à Marcellino, et ad Hiſtriam duxiſſe, ac prope Polam interemiſſe: ubi quondam peremptum Conſtantini Magni filium Criſpum accepimus. Sic meritas pœnas dedit ſceleratiſſimus Gallus, cùm uixiſſet undetriginta annos, quarto imperij ſui anno. uir forma conſpicuus, pulchra membrorum compage, flauo capillo, molli barba. In quo autoritas emineret, tantum à temperatis Iuliani fratris moribus differens, quantum Domitianus à fratris Titi. Conſtantiæ uxoris corpus delatum ad urbem, & in ſuburbano uiæ Nomentanę poſt primum lapidem ſepulchro maiorum illatum eſt: quod nunc iuxta templum Agnetis, etiam à Conſtantino Magno extructum cernitur, ubi etiam Helena ſoror eius, uxor Iuliani Imperatoris condita fuit. Hoc ſepulchrum Paulus pontifex in Vaticanum tranſtulit, quod conſtat lapide Porphyrite, quo ſe condi uolebat: ſed morte præuentus, in antiquum locum relatum eſt. Extincto Gallo, rerum ſumma eſt ad unum deuoluta Conſtantium, qui in Oriente aduerſa fortuna cum hoſtibus congrediebatur (hoſtis enim ſemper ſuperior fuit) anno imperij eius undecimo. Perſica pal 139
ma prærepta ſemel eſt temeritate militum ad Singaram: nam octies cum hoſte cõgreſſus eſt. Et in hoc prælio cùm uictoria pro eo ſtaret, ad hoſtes trāſijt, non ſine graui uulnere. Amiſſa eſt Singara, & Bizabda, et Amida. Cùm primùm fratris cædem accepiſſet, dubius agebatur, permaneret ne contra acerrimos Perſas, an ad uindicandam Europam remearet. Sapores Armenias uexabat: iamq; Niſibin obſedit, cupiens alueum fluuij qui urbem præterlabitur, aliò ductis foſſis deducere. Occluſit meatum fluminis, & impetu emiſit, ut mœnium partem ſubuerteret. Sed Niſibenſes irritum regis fecêre conatum, obſtruendo citiſſimè tabulis, trabibus, terra. Vnde re infecta mœſtus rex ab obſidione diſceſsit,

uiginti milibus hominum perditis: coactus etiam regnũ ſuum tueri, quod iam Maſſagetæ in eius abſentia inuaſerant. Conſtantius ſubſidiarios milites miſit, Niſibis mœnia firmauit, inducias cum Sapore fecit. Illud factum eſſe hiſtorici tradunt, cùm Gallum patruelem (cui Conſtantiam ſororem copulauerat matrimonio) cum copijs præficeret Orienti, & Cæſarem creaſſet. Nam tum ipſe, ut paulo antè ſcripſimus, in Europa tyrannos undique opprimens, pacem ubique fecit. Ciuilibus ergo bellis ſedatis, & theatrales & Circenſes ludos ambitioſo apparatu (nam hyemem hic egit) Arelate dedit, die quo primum imperium ſumpſerat. Dehinc in Italiam intrauit, & Mediolani Iulianum patruelem, Galli fratrem, Gallijs præfecit cum paucis militibus: Cæſarem fecit, adoptauitq́, ſororemq́ Helenam uxorem dedit, & ipſum uerſus Taurinos deduxit, ne periclitaretur cum exiguo ſupplemento. Nam Euſebius qui præfectus erat cubiculo Auguſti, quærebat perdere totum genus Conſtantini. Barbarorum autem incurſus qui Gallias undique depopulabantur, hoc coegerũt Conſtantium facere. Ipſe urbem intrans comite Ormiſda regis Perſarum filio, nobilitatem urbis cum maieſtate eſt admiratus. tam nobilitatem quàm uulgus benignè audiuit: ueriſsimum fuiſſe dicens Cineæ teſtimonium, qui apud Pyrrhum affirmauit, Romæ non ciues ſe uidiſſe, ſed reges. Deriſus tamen, cùm triumphales arcus aureo ſuo curru transgreſſus, more anſeris ceruicem inclinaret, cùm eſſet alioqui ſtatura puſilla. & quum nimium ſe efferret Conſtantius, hunc titulum ſibi uſurpauit: Domitianum credo ſuperare annixus, qui ſe dominum et deum ſcripſit, is ſe totius orbis dominum appellauit. At cùm Ormiſdæ qui ponè ſequebatur dixiſſet, ſe equeſtrem locaturum ſtatuam, quę Traiani & aliorum omnes ſuperaret (nam Tarpeij Iouis delubra, Pantheum, Pompeij theatrum, Traiani forum, & urbis ſingula ædificia admiratione digna attonitus ſpectabat) facetiſsimè Ormiſda reſpõdiſſe fertur: Prius oportere ſtabulum fieri molis equi capax, ſi uellet opus hoc procedere: quo ſcommate læſus Imperator conticuit. Sed iterum interrogatus Ormiſda, Ecquid de Roma ſentiret? Id tantum ſibi placuiſſe aiebat, quòd didiciſſet ibi quoque homines mori. Triginta itaque diebus puriore ocio fruebatur in urbe Auguſtus. Sed cùm à Sarmatis populari Mœſiam & Pannoniam intelligeret, quarto Cal. Iun. ab urbe profectus per Tridentum, iter in Illyricum feſtinauit. Quãta autem pompa urbem ingreſſus ſit, latiſsimè Marcellinus in decimoſexto deſcribit. Cùm bellis itaq́ ciuilibus (quibus admodum fortunatus erat, ut in Perſicis ſemper infelix) finem impoſuiſſet, redeunti ad Oriẽtem legati Saporis occurrunt ad Sirmium, petentes reſtitui Meſopotamiam & Armenias, ſi pacem uellet: utrumque & pacem & regiones pernegauit Conſtantius, literis ad Saporem ſcriptis: quibus commotus, bellum mouit Sapores. Et cùm fruſtra Niſibin obſidione uexaret, ab ea repulſus, Amida potitus, quæ non ſatis firmo tenebatur præſidio, ſolo eam æquauit. Ob id cenſuit Conſtantius patruelem Iulianum, quem adoptauerat & Cæſarem fecerat, conſortem imperij accerſiri. Qua tempeſtate iam literę uenerant ad Conſtantium in Cappadociam, quibus ſignificauit Iulianus ſe inuitum ab exercitu appellatum Imperatorem: rogabatq́ ut ęquo animo ad communionem imperij ipſum admitteret. Quibus lectis, ultra ſolitum excanduit, nihil reſcribens: ſed contra Perſas expeditionem edixit, pro qua Orientem petierat, licet contra Iulianum copias uertere mallet. Tum legatos cum Leona quæſtore ad Iulianum miſit, ac literas, quibus admonebat iuuenem, ut Cæſaris nomine contentus, Auguſti maieſtatem poneret. Dedit & mandatum Leonæ, ut obijceret beneficia Imperatoris, ceu homini ingrato. Leonas Pariſijs exceptus honorificè, quum multitudini Imperatoris propalaret mandatum, omnis turba Iulianum Imperatorem Auguſtum acclamauit. Tum ſubmoto Florentio, Nebridius Præfectus prætorij factus eſt, conſentiente tamen Iuliano: alioqui minimè proceſsiſſet. Iterum legatos ad Conſtantium dirigit,

licet

licet se armaret contra Imperatorem, ueritus ne sibi quid aduersi accideret, & impetus insperatus ei suboriretur. Interea Constantius accersiuit Arsacem regem Armeniæ, uti fidus Romanis perseueraret, ne ue fallacijs Persarum auscultaret: pariter & reges Transtygritanos adhortatus est, ut in fide permanerent, neue ad Persas deficerent. Cùm sic anceps hæreret, fortuna iam subsistente, & aduentante fato uitæ, sæpè nocturnis terrebatur umbris. Et quum esset moturus exercitum, nocte quadam nondum penitus mersus in somnum, imaginem patris uiderat obtulisse pulchrum infantem, eumq; susceptum & locatum in gremio suo, excussam sibi proiecisse sphæram, quam ipse dextra manu gestabat. Quod planè permutationem temporum indicabat, licet interpretantes pro captu ingenij sui blanda responderent. Post hæc confessus est familiaribus charioribus, se esse desertum à Genio suæ tutelæ ac salutis auctore: qui familiarius olim secum multa commentatus, tum squalidus & horrendus sibi uideretur, tanquam eum deserturus. Hæc illi apparuêre, quum ex Antiochia ipse uersus Tarsum ueniret, moturus arma Iuliano. Sed incidit in febriculam semper æqualem, ratusq; est gestatione eam aboleri. Vectus est lectica per inuia itinera usque ad radices Tauri montis. Ibi in statione quadam, quæ appellatur Græcis Mopsocrenis, intrinsecus exurente calore febris aucta est, adeò ut corpus tangi non posset. Sed quum esset defecturus, Iulianum sucessorem statuit: paulo post mortuus, anno imperij trigesimooctauo, quum uixisset annis quadraginta & paucos mẽses. Sext. Aurelius tradit illum interijsse, anno æui quarto & quadragesimo, imperij nono & tricesimo: uerùm Augustus quarto uicesimoq; octo solus, cũ fratribus ac Magnentio sedecim, quindecim Cæsar. Marcellinus Constantium è uita discessisse scribit tertio nonarum Octob. imperij uitæq; anno quadragesimo & mensibus paucis. Iuuianus domesticorum protector, qui post Iulianum imperauit, cum regia pompa corpus Constantinopolim perduxit, & intulit maiorũ sepulchro, interq; diuos relatus est. Vir alioqui egregiæ tranquillitatis, ac nimium placidus, præsertim in populos ei parentes, sed admodum credulus: nam aures eius ad fidẽ præstandam faciles proq; erant. Mirus artifex fuit in sagittis iaculandis, & tã certus iaculator quàm optimus eques. à cibo uinoq; & somno multum temperans, ac omni uictu parcissimus. Lata lege uetuit phasianum & sumen conuiuijs inferri. Nunquã spuisse memoratur, patiens laboris, facundiæ cupidus: quam cùm assequi tarditate ingenij non posset, alijs inuidebat. eloquens tamen satis, & carminibus componendis aptus. In iudicijs iustus & moderatus, si secretiores consultores non habuisset. Ab Eusebio, regiorum eunuchorum præfecto, ita deceptus, ut Arriana fœditate commaculatus, pleriſque religiosis orthodoxæ fidei sacerdotibus perquàm esset molestus & grauis. Quidã enim præsbyter patris testamentum, quoad Cõstantius ueniret, clàm retinuit, illudq; ipsi Constãtio dedit: quo tantã emeruit gratiam, ut palatiũ quotidie posset liberè ingredi, cùm Cõstantinus Magnus filio primo Constantino iussisset illud ipsum reseruari. Ab hoc Imperatori uenenum Arrianæ hæresis est infusum, ut anili superstitione Christianam religionem fœdaret. Cæterùm in magistratibus, & conferendis dignitatibus diligens æstimator: quandoquidem neminem in Senatum legebat, nisi bonis esset disciplinis honestè institutus. Præterea ad iram tardus erat, sed propensior in seueritatem, cum suspicio imperij ageretur: aliâs mitis, bellis ciuilibus fœlix, externis lachrymabilis, Persicis semper infortunatus, Sarmaticis uarius, bis Sarmatici nomen inscripsit. Et cum Sarmatis, Dacis & Quadis fœdera faciens, in suggestu orationẽ habuit, Barbaris malè audientibus, quòd ad hoc opus assueti non erant. Vnus è Quadis secessit, & stercore alterum è calceis repleuit, subueste tulit, & propius accedens, in uultum concionantis proiecit. In Gallijs & Pannonijs plures triumphales arcus erexit, magno prouincialium dispendio, teste Marcellino. Vir decenti statura, oculis acrioribus, molli capillo, rasis assi-

duè genis, ab ipsis confinijs longior, breuissimis cruribus & incuruis: unde saltu ualebat, & cursu. Natura fuit debilis ad coitum, spadonum aliquorumq; amori deditus: mox deditior uxoribus, nulla libidine transuersa aut iniusta polluebatur. Duas fertur habuisse uxores: Eusebiam autem potissimum dilexisse, eximiè pulchram, decoram nimis: sed quæ sæpe famam uiri laceraret, magis quàm modestioribus fœminis conuenit, & mœstitia ac dolore pòst interijt impotentia genialis thori. Nam Iulianum fauore persequuta, uiro persuasit ut Cęsarem faceret: licet eius uxori Helenæ, ut pòst dicemus, plurimùm insidiaretur: Soror Eusebij & Hippatij, uirorum consularium. Sed ob mariti impotentiam prius ad tabem redacta: pòst inuersi uteri dolore, quem nostri medici uulgares nunc præcipitationem, nunc matricis suffocationem uocant, occubuit. Habuit dehinc Faustinā forma pulcherrimam, quam uxorē sibi copulauit, postq; à militibus Iulianus est Augustus appellatus. Hanc prægnantem reliquit: unde edita Posthuma, eiusq; nomine appellata, cùm adoleuisset, matrimonij iure copulata est Gratiano. Inuenio etiam Constantium duas alias habuisse filias, Anastasiam atq; Carosam: quas Martianus presbyter Nouatianus in grammatices rudimentis instituit, à quibus sunt thermæ Anastasinæ & Carosæ appellatæ:
141 quas Ammianus in uigesimosexto sorores Constantini dicit. sed ut fatear ingenuè, ignoro cuius. De his Historia tripartita in libro septimo. Plura quisquis de Cōstantio scire uoluerit, requirat priores Ammiani Marcellini octo libros, ubi etiam pulchras epistolas Saporis regis Persarum & Constantij offendet: è quibus libris & nos ista excerpsimus, præter ea quæ Eutropius, Orosius, Sext. Aurelius tradidère. Neq; negligenter inter neotericos de hoc scripsit Pomponius Lætus Roman. Quæ uerò sub hoc gesta sunt in religione nostra Christiana, Ruffinus libro decimo Ecclesiasticę historię annotauit. In Tripartita quoq; historia duo de hac re libri, quartus & quintus perscripti sunt: ubi de Arriana hæresi, & quæ antistites inter se rixosi ob nescio quam leuitatem patrarunt, copiosè traditur. Locupletissimè omnium Ioannes Monachus. Sed nos ueteri nostræ inseruientes consuetudini, tetrastichon nostrum subdamus:

Fratribus inde tribus cessit Romana potestas,
Accessit genitus Dalmatius patruo.
Omnibus occisis, tenuit Constantius orbem
Victor, sed uitam relligione necat.

IVLIANVS BYZANTIVS.

142 IVLIANVS Byzantius filius fuit Cōstantij, Constantini Maximi fratris (ex alia tamē matre, Theodora scilicet) & Basilinæ nobilissimæ fœminæ, natus in Constantinopoli. Habuit eñ ille Constantius, Constantij Cæsaris Augusti filius, duos filios, Gallū et Iulianum: quos historici Tito et Domitiano adęquāt. Feritatē eñ Domitiani Gallus Cæsar atrox æmulabatur, ut superius annotauimus: quemadmodū Iulianus similis Tito existimatus est ab initio. Cùm aūt eo grauida esset genitrix, somniauit se parituram Achillem: excitata somnium marito narrauit. & cùm antè quàm pariendi tempus sentiret, mater peperisset, bona spes parentibus de filio fuit. Habuit nanq; formam liberalem, & ingeniū tam ad literas quàm ad arma accōmodatum: omnino bonæ indolis puer ab initio apparuit. Sed quid ualeat educatio, ex hoc facilè cognosci potest. Primùm initiādus et erudiēdus Eusebio episcopo Nicomedię traditur, & Libanio rhetori: à quo ita institutus est, ut prætermissa ueritatis cognitione,
143 puerilem animum ad antiquorum credulitatem flexerit. quamuis Constantius hoc fortè suspicatus, interdixisset ne à Libanio institueretur: prius ab Ecebolo

Sophista

Sophista tunc Christiano, à Mardonio & Nicocle Lacone grammatico institutus. Imò cùm Christianus ab initio esset, ut omnes post Constantinum Imperatores, cœpit inde fidei esse desertor. Et ob id Apostata à nostris quasi præuaricator dictus, Libanio suffragante & Maximo Ephesio philosopho. Mercurium enim cunctis præposuit: & in uexillis publicis, abolito ueteri Constantini crucis simulachro, Iouem pingebat, quasi de cœlo sibi coronam & purpuram deferentem: Mercurium & Martem in se respicientes, ueluti testes sapientiæ suæ ac fortitudinis. Præterea contra Christianos librum edidit, quem argutissimè Cyrillus præsul Alexandrinus confutauit. Cæterùm cùm Dalmatius Cæsar esset interemptus, Constantino dissimulante, facto militum tumultu, uix hi duo fratres Gallus & Iulianus iam mortuo eorum patre, mortem euaserant: cùm Gallum morbus quo letaliter detinebatur, Iulianum ætas infantiæ (octo enim tum habuit annos) liberaret. Instituebantur tum in Christiana religione in Cappadocia, & basilicam fratres extruebant. Iulianus palàm Christum confitebatur, clàm autem superstitionibus uacabat. Vnde nisi fuga quondam dilapsus esset à Constantio, Eusebia uxore interpellante, occisus fuisset. Ideò Athenas missus philosophabatur, sortes omnes disquirens, si olim regnaturus foret. Hunc igitur tandem Constantius in Galli fratris locum Cæsarem fecit, adoptauitq;, cùm undique tumultus & bella in Occasu & Oriente excitarentur. Gallijsq; præposuit annis natum ferè tribus ac uiginti. Vnde ille pòst in campis Argentoratensibus, cum paucis militibus, infinitas hostium copias deleuit. Stabant acerui montium similes, fluebat cruor fluminum modo: multos captiuos abduxit, quadraginta ferè millia Romanorum, qui iure belli seruiebant, ab Alemannis recepit. Captus rex nobilis Nodomarius, fusi omnes optimates, redditus limes Romanæ possessionis. Ac postmodum cum Alemannis dimicans, potentissimum eorum regem Badomarium cepit. Vnde ex hac clade Barbarica sibi monumentum & urbem Argentoratum insigniorem reddidit: ob id ex bellorum successibus Traiano comparatus, quemadmodum in clementia Antonino, & moderatione Marco Aurelio. Cùm itaq; re bene gesta, in Gallijs sæpius hostes profligasset, ultraq; Rhenum coëgisset, & præter omnium opinionem in solo hostili præclara multa gessisset, concordi assensu uictoris exercitus uocatus est Imperator et Augustus. Nam mediocritate uitæ atque mansuetudine militibus perquàm gratus acceptusq; erat. Sed quũ Augusti nomen pertinacissimè renueret, excito militum tumultu, strictis ensibus coactus est cognomen assumere Augusti. In scutis itaque pedítum leuatus, acclamatum est: Auguste Iuliane díj te seruent, díj te sospitent. Vt igitur milites quiescerent, adnuit, licet inuitus. Cæterùm cùm non haberent milites diadema quo illum ornarent, alij ex mundo muliebri, alij ex phaleris equorum facere diadema tentarunt: sed cùm utrunque tanquam inauspicatum recusasset, Maurus quidam Comes ordinis, qui draconarius erat, torquem aureum sibi detraxit, & capiti principis aptauit. Attulit & tribunus coronam, qua solent in xysto uictores donari: pòst ipse usus diademate micantibus gemmis exornato. Refert Ammianus Imperatorem dixisse amicis quibusdam charioribus: Nocte ea quæ declarationis Augustæ diem præcesserat, à se uisam per quietem imaginem alicuius geníj, quæ hæc ei obiurgando dixerit: Dudum Iuliane uestibulum ædium tuarum obseruo, latenter tuam gestiens augere dignitatem, sed aliquoties repulsus abscessi: ac ne nunc quidem recipior, sententia concordante multorum. Ibo demissus & mœstus: id tamen retinebo in corde, quòd tecum diutius non habitabo. Dum hæc fierent, Constantius in Syrmio erat, moturus mox arma in Persas: sed audiens Iulianum Augustum appellatum, ira adeò efferbuit, ut præter humanum morem excandesceret. Iulianus cum Alemannis fœdere facto, statuit adire Constantium, & se purgare. Sed præmisit legatos cum literis, ac Pentadium

144 145 146 147

magistrum militum (teste Marcellino) quibus se repugnantem & inuitum docuit à militibus esse Imperatorem appellatum. Quibus Constantius primò nihil respondit, expeditionem contra Persas edicens. Pòst legatos placidè dimisit cum Leona quæstore suo, cui literis mandabat, ut Iulianum adhortaretur, quò Cæsaris nomine contentus, maiestatem Augusti deponeret. Leonas honorificè exceptus, cùm literas Constantij turbæ in campum uocatæ legisset, quibus Augusti nomen uetabatur, omnis multitudo fortius clamabat, Iuliane Auguste salue: Iuliane Auguste dij te seruent: Iuliane Auguste dij te sospitent. Postea Nebridium præfectum prætorio, assentiente tamen Iuliano, in locum Florentij substituit Leonas. Iulianus uerò rursum legatos ad Constantium misit. Cùm uerò interim eius uxor Helena, quæ Constantij erat soror, moreretur, existimans Iulianus Constantium nunquam ad concordiam uenturum, dixisse fertur militibus, ut se pararent contra Constantium, priusquam ille aduersus sese moueret impetum. Tum iudices ab illo factos honoribus mulcebat: ipse religione nunc palàm mutata, cùm prius esset Christianus, sese pontificem deorum nominauit, & gentilium ritu sacrificauit: quia tamen multi erant in exercitu Christiani, iussit ut quisque coleret quos uellet Deos. Alia'que uia & ratione Romæ aggressus est eos, quos ad Romanam religionem conuertere nitebatur: præmijs scilicet propositis, ac prolatis dignitatibus. Sic blandimentis multo plures occupauit, ut Ruffinus ad Chromatium scribit. Et ne à se militum animos alienaret, in solenni Epiphaniæ, templum ingressus, diuinis rebus interfuit. Mox etiam augurijs & auspicijs more gentilium indulsit. Vidit nocturna (ut gloriabatur) quiete illud oraculum:

Iuppiter extremos cùm accedere fines Aquarij,
Virginis ac partem Saturnus tangere quintam, &
Bis decimam incipiet, Asiæ regnator obibit
Mortem acrem, & luctu plenam Constantius alto.

Festinauit igitur Illyricum occupare Iulianus. Et cùm illuc accessit, uindemia iam collecta erat. Sed circa Pleiadum occasum feruntur iterum uuæ prospectæ: & imber ex æthere lapsus, simulachrum crucis uestibus impressit. Quod assentatores prodigium interpretati, bonum rei indicium & firmum robur Iuliano pollicebantur. Alij intempestiuos fructus, breue imperium, & crucis simulachrum perpetuitatem religionis Christianæ uaticinati sunt. Penetrauit tum Illyricum Iulianus, assidue exta aues'que rimatus, ut exitum contemplaretur. Quo tempore miles quidam exta manu erigens, humi prostratus exclamauit, multis audientibus, illum cecidisse: cùm Mopsocrenis Constantius moreretur in Cilicia. Quod mox ex legatis uerum esse didicit, Theolaipho & Aligildo, qui & illum successorem statuisse addiderunt. Vnde uaticinijs iam plus credens, celeritate mira per Thracias ad Constantinopolim uenit, magnifica pompa honorificentissimè acceptus ab uniuerso populo, crebrisq; legationibus regum ac principum quotidie fatigatus, pacem ac fœdus petentibus: nunc Transtygritanis, nunc Armenijs, nunc Indicis, cum donis ac muneribus regijs ac immensis: incredibile dictu, quemadmodum Populi Romani hostes intra suos se terminos continuerint, postquam Romani orbis curationem ad se transtulit, & quo pacto in laudes noui principis finitimæ nationes accensæ sint. Restabant dominandi & profligandi Persæ, qui per sexaginta fermè annos sæuissima cædium monumenta in Oriente fecerunt, Romanis exercitibus sæpè repulsis atque deletis. Cùm ijs igitur ardebat congredi, quòd impatiens ocij erat, & in flore ætatis Parthicum nomen affectabat. Itaque cum ingenti apparatu egressus Constantinopoli, transmisso Bosphoro, à Chalcedone Nicodemiam processit. Super qua

ingemuit

ingemuit altius ac fleuit: memor illic olim se in Regia & ampla urbe, ædificiorum sumptibus insigni, educatum, quæ tum terræmotu corruerat. ut in Coss. scripsimus. Tum per Bithynos Gallogræciã uenit, & inde Antiochiam apicæ Orientis, quo tẽpore Adonidis sacra adamati à Venere celebrabantur. Vbi hybernans, nullis uoluptatum illecebris, quibus abundant Syriæ omnes, potiebatur: sed iudicialibus causis intentus & maximis curis implicitus, summam iusticiam exercuit. Vt multi iusticiam cœlo sublatam, dicerent tum esse in terras reuersam. Ita iura quædam correxit ambagibus abscisis, & honestè iudicia exercuit. Sed magistros & rhetores Christianos à iudicio arcebat (quod inclementiæ signum erat) edictoq; cauit, ne Christiani homines prouinciarum procurationes haberent, neq; ius dicerent, quòd Christiana lex gladio uti prohiberet. Vere sequenti Hierapolim profectus, in Mesopotamiam signa commouit. Cùm uerò in Cercusio oppido, quod ferè instar insulæ inter Eufratem & Xaborectoram amnes extensum iacet, à Diocletiano olim mœnibus auctum, & excelsis turribus munitũ, cum exercitu moraretur diutius, à Salustio (qui eius in quarto consulatu collega fuerat) literis est admonitus, expeditionem in Persas esse differendam, dijs ita uetantibus. Nam in libris Sibyllæ lectum erat, hoc anno Imperatorem à militibus discessurum. Sed regum undiq; auxilia promissa, Iulianum excæcabant. Et quanquam uaticinijs multum crederet, fatis tamen trahentibus transgressus flumen, pontẽ auelli iubet, nauesq; comburi, ut omnis reditus militibus negaretur. Zaitamq; uentum est, qui locus olea arbor interpretatur, ubi Gordianum Imperatorem exercitus tumulo intulit quondam. Hic haud longè abesse hostes audiens, substitit, uidẽs aduentantem militum cohortem, qui leonem pluribus telis confossum afferebant. Quo omine lætus, prosperiora sibi pollicebatur: cùm obitum potius regis portentum hoc significaret. Tum milites conuocat, pluribus exemplis à Ventidio ad Maximianum recensitis (nam memoria plurimũ ualuit) docuit maiores ferè omnes laureatos redijsse, præter Gordianũ & Carum, quorum illum insidijs mortalium, hunc ira deorum sublatum dixit: pluribusq; milites cohortatus, exercitum educit, Assyriam depopulatur, urbes & oppida partim ui capit, partim deditione. hostes enim prælio abstinuerunt. Quinimo crebris legationibus pacem petentes, offerebant patriæ suæ magnam portionem. Sed omnibus recusatis, per inuia deserta q; loca uagatus, fame militem macerabat: ac uictor cum ingenti gloria, cuius erat cupidissimus, profligato exercitu hostili usque ad Ctesiphontem peruenit: illic eum exercitu castrametatus, dum remeat, facem sereno uidit cœlo. Aruspices uetabãt quicquam tentandum, cùm signum illud infœlix esset. Sed & hos contempsit, ut nuper Salustium: neque præsagijs pleriscq;, neq; uiso ingenti globo in cœlo, quo die pugnaturus erat, abduci à bello poterat: neq; terræmotu, quo paulo antè Constantinopolis pulsabatur, deterritus est. Cùm ergo castra cum satis lecto exercitu moueret, Persæ sæpius afflicti, & dissimulantes more suo, confusos à tergo inuadunt: & priusquam laborantibus subueniretur, hostili globo circundati Romani undique fatigantur, iam itineris labore ac fame emacerati. Imperator à transfuga quodam in insidias deductus, cùm hinc inde urgeretur, arrepto tantum clypeo, procurrit incautius inconsulto ardore, nititurq; ordines ad prælium componere. Interim conto militis transmisso brachio & costis, uulnus letale excipit. Dum auellere è fibris iecinoris conatur, scindit digitorum neruulos: prolapsus in ceruicem equi, ueloci cursu in tabernaculum relatus est, teste Marcellino. Vbi uerò uulnus letale aspexisset, manu cruore repleta, ut Deo nostro blasphemaret, in aërem sanguinem proijciens dixit: Vicisti tandem Galilæe, uicisti. Sic enim Christum uocare solebat, cùm Christi cultores impios Galilæorum appellaret filios, ipse impijssimus & fraudulentissimus, cùm nominis contumeliam se eis inferre sic putaret. Tum adhibitis fomentis, ut paulisper dolorem

rem leniret, rursus poscit equum & arma, ut prelium reuisat. Ad adhortandos suos egressus, concionem habuit, ac disseruit mortem esse prȩmium summum: deinde cum philosophis, quos semper secum habuit, de immortalitate animæ sermonem fecit. Petijtq; quid 'nam ageret Anatolius, qui tum erat magister officiorum. Salustius præfectus respondit, beatè degere. Ingemuit amici casum, quòd interfectus esset. Tum circunstantes qui dolore conciti deflebãt casum, castigauit sua authoritate: turpe esse principem sideribus conciliatum lugere. Cumq; paulatim sanguine uacuatus circa noctis ferè medium spiritus deficeret, popposcit aquam: epotáque frigida aqua, uita solutus est: præfatus consultò sese de Imperio nihil mandare, ne, ut solet in multitudine discrepantibus studijs amicorum, ex inuidia rei præ discordia exercitus periculum pararet. Fertur in Antiochia adolescẽs quidam Christianus Libanio Sophistæ, qui tum uictoriam illic Iuliani expectabat, respondisse, cùm ab eo rogaretur, Quid 'nam nunc fabri filius (in Dei nostri contumeliam hæc iactanti) ageret: O amens, inquit, Creator omnium, quem tu fabri appellas filium, locellum sepulturæ Iuliano componit. Quod ita esse, mox certus nuncius attestatur. Sed & Iulianus Saba religiosissimus, Imperatoris mortẽ risu expressit, ferã uineę sacrę uastatorem, inquiens, pœnas suę crudelitatis dedisse: quod eadẽ hora accidit, qua mortuus ille est. Sic Iulianus agens annum alterum & trigesimum, & vi. Kalen. Iulij, in suburbana uilla agri Tharsensis sepultus est, in pomerio uersus angustias Aurei montis: cùm imperasset solus annum unum, menses septem: ab eo quòd Cæsar fuit, annos septem. Corpus eius Tharsum usque perduxit Procopius, & tumulo dedit. Inde abijt, & nusquam nisi ex improuiso Constantinopoli purpuratus apparuit. Huic Procopio Iulianus, dum ex Carris Eufratem esset transgressus, & Lunæ sacra faceret, ante aras fertur paludamentum purpureum tradidisse, remotis arbitris: mandasseq;, arriperet fidentius principatum, si apud Parthos ipse intereat. Qua nocte etiam somnijs crudelibus fuit territus. Est & postea Iulianus inter diuos relatus. Tumulo eius hoc est adscriptum Epigramma:

Persarum è terris, currunt ubi lata fluenta
Euphratis, ducto Iulianus milite tandem
Propter aquas Cydni, tumulum est sortitus, amœnas.
Strenuus & bellator rex, & maximus idem.

Post cuius mortem impiæ Magicæ uanitates & in Antiochia, apud Carras ciuitatem plurimæ arcæ cum capitibus & caluarijs sunt inuentæ. Et Carris, ubi in quodam templo muliebre cadauer uisum, extensis manibus, appẽsumq; capillis, ex cuius iecore uictoriam Persicam rimabant: multaq; alia superstitione plenissima cõperta sunt. Quinimo uanitates illas tam religiosè coluit, ut etiã uulgò Victimarius uocaretur. Fuit uir alioquin ingenio literaturaq; ingenti præditus, facundia prompta, memorię amplissimæ: Grȩcis doctior, atq; adeò ut latina eruditione nequaquam cum græca scientia conueniret. Septẽ libros uerbis petulantissimis contra Christũ effudit, quibus fortissimè responderũt Methodius, Eusebius atq; Apollinaris, teste Hieronymo. Sed extãt & oratiões & epistolę grȩcè cõscriptę, quas nuper Aldus noster grȩcę literaturę ingeniosissimus opifex, ne perirent, in mille exẽplaria excusa per orbem latinũ emisit. Idcirco fuit quibusdã dictus Grȩcanicus litterio, loquax talpa, grȩculus fallax, & sub specie sapientiæ stolidus. Habuit enim amicitiam cum plurimis eius seculi nobilibus philosophis, dicẽdi magistris ac sophistis, qui frequẽter eius palatiũ frequentabant. Inter quos præcipuus Libanius erat Sophista, qui de laudibus Iuliani opus conscripsit: Iuliani quoq; sæpenumero libri meminit, quem contra Christianos edidit. Erant ei & familiaritate iuncti, Aetius, Oribasius, Proclus, ac Maximus philosophus. Cui olim ad se uenienti, statim occurrebat, ne à literatis rusticitatis reus citaretur. Cum literatis itaque philosophis assuetus,

sopo-

soporiferæ quieti multum detrahens, insomnes aliquando noctes, cùm utilitas Reip. poscceret, ducebat, & Musis uigilias impendebat: nullo q̃ adhibito remedio, minimo strepitu excitabatur, ita noctes & officia diuidebat tripartita: quietis, & publicæ rei, & Musarum. quod & Magnum Alexandrum factitasse legimus: sed multo hic fortius, teste Marcellino. Horũ persuasionibus magicis deditus uanitatibus, credebat palingenesi pythagorica animam Alexandri Magni sese intrasse: ob id gloriæ nimis cupidus erat, ac in rebus gerendis optimos imitabatur principes. Homo statura exigua & gracili, maiestate conspicuus, usu quidem promptior corporis quàm ualidus. Reip. gubernandę & augendo imperio, si fata permisissent, satis idoneus, sed audax plus quàm Imperatorem decet, & ore & manu consultor patrię: ita illum cupido laudis immodica, glorię flagrantiorem reddidit. Cultu numinum superstitiosus, utpote qui sæpe centenos boues immolabat, & pecoris uarij greges. Et quanquam Christianos nimiũ insectaretur, sanguine tamen abstinuit. Licet quidam scribant, eum, dum bellum Persicũ persequeretur, Hierosolymis in itinere sanguinem deuouisse Christianorum, ex eisq̃ spectaculum se prębiturum uictorẽ pollicitum. Christianos schola tum prohibuit, ne doctores artium liberalium essent, unde materia deesset & paulatim ingenium fidei defendendæ: ne, inquit, propriis pennis, iuxtà uetus prouerbium, uulneremur. Ludos litterarum illis solis qui deos deasq̃ uenerantur, patere decernit. Militię cingulum non dari nisi immolantibus iubet. Procurationẽ prouinciarũ, iurisq̃ dicendi, ut diximus, Christianis statuit non debere committi: utpote quibus etiã lex propria gladio uti uetuisset. Sic non ui ac tormentis, sed pręmijs, honoribus, blanditijs, persuasionibus, callidior prosequutor maiorẽ penè populi partem elisit, quàm si atrociter pulsasset. Liberalitate clarus, tributa parcius exigenda mandauit: licet sint qui nolint. A Barbaris & militibus ęque ueneratus, ac dilectus: eunuchis, pantomimis, ac morionibus nihil largitus. Et cùm olim præcepisset Galilęos militia expelli, cùm Kal. Ianuarij donatiuũ daret de ueteri Cæsarũ more militibus, magnam excitauit seditionem: quam uix sedauit, uolens sese adorari, cùm plures in exercitu essẽt milites Christiani, quos mox è palatio exegit, nec foro nec ullo dignatus est honore. In re tamẽ uenerea, citra omnem suspicionem uixit: adeò ut cùm in Perside quandam ciuitatem expugnasset, ubi uirgines speciosę sunt captę, nullam aut contrectare aut uidere uoluit: Alexandrum Magnum imitatus, & Scipionem Africanum, ne cupiditate frangeretur. Imò post amissam coniugem, nullum uenereum opus exercuit. Habuit autem uxorem Helenam, Constantij Imperatoris sororem, & Magni Constantini filiam. Cui Eusebia Constantij uxor, cùm & illa Romam esset adducta, honoris specie insidiabatur, quòd ipsa uixerat sterilis. Quęsitumq̃ uenenum bibere per fraudem illexit, ut quotiescunq̃ concepisset, immaturum abijceret partum. Nam & pridem in Gallijs cùm marem genuisset infantem, hoc perdidit dolo (teste Ammiano) quo obstetrix corrupta mercede, mox natum præfecto plusquam conuenerat umbilico, necauit. Tam diligenti opera curabat, ne fortissimi uiri soboles appareret. Sed hæc mortua est ex partu, cùm in Illyricum cum exercitu contra Constantinum iret. Eius corpus Romam iussit perferri, & sepeliri in suburbano Nomentanę uię, ubi antè Constantia soror, Galli Cęsaris uxor, sepulta erat. Falsum est quod plerique scribunt, uxorem eum expulisse, quę castissima erat. Calistus, qui inter familiares Imperatoris tũc militabat, heroico uersu historiam omnẽ Iuliani contexuit: sed ad nepotes non peruenit, iactura temporis. Ammianus quoq̃ Marcellinus, qui & eius expeditionis comes fuit & diu sub eo meruit, in acie uersatus, diligẽtissimè quatuor integris libris gesta eius perscripsit: licet prioribus etiam libris multa de hoc scribat, quẽ & Pomponius Lętus sequutus est. Si quis uerò scire auet quę cũ Iudęis Iulianus egerit, Ruffinum decimo Ecclesiasticę historię libro, & Ambrosij librum epistolarum quintum legat.

legat. Hiſtoria autem Tripartita, toto ſexto libro huius res geſtas, & quæ cum Chriſtianis egerit, latiſsimè recenſet. Eſt autem omnino uidendus etiam Panegyricus Mamertini, quem in ſuo conſulatu Iuliano dixit. Sunt præterea epiſtolæ Iuliani, & oratio de Cæſaribus uidenda. Eutropius ſub hoc militauit, & paucula quædam ſcripſit. Item Oroſius, & Sext. Aurelius. Sextus quoque Ruffus, breui compendio huius narrauit acta Iuliani. Iohannes Monachus Græcus luculentiſsimè, & quæ Antiochia circa Daphnim, ubi eſt Apollinis ſimulacrum, & quæ alibi in Chriſtianos egit, complexus eſt, cum uniuerſa eius uita: qui non eſt negligendus. quæ cum iis concordant, quæ in Tripartita leguntur hiſtoria, quæ omnia ſtudioſo lectori Chriſtiano ſunt uidēda. Scripſit & Gregorius Nazianzenus librum contra Iulianum Cæſarem, de quo hoc tetraſtichon hoc loco ſubiecimus:

Deſertor fidei ſucceſſit Apoſtata noſtræ
Iulius, inſanis deditus auſpicijs.
Dum ſubigit Gallos, Auguſti nomen adeptus,
Congreſſus Perſis, uulnere raptus obit.

IVVIANVS CAESAR.

IVLIANO Cæſare occiſo, & corpore eius ſepulto à Procopio, ut olim ipſe ſtatuerat, altero die, hoc eſt quinto Calen. Iulias, hoſtibus undiq; circūfuſis, qui morte principis elati, caſtra quæ ſpacium trium millium paſſuū complebant, circumibant, et Romanos à tergo urgebant, quos diſperdere nitebantur. Collecti duces exercitus: & aduocatis legionū principibus, ſuper creādo principe conſultabant. Qui cùm inter ſe diſcreparēt, Conſtantianis aliquem de palatio, Gallis uerò quendam ex proceribus ſuis quærentibus: tandem nulla uarietate, communi conſenſu Saluſtius eligitur. Quo cauſante morbos & ſenectutem, honoratior quidam miles aſſurgens: Quid, inquit, hæc mora hoſtibus utilis, nobis letalis, nunc prodeſt: cùm maturandum, nō ob principem certandum hæc neceſsitas poſcat? Quid ſi hoc nobis bellum Imperator aliquis abſens mandaſſet, quod ſæpè factum annales noſtri teſtantur, nunquid militem aliquem raperetis, qui inſtantibus periculis occurreret, & benè conſuleret? Id & nunc agite, niſi & Meſopotamiam omnem & exercitū perdere mauultis. Tumultuantibus itaq; paucis, inter has moras (ut fit) in extremis à multis Iouianus eligitur Imperator, domeſticorum ordinis primus, paternis meritis militibus commendabilis. Erat enim huic pater Varronianus, comes ordinum agri Singidonenſis (quem ætas noſtra Segedunum uocat) in Pannonia incola: qui haud dudum depoſito militiæ onere, tranquilliſsimè uixit, quum prius quarundam ciuitatum haberet adminiſtrationem. Cùm is quondam plures utriuſque ſexus liberos generaſſet, & morte omnes eſſent ſublati, per quietem nocturnam admonitus eſt, uti filium qui naſceretur, Iouianum uocaret: fore ut uiueret, & ad purpuram uenturus eſſet. Sic hunc filium editum Iouianum appellauit: præceptoribusq;, cùm ætas poſceret, erudiendum dedit. Qui haud parum liberalibus artibus profecit, ingenio ualdè ad omnes diſciplinas prompto. Pater militia clarus, notiſsimus erat, & iam emeritus ſeceſſerat in auitos agros, ut quieſceret, & agricolationi incumberet. Iouianus autem millenarius erat miles, cuius opera tum neceſsitate exigente Iulianus utebatur, quia fortis & ſtrenuus erat. Licet paulo antè, cùm Iulianus lege ab exercitu egiſſet Chriſtianos, cingulum militiæ deſerere, quàm Imperatori obtemperare maluiſſet. Cùm igitur uiolenter à militibus ad imperium raperetur, recuſabat illis imperare, qui à fide ſua alieni eſſent: tum milites acri uoce ueluti ex compoſito ſe quoq;

quoq; Christum colere affirmabant,ut tradunt historici religionis Christianæ. Cùm itaque antesignani Iulianum Imperatorem Augustum acclamarent, qui in medio, quiq; postremi erant, opinati Iulianum reuixisse, ingenti lętitia efferebantur:credebant enim plerique medicaminibus recreatum. At cùm nouus Imperator purpuratus per castra duceretur, primoribus comitantibus,uisusq; homo incuruus,statura procera:in lachrymas effusi sunt omnes,atque luctum, auspicium haud fœlix præsentis imperij. Ob amorem tamen Iuliani, qui à militibus ualde erat obseruatus, in hunc quoq; mox consenserunt omnes, quòd à uocis similitudine una tantum esset litera immutata. Reductus in tentorium, adhibitis Tribunis & comitibus, de imminenti periculo & rerum præsenti statu uerba fecit. Cumq; de Sapore Persarum rege, quæ sciret in medium protulisset, exercitus in Mesopotamiam deduci instabat, sed hostes à tergo territabant. Nam Sapores rex, audita Iuliani morte,quem uerebatur, cùm intellexisset Iouianum quendam protectorem inertem & mollem, ut sibi dicebatur, ad imperij culmen euectum,inopina prosperitate elatus, multitudine sua uocata,agmen Romanorum à tergo inuadere laborat: dúmque pro Iouiano exta consulit, pronunciatum est, eum omnia perditurum, qui interuallum belli quærat: superiorem fore, qui bellum maturet. Proinde Persæ undique instant, Romanosq; adoriuntur,quamuis prius semper essent uicti. In castris Romanis tum fames erat, & rerum omnium penuria: ob id timebat exercitus,ne si hostis irrueret, maximam inferret cladem. Iter igitur cœptum est consultò,hostes institêre à tergo cum pręuijs elephantis, qui fremitu terribilique incessu equos inter principia terruêre, unde magna multitudo militum cadebat. Gallis tamẽ fortiter resistentibus, & Iouis atque Herculijs annitentibus, duo elephanti 148
strati sunt, cum hostium plebe haud parua, tribunisq; Iuliano Macrobio atq; Maximo. Vbi inter præliandum profecti sunt, corpus Anatolij est inuentum: de quo Iulianus Imperator,ut suprà annotauimus, moribundus iam quæsiuerat,quod terræ est commendatum. Altera die Romani in quadam ualle castra locarũt, in qua circumclausi ueluti murali ambitu, telis ac turpibus uerbis sunt ab hostibus lacessiti, tanquam perfidi & fugitiui. Proxima nocte ubi Carras 149
uentum est, infœlicitate Crassi nobiles,tanta trepidatio non fuit. Calend. Iul: ad Duram oppidum Romani uenientes, quatriduum consumpserunt, quòd iumenta essent fatigata: & penè à Sarracenis oppressi equites, quòd stipendia à Iuliano promissa,soluta non erant. Hinc cùm exercitus abiret,peruenit ad Tigridem, cœlestibus aquis iam Canis exortu auctum. Magnus tum metus erat amnem transire,pluribus tentantibus & redeuntibus. Galli assueti à prima puericia fluenta perfringere ac transmeare, audacter amnẽ ingenti animo ingressi,ad alteram ripam perueniunt, & hostes illic custodes obtruncant dormientes: ut cæteri metu liberi securius sequerentur. Illos tum maxima sequuta turba est, signo spiculis ostenso. Sapor autem rex, uidens exploratores suos occisos,elephantos(quod nunquam meminerat)trucidatos,exercitumq; Romanum continuis induratum laboribus, difficultatem rerum instantium animo uoluens,& plebem suam maxima fortitudine post terrorem deformatam conspiciens, Romanos à tergo insequi festinabat. Sed rupto ponte temporario, 150
multis in flumine amissis,biduo fame exercitus laborabat. Sed maior in castris penuria erat. Veniunt igitur oratores à Persis cum Surena,qui supremam post regem dignitatem obtinet: & cæteris summatibus conditiones pacis offerentes,si non æquas, attamen necessarias. Vbi Imperator cum proceribus consultat (nam maiora fingebant oratores,quàm res erat) quatriduo euoluto,ictum est fœdus non sine calamitate Romani imperij, ut quinque prouinciæ Transtygritanæ (de quibus in Ruffo diximus) quas uictus Galerius Maximianus acceperat,restituerentur. Cùm ijs Singara & Nisibis clarissimæ urbes, ac castra Maurorum & pars Mesopotamiæ, sola Ctesiphonte seruata, cùm aliò ci-

m ues ex

ues ex ijs urbibus iussi essent migrare, ab eis eiulantibus passim maledictis lacerabatur: & sic fines ueteres imperij inuitis Romanis, non sine dispendio innouati sunt. Quibus exitiale aliud accessit, & magis impium. Vetitus est Pop. Roman. Arsaci regi Armeniæ fido ac amico auxilium contra Persas ferre; ad quod nunquam antea coactus est. Illud autem fiebat, ut minis Arsaces caperetur illis, & Parthi facilius latus Medorum raperent, & inde Armeniam inuaderent. Visa tunc est libertas uictricium armorum corruisse. Sic ictum est ignobile fœdus ad annos xxx, & religioso ritu utriusque gentis firmatum: nobilesq; insuper dati tribuni obsides. Tum exercitus Romanus ex confragosis ac asperis itineribus in tutum iter productus est: licet multi inedia, multi inopia potus premebant. Pars imperitia nandi in gurgitibus absumpta, pars à Sarracenis clàm infestata. Sex dierũ iter ita emensum est, cùm prẽter herbas quas secum ferebant, paucissimas quandoq;, nec gramina inuenirent: donec dux Mesopotamiæ Casianus cibos afferret. Multa interim miseranda Nisibenis acciderunt, qui inuiti sub Saporis iurisdictionem uenerant, prius sępè huic resistentes. Multa alia in Mesopotamia tum acciderant, cùm iam exercitus Antiochiam, quæ in inferiori Syria est, peruenisset: ubi per continuos dies, multa dira & horrenda uisebantur portenta. Maximiani statua, quæ locata est in uestibulo Regiæ, amisit repentè sphæram æream, formatam in specie poli, quam gestabat. Et horrendo stridore sonuerunt in consistorio trabes. Cometes in die apparuit. Iuuianus diuersis curis afflictus Antiochiæ, mira cupiditate properabat Tharsum urbem inuisere, non prohibente hyemis sæuitia: exornareq; tumulum Iuliani statuit, restitutis prius dum Antiochiæ moraretur sacerdotibus & episcopis, qui prius sub Constantio & Iuliano pulsi abierant. In primis Magnum Athanasium Alexandriam reduxit, per Cappadociam iter faciens. Itaque Tianam uenit: inde per Galatiam Ancyram uenit, ubi consulatum iniit. Cùm uerò ad locum ueniisset celeri gradu, quem Dadastana uocant, qui Bithyniam distinguit & Galatas, quò eum præscriptus uitæ finiendæ dies exegit, nocte mortuus inuentus est. Super cuius obitu diuersæ sunt excitatæ quæstiones, ut olim super morte Scipionis Aemiliani. Alij eum exanimatum tradũt, quòd in cubiculo recenti tectorio obducto dormierit, nidorem prunarũ ferre noxium non potuisse. Cùm enim recenti calce parietes sunt illiti, si carbonum odor cubiculum replerit, quàm facilè subsequitur suffocatio citra rei sensum, cùm utrunq; homini sit noxium. Adde hyemis rigorem, qui hominem impellit sese colligere, ut frigus arceat: unde facilior etiam pororum sequitur clausura, ut Physici disputant. Alij uerò mortuum ex colluuione ciborum nimia auiditate suspicantur. Cùm enim assiduo labore longi itineris rerumq; penuria emaceratus esset, uarietate ferculorum illic corpus repleuit, auidissimè cibos sumens, ut concoquere tantam multitudinem non posset: & sic cruditate distentus perierit. Sunt qui scriptum reliquerunt, ipsum recentes fungos, qui insi tam uim ueneni habent, comedisse, quum in uictu indifferens esset. Alij uerò tradunt, sese multo & meraco uino inuitasse, & caput ita uino oneratum, attonitum in apoplexin incidisse. Sic obijt Imperator, cùm iam septem mensibus imperasset, anno ætatis tricesimo & tertio, à Valentiniano in diuos relatus. Eius corpus Byzantium delatum, in Apostolorum templo conditũ est. Vir uultu lætissimo, oculis cæsijs, uasta & ardua proceritate, adeò ut diu nullum regium indumentum ad mensuram eius aptum inueniretur. Incedebat motu corporis graui, & æmulari malebat Constantium, agens seria quædam: post meridiem iocari cum proximis solebat. Christianæ legis studiosissimus, literarum haud expers, sed mediocriter eruditus: beneuolus & propensus in suos, quos ad dignitatis gradus euexerat. Sed edax, & uino et ueneri indulgens: quę uitia imperiali uerecundia forsitan correxisset, si longior ei concessa esset uita. Alioquin & animo & professione circa religionem & probitatem commendabilis:

lis: corporis tamen plenioris. Is dum Iulianum iter facientem, utpote tribunus militum, sequeretur, in loco quodam decliui precedentis illius purpuream uestem extremam pedibus calcauit. Tum Iulianus, siue eum sibi successurum coniiciēs, siue ex diuinatione de eo illud presciuisset, cui erat deditissimus, inquit: Vtinam, licet sis homo.

Habuit uxorem cui nomen Charito, quæ erat filia Lucilliani, quem Cæsar in Italiam præmiserat ubi Imperator electus est. Ex qua filium genuit Varronianum nomine patris sui, quem secum consulem, licet infantem, creauerat: qui cùm admodum paruulus in curruli sella cum patre ueheretur, ex more uagitu reluctabatur, & infœlicem patris exitum uoce (quod mox accidit) portendebat. Varronianus autem Iouiani pater, cùm monitu cuiusdam somnij, ut paulo antè scripsimus, filij supremam dignitatem præsciisset, quod duobus fidissimis tantum amicis concredidit, adiecit, se quoque trabea consulari futurum multis conspicuum. Sed uno impetrato, aliud assequi fato præuentus non potuit: tamen nepoti id suo, infanti eiusdem nominis, concessum est à fatis. Hæc Charito Cæsaris uxor Iouiani, audiens aduentare maritum cum filio Varroniano, obuiam apparatu regio processit: sed fatis nolentibus, non potuit conspicere maritum. Sequenti dehinc tempore est in eodem sepulchro cum marito Constantinopoli condita. Quisquis plura de hoc Iouiano uidere uoluerit, Ammianum Marcellinum adeat, quem Pomponius Lætus est imitatus: Eutropium, qui hoc loco librum suum claudit: Orosium, Sextum Aurelium, Ruffumq; Sext. uiros consulares recenseat: è quibus hæc excerpsimus. Iohan. Monachus Græcus huius uitam breuiter quidem, sed diligentissimè conscripsit, qui non est negligendus. Nonnihil quoque lector studiosus inueniet in historia Tripartita ac Ecclesiastica, quæ sub hoc Imperatore euenerint. Nobis satis sit ueluti digito hæc indicare, & ad alios properare conscribendos: si prius tetrastichon nostrum de more subijciamus:

Militibus lectus Iouianus, ad ampla superbi
Culminis ascendit regna, patris monitu,
Cùm fugeret Persas, icit lachrymabile fœdus
Imperij metus præteriens ueteres.

VALENTINIANVS ET VALENS.

M Iouiani corpus Constantinopolim esset relatum, ut inter Augustorum reliquias conderetur, exercitus Nicæam cōcessit, quę urbs caput est Bithyniæ, ut illic moderatorem grauem & prudētem eligeret principē: qui magnitudines curarum in se susciperet. Aberat tūc L. Equitius, qui Illyrico prefuit, uir ingēti animo, quē magna pars militū principem dixit: sed cùm quibusdam aliter uideretur, & absens preteritus est. Et Valentinianus tribunus scutariorū, uir magnanimus, & rei militaris peritus, nulla discordante sentētia, ueluti cœlestis numinis assensu electus est Imperator, cùm iam diebus decem Interregnū fuisset. Ancyrę enim relictus, bisextum Februarij, tanquam omino sum & infaustum, uitabat: quo aliquoties Respub. Romana passa est iacturam. Elapso die parum apto ad auspicandum Romanum imperium, Valentinianus progressus medio campo, ad celsius tribunal perductus, habitúque principali circumdatus & corona, Augustus est nuncupatus, cum acclamationibus & laudibus amplis ac solitis, uigesima quinta die Februarij. Verùm suborto murmure, ut fit in tanta militum multitudine, placida mox oratione sedauit tumultum, & collegam sociúmque tantarum curarum ab exercitu petiit. Et cùm ei frater Valens offerretur, Calend. Martijs Nicomediam ingressus, Valentem

fratrem tribunum stabuli fecit, dicens: Vestrum erat, ô milites, me Imperatore non existẽte, me regno & imperio præficere: id ubi ego suscepi, meum iam, uestrum non est, de arduis ijs rebus cogitare. Sed pòst paulo ueniens Constantinopolim, magnitudinẽ negociorum secum uoluens Cal. April. productũ Valentem in suburbanum, uniuersorũ sententijs concinentibus, consortem imperij & Augustũ pronunciauit, habituq; & diademate ornauit, eodẽq; uehiculo secum, ut participem legitimę potestatis, cũ magno decore eduxit. Moxq; ambo Imperatores rapidissima febri correpti sunt, ut etiã de utriusq; uita dubitaret, incertusq; rumor de illorum ęgritudine passim uagaretur. Fuit aũt Valẽtinianus filius Gratiani, hominis ignobilis apud Cibalas in Pannonia ortus, cuius pater Gratianus funarius appellatus est, eo quòd uenalitium funẽ portanti, quinq; milites nequirẽt extorquere. Eo merito ascitus in militiam, usq; ad prætur ę prętorianæ potẽtiam conscendit: ob cuius apud milites cõmendationem imperiũ Valẽtiniano, quanq; renuenti, aggeritur, ut Sex. Aurel. scribit. Et cùm sub Iuliano Augusto lege esset ab exercitu exactus, quia dijs sacrificare nollet, tribunatũq; amitteret, insperatò Imperator pro tribuno factus est. Quòd aũt fratrem Valentẽ imperij consortem creauerat, multitudo fecit bellorũ undiq; per uniuersum orbem exurgentiũ. Rhetias atq; Gallias Alemanni populabantur, Sarmatæ & Quadi Pannonias infestabant, Saxones & Scoti Britannos
151 incessabant, & Gotthi Thracias diripiebant, Aphricani Austoriani incursabant, Persarum rex Armenijs insidiabatur: in suam cupiens Armenias traducere ditionẽ, causatus antea ad suos maiores falsò pertinuisse. Vt igitur omnibus periculis principes occurrerent, in Syrmio diuiso palatio & exercitu, cùm prius annum suo consulatu auspicati essent, Valentinianus Mediolanũ concessit, Valens Constantinopolim. Quẽ in Orientem profecturum sequebatur Iouianus magister armorũ cum Arintheo legato, & Lupicinus magister equitũ. Nã L. Equitius præerat Illyriciano exercitui, & Seuerianus Pannonias tuebat, Italiam & Gallias Mamertinus gubernabat, cùm Salustius præfectus Orientis esset. Qui tamẽ, ut tradit Zonaras, Imperatorẽ adierat, & gratiarum uice id ab eo postulabat, ne amplius præfecturæ curã sustinere cogeretur, cùm ipse magnã curam, ut imperio potiretur, habuisset. Cui principes: Ideò tu mihi tantarum rerum pondus imposuisti, quò tu rursus eius attingendi immunis esses, & mecũ
152 onus feras. Valẽtinianus itaq; Cęsar ex Mediolano Gallias intraturus, circiter Calen. Nouemb. Parisios ingressus est, cùm iã Alemanni Germanias irrumperent, et militibus Romanis pro prędidio locatis multa irrogarent incommoda: quorũ uires attriuit misso Dagalaipho magistro militiæ, ut longius abire cogerentur hostes. Mox ibi Imperator intellexit Procopiũ in Oriente res nouas moliri, atq; ideò dubius an Valente superstite Procopius imperiũ affectaret, cogitabat bellũ ciuile prius sedare, & Gallijs relictis ad Orientẽ proficisci. Sed affluentibus undiq; urbiũ legationibus, ac rogantibus ne in reb. dubijs & duris pro uincias nudas derelinqueret, statuit nusquã extra confinia Gallorũ moueri, ordinatis qui Thraciã tutarentur contra Procopij impetum. Fuit aũt Procopius genere Siculus, in Sicilia q; educatus, qui Iulianũ Principem à primo gradu cõtingebat propinquitatis. Primùm occultus & taciturnus notarius, dehinc militaris Tribunus, & post Constantij obitum inter optimates uersatus, quietis publicæ turbator est appellatus. Quem Iulianus præsidem in Mesopotamia cũ ualido exercitu reliquerat, cum mandato, ut si res Romanas labare sensisset, ipse de eligendo Imperatore uideret. Post Iuliani uerò obitum, cùm eius corpus sepulturæ mandasset, Iouianum audiens Imperatorẽ electum, è conspectu se subtulit: quandoquidem Iouianus ei traditos claues rei parandę à Iuliano inaudierat, & ob id eum persequi undiq; elaborabat. Is Constantinopolim fugit, & cuiusdam senatoris ope, cùm diu delituisset, tandem quorundam militum ac ignobilium patrocinio, Imperatorem se fecit, eo tempore potissimùm, cùm Bithyniam

thyniam Gotthi irrumperent, qui ei auxilia miserant, cùm quidam fingerẽt Valentinianũ obijsse. Iulius comes tum per Thracias copijs militaribus iussu Valentis Barbaricos Gotthorum incursus oppressit. Subsequutus Valens Nicomediam pergit: & cùm Chalcedonem oppugnaret (iam enim Procopius Niceam Bithynię matrem possederat, & alias plerasq; urbes) è muris est pluribus lacessitus probris, qui eum ignominiosè Sabaiarium appellabant. Est autẽ Sabaia, ex ordeo uel frumento in liquorem conuersus paupertinus in Illyrico potus, teste Marcellino. Cùm deinde Valens Lupicinum ad Orientẽ cùm haud contẽnendis copijs aduẽtare animaduerteret, licet Bithyniam Procopius possideret, spe erectior exercitum contra Procopium misit: quem parua fœlicitate lætatum, in Phrygia superauit, multis militibus ad eum ex Procopij castris transeuntibus, scuta peruersa gestantibus, quod defectionis signum est. Procopius amisso exercitu præter spem, per nemora paucis comitãtibus per noctem uagatus, mane à suis captus, Imperatori est traditus Valenti: qui abscisa ei ceruice, discordiam ciuilem sedauit. Alij tradunt, Procopium duabus arboribus inflexis, pedibus colligatum fuisse, quæ dimissæ in aërem, locum suum repetẽtes, Procopium diuiserunt per medium. Qui etiam Procopium Imperatori tradiderunt, contra iusiurandum quod eis præbuit, serris crudeliter diuisi perempti sunt. Hunc finem uitæ sortitus est Procopius, anno quadragesimo primo: uir corpore decoro, statura procera, sed incurua, semper triste aliquid secum uoluẽs, instar Crassi illius Agelasti, quem in uita sua semel risisse Lucilius affirmat. Occiso Procopio, Chalcedonis mœnia (quòd eius urbis ciues Procopij partibus fauissent) solo sunt æquata. Quod dum fieret, in eorum fundamentis lapideam tabulam, cui hæc inscripta erant, repererunt:

Vrbem cum Nymphæ choreas ducent propè sacram,
Ornatasq; uias sertis: postquam & miseranda lauacris
Mœnia ponendis fuerint conuersa, uidebis
Mille hominum species uarijs è gentibus acri
In prædam rabie ardentes, ualidis heu uiribus, ire
Trans Istrum & mare Cimmerium: tunc Mœsia tellus,
Tunc Scythicæ gentes clade perdentur amara.
Cùm tandem ad Thracas ducente cupidine lucri,
Irrumpet trux Barbaries, fato extinguetur iniquo.

Hoc uaticinium tum non intelligebatur, sed pòst est impletum, cùm Valens aquæductum exædificasset, & abundantiam aquarum urbi induxisset. Valens namq; excisis mœnibus, saxis ad aquæductũ usus est, quem Valentem dixit de suo nomine, ut oppidanis gratificaretur, & balneę hoc aquęductu iuuarentur, licet aliqui thermas Constantianas appellarent. Tandem urbis pręfectus Clearchus in loco cui nomẽ est Tauro, postea Platea Theodosij dicta, Nymphęũ extruxit, uti inductæ aquę gratiã & amœnitatem demonstraret. Per has ædificationes lapideæ tabulæ iã Barbarorũ aduentũ denunciarunt, qui in ipsa Thracia post factas populationes omnes oppressi sunt. Ex qua re liquidò apparet, grammaticos omnis nostra ætate longè aberrare, qui Nymphęa solent lauacra interpretari, afferẽtes illud Iulij Capitolini in Gordianis: Opera Gordiani Romæ nulla erant præter nymphæa & balneas. Quid esset opus balneas subiungere nymphęis, si hæc lauacra essent? Vnde melius est interpretari Nymphęa domos publicas, in quibus solebant nuptias celebrare ij qui angustiores habuerant domos, quàm ut hominum multitudinẽ capesserent. Et eæ erant coniunctę domibus maximis, in quibus Senatus celebrabat̃: quod apertissimè docet Zonaras in Leone primo, ubi crudele & horrendum Constantinopolitanum incendiũ describit. ubi inter cętera hæc uerba subiungit: ἐς τὸ καλούμενον νυμφαῖον οἶκον ἕτερον αὐτικείμενον τοῦ προρηθέντος οἴκου, εἰς τὸ τοὺς γάμους γίνεσθαι ἐν αὐτῷ χρηματίζοντα τῶν μὴ κεκτημένων οἴκους χωροῦντας πλῆθος ἐνιαυτούς. Idẽ quoq; ex pręsenti

loco facilè potest intelligi. Sed reuertamur ad Procopium, & ad historiæ seriem. Post huius itaque mortem, Marcellus eius cognatus Niceam possidens, præsidio militum & quòd tria Gothorum millia iam uenerant in auxilium Procopio, umbram principatus funesti capessit. Sed aduentante Equitio ex Illyrico, captus Marcellus, in custodiam datus pœnas cœpti motus dedit. deinde sæuitũ est in multos acrius. Valens Imperator cùm imperium susciperet, Christianę religionis legibus deditissimus, tranquillissimè uixit. Postquam Gothi traiecto Histro Thraciam populabantur, pugnaturus cum illis, prius uoluit lauacro baptismatis mundari, ut uirtute illius ac gratia hostes deuinceret. Sed pòst coniugis seductus captionibus, quam Eudoxius Constantinopolitanus antistes Arriana fallacia irretiuit, iuramento se asseruit, ut etiam re ipsa probauit, hanc constanter tueri ac defendere sectam. Omnes igitur ad Arrianum dogma adhortabatur. Qui uerò hanc doctrinam carpebant, mulctabantur exilio. Ob quam Imperatoris crudelitatem, quidam tradunt magnam uim saxorum è cœlo Constantinopoli cecidisse. Sed & Nicomediæ & Antiochiæ turbauit Imperator ecclesias, Arrianos ibi efferens: religiosos uiros expulit, & per Aegypti uastas solitudines egit, fustibusq; per tribunos & milites cędi iussit. ac lege lata, quam Iustinianus in x. Codicis lib. sub titu. de decurionibus ponit, monachos militare præcepit. Quorũ tam ingens in Asia & Aegypto erat copia, ut per Lucium nequitiæ suæ satellitem tria millia ex heremis abstraxerit, Macharitũ eorum pontificem in insulam præcipitauerit, multaq; omnino incommoda Christianis orthodoxis intulit. Et licet Basilius antistes ille Cappadox magnus & rerum doctrina & uitæ sanctimonia, Imperatoris impetum aliquantisper frenasset, paulo tamẽ pòst reuersus ad solitam crudelitatem, etiam amisso filio, quem maluit ab Arrianis baptizari, ne iusiurandum quo se id facturum promiserat uiolaret. Cùm Antiochiæ diu moraretur, omni populo licentiam dedit gentilicia sacra facere, & Iudæis & hæreticis, & quibusuis nationibus. Et tum post Iulianum Imperatorem uanitates extinctæ refloruêre, celebratáque sunt palàm sacrificia Ioui Dionysióque, ac sacra Cereris publice acta. Quæ omnia Imperator Valens intuitus, solis orthodoxis Christianis erat permolestus. Quinimo in maiorem ueniens dementiam, cùm ex magicis uanitatibus intellexisset post se regnaturum, cuius nomen à litera Θ inchoaret, omnes interfici iussit qui hanc literam suo nomine gerebant, Theodoros, Theodocos, Theodolos, & quendam uirum fortem ex Hispania Theodosium. Quare territi plures sua nomina inuerterunt. Fertur autem ea diuinatio facta esse per Libanium sophistam, & Procli discipulum Iamblichum, hoc pacto. In puluere uiginti quatuor literæ distribuuntur, & unicuiq; singulum frumẽti uel hordei granum apponitur. Emittitur demum gallus: enunciatisq; inter hæc incantationibus quibusdam, animaduertunt à quibus literis grana gallus sumpserit, literisq; illis compositis creditur quæ sitæ rei indicium fieri. Id igitur cùm illi fecissent, uiderunt gallum literarum Θ. E. O. Δ. grana comedisse: Visaq; est anceps ea demonstratio, quum plurima nomina ab ijs literis ordiantur. Cumq; plures essent interfecti quorũ nomina has literas habent, iussit Valens diuinationis huius authores inquirere. Cùm autem esset irę implacabilis, ueritus principis crudelitatem Iamblichus, sumpta ueneni potione uitã exuit. Hęc Ioannes Monachus, licet et aliter Cassiodorus eam recẽseat. Interea Valẽtinianus Saxones inferioris Germanię populos tumultuãtes, Oceani accolas, inter inuias paludes domuit: ac Burgũdiones nouos hostes, quorum ad lxxx. millia traiecto Rheno ripa citeriore constiterant, oppressit, & uictor ad Oceanum peruenit. Tum assentiente exercitu, pro concione Gratianum filium altetum insignibus ornatum appellauit Augustum, hortatu uxoris, nec dum plenè puberem. Elegans epigramma Ausonij hoc loco subijciendũ putaui, quo Danubius loquitur:

Illyri-

Illyricis regnator aquis, tibi Nile ſecundus,
Danubius lætum profero fronte caput.
Saluere Auguſtos iubeo, natumq; patremq;,
Armiferis alui quos ego Pannonijs.
Nuncius Euxino iam nunc uolo curruere ponto,
Vt ſciat hoc ſuperũm cura ſecunda Valens.
Cæde, fuga, flammis ſtratos perijſſe Sueuos,
Nec Rhenum Gallis limitis eſſe loco.
Quod ſi lege maris refluus mihi curreret amnis,
Huc poſſem uictos inde referre Gothos.

Qua tempeſtate & in Aphrica Firmum noua molientem prælio uicit ac cepit Theodoſius pater eius, qui pòſt imperauit, à Valentiniano miſſus, & à Valente pòſt occiſus, cùm Aphricam compoſuiſſet apud Carthaginem: ſed prius baptiſmate ablutus, ut liberior iugulum percuſſori præberet. Sed ſub Valente potius quidam id geſtum teſtantur. Et in Britannia duce Valentino Picti & Scoti Germaniæ gentes res nouas moliunt. Illi Caledonios & Veturionas occupant, hi depopulantur inſulam. Et Sarmatæ quoque præſidem quem Romanus Imperator dederat, expulerunt. Vnde & indignatus Valentinianus, cũ illos Pannonias uaſtare audiret, bellum in eos parans, exacta Treueris hyeme in Gallias reuertitur. Et Bregitione oppido, cùm Quadorum legationem, qui latrocinia excuſabant, paulo attentius audiret, ſubita ira accẽſus incidit in morbum. Quo arescentibus uenis, cùm nihil ſanguinis emitti poſſet, mortem obijt: 153 apoplexin alij uocant, qua, uoce amiſſa, ſenſu integer expirauit. Quod quidẽ intemperantia cibi ac ſaturitate, qua artus diffuderat, accidiſſe plures retulerunt: anno ætatis quinto & quinquageſimo, cùm imperaſſet annos xi. menſ. viij. dies xx. uir egregio uultu, animo graui, ingenio ſolerti, ſermone cultiſſimo, ſed parco. Et ga Deum ualde pius, ut ob id à Iuliano exilio ſit mulctatus. Corpore robuſtus, & à iuſticia nunquam alienus: ob id quibuſdam Seuerus dictus, & uehemens. Vicijſq; infeſtus, potiſſimum auariciæ: moribus Aureliano ſimilis. Sed Hadriano proximus in pingendo ſimulachra, ſiue cera ſiue limo fingendo, noua arma meditando. Probatus omnino princeps, ſi ei fidis uti licuiſſet. De quo ita diuus Hieronymus, cùm de cereo paſchali agit, ſcribit: Nuper Imperator Valentinianus, cùm aduerſus Sarmatas quandoq; propter Illyrij uaſtationem in conſiſtorio ſæuus infremeret, & totius gentis excidium rigidus minaretur, ſanguine irrumpente diſcrepuit. Duas autem habuit uxores: Seueram, ex qua Gratianũ Imperatorem genuit: & Iuſtinam, quam ob nimiã pulchritudinem, cõmendante ita Seuera priore coniuge, etiam duxit: hęc filia fuit Iuſti, qui iudex Piceni erat temporibus Conſtantij. Is cùm ex dextro ſuo femore imperialem purpuram ſe genuiſſe ſomniaret, & uiſio hæc ad Conſtantiũ eſſet delata, timens ne ex eo Cęſar naſceretur, Iuſtũ occidit. Iuſtina filia orphana relicta, ob pulchritudinem eſt Seueræ uxori Valentiniani cõciliata, receptaq; in ſummam familiaritatem: qua cùm ſæpius lauaretur, miram Seuera corporis pulchritudinẽ admirata, marito detulit: Se quoq; mulierẽ, illius ſpecie captam. Imperator his uerbis allectus, hanc quoq; uxorem duxit, noua lege lata, ut qui cũq; uellẽt uiri, impunè poſſent duas accipere uxores: ſic enim populoſas fore gentes. Ex hac Valentinianus Imperator genuit Valentinianũ iuniorẽ, quem Gratianus in conſortẽ imperij accepit. & tres filias, Iuſtam, Gratam, & Gallam, ex ea genuit. duę uirgines perſeuerarũt, Galla Theodoſio Imperatori nupſit, & Placidam ei filiam peperit, quę mater fuit Valentiniani Imperatoris, quoniam ex Flacilla priore cõiuge prius Arcadiũ & Honorium genuit. Soſomenus refert duas fuiſſe imperatori Valẽtiniano filias, Anaſtaſiã atq; Charoſam, quas illi Martianus in Grãmaticis inſtituit: è quarũ nominibus Anaſtaſianæ & Charoſæ, thermæ publicæ Conſtantinopoli dictæ ſunt. Quod ideo admonui, ſi

 forte

fortè fuerint hæ duæ ex prima coniuge Seuera. Exemplum miræ iustitiæ Valentiniani Imperatoris in quendam præpositum suum Rhodanum, ratione mulieris Berenicæ, quæ super iniurijs ab eo illatis Imperatori conquesta est, uide apud Iohannem Monachũ in uita illius. Cæterùm ut ad Valentem redeamus, qui cùm in Alexandria & Aegypto lege lata orthodoxos persequeretur, nihilo proficiente Themistio philosopho, qui pulcherrima oratione Imperatoris furiam sedare annixus est, à fratre Valentiniano Imperatore literis est reprehensus atque admonitus, ut à secta Arrianorum sese retraheret. Sed ille à proposito minus destitit, magisq; ad Christianorum perniciem est inflammatus. Interim Parthi Armeniam irrumpunt, qui occurrente Arinthio legato abierunt, prouincia liberata. Alia uia Sapores rex Persarũ rupto fœdere Ctesiphontem cœpit, ibiq; hyemauit. Rursus Hunni seu Alani, qui sunt Tartari, & Nomades
154 Scythę, longè à regione trans Tanaim uenientes, superato Istro, qui limes erat, uagi Pannonias, Epirum & Thessaliam grauiter uastauerunt, aliquot urbibus direptis & incensis. Adhæc Gothos antiquis sedibus rabie perciti expulerunt. Gothi Fridegerno duce, Valentis auxilium postularunt. A quo sine ulla fœderis pactione susceptí, per Thracias sunt locati, & in ripa Danubij citeriore positi. Ob quod etiam milites suos despiciebat, arbitratus tutum sibi esse illic con
155 tra omnes Barbaros præsidium. Hoc solatio uictus est & in fugam uersus Atalarichus rex Geuitugiorum, qui bellicosi sunt Tanais accolæ. Gothi ut Valenti gratificarentur, cùm se Christianos profiterentur, Arrianum ab Imperatore dogma susceperunt, quam postea labem nunquam dimisêre. Vulfilas Gothorum tum episcopus, Gothicas literas adinuenit, & in eam linguam Sacram scripturam traduxit. Atalarichus uidens patriam religionem uiolari, [illegible] mouit, & Gothos iterum in arma compulit. Qui mox dissoluta amicitia, omnia cædibus incendijsq; complebant. Valens properè ex Antiochia accitus, tantam pestem auertere non potuit: sed magna clade uictus, & lachrymabili bello obrutus, terga dedit: & in fuga uulneratus sagitta, decidit ex equo, acceptusq; est in uile tugurium circa Hadrianopolim, iuxta quod palearum strues erat cumulata: quod igne suppositò in flammas solutum, Imperatorem Valentem absumpsit. Locus enim septus ab hostibus, quia primo impetu capi non potuit, dum uictor Alanus Imperatorem persequitur, inscius illic eum latere, ignem iniecit, quo concrematus est. Ideò diuus Hieronymus inquit: Quid de fratre Valentiniani loquar? quem contra regale fastigium Thraciæ ignis absorbuit?

Alij tradunt, ipsum mutato Imperiali habitu inter pręliandum ad pedestres turmas descendisse, quia iam equites diffugerant, ignoto illic uulnere tum confossum. Sic perijt digna morte Valēs Imperator, anno ætatis quinquagesimo, cùm imperasset annos tredecim, post fratrem solus annos iij. Vir aliunde in amicos fidus. Refert Zonaras, Isaacium quendam uirum sanctum Imperatori Valenti ad prælium contra Scythas proficiscenti occurrisse, &, Redde ô Rex (dixisse) Christianis sua templa, si uictor è bello redire cupis, alioqui uictus peribis. Cui Imperator, ni fileret, carcerem interminatus est. Sed cùm uir ille sanctus non desisteret, in custodiam usq; ad reditum Cęsaris est traditus. Quo die autem Valens exustus est, Isaacius custodibus dixit, Valens igne extinctus iacet. Obseruatus est dies & hora qua hæc uerba dixit uir ille beatus, & res ipsa ueritate comprobata est. Vidit etiam in somnis Valens Cęsar hominem quendam sibi hęc uerba dicentem:

Magnum ad Mimantem uade festinus, te ibi
Extinguet horrentem grauis fati impetus.

Somno experrectus, astantes quæsiuit, quis nam Mimas uocaretur locus? Et cùm tandem ex grammaticis seu oratoribus quispiam, qui regias aulas sequuntur, dixisset, esse Asiæ montem Mimanta, cuius & in Odyssea Homerus memi-

meminisset: Ad aërium q̃ Mimanta. Ridens Imperator suscepit, Quę me urget necessitas hunc uisendi, & fatum quærendi? Sed cùm exustus esset Imperator, abeuntibus illic Barbaris, milites quidam Valentis cadauer disquisiuerunt. In eo tugurio ubi pertij, inuentũ est antiqui cuiusdã uiri sepulchrum, cum hac inscriptione: *PRAEFECTVS MACEDONVM MIMAS HIC SITVS EST*. Itaq; impletum est somnium illud Valentis.

Habuit uxorem Dominicam Augustam, raræ pudicitiæ fœminam, quæ Hunnis, Alanis & Gothis uictricibus signis Constantinopolim obsidentibus, uiriliter restitit. Nam ex ærario publico multas pecunias & arma ciuibus ac plebi largita, ab urbis uastatione hostes submouit, regnumq; cognatis fideliter seruauit. Sarraceni etiam cum Regina eorum Mannia Romanis fœderata, auxilia tulerunt. Quanquam alij probant, Dominicam Augustam persoluta ingenti pecunia hostibus urbem suam custoditam. Inuenio Valentem ex ea genuisse filium unicum, qui infans mortuus est, dum eum pater Arrianis præsentibus baptizare fecisset iuxta suum iusiurandum. Licet paulo antè Basilius episcopus precibus suis ad Deum, ab ægritudine liberasset. Hæc ex Ammiano Marcellino, Orosio, Paulo Diacono, Sext. Aurelio, Iordanne Fergino, & historia Tripartita excerpsimus. Nam alios qui hæc tempora scripsissent, hactenus non uidimus. Sed quid obstiterit studioso, etiam uidere Monodiam Gregorij Nazianzeni, ubi de perfidia Valentis Cæsaris nonnulla leget quæ ipsum oblectabunt? Ioannes Monachus, qui res Christianas paulo diligentius collegit, & utriusq; uitam non minus accuratè conscripsit, non est negligẽdus. Nos igitur pro more, nostrum nunc subdamus tetrastichon:

Inde Valentinianus adit cum fratre Valente
Imperium, ascitus milite, patris ope:
Imperat occiduo primus fœliciter orbe,
Alter in Eoo limite succubuit.

GRATIANVS.

GRATIANVS filius Valentiniani Imperatoris & Seueræ Augustæ, genitus Syrmi, literis fuit ab ineunte ætate haud mediocriter institutus, Ausonio præceptore, eruditissimo atque ingeniosissimo uiro. A quo & Gratianus carmen facere, ornatè loqui, explicare controuersias more Rhetorum solitus, liberalium artium studiosus, poeta & orator haud uulgaris, plerisque ifuit admiratoni. Quare & pater Valentinianus uix puberem, imperij insignibus ornatum, Augustum appellauit. Princeps planè religiosus ab adolescentia, qui mente pura & immaculabili conscientia, Deum summum ueneratus est quotidie. Homo frugi & pudicus ac uerecundus, in amicorum officijs sedulus, liberalis, & adeò comis, ut ægros sæpè inuiseret, medelis consolatos foueret, fomentis sanaret, & sumptibus aleret. Defuncto Valente patruo sine sobole, Asiæ Lybiæq; regna suscepit, cùm iam à patre Augustus declaratus Europæ præesset. Valentinianum iuniorem fratrem, licet ex alia matre, ut mox scribemus, titulo Cæs. August. participem regni ac consortem fecit, Treueris tum agens, consulente Merobaude tribuno: cum quo mox ex innata pietate lege sanciuit, ab exilio reuocandos antistites ac pręsules, qui à Valente erant immeritò expulsi. Iussit insuper unamquanq; religionem sua sacra celebrare, ab ecclesia tamen amouit Eunomianos, Phornianos & Manichæos hæreticos. Zonaras tradit, exercitum Valentinianum, absente Gratiano, puerum adhuc quadrimum, Cęsarẽ declarasse: quod bilem Gratiano mouit, adeò ut plerosq; increparet uerbis acerbioribus, quasi sinistrũ animum erga se principẽ ostendis-

ſtendiſſent. Ab imperij tamen ſocietate fratrem non repulit, ſed omnia ei communia fecit. Cùm interim immẽſa hoſtium multitudo Gallias irrumperet, Gratianus admodum iuuenis, licet impari militum numero, cum his cõgreſſus, circa Argentoriam oppidum, triginta millia Alemannorum fudit. Vnde & Germanicus & Alemannicus dictus eſt. Cùm uerò animaduertiſſet Thraciam ac Daciam genitales terras à Gothis, Thaiphalis, Triballisq; uaſtari, ac omni pernicie atrocioribus Hunnis ac Alanis periculũ Romano nomini imminere, in Pannoniam ueniens, accitum ab Hiſpania Theodoſium, ingentis animi & pietatis uirum, cuius fama à rebus geſtis iam erat ob eius fortitudinẽ celebris, magiſtrum militum fecit, & cum exercitu contra Barbaros miſit. Qui cum expeditione Thracias penetrans, cum his manus conſeruit, eosq; cęde ac ferro in fugam uertit. Reuerſus itaq; Theodoſius cum ingenti uictoria, ſui triumphi ipſemet nuncius, Imperatori res geſtas enarrat, Barbarosq; Iſtrũ traiectos fatetur. Quod obtrectatores Imperatori tanquam falſum fictumq; obijciebant: quinimo ipſum in fugã uerſum amiſsis copijs, ementiebant. Miſsi exploratores, multa millia Barbarorum cæſa renunciant. Lętatus Gratianus, Theodoſium conſortem imperij facit, conceſſa illi purpura apud Syrmium, cùm tertium ac trigeſimum ageret ætatis annum, tradito ſibi Oriente ſimul cum Thracię imperio. Quod Theodoſius nocte quæ præceſsit in ſomnis uidit: ab antiſtite ſcilicet Antiochenſi chlamyde ſe ueſtiri, & corona ornari: Neruã in hoc ſequutus, qui Traianum ad optauit. Mox ipſe Gratianus in Italiã feſtinauit, & ad Gallias gubernandas reuerſus eſt, Alemannorum timẽs reditum atq; incurſionem. Cùm interea Maximus dux Romani exercitus, uir ſtrenuus & probus, dignus alioqui principatu, ſi non ſacramenti fidem uiolaſſet, in Britannia ab exercitu Imperator creatus, Gallias ex improuiſo adoritur. Quo tempore Gratianus ocioſus degebat, ſuos negligens: & moribus ac habitu Halanis, quos ſibi poſt obitum patrui conciliauerat, complacere ſtudet. Qua de re odia in ſe militum excitauit, ut legiones Gratiano infenſę ad Maximum, qui tyrãnidem arripuerat, deficerent. Cùm enim ueteres ac Romani milites Imperatorem ſuum uiderẽt, adeò Barbarorum comitatu & amicitia delinitum (quos prius ingenti auro ad ſe tranſtulerat) ut eorum habitu nonnunquam iter cum ijs ſolis faceret, ingemiſcebant, & ipſum deſerentes, illuc tranſierant. Exceptus itaq; à Gratiani legionibus Maximus, dolo Imperatorem circumuenit tali. Andragathius pręfectus claſsis, ſocius & dux Maximi, lectica geſtatus, iuſſus eſt occurrere Gratiano ut eum iugularet. Interim rumor ſpargitur, aduẽtare uxorem Gratiani, quæ in Lugduno Gallię maritum operiretur. Gratianus uerum eſſe rumorem arbitratus, inſidias minimè timuit, & ad uehiculũ quaſi uxoris occurrit: è quo Andragathius proſiliens, armatus & callidus, Gratianum nihil tale timentem occidit, nouem & uiginti annos ætatis habentem, anno imperij xv, xxiiij die. Imperauit enim cum patre Valentiniano annos viij. dies lxxxviij. cum patruo & fratre iij. cum eodem fratre ac Theodoſio iiij. Interfecto Gratiano, Maximus corpus Gratiani reddere Valentiniano noluit, ne exuuiarum redditu militibus dolor renouaretur: licet ſæpenumero per oratores id Valentinianus expoſceret. Beatus quoque Ambroſius orator Valentiniani ad Maximũ fuit, qui eum ad ſe uenire petebat tanquam ad patrem, multa pollicitus: licet non uenerit. Inde & diuus Hieronymus ad Preſidium ſcribens, ſic de morte Gratiani loquitur: Necdum annus completus eſt, quo principem Gratianum prodeuntem cũ exercitu ſuo antè fœda captiuitas, dehinc miſerabilior oppreſsit interitus. Sic perijt Gratianus Imperator, qui religione ac pietate omnes penè qui antè, fuerant, principes ſuperabat. Vſu armorum ſtrenuus, uelox corpore, qui curſu, palæſtra, ſaltu, ceruos ſuperaret: nihilq; aliud die noctuq; ageret, q; ſpiculis meditari: ſummæ uoluptatis, diuinęq; artis credere, deſtinata ſibi ferire. Vnde rectiſsimè de eo Auſonius in Panegyrico dixit: Nemo abductius iacula cõtorſit,

nemo

nẽmo ſpicula crebrius iecit, aut certius deſtinata percuſsit. Quod & eleganti diſtícho alibí expreſsit, de leone ab Imperatore ſagitta occiſo:

Quòd leo tam tenuí patitur ſub arundine letum,
Non uires ferri, ſed ferientis agunt.

Fuit autem cibi, uini, ac líbídinís uíctor. Sed in iuuenílí exultatione plus ſe rè lętus, quàm ſufficiebat: & plus uerecundus, quàm Reipub. intererat. Qui ſi ad cognoſcendam Reipub. gerendę ſcientiã animum intendiſſet, cunctos prę celluiſſet. Sed cùm in hac negligens eſſet, periclitatus eſt.

Habuit autem Gratianus uxorem Cõſtantíam Poſthumam, filiam Conſtantij ſecundí, ex Fauſtína uxore, quam impręgnatam poſt ſe reliquit, ut Marcellinus teſtatur. Quę cùm adoleuiſſet, Gratiano eſt iure matrimonij copulata. Sed nullam generaſſe ex ea ſobolẽ inuenimus. Zonaras ſexto anno ab interitu patrís occiſum Gratianum tradit. Andragathíus autem, qui Gratianum ſuſtulit, cùm Maximus tyrannus eſſet à Theodoſío proſtratus, in fluuiũ ſeſe pręcipitãs, abſorptus eſt ex deſperatione.

Adiungamus huic & fratrem, cum quo regnauit, Valentinianum. Is Valentiniani Imperatoris & Iuſtínæ filius fuit, à Gratiano fratre poſt patris obitum in imperij conſortem aſcitus, & in Italiam miſſus, dum ipſe contra Alemannos pugnaret. Probum, uirum conſularem, pręfectum prætorio habuit. Ad quem Auſonij extant libelli & carmina. Vbi Gratianus Maximi tyranni inſidijs oppreſſus occubuit, neceſsitate coactus, & inuitus in eius imperium conſenſit. Sed Probus tyrannidem metuens, relicta Italia, in Illyricum uenit, & in Theſſalonica Macedoniæ diu ſeſe continuit. Iuſtina aũt mater Valentiniani, uiuo marito, cùm eſſet Arriana, peſtem fateri non auſa, ſe continuit. Sed tum líbera metu, quía filius iuuenis erat, palàm profeſſa, uiros orthodoxos & Ambroſiũ præſulem Mediolanẽſem (nam ibi tum degebat Valentinianus) infectari apertè nõ erubuit, antiſtitemq; loco cedere iuſsit: præcipiens Beneuolum quæſtorem legem promulgare, qua Arriana fides probaret: ſed ad hanc impietatẽ quęſtor nec præmio nec honore impelli potuit. Scripſit itaq; Maximus Valentiniano, ut paternam ſeruaret pietatem, ne moleſtus eccleſijs eſſet, ne bello cogeretur ſecum decertare. Valentínianus iuuenis adhuc matri non auſus reſiſtere, & tyranni dolos ſuſpicatus, in Illyricum confugit, ac tandem in Orientem ad Theodoſium properauit: à quo liberaliter eſt exceptus, admonituſq; ne matri aſſentiret in defendenda Arriana perfidia, ſed pietatem paternam ſectaretur, qui Eccleſiam orthodoxam ſemper fuiſſet tutatus. Refert Zonaras Valẽtinianum Theodoſio ſcripſiſſe, cùm tyrannus ille ſibi immíneret, ut ſuppetias ferret. Cui Theodoſius reſpondiſſe fertur, haud eſſe mirum ſi ſeruus contrà dominum ſuum contemptui habuerit. Significans illum eſſe deſertorem ueræ fidei, & matris potius illecebris pellectum, cõtemnere uerum Deum & Dominum ac creatorem ſuum. Tum expeditionem ingentibus copijs Theodoſio ordinauit contra tyrannum, ueritus ne inſidijs Gratianum obrueret: atq; relicta Conſtantinopolí, cum Valentiniano Theſſalonicam uenit. Vbi legatos Maximi tyranni diſsimulanter audiuit: & ambiguo reſponſo dimiſsis, Mediolanum tendebat: ſuperatiſq; alpibus, circa Aquileiam uictricibus ſignis Maximum ibi ſecurè degentem cæpit. Milites enim Alexandrini, ueriti Imperatoris copias & uictricia arma, impetum ac famem timeſcentes obſidione, tyrannum uinctum compedibus Theodoſio offerunt, à quo occidi iuſſus eſt. Mox Andragathius qui Gratianum interemerat, ſocius Maximi, certior de eius cæde factus, in mare ſe præcipitem dedit. Valentínianus in Occidentis regnum reſtitutus, poſt uictoriam cum Theodoſio Romam eſt profectus: cum quibus & Honorius admodum puer uenit, quem è Conſtantinopolí euocauerat: ubi cum pulcherrimo triumpho dies lætiſsimos peregerunt, & paulo pòſt cum filio Conſtantinopolim eſt reuerſus. Valentinianus ab Italia in Gallias profectus eſt: & dum

& dum Viennæ negligentius moraretur, fraude Arbogasti Alanorum præfecti, noctu in cubiculo strangulatus, creditus subita aut uolũtaria morte obisse. Præsagiebat enim ei animus aliquid mali, et ob id pro Ambrosio episcopo Mediolanensi nuncium misit, ut ab eo baptizaretur. Sed cùm Ambrosius aduentum tardaret, præuentus est Imperator insidijs pessimorum. Nam grammaticus quidam Eugenius, qui ob eloquentiam in palatium ascitus, uenerabatur à multis, Arbogastum Gotthum militaris ordinis ducem, uirum cruentum & sanguinarium, in consilium ac socium accepit: qui unà cubicularios eunuchos Valentiniani muneribus corrumpunt, & ingresso cubiculo dormientem Principem suffocant, anno eius imperij decimooctauo, quò Eugenius tyrannidem arriperet: contra quem profectus est Theodosius, ut infrà scribemus. Fecit orationem funebrem elegantissimam diuus Ambrosius, de obitu Valentiniani Imperatoris, quę prorsus & diligenter uidenda est. Nam pleręq; eius extant ad Valentinianum hunc epistolæ, de legatione sua ad Maximum tyrannum, & quòd aras gentilium imperatorio decreto non sinat instaurari, cùm sit Christianissimus Imperator. Præterea idem Symmachi consulis orationem confutat atq; reijcit, & plura alia, quæ quinto eius Epistolarum libro offendes. Sic interijt Gratianorum proles: satisq; fauenti cœlo uisum est, uno uelut cursu quatuor eam numerasse Augustos, inter quos tertius parum bellicosus, non auo, non patri similis. Romæ cùm à palatio ad hortos Salustianos secederet, dicebat se confecisse Parthicam expeditionem. Moxq; ad Theodosium & liberos suos translatum est imperium, mascula prole deficiente. Ex Gratiano enim funario Valentinianus maior genitus: duos ex duabus peperit uxoribus filios; Gratianum ex Seuera, Valentinianum Iuniorem ex Iustina: ex qua quoq; Gallam, Gratã, Iustamq; sustulit. Sed omnes sine liberis fuêre, præter Gallam, quæ Theodosio nupsit: de cuius genealogia inferius scribemus. Hæc ex Orosio, Paulo Diacono, Sexto Aurelio, Historiaq; tripartita excerpsimus. Ausonij autem Panegyricum quẽ Gratiano dixit, cum alijs quoq; operibus censeo uidendum. Scripsit inde diuus Ambrosius ad Gratianum libros quinq;, quibus eum instruit de fide: opera herclè pręclara & nobilia. Ioan. Monachus luculenter utriusq; uitam græcè complexus est. Nunc uerò pro more nostro tetrastichum de Gratiano subdamus: nam alter ocioſus penè quieuit.

Hinc Cæsar, cui nomen auus, cui gratia donat,
Et quem gens tulerat Flauia Pannonijs.
Millia multa Alemannorum qui perdidit, illum
Abstulit horrendo Maximus inde dolo.

THEODOSIVS CAESAR

THEODOSIVS Imperator filius Theodosij, uel (ut alij) Honorij & Thermantię, in Hispania genitus, in Italica Diui Traiani ciuitate, ibiq; enutritus, à patre illustratus est ac nobilitatus. Quandoquidem in Aphrica procõsul, dum strenuè commotam seditionem sedasset, commeruit Valentis imperatoris inuidiam: à quo iussus est occidi, quod superius scripsimus. Ex hoc patre genitus est is Theodosius, cui hoc nomen parentes somnio admoniti indiderunt: quod sonat, quasi à Deo datus. Oraculo etiam quodam in Asia diuulgatum est, successorem fore Valentis, habiturum nomen cuius initium à theta græca litera sumatur. Quo oraculo deceptus Theodorus quidam, cùm imperium ui arriperet, cupidinis ineptæ supplicia luit. Referebat autem genus suum in Traianum, cui & moribus & corpore persimilis fuit, tam uultu quàm incessu. Nam & eminens utriusq; fuit statura, & par cæsaries, ingentes oculi, uterq;

uterq; comis ac clemens. Violentiam tamẽ & triumphandi cupiditatem, plus 162
detestatus est Theodosius, quàm Traianus. Quemadmodum autem Traianus labentem Rempub. in pristinas uires restituit: ita hic Imperium Romanum, quod ocio & negligentia trium principum consenuerat, dissensione partium dilaceratum, ueluti noua pelle iuuenescere fecit, & lacertos mouere. Cùm tertium ac trigesimum ætatis annum ageret; Syrmij amictu purpureo est à Gratiano indutus, Cæsarq; appellatus, & Augustus, postquam multa millia Barbarorum è Thracia, quò ire iussus erat ab Imperatore, fœliciter eiecerat ac fugauerat: licet obtrectatoribus tum quidem minimè careret, qui eius res gestas e-
10 leuabant. Fertur eum in somnis, priusquam Augustus designaretur, uidisse se à 163
quodam sene sacerdote corona & pallio ornari: quod paulo pòst re ipsa uerũ esse declaratum est. Ea enim tempestate Vesogothi Thracias Ripensemq; Daciam uastabant, Gratianusq; coactus est in Gallias festinare ob Vandalorum incursionem. Ob id Orienti præfectus Theodosius, uirtute ac militari disciplina, ingenio & consilio clarus, Gotthos Thraciæ finibus pepulit: Hunnosq; ac Alanos Scythicas gentes, ipsi etiam Alexandro formidatas, multis magnisq; prælijs uicit, reformato Romano exercitu incunctanter illos aggressus. Sed cum Theodosius letalem incidisset ægritudinem, Gotthi iterum cum audacia Thessaliam, Epirum ac Thraciam depopulabãtur: cum quibus Gratianus fœ-
20 dus ac pacem fecit, missis pluribus muneribus ac ubere annona. Timuit enim, ne Theodosius uitæ finem faceret. Cùm itaq; in Thessalonica usq; adeò ægrotaret, ut ab Anatolio eiusdem ciuitatis antistite baptizaretur, licet à maioribus suis ab ineunte pueritia Christianis legibus esset institutus, mox ad populum Constantinopolitanum scripsit, orthodoxæ se religioni esse addictum, præcipiens omnes huic subesse. Dehinc Constantinopolim intrauit cum honorifica pompa, Gotthorumq; regem Atanarichum benignè ad eum uenientem suscepit. (fœdus enim cum Gotthis quod Gratianus pepigerat, ratum & ipse habuit.) Sed ubi Gotthorum rex diem obijt, perfectis mira cum solennitate exequijs, quibus Romanus etiam intererat Imperator, qui supererãt Gotthi, in
30 fidem ac uerba iurarunt Theodosij Imperatoris, uirtute ac benignitate principis allecti, fœderatiq; dicti sunt. Ac tum militia illa dudum sub Constantino principe fœderatorum renouata est, unumq; corpus ex illis ac Romano milite efficitur: cum quibus postea Imperator Maximum, Victorem ac Eugenium ty 164
rannos debellauit. Eisdem diebus Persarum legatio Constantinopolim uenerat, ac pacem petierat: siue principis bonitate permoti, siue satiati uictoria, qua olim Iulianum strauerunt, Valentem in fugam uerterunt. Tunc cum ijs fœdus est ictum, quo uniuersus penè Oriens est Romanis conciliatus. Post liberatas tandem Barbarorum gentibus Thracias, Arcadium filium consortem fecit imperij. Cùm interim Maximus è Britannis tyrannus, Gratianum Imperatorem
40 occidisset, Valentinianusq; eius frater Italia eiectus ad Theodosium profugisset, à quo benignè susceptus est, ut uno labore utrisq; fratribus opitularet, mortem Gratiani uindicando, & Valentinianum extorrem restituẽdo, relicto Constantinopoli Arcadio filio, ipse Theodosius cum ingẽti exercitu, & plusquam uiginti armatorũ millibus Alpes Italiæ penetrauit, & custodita claustra facilè superauit: ac Maximum tyrannum circa Aquileiam occidit & interemit, cum ei uinctus à suis esset oblatus. Hoc quod ei Diuus Martinus præsul Turonensis prædixerat, infœlici scilicet exitu terminari eius uitam. Vbi etiam Andragathius præfectus classis certior de cæde Maximi factus, in mare se precipitauit.
Ac tum deinceps Victor Maximi filius, quem Cæsarem pater fecerat, & Gal
50 lijs præposuerat, trucidatus est, regnoq; suo restitutus est Valentinianus. Peracta uictoria, ambo Imperatores Romam cum triumpho ingressi sunt. Euocatus & Cõstantinopoli Honorius admodum adhuc iuuenis, Romam uenit, ut cum patre uictoriam celebraret. Qui mores urbis deprauatos reformauit no-

uis legibus,& piſtrinam qua meretrices proſtabant demolitus eſt, ac quo ſupplicio deinceps punirentur adulteræ deprehenſæ ſanciuit. Symmachũ quoq; ſenatorem Maieſtatis reum, qui Maximi tyranni laudes decantauit, ob ſingularem eius eloquẽtiam ac doctrinam abſoluit: pòſt deinde cum Honorio filio Conſtantinopolim profectus, relicto Romæ Valentiniano. Quem in Galliis paulo pòſt Arbogaſtus quorundam auxilio ſtrangulauit in cubiculo, ut ſuprà memorauimus. Nam Arbogaſtus, poſt occiſum Valentinianum,& interfectũ Victorem, occultata iuuenis morte, Eugenium Imperatorem cum exercitu facit: qui olim grammaticus & literarum latinarum præceptor, relictis ſcholis in palatio Imperatoris militabat antographus, ob eloquentiam honoratus. Erat autem Arbogaſtus genere Gotthus, Gallici exercitus præfectus: uir barbarus animo & conſilio, manu, audacia, potentiaq; promptus. Et qui titulo Eugenij, quem Imperatorem ipſe nominauerat, Occidẽtis regnum inuadere ſtudebat, multis millibus coadunatis & ex Romanorum præſidijs & Barbarorum auxilijs, conflicturus cum Theodoſio de ſumma rerum, clauſis ac obſeſsis undique alpibus, ne Imperator Theodoſius irrumperet. At Theodoſius Imperator inuictus, Deo hominibusq; acceptus, & qui omnem ſpem in Chriſtum optimũ maximum collocabat, effuſis cum precibus lachrymis, cibi expers, noctẽ peruigilio & oratione inſomnem egit: ingẽti animo, cum Honorio filio quem Imperatorem deſignauit, opus aggreſſus, alterũ prælium ſuſcepit: paratis copijs, & accepto reſponſo de fœlici pugnæ euentu in ſomnis. Mox hoſtilia arma, pugnantibus etiam pro eo uentis, qui ſponte contrarij hoſtibus eruperant, profudit atq; deleuit. Adeò ut nimirum poeta Claudianus tum non minus elegãter quàm uerè caneret, in tertio Honorij conſulatu:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati ueniunt ad claſsica uenti,
Alpinæ rubuêre niues, & frigidus amnis
Mutatis fumauit aquis: turbaq; cadentum
Staret, ni rapidus iuuiſſet flumina ſanguis.

Continuus enim turbo, ora pectoraq; hoſtium & telis & ſcutis quatiebat. Nec inanis ulla uolabat ſagitta: & iam Arbitio hoſtiliũ partium comes, Maieſtate Imperatoris motus, ſuum deſeruit tyrannum. Eugenius itaq; captus, pœnas luit. Dum enim ante pedes Imperatoris proſtratus ueniã petit, à militibus aſtantibus capite truncatur. Alij tradunt ſeſe præ timore, cùm illi iniectus eſſet terror, ſtrangulaſſe. Arbogaſtus ut cruciatibus ſe eximeret, ſua manu ſeipſum iugulauit enſe, qui paulo antè decem millia Gotthorũ à Theodoſio miſſorum proſtrauerat. Omnia elegãter Claudianus proſequitur, in quarto Honorij cõſulatu. Ferunt religionis noſtræ ſcriptores, nocte quæ pugnam præceſsit, duos uiros in ſomnis uiſos, qui Imperatori Theodoſio apparuerunt candidis ueſtibus, uictoriam promittentes: qui & militi cuidam apparuerunt, quorum alter Ioannes euangeliſta, Philippus alter apoſtolus fuiſſe narrãtur. Nec id mirum cuipiam uideri debet, cùm Romanis ſæpius Gemini fratres Caſtor & Pollux apparuiſſe pluribus bellis dicantur, annunciantes uictoriam & bello Latino & Macedonico. Sic Victor ingenti gloria potitus, ampliſsimo triumpho liberati orbis, ſubactis undiq; tyrannis, adminiſtrationi Reipub. animum adiecit: filioſq; conſortes imperij faciens, Arcadium Orienti, Honoriũ Occidenti præfecit. Ipſe Mediolani cõſenuit. Vbi cùm quondam templum ingreſſus, ut ſummo Deo ſacra perſolueret, à diuo Ambroſio eſt prohibitus: quòd olim Theſſalonicæ, orta quadam ſeditione, autor fuiſſet, ut multi innocentes eſſent trucidati, ſeptem penè millia hominum ſcilicet: licet Zonaras dicat quindecim fuiſſe millia cæſa. Ob quam rem pœnitentiam egit, & ſeſe precibus Ambroſij deuotiſsimè ſubmiſit. Omniq; æuo eccleſiæ obediens, leges conſcripſit de ſubuertendis

tendis Deorum delubris, quòd in Aphrica passim, & Asia, & Alexandriæ potissimum factum est, ubi radicitus Serapidis & Canopi subuersa sunt templa. Quæ aũt uota fecerit Theodosius Imperator Ambrosio, & quam legem inde sanciuerit, licet in Decretis xi. q. iij. c. cùm apud: & nonagesimasexta dist. c. duo sunt, ponantur: tamen omnium copiosissimè historia Tripartita lib. nono cap. xxx. explicat, ac legem ipsam ponit, quæ in C. repetitur, tit. de Pœnis. l. Si uindicari. quæ omnia rem ipsam apertissimè commonstrant. Sed reuertamur unde digressi sumus. Cũ deinceps Theodosius Mediolani degeret, ex senio in morbum incidit, quo tempore ludos celebrabat pro uictoria, quibus ipse & filius interfuit mane. sed peracto prandio repentè prægrauatus, spectaculo non interfuit, filiũ tamen adesse præcepit. Noctu uerò defunctus est, anno ætatis sexagesimo, uel (ut qui uerius) quinquagesimo: cũ imperasset an. xvij. Corpus eius est Constantinopolim translatum, ibiq; sepultum. Mediolanensis episcopus Ambrosius ei orationem funebrem dixit, quæ extat: quæ terræmotũ, assiduos imbres, caliginosos dies, mortem Imperatoris præcessisse attestatur. Talis erat exitus clemẽtissimi Principis, qui in omnes homines erat munificus ac liberalis, potissimum tamen in bonos. Diligebat ingenia simplicia, mirabatur erudita, literis ipse mediocriter eruditus: multum tamen sagax, & ueterum gestorum diligens inuestigator, sed qui superba ac crudelia facta improbaret. Ad iram tardus: quam si quãdo incidit, temporis interuallo iniecto emolliuit. Postquam fuerat ab antistite sancto correptus, prius alioqui implacabilis iræ, in amicos, propinquosq; admodum propensus, adeò ut patruum ueluti genitorem coleret, fratris sororisq; liberos pro suis haberet. Tantũ pudori tribuens ac continentiæ, ut cõsobrinarum nuptias uetuerit, tanquam parum honestas.

Habuit autem duas uxores: Flacillam, deuotissimam ac religiosissimam fœminam, quæ multa pietatis exempla egentibus exhibuit: & maritum sæpè admonuit, ne benefactori ingratus foret. ex qua Arcadium & Honorium filios Imperatores genuit, quos post se superstites reliquit. Huius statuas in foro positas, cùm Antiochenses ob impositũ uectigal nouum deiecissent, & per uias publicas traxissent, hos in Laodicensium tradidit potestatẽ: grauiusq; ob hãc contumeliã puniuisset, ni Flauianus præsul iram eius temperasset. Sed hac defuncta, Gallam suscepit, Valentiniani maioris filiã, & iunioris sororem: ex qua filiam tulit Placidam Gallam. Sed quisquis plura de Theodosio scire uoluerit, Aurelium Sex. qui hoc loco libellum suum claudit, Orosium, Paulum Diaconum adeat, & Iordannem. Nec grauetur nonum librum historiæ Tripartitę, & undecimum Ecclesiasticæ Ruffini inuisere. Est etiã uidendus Ambrosius, tum Augustinus lib. quinto Ciuitatis diuinæ, tũ Claudianus passim, ac Procopius de bello Vandalico. Sed in primis Panegyricus ille elegantissimus Latini Pacati Drepani, qui haud parum multa de Theodosij uirtutibus docebit: quem studiosissimo cuiq; perlegendum & ediscendum censeo. Sed minimè est negligendus Ioan. Monachus, qui res Christianas, & quomodo Theodosius Arsenium diaconum, uirum eloquentissimũ, filijs suis Arcadio & Honorio præceptorem dederit, pulcherrimè enarrat in sua historia: quem suadeo euoluendum. Nunc uerò nostrum subdendum est de more tetrastichon:

Theodosius sequitur, ualidis accitus Hiberis,
Corporis ob uires cui datur imperium.
Ille Gothosq;, Scythasq; omnis, sæuosq; tyrannos
Oppressit, pugnans auxilio superũ.

ARCADIVS▸ HONORIVS▸

DEFVNCTO Theodosio Magno, imperium orbis diuisum est inter filios duos testamento. Sed quia nondum ætas matura imperio erat, ductores legit, qui pueris adessent. Et Ruffinũ Arcadio, qui Orientis erat Imperator, adiungit: Stiliconẽ Honorio, qui Occidentem tenebat, nondum decimum annum egresso. Fuit & Gildo tũ præses uniuersæ Africæ. Refert Zonaras, ambos imperatores fratres misisse ad Arseniũ olim præceptorem suum, qui tum exulabat, ut eis delicta condonaret: Arcadium ob insidias quas ei tetendisset, totius Aegypti uectigalia unius anni pro munere obtulisse. Quæ quidem Arsenius respuit, tanquam homini mortuo mundo pecunia esset inutilis, qui nihilominus à Deo optabat gratiam. Quomodo autem sub ijs imperatoribus bella undiq; detonuerint, cùm plures undiq; orti sunt tyranni & duces mali, promiscuè (ut res acciderint) enarremus. Cùm Theodosius rebus humanis excessisset, ambo filij iuuenes erant. Qua occasione duces ueterem fidẽ & ius legati sanctissimum, regnandi cupiditate uiolarunt. Ad hoc iuuenes Cæsares atq; Augusti auxiliarijs suis, hoc est Gothis, donaria consueta subtrahentes, fastidiũ illis ingerebant. Qui ne longa pace eneruarẽtur, regem Alaricum deligunt, cui erat post Amalos secunda nobilitas, ex genere Balthorũ: qui dudum ob audaciam uirtutis Baltha, id est audax, nomen inter suos acceperat. Quem Ruffinus Gallicus, uel secundum alios Britannus, clàm missis muneribus euocat, atq; arma capere contra Arcadium persuadet, ut sub eo metu, diadema Orientis capiti suo imponeret, & Arcadium imperio priuaret. Facilè Alaricus persuadebatur, qui iam cum suis noua quærere regna maluit, quàm alienis per ocium inseruire. Proditione comperta, medio conatu Ruffinus pernicioſus tutor, à militibus Italicis est occisus: caput cum dextra præcisum ante ipsas Constantinopolis portas pependit, ac spectantibus ludibrio fuit: uxore eius in exilium missa, cunctas eius opes Eutropius Spado promeruit. Is est ille Ruffinus, quem Claudianus duobus libris insectatur acerbissimè. Interea Gildo in Africa etiam animum adiecit ad prouinciam suo imperio subigendam, puerorum ætatẽ aspernatus, post Theodosij patris obitum. Cui Mascezel frater restitit, impium fratris scelus detestatus: ob id in Italiam nauigans, ut Honorio id conquereretẽ. Gildo interim in fratris inuidiam, eo absente, eius filios enecat. Mascezel ab Honorio copias accipit, traiecturusq; in Aphricam, ex Capreis insula uiros sanctimonia uitæ præstantes accipit, quorum precibus uictoriam à Deo assequi sperat. Et nimirum cum quinque millibus armatorum, lxxx millia ex fraternis copijs deleuit. Gildo fuga nauí ablatus, seuitia maris interram relatus est. Submissi à Mascezele fratre satellites apud Tabracum, qui gulam Gildonis à fuga retracti, uelo fregerunt. Hoc modo Mascezel filiorum cædem ultus, in eandem dominandi cæcitatem prolapsus est, quasi non Honorio sed sibi uicisset, Aphricam armis receptam ad se trahere conatus est. Sed nihilo est res meliore euentu ab eo mota, quàm antè à fratre fuerat. Milites enim eius imperium pertęsi, Mascezelem obtruncant. Atq; sic duorum fratrum rebellium continuatis cædibus ultio ac uindicta recepta est, qui Aphricæ imperium non magis temerè quàm infœliciter tentare ausi fuerunt. Scripsit hoc bellum poëticè & eleganter Claudianus poëta, & Orosius in fine suarum historiarum. Sed cæca dominandi libido, quæ sæpe transuersos egit mortalium animos, Stiliconem quoq;, qui occiduæ Aulæ erat præfectus, subuertit. Qui cùm genere Vandalus esset, acquisitis multis opibus, maiorem indies autoritatem acquisiuit. Dum Honorio insidiatur, secretiore uia filio suo Eucherio regnum parat. Nam cùm duæ essent Stiliconi filiæ, quæ ambæ una post alteram Honorio nupsissent, & utræq; ante diem nuptiarum obijssent, mœstus parens ad im-

165 perij

perij res infringẽdas callidum ingenium adiecit. Sueuos Suanorum gentes & Alanorum, Burgundios, Alanos, & populares suos Vandalos, magna spe prædæ sollicitauit ad Gallias hostiliter inuadẽdas occultè: sperans fore, ut Honorius aut bello succumberet, aut filius in regni consortium ueniret. Ipse copiarũ ductorem nefando consilio exhibebat, metumq; simulabat. Mox igitur cc. millia duce Rhadagaso in Pannoniam coëunt, & Alarico regi Gothorum se miscentes, Thraciam, Illyricum, Noricum, & eam Italiæ orã quæ Norico adiacet, ferro & igni populantur, uastant agros, diripiunt oppida, editis passim cædibus omnis sexus indiscriminatim. Rhadagasus Apenninum transgressus, Fesulis consedit. Cui Hetruriæ imminenti, Vldinus & Sarus cum exercitu Hunnorum & Gothorum auxiliariorum occurrerunt. Quorum occursu multitudo Gothorum in angustias deiecta, commeatibus undiq; intercluſis, inedia confecta est. Rhadagasus post res perditas cum paucis fugam molitus, captus, & ex fuga retractus, strangulatus est. Tantaq; uis hominum capta est, ut seruitiorum greges uno aureo sectores licitarẽtur nummo. Hostes qui superfuerunt, ad Alaricum Vesogothorum regem confugerunt: qui haud procul Rauenna, loco cui Candiano nomẽ est, castra fecit. Quo nuncio excitus Stilico, præmissis qui hostes (extremum agmen carpendo) ab instituto itinere remorarentur, ipse cum robore copiarum per Aquileiam & Patauium Rauẽnam descendit. Alaricus ad Polentiam uicum in alpibus Cottijs castra trãstulit, duo & xx millia passuum à Rauenna, ut loca Apennino proxima obtineret: legationemq; Honorio Imperatori Rauennam mittit, ut agros ad habitandum donet: se curaturum, ut æquo iure Romanorum ac Gothorum populus sine discrimine gubernetur. Honorius inito consilio, Gallias Hispaniasq;, iam penè Vandalorum ac Sueuorum incursu perditas offert. Quam donationem sacro oraculo confirmatam, receptant Gothi. Quo dum proficiscuntur cum omni supellectile, fraude à Stilicone sunt petiti, nihil mali Gothis suspicantibus. Cùm enim Stilico rei militaris esset scientissimus, magisq; consilio quàm uiribus ualeret (nam erat hominũ numero multo inferior) in Vesogothos à tergo irruit, & de industria hostem fatigabat, & bellum trahebat, ut inuadendi Imperij occasionem inueniret. Tum Saulum Hebræorum ducem, cum ualida Iudæorũ manu ex foro Popilij Gothis immittit, quo tempore pientissimè religioni incumbebant (erant enim Vesogothi iam Christianę religionis cultores religiosissimi) quod minimè suspicabantur. Et cùm Gothi religionis metu festo die arma tractare uererentur, fœdam passi sunt stragem. Tandem regis iussu arma capiũt, Hebræorum exercitum fundunt, fusum dissipant, passimq; cum multa cæde sternunt. & cùm iam Vesogothi Stiliconis intelligerent flagitium, eius adorti quoq; exercitũ, ad internicionem usq; deijciũt. tum paulo pòst Stilico occisus est cùm filio Eucherio, iussu Honorij: licet aliqui in foro Pacis postea trucidatũ scribant cum filio. cui ut purpuram induceret, fidem uiolauit, & iusiurandum & res humanas in apertum discrimen traxit. Nam hostes fraude intellecta, iter 166
cœptum omittunt, ultores inuocantes deos, quòd ius gentium uiolatũ sit indignati, furibundo animo Liguriam reuertuntur, unde iam transierãt: eiusq; spoliis potiti, Aemiliam pari uastatione populantur. Flammineaq; aggerem inter Picenum & Tusciam usq; ad urbem Romã discurrentes, quicquid inter utrũq; latus fuit, in prædam diripiunt. Tum Romam contendunt, obstupescentibus cunctis, quacunq; iter faciebant uoto potiti. Nam exercitus tum Honorij, Stilicone occiso, duce carebat. Ideo miles Romanus uincere suetus, turpiter cæsus ac uictus: Romã armis obsessam, ac inedia fatigatam miserabili, Gothi capiunt, fame potius q̃ gladio subactã, teste Hieronymo, Anno qua cõdita erat millesimo cẽtesimo sexagesimoquarto, primo die Aprilis. Vrbe capta, ac paucis ædificijs succensis, acceptis tamen pluribus undiq; spolijs, Alaricus propo
suit edictũ, ut capitale esset, si quis Apostolorũ principum uiolaret templa: &

ut in uniuersum cæde abstineretur, sibi placere ostendit: quicunq; in templa fugerunt, seruati sunt, & uasa direpta restituta sunt. Memorabile est quod scribit Ioannes Monachus de Honorio: cui quidam flens astabat, & cùm lachrymis Romam captam annunciabat. Cùm autem Honorius mirificè oblectaretur in gallina quadam, cui ob corporis proceritatem nomen indiderat Romæ, horrore perculsus, ut erat socordis ingenij, femur utraq; manu percutiēs, Quomodo, inquit, tam subitò capta est Roma (significans gallinā) quę paulo antè his meis genibus requieuerat ac luserat? Sed astās minister, non Romā gallinam, sed urbem Romam captā proclamauit: quod ille parum curauit. Sicut et quòd Placida ipsius soror in hostium potestatem uenit, quę abducta est captiua, quā in foro Cornelij Ataulpho propinquo suo uxorem dedit. Sexto die Gothi egressi urbem, per Campaniam & Lucaniam in Brutios ueniunt, omnia populantes: ubi in Siciliam, & inde in Aphricam trajicere conati sunt: sed aduersis tempestatibus prohibiti, amissis medio conatu plerisq; nauibus. Dum Consentiæ Alaricus hyemat, morbo interijt. In cuius locum Vesegothi Ataulphū defuncti Regis propinquū substituunt. Sed milites metuentes ludibria effossi cadaueris, alueū Bussenti amnis mutauerunt: excauatoq; Hypogæo, regis tumulum congestis opibus posuerunt, & fluuium pristino alueo immiserunt occisis opificibus, ne ubi loculus cum ossibus ac diuitijs defossus esset, sciri posset. Est tum Ataulphus Vesogothorum rex creatus, uir forma menteq; conspicuus, pulchritudine corporis uultuq; decorus: licet statura non admodum esset procerus. Qui ad urbem diripiendam cum exercitu reuersus est, cupiēs quicquid remansisset eradere, siue Romam funditus potius euertere, & alteram diuerso loco urbem statuere: abolitaq; antiqui nominis memoria, pro Romanis Gothos, pro Roma Gothiam nominare: ut nomen suum Ataulphi tanquā urbis conditoris, pro Augusti nomine posteri reciperēt. Sed Placida Ataulphi uxoriam legittima, ob generis nobilitatē & formæ pulchritudinem marito dilecta, Regis animum à proposito auertit. Et quamuis iterum Gothi urbem diripuissent, à cæde tamen & incendio temperatum est: ita moribus uxoris Placidæ lenitus est Ataulphus, qui tum cœpit de sancienda pace, iungendaq; amicitia cū Honorio agere: cum quo fœdere percusso, ad Gallias tetendit. Quas unà cum Hispanijs, Vandali, Sueui & Alani rapinis & incendio fœdabāt. Burgundios insuper & Francos in societatem belli traxerunt. Qui Rhenum transgressi, Gallias undiq; populabantur: & populabundi in Aquitaniam transiuere, ut superato Pyrenęo, Hispanias inuaderent. Sed audito aduentu Ataulphi, se finibus continuerunt, memores quæ olim perpessi erant à Geberide Gothorum rege: Galliæq; omnes Vesogothis patuere, ut regnū illic fundarent. Cùm deinceps interiores Hispanias introiret, quas ut Gallias domuerat, post uaria certamina, tertio anno dolo militum est sublatus apud Baronionē Hispaniæ urbē, gladio ilia traiectus Vernulfi, cuius staturā solitus erat ridere. Inuidia Regi hinc orta est atrox à suis, quòd Placidiæ uxoris illecebris addictus, relicta urbe aliena ui capta, ludibrium potius q̄ pacē secutus, Italia cesserit. Post cuius mortem Rogericus rex creatus, quem alij Gensericū appellant, alij Segericū: & is suorum fraude peremptus, mox regnū cum uita reliquit, quòd ad pacē inclinatus esset. Quartus ab Alarico rex constituitur Vuallia, Vuallis cæteris dictus, astutus & prudens. Contra quē Honorius Imperator Constantium patricij sanguinis & militiæ magistrum, uirum militari disciplina insignem, & rebus gestis clarum, cùm exercitu mittit: ueritus ne contra fœdus cum Ataulpho prius percussum, res nouas moliretur. Nam paulo antè id tempus Gratianus in Britannia, homo eius insulæ indigena, tyrānidem occupauit. Quo breui sublato, prę sidiarij milites, qui insulam tutabantur, Constantinum quendam ob solum nomen, quod fortunatum putabant, neq; genere neq; militia clarum, in demortui locum subijciunt: qui cum exercitu in Gallos ex insula traiecit, conatus Gal-

liam

liam pacare: aut ut inducias, si pacẽ à Vandalis nequiret assequi, posset facere. Vbi neutrũ obtinuit, Constãtem filium monachũ ab æmulis suis in eius absentia factũ, è monasterio surripuit, & Cæsarem fecit: quem cum parte copiarũ ad occupãdas Hispanias misit. A quo Dyndimus & Verianianus fratres, qui Pyrenęi claustra suo præsidio tutabant ab hostium & Vuandalorum ingressu, interfecti sunt. Ad liberandas itaq; Gallias, Honorius imperator Constantiũ, ingentis animi uirum, proficisci iubet. Qui Constantinũ tyrannum ad primos impetus cõpressit, & circa Arelatũ obsidione fatigatũ occidit. Tum filius sortem patris sequutus, domestica fraude à Gerontio Viennæ interficitur. In cuius locũ exercitus, homicida consultore, Maximũ legit. Qui dum in Hispania exularet, urgẽte rerum tenuitate perijt, purpura exutus, & à Gallicanis militibus desertus. qui Gerontium occiderunt, & in Africã inde traiecerunt. Constantius itaq;, cui iam ab Honorio promissa erat Placida soror, si eam liberaret, cum Gothis cõgressus, cum insigni armatorum copia Hispanias penetrauit. Cui Vuallis Gothorum rex occurrit non minori apparatu. Sed missis ultrò citroq; legatis ita conueniunt, ut Placidia soror imperatoris reddatur, & ubi exigeret auxilia submínistrarent Romanæ Reip. Sed & ultrò Vuallia se sociũ offert belli ad Vuandalos ex Hispania deijciendos. Quo facto, Placidia Constantio nupsit. Rauennæ factæ sunt nuptiæ, & Cæsar ac consors imperij ab Honorio factus. 167
Valentinianum dehinc genuit, qui pòst imperauit, & Honoriã filiam. Interim in Oriente Caianus, ab alijs Gama dictus, comes Ruffini, perinde ut Ruffinus auxilio Gothorũ fretus, bellum ciuile Arcadio mouit, Constantinopolimq; urbem igni ferroq; turbauit, in Hellesponto piraticã exercens. Adrisit ei primo prælio fortuna, pòst nauali prælio inter Hellespontũ & Cherronesum uictus, dum fugit, captus est: caput eius pilo suffixum, Constantinopoli spectaculo fuit. Post cuius oppressionem Isauri per Taurum discursantes, multa incõmoda intulerũt, sed mox sunt ulti. Arcadius cùm regnasset annis paulo minus tredecim, decessit, anno ætatis suæ xxxi. Superstite filio octo annorum Theodosio, qui regnum paternum postea administrauit: cùm corruisset subitò domus oratoria, in qua ipse orabat, præ multitudine hominum ipsum uidere accurrentium, cum mulieribus, filijs, & seruis. Quanquam dicebatur, quòd oratio principis plures à ruinæ periculo liberasset: quãdoquidem uir mitis & tranquillus erat. Habuit autem Arcadius uxorem Eudoxiã, arrogantem sanè & superbam fœminam, quæ tribus annis ante uiri obitũ morbo soluta est: cui columna Porphyretica cum imagine argentea, clamyde amicta, Constantinopoli haud longe à templo Sophiæ locata fuit. Ex qua filium Theodosium & tres filias tulit, Flaccillam, Martinã, & Pulcheriam: quæ uirginitatem perpetuò seruauit, summa bonitate integritateq; & sanctitate religionis obseruantissima cultrix. Virgini deiparæ nobile templum ædificauit Blacherius, in quo inclusas argenteo tabernaculo preciosas Mariæ uestes, quas è Palæstina suis manibus tulit, summa cum ueneratione posuit. Narrat Ioannes Monachus, quòd Eudoxia uxor Arcadij, cùm ipse esset & ignauus & plus quàm deceat imperatorem, mollis sensus, cuncta suo arbitrio egerit: cùm ipsa esset audax & auara, & ob hæc ad omnia mala parata. Ob id cùm castigaretur à Iohanne Chrysostomo Constantinopolitano patriarcha, uiro sancto & religioso, adiutore Theophilo Alexandrino, Augusta Arcadium induxit, ut uiro sancto exilium indiceret. Qui ad deserta Armeniæ delatus, populo licet tumultuante & indignante, quòd tantus uir sine causa exilio mulctaretur: cùm diem obijsset, haud prætereunt tres menses à Chrysostomi obitu, cum uiolenta morte Augusta ex diuina ultione concidit. Tempore enim partus, cum fœtus non ederetur mortuus in utero, asperrimos dolores & cruciatus excitauit: fœtuq; marcescente in utero, Regina crudelissimè mortua est. Tradit autem Procopius, Arcadium iam moriturum, ac de successore sollicitum, Theodosio filio paruo admodum & penè in

cunis existente, cogitasse, quémnam curatorem, sociumq; administrationis simul & institutionis optimæ adhiberet, qui & inimicos uirtute expelleret, & rem postremò incolumem traderet. In hac animi angustia constitutus, quanquam aliàs minimè ingeniosus erat (quia plures offerebantur) salutare consilium inijt, quo filium pariter & imperium seruauit: siue de procerum suorum qui continuò assistebant sententia, seu diuino impulsus spiritu, testamentum condidit, in quo hæredem filium instituit: tutorem uerò illius, Isdigertem Persarum regem. Cui cùm plurima mandauit, tum ut Theodosio imperium sua & prudentia pariter & potentia incolume seruaret. Sic mortuo Arcadio, Isdigertes lecto testamento, fidem Arcadij minimè spernens, pacem cum Romęis toto tempore, tum imperium Theodosio custodijt. Ac literas statim ad Senatum scribens, officium cõtinuò assumpto negocio sese præstaturum, & hostes si opus omnino fuerit prohibiturũ promisit. Theodosio deinde ætate iam prouecto, Isdigertes moritur. Nec mora, Varraranes Isdigertis successor, in Romæorum agrum cum exercitu magno irrumpit. Vbi nihil agens magnum, rebus infectis, se breuiter domũ recepit. Hoc modo Anatolium Oriẽtis ducem Theodosius legatum ad Persas misit, & pacem fecit, ut inferius latius habebitur. Repetit eandem historiam Agathius lib. iiij. & Procopium aliquantulum carpit. Cæterùm apud Ioan. Monachum lego Arcadium in Thracia urbẽ extruxisse, quam de suo nomine Arcadiopolim nuncupauit: & in colle modicè edito columnam extruxit, cui statuam suam imposuit. Sed reuertamur ad Honorium, cui undiq; noua accreuerant bella, potissimum ciuilia. Nam & Scotorum & Pictorum copiæ è Britannia à legionibus Romanis pelluntur: & in Gallia noui tyranni Rempub. occupantes, motus suscitant: licet pari exitio ut superiores perierunt. Iouinus Gallus nobilissimus ut in tyrannidem assurrexit, periclitatus est. Et Sebastianus frater creatus est Imperator, ut occideretur tyrannus. Sed & Aphrica ciuili tumultu non caruit. Quandoquidem Attalus Romani sanguinis uir haud ignobilis, inane imperij simulachrũ accipiens, cum Gothis usq; ad Hispanias portatus est, missis aliquot in Aphricam qui ius dicerent: ipse naui subsequutus, incerta moliens, in mari captus est, & ad Constãtinum deductus: deinde Imperatori Honorio exhibitus, truncata manu uitæ relictus est, deportatus in Liparam. Nam cùm Heraclianus contra Attalum ab Honorio missus esset, ubi cum ualida classe Aphricam applicuit, Attali iudices expulit: ferocior uictoria factus, non diu in fide mansit, sed unà cum Sabino, uiro impigro (quem sibi generum fecit) in Aphrica tyrannidem occupauit: & hinc parata ex quaternis millibus nauium classe, Italiam petit, Romam occupaturus. Cui tota urbs effusa obuiam, in fugã uersus, paruo nauigio Carthaginem delatus est, & tandem militari tumultu interfectus. Sabinus post soceri cædem Constantinopolim uenit, ut se periculo eximeret: sed mox captus, Romam ad supplicium missus est, quem Honorius exilio mulctauit. Constantius Gothorum auxilijs fretus, Alanos primùm bello petijt, qui Emeritam Lusitaniæ metropolim tenuerunt cum omni Lusitania, unà cum Sueuis. Quum Vandali Beticam occuparent, sic enim inter se diuiserunt Hispanias, hos uictos rege suo priuauit Constantius, ac cõpulit ut pacem peterent. Cùm interim absente Honorio Tertullus consul iterum reuocato Attalo, tyrannidem per factionem inuadunt: sed captus iterum Attalus Romæ, ad Rauennam Constantio missus ad supplicium, læua manu, quæ sola illi reliqua erat, truncatus, ad ludibrium est Constantinopolim missus. Tum Honorius Constantiũ pro cõcione laudauit, quod tyrannos tanta indole sustulisset, & Barbarorũ impetus armis fameq; domuisset, pacatis Gallijs, Britannijs, ac Hispanijs. Nec minus laudata est Placidia, quæ Barbarum regem ita placasset, ut patriã liberaret. Honorius Romam petijt, relicto Constantio Rauennæ. Qui dum Hispaniense bellũ moliretur, immatura morte sublatus, aduersa imperij sorte, vij. mense postquã Cæsar fuerat appel-

appellatus. In cuius locũ cùm Honorius Ecium patricium ex Dorostona Mœsiæ oriundum copiarum imperio præfecisset, ut contra Vandalos & Sueuos (qui pacis nomen post Constantij interitũ aspernati sunt) arma tractaret, cùm uiribus esset impar Barbaris, Castinus Scytha Ecij successor destinatur: cùm quo Bonifacius comes proficiscitur genere Thrax, sed ingenuitate Romana institutus. Sed ab eo descisens, in Aphricam traiecit, multa inferens Romanis incommoda, durante adhuc bello in Hispania. Aliter tamen Procopius lib. iij. belli Vandalici. Post obitum Constantij Placidia uidua cum filijs Valentiniano & Honorio, iussu Augusti pelluntur: & ab Theodosio Arcadij filio, qui Orienti præerat, hospitaliter expiuntur. Pòst magno apparatu Honorius Tricennalia celebrauit, quæ uouerat pro imperio liberando. Pòst paulo, cum iam regnasset annis xxxi. cũ patre ij. cum fratre xiij. cum fratris filio xvi. morbo aquæ intercutis, uel ut alij, febre correptus, decessit, nulla superstite sobole. Nã cùm duas habuisset uxores, Mariam & Thermantiam Stiliconis filias, unam post alteram, ambæ subita morte uirgines sublatæ sunt. Extant pulcherrima Epithalamia in nuptias Honorij & Mariæ, quæ studiosus lector haud negliget hoc loco. Cæterùm corpus Honorij iuxta beati Petri apostoli atrium in Mausolæo Romæ est sepultum. Hæc ex Orosio, Paulo Diacono, Iordanne excerpsimus. Historia tripartita lib. x. & xi. nonnihil etiam de ijs Cæsaribus tradit. Diuus insuper Augustinus atq; Hieronymus, qui per hæc tempora floruerunt. Multa etiam Claudianus poëta. Haud est negligendus Procopius de bello Vandalico lib. iij. qui de origine Vandalorum multa, & diuisione imperij Orientis & Occidentis eleganter scribit. Sicut & Iohannes Monachus Græcus, qui utriusq; uitam ex fide recenset. Sed ijs paucis nos cõtenti, de more tetrastichum subiungamus.

Arcadius deinceps & frater Honorius orbem,
Sed iuuenes, regnant, post patris interitum.
Quos contra insurgunt diuersa parte tyranni,
Qui tamen exitio succubuere pari.

THEODOSIVS. VALENTINIANVS.

QVONIAM circa hæc tempora inclinauit imperiũ, Occidentale potissimum, post Valentiniani scilicet obitum, quem sequuti sunt plerique tyranni & Principes (ut sic dicam) Diales, homines noui, minimeq; illustres: quos post Valentiniani uitam subiungam. Ordine uerò Orientis Imperatores usque ad Carolum Magnum ponam. Nunc autem Theodosium simul & Valentinianum prosequamur eodem contextu: qui sub idem tempus Romanorum rexerunt imperium, alter Orientis, alter Occidentis. Theodosius itaq; filius fuit Arcadij Imperatoris & Eudoxiæ, puer admodum uiuente patre in imperium adscitus, & cùm pater mortem obiret uixdum octo natus annos, Anthemio præfecto uiro prudentissimo duce imperium administrauit, liberaliter institutus: à Pulcheria sorore bonis disciplinis ac moribus educat, literas quàm plurimum diligebat. Post mortẽ enim Arcadij, Isdigerdes Persarũ rex, quoniam erat illi à patre datus tutor, ut suprà annotauimus, quàm primũ tutelam adijt, intelligens patris ultimã ad se delatam uoluntatem, Antiochũ cęteris eunuchis in aula sua honoratiorẽ misit ad procurationem & custodiam regis Theodosij, literis magistratus et primores cõmonefaciens, ut regi suo parerẽt: minas adijciẽs & uindictã, si id detrectarẽt. Fuit itaq; à pueritia optimè institutus. Sed in primis religioni Christianæ addictus, quã sedulò fouebat: multũ ijs aduersus, qui turbas in ea suscitabant. Ob quam causam cùm adoleuisset, & Persis bellum mouit, quòd Christianos crudeliter mactarent, & aurifossores à

Roma-

Romanis Persis datos reddere nollent. Dissoluto itaq; fœdere, Imperator Roman. duce Aradaburio uiro consulari & strenuo, bellum Persis indicit: missis quoq; copijs, Narsium Parthorum ducem superat congressione facta, uastata regione Azamea, populataq; Mesopotamia. Tũ Nisibi Persas obsidione longa premit. Translato bello in Armeniam, Barrabanus Persarum rex, Vararanes à Procopio dictus, audiens suos obsessos, Alamandrum Sarracenorum regem pro auxilio implorat. Qui magno misso exercitu, à Gratiano Romanorum duce in fugam actus, circa Eufratrem multa millia militum amisit. Ardaburius autem septem fortissimos Persarum duces captos insidijs interimit. Areobindas item magister militum, uir quoq; consularis, magna cæde Persas sequutus, auspicio Augusti Theodosij uicit ac profligauit, omnemq; rem gestã Theodosius celeritate Palladij fortissimi uiri intellexit: qui breui tempore longissimum iter emensus, Augustum de omnibus certiorem fecit. Et licet in manibus uictoriam haberet Augustus, tamen ne tantum sanguinis funderetur, oratores ad Persarum regem mittit pro fœdere percutiendo: qui legatos tam diu secum detinuit, quoad nouo exercitu decem millium armatorũ (quos immortales ipsi uocitant) instructo, Romanos nil tale sperantes adoriretur. Sed consilio ducis Procopij, hostium insidiæ patefactæ, irritæ fuerunt, & pax subsequuta est. Interim Honorius Imperator defunctus est. Quo nuncio accepto, magistrum militum Ardaburium Salonas mittit, ut sopirentur si quæ seditiones subòrirentur à factiosis. Tum Ioannes tyrannus Rauennæ præsidio Castini imperium ui arripit: & mox Constantinopolim legatos ad Theodosium mittit, qui eum approbet. Cui infensus Augustus, oratores in carcerẽ deijcit. Magistro autem militum Ardaburio præcipit, ut in tyrãnum exercitum educat. Qui ab Aquileia Rauennam nauigans, uentis aduersis in manus tyranni incidit. Cuius lætatus captiuitate tyrannus, sperabat Theodosij iram facilè placari posse. Aspar Ardaburij filius, patris captiuitatem ægrò ferens animo, collectis undiq; militibus, per inuiam paludem circa Rauennam, duce Pasteo quodam, urbem apertã ingressus, sæuis populationibus euastauit ac incendit: tandem arreptus tyrannus, ubi improuidè militibus occurrit armatis, alteraq; dextra priuatus, in Hippodromo coniectus, & asino impositus, per contumeliam circumductus, & tandem iugulatus est, cùm annis v. præfuisset. Vir alioquin ingenio mitis, ac uirtute præditus, minimè delatoribus aures adhibens, neq; pecuniæ gratia iniquũ aliquod flagitiũ faciens, ut Procopius scribit. Illius morte audita, Theodosius Valentinianũ consobrinum suum Cęsarem fecit, & cum matre Placidia Romã misit, secum Thessalonicã usq; profectus. Vbi ægritudine correptus, amplius progredi haud potuit. Aduentus Valentiniani satis opportunus fuit. nã imperiũ Occidẽtale omniũ fauore assequutus, Augustus Imperator est appellatus: sumpto supplicio de illis qui tyrãno fauissent. Theodosius autẽ Constantinopolim reuersus, religioni simul & doctrinæ studuit. Fuit enim uitæ integerrimæ, nõ in delicijs ac uoluptatibus enutritus aut corruptus, sed æstum ac frigus iuxta tolerans. Ieiunijs ac orationibus corpus emacerabat: diluculo ad sorores suas Flaccillam, Martinam & Pulcheriam pergens, quæ uirgines erant religionis nostræ obseruantissimæ cultrices: sed Flaccilla potissimum, quæ cœnobio extructo, Deo se, suamq; uirginitatem perpetuò dicauit. Cum ijs psallebat, & diuinas laudes personabat. Vnde & regia sua, ea erat custodita puritate, ut monasterium putaretur optimis legibus munitum & constitutum, non aula, uitiorum sentina. Lectionibus diuinis intentus, semper cum Episcopis ac sacerdotibus cõuersabatur. Codices sacros undiq; disquirens, & more Ptolemæi Philadelphi splendidissima in Bibliotheca conseruans ac custodiens. Gentilium literarũ ac philosophiæ haud ignarus: quam ita edidicit, ut non eam uerbo profiteretur, quemadmodum cathedrarij philosophi, sed opere exequeretur. Sic patientia ac clementia præstabat cęteris hominibus,

nibus, sic passiones animi frenabat, sic iram ac libidinem conculcabat, ut ratione uiuere apertissimè à cunctis prędicaretur, nulla uindicta animum exatians, etiam lacessitus. Vnde quum olim à quodam interrogaretur, cur se lædentes non morte condemnaret: Vtinam, inquit, mortuis uitam dare possem. Non enim est neq; difficile, neq; magnum, hominem iugulare. Ob id paucos morte condemnauit: & siquando adiudicauit aliquos supplicio, mox mutato cõsilio, priusquã ad supplicium proficiscerentur, reuocauit, ob insignem eius clementiam. Socordia tamen laborabat. Hæc autem omnia institutione Pulcheriæ sororis effecit, quæ summæ fuit prudentiæ, & ipsius mores fratris formauit. Delicta partim texit, partim emendauit. Cùm enim princeps temerè nimium quascunq; sibi oblatas subscriberet literas, non illis prius diligenter examinatis aut perpensis, Pulcheria soror libellum commẽta de uenditione Eudoxiæ uxoris suæ, quam tamen plurimùm amabat, quem cùm soror porrexisset, ac ut subscribendo confirmaret à fratre sollicitè peteret, non perlegẽs libellum, subscripsit ac confirmauit. Cùm autem uigore libelli peteretur Eudoxia tanquã uendita, Cæsar renuit. At porrigente Pulcheria libellum uenditionis manu sua subscriptum, apertè ac ingenuè fassus est se non legisse libellum. Sic Pulcheria fratris segniciem ac desidiã coarguit. Cæterum in ijs rebus quæ religionẽ concernũt, satis prouidus. Initiatos enim sacris & cõsecratos, mirum in modum ueneraba tur, si paulo integrioris erant uitę. In omnibus Dei opt. max. auxilium implorabat, siue bella imminerent, siue aëris tempestas desæuiret. Vnde Leo Pontifex summus eum semper religiosissimum & pijssimũ Augustum appellat, suis elegantissimis epistolis, quas plures ad eum scripsit, ut eius Epistolare ostendit, quod studioso cuiq; perlegendum suadeo. Habuit autem & Theodosius uxorem Eudoxiam, castissimam & doctissimam fœminam, eloquentia singulari præditam, Leontij philosophi Athenien sis filiam, à patre optimè institutam, & quæ heroico carmine poëmata multa conscripsit. Cui quidam Centonas Vergilij in utrunq; instrumentũ attribuunt, quod falsum est, cum hoc opus sit Probæ & Falconiæ. Zonaras tradit, Homeri Centones ipsam concinnasse. Cũ enim patricius quidam opus imperfectum & malè sibi consonans reliquisset, ipsa reassumen, sin ordinem non sine mirabili industria redegit: quod uel maximè in pręliminari heroico carmine, quod passim in impressis codicibus deest, manifestatur doctissimis quibusq;. Hanc dum imperator ducturus esset uxorem, Atticus episcopus Constantinopolitanus sacro baptismatis fonte abluens, Christianam fecit. Et cùm prius Athenais uocaretur, Eudoxiæ nomen imposuit: quæ & Eudoxiam filiam ex Theodosio genuit, quam Valentinianus Imperator uxorem accepit, & nuptias solennes Constantinopoli celebrauit. Quibus perfectis, Eudoxia Theodosij uxor Hierosolymam profecta est, uota Deo immortali persoluens, ob plurima percepta beneficia. Sic enim uouerat, si filiam uideret nuptam. Sed tam Hierosolymis quàm toto itinere monimenta plurima locauit, ubiq; Deum laudibus celebrãs. Licet apud Zonaram repererim aliam secessus in Hierosolyma causam, quam ob id subscribere non grauabor, quia est scitu dignissima. Est Principi donatum inusitatæ magnitudinis pomum, cuius pulchritudinem, & enormem admiratus magnitudinem, uxori charissimę misit. Illa uicissim hoc pomum Paulino, qui ob egregiam eloquentiam reginæ erat quàm familiarissimus, donauit. Is rursus ignorans unde uenisset, regi Theodosio obtulit. Quod ubi agnouisset, occultauit à regina percunctatus, quó nam uenisset pomum: Illa se comedisse respondit: timens ne in suspicionem quandam ueniret, quam iam Imperator concepit. Ob id magis fuit cogitationi innixus. Denuò quæsiuit, Si pomum iam comedisset? quod cùm illa iuramento affirmaret, aliquantisper commotus, palàm id protulit. Sic regina in manifesto deprehensa mendacio, suspicionem Imperatori auxit: qui ob id Paulinum interfici iussit, & animum ab uxore alienauit.

Cùm

Cùm itaque se odiosam & inuisam marito cognosceret, petijt sibi permitti, uti Hierosolymam concederet. Acceptaq; ingenti pecunia, templa illic extruxit, magnasq; & pauperibus & religiosis eleemosynas largita est. Rediens mortuum comperit maritum. Mox illuc igitur reuersa, reliquũ uitæ tempus in terra sancta transegit, ibiq; mortem obijt. Fertur autem & aliud commisisse delictum in Pulcheriam sororem Theodosij, quæ sola autor fuit ut fratri Eudoxia nuberet: humilis alioqui familiæ, & ut superius scripsimus, Leontis Atheniensis Sophistæ filia. Cùm enim pater ex multijuga disciplinarũ eruditione filiam magnæ cuiusdam fortunæ compotem fore prænouisset, scripto testamento bona omnia duobus filijs, Valerio & Genesio reliquit. Filiæ centum tantum aureos nummos dari iussit, ipsamq; fortunatissimam iudicans, si suæ ultimæ pareret uoluntati. Fratribus itaq; paternam inter se diuidentibus substantiam, cùm Athenais (id enim prius nomen illi erat) iniquum patris testamentum rescindere, ac æquam sibi cùm fratribus relictarum opum partem peteret, fratres illi indignati, paterna eiecerunt domo. Quæ ad amitam recurrens, cùm ea simul Constantinopolim est profecta: iniuriamq; conquesta Pulcheriæ. quæ miserata inopiam, simul aspiciens præclarissimæ ac nobilissimæ puellæ indolem bonis disciplinis eruditam, bene moratam ac cõpositis moribus, cùm ab ea percunctaretur si innupta foret? quod intelligens Pulcheria, baptismo fecit eam ablui, & mox fratri Theodosio in matrimonium ornatam Augustę nomine & diademate coaduinxit. Cùm itaq; marito in omnibus complacere studeret, ac cersitis ad se fratribus, multas ijs egit gratias, quòd eam paterna eiecissent domo, alioqui nunquam ad regni solium fuisse delatam. Ob id nõ succensuit illis, sed potius assentiente Imperatore, Valerium magistratu honorauit, Genesium Illyrico præfecit. Sed postea cum Chrysaphius eunuchus abuteretur Imperatoris facilitate, Eutychiana hæresi infectus, assumpta consiliorum suorum adiutrice Eudoxia regina, Cæsari persuaserunt, ut Pulcheriæ sorori rerum administrationẽ adimeret: quæ relictis principalibus ædibus, priuatim degebat. Sed Cęsar recepto animo, ueniam à sorore petijt erroris, illiq; administrationem rerum iterum commisit, eunucho perpetuo exilio mulctato, atq; bonis suis publicatis. Theodosius autem, cùm Vandali sub Gẽserico Carthaginem cędibus fœdassent, & Siciliam inuasissent, frustra mouit arma, stante uictoria pro hostibus. Vnde eius auxilia domum redire coacta sunt, ob Hunnicum tumultum, qui Byzantio imminebat. Pòst Vicenalia Constãtinopoli edidit, cùm iam Attilam & Bledam fratres, reges Hunnorum, ab urbe per oratores auertisset: inter quos fuit Priscus historicus, qui Atrilæ sedem & uiuendi ritum & ipsius formam graphicè descripsit. Iam enim Hunni Illyricum & Thraciam populando, Thermopylas usq; occuparant: sed Theodosius illos auertit, longa quiete usus: & tum egit Tricennalia. Dehinc ueluti longo imperij potentatu afflictus, febre solutus est, cum regnasset annis xlviij. Constantinopoli sepultus. Nam cum Honorio patruo xxi. pòst xxvij. ipse cum Valentiniano genero regnauit. Sic beatè uitam traducens, beatissimè mortuus est post longum imperium, penè quinquagenarius. Sed plura de eo scire uolens, Leonis opera adeat, & Paulum Diaconum quæ sub hoc gesta sint disquirat, & ultimos Historiæ tripartitæ libros relegat. Iordanus enim in suis Annalibus sub compendio uitam illius commemorauit: sed Iohannes Monachus latissimè. Nunc ad Valentinianum ueniamus.

Fuit autem Valentinianus filius Constantij Cæsaris & Placidiæ, sororis Honorij & Arcadij: qui cum matre sua Placidia ac sorore Honoria, ab Honorio Imperatore Augusto pulsus ob suspicionẽ ab urbe, peruenit ad Theodosium Iuniorem Constantinopolim, ab eoq; honorificè susceptus est. Quin imò intellecta Honorij morte, restitutus ab eo in imperium, acclamatione totius Italiæ Augustus est ab Augusto appellatus, interfecto ac trucidato Iohanne tyrãno, qui

qui ui imperium arripuit Caſtini factione, ut ſuperius annotauimus. Quo tempore Gotthi in Gallia ab Aetio ductore præfecto Galliæ ſunt uicti: qui ruptis fœderibus poſt Vualliæ mortem, duce Theoderico Gallias turbauerant. Sed aduentante Littorio cum Hunnis auxiliarijs, ordinata acie, & commiſſo prælio, in priſtinam redierunt concordiam, ueteri fœdere firmato. Licet in Aphrica Vandali, Genſerico duce, Carthaginem cædibus fœdarent, & Siciliam inuaderent, auxiliaq; Theodoſij repellerent. In Britannia uerò, quum Scotorum & Pictorum rapinę & impetus incolas quotidie urgerent, implorato fruſtrà Aetij patricij auxilio, qui uicinioribus hoſtibus erat occupatus, Anglorum regem Vertigoniarum ad opem ferendam accerſunt: qui mox maximis Saxonum & Germanorũ copijs in nauibus aduenit: ſed ſecus quàm ſperabatur euenit. Angli enim inſulam ſuæ ditionis fecerunt, & qui adhuc cum Scotis, interiectis limitibus, imperant. Sic Britanni & nomen & patriam ſimul amiſêre: Anglia eñ inſula hodie dicit̃. cùm interea Oriens pulcherrima pace quieſceret. Quo tempore Valentinianus imperator Conſtantinopolim eſt profectus, filiã Theodoſij Eudoxiam uxorem ſuſcipiẽs, celebratiſq; nuptijs in Italiã reuerſus eſt. Qua tempeſtate cum Genſerico Vuandalorum rege Valentinianus, certis ſpacijs inter ſe Aphrica diuiſa, pacem firmauit, ſedibus illi conceſsis in Tingitana Lybia, ſic ſuadente fortuna: qua neq; uiribus, neq; cõſilio potuit tot hoſtibus undiq; obſiſti, incumbentibus undiq; Barbaris. Sed ſucceſſu rerum elatus Genſericus, non diu in fide permanens, omni preſidio prouincia ſpoliata, cùm ſuperbè ſuos regeret, complures reperit in ſeſe cõſpiratores: quos crudeliſsimis excruciatos tormentis puniuit, truculentus etiam in ſuos. Cùm uerò Hunericus filius ſuus, Theoderici Veſogothorum regis filiam uxorem haberet, eam ob leuem ſuſpicionem parati ueneni, ut ipſe dicebat, naribus atq; auribus detruncatam, patri ſuo in Gallias remiſerat. Itaq; iniuriam atque uindictam Theoderici ueritus, Attilam Hunnorum regem, qui orbis imperio inhiabat, toto iam poti-tus Septentrione, contra Theodericum ſollicitat Genſericus. Attila ſuapte natura aſtutiſsimus, cupiens & Romanum Imperium ſubuertere, & Gallias occupare, oratores Valentiniano mittit, qui benignè eum alloquentes nunciarent, ſe bello accingi contra Theodericum Veſogothorum regem: inſtituiſſeq; delere gentem, publicè omnium gẽtium pacis perturbatricem: nihil ſibi cum Romanis eſſe, & uiros eos fortes ac bonos credere. quibus, ſi uellent, uires & conſilia ſe communicaturum, initurumq; ſe cum illis fœdus ac amicitiam. Similem legationẽ Theoderico in Gallias mittit, ſperans ſeparatim utrunq; colliſurum. Aetius patricius Valentiniani Imperatoris dux imperij Occidentalis, non minus ciuilium artium quàm bellorum peritiſsimus, hæc longè antè præuidens, miſsis legatis Theodericum regem certo fœdere Romanis coniunxit. Qui lętus nuncium Romanorum accepit, ac relictis domi quatuor minoribus filijs, Friderico, Eurico, Ricimere, & Hemerico, cum duobus maioribus natu Thoriſmundo & Theoderico, cum immenſa Veſogothorum multitudine in campos Catalaunicos, qui & Mauriaci nominantur, deſcendit, centum leucis Gallicis longos, & ſeptuaginta latos. Habet autem leuca Gallica mille & quingentos paſſus. Conuenit Aetius cum Romanis & auxiliaribus militibus, Francis, Saxonibus, Burgundionibus, Liticianis, Armoritianis. Tum aduenit̃t & Brittones ac Lambriones, & Riparij ac Olibriones, quondã milites Romani, tunc uerò auxiliares, aliæq; Germanicæ & Celticæ nationes. Erant & in acie Francorum rex Meroueus, & Halanorum Sangibanus, quem Theodericus & Aetius, quòd Aurelianum ciuitatem ſuam, quam inhabitabat, clàm Attilæ promiſiſſet, cum ſuis in mediam aciem, neu ſibi pateret fuga, collocauerunt: ipſi dextrum ac ſiniſtrum cornu obtinebant. Ductabat Attila Hũnos, Sarmatas, Scythas, Sueuos, Gepidas, Quados, Herulos, Rugos ac Turcilingos, cum pluribus Regulis. Ordinataq; acie, Ardaricum Oſtrogothorum regem, fide ſibi & consilio

consilio clarum, dextro cornu: Valamirum Gepidarum regem, cum Theodomire & Vidimire fratribus, siniſtro collocat cornu. Ipſe in medio conſtitutus, ſibi timens ob auriſpicum uaticinia, qui caſurum principem dixerant, cuius exercitus uictor euaderet. Pugnatum eſt à meridie uſq; ad ueſperam utrinque acerrimè, nocte prælium dirimente, quo ceciderunt ſupra ducenta milia fortiſſimorum militum, quorum nullus loco ceſsit: ſed quem uiuus occupauerat, cadens mortuus texit, aduerſo pectore uulnera accipientes. Sunt qui tradunt ab utriſq; clxv. millia cęſa, exceptis quindecim millibus Gepidarũ et Francorum, qui ante congreſſionem publicam, noctu ſibi occurrentes, mutuis concidêre uulneribus. Riuulus humili ripa Catalaunicum præterfluens campum, perem ptorum uulneribus humano ſanguine auctior, inſtar rapidiſſimi torrentis efflu xit, cadauera ſecum deferens: tam ardenter utraque pars pugnauit. Aegrefere bant Barbari tam diu regnaſſe Romanos: Romani illos toties impulſos ac uictos, inſultare non patiebantur. Ideo nemo ſententiam ferre poterat, uter exercitus ardentius conflixerit. Sed Theodericus telo Oſtrogothi cuiuſdam ictus, dum ſuos cohortatur, equo decidens, inſcius à ſuis eſt proculcatus. Veſogothi ira conciti, in Attilam feruntur: & niſi fuga elapſus, in plauſtrorum munimenta ſe conferens, uitæ ſuę conſuluiſſet, de Hunnis actum erat. Thoriſmundus autem filius, ob noctis tenebras ad hoſtium caſtra delatus, ignarus uulnerato capite, ſuorum prouidentia ad ſuos reuerſus eſt. Fuit in ea deſperatione Attila, ut ex equorum ſellis pyram ſtrueret, ut ſi quid aduerſi à Romanis hoſtibus accideret, in ipſam conſcenderet: & ſubiecto igne potius concremaretur, quàm in manus hoſtium ueniret. Thoriſmundus enim Theoderici filius, cædem patris Theoderici, capite Attilæ rependiſſet, niſi Aetius conſuluiſſet ei expedire paternum regnum defendere, quàm hoſtem perſequi: ueritus ne profligato Attila, impetum Gotthi in Romanos uerterent. Sed pernicioſum fuit cõſilium, debellatus eñ tũ eſſet funditus Attila. Sed ubi retrò abiiſſe hoſtes iam acceperat, reparatis in Pannonia uiribus, ſæuiori animo inuaſit Italiam: pleraſq; urbes diripuit Hiſtriæ, Venetiæq;, & Togatæ Galliæ ac Inſubrium. Aquileiam tribus annis obſeſſam euertit, Mediolanum diruit, Ticinum diſiecit: & cùm Romam contenderet, ad eum Leo pont. max. legatus Valentiniani hortatu principis, cum altero conſulum & parte non parua Romani Senatus uenit: ſalutem Italiæ orans, impetrauit. Reuerſus in Pannoniam Attila, eunuchum Honoriæ ſororis Valentiniani imperatoris nuncium accipit, quæ matrimoniũ Attilæ concupiuit, quòd ſeuerè nimium ob caſtitatem à fratre coerceretur, cum oblatione regni ac hæreditatis paternæ, ad quam inuitauit Attilam. Pertæſus otij Attila, legatos ad Valentinianum mittit. qui ſuaſionibus minas adij cientes, Honoriam petebant. Habuit Attila more gentis plures uxores. Cæterùm priuſquam legati Romam reuerterentur, captus ſpecie puellæ, famæ ac nobilitatis inter ſuos eximiæ, cui Hildico nomen erat, quam ſibi matrimonio copulauit. Et dum nouis nuptijs nimis uino indulget, & uenere ſe nimium exercuiſſet, quum ſupinus obdormiret ferocius ſtertendo, ſanguis per nares erumpens, ui talium ſpirituum meatus intercluſit: ſubitoq; extinctus eſt, quinquageſimo ſexto anno: quamuis alij plures ſibi adſcribãt. Honoria poſt Attilæ obitum, cùm uotum ſuum explere nequiret cum rege, facinus cum Eugenio procuratore committit. Ideo à fratre Valentiniano cuſtodiæ detenta, tandem Conſtantinopolim eſt Theodoſio principi deſtinata. Quum iam felicitate proſpera Aetius creſceret, ut uirtus ſemper inuidiæ obnoxia eſt, uel Maximi figmentis, uel iuſſu Valentiniani principis, qui illius ſucceſſus metuebat, occiſus eſt, in affectatæ tyrannidis ſuſpicionem adductus. Qui Attilæ regis potentiſsimi terror fuit, cum quo pariter & Occidentis imperij ſalus occubuit. Quare illius mors non impunè Valentiniano ceſsit. Nam haud longè pòſt Romæ in campo Martio à Tranſtila & Octila militibus Aetij, percuſſo prius Eraclio ſpadone, con-

foſſus

fossus est: consilio ut ferunt Maximi, qui statim arripuit imperium, ut mox dicemus. imperauit autem annis triginta. Ob quam rem autem sit Aetius in suspicione deprehẽsus, nemo pulchrius quàm Procopius tradit. Bonifacium enim Placidia Valentiniani mater Aphricæ totius præfectum fecit, inuito quidem, sed dissimulante Aetio: quòd nondum aperta esset inimicitia. Postquam uerò Bonifacius Aphricam attigit, Aetius manifestè obtrectare laudibus eius, maleq; ad Placidiam referre, insuper quòd Aphrica tota per eum spoliaretur, accusare cœpit. Rem facile posse deprehendi, si iussus fuerit, minimè reuertatur. hæc Placidia commendauit, seq; ita facturam recepit. Aetius uerò negotium præueniens, epistolam Bonifacio scribit, Placidiam sibi esse infestam, & ob id mox ipsum reuocaturum, uti ab ea caueat. Cùm itaq; euocaretur, respondit, se nullatenus nec matri nec Imperatori obtemperaturum. Quocirca Placidia Aetium opinata rebus Imperatoris fauere, illũ uerò suspectum habere cœpit. Itaq; Bonifacius in hoc animi æstu nec bellum mouere, quia uiribus impar imperatori, nec Romam ob metum uenire ausus, Vandalis se coniunxit, qui in Hispania constiterant, Gontharis ex matrimonio, & Gizerichus nothus, fratres: sed huic ob armorum peritiam, quia frater puer, rerum administratio commissa est. Illis per legatos conciliatus, Aphricæ duas partes promittit, & se tertiam seruaturum. Qua diuisione contenti Vuandali, per fretum Herculeum in Aphricam traijciunt. Facinus illud Bonifacij pellexit etiam quosdam suos amicos, qui eius integritatem semper laudabant Romæ, ut Carthaginem uenirẽt. Qui, intellectis Aetij insidijs, ac uisis eius literis, rem omnem reuersi Placidiæ adnunciant, Bonifaciumq; aliena culpa peccasse significant. Consternata animo regina, dissimulauit quidem cum Aetio, ob pericula quæ instabant: sed amicos Bonifacij, ut rem Romanam nõ penitus destrueret, cohortabatur. Quibus intellectis, Bonifaciũ facti sui pœnituit. Et cùm multis millibus nummûm, quibus eos tentauit, excludere Vandalos nequiret, conserta manu bis uictus, tandem Romam uenit, Placidiæq; se reconciliauit, relictis in Aphrica Vandalis: qui pòst fœdus cum Valentiniano inierunt, tributum pendentes, ac obsides dantes. Mortua interim Placidia, Valentinianus à Maximo senatore, cuius uxorem stuprauerat, ut in Marciano referemus, est inductus, adiuuantibus ipsum eunuchis, ut Aetium, quasi nouis iam iterum rebus studeret, qui longius aberat, ut eum iugulari mandaret. sic denuò in suspicionem ueniens, est trucidatus. Habuit uxorem Eudoxiam nomine, Theodosij iunioris imperatoris filiam: quam sibi copulare tyrannus Maximus studuit, sed frustrà: utpote quæ in ultionem cædis uiri, Gensericum Vandalorum regem ex Aphrica accersiuit matrimonio. Qui magno cum exercitu adnauigans, urbẽ ingressus, denuò rapinis ac spolijs euacuauit, dies quatuordecim grassatus, omnium maxima strage facta, & abacta præda, ut cuiq; libitũ est. Abducta & Eudoxia cum duabus filiabus, Placidia et Eudocia. Quarum altera Honoricho Genserici filio nupsit, quæ Hildericũ peperit, qui quarto loco à Genserico Vandalis in Aphrica præfuit. Alteram Placidiam Olibrio, qui pòst Imperator fuit, uxorem dedit: Genserico uerò matrem sibi retinuit. Tum per Campaniam Vandali auidi prædæ, cuncta ferro flammisq; commiscent, Capuam euertunt, Nolam prosternunt, aliasq; urbes diripiunt, onusti præda Lybiam reuertuntur. Eudocia, quæ Honoricho nupsit, sedecim annis cum marito in matrimonio perseuerauit post filium Hilderichum genitum. Tandem mariti consuetudinem, quòd is Arrianæ sectæ addictus esset, abhorrens, captato tempore Cõstantinopolim adijt, cùm iam mater decessisset. demũ Hierosolyma profecta est, ubi mortem obijt. Valentinianus Imperator plurimùm Rauennę uixit, estq; ab eo urbs ipsa cũ muro rum refectione, tum publicis exculta ædificijs, factaq; urbiũ quatuordecim caput. Antistitẽ urbis laneo donauit pallio, quo tum solus utebat imperator. Vn de altercatio illa insolẽs Rauẽnatium antistitũ orta, Romano episcopo æquari

poſcentium. Cæterùm Valentinianus à Placidia matre in omni mollicie nutritus, atq; illius uitio effœminatus, ad incantamenta & mathematica ſe cõuertit. Et ut matronis potiretur alienis, omni ſtudio ac uitæ infamia curauit. Et quanquam formoſiſsimam haberet uxorem, eò peruenit ut & denuò Affricã amitteret. Hæc ex Paulo Diacono, Iordanne, Procopio, Guidone Rauennate. De Attila & rebus à ſe geſtis, ſcripſere inter recẽtiores diligentiſsimè Callimachus Experiẽs peculiari opuſculo, & Sabellicus Antonius in ſuis Enneadibus. Annales quoq; Hungarorum haud parum multa de hoc tradunt. Sed multo pulchrius de eius morte ac exequijs, Iordãnes libro de origine Gothorum. Sed Iohannes Monachus Græcus nullo pacto eſt negligendus, qui utriuſq; uitam diligenter perſcribit. Quos omnes ſtudioſi hiſtoriarum uidebũt, ſi erunt diligentes. Nos conſuetudini noſtræ inſeruientes, tetraſtichon ſubijciamus:

Theodoſius iunior, paruuſq; Valentinianus,
Imperium retinent cardine utroq; diu.
Armis ſed trucibus totum Mars concutit orbem,
Hunnorumq; ferox Attila cæſus obit.

MARTIANVS CAESAR.

THEODOSIO iuniore Auguſto defuncto, quia nullã maſculam poſt ſe prolem reliquerat, ſed unicam filiam Eudoxiã, Valentiniano primùm nuptã dedit, quę pòſt Gẽſerico regi Vandalorum in Aphricam in prædã eſt cõceſſa, ad Theodoſij domum ac familiam, in qua ſorores adhuc erant, deuolutũ eſt imperiũ Orientale. Erat in palatio Pulcheria Arcadij filia, Theodoſij ſoror, matura mulier, quæ illuc uſq; uirginitatẽ cuſtodierat, Theodoſij fratris mortẽ tam diu ſimulans, donec inueniret ſimul uirum & imperatorẽ. Martianus itaq; ab ea clàm per famulos accitus, ſi ſe uxorem et imperium ſimul aſſumere uelit, quæritur: nam rebus geſtis & diſciplina militari cæteris præſtabat, quanq; humili genere natus, et primã ingreſſus eſſet ſenectutem. Annuit uir integer, & reginę omnia ſua offert obſequia. Mane facto, cõgregato procerũ cõcilio, & patefacta Theodoſij morte populo, mulier uerſuta lõgiuſcula facta oratione, illum principem ac Cæſarem tãto imperio, ſe iudice, dignum teſtatur, cuius capiti diadema imponat. Et cùm plures anhelãtes illud expectarẽt, ſenis Martiani capiti diadema imponit. Leuatus igit̃ de more, & purpura indutus, cùm ordinibus ſatis cognitus eſſet, & approbatis moribus ac ſingulari prudentia pluribus eſſet cognitus, dignus uiſus eſt principatu, quem & diligẽter & optimè adminiſtrauit. Refert Zonaras, ſiue mauis Iohannẽ Monachũ appellare, quòd Pulcheria Theodoſij ſoror ad ſe accerſierit Martianũ, & ſe regem declaraturam ſpoponderit, ſi bona fide cõfirmaret uirginitatem, quã ipſa Deo dicaſſet, ab eo ſibi ſeruatum iri: id cùm ſe facturũ recepiſſet, præſentibus Patriarcha & Senatu, diadema illi appoſitum. Habuit aũt olim prodigia futuri imperij, & fœlicia uidit auguria, cùm in Lycia prima ſtipendia mereret, ut idẽ Iohan. Monachus Græcus ſcribit. Nam illic ęgritudine oppreſſus, nactus eſt duorum Germanorum familiaritatem, Taciani & Iulij, cũ quibus in uenationem prodibat, poſtq; conualuerat. Erat autem illis quondam dum uenarentur dies ita ardore ſolis candens, ut umbrã neceſſariò ſub arboribus inquirerent. Cùm itaq; ſub arbuſculis quieſcerẽt, Tacianus prior excitatus, cõſpexit aquilã ſupra caput Martiani in aere pendere, qui paſsis alis ſolis radios arcebat. Ille fratrem ut uideret, rem miram excitauit: ambo ſtupidi, alitis mirabantur obſequium. Experrecto ſomno Martiano narrant quæ uiderant, Imperium ac regnum portendi nunciantes, & ideò abeũtem uiatico ducentorum argenteorum proſequuntur: nam

omnia

omnia iam cõsumpserat. Factus imperator, ilico pro utroq; fratre mittit, ut ad se ueniant, ne ingratus in illos appareat, qui gratissimi & benefici in illum fuerant. atq; ideò Iulium Cõstantinopoli, Tacianum Illyricis præfecit. Simile prodigium eidem obtigit sub Aspare, dũ contra Vandalos militaret, ut Procopius tradit de bello Vandalico. Erat em̃ Asparis arcanorum omnium socius, quem Romani Domesticũ uocãt, cùm ipse cum cæteris captiuis sub dio quiescebat. Rex cupidus eos recensendi, qui hanc captiuitatis sortem patiebantur, qui regiam indolem, qui Romanam formã ac maiestatem ferrẽt, qui hæc indigna paterentur incõmoda, uidit aquilam supra caput Martiani passis alis. Per eiusmodi imaginem Genzerichus rex cõmotus, portẽtum tacitè aduertens, uirum ad se uocat: indignumq; ratus eum morte condemnare, impunè abire iussit. Et si quãdo id eueniret, quod augurium significabat, fœdus ut cum Vandalis iniret iuramento obligat: quod promittẽs, etiam seruauit. Imperator em̃ factus, cùm per annos ferè sexaginta imperiũ Orientis esset imminutum, prudentia ac consilio sic reparauit, ut breui ingens cunctis exultatio & spes oriretur dilatãdi imperij. Nam cum Parthis & Vandalis omnia infestãtibus fœdus percussit, ac pacem instituit, armaq; nunq; nisi prouocatus mouit: quietis amator, quietum ac pacatum Orientale habuit imperium. Dicere solebat: Donec in pace liceret uiuere, nõ decere Principem sumere arma. Senex omnino æquissimi sensus, atq; in plebẽ suam benignus & mansuetus. Attilæ uerò minas cõpescuit, & dum oratores eius acciperet, qui plura à Theodosio promissa expeterẽt, ita uerbis honestis abegit, ut nullam inuadẽdi regni occasionem reperire posset. Vnde qua nocte mortuus est Attila, suffocatus cum noua sponsa in cubiculo, somniũ habuit Martianus, fractũ esse Attilę arcum: quo scilicet armorũ genere gens Hunnica uti potissimum solebat in bello. Paulo pòst nũcium uerum de morte illius accipit. Nomades & Blemmyas Aethiopia dilapsos, per Florũ Alexãdrinæ urbis procuratorem sedauit, & à finibus Romanorũ pepulit. Et quamuis Attilæ, atq; Zenonis Isauri, pluriumq; inimicorum exitus infœlices uidisset ipse fœlix, tamen non diu uixit. Nam anno sexto & mense sexto eius imperij, naturæ concessit, conspiratione Asparis, qui ei uenenum perhibetur dedisse. Qua de causa post creationem noui Principis, quum filius Asparis Ardaburius Cæsar esset à Leonte pronunciatus, populus patrem interfecit cum filio. 168

Habuit Martianus uxorem Pulcheriã, Theodosij Imperatoris sororem. Sed quo nomine filia eius fuerit appellata, quæ Anthemio nupsit, qui Martiani legitur fuisse gener, hactenus non reperi. Romæ item per ea tempora plures fuerant tyranni, qui ui sibi imperium usurpauerãt: sed nullus diu fœliciter sceptra tenuit. Nam mortuo Valẽtiniano imperatore, Maximus in urbe imperium inuasit, cuius opera Aetius perijt, & inde Valentinianus. Ille inuitam & restitantem sibi Eudoxiam, Valentiniani uxorem matrimonio iungit, sperans fore, ut per eam exercitus & prouinciæ sibi obsequentiores essent. Sed ille multum sua deceptus est opinione. Enimuero mulier uiolentis nuptijs adhuc magis irritata, studium noui connubij assimulat: occultè uerò per fidissimum nuncium Genserichum Vandalorum regem, ut superius scripsimus, in Italiam ex Africa accersit. Quo ueniente, Maximus tanti mali auctor, dum & ipse fugam meditatur, cum cæteris urbem deserentibus, ab Vrso milite Romani sanguinis, uiro integro, interficitur, nondum duobus expletis mensibus: tum membratim concisus, in Tyberim deijcitur. Fuit autem Maximus ille senator è stirpe illius Maximi tyranni, quem Theodosius senior sustulerat: pro qua uictoria Romani quotannis festum agunt. huic formosissima uxor erat, qua Valentinianus amore incensus, tandem potiebatur, cùm in palatium hanc uocasset, et colludendo annulum ei detraxisset, quem clàm uxori misit, ut hoc signo uiso, in palatium salutatum Eudoxiam imperatricem festinaret. Vbi est à Valentiniano stuprata, quæ mœsta pòst uiro cõtumeliam acceptã retulit. Qui ut Imperatorem

ulciſceretur, Aetium ſuſpectum Imperatori reddidit, cauſaq; fuit ut interficeretur. Tandem occiſo Valentiniano, Maximus arrepta tyrannide Eudoxiã quoque rapit, cùm iam eius uxor deceſsiſſet. Eiq; faſſus, ſui amore uirum à ſe occiſum: ob quod illa exacerbata, & animum eius impudicum deteſtata, ad uindicandum facinus eſt incenſa, aduocato Genſerico rege, qui urbem uaſtaret, & necem Imperatoris uindicaret. Recedẽte autem Genſerico ab urbe, cùm Campaniam popularentur, Romani cum toto Senatu Auitum patricium Imperatorem crearunt: cum quo Martianus, priuſquam moreretur, fœdus & ſocietatem iunxit, ut in tantis Barbarorum motibus, utrunque imperium auxilio eſſet alteri, mutuoq; fauore ſtarent. Cæterùm Gothi, qui Attilæ & Hunnorum metu aliquandiu quieuerant, ubi Attilã defunctum, eiusq; gentis opes acciſas audiuêre, Hiſpaniam cum Tranſalpina Gallia ſibi uindicant armis. Sed nec diu & ille Auitus imperauit: utpote qui apud Placentiam captus à Ricimere, & coactus purpuram exuere, paulo pòſt rebus exceſsit humanis: quemadmodũ omnes poſtea Occidentis Imperatores, ſi modò ſic uocandi ſunt, ac non potius tyranni, Maiorianus, Seuerianus, Anthemius, Seruandus, Ricimer, Olybrius, Liberius, Nepos, Auguſtulus, Oreſtes, Odoacer. quoniam, ut ſuperius annotauimus, cadente Aetio ſub Valentiniano, cecidit totum Occidentale imperium. Sed illa pòſt uberius uidenda ſunt. Hæc excerpſimus ex Procopio, Paulo Diacono, Iordãne, & aliis. Haud negligenter Pomponius Lætus de Martiano ſcripſit. Sed omnium copioſiſsimè de Martiano, & quæ ſub eo geſta ſunt, Iohãnes Monachus Græcus autor & diligentiſsimus, in libro ſuarum hiſtoriarum. Nos tetraſtichum de more ſubiungamus: ſi uel hoc prius admonuerimus, nos Martianum, Martium appellare, ob legem carminis, ne uerſus claudicet:

Martius inde ſenex Flaua de gente, potitur
Pulcheriæ ſuaſu coniugis imperio.
Vandalicos ſiſtit motus, tum fœdere Parthos
Iunxit, & Eoum roborat imperium.

SEVERVS CAESAR.

LEON Imperator primus, Graij traditur fuiſſe ſanguinis: licet aliqui Beſsicum, non Græcum fuiſſe ſcribant. Auguſtus eſt appellatus, & Imperator factus, ſuffragijs & factione Aſparis & eius potentia, ex tribuno militum dictus Cæſar. Ita enim cõuenerat Aſpar cum Leonte, ut factus Imperator, Ardaburiũ eius filiũ adoptaret, quod Leon obſeruauit: populus uerò ubi hæc nouit, Ardaburium cum patre interimit. quamuis aliqui eos à Leonte interfectos dicant. Vnde poſt cædem Ardaburij Cæſaris, nepotem ex filia, Zenonis filium Leontem, Cæſarem fecit. Aſpar enim cùm ſectæ eſſet Arrianæ, Imperator eſſe nõ ualuit. Ob id inuitauit Leonem: qui cùm exercitũ terreſtrem, ut fertur, centum millia, & ingẽtem claſſem cũ Baſiliſco uxoris fratre miſiſſet, Aſpar inſidias tetendit, timens ne ex uictoriæ Vandalicę ſucceſſu elatus, nõ æquus ei tum cęteris imperij rebus foret: quę cauſa fuit, ut etiã dehinc ab eo occideretur. Scribit Zonaras, Aſparem, ubi Leonã ui cõpuliſſet ad filium ſuũ Cęſarem creandũ, Leoq; moras necteret, purpureã eius ueſtem manu apprehenſam dixiſſe: Principem qui huiuſmodi habitũ geſtat, illum ipſum mentiri haud cõuenit. Cui Leo: Neq; etiam uim pati, ac inſtar mancipij impelli, cogiq;. Sed tãdem neceſsitati obſequutus, cùm uiolentiæ reſiſtere nequiret, promiſſum eſt exequutus, cõtra Senatus populiq; uoluntatem, qui ad ſeditionẽ inclinabatur, timens ne Arriani potentia Aſparis, incõmoda multa Chriſtianis inferrẽt. Leo perſuaſionibus tumultũ ſedauit, quem Clerici, Monachi, Chriſtianiq; cõtra Arrianos excitabant: nactus opportunitatem extinguendi patrem & filium Cæſarem,

poſtquam

postquam insidias sibi tendi intellexisset: Isocasium uerò quæstorem insignis prudentię uirũ, sed Græcanicę superstitionis maculatum, honore exuit, & accusatũ, ac ut solent rei sordidatum prefecto tradidit, ut pro tribunali eius cognosceret causa. Cùm itaq; prefectus Isocasium presentis status sui admonuisset, suscepit ille perbellè uidere miseriã suam: sed neq; multũ commoueri, cùm homo in humanas decidisset calamitates. Sed tu quoq; cogita, inquit, te mecũ olim ius dixisse, & ob id in iudicando non insolescas. Sententia igitur dicta, Isocasius in ecclesiam ductus, baptisma suscepit: propter quod plurimũ Imperator gauisus, magnam sibi in populo laudem ac gloriam peperit. Sic finiuit Asparis & filij Ardaburij Cæsaris tyrannidem, & tranquillius deinceps regnauit. Cùm enim iuniorem Leonem nepotem destinasset futurum Cæsarẽ, puerum hunc contemptum iri ab ijs duobus facilè coniectabatur, ob eorum potẽtiam: ideò occidi fecit. Sub hoc principe perpetuo motu res Italiæ fuerunt. Nam primo eius imperij anno Auitus, qui regnum Occidẽtale tenuit, de quo paulo antè diximus, rebus excesit humanis. Maiorianus aũt apud Rauennã Occidentale arripuit imperium gubernandum. Sed non diu regnans, dum contra Halanos, qui Gallias infestabant, mouisset procinctũ, Dertonę iuxta fluuiũ Hyram cognomẽto occidit, cùm anos propè quatuor gubernasset. Procopius exmorbo discesisse scribit. Virum suis mitissimũ, & hostibus formidolosissimũ. nam & contra Vandalos fortissimè bellum sumens, maximo collecto exercitu in Liguribus constitit. Ipse dux impiger, nullum neq; laborem recusauit, neq; ullam bene gerendæ rei occasionẽ prętermisit: primusq; qui Vandalorum Gensericiq; mores ac mentẽ exquireret, & an Aphri benè an malè erga Romanos afficerent: quod nullorum auditione, sed proprijs deprehẽdit oculis. Legatus enim quondam ab Imperatore missus causa ineundę concordię, alio sibi uultu ac nomine mutato, ne fortè notus incommodum pateretur, et quę agenda erant impediret, crines sibi flauo colore infecit, & omnia diligenter oculis rimatus perdidicit. Rebus quoq; diligenter exploratis, in Liguriam ad suos reuersus, magna confidentia exercitum educit: qui ob eius uirtutẽ totius Aphricæ potiundę spẽ concepit. Sed morbo inopinato preuentus, in nihilũ sunt omnia redacta. Cuius locum mox Seuerus, natione Lucanus, inuasit, ab alijs Seuerianus appellatus: apud Rauennã Imperator efficitur, & Augustus appellat. Sed & ille tertio imperij sui anno scribit defunctus Romę propria morte aut uenено, cùm iam laureã meruisset superato Biorgo Alanorum rege: quanq; aliqui eius imperio quatuor attribuant annos. Sub id enim tempus Biorgus Alanorum rex, cum ingenti Barbarorum manu per Tridentinum saltum Italiã inuasit. Erãt aũt Alani ex his qui cũ Burgundijs, Vandalis & Sueuis, octauo & quadragesimo antè año in Galliã irruperant. Vnde à Constãtio pulsi, cum Vandalis in Beticam concessêre. Vandalis inde in Aphricã abeuntibus, in Gothorũ fide aliquandiu quieuerant. In Italiam igitur effusi, omnem cisalpinam Galliam cum Venetiæ recessu prædati, Histriatenus peruasêre. Inde impetu auersi, Ricimer circa Benacum obuium habuêre. Erat aũt Ricimer genere Gothus, uir militaris & egregius. In patriciatũ uerò Romæ ascitus, & gener Anthemij Imperatoris: qui gener erat Martiani Imperatoris & senatoris, opibus & genere magnus: quem potissimum ad Occidentis imperium suscipiendum miserat, ut Vandalorum bello auxilio foret. Hic itaq; Ricimer, & multitudinem Alanorum, & eorum regem Biorgum in primo statim certamine superatum, internecione prostrauit, haud longè à Bergomo ciuitate Venetiæ, ubi extinctus est. Eurycus igitur Vesogothorum rex, crebram mutationem Romanorũ cernẽs, Gallias suo iure nisus est occupare. Sed Anthemius Imperator Britonũ auxilia postulauit: quorũ rex Riotimus cum xij millibus ueniens in Veturicã ciuitatẽ Oceano finitimã, è nauibus egressus susceptus est. Aduersus quos rex Vesogothorum Eurichus innumerũ ductans exercitum progressus, Britonũ re-

gem priuſquam Romam in eius uenirent ſocietatem, ſuperauit: qui amiſſa ma
gna exercitus parte, ad Burgundionum uicinã gentem, Romanis tum confœ
169 deratam confugit. Eurichus uerò Veſogothorum rex Aruernam Gallię ciuita
tem occupauit. Erat tum Gallorum præfectus Seruandus Arabundus ab alijs
dictus, qui imperium inuadere tẽtabat: ſed iuſſu Anthemij principis exilio eſt
mulctatus. Quemadmodum & Romanus patricius eodem itinere incedens
ad imperialẽ aſſequendam dignitatẽ, capite eſt trũcatus. Quo tempore Genſe
ricus iterũ ingenti claſſe Italiam populari dum nititur, à Baſiliſco patricio ſupe
ratus, nauali pugna ad Poſtuloniam uno prælio fuſus fugatusq́, inglorius Car
thaginem rediit. Fuit hic Baſiliſcus frater Berinæ Auguſtę, quẽ cum exercitu
in Aphricam direxit: qui nauali prælio Carthaginẽ ſępè aggrediens poſt con
flictum, ſcilicet cupiditate & auaricia corruptus, pecunijs eam uẽdidit Vanda
lorum regi: priuſq́ ſua ingenti claſſe, quũ cclxxx tantum ſtadijs à Carthagine
diſtaret, Gyzerichũ Vandalorum regẽ, qui iam deſperatus erat, debellaret. Vi
dens enim rex Baſiliſci indulgentiã, tarditatem atq́ ignauiã, primùm ſubditos
ſuos omnes uelociter cũ nauibus quibus poteſt armat: partim uiris uacuas mit
tit, ut repentè adnauigãtes cũ inſtrumentis ac munitionibus ſint pręſto parati.
Interim ad ipſum legatos mittit, ac inducias quinq́ dierum ad deliberandũ pe
tit, Imperatori an ſe dedere, an manus debeat cõſerere. Miſſa quoq́ ingẽti au-
ri portione, animũ auari ducis flectit: qui hanc nactus opportunitatẽ, cùm dies
inſtaret conflictus, prętoriam triremẽ uertit: & cùm à puppi oppugnaretur, fu
gam arripuit, & cum paucis euaſit, relictis qui pręlio nauali occubuerunt. An
themius autem iiij gubernans annos, cum genero Ricimer in diſcordiã uenit,
diuq́ mutuò certarunt. Et cùm utriuſq́ copię paratę eſſent, ac per factiones di
uiſa urbs & Italia foret, Leo è Conſtantinopoli Olybrium miſit purpura in-
dutum, qui uiuenti Anthemio regnũ auferret. Res non ita ſucceſsit: quoniam
Ricimer ad Aelium pontem ſuperatis auxiliaribus Gallis, cum Belimere Galli
arum rectore, Anthemium gladio tranfodit. Ciuium Romanorum bona data
ſunt prędę. Exceptis enim duabus regionibus, in quibus Ricimer cum ſuis ma
nebat, cætera omnia ſunt euaſtata. Sed nõ diu de perfidia lætatus eſt Ricimer.
tertio enim menſe cœliacus dolor hominem extinxit. Olybrius ſine contro
uerſia ſuccedens in imperio, Gundibarũ eius nepotem patriciũ creauit. Septi-
mo pòſt menſe deceſsit Romę: uxorẽ habens Placidiam Valentiniani filiã, ut
ſuperius annotauimus. Poſt quẽ Rauennæ exercitus Glicerium ſenatorẽ Ro
manis inuitis Imperatorẽ ſalutat. Sed emenſo uix annuo ſpacio, à Iulio nepote
(ſic erat illi nomen) Marcellini quõdam patricij ſororis filio, regno pellitur, &
præſul Salonínus ordinatur, apud Salonas Dalmatiarum urbẽ. Tantas uarieta
tes animaduertẽs Eurícus Veſogothorum rex, Aruerna ciuitate occupata (ut
diximus) cui tum Romanorum dux præerat Decius nobiliſsimus ſenator, &
olim Auiti Imperatoris, qui paucis diebus regnum inuaſerat, filius. Nam hic an
te Olybrium paucos dies tenens imperium, ultro ſeceſsit Placentiam, ibiq́ eſt
epiſcopus ordinatus. Huius ergo inquam filius Decius, diu certans cum Veſo
gothis, nec potens reſiſtere, relicta urbe hoſti, ad tutiora ſeſe recepit loca. Id au
diens nepos Imperator, pręcepit Decio relictis Gallijs ad ſeſe uenire, in locum
eius Oreſte in magiſtrum militum ordinato. Qui Oreſtes ſuſcepto exercitu, &
cõtra hoſtes egrediens, à Roma Rauennã peruenit. Ibiq́ remoratus, Auguſtu
lum filium ſuũ, Rauennatium ſtudio ac militari fretus fama, puerum admodũ,
unde & nomen habuit, Imperatorem effecit. Quo comperto, nepos Dalmati-
am fugit, priuatus regno: ac ubi iam Glicerius olim Imperator epiſcopatum ha
bebat, Salonis cæſus eſt. Auguſtulus itaque & Oreſtes cum Vandalis, qui in
Aphrica latè imperitabant, fœdus ſanciunt: incolume ſibi imperium manſu-
rum rati, ſi eam gentem pacatam haberent. Sed dum timent ab Auſtro, mul-
to fœdior illis tempeſtas orta eſt ab Aquilone. Quoniam Oreſtem Odoacer

tunc

tunc Gothorum rex, olim Oreſtis armiger, cum Turcilingis, Scythis ac Herulis Italiam occupans, ſuperauit: ac Placentiam, ut illic interficeretur, miſit. Auguſtulum eius filium, qui metu purpuram abiecit, cùm uix undecim menſibus Rempub. tenuiſſet, exilio damnauit. Exulauit in Lucullano oppido Campaniæ miſellus Auguſtulus, abiecta imperiali maieſtate, anno à C. Cęſare (qui primus monarchiam arripuit) quingenteſimo uiceſimo ſecundo. Ab urbe uerò condita Mccxxix. anno: ab urbe uerò à Gothis capta lxiij. anno ſalutis quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto, ſedente Simplicio Pon. Max. Sic ruit Heſperium & Occidẽtale imperium: & ſanctiſsimum Auguſtorum nomen in Auguſtuli defecit exilio. Quemadmodum ſæpenumero regna in eis deficiunt, à quorum nominibus incipiunt.

Poſtea imperium Occidentale annis ferè trecentis xxx. uacauit, in Caroli Magni uſque tempora: licet nonnunquam ſurgerent, qui ſibi nomen Imperatoris uſurparent, ſed non diu id ſeruauerunt. Vt Aurelius Ambroſius Romanus, qui unus propemodum ſuperfuerat cædi, qua Valentiniano Principe fuerant Romani à Saxonibus Anglicis in Anglia occiſi. Is ſumpta purpura, & Imperatoris appellatione recepta, aliquandiu cum Saxonibus bellauit. Poſtremò Inſulani acie uicti, ducem in prælio amiſerunt. Gothi uerò uſque ad Iuſtinianum, regnum tenuêre. Nam Odoacer rex gentium omni Italia ſubiugata, ut terrorem ſuum Romanis indicaret, mox initio regni ſui Braciliam comitem apud Rauennam occidit, regnoq; ſuo corroborato per tredecim annos uſque ad Theodericum obtinuit. Cogitauit autem de urbe transferenda, & noua colonia deducenda, quam de ſuo nomine Odoacriam appellaret. Primus exterarum nationum quietus per decem annos poſſeſſor, poſtea infelicem regno ac uitæ finem dedit, cùm quatuordecim iam annos imperaſſet, à Theoderico apud Rauennam ſuperatus & extinctus. At Leon cùm Orientale Imperiũ xvi annis rexiſſet, occubuit. Ioannes Monachus tradit, Leonẽ cùm decem & octo annos imperaſſet, in morbum incidiſſe, & Leonem nepotem ſucceſſorem reliquiſſe. Vir erat in quo multę clariſsimę effulgebant uirtutes, ſed omnium maximè erga homines calamitoſos miſeratio. Dicereq; ſolitus eſt, quemadmodum Sol qui quicquam ſuo ſplendore illuſtrat, nonnihil caloris impartitur: ſic Principem debere eos ſua dignari miſericordia, quos contueretur.

Habuit autem uxorem nomine Berinam, ex qua genuit Ariadnen & Leontiam filias. Ariadnem Zenoni collocauit, Leontiam uerò patricio Martiano, filio Anthemij Imperatoris Romani, ut Ioan. Monachus Græcus in libro ſuarũ hiſtoriarum latiſsimè explicat: ubi & copioſè res geſtas eius temporis commemorat, ex quo & hæc excerpſimus. Nonnihil etiam ex Procopio, Iordanne, ac Paulo Diacono. Nos nunc, ut aſſueuimus, tetraſtichon ſubiungamus:

Occidit imperium Occaſus regnante Leone,
Tempore quod plures obtinuêre breui.
Romano Gothi poſt hos dominantur in orbe,
Cùm tenet Eoi ſceptra decora Lea:

ZENO

ZENO CAESAR

ENONEM Leon secundus, filius suus, ut scribit Iohānes Monachus Græcus, sua manu coronauit. Leon enim iunior paucis mensibus, & ut alij scribūt, uix anno prefuit imperio: quod tamen, licet iuuenis, accuratè administrauit, morum, non belli studiosus: ut Leo senior, qui eum anno quàm moreretur consortē imperij fecerat. Sed cùm hic ualetudinarius esset, nouo exemplo pietatis in patrem, ipsum Imperatorem coronans, rebus humanis excessit. Sæpius enim legitur, filios patribus insidias locasse cupiditate regnandi, quàm ut eis imperio cederent. quanquam & id rarum sit, filium imperatorem designatū uiuo patre. Fuit hic Leo, Leonis imperatoris filius, ex filia Ariadna & Zenone nepos, ut tradit Procopius. Vt uerò mortem obijt Leo, Zenō Augustalem nactus est dignitatem: homo humilibus parentibus natus, ex Isauris Ciliciæ humili & incognita uilla, & tam uultu quàm moribus deformis. Tarasis Codicus uocitabatur, teste Agathio lib. iiij. historiarum, per ignominiā. Leo enim senior nunquam ipsum idoneum principatui existimabat, quòd neq; animum regiū, neq; speciem honore dignam haberet. Facies ei erat turpissima, ingenium multo deterius. Ob id principatū non more regis, sed tyrāni gessit, habens fratrē nomine Conona, seipso longè sceleſtiorē, qui sanguine & cæde hominū mirificè oblectabatur. Cùm is plerunq; Chalcedoni degeret, socrus sua Augusta Berina occasionem nacta, altero eius imperij anno fratrem suū Basilischum in regali solio locauit. Augustū & Imperatotē dixit, quia Imperator abesset, paucorum ciuium consensu freta. Zenon tristi nuncio perculsus, timidus & ignauus secessit in Isauriam cum uxore Ariadne, priuatam instituens uitam: satius ratus id facere, quàm Remp. domesticis ac ciuilibus certaminibus lacerare, exilium cum coniuge quàm ciuile bellum præeligens. Hac fuga lætatus Basiliscus cùm ex Thracia castra mouisset, in cāpo est rex declaratus: qui uxorem suam Zenoridam Augustam corona decorauit, & Marcum filium Cęsarem fecit. Sed Basiliscus imperium, quod furatus uerius fuerat quàm adeptus, haud diu tenuit: quem uitæ fœditas primò, & inexhausta auaricia ac mores nihil Zenonis meliores, inuisum reddiderūt populo. Sed multo deinde inuisior factus, ubi Nestorianam impietatem siue Eutychianam est amplexus. Qua perfidia inflatus, multa contra Ecclesiam tentauit protinus agere. Inductus enim ab uxore in Eutychis & Dioscori hæresim, ecclesias bene credentium pessimè tractabat, ac per edictum tyrannicū consilio Chalcedone facto abrogauit, compulitq; Acatium patriarcham Constantinopolitanum, ut sanctionem suam habito concilio comprobaret. Quod uiri religiosi contempserūt, Chalcedonense concilium sanctum appellantes, & Basiliscum maledictum insectati. Sed antè inflatus crepuit, sic Deo Opt. Max. iubente, quàm pœnitendi locus aduenerat. nā Armatius dux ab eo missus, Zenonis ducibus se cū toto exercitu tradidit. Erat Armatius patruelis Basilisci, quē cum Thracēsibus curribus cōtra Zenonem miserat: qui cùm ad Niceam ei occurrisset, magnis muneribus corruptus, & promissione quòd ab eo filius suus Basiliscus Cæsar coronari deberet, transitionem fecit. Sic Illus et Procundus duces cum exercitu ad debellandum Zenonem missi, cùm promissa Basiliscus non præstaret, & Senatus Principis scelera grauiter ferens illos literis admonuisset, Zenoni se adiunxerunt: & ex hostibus amici facti, accepto stipendio Zenonem secum reducere instituerunt. Reuocatur itaque Zenon magno ciuium studio: qui rediens ex Isauria, regnum suum repetit, ac Basiliscum post acceptam cladem in templum fugientem, & ab Acatio præsule Constantinopolitano eiectum, Zeno Imp. cepit, & cum filio in Cappadociam relegauit unà cum matre: qui Lemnis (quod nomen oppidi est Cappadocię) fame cōsumpti sunt, & frigore. Nam unà inter se complexi

complexi corporibus collachrymantes miserè perierunt, cùm iussisset illos hyemis tempore neq; ueste neq; cibarijs iuuari, uitamq; cum regno amiserunt, cùm tyrannidem exercuisset octo menses supra annum. Zonaras tradit eum duobus annis tyrannidem occupasse, ac in turri conclusum cum filijs fame extinctum, socrum autem Berinam in exilium missam. Quo tempore in Italiam Odoacer longè lateq; imperitabat, necato Oreste, & Augustulo in exiliũ misso, ut superius scripsimus. Et Theodericus Ostrogothorum rex Sarmatias depopulatus, consensu omnium gubernacula assumpsit. Is cùm à Zenone plurimùm diligeretur, eum Constantinopoli honoribus & diuitijs auxit. nam magistrum militum, & cõsulem ordinarium creauit, & insigni triumpho ornauit. Is petijt ab Augusto Italiam, si Odoacrem superasset Zenon Imper. & si plurimùm Theodericum diligeret, inuitusq; eum ab se dimitteret, assensus est: deditq; illi regnum Italię, commendans ei urbem Romam, Senatum, populumq; Romanum. Theodericus itaq; cum ingenti exercitu consul Romanus Italiam petijt per Illyricos, occurrentem Odoacrem prælio uicit & fugauit: & bellis fatigatum, & intra urbis Rauennę mœnia fugientem, triennio obsedit. Tandem captus in cœna, iussu uictoris crudeliter excarnificatus. Theodericus uictor ingenti lætitia ac plausu ab obuio Senatu, Pop. Q. Ro. exceptus, plurimumq; dilectus: quòd gratuita liberalitate caritatem annonæ fugarat, singulis annis ad subsidium xx. milia modiorum scilicet tritici concedens, quę res imperij cõseruandi salubre fomentum est. Multa etiam urbis ædificia instaurauit: Capitolium, Palatium, Thermas, Porticus, Cloacas, aquarũductus, & tam sacra quàm profana loca, Augusti Mausolæum. Reformauit ad ueterem morem leges & instituta urbis. Et si ab sanguine quorundam senatorum abstinuisset, nemo fuisset illo acceptior. Nihilo tamen minus regnum gentis suæ, & Pop. Rom. principatum prudenter ac pacificè annis triginta tenuit. De quo plura Procopius lib. primo belli Gothici, & Iordannes. Cæterùm ad Zenonẽ reuertamur Imp. Fuit illi magister officiorum Illus nomine, singulari amore coniunctus: utpote quem & in priuata uita admodũ dilexerat. Is cùm secretò quædã in Ariadnen Augustam Zenoni narrasset, famã Augustę fœdè commaculauit: quibus exasperatus Imperator, præcipit clam cuidam, ut noctu uxorem suam perimat. Cui illud demandatũ erat facinus, hęret, & anxius quid faciat, pedissequę cubiculo præpositę rem narrat. Exterrita regina, eandem in lectulum collocat. Ipsa clàm ad episcopum Acatium fugit. Seno altera die rem ęstimans perpetratam, luctum simulat, neminem admittit. Acatius episcopus Imperatorẽ impietatis arguit, & leuitatis accusat, qui tam credulus in bonam coniugem fuerit: quam insontem attestatur, & suspicione liberam: Augustus Augustæ data fide atque ueniæ pactione, conciliatur. Augusta in palatium reuertitur, multumq; ac diu deliberat, ut se de obtrectatore ulciscatur. Cuidam mandat, ut in abditis à se abeuntem, securi interimat. Qui reginæ dictis audiens, dum auidius bipennem in ceruices librat, aures illi amputat. Sic Illus mutilatus auribus, periculum letale euadens, ab urbe discessit. Zenoni infestus, Orientem inuasit. Contra quem Leontius cum exercitu missus, & ab eo uerbis pellectus, diadema arripuit. Simulq; Leontius & Illus Reip. inimici effecti, in Oriente ciuilem motum fecêre, & tyranni in partes Syrię et Isauriæ debacchãtur, additoq; super solito Isauris dono, omnes simul conspirant contra Zenonem. Cuius thesauris in Papyrio castello munitissimo repertis, desęuiunt. Sed haud diu lętati de pręda ac spolijs, à militibus Zenonis in eodem castello inopinati capiuntur et obtruncantur. Eorumq; capita hastis infixa, Constantinopolim deferuntur. Sic Illo magistro, qui ad tyrannidem inuadendam nitebatur, extincto, Pelagium patricium, uirũ prudentissimum iuxtà ac iustissimum, causatus quòd Græcę religioni esset addictus, reuera aũt ut se à reprehensionibus eius liberaret, occidit. Animi enim liberi ille, solitus erat nepharia Principis facinora insectari. Com-

plures

plures etiam alios interemit, clarioribus omnibus uirtutibus inimicissimus. Inter quos & Armatius fuit, cuius filium quidem Cæsarem, ut erat pollicitus, fecerat, & patrem prætorem: Sed paulo pòst interfecit Armatium, dicens uix ipsum in fide permansurum: filium clericum ordinari iussit. Sic superatis hostibus, Zeno in pace quieuit. Et cùm xvij. annis præfuisset imperio, obijt diem miserabili morte. Nam cùm ægrotaret, periodicis uehementijs ac exacerbationibus, ut medici scribunt, quasi exanimatus iacens, uisus mortuus, impositus est sepulchro: illic refocillatus, & ad se rediens, suffocatus dicitur, ne recordaretur illius illati incommodi. licet alij tradant aliam mortis speciem. Cùm enim in hereses ac impietatem et corruptos esset mores prolapsus, omnibus esse odio cœpit. Nam ebrietati adeò deditus erat, ut plerunq; mente penitus alienaretur, temulentusq; nihil à mortuo differret. Cùm itaq; se multo mero oneraſſe quadam uice, & moribundus iaceret, Ariadne uxor alioqui satis illi inuisa, ueluti mortuum iussit sepulchro, quo reges reponebantur, inferri, addito ingenti lapide qui eum tegeret. Posteaquam resipuit, & ebrietas resoluta est, magnos edidit eiulatus & clamores frustra, nullo opem ferente. Sic enim Ariadne ordinauerat, ne quis sepulchrum aperiret, aut propius accederet. Digno itaq; supplicio mortuus est, qui omnibus erat infensus: relicta uxore Ariadne, quæ filia fuit Leonis Imperatoris, ut superius annotauimus, conscia sceleris. Plura Ioannes Monachus Græcus, è quo illa excerpsimus, & Procopius. Sed ex Paulo diacono atq; Iordanne quædã mutuauimus. Nunc uerò omisso priori instituto, tetrasticha in Constantinopolitanis ac Orientalibus Imperatoribus dimittamus, ut hoc signo iuniores libro aperto, Romanos Cæsares à Græcis distinctos intelligant. Etsi priores quidam fuerint Græci, tamen tum Romanũ quoque uigebat imperium. Vbi uerò illud occubuit, & soli Græci Rempub. gesserunt, uolui hac re hos Cæsares ab illis separare (quod in Præfatione operis attestatus sum) usq; ad Caroli magni tempora: ubi iterum tetrasticha subiungemus, ueteri instituto nostro inseruientes. Sed neq; hoc obmittendum censeo,
170 quòd sub hoc Imperatore Anastasio, uir claruit doctissimus undecunq;, Alcimus Auitus, Episcopus Viennensis, insignis poeta & theologus: qui à se opus tersum heroico carmine reliquit, De origine mundi, De peccato originali, De sententia Dei, De diluio mundi, De trãsitu maris rubri: dignum profectò quod à posteritate legatur. ut interim carmen de uirginitate, & epistolas eius obmittam, & pleraq; alia. Cuius operis initium est:

Quicquid agit uarios humana in gente labores,
Vnde breuem capiunt mortalia tempora uitam,
Vel quòd polluti uitiantur origine mores,
Quos aliena premunt priscorum facta parentum.

ANASTASIVS CAESAR.

ANASTASIVS Dicorus, ex silentiario ac humili sorte subitò defuncto Zenone Imperatore, arte & ingenio Ariadnes Augustę princeps electus, imperium adeptus est: multum etiam ad hoc annitente Vrbitio eunucho, cuius magna erat per id tempus potentia. Imperatorq; factus, Ariadnen Augustam uxorem duxit, cuius opera culmen illud conscẽderat. Nuptiæ autem hæ quadragesimo post tumulationem Zenonis factę sunt die. Quo, publico edicto, omnia quæ in eum diem publicè deberentur, cuiuis remisit. Erat enim tributum Chrysargyron tum appellatum, quo omnium ordinum homines, mendici, pauperes, scorta, serui, libertini, annuũ uectigal singuli argenteũ nummum: de equis, mulis, bobus, asinis, alijsq; iumentis semiobolum persolue

re coge-

re cogebantur. Quę omnia Anastasius remisit, libros q; uectigalium in Hippico coram populo succendit, magnamq; ob hanc rem gloriam ac cōmendationem commeruit. Dicorus autem appellatus est Anastasius, quoniā diuersi coloris pupillas in oculis habuit: dextra em̄ nigrior, læua uerò pupilla magis glauca fuit, ut scribit Ioannes Monachus. Silentiarius aūt erat, hoc est, quietis minister, priusquā fieret Imperator. Erat enim dignitatis gradus, Silentiarq; apud Imperatorē titulo honestatus, apud Iureconsultū uir clarissimus sacri palatij nuncupatus, honor mediocris. Cùm aūt factus Princeps coronari deberet, Euphemius patriarcha uir sanctus & religiosus, Constantinopolitanæ tum ecclesiæ præfectus, ab eo literas exegit, quibus fidem profiteretur rectam, seq; nihil immutaturum de ecclesiasticis decretis promitteret. Acatius enim qui prius huic præerat ecclesiæ cùm Zenon imperaret, falsa semina de duplici in Christo natura sparserat cum socijs suis: ob quod facinus Euphemius ipsorum nomina è tabulis eraserat. Anastasius manu sua literas scriptas, quibus ecclesiæ decreta comprobat, dedit: & quæcunq; in concilio Chalcedonensi acta fuissent, se tuaturum pollicebatur. quo facto, coronabatur. Sed cùm iam gratiam plebis largitionibus, & remissione uectigalium emeruisset (nam & urbana officia prius uenundari solita, gratuitò concedebat) dehinc ad naturam suam conuersus, de diuinis aliter ac promiserat sentiebat: in Eutychis ac Dioscuri lapsus hæresim, 171
multa orthodoxis ecclesijs detrimenta intulit, omnibusq; qui benè de fide sentiebant inexorabilem se præstitit. Euphemium patriarcham, à quo coronatus fuit, post multas iniurias in exilium pepulit, Timotheo socio suę factionis in loco sui statuto, cùm iam literas à se scriptas fraude ui que ab eo extorsisset. ob id mox multis undiq; bellis lacessitus est. Contra quem Isauri arma ob id corripiunt, quòd Illus tyrannus illis, de quo antè paulo scripsimus, donatiuum adiecerat, & Zenon reconciliationis gratia inuitus largiebatur, postq; eius mortem eo fraudabantur. Ob id contractis copijs, commisso prælio, apud Cotæianum Phrygiæ oppidum castrametati, penè per sex continuos annos Reipub. aduersantur, duce Lilingo, qui & consilio & armis præstabat: miles strenuus, & si à pedibus laboraret. Eo mortuo ac interempto, Isauri omnes fugerunt, ac palantes superati sunt, pars exilio mulctati, pars cæsi: urbes eorum dirutæ, ac solo æquatæ. Vnde mox imperator Anastasius parta uictoria, militibus donatiuum dedit, quoniam sub eo miles uarijs prælijs fatigabatur. Iam em̄ in Illyrico cum Sabiniano & Mundone ad Margum, iam cum Põpeio ad Adriano polim, iam cum Aristo ad Zartam, iam cum Parthis in Syria, demptis intestinis cladibus & pugnis, in foro regiæ ciuitatis, frequenter decertabatur. Tandem contra Italiam plus piratico quàm publico Marte pugnaturus, frustratus est. Gessit & ciuile bellum contra Vitalianum ad Aquilonem. nam Scytha erat & magister militię sex annis. Is cum sexaginta milibus armatorum ad tertium miliarium urbis Regiæ accedens, non Reipub. sed regi infestus, prędijs spolijsq; singula populatus est quæ arripuit. Contra quem dum Hypatius nepos Cæsaris cum exercitu numeroso pugnaturus egreditur, ab Hūnis auxiliaribus capitur, & Vatiliano mulæ insidens turpissimè uenditur, priusquam aperto Marte se hostem ostēderet. Vt ergo grauis hic motus sedaretur, & ut Vatilianus quiesceret, nōgenta pondo auri ab Imperatore accepit, & sic data pecunia hostem pacauit. Zonaras tradit Vitalianum Thracem fuisse, & ubi tyrannidem occupasset, collecto ingenti ex Mysijs atq; Scythis exercitu, ad ipsam urbem usq; Constantinopolim accessisse, sed à Mariano quodam duce repulsum. Et cùm nauale iniretur prælium, classem hostium deuictam, per machinā quandam à Proclo excogitatam (is enim tunc in philosophia & mechanicis operibus florebat) acceptisq; Archimedis inuentionibus, multa ingenio suo excogitata adiunxit. Fabricauerat namq; specula ignem emittentia, eaq; de muro suspenderat contra hostium naues. Solis igitur radijs in specula incidentibus ac uibrantibus, ignis

uehemens ilico excitabatur, qui oppositas hostium copias cum nauibus incen debat. Quod quidem inuentum Dion Archimedi acceptum refert, cùm Romani Syracusas oppugnarent. Sed procedente tempore, cùm Anastasius Eutychis hæresim indies magis magisq; foueret, quondã duos insignes uiros, præfectum urbis, & alium qui uerba faceret ad populum, in ecclesiã misit, qui Principis nefandum publicarent edictum. quod adeò commouit plebem, ut impetu in hos facto, ægrè à populari furore subtracti sint. Sed ipsorum ædes dirutæ & solo æquatæ, omnia bona direpta. Maximæ uerò execrationes & contumeliæ in Principem iactæ sunt, in Vitalianum laudes & honorũ tituli. Cumq; multorum ædes essent incensæ, multi mortales sunt interempti. In quibus monachus quidam, qui habitaba t prope cisternam Mocesiam principi ualde familiaris, & fœmina quę solitariam agebat uitam in claustro ad portam Xerocercon, cui multum fidei princeps habebat, amborum cadauera cæsa ac per urbem rapta incensa sunt. Dicuntur etiã ea tempestate Bulgari, gens prius ignota, in Illyricum et Thraciã incursiones fecisse. Contra quos aliquot Romani duces cũ exercitu profecti sunt. Cumq; illi excantationibus & magicis rebus usi essent, turpissimè Romani omnes, præter pauculos, uicti & cæsi sunt: cuius cladis præsagia illa euenerant: cometes stella, & corui qui euntes eos ueluti duces præcesserant: tubicines etiã cùm classicum canere deberent, flebile quiddã cecinerant. Cum Agarenis aũt, qui Oriẽtis loca populabantur, pacem Anastasius firmauit. Quorum phylarchus per ea tempora Alamandarus, fidem & baptisma suscepit. Seuerus autẽ uolens ipsum ab orthodoxa fide traducere, duos episcopos ad ipsum misit, qui duas Christi naturas in unã confusas docerent, ut ex eo diuinitatem iuxtà ac carnẽ passam sequeretur. Alamundarus in recta fide bene firmatus, ut illi absurda & incredenda cõuincerentur docere, subornauit familiarem quempiam suũ, qui impijs illis episcopis præsentibus, in aurẽ sibi aliquid diceret. Quo facto, Alamundarus frontem cõtraxit, ingentemq; tristiciã simulauit. Illis uerò tristitiæ causam percunctantibus, respondit: Nunciatum sibi, archangelum Michaelẽ decessisse. Cùm episcopi multis cõprobassent, angelum non posse mori, Phylarchus suscepit: Si angelus igitur mori nequit, quomodo uos sentitis, diuinitatem & passam & mortuã fuisse: quandoquidem carni commixtam eam & confusam, atq; ita naturã unicam extitisse opinamini? Prudentiam hominis episcopi admirati, abiecta omni spe traducendi eum in suam sententiam, discesserunt. Sed et in diuersis regionibus undiq; pugnatũ est sub Anastasio. Getæ Macedoniam, Thessaliam, Epirum diripuerunt, multosq; abegerunt captiuos. Pro quibus redimendis cùm aurũ mitteret Imperator, & pecuniam haud idoneam hostium uotis, Barbari captiuos aut in domibus suffocarunt, aut pro mœnibus in conspectu multitudinis trucidarunt. Hunni etiã excursiones aliquot in Oriente fecẽre: nec cõtenti Armeniorũ spolijs, Cappadociam uastauerunt, & usq; Lycaoniam urbes diripuerunt. Sic undiq; hostiũ uallatus agminibus, sæpe congemuit: licet ex hostibus nullam uindictam caperet. Ex tyrannis quosdam supplicio affecit. Athenodorus enim tyrannus in Cilicia pœnas luit, cuius caput Isauricus miles ueruto affixum, ante portas Tarsi tulit, ibiq; relictũ aruit. Priscus Antiochię, quæ est Ciliciæ, Lõginum Selimanthe um (qui alius fuit à Longino illo fratre Zenonis, quem captũ Alexandriam relegauit, ubi tyrannidem inuaserat: & qui factus presbyter, ibi mortẽ obijt) militiæ magistrum, qui seditione multas Orientis regiones cõcitauit, cepit, & uinctum cathenis ad Anastasium misit. Cuius iussu Niceæ Bithyniæ tanq; fera dilaniatus est, cæsis quoq; quos secũ habuit Barbaris. Exercuit in quibusdam regalem munificentiam. Statuam enim æneam, equestrem, inauratã, sui nominis ac tituli supra columnam fori Tauri posuit, ubi olim locata erat Theodosij Magni statua, supra coclydem columnam: quæ spõte eo anno corruit, quo Roma capta est. Præterea à mari ad Zelymbriam usq; longum murum duxit, qui Macros ti-

cros tichos ab autoribus passim ex re dicitur, ne incursiones Mœsiorum, Bulgarorum & Scytharum officerent Reip. Clodoueo Francorum regi munera, tunicam blacteam, qua soli utebantur Imperatores, & alia quędam insignia, patriciatusq; honorem decreuit, quòd Gothos in Gallia superasset, Burdigaleq; oppidum recepisset. Qui ijs muneribus auctus, & Cõsulis & Patricij ac Augusti nomine ornatus, sedens equo insigni, nummos in publicum sparsit: ac per faustas acclamationes Parisios reuersus, regiam fixit sedem. Item legatos Indorum cum muneribus uenientes placidissimè audiuit, multaq; humanitatis officia præstitit. Quomodo autem cum Persis bellũ gesit, & Amidam urbem obsidere cœpit, Procopius latè libro primo de bello Persico tradit. Magnũ enim exercitum illuc misit, cui duces quatuor præerant: Areobindus Olybrij socer, qui paulo antè in Occidente imperauerat, tunc Orientis prætor: & Celer ordinum in palatio præfectus, quem magistrum Romani uocant. reliqui duo, Patricius Phryx, & Hypatus imperatoris fratris filius, qui ambo Byzãtij militum prędecti fuêre. His additi erant, Iustinus, qui post Anastasium imperauit: & Patriciolus cum filio Vitaliano, qui contra Anastasiũ tyrannidem corripuerat: & Pharesmanas Colchus genere, in rebus bellicis præstans: Gogidasclus & Messas, Gothi homines, ex ijs qui Theodericũ è Thracia in Italiam uenientem non fuit sequuti, ambo & sanguine generosi, & bello aptissimi. Deinde nõnulli fortes uiri secuti sunt: quo fortior exercitus nullus, nec prius nec postea cõtra Persas à Romanis exiuit. De his tamẽ latius Procopius, & quomodo Anastasiam ciuitatem in Mesopotamia de suo nomine cõdiderit. Sed decus Imperij fœdauit Anastasius illuuie Eutychianæ hæreseos: duas in Christo naturas diuersas, & non trinitatem, sed quaternitatem adorandã censens. Nec ab ea secta etiam per legatos ab Ormisda pontifice maximo missos, dimoueri potuit. Quos non sine ingenti cõtumelia eiecit, & fragili nauigio imposuit, cum edicto, ne ullam Græcię urbem adirent. Ob id eum mox diuina ultio subsequuta est, & fulmine ictus interijt, ut Iohannes episcopus Constantinopolitanus: licet Marcellinus tradat, eum longo senio cõfectum (nam maior octogenario erat) subita corruisse morte, cùm annos uigintiseptẽ imperasset. Cõstat tamen eum sæpius quasi furore agitatum ob ciuiles motus desipuisse, adeò ut plerique eum imperio priuandum existimarent: sed indies se mutare mentẽ asseruit. Et ideo eo mortuo, Respub. ita contrita est, ut uix Iustino succedẽte aliquantulum respiraret. Ioannes Monachus Græcus tradit latissimè, quæ in ecclesia gesta sunt, & qui patriarchę Constantinopolitani fuerint, & admirandam de statua Fortunę ænea historiam, quam apud ipsum inuenies. Hoc prætereire nolui: cùm ob malum eius imperium multæ fierent contra ipsum conspirationes, multi sunt deprehensi. Inter quos fuit Iustinus & Iustinianus, qui ambo pòst imperarunt. Eos cùm interficere deliberaret, nocte specie horribilis cuiusdam uiri deterritus est, qui dicere sibi uisus est in somnis: Iustino & Iustiniano nil facias mali, quãdoquidem uterq; suis temporibus Deo seruiet. Ob id Anastasius illis culpam remisit. Aliud etiam fertur habuisse somnium Anastasius. Vir quidam terribilis chartã manibus tenens dixit: Vide, ob peruersam tuam fidem è uita tua annos quatuordecim deleo. Vixerat annos octoginta octo: & quum ex præsagijs sibi fulmine pereundum intellexisset, extruxit quod Tholoton uocabãt, in eoq; plurimùm commorabatur. sed ea res parum profuit. Cùm enim tremenda tonitrua & crebræ coruscationes semel fierent, perterritus ille, ex diæta in diætam frequenter transibat, thalamosq; identidem mutabat: tandem mortuus in quodam regio cubiculo inuentus est. Hæc Zonaras. Scribit Iordannes in suis annalibus parcè de hoc principe, parcius Paulus Diaconus, nonnihil etiam Procopius: qui Herulorum populorum originem sub Anastasio pulcherrimam describit, libro de bello Gothorum.

IVSTINVS CAESAR

IVSTINVS gente Thrax armentarius, ex humili sanè loco, sine imaginibus, sine tribu, ex utroq; parente ignobilis ac obscurus, à teneris annis suũ boumq; custos: pòst lignarij cuiusdam minister. Natus annos xvi. militare cœpit, in militiaq; tantum se exercuit, ut breui manu promptissimus, & hostem comminus atq; eminus ferire exiret doctissimus: fortuna sic uolente, princeps ordinis in exercitu ob fortitudinem factus est, & hinc comes. Ex comite excubitorum à Senatu Imperator electus, ut lapsantem Rempub. restitueret, posthabitis Anastasij propinquis, quanquam multis & illustribus, astutè hanc assequutus est dignitatem, & mirabili arte. Cùm enim mortuo Anastasio Imperatore Amantius eius spado ac libertus ditissimus, ingentem pecuniarum uim ad Iustinum detulisset (erat enim magnæ potentiæ, & ditissimus) ut eam inter milites partiretur, seruata tamen quantũ ipse uellet pecunia, modò ductoribus exercitus persuaderet, Theocretianum sibi longè familiarissimum ut legerent Imperatorem, maiusq; promitteret per singula capita donatiuum, quàm priores unquam fecissent, curaretq; omnibus uiribus ut hic crearetur Imperator, Iustinus quidem satis integrè pecuniam inter milites partitus est, sed non ad uotum Amantij: utpote qui hac partitione & fauorem sibi commeruit, & suffragia pro se cautè emit. Itaq; ab uniuerso Senatu totoq; exercitu, discrepante nemine, Iustinus electus ac pronunciatus est Princeps: sellaq; curuli acceptus, ac diademate ornatus, ab omnibus salutatus Imperator. Amantius uerò prępositus palatij, uidens se frustratum, ac fraudẽ hanc in se patratam, Theocritianum, Andream ministrũ cubiculi, Misahelem & Ardaburem cubicularios ad se uocat, adhortaturq; ut insidias secum nouo Principi maturẽt. Quas cùm Iustinus prudẽter uitasset, omnes cepit, atq; è medio sustulit, Amantium atq; Andream ferro obtruncat. Hic Amantius somniũ etiam habuit ea nocte, qua Anastasius uiderat sibi è charta deleri aliquot uitæ suæ annos in somno, de porco ingenti, qui ipsum astantem etiamnum Principi suo aggressus, humiq; stratum, interemit. Hic etiam ædem S. Thomæ apostoli, quæ Amantij ædes nuncupatur, extruxit. Sed Misahelem atq; Ardaburem cubicularios, Sardicam in exilium mittit. Theocritianum uerò satellitem Amantij, qui imperio inhiabat, comprehensum, & custodijs detentũ, ingentibusq; pòst saxis cæsum iubet in mare proijci, ut tam imperio quàm sepultura priuaretur. Cum Vitaliano fœdus percussit, & ad se euocatum, magistrum militum præsentem & consulem ordinarium fecit: sed cùm is iterũ in suspicionem prioris facti incidisset, xvi uulneribus in palatio cum Celeriano & Paulo satellitibus cõfossum perimit. Fuit aũt Iustinus, ut scribit Iohannes Monachus, orthodoxus: qui publico edicto promulgauit Chalcedonense concilium uenerari, authorumq; (qui sexcenti patres fuerant) nomina in duplicibus sacris tabulis omnium Ecclesiarũ iussit describi. Et ex uniuerso Oriente hæreticos Arriana fœditate cõmaculatos expulit: inter quos & Seuerus Antiochiæ episcopus fuit: in cuius locum electus est Paulus qui Eubuli peregrinos excipiebat. Seuerus in Aegyptũ fugit, ac magnas turbas suis disputationibus de corruptibili & incorruptibili excitauit. Ob id Ormisda pontifex Max. Germanum Capuanum præsulem legatum Iustino mittit, ut loco Arrianorum orthodoxos reciperet, ab Anastasio eiectos, & catholicã Ecclesiam restauraret. Quẽ Iustinus nõ modò humanitẽ excepit, sed clemtẽissimè quoq; exaudiuit. Id ubi Theodericus Ostrogothorũ rex intellexit, quia & ipse Arrianus erat, mox Iohannem Pont. Max. qui Ormisdæ successerat, ac Theodorum cum uiris consularibus Importuno atq; Agapito ad Iustinum imperatorem mittit, minitans, nisi totam uelit Italiam & Occidentem pessundari, ut Arrianos in pace sinat, ne'ue excludat: legatorum precibus ac lachrymis motus, ęgrè cõcessit

quod

quod petebatur. Sed cùm interim Theodericus Symmachũ & Boetium consulares uiros iniustè occidisset, & Gallorum triginta millia cecidisset, Ioannem quoq; Pont. Max. reuersum Romę, uel, ut alij, Rauennę carcere, pedore, situ et inedia consumpsit, quòd Iustinum Imperatorem Constantinopoli coronasset, quò augustius & magis ratum foret imperium: & quòd impensissimi honores à Iustino essent in Iohannem congesti, paulo pòst & ipse Theodericus furore & insania percitus, dum caput piscis magni mensæ suæ allatum, Symmachi à se cæsi caput imaginaretur, tristi more occubuit, ut Procopius tradit: relicto Atalarico nepote, ex filia Amalasuntha ornatissima muliere, hærede. Iustinus uerò cùm nouem annis imperasset, uolens senectuti suæ consulere, sororis suæ filium Iustinianum, quarto mense ante obitum, adoptauit, consortem´que imperij fecit: ac successorem relinquens imperij, quem prius consulem cum Valerio fecerat, ornatissimumq; spectaculis uarijs consulatum adornauerat, & ducem copiarum, cui libera totius bellicæ rei administratio permissa fuit. Et pro quo omnes qui ordines ducebant Iustinum orabant, ut eum consortem imperij faceret. At licet prius recusasset, postquam tamẽ ei appellationem Nobilissimi induerat, cùm iam ulcus in tibia innatum eum in lectulo retineret, imperatorem eum faciebat. Licet Cabades rex Persarum tum literis, tum oratoribus à Iustino petierat, filium Cosicoen ab eo adoptari (nam plures habuit) quod Proclus potissimùm dissuasit. Vnde & orta sunt à Persis bella, quæ Procopius latè prosequitur. Zonaras hũc Persarum regem Quadum nomine, & aliter bellum Persarum ac Procopius, describit longè lateq;, qui omnino uidendus est. Nam & illic inuenies descriptum terræmotum, quo Anazarba Ciliciæ metropolis, & Edessa ac Pompeiopolis corruêre. Similiter de quadam muliere gigãte, quæ cubito integro quemcunq; prægrandem uirum superabat. Iustinus autem Iustinianum quadraginta quinque annorum, præsentibus Epiphanio patriarcha & alijs magistratibus, diademate coronauit, ac Augustum dixit. qui faustis acclamationibus est exceptus. Dehinc Constantinopoli mortuus, ibiq; sepultus est Iustinus, relicto hærede Iustiniano.

Vxorem autem habuit Lupiciam nomine, quæ postquam coronata diademate & Augusta est dicta, additum est nomen illi Euphemiæ quoque. Hæc ex Iohanne Monacho, Procopio ac Diacono excerpsimus.

IVSTINIANVS CAESAR.

IVSTINIANVS imperator, fuit Iustini imperatoris sororis filius, ex Bedirina Illyrica ciuitate genitus: cuius nomen uetustũ pòst immutauit Iustinianus, et de suo nomine Iustinianã dixit, & ex obscura nobilem ac fœlicẽ fecit, mirificeq; eam exornauit, quòd ibi primùm in lucẽ editus fuisset: uir egregius à Iustino adoptatus, ac unicè dilectus. Vbi ab auũculo susceptus imperium æquali pietate, annũ agens quartũ & quadragesimum, mox reparando imperio animũ adiecit. Et ut Reip. statum reformaret, primùm in Persas mouit bellum: contra quos Belissarium uirũ insignem ac patricium cum exercitu misit, ac Orientis ducẽ constituit, qui eos fudit fugauitq;, & trans Eufratem abire coegit, qui paulo antè, transgressis militibus, Mesopotamiam, Cœlesyriam, Syriamq; populati erant. Sed tum ueteres imperij limites reformauit Belisarius, ac uictor triumphans Constantinopolim ingressus est. Bellum illud Persarum quia arduum & longum fuit, Procopius qui Belisarij fuit consiliarius, duobus libris cõplexus est, quos (licet mancè) Raphael Volaterranus nuper è Græco in Latinum cõuertit. Illyricũ præterea sæpe ab Herulis, Gepidis, & Bulgaris uastatum, per suos iudices recuperauit. Eodẽq; anno post diuturnũ Parthorum bellum, per Ruffinum Patricium, & Hermogenem magistrum officiorum, &

utrunq; legatum directum ad Principem pax depacta est, fœdusq; initum, & munera ab utroq; sibi inuicem Principe destinata. Quo tempore, ut Zonaras tradit, cometes qui Lampadias, quòd in supernã partẽ radios mittat, nominatur, interdiu apparere uisus est, durauitq; ad diem xx. Procopius in ij. Xiphiam ac Pogoniã appellitat. Sed pòst anno xiij imperij fœdera illa ἀπέρατα, id est, sine termino, sunt uiolata à Persis. Cùm paulo pòst grãdis orta esset Cõstantinopoli seditio, quam Procop. lib. i. belli Persici latè describit. Et elegãtissimè Zo-
172 naras in Iustiniano, ob factionem Venetã et Prasinam, in qua xl. ferè hominum millia desiderata sunt. Aedes Sophiæ & alia multa nobilissima ędificia incẽdio conflagrarũt. Et Hypatius atq; Pompeius fratres, Anastasij principis sororis filij, occisi sunt: quòd coadunata ciuili manu circũ ingressi, Hypatius torque aureo redimitus pro diademate, locum Imperatoris occupasset, & in clypeo leuatus Rex esset appellatus: Pompeius uerò sub chlamyde loricatus, palatiũ inuasisset. Quos Iustinianus utroq; arcta custodia detentos, tandem obtruncauit. Tum à militibus cæsi, in mare sunt proiecti, ipsorum bona publicata. Aliorũq; senatorij ordinis bona in publicũ sunt redacta, & ipsi uarijs modis excruciati, & incendiũ nobilissima quæq; urbis ædificia dehonestauit, & quicquid uenusti ac egregij reliquũ à priori sub Leone incendio superfuerat, absumpsit. Pacato Oriente, Iustinianus ad Austrũ Belissarium cum electis militibus ac ingenti exercitu contra Vandalos, qui Aphricã possidebant, mittit: quos ea facilitate, qua celeritate uenerat, superauit, omni Aphrica recuperata, captoq; eorum rege Gelimere, quem cathenis uinctum Cõstantinopolim direxit, Carthaginem firmius quàm antea fuerat, restituens: opes aũt Carthaginis in urbe regia Principi spectante populo obtulit. Ob quas res præclarè gestas consul ordinarius designatus, de manubijs Vandalicis spectosissimũ egit triumphũ, qui pluribus seculis nõ uisus erat. Spolia nanq; atq; trophæa patefaciens, captiuosq; præferens, per mediam urbem triumphum egit: non quidem antiquorum more, sed ex propria domo, pedibus usq; ad Hippodromum processit. Inde rursus ad locum usq; ubi sedes erat Imperatoris, cum regia supellectile & ornatu uario uenit. Sed de hoc triumpho, & quomodo subacta sit Africa, quomodo cæsi Vandali & Mauruſij, Procopius elegantissimè duobus explicat libris, qui sequuntur post bellum Persicum. Et Zonaras in uita Iustiniani hunc triumphum & equestre certamen non negligenter commemorat. Cæterùm in Italia dum hæc agerentur, Gothorum rex Atalaricus, uix quarto exacto regni anno, immatura morte sublatus, Theodatum habuit successorem. Cui ob id infensus fuit Iustinianus, quòd Amalasuntam, à qua regnum susceperat, in balneo strangulauit: ingratissimus, et immemor collati in se beneficij. iam enim dudum se atq; filium principi commẽdauerat. Iussu igitur imperatoris Belissarius in Italiã cum exercitu nauigans, in Siciliã peruenit: ac superato illic duce Syndericho, dum prouinciam ordinat, comperit ciuilia denuò bella germinare in Aphrica. Nam Stozas penè ultimus militum, & Martini magistri militum clientulus, tyrannidem arripiens, auctorq; seditiosorum effectus, Cyrillo, Marcello, Fara, alijsq; diuersis iudicibus dolo peremptis, in ducẽ Solomonem sæuiebat, totamq; Aphricam tyrannico ritu uastabat. Traiecto igitur mari, Belissarius solita fœlicitate rebelles fugat, prouinciamque liberat. Solomonem Carthagini restituens, in Siciliam rediit, & cõstructa classe in Italiam nauigat, obsidione primùm Neapolim cingens: quam per aquæductum noctu miro astu inuasit, Gothisq; & ciuibus rebellantibus cæsis, urbem spoliauit: sæuitumq; est sine sexus, ætatis & sacerdotij discrimine. Theodatus interim tumultu militari occisus. Uuitiges uerò, qui autor cædis fuisse fertur, in regem Gotthorum leuatus est. Qui mox priuata coniuge repudiata, regiam puellam Matheſuentam, Theoderici regis neptem, ui, nullo amore, in uxorem sibi iungit. Is dum se Rauennæ nouis nuptijs oblectat, consul Belissarius urbem ingressus est, ab uniuerso Romano populo

pulo Senatuq́, solo nomine, exceptus humanissimè. Noctu fugientibus ex urbe Gothis ad Rauennam, confestim loca uicina occupat, urbium oppidorumq́ munitiones expugnat: capto Perusio, septem penè millia iugulat. Dehinc cũ Vuittige (qui ex Rauenna immensum adduxerat exercitum ad urbem obsidendam) congressus, turres & machinas quibus urbem tentabat, igne consumpsit, & ab obsidione repulit: licet inedia laboraret urbs. Sic deluso Vuittige rege Gothorũ per anni spacium, cùm acriter urbẽ Belisarius defenderet, suburbanis incensis, Gothi Rauennam reuersi sunt. Qui non modò obsessi sunt, sed etiam Frãci insuper, qui cum rege suo Theodoberto cum innumerabili cõpiarum multitudine aduentabant, repulsi sunt ab Italia: paxq́ eis data, quia cõmodè non potuit cum ijs belli euentus omnes experiri. Vuittiges uerò reparato magno Gothorum exercitu, cõgressus iterum cum Belisario, cum maxima suorum strage in fugam uertitur: à Ioanneq́ magistro militũ captus, Romam perducitur, & inde à Belisario Constantinopolim cũ omni regia gaza aduehitur. Iustinianus uiso Vuittige lætatus, regij nominis memor, ne sine dignitate uiueret, patricium effectum, Persico limiti in ripa Euphratis præposuit, ut terminos imperij custodiret: ubi sequẽtibus annis diem obijt. Gothi autem in Liguria Transpadani animo recrudescẽtes, regulum sibi Hiltebrandum militem creant: qui uix anno emẽso interficitur. Ildebaldum alij hunc nominant. Then dibaldum Procopius Visigothorum regem factum scribit. Cui pòst substituit Erarius, ut Iordannis & Diaconus scribunt: quem Procopius Araricum Rogum ex Gothica etiam natione nominat, qui & ipse uix annum præfuit cùm occideretur, quòd pacem cum Iustiniano clàm peteret. Quo cæso, Badiula iuuenis, qui et Totilas dicitur, nepos Hildibaldi, assentiẽtibus copijs Gothorum, rex efficitur: qui mox Italiam incendijs & populationibus euastauit. (nam Belisarius iam Italia excesserat, & res Romanorum ruere iterum cœperunt.) Hic mox Fauentinum oppidum in Aemilia, superato Romano exercitu, cepit. Lucaniam, Brutios, Tusciam & Campaniam peragrauit. Siciliam inuadit, ad urbem properat, quam obsidione cingit, ac fame perurget. Et tandem proditione Isaurici militis cepit. Belisarius interim in Oriente occupatus (nam Parhi iterum in Syriam mouerant procinctum, captisq́ aliquot urbibus Antiochiam uenerant, quos Belisarius ad suos redire fines coegit) cum alio exercitu iterum in Italiam festinat: ad urbemq́ ueniens, destructam desolatamq́ comperit. nam deiectis mœnibus iam Gothi abierant, bonis omnibus direptis, ac urbe incensa. Quadraginta enim diebus urbs sine habitatoribus uacua stetit: quoniam tredecim diebus flamma quotidie domos depascebatur. Graui dolore Belisarius commotus, urbem reparat, ædificia restituit, ciues expulsos redire iubet. Accepto hoc nuncio Totila, cum infesto exercitu ad euertendam urbem rediit. Cũ quo Belisarius cõgressus, licet uiribus impar, sic eum in fugam uertit, ut plures Tiberi demergerentur, quàm gladio caderent. Quem si Belisarius persequutus esset, quin in Siciliã ad leuandã annonam profectus est, Gothicæ uictoriæ laudẽ ademisset Narseti. Nã mox reuocatus à Iustiniano Belisarius, Totilas securus Romã inuadit. Cõtra quẽ missus Germanus patricius, Augusti patruelis, in Illyria morbo corruit. Cui Mathesunta Theoderici regis neptis in uxorẽ cessit, Vuittige demortuo: quã & grauidam reliquit, quæ postea Germanum Posthumũ peperit. In Aphrica interim nouus iterum surgit tumultus. Narses autem eunuchus & Imperatoris cubicularius, Italicæ præficitur expeditioni. Qui cum Gothis magno prælio conflixit: & fœlici usus uictoria, omnes penè deleuit. In quo bello Totilas uulneratus moritur: & cum imperio, quod annis undecim habuit, uitam simul amisit. Hinc Gothi Italia omni cedunt. Quod factum est anno decimo octauo imperij Iustiniani: tamdiu enim bellum illud Gothicum durauit, incipiens nono sui imperij anno. Quod Procopius, qui huic interfuit, ueluti Belisarij cõsiliarius, ut ipsemet testatur, elegantissimè

conscripsit,& Christophorus Porsena in latinũ uertit,studioso cuiq; perlegendus. Cur autẽ Leonardus Arctinus quatuor libellos de bello Gothorum scribens, Procopij (quẽ tamen simpliciter solum conuertit) nusquam meminerit, mirari satis nõ possum:nihil enim addit,quod non in Procopio inueniat. Sed & Guido Rauennas, & Blondus Forliuensis, & alij res Gothicas scripserunt. Bellum uerò Lybicum,quod Ioannes cõtra Aphros gessit,Fl. Cresconius Corippus octo libris prosequutus est,quibus titulum fecit Iohãnidos:quos in regia Bibliotheca Budæ reperi.Hi sic incipiunt:

Signa,duces,gentesq; feras,Martisq; ruinas,
Insidias,stragesq; uirũm,durosq; labores,
Et Lybiæ clades,& fractos uiribus hostes,
Indictamq; famem populis,laticesq; negatos,
Vtraq; letifero turbantes castra tumultu. & reliqua.

Cæterùm ut ad Iustinianum principẽ redeam,cùm iam Italiam sic recuperasset,et Aphricã omnem cum Persia subegisset,honorum uictorias titulis suis expressit,domi forisq; glorioſus.Legum enim conditor maximus,confusas omnes in epitomen redegit, superuacua & inutilia resecans, quũ prius incondita & sparsa, ciuilis illa iuris corpulẽtia obrueret magis studia,quàm iuuaret.In quinquaginta Digestorũ libros singula cõtraxit,& quatuor Institutionũ libris cõpressit,ac Codicem insuper tanq; coronidẽ adiecit.Vsus opera in eo immortalitatis opere Ioãnis patricij,Tribuniani,Theophili,Dorothei: in quo nescio maiorẽ laudem an detrectationem cõmeruerit. Nam quot egregia Pauli, Modesti,Scęuolæ,aliorumq; infinitorũ docta uolumina interijsse credis? qui profectò singularum rerum materiam proculdubio adamussim interpretati sunt, adeò ut neq; Bartoli,neq; Baldi,neque Porci, neque Saliceti commentationibus opus fuisset:qui etiam cõtra Iustiniani edictum iam orbem libris suis repleuerunt,ut nulla ætas satis sit ad hos perlegendos sufficiens. Sed cùm Iustinianus esset Analphabetos(utpote à Iustiniano patre suum olim custode progenitus)& omnium literarum ignarus,facilè à quouis decipiebatur fraudulento ac doloso:qualis erat Tribonianus adulator,ut inquit Suidas, fraudulentissimus, simul & auarissimus,omnis religionis,præsertim Christianæ,contẽptor, quæstor Iustiniani:qui Iustiniano Imperatori persuasit, fore ut is nunquam moreretur, sed in cœlum cum carne assumeretur. Tantum naturæ dotibus ingenioq; pollebat,ut suę ętati nemini secundus esset. Auaricíæ aũt usq; eò deditus erat, ut ius & phas uenale haberet.nam singulis diebus & leges ferebat, & latas reuocabat,uti indigentium usus,à quibus pecuniã acceperat,postulare uidebat. Cùm diu post indeptum honorem superuixisset,morbo tandem decessit,ab aliquo prorsus nulla affectus iniuria,quòd uidelicet sermone comi blandoq; erat,& auaricíæ morbum doctrinæ pręstantia uelaret. Ideo facilè potuit indocto regi imponere,qui tanta inconstantia leuitateq; leges tot cõtrarias posuit, quas posteri licet anxiè inter se digladient, nunquã tamen cõcordare possunt. Effecit etiam auaricia Iustiniani, qui professoribus liberalium disciplinarum, admonente præside suo,constituta in urbibus salaria subtraxerat, teste Monacho Iohanne,ut quædam inscitia & rusticitas urbes inuaderet. Aedificandi tamen adeò cupidus & studioſus, ut ceu Christianissimus princeps, ipso Domino nostro Iesu Christo, qui est sapientia Dei patris, templum magnificentissimum,admirando ędificatio extrueret. Quod græca uoce ἁγίαν σοφίαν, id est, sanctam sapientiam appellauit. Vir fuit iustus & integer, ac in perscrutandis rebus ingenioſus:& ad ea quę decreuerat perficienda,non piger. Circa Christianorũ dogmata cõponẽda nimis intẽtus,hæresum maximus hostis:& ut altercationes rectè disponeret,plurimũ nitebat.Sed extremo fermè uitę tẽpore,decipiendũ se permisit hæresi eorum qui de incorrupto sentiunt,quod omnes sentire

tire principes uolebat, Christum scilicet carnem incorruptibilem assumpsisse: Eutychiumq; patriarcham cõtradicentem relegauit Amasiam. In qua hæresi mortuus est Princeps alioqui facilis quibusuis, qui alloquẽdi eum causa accesserant. Licet etiam aures delatoribus expositas nimium haberet, & ad uindictam sumendã præceps. Cęterùm in pecunia effundẽda immodicus, ad cõgerendam intemperantissimus, plurima impendebat ædificationi. Nam cùm in tumultu, de quo suprà, incẽdium multas ędes absumpsisset sacras, & ecclesiam magnam, quam Cõstantinus extrui fecerat, aliam maiorem & elegantiorem fecerat. In cuius uestibulo columnam ingẽtem cum equestri statua sibi collocauit, in loco ubi prius Magni Theodosij statua argentea erat, quam cõflauit. Sicut & plumbum ab aquęductu abstulit, cùm in aliũ usum conuerteret illud, ob quam rem fermè semper angusta re nummaria laborabat. Nam & in alijs rebus peragẽdis, quarum cupido eum corripuerat, inq; re bellica præsertim, atque ijs quos sibi infensos nouerat perdendis, nulla utebatur parsimonia. Atque ideo modis parum honestis sibi pecuniam quandoq; corradebat, illisq; qui ad hanc rem operam præstabant, summas habebat gratias. Nullus itaque auaritiæ suæ modus, cùm & Regina Augusta turpium rapinarũ & nouorum uectigaliũ inuentrix, populũ gẽminato onere premeret. Illis nonnũquam annua tributa indiceret, quasi malè de Christiana religione sentirent. Alijs, quòd lasciuè nimiũ & petulanter uiu erent: nonnullis, quòd inimicitias & simultates inter se exercerẽt. Sic quauis arte & Princeps & Regina pecuniã à plebe extorserũt. Tandẽ morbo ex senio affectus, Iustinũ ex filia nepotem consortem imperij fecit, caputq; diademate exornauit. Et iuxta morem tunc ueterem, fortunę fauentis simulachrũ in cubiculũ illius tranferri iussit. Ingraescẽte morbo, non sanus mente decessit, cùm imperasset annis xxxix. ut nostri: ut Ioan. Monachus tradit, regnauit Iustinianus annos trigínta octo, menses septem, dies tredecim: anno ętatis octogesimotertio. Relinquens post se Iustinũ, quem in consortem accepit. Scripsit ad hunc Iustinianum Agapitus diaconus pulcherrimum opusculũ de officio Regis, Grecum.

Habuit autem uxorem Theodoram, fœminam illustrem. Hęc quoniam Iustinianus extremis temporibus parum fuit mentis compos, multo maximam administrationis partem ad se trahens, Vigilium pontificem in carcerem deiecit, & panem illi & aquam solum aliquot diebus dedit: tãdem à Narsete uinculis liberatus est. Fœmina alioqui prudens, quæ nobilissimum templum apostolorum excitauit: magnificẽtius & ornatius illo, quod à Cõstantino extructum fuerat. Sed quomodo sese ulta sit in Ioanne Cappadoce uiro iniquissimo, qui apud Augustum calumniatus ipsam fuerat, Procopius in fine libri primi de bello Persico explicat. Quæ ex humanis excesserat, cùm annos unum & uigínti, mensemq; tertium in imperio peregisset: qua tempestate Antonina Belisarij coniunx Byzantium uenerat, deprecatura ut maioribus copijs bellum Gothicum iuuaretur (tum enim tertiusdecimus annus belli Gothici agebatur) quo tempore ingens terræmotus Byzantij fuit, & ingens cete Byzantij capiebatur. Sed quisquis plura scire uoluerit de hoc Iustiniano, Iohannem Monachum adeat, qui abundè, quæ in ecclesia ac concilio quinto gesta sunt, & quæ miranda de cane & duobus monachis, qui sericum facere docuêre, euenerint, explicat. Sed & Procopium tam de bello Persico, quàm Gothico relegat. Paulum Diaconum non negligat: & Iordannem pariter uideat, qui hoc loco annalibus suis finem imponit. Paulus Florus Hexametris res gestas Iustiniani prosequutus est, sed desideratur. Hic enim Florus primatum gessit apud Imperatorem Iustinianum, inter omnes terræ suę præsides generis gloria & diuitijs amplissimis insignitus: sed cui præter opes & nobilitatem inerat mira eruditio & egregia eloquentia: qui multa poemata memoria & laude digna conscripsit. Sed miro labore, & arte singulari de templo Sophię, quod

quod insigni terræmotu euastabatur, & ab Imperatore reparabatur, carmen edidit, quo omnes neruos intendit, ut graphicè describeret qua illud templum materia constat, quo ordine collocatum, quàm decens uestibulum, quæ magnitudo, quæ altitudo, quæ figura, quantum auri, quantum argenti, quot lapides habebat preciosos, quàm mira uarietate ornatum. Ac ita omnia depingit, quasi oculis quispiam illud metiatur. Fuerunt autem plures terræmotus sub Iustiniano Byzātij, quos pręter Zonaram et Procopium, etiam Agathius describit. Vnus, quo Berittus urbs Phœniciæ concidit, & pars Choi insulæ, & Trallis, quem libro secundo describit Agathius. Alter fuit Byzantij, adeò terribilis, ut omnis ferè collapsa sit ciuitas. Longè maior hunc alius sequutus est, quem longissimè Agathius libro quinto historiarum perscribit. Quem quidē authorem censeo studioso lectori simul cum Procopio perlegendum, ut res gestas Iustiniani perdiscat. Quanquam suspicer non integrum ad nos uenisse: nam aliter puto suam historiam finisse, quàm ut ad nos delata est.

IVSTINVS MINOR.

IVSTINVS minor fuit nepos Iustiniani Augusti ex filia, cùm patrem haberet Illyricæ gentis, Curopalates ante regnum dictus, quòd à teneris annis non ut nepos, sed uti filius in aula principis educaretur, ac magno in honore haberetur, ad honestandam conditionem suam. Natura ad omnia dexter (ut inquit Iohannes Monachus) & magnanimus, pius in Iustiniani domum ac familiam: cuius & templum in Blachernis, ut ad crucis speciem reduceret, nouas addidit duas testudines, multasq; alias sacras ędes exornauit, & orphanotrophiū adiunxit: & pulcherrimè splendidum reddidit palatium, extructo aureo triclinio, ac reformato Valentis aquæductu. Ab initio principatus sui, ductu Sophię coniugis, liberalis, æs dissoluit alienum, conquisitis omnibus fœneratoribus, extinctis chirographis, & redditis pignoribus. Quo facto animos simul ciuium & militum plurimùm sibi conciliauit. Sed postea tantæ deditus auariciæ, ut senatores spoliaret, pauperū contemptor, & in omnes passim diuites rabie quadam desæuiret. Rapta autem in ferreis arcis condidit. Vnde & fidei nostræ contemptor, in Pelagianam decidit hæresim. Quocirca postremò amissa ratione & intellectu, amens factus est, & pecori similis. Nam cùm ualetudinarius esset, rarenter in publicum prodibat. Ob id plebeij à potentibus opprimebantur, & iniurijs lacessebantur, cùm nemo esset qui iniurias ulcisceretur. Exciti itaque tumultus & seditiones, quæ tam diu incrudescebant, quoad Præfectum quendam urbis seuerum & iustum uirum crearet, qui pro tribunali delinquentes quàm acerrimè puniret. Et quendam semel è conuiuio Imperatoris eripuit, & flagris castigauit. Quo exemplo multorum libido repressa est, adeò ut etiam cum ijs transigerent, quos olim oppresserant. Sub hoc Iustino Imperatore fœdus Persicum dissolutum est. Pendebant Romani stipendium annuum libras quingētas auri illis, quò Romanę ditionis oppida sibi uicina absque noxa esse sinerent. Probrosum autumans princeps Romanos Persis uectigales esse, aurum soluere amplius noluit: missisq; legatis Aretham Aethiopum regem induxit, uti factis incursionibus, Persarum loca regno suo coniuncta popularetur. Ita nouum inter Persas & Romanos bellum exortum est. Ad quod Martinus patricius dux missus, pugna acerrima facta, anno quarto imperij: multiq; utrinque desiderati sunt. Victoria tamen cessit Romanis. Tum Hormisdas Persarum rex, Ardamanem ad euastandas Romanorum terras cum magnis copijs submisit. Qui longius progressus,

facta

facta ingenti præda, citra offensam rediit, Martino ei cõgredi non auso. Quod adeò principem perturbauit, ut Martino honorem adimeret, & Archelaum ducem substitueret, qui cum Hormisda pacem rursus confirmauit. Tantam uerò concepit Iustinus ex accepta clade tristiciam ac mœrorem, ut in mentis excessum inciderit, ac phareneſi correptus, tertiodecimo imperij anno diem extremũ clauserit, superstite Tiberio: quẽ ente aliquot annos, quia ex pedibus diu laborabat, adoptauerat, & successorem elegerat, ac Cæsarem: quandoquidem prole caruit.

Habuit autem uxorem Sophiam nomine, quam tam ardẽter amauit, ut portum à se ædificatum Sophium, ac regias ędes suburbanas cum adiacentibus agris Sophiada nuncuparet. In quibus epigramma Gręcum Agathię huiusmodi scriptum legebatur:

Secta ubi terra duas in parteis accipit errans,
Littora ad illisis fluctibus acta fretum:
Aurea Reginę posuit prętoria Diuus
Rex, Sophię uxori consilijs uegetę.
Magnipotens ô Roma tuis pro mœnibus altum
Europę decus hoc prospicit ipsam Asiam.

Hanc etiam Sophiam Tiberio excubitorum comiti moriens cõmendauit, ut eam ueluti dominam ac reginam obseruaret. Nam coacto Senatu ac clero, cùm morbus eum grauius premeret, patriarcham Eutychiũ accersiuit, qui Ioanni Scholastico successit. Ibiq; audientibus cũctis primùm regem declarauit: mandataq; dedit, ut pietatẽ erga Deũ coleret, parentes populos beneficijs prosequeretur, oppressos ab iniurijs uindicaret, militibus licentiam nimiam ne indulgeret, diuites bonis suis frui permitteret, inopes quoad posset sustineret, ne nimium ipse ueste imperatoria insolescceret. Hinc patriarcham iussit capiti coronam imponere, quod & factum est: & administratio prouinciarum, ac palatij gubernatio concessa est. Huius Iustini etiam tempestate, ne hoc etiam obmittamus, Narses patricius, qui Totilam deuicit, ut superius scripsimus, post Gothicam uictoriam tenuit Italiam annis xvi. Sed dum nimium diuitijs inhiaret, & magni auri copiam assequutus esset, à seditiosis quibusdã accusatus ciuibus, apud Iustinũ Imperatorem, quod nimis austerus in iudicijs ac ęquus foret, literis se expurgauit: sed parum profecit apud persuasum imperatorem excusatio: nam Romani Gothorum quàm Grecorum malebant seruitutem. Missus igitur successor Longinus prefectus cũ nouo Exarchatus magistratu, qui Narsetis locum obtineret, Narses à Sophia Augusta per risum uocatus est ad Gynęciũ muliebria facere opera, lanas & pensa diuidere, quia eunuchus erat. Quibus territus uerbis, Cõstantinopolim redire non uoluit: ac Neapolim concessit, Augustę Sophię respondens, Se tam inextricabilem orditurũ telam, quam quoad uiueret, nequiret deponere. Missis igitur legatis, Longobardos qui tũ in Pannonia resederant, sollicitauit, uti Italiã occuparent, terram cunctis diuitijs refertam, salubritate cœli, frugũ uirorumq; prestantia longè principem. Relicto Pannonum paupere rure, Longobardi lęti nuncium acceperũt. Nam ex peninsula Cimbrica ad quęrendas sedes primùm in Pannoniã uenerunt, & in auxilium Narseti pòst uenerant in delendis Gothis. Itaque post penè triennium rege Albuino duce, ducenta penè millia cum uxoribus ac liberis, & omni supellectile, Italiam petierunt: quam et subegerunt, & in potentatus diuisêre, eam ducentis & aliquot annis occupantes. Quod & prodigijs multis in cœlo apparentibus tum annotatum est. Narses autem de Campania Romam ingressus, tum mortuus est: cuius corpus in plumbea arcula Constantinopolim est delatũ. Quo tẽpore Vgri, qui & Hũni dicunt, glacialis Oceani accolę, quęrendo sedes Pãnonias ingressi sunt, ac ibi commorati. Agathias in quinto tradit, Vnnos circa lacum Mæotidem Arcturum uersus habitasse, ueluti cæteras

Barba-

Barbarorum nationes quæ communi nomine Scythæ uocantur. Seorsum autem & per generationes partim Cotrigoros, partim Vultizuros, partim Vurugundos appellatos. De quorum etiam origine & appellatione Procopius diſſeruit. Inuenio autem à Iuſtino primùm excogitatum magiſtratum, qui dictus eſt Exarchatus, ut quodammodo Imperatoris uicarius in Italia foret, cuius ſedes erat Rauennæ. Eaq; authoritate, ut pontifex Romæ creatus ab eo probaretur. Incœpit autem anno ſalutis DCXX, ut quidam ſcribunt: licet is annus non cadat ſub Iuſtino, ſed Heraclio: & durauit annos centũ ſexagintaquatuor, quoad Aiſtulphus Rauennam cepit. Superato Aiſtulpho, Pipinus Rauẽnam cum adiacẽtibus oppidis & ciuitatibus Romano põtifici tribuit. Quod & Carolus Magnus & filius Ludouicus comprobarunt. Eſt ea regionis pars à poſteris Romandiola dehinc dicta, ex urbis Romæ nomine, cui fidiſſima olim fuit. Fuit autem primus Exarchus Longinus à Iuſtino miſſus, ut paulo antè memini: qui Romam nec adiuit unquam, nec curauit niſi per ducem qui Conſulis dignitatem referret. Deinde Smaragdus & Romanus, deinde alij. Patricius aũt Romanus primus Italiæ Exarchus contra Longobardos à Pontifice Romano creatus eſt. Sed hoc aliquanto pòſt ſub Mauricio Cæſare, poſt quem Gallicanus ſucceſſit, qui Agdulphi regis Longobardorum filiam cum ſuo marito Godeſcalco circa Parmam cepit, & Rauennam uſque perduxit. Hæc ex Zonara, qui & Iohannes Monachus, Agathio, Diacono Paulo, qui & Paulus Vuarnefridus, qui Longobardorum hiſtorias conſcripſit, collegimus & excerpſimus.

173

TIBERIVS CAESAR.

TIBERIVM aſciuit in imperium Iuſtinus, dum & corpore & animo laboraret: & quum ab initio palatium gubernaret, et diligentiſſimè prouincias curaret, quoniam iuſtus, ſapiens, ſtrenuus, & utilis Reipub. omnium commeruit fauorem liberalitate & munificentia ſua. Nam quicquid longa auaricia Iuſtinus contraxerat, Tiberius egentibus largitus, largiſſimas pauperibus erogauit eleemoſynas, refragante Sophia Auguſta, ſed fruſtra. Quanto enim plus donauit, tanto plus inuenit. nam in palatio ſub marmorea tabula reperit ingentem Iuſtini theſaurum, dum Crucis ſimulachrum pedibus calcare uetuit: & Narſetis theſaurũ in Italiæ puteo defoſſum, ſene quodam referente comperit, poſt Narſetis interitum. Sed ſolita largitione liberalitatem exercuit. Nam et Francorũ regi Cilperico quinquaginta aureos nummos liberales cum cæteris muneribus miſit per legatos, in quibus imago principis inſcripta erat, Tiberij Conſtantini perpetui Auguſti: & frons diuerſa quadrigam habuit cum aſcenſore his uerbis, Romanorum gloria. Iuuit præterea Tiberius in publica Italiæ calamitate Pontificem Romanum armis, commeatu, & nummis. Vbi uerò Auguſtus dictus coronam imperialem ſuſcepit in publico ſpectaculo, in Circo coram omni populo & pontifice urbis, de more priſco purpura indutus, & diademate coronatus ab Euthio patriarcha, omnes ſuos aduerſarios rubore affecit, qui ad imperialem aſpirabant dignitatem, inſidias ei præparantes. Dehinc pacem cum Longobardis fecit: qui ſe paratos fore ad omnia principis mandata per legatos fuerant polliciti. Cùm autem hi tum regem ſibi creaſſent Clephem, hominem crudelem & ſanguinarium, & qui à ſuorum etiam cæde non abſtineret, in inſidias lapſus, cæſus eſt: poſt cuius necem Longobardi triginta duces legẽre, qui Italiam regerent, quæ à Samnitibus ad Alpes, præter urbem Romam, & portum, ditionis eorum erat. In Oriente uerò Tiberius fœliciter res contra Perſas geſſit: quos ſæpe profligatos intra ſuos fines compulit, Meſopotamia recepta, cum ingenti præda, quam triginta elephanti attulerant.

lerant. Nam cùm imperium administrare cœpisset, missis ad Hormisdam Persarum regem legatis, pacẽ pristinam renouare cupiebat. Negante aũt illam principe Persarum, magnas ad bellum Persicum copias cõparauit, ac Iustinianum insignem uirum Orientali exercitui prẹfecit. Qui contra Persas contendens, postquam haud procul ab eis castra metatus est, antequam confligeret, habito cum hostibus colloquio, triũ annorum inducias cõparauit. Quo tempore elapso, Hormisdas Persa cũ copijs in Armeniam irrupit, magnumq; timorem exercitui Romano incussit. Sed eorum dux concione habita fecit, uti firmiori animo essent, initaq; cum hostibus pugna Persę quoad magnam sagittarũ uim coniecerunt, uisi sunt habere meliores partes, Romanis sub clypeorum tegmine se ipsos tenentibus, neq; progredi ausis. Sed postquam pharetras Persarum telis exhaustas cognouerunt, iunctis pariter clypeis, bellicum inclamãtes Romani, eos inuaserunt, gladijsq; cominus rem agere cœperunt. Illi nec breui quidem impetum sustinentes, fusi fugatiq; sunt. Facta igitur ingenti cæde, eorum castra uictores diripuerunt. Tabernaculum Hormisdæ & totus apparatus regius in elephantis, uti ad Tiberium deueheretur, demandatum est. Reliqua militibus permissa sunt. Progressi etiam in ulteriora Persidis, longè lateq; magnã populationem fecerunt. Adductos autem Constantinopolim captiuos omnes Persas, magnificentissimè uestiuit Imperator, ac in patriam remisit. Quos præter spem redijsse populares admirati, magnis laudibus Romanum principem commendabant. Sed cùm iterum Persæ irruerent in Romanorum ditionem, Tiberius ex urbana plebe exercitum circiter duodecim millia iuniorum, qui fortitudine præstabant, coegit, uoluitq; uti de suo nomine Tiberianus nominaretur exercitus: quibus Mauritiũ comitem fœderatorum præfecit. Secundas autem eius administrationis partes tribuit cubiculario Narsẹ, misitq; ita cõtra Persas. Prælio commisso, uictores Romani urbes agrosq; multos Barbaris ademerunt. Redeuntem ab ea expeditione Mauritiũ Princeps summo honore excepit, affinitateq; sibi cõiunxit, filia Constantina illi in uxorem locata. Erat ea tẽpestate Auarũ princeps Chaganus, qui à Tiberio fabros sibi pro struendo balneo mitti petijt: quos cùm uenissent ui cõpulit, ut pontem super Danubium struerent, quo facilis illis esset aditus populandi agros Romanorũ. Sic seres habuerũt Orientales. In Italia uerò nequaquam prosperè res successerũt. Rupto enim fœdere, Longobardi cum Imperatore, Romam obsidione cinxerunt longa: quã et expugnassent, nisi multitudine imbriũ essent repulsi et deteriti, quasi sacrũ quoddam uiolassent. Cùm igitur abijssent post longos imbres, quibus multitudo ingens hominũ & animalium absorpta est, longa est secuta siccitas, & maxima annonæ caritas, & atrocissima pestilentia. Constantinopoli uerò uix insidias Sophię effugit, quin imperiali sede deturbaretur. Sæpius enim Iustinianũ Iustini nepotem, throno imperiali molita est imponere. Et cùm uindemiæ tempore abesset Tiberius à Constantinopoli, uocato Iustiniano Sophia uoluit eum imponere regno. Sed audiens id Tiberius, accelerato cursu Sophiam apprehendit, & bonis omnibus spoliauit, mediocrem ei uictum concedens: puerisq; eius dispersis, nulli concessit ad ipsam aditum. Sophia enim 174
postquam ex ędibus principalibus in cognominem sibi regiam commigrauit, tanquam matrem ueneratus, regale omne famulicium illi antè permisit, Iustinianum obiurgauit, sed recõciliatus filio eius suam pollicitus est filiam: licet res illa sit nullum cõsequuta effectum. Habuit eñ uxorem Anastasiam, quę duas ei filias peperit. Charitas maior natu dicebatur, quæ Grẹcis Charitia nuncupatur, minor uerò Cõstantia. Hæc Mauritio, illa Germano despõsatur: ambo Cæsares sunt facti. Sed cùm Tiberius in morbum grauem post Persicum bellum incideret, Mauritium generum filium adoptans, & cum ornamentis regalibus sibi tradita filia, imperium quoq; administrãdum dedit. Aequitatem ei & iusticiam commendans, præsentibus Iohanne patriarcha (qui coronam apposuit)

& Senatu. Ipse delatus in sella regia ad tribunal, sed ui morbi oppressus, cùm alloqui quæ uellet non posset, ex scripto suam uoluntatem aperuit. Sed neq; in regiam reductus, paulo pòst mortem obijt, non sine magno populi luctu, cùm annis septem imperio prefuisset. Princeps iustus & largus, & cunctis amabilis. Ioannes aũt Monachus qui eius uitam diligẽtissimè scripsit, regnasse tradit annos tres, menses decem, dies octo. Extruxit aũt Lauacrum in Blachernis, multa templa ac ædes publicas, domum præterea peregrinantibus suscipiendis aptam, quæ græcè γηροκομεῖον dicitur: Aureum triclinium Iustini ornatius reddidit. Vir planè liberalis & ingenuus. Hæc ex Zonara, Paulo Diacono, & alijs excerpsimus.

MAVRITIVS CAESAR.

MAVRITIVS Cappadox, uir strenuus & gener Tiberij successit imperio, consilio etiam Sophiæ Augustæ: ex humili notario, comes excubitorũ à Iustino ob diligentiam factus, & ex comite Cęsar, etiam gener Tiberij. Ex Cæsare dein factus Augustus, gerẽdis rebus ab initio fœlix, coronatus à Ioanne Neuscẽte patriarcha, & honestis acclamationibus laudatus de more. Bonus princeps Reipub. multisq; uictorijs illustris. Armenos & Persas per legatos fudit. Nam Philippicum, cui sororem suam in matrimoniũ locauerat, Imperator cum ualido exercitu cõtra Persas misit. Qui ad Nisibin progressus, illic in Persidem incursiones fecit, & prędam ingentem reportauit. Inter redeundum inuasit Mędiam, neq; minori illic populatione facta, tandem se intra fines Romanos recepit. Post id morbo correptus Martyropolim atq; Byzantium reuersus est. Sed ubi conualuit, denuò in Persas missus, uocatos in concionẽ milites interrogauit: An parato essent animo ad confligendũ cum hoste. Succlamatũ est ab omnibus, certã sibi eius rei esse uoluntatẽ, & hoc iureiurãdo confirmauerunt. Inito certamine, paulum Barbari uim sustinuerunt: sed postq; Philippicus equitatũ suum in hostium equites iussit incurrere, eoq; facto illorum multi deturbati ceciderant, omnes Persarũ copię terga uerterũt: acriterq; Romanis instantibus, multi sunt interempti. Ad hunc modũ uictoria insignis cum numero captiuorũ ferè duum millium, cessit Philippico. Hormisdas Persarum princeps Baram copiarũ ducem ordinauit, iussitq; uti in certamen cum Romanis uenirent, qui congressus & uictus est. Id cùm Hormisdæ renunciarũ fuisset, muliebrẽ uestem ad Baram misit, priuauitq; demandata præfectura. Misit insuper literas de eo interficiẽdo ad ducẽ, qui secundas administrationis partes habebat in castris. Baram conscius periculorũ suorum, adulterinas Hormisdę literas cõminiscitur, quibus exercitui toti infensus uisus, ad se missas finxit, conuocataq; omni multitudine palàm eis recitari fecit. Quibus omnibus auditis, inflammauit animos, ut inferendas manus suo principi pollicerentur, cùm de asperitate et ęquitia principis quędam non intẽpestiuè intermiscuisset. Factoq; tumultu rex captus, & in carcerem trusus est. Et cùm de nouo eligendo principe interrogaretur, censuit Hormisdas Cosroen filium, quòd esset arrogans, contumelioſus, auarus, & iniquus, nõ esse dignum imperio. Potius aliũ filium fore appellandum principem: qua uoce illi uitam simul perdidit et regnum. Nam is unà cum matre raptus, in eius conspectu cæsus, sibi oculi effossi: Cosroes imperare iussus. Exercuit nihilominus in captiuũ & cęcum patrem Cosroes clementiam ac pietatem, omni cultu & obsequio ipsum prosequens, quæ omnia ille maledictis & contumelijs incessebat: filiumq; commouit, ut fustibus sibi latera ad mortem usq; cædi imperaret: qua re Persarum odium incidit. Cum exercitu igitur cõtra Baram profectus, suspectos prius optimates interemit. Et cùm seditio in castris hinc oriretur, Cosroes cum paucis ad Romanos cõfugit, causa

cauſa periculi uitandi: à quibus benignè iuſſu Mauritij exceptus, hoſpitalitate ac uultu regio, Narſen cum copijs ab Imperatore miſſum ſibi auxilio ad recuperandum regnum habuit.

Commiſſa igitur pugna, Narſes victoriam aſſequutus, Baram victus fugatusq; magna Perſarum multitudo capta, numero ſex millium. Quos omnes ad ad ſe ductos Coſroes confodi iuſſit. In quorum numero & Turci erant, qui ſub Baram meruerant (nam tum primùm nomen Turcaicum auditum eſt) ad Mauritium ſunt miſſi. Interrogati cur ſub Baram militaſſent, reſponderunt, fame ſe patria abactos. Et cùm quidam in fronte inuſtam crucis figuram atramento haberent, confeſſi ſunt ſe à Chriſtianis edoctos, ut hoc ſimulachro famem repellerent. Sic Coſroen habita victoria, regnum recuperauit, & priſtino reſtitutus eſt honori. Ferunt, priuſquam hic conflictus fieret, ortam eſſe inter Coſroen & Narſen in ordinanda acie diſſenſionem, cùm uterq; ſe putaret ducis munia melius altero tenere: ſuntq; inter eos iactata conuicia. Sed Coſroes habita ratione temporis: Tu, inquit, ô dux Magnum regem conuicijs laceſſis, præſenti fortuna inflatus? Audi quid in poſterum dij conſtituerint. Refluent in uos Romanos hæc incommoda. Tenebit gens Babylonica Romanas terras, ad tertiam uſq; annorum hebdomada uolubilem. poſt id annorum, hebdomadas quinque Romani Perſas in captiuitatem ducent: his perfectis, dies ſempiterna hominibus aderit. Sed hæc uaticinia nullum ſunt ſortita euentum. Mauritius pace cum Perſis firmata, exercitum in Thraciam ex Oriẽtalibus locis traduxit. Quo tempore ſol eſt obſcuratus, & mulier quędam in Thracia puerum peperit abſq; oculis, palpebris, manibus & brachijs: cui piſcis cauda ad fœmora uſq; protendebatur. Cæterùm Perſis ſedatis, Barbaris iam moliebat̃ damna Mauritius, ac Scythas Mœſia repulit, ſimul & Longobardos in Italia repreſſit. Childepertũ em̃ Francorum regem muneribus magnis ſollicitauit, ut Longobardos Italia deturbaret: ſed fruſtra. nam fœdera inter hos iacta ſunt: licet iterum ab Imperatore requiſitus, exercitum miſiſſet, ob ſpem ducendi in uxorem germanam Imperatoris, quam audiebat Conſtantinopoli uiuere. Cùm igitur miſſus exercitus contra Lõgobardos ſtaret, Franci & Alemanni diſſenſionem iniẽre, & re infecta diſceſſẽre. Romanus tamẽ patricius Italię Exarchus eos uicit & ſuperauit, ſi uictoria uti ſciuiſſet, & nõ irretitus degeneraſſet. Hunni quoque, qui & Auares appellantur, cum ſuo duce Chagano, auſpicijs filij ſui Theodoſij & Germani ſoceri Pannonijs exacti ſunt, & ad ſolitudines fugati, uictiq; et fuſi. Sclaui Mauritij opes ueriti, cum finitimis ſocietatem iungunt. Tres tum gentes in fœdus uenẽre, Franci, Bauari, & Lõgobardi. Quibus omnibus ſuſpecti erãt Mauritij ſucceſſus, ne ſi plus nimio eius opes inualuiſſent, cæteras quoque prouincias ad imperiũ retraheret. Quod ſic factũ eſt, atq; eo ordine incœptum, teſte Zonara. Chaganus Auarum dux cap̃to Sirmio, cùm ad octoginta milia quę ſibi annua pendebantur, uiginti milia adijci peteret, Imperator pacis ſtudioſus, illud ſe facturũ recepit. Miſit etiam elephantem omnium quos habebat maximum, ei poſcenti, & qui nunquam eiuſmodi animal uiderat. Sedenim Barbarus qui fœderis imminuendi cauſas captabat, altera uiginti millia præter centum priora rogauit. Quod cùm princeps recuſaſſet, cum exercitu in regionem irrupit: occupatiſq; nonnullis Illyrici urbibus, minabat̃ ſe euerſurum Macrontychum, id eſt longum illum murũ Qua re motus Imperator, miſſis legatis, pacem cum eo firmauit. Sed animus Chagani perfidus & inexplebilis, fraudem cum Romanis agere cœpit. Et cùm ipſe bello abſtineret, Sclauenam gentem impulit ut agros Romanorũ popularentur, & uſq; Machrontychon excurrerent. Imperator Commentiolũ ducem elegit, quem cum magnis copijs aduerſus Barbaros miſit: quorum magna multitudo interempta, reliqua pars de finibus Romanorum pulſa, præda & captiui recuperati. Sed paulo pòſt iterum Chagono cũ innumeris copijs in Thraciam irrumpente, Priſcus Romano

rum dux perterritus, in oppidũ Turulum se recepit, ac se munitionibus à ui hostium tutatus est. Quod cùm Barbarus oppugnaret, ingeniosissimè est ab Imperatore elusus. nam his scriptis literis ad Priscũ, nuncio præcepit, ut sponte in hostiũ manus & uolens cum literis, quasi ignarus incideret. Literis aũt hortabatur Mauritius Priscum, ne hostibus cederet, qui mox essent cum magno dedecore abituri. Ordinatas enim esse triremes multas cum insigni nauiũ classe, instructo milite plenas, quæ spoliatura esset domos hostium, fœminasq; cum pueris in captiuitatem abductura. Chaganus capto nuncio, ac lectis literis, domibus suis timere cœpit: acceptisq; exiguis muneribus, obsidionem soluit, abijtq; cũ omni exercitu. Non potuit ferox Chagani animus quiescere, sed rursus cùm se uideret elusum, intrauit Romanorũ fines. Cui obuiã sunt missę Romanę legiones: à quibus sæpè superatus fususq; est, & quæ nõnunq; succubuerunt & uictoriam Barbaro præstiterunt. Quod bilem mouit Imperatori, qui indignatus, aduersus Chaganum Commentiolum iterũ mittens, clàm illi iniunxit, uti hostibus proderet suum exercitũ. nam sæpe seditiones in eo oriebant, & ob contumaciam in parendo illis Mauritius succensebat. Cùm igitur fieret pugna, Commentiolus malè instructis ordinibus, ubi classicum occinuisset, sine mora comitãtibus paucis aufugit, uti deliberauerat: reliquis omnibus pene captis, paucis cæsis. Qua uictoria inflatus Chaganus, ad Macrontichon iterum excurrit. Sed Mauritius coacta popularium turba, in præsidium uenit. Interim maxima orta est pestilentia, qua absorpti sunt una die septem Chagani filij, & ingens militum multitudo. Qua re Barbarus animo fractus, in sua reuerti statuit. Mauritium tamen de captiuorum redemptione admonuit: in singulos captos nummo uno contentus (erant autem captiui duodecim millia numero, & amplius) Imperatore hanc conditionem abnuente, pro nummo dimidium petijt: quo etiam ob auaritiam & indignationem in milites recusante, ira percitus Barbarus omnes occidit, & deinceps motis castris discessit. Quæ res magnum omnium odium in Mauritium concitauit, adeò ut nullus non ei malediceret. Commentiolus, quòd hostibus exercitum trucidandum permisisset, accusatus est à militibus: in quorum numero Phocas cùm irreuerenter multum regem compellare Mauritium non uereretur, à quibusdam percussus: & princeps delati criminis accusationem non admittens, accusatores reiecit. ob id quum quandoque sacris interesset, seditio in populo orta est, & lapides in eum iniecti sunt: qui deprehensi, supremo sunt supplicio affecti. Tum monachus quispiam ense nudo à foro ad Chalceu progressus, Mauritium mox ferro interiturum proclamauit. Quod ubi ad aures fuit principis perlatum, scelus id quod in captiuos commiserat identidem reputans, Deum orabat ut in hac uita pœnam meritam sibi imponeret. Missisq; nuncijs omnes rogabat, idem à summo Deo peterẽt. Interim cunctis inuisus factus Imperator militibus (nam immensa laborabat auaricia, qua nihil est detestabilius, pęrsertim in principe) qui sua auaricia rapinas, cædes & homicidia dissimulabat: præterea nulla stipendia militibus erogabat, ijs potissimùm qui Sarmatico limiti, contra Scytharum impetum, loco sterili positi, præerant, difficilia quæq; tolerantes. Ob id in eius caput est facta cõspiratio à militibus, & Phocas designatus est futurus Imperator. Ea fama inualescente, cùm Mauritius Phocam non cognosceret, sed à diuinaculis intellexrisset successoris nomen à Ph. litera incepturum, Philippicum sororis maritum suspectum habere cœpit. Et licet ille iureiurando, nunq; se illud animo cogitasse, nedum se facturum, promitteret: non potuit tamen ab illa sententia auelli Mauritius, donec uisa in somnis specie, conceptam de Philippico sinistram opinionem abiecit. Somniauit enim se magnam hominum multitudinem conspicere, quæ astans signo Christi Seruatoris, posito super æneam portam, regem uehementer accusaret: & tunc uocem ab imagine editam, iussisse accersiri Mauritium: qui protinus adductus & interrogatus, ubi

ubi pœnam commissi in captiuos sceleris pendere optaret, in præsenti an futura uita: cùm respondisset, Hic ô Clemens Domine. rursus uocem huiusmodi auditam esse: Tradite igitur hunc qui summi est generis, in potestatem militis Phocæ. Somnio illo tristi exporrectus princeps, uocato ad se Philippico, ueniam suspicionis conceptæ de eo petijt, & somnium narrauit: & cuius ordinis miles esset Phocas interrogauit. Cui Philippicus: Is est Phocas, qui proximè missus ab exercitu, tecum agebat confidentissimè, homo iuuenis, ingenij uerò præcipitis ac timidi. Ergo, inquit Mauritius, crudelis. nam timidi plerunq; desperatione ducti, crudelia scelera, & sæuius quiddam perpetrant. At ille: Liberalitas, inquit, optimum est militibus remedium, qua uulnera ipsorum sanãtur: præsertim cùm plurimùm egent. Sed surdis auribus homo auarus illa excepit: utpote qui etiam auariciam eo tempore Petro fratri, qui copijs præerat limitaneis, iniunxerat, ut necessarios commeatus & frumentum quod dari solitum erat, traiecto Danubio ex hostili terra transportaret, & milites ex præda sustentarentur. Quod talem cõmouit in exercitu tumultum, ut statim centurionem tunc Phocam salutarent Imperatorem. Quare aufugiẽs Petrus ex castris, Mauritio cuncta patefecit. Qui assiduis concionibus populum in officio continere conatus, ubi labare hominum studia uidit, & tumultuantem multitudinem sisti haud posse cognouit, arrectis ciuibus quoque ad seditionem, aula se subduxit: ignotoq; habitu cum uxore & filijs ingressus naues celeres, abijt. Theodosium uerò filium (quem die festo qui Pascha dicitur, regem publicè appellauerat, Iohanne patriarcha ei coronam imponente, & cui Germani patricij filiam uxorem dederat, Cyriaco patriarcha nuptiarum solennia procurante) ad Cosroen Persarum regem misit, ut memor beneficij abs se accepti, pari officio filium regno pulsum prosequatur. Vbi fuga principis iam innotuit uulgo, & popularis motus auctus est, interim propius accessit Phocas: qui faustis acclamationibus exceptus, ac in regia à patriarcha coronatus, astante populo Augustus est dictus. Sed altercatio Venetæ & Prasinæ factionis suborta est: quam dum sedare Phocas niteretur, effecit ut cùm tribunus Venetorum contumeliosis dictis afficeretur, magna pars populi id ægrè ferens exclamaret: Absiste, & statum rerum considera, nam Mauritius adhuc uiuit. Quibus uerbis inflammatus tyrãnus, ad necem principis in Chalcedonis urbis eregionè Byzantij portum Eutropij dictum, quò confugerat Mauritius cum uxore, liberis, & omni familia, dicto citius adnauigauit. Et comprehenso Principe ac tota familia, primùm in conspectu Principis reginam Augustam, tresq; eius filias, tũ filios, interfici iussit. Quibus interẽptis, exclamauit Mauritius: Iustus es Domine, & recta iudicia tua: forti animo perferens tantam calamitatem. Sed firmiori longè patiẽtia usus, & fortitudine, cùm filius eius nouissimus, infans adhuc, ad pœnã poscceretur, quem lactentẽ nutrix occuluerat, ne tota Mauritij stirps interiret, & filium suum pro alumno dabat. Princeps suum proferri iussit. Ipse demum incredibili animi magnitudine mortem subijt, securi obtruncatus. Postea Phocas pro Theodosio ad Cosroen misit, & occidi fecit. Sic tota domus cum principe cæsa est, omnesq; sepulti sunt in æde S. Mamantis, prope murum extructum à Pharasmane eunucho, Iustiniani cubiculario: Sunt asscripti tumulo hi uersus elegi:

O ego ter misera, en regum præclara duorum
Vxor Mauritij, filia Tiberij,
Regina, & prolis numero spectanda decoræ,
(An plures domini sint bona res, liqueat)
Cum stirpe hic tota iaceo, iuxtaq; maritus:
Seditio id fecit militis ac populi.
Haud grauiora tulit Cissæis, aut Iocasta,
Lai flens corpus, uerùm ego sum Niobes.

Ipſum ipſum genitorem: ultro quid perditis hoſce,
Expertes pueri qui fuerant ſcelerum?
Frondibus urbs noſtris pòſt haud reddetur opaca,
Radicem euulſit Threicius Boreas.

Mortuus eſt autem Mauritius anno ætatis ſexageſimotertio: nam adminiſtrationem Reipub. ſuſcepit anno quadrageſimotertio. Viginti annis imperauit: cuius mortẽ præceſſit cometes, cui eſt nomẽ Xiphias, ipſe primus ex Græcorum genere in imperio confirmatus. Vir utilis Reipub. & uictorioſus, niſi auaricia labefactaſſet ſe & totam domum. Illo enim duce Hunni ſunt eiecti. Cæterùm diuo Gregorio ſummo pontifici fuit infenſus. Qui antequam papa fieret, à Pelagio ſummo pontifice miſſus ad Mauritium, ut ſe apud principem purgaret, ne ſibi uitio uerteretur, quòd abſque illius aſſenſu ſe pontificem proclamare paſſus eſſet. Enimuero irrita tum fuerat pontificis declaratio, niſi eam Imperator aſſeruiſſet. Simul petebat Imperatorem, ut nouus dux cum exercitu in Italiam mitteretur, ob Longobardorũ ſæuitiam, quum nulla iam eſſet in Exarcho ſpes exilij. Miſit itaque Imperator Smaragdum cum nouo exercitu in Italiam, qui inducias cum Longobardis (quia fortiſsimæ nequibat reſiſtere genti) ſanxerat. Sed poſt mortem Pelagij, cùm Gregorius ſedem occupaſſet pontificalem, in eam eſt lapſus dementiam Mauritius, ut Gregorio ſcriberet, quo Iohanni Neſcenti patriarchæ Conſtantinopolitano, & eo defuncto Cyriaco qui ei ſucceſſerat, & prius Oeconomus magnæ eccleſiæ fuerat, obtemperaret, ueluti omnium antiſtitum patriarchæ principali. Quod cùm Pontifex recuſaret, Mauritius militibus ex Italia reuocatis, Agdulphum adhortatur, ut fœdere poſtpoſito quod cum Romanis habuit, urbem armis inuaderet. Quam quam iam Italiæ Exarchus, rapinis rem Romanã afflixerat. Adiecit dehinc impium edictum, ne Deo militaret, quicũq; Romanæ militię eſſet aſſcriptus, niſi finita militia, aut ui aliqua debilitatus. Omnino annixus ob odium in Gregorium, pacem Romanis frangere.

Habuit autem uxorem Conſtantinam, filiam Tiberij: ex qua peperit tres filios, Theodoſium, Tiberium, ac Conſtantinum: totidemq; filias, quæ omnes ſimul cum patre occiſæ ſunt. Sophia regina, & Conſtantina Auguſta, principi coronam fecerant quondam: eam ad ſe delatam ille in eccleſiam deferens, Deo obtulit. Abſoluit & Mauritius ædem S. martyrum quadraginta, à Tiberio inchoatam, atque ex negligentia intermiſſam. Quemadmodum & Petrus frater Imperatoris in Cyriaci patriarchæ gratiam, ſanctiſſimæ matri Dei templum, quod Diaconiſſæ dicebatur. Aliudq; ſub Areobindi appellatione extruxit. Hæc ex Zonara atque Paulo Vuarnefrido, ac alijs collegimus: in Diacono de peſte, diluuio, inundatione Tiberis, & letania ſeptiformi, quæ hac tempeſtate euenerint, inuenies.

PHOCAS CAESAR.

PHOCAS præfectus Scythiæ, poſtquam Mauritium Imperatorem occidit, à ſcelerato exercitu, cui præerat, Imperator electus eſt, & Auguſtus præter opinionem cõſalutatus. Conſtantinopolitanus enim populus militum prærogatiuam ſequutus, magno omnium ordinum conſenſu ratum fecit Phocæ imperium. Eſt & ei fœliciter Romæ acclamatum. Congratulatus eſt ei Romanus pontifex Gregorius, qui literis eum hortatus eſt, ut
175 libertatem urbis tutaretur: & per legatum ei aperuit afflictum Italiæ ſtatum. Tantaq; fuit in nouo principe indoles, & talem ſe gentibus oſtendit, ut Agdulphus illius fama perculſus, pacem cum Exarcho & Romanis in annuum tem-

pus

pus sanxerit. Sed pari auariciæ uitio cùm laboraret, & tenacius aurum quàm Mauritius seruaret, auarissimè tributa exegit. More Persico cum suis aulicis secreta tractabat, qui magistratus & iudicia uendebant. Stipendia parcissimè dabat: chariores habuit, qui inexplebili rapacitate populos uexabant. Ob id coiuratione Priscí patricij & prætoris, cui filiam Domnentiam desponderat, & Heraclonæ magistri militum, & eius filij Heraclij, qui pro prætore Aphricam administrabat, tumultu militari occiditur. Cùm enim ij tres de occidendo Imperatore conuenissent, Heraclonas, siue, ut alij scribunt, Heraclianus, ut filio suo imperium astrueret, à Phoca defecit, ac ueluti magister militiæ in Thracia defensurus regionem, & propulsurus Barbaros, exercitum coegit. Heraclius ex Aphrica Constantinopolim uenerat, ne pater defectionis suspicionem faceret. Conueniunt statuto tempore, & excitatur tumultus: dum milites prætoriani accurrunt, coniurati principem obtruncant, cùm annos imperasset octo, teste Iohanne Monacho. Hic tamen hoc unum sanxit, quod posteri laudarũt. Rogante enim papa Bonifacio, statuit urbem Romam caput esse omnium ecclesiarum, cùm prius esset Constantinopolitana, propter sedem Principis. Factum est tamen, ut Romana ecclesia sit omnium princeps declarata. Iussit præterea, ut Pantheon uetustum M. Agrippæ opus, beatissimæ Virgini & omnibus sanctis consecraretur, excluso malorum dæmonum cultu, quorum simulachra plura hic numero fuêre. Hanc ipsam ędẽ hodie ab ędificij forma Rotundã uocant. Huius tempestate, Prasinæ & Venetæ factiones per Orientem & Aegyptum ciuilia & intestina bella multa fecerunt. Prasini & Veneti, Erythrei sinus accolæ, uetus inter se habuêre odium, iam inde ab Antonini Veri principatu non ignotum Romanis legionibus: quibus ad duorum populorũ bellum inhibendum missis, Prasini obsequenter imperata fecêre. Contrà Veneti fauorem Rom. principis propensiorem in hostes quàm in se esse arbitrati, eum provincia abeuntem ex improuiso adorti, multis affecêre incommodis. Perse preterea multas calamitates Romanis prouincijs intulerunt: Mesopotamiam, Assyriamq; occupauerant, desidia & ignauia Principis. Hierosolymam populati, loca sacra prophanarunt. Lignum Dominicæ crucis auferunt, magnũ mortalium numerum capiunt, maiorem ferro conficiunt. Iberos, Armenias, Arabes, Dardanos, & mediterranea Macedonię & Thracię abstulerunt. In Cappadociam & Galatiam incursiones fecerunt, & ad Chaldonem usq; omnia sunt populati. Nec minus in Occidente, quia Respub. uindices non habuit, Germanię, Hispaniæ, Galliæ & bona pars Italię à Romano defecerant imperio. Chaganus Thrax Hunnorum rex, modò huc, modò illuc discurrebat. Aegyptum Sarraceni uastauerant, & castris deletis Romanorũ, ubique hominum magna strages, simulq; annonę inopia, & pecorum calamitas, propter principis luxum. Licet passim omnes ab initio magnã spem in Phocam collocarent, quòd homo esset militaris: sed omnes frustrati opinione, & reges metu soluti, undiq; irruebant. Erat itaq; necesse, ut aut nomen imperij deleretur, aut Phocas oc- 176
cumberet (quod & factum est) ut uires recuperaret priscas imperium. Priscus enim tanquam principi gratificaturus, pacis studiũ assimulat: cum socero se fingit agere, ut impetrata à principe uenia, quòd turbandi Africę status autor fuisset, in officio iam inde esset, imperata faceret, filiũ obsidem daret, ipse cũ quàm maximo posset exercitu in Cosroen Persarum regem ad bellum exiret. Ob id mittitur ex Aphrica Heraclius ad Phocam, in fidem eorum quę promittebantur: licet ad sęuissimam tyrannidem opprimendam iam omnes coniurassent, & Senatores multi & duces. Gregoras uir insignis, qui secundas in castris partes cum Heraclio habebat, Patricius, & filius eius Nicetas, qui terra cum ingenti peditũ exercitu & equitum multitudine iter faciebat aduersus Phocam, initis antea inter se pactionibus, ut qui prior sedẽ imperij Cõstantinopolim cepisset, ac tyrannũ interfecisset, ille regnũ haberet. Nec Heraclianus multo pòst cũ

ualidiſſimo exercitu in Thraciam nauigauit, Perſici belli prætextu. Sub illius appulſum Priſcus, qui in eam occaſionem erat intentus, Phocã obtruncat, ſoceri exercitum accerſit: quo propius admoto, occupat Heraclius imperiũ, omnibus metu quieſcentibus. Nec Heraclius ſtabilito filij principatu, multum in Thracia fuit, ſed ad obtinendã prouinciam cõfeſtim exercitũ in Africam reduxit. Narrat Zonaras, Phocam tyrannũ, quòd mulierofitati & temulentiæ deditus eſſet, & expers omnis miſericordiæ ac ſanguinarius, in omniũ odia incidiſſe poſt adeptum imperium. Primùm enim Narſes, de quo in Mauritio ſcripſimus, poſt commiſſam defectionem, quum Edeſſam urbem occupaſſet, contra hunc Coſrois habentem auxilia, Germanus à Phoca miſſus eſt: & facta pugna, poſt paucos dies ex acceptis uulneribus diẽ ſuũ obijt. Narſes deinde cùm Hierapolim ſe recepiſſet, inductus eſt à Dementiolo magiſtro, fratre Phocæ, per iuſiurandum interpoſitũ, uti ad Phocam iret: à quo contra datã fidem, igne extinctus eſt. uir alioqui religioſus, qui S. Pantaleonis, & Ss. martyrum Probi, Tarachi, & Andronis templa et hoſpitalem domum extruxit. Sed non contentus hoc crudeli facinore, Petrũ Mauritij fratrem, filiamq; Germani, & in uniuerſum omnes Mauritio ſanguine iunctos interfecit. Philippicus aũt clericus tonſus eſt, et Chryſopoli ſolitarias ędes inhabitauit. Alios etiam cõplures Phocas & occidit, & ſupplicijs affecit exquiſitis. Sed multo crudelius facinus patrauit, cùm quõdam in certamine equeſtri ſpectaculum celebraret, acceptis quorundam conuicijs, multos interemit: nec pauciores membris mutilari aut ſubmergi iuſſit. Sed q̃ plurimos præfecto ut punirent̃ dedit: qui cùm in prætorio clauſi tenerentur, facto populi tumultu, & prætorium incenſum, & ipſi ſoluti auſu gerunt. Antiochię uerò Hebręi motu excitato, Chriſtianos multos, atq; ipſum Anaſtaſium in ea urbe patriarcham interemerunt, ac eius cadauer in medio foro incenderunt. Propterea Phocas per quoſdam eò miſſos, fecit ut aliqui plecterentur capite, aliqui membro aliquo manci facto in exiliũ mitterentur. Sed uir ſæuus & crudelis, neq; ſuis ſatis pius fuit. Cùm enim quondam in quodam equeſtri ſpectaculo prope ſuam ſtatuam, Priſci generi ac Domentię filię ſtatu
177 as poſitas uidiſſet, ita concitatus tribunus, quos diſcerpi uolebat, ægrè ſupplicante populo ueniam indulſit. Quæ res fecit, ut Priſcus uitę ſuę non mediocriter timeret. Nec minus oderat q̃ metuebat crudeliſsimam in omnes principis tyrannidem: & ideo quęrebat modũ ipſum occidendi. Sed Phocas intellecta in ipſum cõiuratione, matrẽ Heraclei & uxorem Eudociam, quam parentibus honeſtiſſimis in terra Aphrica natam, matrimonio ſibi ille adiũxerat, captas in clauſo loco cuſtodiri fecit. Poſt factam itaq; coniurationem, ut paulo antè ſcripſimus, pręueniens cęteros Heraclius, impetum fecit ad portum Sophium: & commiſſa nauali pugna, uictor adiuuante Priſco euaſit, qui prefecti honorem obtinere cupiebat. Vnus aũt è numero optimatium Photius nomine, cuius uxorem tyrannus ui ſtuprauerat, coacta magna militum manu, in regiam inuaſit, Phocamq; (cuius miniſtri ac familiares omnes ſalutem deſpondentes, ex aula abierant) ab ſede regali detraxit, exutaq; purpura fuſcum amiculum iniecit, ac uinctũ ad Heraclium duxit, qui eum ita alloquutus eſt: Ad hunc ne modum ô miſer Remp. geſſiſti? Phocas mẽte alienatus: Tu ne melius, inquit, quàm à me factũ ſit, ea geres? Ira inde Heraclius commotus, calce eum percuſſit, atq; capite eum mulctari præcipit. Traditum eſt à quibuſdam citò occiſum, ab alijs rurſum, manibus & pedibus primò, poſtea ob inſignem eius libidinẽ, & quia multorum uxores corruperat, genitalibus, ac nouiſſimè capite amputatis, corpus truncum ad Bouem fuiſſe combuſtum. Is erat locus, qui ex eo quòd ęneus eſſet caminus forma bouis, quem Pergamo allatum aiunt, ubi erat poſitus, Bouis appellatione nuncupabatur. Fratres ac neceſſarij Phocæ omnes interfecti ſunt. Et ita ſceleſtiſſimus tyrannus poſt octo imperij annos, meritum uitæ exitum habuit.

Fuit

Fuit illi uxor Leontia, quam Augustam dixit post sortitum imperium. Ex qua filiam suscepit Domentiam, quam uxorem Prisco prefecto copiarum dedit. Necaliam reperi hactenus ex eo prolem. Hæc ex Iohanne Monacho, Paulo Diacono, atque alijs excerpsimus. Plura apud illos inuenies.

HERACLIVS CAESAR.

HERACLIVS filius fuit Heracliani, qui post interfectũ Phocam, ut paulo antè scripsimus, adeptus est imperium, suffragantibus militibus, & extemplò Byzantij à Sergio Constantinopolitano patriarcha & pontifice coronatus. Et ut Iohannes Monachus tradit, eadem die qua coronationem suscepit, nuptiarum solennia cum Fabia Eudocia celebrauit, prima uxore sua: quæ quidem dies insigni pompa celebrata est, ut decuit tantum principem. Interim totum Orientem uastauerant Persæ, & legiones sæpius reparatas, sæpius deleuerant: terras autem Romanorum in suam traxerunt ditionem. Heraclianus interim, Heraclij pater, ex Aphrica cum ingenti exercitu Aegyptum & Asiam petebat: sed eo, medio conatu rerum extincto, Persę metu liberati, ex Aegypto Aphricam inuadunt: quæ tota Persicis cessit armis, ducis sui præsidio spoliata. Europam diripuerant Scythæ, & Auari: & Romanos milites ita interfecerant, ut paucissimi in tot cædibus supereſſent ex ijs qui sub Mauricio & Phoca militauerant. Duos tantum superfuisse Iohannes Monachus scribit. Erat in illo tumultu anceps Heraclius, Europam ne an Aphricam uindicaret: utraque enim hostibus lacessita, ingemiscebat. Habito igitur nouo delectu, Crispum eis præfectum misit in Cappadociam. Cum Chagano itaq; fœdus percussit, pluribus missis muneribus, ante longum murum Anastasij (nam Thraciam tum plurimùm infestabat Barbarus) tentoria posuit. Sed immemor iurisiurandi & initæ amicitiæ Barbarus, impetũ in Heraclium fecit, & penè cepisset. Sed iterũ missis legatis pacem impetrauit, ut posset totis uiribus ire in Orientem. Priusquam tamen exercitum contra Persas educeret, oratores ad Cosroen Persarũ regem misit, ut à uastatione urbium, & cæde Romanorum cessaret: utq; iam satur humano sanguine, in Persida rediret. Cosroes autem rex (cui animus omnia perdendi erat) legatos cõtempsit, eosq; cum contumelia abire iussit. Heraclius affectus & contumelijs, & ingentibus prius cladibus, inducias à Barbaro hoste, & pacem quamuis ignominiosam, denuò petit, sub conditionibus annui uectigalis pendendi. Cosroes se nunquam quieturum cum Romanis respondit, nisi postposita & abnegata Iesu Nazareni crucifixi religione. Mitram, hoc est solem, qui unicus est Deus, adorarẽt. Imperator indignatus, desperata pace, quã nullam impetrare potuit, magis ui q; uirtute adactus, exercitum comparat, propitiato numine in hostem proficisci tur, conscriptis undique nouis legionibus (ueteres enim interciderant) quas exercuit, & pòst in expeditionem duxit. Cosroes factus de bello certior, Azoti erat, in urbe Syrię opulentissima: quam petijt Heraclius, ut de summa regni cum hoste decerneret. Sed ille prius fugienti similis, priusq; Heraclius adesset, in Mesopotamiã se recepit: adultas & flauescẽtes iam fruges populatus, ut persequendi facultatem Cæsari adimeret. Heraclius tamẽ nihilominus sequutus, cum regẽ assequi non posset, regionẽ ferro & igni uastauit. Iam Cosroes Palęstinam, ludęamq; diripuerat: Hierosolymas post longam Christianorũ occidionem, ablata omni supellectile, tũ ligno sanctę crucis, & urbis episcopo euasta uerat. Est tũc ingens Christianorũ multitudo interẽpta, cùm Iudæi captos paruo redimerent atq; occiderent: ferunẽ fuisse nonaginta milia numero. Imperator tum

tor tum neq; copias, quæ hostibus pares forent, neq; pecuniam habebat. Aurum itaq; & argentum ex magna ecclesia & alijs sacris ædibus mutuatus, signari pecuniam fecit: & nouo delectu facto, in expeditionem ex urbe cum ipsis egressus est, post celebrationem festi Paschę. Duos igitur comperit duces Heraclius, cum duobus exercitibus à rege relictos, qui opportunitate locorum freti, iter suum remorarentur. Heraclius parte una copiarum relicta ad subigendas urbes, quas post se relinquebat, ipse cum robore copiarum, superato Tauro, ad Saronem fluuium Sarbarũ ducem strauit, & in fugam uertit. Cùm autem Salbarus Archisatrapes apud Cosroen accusaretur consiliorum, quæ cum Romanis clanculum habuisset, & dictorum quæ probrosa in ipsum iecisse credebatur, Cosroes ad ducem qui erat sub Sarbaro, de eius nece literas misit. Nuncius à Romanis interceptus, Constantinopolim est ductus. Reip. curatores uisis literis, & tabellarium & literas Sarbaro miserunt. qui illis lectis, hominem diligenter percunctatus est. Vt uerò Cosroę malum animum perspexit, alteras cõfinxit literas, quibus sua & multorum prętectorum ac tribunorum militarium, aliorumq; qui ordines ducebant cædes mandaret. Induxitq; nuncium à rege missum, uti literas illas ab eo se accepisse confirmaret. Tum habito consilio ubi primores omnes aderant, palàm literas recitari fecit: quæ maximã indignationem omnium commouerunt, adeò ut primores omnes quicunque ordinibus præerant, ad Romanum Imperatorem transire constituerent, & extremũ odium in suum Principem conciperent. Ostanem insuper Satrapam totis uiribus aggressus Heraclius in Persida, commisso prælio, & ipso superato, fugere compulit: cæsis xxx. hostium milibus. Saraces & Sarabasses duces in eo prælio cecidêre. Says successor datus cum nouo supplemento pugnam instaurauit, edita magna hincinde cęde. Persa superior uidebat, nisi densus imber, mixta grandine, cum fragore & strepitu horrendo, cœlo effusus, aduersam Persarũ aciem perculisset, procella Barbarorum ora oculosq; uẽto & fulguribus perstringente. Attoniti Persæ cæduntur, paucissimi seruati: cæteri aut capti, aut cæsi. Interea Chaganus fœdere uiolato in Byzantinum agrum intrauit, positisq; ante longum murum castris, exteriora omnia loca est populatus. Tum patriarcha ciuitatis, & patricius Bonus, quos Costantini filij, omniumq; rerum publicarum curatores discedens Heraclius reliquerat, coactam uirorum optimorum manum, contra Barbaros sub ea opinione, quòd nullus in proximo esset exercitus, negligenter rem agentes, miserunt de improuiso: atque multis milibus interemptis, reliqui cum magna turpitudine intra suos fines se recipere sunt cõpulsi. Razatenem nouum ducem Cosroes cum totis regni uiribus misit, ut maiore nisũ cum Heraclio quàm cæteri duces pugnaret. Qui sanè cum nouis copijs uenit, sed nihilo meliore euentu pugnauit. Fuit pugna atrox per integrum diem depugnata, qua dux cecidit, et uigintiseptem militaria signa sunt capta. Victores Romani in uiscera Persidis, traiecto Tygride, penetrarunt. Seuitumq; est non in homines modò, uerùm & in urbium direptiones. Nec temperatum est à profanis hostium templis. Vestæ, quæ religiosè apud Persas colitur, templum est funditus dirutum. Sic secundo & tertio prælio uicti Persæ, cæsis multis milibus, in fugam reliqui omnes dilapsi abierunt: qui conterraneis suis quæ acciderãt, enarrauerunt. Indeq; est effectum, ut prius malè in Cosroen affecti, maiori odio aduersus eundem excandescerent. Cosroes ab alijs Cosdroas dictus, desperatis rebus ultra Tygrim abiturus, Medarsem filium regni consortem declarauit: Siroe alio filio, & maiore natu, & præclaræ indolis adolescente, neglecto: habebat enim plures filios. Qua contumelia adactus ille, clã cum Heraclio paciscitur, ut patre & fratre cum omni regia gaza proditis, deductisq; prętidijs ex omnibus Romanis imperij prouincijs, ipse Persarũ regnum obtineret, paxq; inter utrunque imperium esset. Cosroes cum Medarse & uxoribus ex fuga retracti, in uincula conijciuntur, & ad Ctesiphontem interficiuntur

ciuntur iussu Siroes, qui ab alijs Sirochius dicitur. Ferũt autem Siroen Cosroi patri cathenis uincto auri magnã uim & lapidum precioſorũ aceruos appoſuiſſe, dicentẽ: Ob hęc Romanis Perſas hoſtes feciſti, ac mutuis prælijs innumeras cædes patraſti, patere & tu tua incõmoda. Hinc fœdere cum Heraclio percuſſo, omnes captiui Ro. qui apud Perſas erant, liberi reſtituti. Crux quoq; dominica iterũ recepta eſt anno xiiij. cũ ablata erat, unà cum patriarcha Hieroſolymitano. Recepta eſt Aphrica, Aegyptus, & quicquid terrarũ fuerat ex Ro. imperio à Perſis occupatum: à Meſopotamia ad orã Syriæ, ad Erythręum mare, Arabia tantũ excepta, quam Mahometus pſeudopropheta (de quo inferius multa ſcribemus) ſua execranda lege labefactauit. Captiuos Perſas Romani quoq; uiciſſim omnes reſtitui fecerũt: paxq; his cõditionibus firmata, ut limes Perſici & Romani imperij Tigris eſſet, atq; Perſæ Meſopotamiã non attentarent. Tertię pugnæ dies faſtis Romanis aſcriptus, magnæ adhuc ueneration is eſt. Et exaltatio crucis uulgò dicta, ubiq; religioſè celebrat. Fuit aũt annus ille quo hęc uictoria parta eſt, quartus et uigeſimus ſupra ſexcenteſimũ humanę ſalutis, ſextus Heraclij poſt egreſsũ eius ab urbe. Exercitus uictorũ & laureatus & onuſtus ferculis & trophęis magna lętitia & ingẽti gloria Conſtãtinopolim rediit. Dux purpuratus aureo inuectus curru, nõ laureã manu, ſed lignum crucis tenens, ſe lætantibus populis ſpectandũ prębuit, occurrentibus regio ornatu inſignitis ſacerdotibus, pompaq; admirabili. Maior hic triumphus fuit, cũ de Gelimere à Belliſario et Aphrica ſubacta. Donauit me pulcherrimo ac uetuſtiſſimo numiſmate Gremperius meus, dum hæc ſcriberẽ: in quo prima facie imago Heraclij ſculpta erat, ut pictam prius uidiſti, cum hac græca inſcriptione: βασιλεὺς ἡρακλείων χριστῷ. Et quædam præterea alia uerba græca, quæ præ uetuſtate legi non poterant. Sed in reuerſo erat eiuſdẽ imago curru triumphali, in limbo ſcripta fuerant hęc latina: *SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLAVI, ET CONCVLCAVI LEONEM AC DRACONEM.* In medio erant locata hæc græca: λέξα τῷ ὑψίστοις τῷ θεῷ, ὅτι ἐῤῥύσατο ἐκλογὴν πόλεως, τὴν ἁγίαν βασιλείαν ἡρακλείου. quod eſt latinè dictum: Gloria in altis Chriſto Deo, quoniam dirupit ferreas portas, & liberauit ſanctum regnum Heraclij.

178

179

Hæc ne perirent etiam illuc ſtudioſis adieci, ut ſi ſimilia inuenirent, non occultarent, ut faciũt βιβλιοτάφοι. Cęterùm Heraclius tumultuantem Arabiã ad tempus pacauit militari iuuentute, cui cõceſſum erat tractare arma, per ſpeciẽ militiæ procul ablegata. Ipſe Hieroſolymã reuerſus, enixè curauit, ut indigenæ alij alio caſu in finitimas urbes dilapſi, in patriã remigrarẽt, quò urbs ſancta frequẽtius coleretur. Circumtulit Imperator Hieroſolymam ingreſſus, lignum dominicæ crucis, & ſuis detulit humeris in Caluariæ montem: & cùm quaſi hæſitando exitu prohiberet, admonitus à Zacharia antiſtite (quẽ poſtliminio reuerſum receperat) ut abiecto regio cultu, in ferenda cruce Chriſtũ imitaretur. Heraclius mutata ueſte triũphali, auro gemmisq; intexta, nudis calcibus humiliẽ crucẽ tulit, ac reliquũ uiæ confecit, in eumq; locum repoſuit, unde fuerat à Perſis ſublata. moxq; Byzantiũ reuerſus eſt. Interea Siſebutus Viſigothorum rex aliquot recepit urbes in Hiſpania, quæ ad Romanos defecerant. Iudæos ſupplicíorum metu ad Chriſti fidem recipiendam compulit, rogatu, ut fertur, Heraclij: qui oraculo monitus dicitur, ut à circũciſis caueret. Sed dum Iudæos cauit, à Sarracenis eſt oppreſſus, qui etiam ueteri inſtituto circumciduntur. Mathematici igitur & Arioli prędixerant Heraclio magnũ illi & eius imperio imminere periculũ à circumciſo populo, ideo quicunq; Iudæorum toto ſuo imperio fuêre, inuitos Chriſtiano nomini adiunxit, Quod & Dagobertus Francorũ rex, & Siſebutus Viſigothorum, eius precibus fecerunt. Sed uis fatalis uitari nõ potuit: & ut prouerbio dicitur, ſtellarum influxus facilius præuideri, quàm pręcaueri poteſt. Cùm enim militibus ſtipendium daretur, quærerentur que

79

Sarra-

Sarracenī merito ſtipendio ſe fraudari: tum is cui id negociū fuerat iniunctum: Vix, inquit, eſt quod Græco & Romano militi detur, & hęc canū turba tam impudenter efflagitat ſtipendiū? Qua uoce Sarraceni ira accenſi, in Syriam ſeceſſere, hinc Damaſcum occupant: pòſt Aegyptū ingreſſi, finitimis ſunt regionibus potiti. dehinc ſubacta Arabia, in Perſiam ſerpſit id incendiū. Sarraceni Perſas uicerunt, & latiſsimè Mahometi legē circumtulerunt, captis etiam Hieroſolymis. Quod præuidens Heraclius, prius Dominicam crucē ad Byzantiū reduxit. Sic Heraclius, quantū ab initio piè ac religioſè egit, fœliciter triumphauit: at neglecta pietate Chriſtiana, aruſpicinæ & præſtigijs dæmonū addictus, Monothelitanum eſt errorē complexus. Monothelitę aūt prędicabant unam in Chriſto uoluntatē. In quem errorem duxerūt Principē, Pyrrhus Conſtantinopolitanus antiſtes, & Cyrrus Alexandrinus. Contraxit & alterā notam non minus infamē & uulgò inuidioſam, dum fratris ſui filiā in matrimoniū recepit, in locū defunctæ uxoris primę: lata lege, ut idē omnibus liceret. Cùm itaq; uetitis artibus, hæreſi ac inceſtis nuptijs ſeſe polluiſſet, extremis ſui imperij tęporibus acceſſit maior inuidia, quòd eo principe Orientis imperiū non ſolùm inclinare cœpit, ſed tota ſit Aſia etiā ſpoliatum. Cùm iam annos unū & triginta imperaſſet, morbo intercutis moritur. Alij ſcribunt ipſum nouo cladis genere occubiſſe, teſtiū folliculo ſurſum uerſo, ſimul cū uirili mēbro, & ſemper tento (priapiſmū medici uocant) adeò ut quoties meieret, niſi tabula umbilico admota prohibente, uultum lotio ſparſiſſet. exiſtimant, ob illicitas nuptias id accidiſſe.

Habuit enim duas uxores: primā Fabiam Eudociā, ex qua ſuſcepit Epiphaniam filiam & Heraclium puerū, qui & nouus Conſtantinus, ſeu paruus Heraclius appellatus eſt. Quem ab incunte ętate ſacro diademate adornauit pater: paulòq; pòſt Eudocia uita functa ē. Cōtigit, dū Fabię Eudocię efferretur funus, puellā quandam è feneſtra ſuper feretrū ſpuiſſe: quę nulla mora cōprehenſa, et rogo Fabiæ impoſita, uiua exuſta, miſerabiles reginæ inferias præſtitit.

Alteram duxit uxorem Martinam, filiā fratris, quam Auguſtā dixit: ex qua genuit Heraclonā, qui & Fabius eſt nominatus, & aliū filium Dauid dictū. Succeſſit primùm patri Conſtantinus Nouus, qui regnum à patre accepit: qui dolis nouercæ ueneno ſublatus eſt, nondum annū imperans. Aliqui quarto menſe id accidiſſe tradunt: nam nouerca illa, quæ eadem patruelis ſoror illi fuerat, cùm prolē ex Conſtātino natā uidiſſet, timebat ne filius ſuus unquā regno ſuccederet: idcirco ſibi uenenum miſcuit. Habuit enim uxorem Gregoriam Niceta patricij filiam, ex qua Conſtantem filium ſuſcepit, et Theodoſiū. Hunc Conſtantinū pater à pueritia dilexit, & diademate inſigniuit. Fuit aūt ſenſus in fide integerrimi, imperij, non impietatis paternæ hæres: quæ res Pyrrhum patriarcham, uti inſidiarū in eum particeps eſſet, induxit: ſed qui poſt eius necē ſacerdotio priuatus, in exilium eſt cum Martina & Heraclona iuſtè actus. Nam Cōſtantino ſublato, arripuit imperium Martina, cū Heraclona filio decem annorum: qui ambo conſpiratione Senatus ante biennium capti, & in exiliū in Cappadociā miſſi, mulieri linguam præcidūt, ne oratione, qua plurimùm ualebat, populos cōmoueret. Puero abſciderūt naſum, ne decor aut gratia in uultu miſerationem facerent. Ioannes Monachus diligētiſſimè Heraclij geſta ſuo libro perſcripſit, & de eius hæreſi, Iacobitari catholico, Sergio Cōſtantinopolitano, Sophronio Hieroſolymitano epiſcopo, Iohanne ac alijs hæreſiarchis, quibus deceptus eſt, deq; Cyro & Pyrrho epiſcopis ampliſſimè executus eſt. Paulus uerò Diaconus uidetur hoc in loco mācus. nam nihil penè de Heraclio tradit, neq; in libro hiſtoriæ Longobardicæ. Cæterùm de Conſtantino Heraclij filio idem Iohannes Monachus.

CON-

CONSTANS CAESAR.

CONSTANS filius fuit Constantini Iunioris, filij Heraclij, ex Gregoria Nicetę patricij filia, Imperator à Senatu sine militũ suffragio (quod rarò contingit) electus & creatus. Princeps haud incommodus, sed auitæ impietatis sectator. Monotheli-
tanam enim hæresim sectatus, ut auus, Paulum qui patriarcha lem sedem tum occupauit, Constantinopolitanũ antistitem, hæreti cum & ipsum, fouit, contra Theodorũ summum Pontificem, à quo con
10 demnatus fuerat, & dignitate priuatus. Maximum, sapientissimum & religiosissimum uirum, eiusq; duos discipulos, crudelissimè Imperator, quòd suã nollent sequi hæresim, extinxit. Quinimmo Exarcho Italiæ pręcepit, ut enixè operam daret, uti Martinus Romanus pontifex cum omni clero ad Monothelitarum hæresim amplexandam pro potestate cogeretur. Quòd si imperata recusaret Pontifex, uel captus Constantinopolim mitteretur, uel gladio obtruncaretur. Ferũt, qui ad parricidium hoc subornatus fuerat luminibus captum, admonuisse Exarchum, ut ab incepto desisteret. Non destitit tamen Imperator,
quin per nouum Exarchum Pontificem caperet, & captum in Chersonesum
20 relegaret: ubi inopia pressus perijt. Martinus enim cùm celeberrimo patre Maximo, qui Romæ tum erat, antistitum suorum cõcilio habito, anathemati Monothelitarum sectam subiecerat. Alios præterea multos rectæ fidei homines, quòd opinioni suæ de unica uoluntate assentiri nollent, interemit. Accidit ea tempestate, ut Paulus & Platina scribunt longius, Cæsaream reginam Persarum, Constãtinopolim applicuisse: ac baptismo ablutam, religionem Christianam induisse, attraxisseq; maritum ut idem faceret. Interim iam Sarraceni uiribus ualde auctis, terras plerasq; Romanorum & insulas adoriebantur. Eorũq;
dux Mauias naues quàm plurimas bello aptas comparauerat, quibus Roma-
norum urbes inuadere cogitabat. Quod intelligens Constans, paratis copijs
in portum Lyciæ (qui Phœnix dicitur) se contulit. Affuerunt ibi & Sarrace-
30 ni, debebatq; postridie pugna naualis committi. Noctu Constans eiusmodi somnium habuit, ut Thessalonicæ esse uideretur. Quod cùm prudentissimo uiro communicasset: intellexit ab eo illud imminentis cladis esse præsagium, tanquam urbis nomen significaret, ἄλλῳ δὸς νίκλω, id est, alij appone uictoriam: quod & ipsum contigit. Inito enim prælio, superiores hostes fuerunt: tantaq; Romanorum cædes facta est, ut ex eorum sanguine mare colorem rubrum traxerit. Rex uilem assumens uestem, nauem cõscendit: atq; ita cum paucis fugiens, Byzantium uenit. Sarraceni cùm nullus eis aduersaretur, liberè loca omnia per-
currunt atq; uagantur, insulamq; Rhodon ceperunt: in qua celeberrimũ illum 180
40 colossum destruxerunt, cuius æs à Iudæo quodam mercatore emptum, camelis nongentis exportatum fertur. Sed Sarracenorum audacia cõtra Romanos ita est repressa. Nam ex luxu iam & affluentijs elati, de imperio simul cœperũt contendere: cùm aliqui Mauiam, cęteri Alem Maometh generum ducem esse uellent. Qua ex dissensione datæ sunt Romanis inducię biennales, pollicentibus uectigal se eis soluturos. Subsequutus est grandis terræmotus, qui multas Romani imperij terras malè affecit. Maxima præterea uentorum uis coorta, quamplurima ædificia euertit. Anno Constãtis imperij duodecimo, reductus est Pyrrhus ab exilio ad curam Po. Constãtinopolitani, mortuo iam Paulo patriarcha. Sed duobus tantum mensibus præfuit, cum à corpore Ecclesiæ per
decretum ueluti putidum membrum abscissum esset, quòd Monothelitarum
50 hæresim se abnegaturum, uerbo quidem promisisset, Romæ à Maximo repræhensus: sed Rauennam concedens, manifestè facto hæresim comprobasset. Cæterùm Constans imperator petiturus Italiam, quò eam seruitute Barbarorum liberaret, ut ipse iactabat: licet reuera latrociniũ potius nepharium me-

ditaretur, & iam ciuium odia penè omniũ incurrisset, quòd fratrẽ suum Theodosium necauerat, ac Martinum & Maximum uiros sanctos sustulisset. Itaque Byzantium reliquit. Constantinum tamen filium imperij consortem sibi asciuit, exercitum comparat, & præmissa classe Athenas, pedestri itinere hinc profectus est. Pòst delatus Tarẽtum secundis tempestatibus, Luceriam expugnauit, & solo æquauit: arreptis in prædam omnibus diuitijs. Parí sæuicia pleraq; Apuliæ loca afflixit. Beneuentum obsidione cinxit, quam soluere coactus est ad famã appropinquantis hostis. Cùm itaq; Neapolim peteret, circa Calorem fluuium, postremum eius exercitus agmen à Longobardis est fusum ac superatum ferociac crudeli strage: bona enim pars copiarum erat cum Principe fluuium transgressa. Græcus Imperator ex Neapoli Romam petit, lectissimum uiginti milium equitum secum trahens exercitum, quibus Suburrum præfecit Neapolitanum. Erat ei tum animus, ut ipse iactabat, imperij sedẽ iterum transferendi ad ueterem Romam. Aiebat nanq; magis matres quàm filias honorandas. Ipse urbem ingressus, honestissimè est acceptus à Pontifice. Cõstans quinque diebus in perlustranda urbe consumptis, ad deprædandam eam conuertitur. Laminas argenteas, quibus Pantheon tegebatur, & alia preciosa, reliquias hostilium prædarum atq; incendiorum, sustulit: ac quicquid antiqui operis ex ære & marmore fuit, quod oculos delectare potuit, ui auulsum ad naues deferri iussit. Plusq; ornamentorũ septem dierum spacio, unus urbi detraxit, quàm Barbari ducentorum quinquagintaocto annorum interuallo. Tot enim anni interfuerant à prima imperij inclinatione ad luctuosam illam deprædationem. Vrbe itaq; sic spoliata, Cæsar duodena die Roma digressus, Neapolim primò, inde Siciliam transiuit, commoraturus Siracusis, quoad tributum ex Italiæ urbibus, insulis, ac prouincijs ad libitum exigeret: non tam auarè quàm superbe. Dum hic molliter et libidinosè uersatur, ac in balneis selauat, à ministris suis, auctore Mazese, interficitur: digna scelerum suorũ ultione, cùm regnasset annos septem & uiginti, relictis tribus filijs superstitibus, Constãtino, Heraclio & Tiberio. Sed Constantinus pòst minores fratres interfecit crudeliter, ueritus ne quandoq; sibi imperanti officerent. Zonaras tradit Constantem, cùm iam sex annis in Sicilia fuisset, hinc haud abire potuisse, ob conspirationem domesticorum in ipsum factã. Et ideo cùm lauaret, in partem capitis periculo obnoxiã, percussus est uase, quo calida aqua hauriebatur. Est autem interfecto Constante Imperator à militibus creatus Annenius quidam, teste Iohanne Monacho, Myzisius, quem alij Magnentium, alij Mezentium uocant. Vir proceritate & pulchritudine insignis, qui bello Persico honestissimum ordinem duxerat, cædis autor imperatoris Constantis. Hic homo audax quidem & paruus, sed maturus & speciosus, militum fauore fretus, conatus est imperium inuadere. Sed res audacter magis quàm fœliciter mota est. Tota enim Italia, adiacẽtesq; prouinciæ, ad cæsi imperatoris famam extulerunt animos lætitia, adeò ut Italiæ Exarchus & copiarũ duces, nullum in publico gaudio ausi sint tristiciæ signũ ostendere. Percrebruit dein rumor Orientalem exercitum, qui in Sicilia erat, ægrè noui hominis imperium ferre. Ad quam famam tanta est sequuta animorum mutatio, ut Rauennates milites primò Theodori Exarchi ductu: inde & Romani sumptis armis in Siciliam traiecerint, Constantis cædem ulturi, simul ut Constantino filio imperium uindicarent. Affuerũt ueluti ex composito, ex Sardinia & Aphrica auxiliares cohortes. Hoc itaq; pacto patefacta est externis militibus insula, nouusq; imperator oppressus, socij facinoris in uincula cõiecti ac Byzantium deportati, unà cum capite tyranni. Constantinus ab initio paterna cæde denunciata, ita territus est ut facilè potuisset imperio deturbari, si fuisset ei uis aliqua intentata. Sed quæ tum Longobardi in Italia gesserunt Grimoaldo & Rimoaldo ducibus, Paulus Diaconus & Blõdus copiosius scribunt: & autor historiæ Longobardorum libro quarto & quinto, Iohãnes uerò

Mona-

Monachus de hoc Constante plura in suis historijs, qui requirẽdus est. Appellatur is imperator ab alijs Constantius.

Habuit autem uxorem N. ex qua tres peperit filios, Constantinum, Heraclium, & Tiberium, quos ad se in Italiam accersiuerat. Sed à familiaribus quibusdam eius, ne uenirent, curatum est. Aliqui aiunt multitudinem populi non permisisse, ut ad illum se conferrent.

CONSTANTINVS CAESAR.

CONSTANTINVS Constantis filius & successor, à patre regni diademate decoratus. Nam tum primum pubertatem egressus, prima lanugine maxillas uestiebat. Eam cum ad paternam mortem uindicandam nutrisset in expeditione, rediens barba promissa, Barbatus Constantinus est uulgò dictus. Noluit enim quiescere, donec tyrannum & patris occisores interimeret. In quibus Iustinianus fuit Patricius, patriarchæ Germani pater. Germanũ uerò castrari iussit. Hic post cædem patris in Siciliam traiecit: quicquid spoliorum Syracusis reperit, Byzantium in naui secum detulit. Comparabant tum occultè Saraceni duces classem, Thraciam & Græciam inuasuri, si quid Byzantij umultuatum esset. Sed quia pacata omnia erant, Siciliam nouis motibus agitatam petunt. Syracusas subita ui capiunt: editaq; magna cæde, ablatis rapinis recedunt, quod tutò hic esse non diu poterant. Circa Byzantium tamen, ut tradit Zonaras, septem promontoria in circuitu occupauerunt. Constantinus sæpè cum ijs nauale prælium commisit, & à uerno tempore ad finem autumni res fuit protracta. Dehinc Cyzicum occupantes, ibi hybernarunt. Et instante uere, iterum Constãtinopolim redeuntes, frustra manus conseruerunt: septẽq; annis pluribus nauibus & hominibus amissis, tandem redire ad sua coacti, & tandem etiam ui uentorum compulsi, bellum deserere adacti sunt. Postea uerò decimo imperij anno, Constantinus Saracenorum & Arabum triginta milia uno prælio strauit terrestri exercitu, insigni uictoria: ob quam cum ijs pax sancita est. Timentes enim Saraceni ne in eos bellum transferrent Romani, eorum dux Mauias legatos ad imperatorem pro pace petenda misit. Imperator annuens, Iohannem patricium Pizigandem dictum, ad facienda fœdera misit, ob facundiam & prudentiam insignem. Quem Arabes cum summo excepe-runt honore, pacisq; conditiones in annum trigesimum scriptæ sunt, cum uectigali annuo trium millium auri. Insuper equorum & feruorũ lectissimorum totidem imperatori. Hoc intelligentes cæteri hostes qui ad Occidentem sunt, concordiam ab imperatore missis legatis & muneribus petierunt. Interea Bulgari tum primum Scythiæ finibus egressi, Thraciam tumultuosius adorti, omnia terroris compleuerant. Cum quibus Constantinus in Pannoniæ & superioris Mysiæ confinibus conflixit, sed infœliciter. Ob acceptam enim cladem fugienti similis dum retro fugeret, pax illi à Barbaris prẹter spem oblata est: fœdusq; percussum, quo inter principem & Bulgaros utraq; Mysia illis concessa est: quam terram Danubio proximam, hodie quoq; obtinet gens ferox. Quiescere inde Bulgari nonnihil, sed postea sæpè cum ijs dimicatum est. Cùm enim Barbaris indies Romanorum ignauia fieret notior, accidit cum imperator ex pedibus laboraret, & ad dolores comprimendos balneis uti uellet, quando leuioribus nauibus cum omni familia in Mesembriam regionem, in finibus Romani imperij discessit, relictis præfectis & exercitu, quibus mandauerat, uti Barbaros leuibus certaminibus aggrederentur, sed sparso rumore metu hostium imperatorem abijsse, cæteris fugientibus, Barbari persequentes uictoriam sunt assequuti: latè uastatis terris Romanorum, non sine dedecore. Constantinus Byzantium reuersus, Agathone pontifice suadente, conuentum ac

Synodum habuit ducentorũ & amplius Antistitum, ut Monothelitarum causa quandoq; cognosceretur, qui unam in Christo fuisse uoluntatem asserebãt. Quorum errorem Gregorius Constantinopolitanus antistes, & Macarius Antiochenus tutati sunt. Sed Gregorius à legatis pontificis castigatus, cessit: Antiochenus pertinax condemnatus, Romã relegatur, priuatus dignitate. Damnati & cæteri Monothelitæ, Sergius & Pyrrhus. Conuenit igitur in omnibus utraq; tum ecclesia. Græcis tantũ sacerdotibus uxorem habere permissum est. Fuit autem hic sextus conuentus Antistitum in Græcia ex celebratissimis, ut latissimè Beda in suis Annalibus recenset. Statuit post hæc Constantinus, ut quẽ iam inde clerus populusq; Romanus cum exercitu pontificem creassent, is uicem Christi in terris gerere uerè crederetur: quum ad id tempus Constantinopolitani Principis Exarchiúe autoritas eam ratam pontifici dignitatem faceret, ut superius annotauimus. Dehinc Constantinus morbo correptus, cùm annis septemdecim imperasset, obijt: tradito per manus imperio filio Iustiniano iuniori, cùm suos iam fratres Heraclium & Tyberium occidisset: quos pueros adhuc ablatis naribus deturpasse quidam tradunt, ne ad imperium quandoq; aspirarent. Nam Orientales populi Chrysopolim post Constãtis obitum conuenerant, magnis clamoribus petentes, ut duo fratres Constãtini pariter coronarentur: ut sicuti crederẽt trinitatem, ita & à principibus tribus regerentur. Constantinus per legatos quidem promisit: sed plebis primores euocatos Constantinopolim, tanquam seditionis autores, capite mulctauit. Cæteri perterriti, domum quisq; suam fugerunt: fratribus, ut diximus, nares abscidit.

Habuit autem uxorem Anastasiam, ex qua plures tulit liberos. Sed studiose lector cætera ex Ioanne Monacho Græco disces: qui de igne qui sub aqua arderet, à quo Arabes territi, plura tradit: & Paulo Diacono Foroiulienſe, & Blondo. Autor Historiæ Longobardorum huius quoq; meminit libro sexto.

IVSTINIANVS CAESAR.

IVSTINIANVS minor, quem alij Iustinum Tertium uocant, filius Constantini quarti fuit, & Anastasiæ, eiusq; successor: ultimus ex stirpe Heraclij, in quo eius defecit progenies. Soli enim Heraclio contigit, sextum legere stirpis suæ Augustum. Sed adolescens ualde, utpote sexdecim natus annos, imperiũ est adeptus: & ob id proprijs consilijs usus, maxima incommoda Romano nomini attulit. Mardaitę namq;, regnante Constantino Barbato, Libani iuga occupauerant: tantaq; formidine Arabas implicauerãt, ut pacem à Romanis peterẽt. Erat illis tum dux Manias: quo defuncto, Abimelech creatus, missis ad Iustinianũ legatis, pacem renouari petebat, modò è Libano Mardaitas pelleret. Sed paulo antè Saraceni rati fore, ut nouum aliquod certamen oriretur de imperij possessione, quod sæpè euenerat, Aphricam bello inuadũt, & incredibili successu omnia ad mare exposita armis subigũt. Iustinianus contra hos motus exercitum comparat, prouinciam armis uindicaturus. Abimelechus Amirachus & dux gentis erat, qui fama nouarum copiarum territus, pacem ab imperatore petit, quæ data est, Aphrica recepta: & fœdere sancitum, ut Saraceni in decem proximos annos, singulis diebus penderent mille aureos Rom. Imperatori, equũ unum, & mancipium unum suæ gentis. Mardaitę itaq; cum xij. milibus electissimorum è Libano descendentes, gente Arabum non ausa præ timore in suis locis consistere, sed cedente, in terras Rom. irruerunt, omnia passim uastãtes. Contra quos imperator ducem Leontium misit, cuius opera Iberiam, Alaniam, & nonnullas alias terras recepit. Sed Iustinianus uiolato fœdere, in Mesopotamia & Perside multis Saracenos, nescio qua inconstantia, affecit incommodis: sed luit mox pœnas uiolati fœderis per stulticiam.

Nam

Nam Mesopotamia eiectus, maiora accepit damna quàm intulerat, coactus & ipse cum Saracenis sese componere, nouo icto iterum fœdere. Nam temerarius & imprudens imperator, cùm iam nouas scripsisset legiones, exercitu quem Acquisitum populum appellabat, & quibus plurimum confidebat, Arabibus pacem cõcessam fregit, quòd annui uectigalis pecunia missa, Romanorum nota signata nõ esset: haud enim licebat aureo nummo aliud signũ, quàm imperatoris imaginem imprimere. Cùm Arabes efflagitarent, ne ob id scripta fœdera uiolaret: illi scriptas pacis conditiones hastæ allígarunt, sublatasq; in acie instar uexilli, cum Romanis manus conseruerunt. Sed mox uiginti millia populi acquisiti ad Arabes transfugerunt: & inde uictoria potiti, in fugam Imperatorem & Romanos compulerunt. Ad Leucatem perueniens imperator, reliquos confossos in mare præcipitauit. At pari stultícia in aliud discrimen incidit temerarius imperator. Quoniam pacem cum Bulgaris à patre constitutam nulla necessitate rupit, & bellum ex improuiso intulit, ac utranq; Mysiam, quæ Bulgaris fœdere cesserant, fœdauit cædibus ac incẽdio. Bulgari ab initio timore perculsi ac consternati, obuiare haud poterant iniuriæ, donec animaduersa imperatoris temeritate & imperitia bellandi, uiderant signa Iustiniani licenter nimium euagari, & spe prædæ longius milites Græcos à signis aberrare. Qua re Bulgari in spem erecti uictoriæ, obstruunt saltus & locorum angustias, per quas erat hostis retro abiturus: imperatoremq; in id impellunt necessitatis, ut captiuis cum omni præda restitutis, pacem sibi precariò reddità, suo suorumq; sacramento sanxerit. Profectus inde Constantinopolim, ædificationi operam dare instituit. Extruxit itaq; maximum triclínium uersus Orientem in Regia, quod Iustinianæum dictum est. Cùm interim Sarraceni liberè incursiones in terras Romani imperij facerent, quibus se Sabbatius patrícius tradita eis pecunia adiunxit, & loca euastantes & Christianis incommoda inferentes. Cæterùm Iustinianus & à patris fide aberrauit, noua facta Synodo antistitum, qua decernebantur ab orthodoxæ fidei ritu abhorrentia. His etsi Oratores à Romano pontifice missi imprudenter fuerant chirographo assensi, censuit tamen Sergius pontifex indigna esse quæ reciperentur, atq; ideo irrita habuit. Excanduit igitur Iustinianus in Sergium, ac Zachariam Protospatharium, hoc est, militiæ principem, in Italiam misit, ut Sergium captum Byzantiũ deportaret. Rauennates milites pietatis officio moti, & odio principis Romam petunt, pontificiam dignitatem uindicaturi. Fuisset Zacharias à populo 181
Romano primo ingressu discerptus, nisi põtificis authoritas interceSSisset, qui eũ periculo seruauit. Quo uerò pacto Iustinianus imperio fuerit deturbatus, nunc aperiendũ est. Erat in aula uir barbarus Persa, Stephanus eunuchus, moribus crudelissimis & feris, sed magnæ apud Principẽ autoritatis, factus ab eo Sacellarius. Qui cùm esset flagitiosissimus, exactionibus & irrogandis pœnis omnes passim offendebat. Nam proficiscente Cæsare ad bellum, administrationem Byzantij illi commiserat: & ob id insolens, nõ modò plebeijs, sed et primoribus, quos pugnis pulsare solebat, admodum erat molestus: eoq; dementiæ progressus est, ut Regis matrem uerberaret. Erat huic socius scelerum nullo uitio inferior, Theodosius monachus, quẽ princeps Generalem appellare solebat. Per hos dies tot incommodis miseri sunt affecti ciues, ut nemo nõ imperatorem summo odio prosequeretur. Leontius interim duobus annis erat incluSus carceri, ob suspicionem affectati imperij. Et cùm emissus Græciæ dux constitueretur, Paulum Monachum insignem astrologum conueniebat, cum quo illi summa intercesserat familiaritas. Cui, quòd imperium pollicitus fuerat illi, irrita obiecit promissa. Sed se profecturum in Græciam significauit, & fortè mox percussores subsequuturos. At Paulus omnia fausta pollicebatur, modo animum nõ deijceret. Sic Leontius animo firmatus, fracto carcere, magnũ captorum numerum liberauit: qui cum eo & alijs multis in magnum Dei tem

plum conuenientes,maledictis Iustinianū, faustis autem acclamationibus Leontium prosequebantur,adiuuāte etiam Callinico patriarcha. Tunc denuncia tus imperator Leontius, ex aula uerò deturbatus Iustinianus, cùm iam annos sedecim imperasset,amputatis naribus Chersonā est relegatus. Stephanus autem eunuchus, et monachus Theodosius generalis,pedibus uincti,per forum tracti, ad Bouem cōbusti sunt. Accessit & maior inuidia Iustiniano,ob atrocia quædam facta,& Rauennæ urbis Græcis charissimæ excidium, quod eius ductu per Theodorum patratum est.Sic multorum incidēs inuidiam, imperium amisit,& Leontius illud obtinuit.Ad quem motum Saraceni cōfestim Abimelechi ductu Aphricam inuadunt. Contra quos Iohannes Patricius est à Leontio cum exercitu in eam prouinciam missus:qui Barbaros acie uictos, breui tota Aphrica expulit.Sed cùm Saracenorum opes essent in Syria ac uniuerso Oriente tam ualidæ, ut multis essent formidolosi, timens Iohannes prouinciam diutius cum ijs copijs defendere non posse,relicto in Aphrica exercitu, Byzātium adnauigat,alias à Leontio accepturus in supplementum copias. Cùm enim hybernasset in Aphrica, & literas imperatoris, quæ deinceps agenda essent,expectasset,interim Agarenorum Protosybulus (sic maiorem suum præfectum uulgò nuncupant) ægreferēs suos eiectos Aphrica, ualidissimū coēgit exercitum pro recuperanda Aphrica, cui se imparē nouit Iohannes Patricius, & ob id discessit.Sed cùm Byzantij omnia segnius fierent, Aphricanus exercitus partim pudore correptus,quòd ita turpiter hostibus ex Aphrica cederent: partim principis indignationem ferentes,Hismarum(qui Cibyrreotarum erat Drungarius)cui Tiberio cognomen fuit, tumultuosè sibi imperatorem creāt: qui subitò prius quàm Leontius exercitum pararet, Constantinopolim proficiscitur cum delectis militibus:potitus Byzātio, frustra primoribus stationem prope Blachernas custodientibus, quibus sub grauissimo iuramento creditæ claues fuerant urbis,Leontium in potestatē redactum, truncis naribus in uincula conjcit, cùm iam triennio regnasset: sed ciuium domus sunt spoliatæ, & qui dignitate sub Leontio & honoribus floruerūt,bonis sunt priuati,& in exilium missi. Tum Theophilagium Exarchum in Italiam misit, qui primò in Siciliam traiecit,inde Romam petiturus,ut plurimos ciuium proscriberet: sed monitu pontificis abstinuit.Inde Rauennam est profectus:quæ res effecit, ut nouum hoc iter infensum populo, odium augeret. Quandoquidem Græcorum imperium iam uulgò Italis odio esse cœpit. Apsimarus itaq; Tiberius imperio potitus,mox fratrem Heracleum equestrium & pedestrium copiarum ducem constituit,misitq; ad Orientis loca contra Agarenos. Qui factis in Syriam incursionibus, Sammosatam usq; progressus, loca ea omnia uastauit, multosq; mortales occidit:abducta ingēti præda,cum magno captiuorum numero.Ob quam rem Arabes in magnum terrorem adducti,sese occluserunt. Baanes autem,cui Heptadamani erat cognomē, cùm Armeniam Agarenis prodidisset, eius terræ Princeps,defectione commissa,& illis interemptis,inuocarunt Apsimarum: atq; ita in ius Romanorum prouincia iterum est redacta. Sed enim Maometh,qui tum Agarenis imperabat, exercitum mouēs uersus Romanos, Armeniam recuperauit:primoresq; totius regionis captos combussit, cùm & eodem tempore in Cilicią Agareni intrassent.Heracleus Principis frater, commisso prælio, plurimos eorum interemit, cæteros captos & uinctos ad imperatorem duci curauit. Absimarus autem cùm noctu in somnijs uidisset aquilam desuper inumbrare caput Philippico Nicephori Patricij filio, timens ne ad imperium aspiraret, ipsum in Cephaleniam relegauit. Iustinianus autem qui apud Chersonam relegatus erat, quia res nouas moliri cœperat, nisi fuga esset elapsus, ad supplicium Tiberio fuisset delatus. Sed ad Auares delatus,à Cachano eius gentis Rege honestè habitus,in generū est ascitus, ducta Theodora eius sorore in uxorem.Fretus affinitate & regio hospitio, per annū apud

Auaros

Auaros manſit, donec Barbarus rex à Tyberio pecunia corruptus, illum tradere promiſit, hoſpitem & generum ſuum. Sed fugam præoccupauit, ſcelus præſentiens, à Theodora, quæ per ſeruum inſidias ſuo marito locari intellexit, eumq; admonuit, ut percuſſores duos ad ſe uenientes, ſeorſum utrunq; uocaret, & fracta gula ambos interimeret: quod factum eſt. Sed uxorem relinquens, ad mare profectus eſt, ac ſe imminenti periculo ita liberauit, & à Trebellio (ad quem fugit) Bulgarorum rege acceptus, armisq; protectus, ac in patriam reductus eſt. Magnoq; iterum certamine eſt diſceptatum, priuſquam victoria de hoſte contigerit. Per quos motus Saraceni, qui Leontij principatu fuerant ex Aphrica deiecti, iterum terrã ipſam cum tota Lybia occuparunt, ex Aegypto profecti, multo maiore armorum apparatu quàm antea: Hiſpaniam ferè omnem occupantes, qua à mari ad Pyrenæum longè lateq; patet. Tradit Zonaras, Iuſtinianum, cùm ad Trebellium in naui fugeret, obortа tempeſtate, penè fuiſſe ſubmerſum: ſed quum à quodam comite itineris admoneretur, ut Deo optimo maximo promitteret omnes iniurias inimicis ſeſe condonaturum, nec ab ullo pœnas accepturum, à quo læſus eſſet: id cùm ſe facturum recepiſſet, à fluctibus liberatus, ad Bulgarorum principem uenit, cui multa dona promiſit, etiam filiam ſuam ſe in uxorem daturum, ſi eius ope imperium recuperare poſſet. Quas conditiones cùm Bulgarorum rex accepiſſet, ualidiſſimis copijs ad Byzantium uſq; ipſum detulit. Cùm itaq; antè urbis mœnia caſtra locaſſet, euocatis ad murum ciuibus, cùm de reductione cum illis tractaret, quibus non modò renuentibus, ſed conuicijs & grauiſſimis calumnijs ipſum inceſſentibus, noctu per aquæductum urbem ingreſſus, eaq; potitus eſt. Munera multa Bulgarorum regi, percuſſo prius fœdere, dedit: cum magnaq; gratitudine abs ſe dimiſit. Apſimarum Apolloniada fugientem, ex itinere retraxit. Heracleum eius fratrem cum pleriſq; alijs ex ſublimi ligno prope mœnia ſuſpendit, interfecta magna multitudine ciuium. Iuſtinianus itaque imperium adeptus, Tyberium & Leontium è uinculis eductos, per forum & theatrum ſimul iunctos rapi ab equis, atq; ad eius pedes detractos, cum ceruicibus preſſis calcaſſet, in Cynegeppio ſpectante populo interfici iuſſit. Gallinicum antiſtitem, qui in Leontij partibus fuerat, luminibus priuatũ, Romam relegauit: in cuius locum Cyrum abbatem Conſtantinopolitanum fecit antiſtitem, cuius liberalitate in Thracia exul adiutus fuerat & alitus, inq; recuperando imperio confirmatus. Indulſit inde Iuſtinianus nimium dolori ſuo, utpote qui Leontij odio, quoties truncas emungebat nares, unus aliquis, qui in eius fuiſſet partibus, è ſympoſio ad ſupplicium rapiebatur. Reuerſus inde ad 182
infaniam, qua Sergium pontificem uexare fuerat adortus, Romam miſit legatos, qui cum Iohanne pontifice agerent, ut quæ de Homouſio Orientalis eccleſia perſuaſum haberet, eadẽ & Occidua fateretur. Legati re infecta rediere, nec Iuſtinianus ob eam impietatem anathemate eſt notatus. Flagitioſior itaq; indies factus, ne non ſemper ſæuiendi materiam haberet, Mauritium patricij generis, & Heliam Spatarium ſuæ crudelitatis miniſtros, cum opulenta claſſe Cherſoneſum miſit, quò relegatus à Leontio fuerat. Ibi crudeliter abuſi uictoria, primores ciuitatis captí, præter puberes ad unum ferro deleti omnes, quòd cathenis olim publicè iniectis eum ad ſupplicium erant ducturi, cum apud illos res nouas moliretur, niſi fuga ſe proripuiſſet, ut ſuperius ſcripſimus. Conſilij autẽ eius autores, pars igne aſſi ſunt, ac crudeliter laniati, pars ſub cuſtodia Byzantium miſſi. Atque ex hoc genere hominum quoties Iuſtinianus emungebatur, unus aliquis protrahebatur ad ſupplicium. Sed ingratus prorſus in Trebelliũ, per quem imperiũ receperat. Orta enim inter Thraces & Bulgaros de finibus contentione, bellum ipſi genti intulit. Ingreſſusq; Bulgariã, affeciſſet haud dubiè eam gentem magnis cladibus, niſi Trebellius progreſſus illi obuiam, uictum prælio ac malè affectum, ſuis eieciſſet finibus. Primùm enim ad

Anchialum prosequutus Bulgaros, coëgit eos se intra montes retrahere. Sed ubi Bulgari Romanos intellexerunt temerè uagari inter pabulandum, resumptis uiribus impetum in eos fecerunt, multis interemptis, multis captis. Et parum abfuit quin imperator caperetur: qui se in uicinum castellum recepit, aciugulatis omnibus equis, ne in potestatem hostium uenirent, nauibus cum maximo dedecore est Byzantium delatus. Nec inde mitior factus, aut ulli placabilis, ignominiosi exilij memor, iterum bellum in Chersonenses crudele meditabatur. Excanduit enim, seruatos esse pueros & puberes nonnullos, cupiens delere uniuersos, & urbes solo æquare, ut arari terra posset. Ob id cùm duces misisset qui magnam captiuorum multitudinem adueherēt, pars maxima est submersa, de quo non parum lætatus est. Cæteri adducti captiui. Sed Constātinus tum Pontifex ab eo accersitus, Constantinopolim uenit, exquisitissimis honoribus à Tiberio Iustiniani filio acceptus. Et mox Nicomediam ad patrem Iustinianum ductus, qui uenerabundus sese ad Constantini Pontificis pedes demisit. Quo tempore Tizocopus patricius Exarchus in Italiam missus, Romam uenit, & sacram pecuniam compilare adortus per sacrilegium, quatuor presbyteros, quibus ea administratio erat commissa, occidit. Sed Rauennæ, mox scelerum suorum pœnas luit, ab incolis urbis interfectus. Is Constantinus Pontifex Iustinianum admonuit, ut paci & ocio studeret, desisteretq; à Chersonensium interfectatione. Sed frustra tamen, cùm meliora non audiret, ad bellum profectus, duces sui diuersarum partium facti sunt, & ad Philippicū, qui in Cephaleniam ab Apsimaro erat relegatus, quemq; Chersonenses imperatorem crearunt, defecerant. Qui mox cum uniuerso exercitu Byzantium petijt, & pugna admodum cruenta imperio potitur, duodecimo ab urbe lapide castra metatus. Iustinianus id accipiens, Heliæ filios (is nanq; præses tum erat exercitus) in ipso matris sinu interfici iusserat, eamq; matrimonio iunxit seruo ipsius coquo, qui erat Indus: sed cùm exercitum Bardenæ duci commisisset, & Chersonenses à Chazaris adiuti exercitum Romanorū abegissent: qui cùm redire ad imperatorem non auderent, Bardenem regem appellant. Id imperator suspicatus, nuncios ex castris accipiens, & Synopē confugiens, illic conspicit classem ante urbem positam. Profectus itaq; Damatryn castra posuit: quò Helias perueniens, exercitui persuasit, ut deserto Iustiniano, ad Philippicū transiret. Quo persuaso, Helias manibus suis caput Iustiniano amputauit. Filius Tiberius cū materna auia Anastasia (nam mater diem suū obierat) aufugit in ædem quæ est Blachernis, uitandæ mortis gratia: ac sacrarium ingressus, post sanctissimā mensam delitescens, eius pedem unum cōplexus, Deum adorabat ne interficeretur. Sed qui ad eum missi erant, detractum è sacrario crudelissimè instar uicti mæ iugularunt. Imperauit autem Iustinianus cum filio suo Tiberio post exiliū suum annis sex, cùm prius decem annis gubernacula tenuisset. Leontius uero, qui Iustinianum in exilium cōpulit, annos imperauit tres. Tiberius aūt cognomento Apsimarus, annos septem. Hic Philippicum, cuius uiribus fretus ad imperium peruenerat, quòd eum suspectum haberet, in Ponto iussit exulare: sed mox imperio potitus, regnauit, ut infrà scribemus.

Habuit autem Iustinianus uxorem Theodoram Chagani filiam: quam missis legatis in Casarium, cùm imperium recuperasset, ad se uocauit, Augustāq; appellauit. Ex qua filium Tiberium genuit. Sed hæc & longè plura Iohannes Monachus Græcus scribit in sua historia. Paulus quoq; paucula quędam de ijs tradit. Autor historiæ Longobardorum mentionem facit huius imperatoris crebrò lib. vi. qui uir fuit praui omnino ingenij, & à fide recta abhorrentis, ac promissi perfidus.

Philip-

PHILIPPICVS BARDANIVS.

PHILIPPICVS cognomento Bardanius, filius fuit Patricij Nicephori è nobili domo, cuius ope Tiberius Apsimarus imperium assequutus est, ut suprà scripsimus. Et quũ quondã per quietem uisus sibi esset circa caput superiectu aquilæ inumbrari, ut eum procul ab omni spe potiundi imperij repelleret, in Pontum iussit Tiberius deportari: longa hinc cõsuetudine factus Chersonensibus charus. Sed cùm Iustinianus ultimũ bellum cõtra ipsos moliretur, nondũ crudelitate saturatus, ex temporum mutatione multo factus est charior. Etenim iuuenis Chersonensium odio in Iustinianũ fretus, & Ponticarum gentiũ fauore, quæ cum Chersonensibus sentiebant, non obscurè se belli ducem obtulit: qui mox eum imperatorem salutabãt. Hoc ubi Iustinianus audiuit, ingenti cõparato exercitu, Philippicum bello persequi exarsit. Licet Cõstantinus Pontifex ipsum à bello dehortaretur, suaderetq; potius impunitate promissa, ad officium esse retrahendũ. Quod cùm Iustinianus respueret, duces quos ad bellũ præmisit, mox perdidit. Nam Philippici opes cum classe & uniuersis copijs sequunt. E quibus & alijs auxilijs instructus, Constantinopolim petit, Iustinianum cum filio subigit, hosq; occidit, ac mox imperio potitur. Factus imperator, ut quidam tradunt, ab hæreticis hæreticus factus, & diuinitus excæcatus. Nam aduersus sextũ Cõcilium uniuersale arma sumpsit: habitoq; conuentu, leuissimus uir irritum fecit in gratiã monachi cuiuspiam, qui de principatu obtinendo sibi præsagium fecerat: mercedemq; præsagij, sexti Cõcilij abrogationem, ut promiserat, præstitit. Erat is monachus sectæ Monothelitarum. Dehinc Romã ad Pontificem Constantinũ, quem sciebat nuper tam familiariter cum Iustiniano congressum, scribit, ut Constãtinopolitanæ ecclesiæ de Nomuosio astipularetur. Põtifex praui dogmatis literas respuit cõsilio Apostolicæ sedis, picturasq; huius rei causa in porticu sancti Petri, quę gesta sex sanctarum Synodorũ continerent, fecit. Quæ cùm in urbe regia haberent, Philippicus iussit auferri. Simulq; edixit, ut sanctorũ statuæ & imagines ex omnibus templis raderentur. Impium Principis postulatum tanta animorũ indigna 183
tione est Romę auditum, ut non modò Pontifex non imperata faceret, sed populo id magnis clamoribus petente, Philippicũ schismaticũ iudicauerit, iusseritq; ut in nulla re diuina publicó ue aut priuato actu eius nominis aut imperij mentio fieret. Mox igitur debitas impietatis suæ pœnas luit. Nam Arthemius eum regno expulit, oculisq; priuauit per Theodorum Patricium: qui eum, ut secretiora ei narraret, in oratoriũ abduxit, ac luminibus dehinc excæcauit. Zonaras tradit, cùm peracto equestri certamine in Zeuxippo usus balneo ad cõuiuium senatores quosdam et uictores equestris ludi uocasset, senatores ipsum discumbentẽ cõprehendisse, oculosq; effodisse, sabbato Pentecostes. Sequenti die solenni Senatus & populus coactus, Arthemium, qui erat primus à Secretis, imperatorem elegerunt, dato ei cognomine Anastasij, cùm annũ unum & sex menses imperasset. Hic etiã Philippicus Cyrum Constãtinopolitanum 184
episcopũ de pontificatu eiecit, & ad gubernandũ monasterium suũ ad Põtum redire iussit, homo planè impius & uecors, & in rebus agendis stultissimus, ac prorsus ineptus: licet prudentiæ & facundiæ non esset expers: sed adeò prodigus, ut magnã pecuniarum uim ab imperatoribus cumulatã, temerè in nullius rei usum breui cõsumpserit: ut si diutius regnasset, omnium fuisset factus egentissimus. Sub eo Bulgari factis incursionibus per totã Thraciam usq; ad ipsam urbem, cum ingenti præda & captiuis ablatis, ad sua redierunt. Et Agareni Orientis loca populati sunt, ut tradit Iohannes Monachus Græcus. Nonnihil etiam Paulus in suis Annalibus, in fine. Huius mentionem facit autor historiæ Longobardorum lib. vi.

Anasta-

ANASTASIVS ARTHENIVS

ANASTASIVS cognomento Arthemius, cùm Philippicũ in ordinem redegisset, imperium in se transtulit. Vir tam in sermonibus cunctis affabilis, quàm in operibus iustus & apertus, magnæ experientiæ & bonitatis. Romanorum enim pontificum & conciliorum decreta probauit, sacrosanctaq; habuit, literasq; Constantino Pontifici per Scholasticum patricium & Exarchum Italiæ dedit: quibus se acerrimum orthodoxæ fidei propugnatorem pollicitus est. Iohannem uerò patriarcham, quem Philippicus amoto Cyro substituit, hominem peruersi in fide sensus, tribus annis Ecclesiæ præsidentem, submouit: traduxitq; è Cyzico in eius locum Germanum, cui genitalia Constantinus Barbarus abscíderat. Sanctiones itaque Romanæ Ecclesiæ complexus Anastasius, Synodorumq; decreta, Saracenos Christiani nominis hostes statuit bello persequi. Opulenta itaq; classe instructa, dat hanc duobus ducibus regendam: ac simul imperat, ut Alexandríam in Aegypto, si detur occasio, occupent. Vbi autem renunciatum est Alexãdria naues discessisse Phœnicem uersus, causa aduehendi materiem pro nauibus construendis, iterum præcipit, ut classis sua Rhodum cum omnibus gentibus conueniat, iunctæq; omnes in aduersarios progrediantur. Erat copiarum naualium dux Iohannes magnæ Ecclesiæ Diaconus, & publicus concionator: Cui cùm milites parêre, cum iam naues è Rhodo solui iuberet, recusarent, orta seditione ipsum interemerunt, neq; expeditionem cœptam prosequi curarunt. Sic quibus iuncta est belli gerendi cura, concessaq; classis, consilium mutant, & ab itinere medio se uertunt: pars domum reuersi, pars Byzantium delati, de nouoq; sibi creando imperatore consultant cæteri, quò belli uim retro in Anastasium uertant. Appellatus est igitur ab ijs Cæsar, Theodosius quidam Constantinopolitanus, publicorum uectigalium exactor: uir plebeius, inuitus ex itinere arreptus, obscuris ortus natalibus: sed ob comitatem omnibus charus. Anastasius hominis aspernatus obscuritatẽ, cum nouo exercitu proficiscitur illi obuiam ad Niceam usq;, quæ Bithyniæ est caput. Ibi duæ aduersæ acies conflixerunt, Victorq; Theodosius: qui per murum in Blachernis receptus, Constantinopolim occupauit proditione, comitantibus naualibus & terrestribus copijs. Nam & alius exercitus rebellis, & mari & terra Chrysopolim inuasit. Magna uis pecuniarum è priuatis domibus abstracta est. Præfecti & magistratus, qui Arthemij partes tuebantur, cum patriarcha Germano capti sunt. Nulla maiore Anastasium affecit iniuria, quàm quòd in ordinem redactum sacris initiauit, ne de imperio cogitare posset amplius. Sic ipse regnum assequutus, Anastasium presbyterum ordinari fecit, abdicato imperio, quòd tenuit annis tribus. Zonaras tradit, annum unum & menses tres regnasse, & relegatũ Thessalonicam Monachi habitum accepisse, ubi intellexisset urbem occupatã: fideq; accepta, seipsum dedidisse, nihil iniuriæ passum. Hæc Iohãnes Monachus Græcus. Nonnihil etiam Paulus Diaconus. Et autor historiæ Longobardorum libro sexto, huius meminit obiter. Cæterùm post aliquot annos regnante Leone Tertio, qui fuit improbissimus Imperator, & imagines sanctorum è templis eiecit, cum esset omnibus inuisus, magister militiæ Nicetas Xylinites rerũ nouarum studiosus, Arthemio in Thessalonica suadet, ut ad Bulgaros recurrat, si fortè horum auxilio, ut olim Iustinianus, Imperio posset restitui. Motus Arthemius hac suasione, cum magnis Bulgarorum copijs uenit Byzantium occupaturus, arbitratus à populo benignè se suscipi. Sed cum hæc res ex sententia non succesisset, Bulgari magna accepta à Leone pecuniarum copia, Arthemium Leoni tradunt: indeq; re infecta domum reuertuntur. Arthemius cum Xylinite occiditur: omnisq; Xylinitæ facultas, quæ magna erat, publicatur.

Quot-

Quotquot autem Arthemij coniuratores haberi poterant, occisi sunt. Inter quos etiam summus Thessalonicæ sacerdos neci traditus est. Sic Arthemius, qui ab imperio deturbatus priuatam & monachicam uitam elegit & quieti studuit, dum ambitionis stimulo correptus denuò se fluctibus ac procellis imperij immergere meditatur, perit insperatò, cùm multo diutius uitam suam potuisset extendere.

THEODOSIVS TERTIVS.

THEODOSIVS tertius cognomento Adramyttenus, uir facilis, pius, ac benignus: cui mira alioquin comitas, & ad promerendam gratiam ingenium à natura comparatum habuit, nõ pœnitendum egisset imperatorem, licet obscuro loco natus, si diutius illi per Leonem & alios Orientis præfectos imperare licuisset. Pluribus igitur animi dotibus breui effecit, ut omnibus esset æquè charus. Imperium adeptus postquam Anastasium deuicit, & initiari sacris coegit, orthodoxæ fidei obseruantissimus, diuorum imagines à Philippico sublatas, templis restituit. Illam uenerãdam potissimum, in qua sanctę synodus erant depictæ. Sed uix imperio annuo spacio potitus, à Leone est regia sella deiectus, quem exercitus imperatorem dixit. Ipse belli ciuilis pertęsus, imperio cessit monasticam amplexus uitam: nec ulla alia affectus est ignominia, licet hæc satis magna fuerit. Egit enim reliquo uitæ tempore monachũ in cœnobio. Quidam tradunt eum duobus imperasse annis, ut Ioannes Monachus: qui cùm ipsum tradat uirum alioqui probis moribus fuisse, tamẽ à regni curis ualde alienum, & per ignauiam imperium amisisse, commemorat. Leo enim, qui & Conon nuncupabatur, allectus pridem dux Orientaliũ copiarum ab Arthemio, quasi defensurus Arthemij partes, Theodosium principẽ haud agnouit, adiuncto sibi socio Artamasdo Armeno, qui Armeniacis copijs præerat: simul motis castris Nicomediam contendit. Illic inuentum Theodosij filium cum regio apparatu compræhendit. Indeq; Chrysopolim peruenit, ab exercitu Imperator declaratus. Cui Theodosius cessit, data sibi fide nil incõmodi passurum. Tonsus ipse cum filio factus est clericus. Quo nomine eius fuerit uxor appellata, hactenus reperire, licet diligentissimè disquisierim, non potui: sicut nec quorundam aliorum Cæsarum uxores. Sed nec fingere libuit, qui ueritatem anxiè undiq; indago. Scribit Paulus sub id tempus Tyberim fluuium alueum suum egressum, usque ad pontem Miluium à Vaticano aquas emisisse, magnamq; urbi cladem intulisse: quæ quidem inundatio septem diebus mansit, non sine horrendo metu cum fœda domorum & animalium strage. Subsequuta sunt & alia prodigia cœlestia: nam Luna per eos dies tenebrata est à prima ad tertiam uigiliam noctis, sanguineo colore suffusa. Apparuit & crinita stella terrifico aspectu, cauda ad arctum obuersa. Quibus terroribus sæpius est Romæ supplicatum Pontificis edicto, ad malas has tempestates auertendas. Facit autor historiæ Longobardorum huius Imperatoris mentionem lib. vi. obiter & in transcursu.

Leo

LEO ISAVRVS.

EO Imperator patria fuit Isaurus, adeò obscuri nominis, ut sedentariam exercuerit: illinć cum parentibus Byzantium à Iustiniano imperatore, cui à detruncatis naribus Rhinotmetus cognomẽtum erat, traductus initio sui principatus. Quo depulso, & imperio spoliato, cõmoratus est Mesembriæ, quæ ciuitas est Thracię. Vbi uerò adiutus à Bulgaris imperator & regno restitueretur, obuiã illi factus Leo, omnem facultatẽ obtulit. Ob quam rem Iustinianus eum statim Spathariæ dignitatis nomine insigniuit, & postremsumptum ac recuperatũ imperium, in familiarium domesticorum numerum asciuit. Hinc ab imperatore ad Alanos (quos ueteres Albanos nuncupauerunt) missus est, eos contra, Amasgos qui iam à Romano imperio desciuerant, moturus. Sunt Amasgi Alanis uicini, ut testatur Procopius libro ij. qui sub duobus erant principibus, generis affinitate iunctis: quorum alter Orientales, alter regebat Occidentales. Amborum Principum eò creuerat auaricia, ut parentibus pueros, qui indole & corporis elegantia præstabant, ui raperent: & testibus exectis, magno precio Romanis eunuchorum studiosis uenderẽt, patribus interfectis, ne ob filiorũ orbitatem aliquid molirentur contra ipsos. Maximum igitur erat apud Amasgos infortunium, formosos filios cincinno & facie pulchra gignere: quãdoquidem ob filiorum uenustatem mortem commutare uita cogebantur. Cùm itaq́ se malè gessissent erga suos populos Amasgorum principes, Iustinianus quendam ex suis regalibus eunuchis illius generis (nam plures semper in palatijs Romanorum eunuchi nutriebantẽ) misit, principibus Amasgorum mandaturum, Ne quem posthac inuitũ sua uirilitate priuarent, curaturumq́ se ne quisquam Romanorum eunuchum mercaretur. Quod si minus audirent dicto, futurum ut eis res in uanum succederet, & impunè non cederet. Quod sanè edictum mirũ in modum Amasgis placuit: tantumq́ animi adiecit, ut audaciores inde facti, parêre suis principibus recusarent, eosq́ trucidarent incautos, nihil horum cogitantes, libereq́ suis legibus uiuere iam instituerunt. Sed nondum religionem Christianam edocti, nemora, syluas, & arbores ex ueteri superstitione pro eis uenerabantur. Ideo Iustinianus illos ad ueriorem Dei cultum reducere conatus, uiros religiosos qui cultum diuinum illos edocerent, misit, templumq́ Deiparæ apud Amasgos erexit, & qui sacris peragendis præessent sacerdotes instituit, qui Christianis ritibus Barbaros imbuerent. Nullo autem Amasgorum imperium tum occupante, Romani imperatores præfectos illuc mittere soliti sunt. Sed cùm & hi tyrannidem exercerent, ueriti ne prorsus in seruitutem redigerentur, ab ipsis deficiunt, statuuntq́ ne posthac ullus Romanorum præfectus recipiatur. Hanc iniuriam ulturus Iustinianus, ad Alanos non sine multis pecunijs Spatharium hunc Leonem mittit, ut cõtra finitimos Amasgos eos armaret. Quod factum est: & ubi diutissimè stetisset, tandem reuersus Leo, nec Iustinianum inuenit, utpote qui iam occisus erat, nec Philippicum, qui & effossis oculis similiter perijt. Quocirca Arthemium tum imperantem adijt: à quo humaniter exceptus, duxq́ Oriẽtis creatus est. Sed postea cum Artaphasdo Theodosium imperio deiecit, ut suprà scripsimus, eiq́ filiam in uxorem dedit, ac iuuenem Palatinum creauit. Sic Leo imperium adeptus est, & in Theodosij locum surrogatus: orthodoxæ fidei hostis, multo diuturnior in imperio, quàm rebus expediebat humanis: utpote sub quo multis cladibus Italia & cæteri imperij loca sunt grauiter affecta.

Primò huius imperij anno, Athinus & Amortheus Saracenorum duces, citeriorem Hispaniam inuaserunt. Masaldas autem Arabum præfectus ex Abydo cum magno exercitu in Thraciam trajiciens, omnem eius regionem depopula-

pulatus est. Inde ad ciuitatum reginam obsidendã se uertit, uallum in cõtinenti prope mœnia locat, obsidione lõga ciuitatẽ premens. Aderat & archisatrapes Solymas, qui grandissimæ classi prẽerat: ab alijs nuncupatur is Zulemon dux, qui cum altera eiusdem gentis manu in Thraciam ex Asia transisse dicitur. Sic 185
mari & terra urbs obsessa est: nam numerosa classis Byzãtio admota est. Quidam autores illos tria millia nauium, alij trecentas naues habuisse tradiderunt. Quibus uiribus Barbari confisi, terra mariq; Byzantium adorti sunt: sed cupiditas prædæ ab interiore urbis oppugnatione eos auertebat, alioqui in apertũ discrimen urbs uenisset. Ex castris enim ingens multitudo profecta, prædandi studio per Thraciam euagata, segetes uastãdo, in Bulgariæ fines irruit. Bulgari Christianæ fidei, & patriæ charitate ad ultionem accensi, sumptis armis, in populabundũ hostem ferociter inuehuntur: eoq; cædes euagata est, ut ad duo & triginta prædatorũ milia in Bulgaris interfecta narrentur. Interim circa Byzantium grauis seditio orta ob Zidemonis mortem, donec Amitas in defuncti locum Rex gentis creatur: quæ causa oppugnationẽ urbis morabatur. Quæ iam tota assiduis precibus dedita, supplicationibus diuinũ poscebat auxilium. Sed mox maior clades Sarracenos adorta: nã peste, fame, frigore toto triẽnio (tam diu enim urbs obsidebatur) maxima pars hominum consumitur. Tanta em fames Arabas inuasit, ut nullis quoquo modo mortuis animalibus abstinerẽt. un de morbus pestifer natus, qui mox quos arripuisset, statim interimebat. Ita maiora incommoda obsistentes quàm obsessi passi, patriam repetunt, acceptis nauibus, quę supererant, decem tantum, quarum quinq; superueniẽte uentorum turbine dissectæ, à Romanis sunt captæ: reliquę quæ effugerãt, calamitatis nunciæ in patriam reuersæ sunt laceræ. Stationariæ naues partim fœdis tempestatibus, partim cœlesti igne periclitãtur (nulla enim alia euidens causa apparuit) Zonaras autem tradit, fluxili igne, & qui in aquis ardet, humectus appellatus, à Fabro Callinico, qui ex Syria Byzantium ueniens, sub Constantino Pogana to inuento, naues hostium & bellicas & onerariam cõcremasse Romanos. Byzantium etsi defenderetur à Saracenis, graui tamen pestilentia laborauit, adeò 186
ut quidam trecenta milia hominum interijsse scribant.

Interea Sergius Siciliæ prefectus certior factus & de Arabum obsidione, et de urbis seditionibus, res nouas molitus, Gregorium quẽdam, qui suas partes sequebatur, Regem apud populum pronũciauit: se Regij nominis indignum reputans, illumq; nouo nomine Tiberium nuncupauit. qui cõsilio Sergij multos hinc & donis ac muneribus ad magistratus euexit. Leo tyrannum audiens creatum, illi mox resistendum censuit: ac Paulum regalium equorum curatoribus præpositum (Chartularium Romani uocant) sed patricia dignitate prius donatum, Siciliæq; præfectum creatum, contra tyrannũ mittit cum literis, tam ad exercitum quàm ad singulos magistratus: quibus mandat ut Paulo faueant, eiusq; dicto pareant, res Romanorũ iam saluas esse, Arabibus profligatis. Vbi Paulus Siciliam attigit, Syracusas urbem ingressus, Sergius fuga ad Longobardos delatus est: uocato ad se exercitu, regias literas militibus recitari fecit, qui obediebant, Gregoriumq; captũ cum suis Paulo adducunt, à quo interemptus est. Satellites eius fustibus cæsi, capillis detonsis, in exilium missi sunt. Sergius fide prius à Paulo accepta, ut nullum periculũ pateret, ex Calabria ad Paulum profectus est. & ita breui in Sicilia omnia pacata tranquillaq; fuerant. Leo aũt necq; terrore belli, neq; pestilẽtiæ, factus probior, animum ad sacrilegiũ adiecit, urbisq; Romanæ templa donarijs, preciosissimoq; sacrorum apparatu spoliari mandat Marino Spathario. Cui etiã hoc imperauit, ut si iniuriæ conaretur obuiam ire pontifex, ipsum caperet: aut si non posset, ferro ac ueneno tolleret. Assumpsit is sibi destinati parricidij socios, Iordannẽ chartularium & Ioannẽ Lurionem subdiaconum. Marinus subito morbo correptus, exequi iussum nequiuit. Paulus patricij ordinis Exarchus subsequutus, Marini consilio coniuratos

deſtinati facinoris appellat: qui minus cautè exitiũ pontifici properantes, in ſe ſe uerterunt: deprehenſi em̃ in coniuratione, ferro Iordãnem & Lurionem con ficiunt, & tertium Baſilium in monaſterium abtrudunt. Exarchus, tanquã nihil ad ſe pertineret, hãc populi ultionẽ ciuiliter tulit, hinc Rauennã eſt profectus. Quam Luitprandus Longobardorũ rex iam tum plures dies obſidione fatiga bat fruſtrà: & cùm nulla ſpes potiundæ urbis oſtenderet, omnẽ belli impetum in Ethruriã uertit. Sed Leo imperator Italiæ mala aſpernabatur, qui pontificis mortem auidiſsimè expectabat. Sed Longobardorum auxilijs tutatus ponti fex, Exarchum in eius mortem uenientem, à Miluio ponte repulit. Indignatus Leo, quòd neq; ui neq; dolo pontificẽ poſſet in diſcrimen adducere, ſimulata amicitiã: ac poſtulat ab eo, ut ſuũ imitatus exemplum, ex omnibus templis ſanctorum deleat imagines. in quo non ſolum nõ eſt principi gratificatus, ſed per omnes ſcripſit eccleſias, ut in antiquiſsimo inſtituto perſtarent. Inuidiã itaq; ſibi Leo apud omnes gentes peperit, ut iã Romani de nouo in Italia creãdo Imperatore cõſultarent: proceſsiſſetq; cõſenſus ille in apertã defectionem, ni pontificis autoritas interceſsiſſet. Marinus tamẽ Spatharius urbis dux cũ filio interfectus: cæſoq; à Rauennatibus Exarcho, iam populi nouos ſibi magiſtratus legebant. interim Lõgobardi magnã ſibi Italiæ partem occupãt. Superuenit nouus Exarchus Eurithius, qui cùm magnis muneribus ſollicitaret primores urbis in põtificis interitũ, anathemate notatus, grauiſsima cenſura, dignitate ſua deijcitur. hinc pontifex cum Luitprando in odiũ Imperatoris fœdus percutit. Leo Imperator, ſublatis omnibus imaginibus & ſimulachris ex templis, flãmis tradidit: & qui reſiſtebant, occidit ac iugulauit. Germanum antiſtitẽ, qui inſanientis Principis factum carpebat, dignitate priuauit, in eiusq; locũ Anaſtaſium ſubſtituit: quẽ Gregorius põtifex anathemate percuſſum, ſacerdotio ac dignitate priuauit: literis etiã Leonem admonẽs, ut à ſua impietate reſipiſceret: et ad eius infringendã hęreſim, celebri Italorũ antiſtitum cõuentu, decernendi autor fuit, ut ſanctorũ imagines maiore, quàm ulla unq;, ueneratione in templis colerentur. Ipſum deniq; magno cleri populiq; conſenſu piorũ cõmunione priuat. Quãdoquidẽ et pręter hoc quòd imagines ſuſtulerat, de Nomouſio quoq; male ſentiebat: & qui ſanctorũ imagines quoquo modo colerẽt, crudelitate maxima perſequebat. Operę preciũ cenſeo paulo copioſius enarrare, cur hãc impiam impietatẽ Leo imperator induerit, quæ hinc (teſte Zonara) originẽ cepit: Zita olim Arabũ princeps, duos apud ſe tenuit incantationũ & præſtigiorum ſtudioſiſsimos Hebręos, qui principẽ ad Aſtrologię ſtudia et diuinationes hortabantur, unde futura proſpicere poſſet: eiq; dominiũ pollicentur diuturnũ, & uitã longæuam, ſi Chriſtianorum templa, Chriſtiq; & eius genitricis imagines deleat. Barbarus ſine mora in ſuis regionibus templa diruit, & imagines obſcurat: ſed haud diu diuina ultio abfuit. Nondũ em̃ anno peracto, poſt hanc crudelitatem, miſer inopinatò moritur. Filius paternum regnũ aſſumẽs, diuinaculos illos qui patrẽ deceperãt, inquirit ut puniat. Sed ad Iſauriã fugiunt, ubi hũc Leonem puerũ inſignis indolis reperiũt diſciplinis deditum, ſed Aſtrologiæ ignarum. Cumq; illi Romanũ imperiũ uaticinio quodam pollicerent, & ille ſibi fortunæq; ac cõditionis ſuę conſcius, oraculis illorũ nullã haberet fidem, acrius illi inſtantes, ita futurũ omnino affirmabãt: ab eo petentes, ut ſiquando imperio potitus fuerit, iureiurando ſe facturũ id promittat, quod petant. iurat Leon, & pmittit ſe adimpleturũ pro uirili ſua uoluntatẽ eorum, ſi imperio potiat. Hæc fuit cauſa, cur ſpẽ potiũdi imperij nõ abiecerit. Factus itaq; Imperator, poſt ix. imperij annũ uenientes, uaticinij mercedẽ exigunt Hebręi callidiſsimi: quibus Imperator ſe promptũ paratũq; oſtendit. At illi non aurũ, nõ gemmas, non denicq; aliud quicq; precioſi efflagitãt: cupiunt ſolũ, quòd Nazareni & genitricis eius imagines deleant. Imperator pro fidei ſuę infirmitate, tanq; rem uilẽ & facilem, ſe facturũ recepit. Decimo em̃ Imperij anno tyrannidẽ aggreſſus,

contra

cõtra Deum pugnauit, et horrendo quodã fremitu persecutionẽ excitauit, cõtra simulachra debacchatus. multos qui prauę eius uoluntati resisterẽt, occidit. Religiosos imprimis uiros persequebat, ac martyres efficiebat multos. Vnum insigne facinus, quod crudelitate lõgè alia excellit eius scelera, impietati suę adiecit. Iuxta basilicã erat domus quædam regalis excellẽtissimi ac doctissimi uiri, quem Oeconomicũ uocabãt præceptorem: qui secũ alios xij cõtubernales, bonarum disciplinarũ ac Dialectices professores, publico ære cõductos, seruabat: ad quos illi proficiscebantur, qui operã Logicę dabãt & philosophię, è quibus principes accersibãt cõsiliarios. Hos Leo aggreditur, ut suam sententiã traduceret de abijciendis Sanctorũ simulachris; arbitratus sese falsæ suę opinioni addicturos. Qui cùm partim blandè illũ à tam fœda opinione auocare niterentur, palpando ferã leoninam, partim per uerborum illecebras salubriora inculcando proponerẽt, nihilq; proficerent, tum generosè ac magnificè eius impietatẽ detestati sunt: quibus ille aures ueluti aspis occludebat. Spe sua igitur destitutus, cùm iterum atq; iterũ tentaret uiros sapientes, nec ullũ ab eis remedium posset extorquere, ad scholas suas remisit. Et noctu, cùm tenebris terra esset cooperta, appositis iuxta regalẽ hanc domũ lignis aridis sulphure & pice linitis, incendit, eosq; omnes cõcremauit. Vnde Græcis ob hãc in Deum ac eius imagines impietatem, illi cognomen fuit εἰκονόμαχος & θεομάχος. Quæ res etiam Gregorium põtificem admonuit, ut hunc perfidissimum imperatorẽ anathemate notaret, & diris deuoueret. Animumq; suũ ita ab hoc principe alienauit, ut soli ta tributa nõ amplius imperatori, sed Francis quibus adhæsit & obediuit, tribueret. Est sub hoc principe ingens factus terræmotus, quo multa templa, ac multæ domus Byzantij corruerunt, et magna hominũ multitudo obtrita est. statua etiam Arcadij, quæ in quadã columna Xerolophij erat, lapsa est. Cecidit & statua Theodosij quæ ad auream portam erat. Magna pars mœnium, & Nicomedia ciuitas Bithyniæ, & huic uicina Nicæa. Ad mœnia reparanda nouum uectigal indixit, ac Rempub. nouo quæstu onerauit auarus & impius princeps, edicens, ut in singula numismata quatuor & uiginti obolos ærario principis inferrent, ad restituendos muros. quod dein in multa secula seruatum est. Reperi in uetustissimis annalibus, anno Leonis quarto, Luitprandum Longobardorum regem, quòd Sarraceni Sardiniam populati essent, ubi ossa diui Augustini delata erant ex Hippone, legatos illuc misisse, qui auro eadem redimerent, & Genuam usque deferrent: ubi auidus ea expectabat, & summa cum ueneratione Papiam secum detulit, & in basilicam Petri, quam ipse construxerat, honorificentissimè locauit, ubi adhuc hodie preciosissimo sepulchro eius reliquiæ custodiuntur & seruantur. Sub hoc Leone Richardus Frisonum dux Vuolfranti Senonensis episcopi, uiri religiosi & sancti suasu & adhortatione commotus, ut Christianam assumeret fidem: quum iam baptismatis lauacro tingeretur, altero pede immerso tantum, quærebat, plures ne maiores sui in inferno, an in paradiso cohabitarent, Responsum accepit, plures esse in inferno: tum educto pede à baptismate: Satius est, inquit, plures sequar quàm paucos, ibo quò maiores mei me uocant: & relicta Christi fide, ad pristinam se conuertit superstitionem. Sed non diu lætatus hoc contemptu, tertia die subita morte correptus, interijt crudelissimè, contemptor religionis nostræ. Leo autem pari sæuitia, quum quatuor & uiginti annos imperasset, dysenterico fluxu miserè animam efflauit, relicto Constantino filio superstite, quem dudum consortem regni effecerat.

Habuit enim uxorem Mariam, quã in magna ecclesia coronauit, & Augustam dixit, astante omni populo: de qua prodijt hoc infame monstrum, Constantinus eius filius. alios liberos nõ reperi. Hæc ex Ioanne Monacho excerpsimus. Sed & recentiores, Paulus Landulfus & Bibliothecarius, huius meminerunt, & author historiæ Longobardorum libro sexto.

CONSTANTINVS QVINTVS.

ONSTANTINVS eius nominis Quintus, filius fuit Leonis Imperatoris, paternam impietatem à cunabulis imitatus, longè superauit, impio patri scelestissima succedens soboles. Cuius rei præsagium in puero manifestum extitisse ferunt, quòd infans baptismi lauacro admotus, in magna ecclesia media ceremonia aquam polluit alimoniæ excremento. Vnde quòd sacras lymphas uentris solutione commaculasset, cognomentum Copronymi meruit. Licet alij tradant, quòd dum sæpe ab amita lauaretur, proprium stercus manibus tractans, Copronymus, quasi sterquinomius appellatus sit. Vnde uir quidam sanctissimus ea tempestate Germanus patriarcha, prę sagiebat diuino quodam uaticinio, per hunc puerum sacra omnia contaminari, & magna ijs imminere ab eo incommoda, qui pietatem colerent. hoc lignum futuri in eo uitij iam inde ab initio præ se ferebat: & cùm Leo hunc regem crearet, pientissimus Germanus sacrificium celebrauit. Quum igitur adoleuisset, patris impietatem retulit, & de imaginibus abolendis graue edictum promulgauit, legum à patribus latarum persequutor molestissimus, maleficus, & magicis deditus uanitatibus, incantationibus incubuit, uictimarumq; incisionibus ac manium euocationibus nefandis: nullo scelere abstinens, uarius malicia, uarius forma. Non Christianus, non Græcus, non Hebræus erat, sed omnis impietatis palus, &, ut aiunt, lerna malorum: ut in Lybia nascuntur feræ multiplici mixtura, ex uarijs uanitatibus commixta quędam bestia. Tum luxui operam dedit assiduò: ob id multi per ipsum in fide periclitati sunt, tam laici quàm clerici. Habuit enim in omnibus sibi consentientem Anastasium patriarcham Cõstantinopolitanum: quem in locum illius sanctissimi uiri Germani, qui quindecim annis ecclesiam rexerat, substituit, cùm suæ falsæ nollet adhærere opinioni. Cùm enim Cõstantinus idololatriam cẽseret imaginum culturam, à diuino patre est redargutus, ne tam prauæ opinioni mentem adhiberet: licet inaudisset huiuscemodi hæresim quandoq; surrecturam à Conone quodam. Cui mox respondit: Et ego is sum: à prima enim infantia à parentibus dictus sum Conon, hanc itaq; sectam tuebor uiriliter. Sic celeberrimo uiro respondens, Scymnus, hoc est, Leonis catulus est nuncupatus, patre longe crudelior.

Vxorem habuit Irenem, Cachani Auarum ducis filiam, cum qua semper discordi animo uixit. Orthodoxæ pietatis cultrix illa, hic sæuus paternæq; impietatis æmulus. Nunquam enim ipsa, semel baptismate tincta, potuit à uero dogmate auerti, sed immutabilis semper permansit. Secundo tyrannidis anno (non enim regni dicendum est) cùm Cõstantinus cum classe in Sarracenos arma mouisset, Alexandriam inuasurus, Arthabasdus, homo alioqui obscuri nominis, Byzantij tyrannidem inuasit, corrupta largitionibus multitudine. Iamq; imperij nomen assumpserat, quum Constantinus factus certior de ijs quæ domi acciderant, classe Byzantium reducta, urbem obsedit, ac ui cœpit: Arthabasdum in potestatem redactum, luminibus priuat: damnatq́ue libero exilio, cum paucis eorum qui fuerant eius motus conscij & authores. Zonaras manifestius hanc rem ac copiosius enarrans, tradit Constantinum, quum Arabibus mo-
187 uisset bellum, in regionem Opsicij peruenisse: cuius dominium eius affinis tum tenebat Curopalates Arthabasdus, quum insidias licet affini locauerat. Cæterùm tam senatores ac populus, quàm milites ac exercitus, odio Constantinum prosequebantur ob scelera, Arthabasdum uerò ob uirtutes & rectam fidem amabant iuxtà omnes. omnium igitur sententia tanquam uiro bono & iusto regnum decernunt. Arthabasdus intelligens parari sibi insidias, populo colloquutus, Constantinum aggreditur: qui fuga in Amorium delatus est, ac missis Lancenum ad Orientis ducẽ, & Sisinnatium ad Thracensis exercitus ducem legatis,

legatis, pollicitationibus pluribus ad se trahit. Vnde bella intestina sunt orta, quisque suum regem sequutus, mutuis se uulneribus conficiebant. Artabasdus iam rex pronunciatus, Theophani magistro, rerumpublicarum administratori, à Constantino in urbe relicto scribit, eumq; in sui amorem pellicit: qui illi magis quàm Constantino affectus, publico præconio Artabasdum ab exercitu regem declaratum proclamat, ac Constantinum mortuum denunciat: qua uoce populus in magna Ecclesia congregatus, Artabasdum summis laudibus, Constantinum execrationibus & maledictis prosequebatur, Anastasio patriarcha approbante. Rex itaque appellatus, statim sanctorum imagines repositæ sunt. Anastasius iureiurando affirmauit, Constantinum sibi olim dixisse, Christum Dei filium non fuisse hominem, præsertim pusillum ex Maria uirgine natum: sed perinde, inquit, ut ego natus sum ex Maria matre. multa' que similia horrenda se audisse est testatus. Constantinus rem hanc ubi intellexit, ex Chalcedone traijciens, urbem obsidione cinxit, locatis castris prope mœnia. Cui ex urbe Artabasdus occurrens, manus conseruit: sed uictus intrà urbem se recepit, sese illic tutatus. Constantinus mare occupat, prohibet' que ne naues ingrediantur urbem. qua ex re orta fame, plures inedia conficiebantur. Captus præterea Artabasdi filius Niceta, ac ad urbem ductus, patri fuit ostentatus: qui amoris impatiens, quum malè urbem custodiri fecisset, iterum iam obsessa et à Constantino capta est. Et fugiens Artabasdus, pariter cum duobus filijs captus, oculisq; priuatus est. Multi qui acriter pugnando se defendebant, interempti sunt: in primis Patricius Baccagius, uir nobilissimus. Cuius uxorem post multos annos coegit tyrannus, ex eo loco ubi erat sepultus, uiri effodere ossa, & in mare deijcere, eo loco quo damnati proijciuntur. Artabasdum uerò cum filijs triumphaturus, in theatrum, dum certamen equorum fieret, per Dippium duci iussit asino, retrorsum sedẽtem, & caudam manibus tenentem, prius tamen uerberatum. Id quod olim Germanus patriarcha uaticinatus erat illi, quum baculo ueluti senex innixus, pedem percussisset: Noli (inquit) accelerare, nam te Dippium expectat. licet postea Ecclesiæ restitutus sit, quum ignominiosè per totam esset ductus ciuitatem. Imperauit tamen Artabasdus annis duobus. Cæterùm ut ad institutum reuertamur, Constantinus Byzantio accepto, rebus 'que paucorum supplicio pacatis, audiuit Zachariæ Pontificis legatos: qui missi eum hortabantur, uti orthodoxæ formam fidei probaret, piumq; Romanæ Ecclesiæ institutum. Quibus assentiebat Constantinus uerbo, re autem minimè.

Hac tempestate Rachisius Longobardorum rex, dum rupto fœdere Romanos inuadere nititur, à Zacharia Pontifice non solum reprimitur: sed eius etiam suasu cum uxore & filijs Romam ueniens, monachus paulo pòst efficitur. Cui succedit Aistulphus Longobardorum regum superbissimus, æqui & boni contemptor maximus: qui crudelibus minis tributum à Pontifice & Romanis repetit. Quem Stephanus Pontifex frustrà donis placare per legatos laborauit: quos etiam Byzantium ad Constantinum misit, belli terroribus perculsus. Sed quum etiam nihil auxilij in eo reperiret, siue quia nollet, siue quia non posset, Pipinum Francorum regem in auxilium uocat, ut laboranti ecclesiæ ad uersus Aistulphi iniuriam opitularetur. Qui mox coacto exercitu in Italiam uenit, Ticinum obsidet, Ticinensem agrum ferro & igni populatur, Longobardosq; impellit ut pacem assumant. Sed perfidus Aistulphus promissam pacem non diu seruat. Excedente enim Pipino Italia, subita facta rebellione, Aistulphus Pontificem & Romanos obsidione fatigat, suburbana loca ferro & igni uastat. Pontifex & Romani subita iniuria adacti, ad Pipinum mittunt, qui auxilium extremis rebus Ecclesiæ implorent. Interim Constantinus Imperator, quasi nihil ad se ea iniuria pertineret, Italicarum rerum securus, siue quia nollet à Pipino opem imploratam, an quòd Asia per id tempus magnis quate-

retur motibus. Tum enim Turci ex Scythia profecti, Alanos primò armis ad-
dorti, in Colchos inde & Armenios latè arma circumferendo, breui assequuti
sunt, ut cæteris gentibus formidandi iure essent. Grassabatur præterea pestilen
tia Byzantij, ingentemq; ea lues uastitatem fecerat. tãta enim morientium mul
titudo fuerat, ut efferri nisi curribus congestim non possent. Præterea terræmo
tus Palæstinam & Syriam (in quam tum misit exercitum Imperator) uexabat:
quo multæ domus, templa, monachorum conuentus & hominum multitudo
perierat, adeò ut res Italicæ Constantino paruæ curæ essent. Misit tamen Ro-
mam Iohannem Silentiarium, & Gregorium à secretis, qui cum Pontifice age-
rent, ut Pipino auxilia remitteret. Sed cùm in suam sententiam trahere nõ pos-
sent, ipsi quoq; ad Pipinum profecti sunt, ut regem à proposito auerterent. Ra
uennam & cætera Exarchatus loca, quia Imperij essent, non Pontificis, ut cura-
ret Cõstantino restituenda, pluribus rogabant, sed frustrà: Pipinus enim se nul
li nisi Romanæ Ecclesiæ militare respondit, Christianæ pietatis amore: atque
ideo se arma induisse, ut sedem Apostolicam ab iniuria uindicaret. Græci ora-
tores confusi, re infecta abiêre. Aistulphus obsidionem ueniente Pipino sol-
uit, postulata fecit. Pentapolin, quæ est una pars Exarchatus, in qua sunt Ra-
uenna, Cesenna, Classis, forum Liuij, forum Popilij, & Aemiliam alteram par-
tem restituit, quæ habet Bononiam, Rhegium, Parmam, & Placentiam: &
quicquid ad Adriam usque spectat. Desijtq; per hæc Græcorum Exarchatus
esse in Italia, anno, quàm fuerat institutus supra centesimum, quinto & septua-
gesimo. Qua tempestate imperium Orientale labare manifestè cœpit. Hæc lo-
ca omnia Pipinus Pontificis fidei promisit: sed pòst Carolus Magnus eius fili-
us, qui Longobardorum regnum euertit, Ecclesiæ donauit. Aduerte igitur
quomodo Constantini donatio facta sit, aut fieri potuerit: & collige hinc erro-
rem, qui fortè ob Constantini nomen, hominum mentem occupauit. Aistul-
phus, dum Pipini ex Italia abitum expectans dolum meditatur, interceptur us
consuetis artibus urbes, apoplexi medio uenatu, uel (ut alij) ictu fulminis ab-
sumptus est. Enixè postea laborauit Paulus primus Pontifex Romanus, cum
Constantino Imperatore de imaginum restitutione, anathematis spiculum per
literas interminatus. Sed tantum abfuit ut eo monitu in melius mutari potue-
rit, ut cum Abdala Sarracenorum duce fœdus & amicitiã sanxerit, Sabinumq;
Bulgarorum regem (cui semper alioqui fuerat infestus) in amicitiam recepe-
rit: quia in abolendis imaginibus suã sequeretur hæresim. Sed Sabino res haud
impunè cessit: Bulgari hominis impietatẽ auersati, peremissent regem, nisi fu-
gam ex subito incursu Constantinopolim prꝫoccupasset. Bulgari sibi nouũ re-
gem crearũt, Paganum nomine. Constantinus uerò sæuire in orthodoxæ fidei
homines magis cœpit. Summum Byzantij antistitem sui nominis, quia in eius
impietatem reclamare esset ausus, fustuario cæsum interfecit: spoliauitq; ædes
sacras donarijs & preciosa uestẽ in tota Thracia, pecuniamq; inde coactam ad
se deferri iussit, homo sacrilegus: addiditq; sceleri cauillum. Identidem testatus
eunuchum, cuius ministerio hæc fiebãt, sibi unum amicorum à Deo ex senten-
tia datum. Sic omnibus inuisus Constantinus imperitabat, dæmonum incanta
tionibus deditus, & monachorũ cladibus. Prius enim synodo Constantinopo
litana, quam Conciliũ œconomicum, id est totius orbis dixit, præcipiebat ima
ginum depositionem, Ecclesiamq; Dei plurimis contumelijs afficiebat. Cui sy
nodo pòst sub Stephano abrogatũ est, Lateranensi cõuentu, qua est edictum,
nisi impij declarari uellent, ut sanctorum statuas templis restituerent. Sed pòst
paulo suorum scelerũ dabat pœnas. Nam cùm nemo toto Orientis imperio ob
impium illius edictum palàm coleret sanctorum imagines, bellumq; Bulgaris
inferret, quòd Romanæ Ecclesiæ institutũ sequerentur, duo ferè milia nauium
cũ toto exercitu naufragio amisit. Et ipse postea elephãtico morbo correptus,
maximis cõsumptus cruciatibus, cùm imperasset annos xxxv. moriens dixisse
fertur:

fertur: Addictus sum inextinguibili flammæ. Hinc eius nurus, Irene mulier pientissima, Theodori antistitis hortatu cadauer refossum publicè cremari iussit, cineremq; iactauit in mare. Vnde cogitent studiosi lectores hoc loco, unde error ille in posteros manauit. Constantinũ Magnum lepra, quę idem est cum elephantiasi, fuisse correptum: quod nusquam legitur apud receptos autores, cùm hic Constantinus potius lepra fuerit mortuus. Habuit autem filium Leonem, quem Anastasius patriarcha coronauit, ac pater in regni consortiũ recepit, hæredemq; imperij reliquit: de quo mox scribam, ex prima uxore Irene: nã tres habuisse coniuges simul, & libidinosum hunc regem, Ioannes Monachus testatur. Ex alijs enim genuit Christophorum, Nicephorum, & Nicetan: è quibus Nicetan nobilissimum fecit. Sed & duo Cæsares fuerunt. Sub hoc Cæsare claruit Bonifacius Moguntinẽsis archiepiscopus, qui cœnobiũ Fuldense erexit ac fundauit in Germania: cuius abbas hodie in curia Imperatoris Romani est magnæ autoritatis ac honoris. Præterea fuit tam aspera hyems sub hoc Principe, ut nõ modò flumina, sed Pontus & Bosphorus ipse Thracius pergla ciauerit, ut tam hominibus q; plaustris onustis, bobus & iumentis esset permeabilis. Tempore uernali glacie dissoluta, immensa damna urbibus, uillis, domibus, & insulis sequuta sunt. Sed hęc & multo plura Ioãnes Monachus Græcus elegantissimè scribit, potissimùm de eius in Deum, sanctorũ imagines, religiosos q; uiros crudelissima impietate. De eius itẽ in Bulgaros bello & profectione, quę latissimè exequit. Qui uerò huius tempestatis res gestas alij scripserũt, sunt, Lateranẽsis bibliothecarius, Landulfus & Vgo Floriacensis. Blondus itẽ & Platina, recentiores scriptores, meminerũt huius Constantini, & rerum sub eo gestarum.

LEO QVARTVS.

LEO, eius nominis Quartus, filius fuit Constantini Copronymi, ex Chazara genitus, paternę impietatis non minus quàm imperij hæres ac successor: omnia paterna imitatus uitia, aduersante matre Bulgarici sanguinis pientissima. Sed ad impietatẽ sacrilegiũ etiam adiecit. Nam quum in summo flagraret gemmarum amore, nec ex prophano conquisitis expleri posset, ex Sophiæ sacrario abstulit coronã gemmis onustam, ac Mauritio principe olim Deo Opt. Max. dicatam: cauillo usus, Christũ, cuius templum illud esset, paupertẽ, non gemmas probasse. Depromptã igitur coronã ex sacro, auro & gemmis contextam, sacrilego & nefario capiti imposuit, sic se Augustiorem fieri ratus. Sed pœna breui sequuta est. Caput sacrilegio pollutũ, carbunculo apostemate intumuit, quo nomine fuerat gemma cõtractum: paucisq; diebus ardentissima febre subsequuta, ui morbi cõsumptus, iustas sui sceleris luit pœnas, impium spiritũ nefarius exhalans. Vnam omnino expeditionem fecit in Syriam, unde leui certamine repulsus, domũ redijt, paulòq; pòst interijt apostemate carbunculi in capite innato, cùm imperasset annis quinq;. Simulauit ab initio religionem, & monachos in honore habere cœpit, pontifices ex illis creans, & dignitates quasdam illis cõferens. Sed cùm quosdam insigniores inter regales domesticos uideret, debitã diuinis imaginibus reuerẽtiam ac honorem impendere, licet iam creasset Paulum Cyprium anagnosten et orthodoxum patriarcham, amplius scelus tegere nequiuit. Vulpem quam induerat, exuit, ac absconsum leonem prodit. Itaque hos crudeliter uerberatos, ac ignominiosè per forum tractos, capillis detonsis in prætorium recluſit: ubi quidam exanimati sunt, ac animas suas Deo obtulêre.

Habuit autem uxorem Irenem Atheniensem, ex qua filium Constantinum superstitem genuit, quæ aliquandiu imperiũ pro Constantino filio adhuc puero administrauit. Mulier profectò & uiro nuper defuncto, & Constantino so-

cero, in rebus imperij administrandis multo prudẽtior. Ad hęc tam forma corporis, quàm morũ sanctitate insignis. Sed quomodo huius prudẽtia sit administratum imperium, ac huius iussu celebrata synodus, paulo pòst dicẽ. Hæc ex Ioanne Monacho, qui tradit ipsum ingentem pecuniarum uim in publicis thesauris reperisse, quã pater turpiter corraserat: sed hic turpius ꝓfuderat, ut prodigalitate & ficta religionis pietate, plebis beneuolentiam aucuparetur. Nam consularis ac equestris ordinis homines hunc non amabant, sed turba populares, mercatores, & qui operarijs pręsunt, ut illi gratificarentur, rogant ut filium suum Constantinũ nuncupet. quod se facturum recepit, modò iurarẽt, ne unq̃ aliũ sibi regem pręter hunc assumerent: quod iuramento illi affirmabant, & scriptis literis. Ob id sexto die hebdomadis passionis Saluatoris, congregata plebe, hoc ab eis iuramentũ palàm exegit: dehinc in magno sabbato ipsius fratrẽ Probum nobilissimum creauit. Sed die Paschatis filium eius coronauit, patriarcha pro consuetudine orationem habente.

NICEPHORVS CAESAR.

MORTVO Leone imperatore, Irene Augusta imperium suscepit, administrandum pro Constantino puero, decimum tum ętatis annum agente: fœmina singularis prudentię, et spectandæ integritatis. Vt filio enim imperium reseruaret, nullos labores subterfugit. Plures enim Nicephorum fratrem Leonis imperare cupiuerunt. Et uix iam pedem (ut aiunt) in regno firmauerat, cùm iam insidias matri ac filio struxerunt. Sed coniuratione detecta, regina comprehensos acriter cæsos, crinibusq̃ abrasis in exilium relegat. Fratres mariti Cæsares & nobilissimos creat. Sed & tondere parauerat, & sacerdotio adscribere, ut sacerdotum immixti multitudine, nihil horum amplius cogitarent: licet multorum suffragia tacitè in Nicephorum inclinarent. Cæterùm opera Irenes reginæ, quæ Attici sanguinis fuit, ueteri religioni suus nitor, & uetus est reddita pietas: utpote sub quibus principibus imagines sanctorum in templis repositæ sunt. Ipsa præterea cum filio cincta magno satellitum demore regio comitatu, in celebri natiuitatis Saluatoris festo, magnam ecclesiam ingressa, coronam auream, quam lapillis preciosioribus auxerat, à marito Leone prius ademptam, restituit, mirumq̃ amorẽ populi sibi asciuit. Sic prudens mulier filium in regno seruauit. Hac tempestate in Thracia ad Macron tychos, cùm quidam fossam excauaret, reperta lapidea arca in sepulchro cuiusdam defuncti, inuẽta est quędã lamina ænea supra mortuũ hominem, cum huiuscemodi literis: χρισὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ παρθένου, κἀγὼ πιστεύω εἰς αὐτὸν, ἐπὶ Λέοντος καὶ Εἰρήνης τῶν Βασιλέων πάλιν ὄψει με. hoc est: Christus nascetur de Virgine, credo in eum: Sub Constantino & Irene Imperatoribus, ô sol, rursus me uidebis. Huius iussu cõuentus trecentorũ quinquaginta antistitum est Niceæ celebratus, ut semel decerneretur, essentne sanctorum imagines templis restituendæ, an res in omne tempus abolenda. Magno omnium consensu est decretum, ut Romanæ ecclesiæ ritu in templis haberentur: additaq̃ est colendi forma duobus carminibus cõplexa, ut res ab omni idololatriæ suspicione abesset. Visuntur hodie uersus ij Venetijs in aurea æde figurati, uetusta literarum forma, ut ex Græco fuerant in Latinum uersi:

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa.
Hanc uideas: sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Est autem hęc septima synodus, quæ regina iubente ut sic fieret, hinc originem cepit. Paulus patriarcha tum ecclesiæ præerat Constantinopolitanæ, qui Nicetæ eunucho successit, sub Leone. Hic ęgritudine correptus, iam ecclesiæ curam deseruit, capillosq̃ nutriuit, peneq̃ desperans in lecto recubuit. Quem benignissi-

benignissima regina cum filio adijt, ipsum est cõsolata, discessionis suæ causam inquirens. Cui ille: Vtinam (inquit) ô regina, sedem hanc non conscendissem, quæ tyrannide oppressa, tot habet in se diuisiones, nullamq; obedientiam. Sed cùm nollet apertius animum suum aperire reginæ, missis ad eum Senatus prudentioribus, qui suæ administrationis scisciterentur causam, respondit: Nisi synodo catholica emendentur errata, omnesq; passim Ecclesiæ uniantur, omnia mala futura sunt. Cui Senatores: Et cur tu imagines non adorãdas, cùm sedem ascẽderes, pollicitus es Principi? Hoc, inquit, fecit dominantium insania, & uestra sæuitia. Iccirco iam contremisco, & misericordiam à Deo peto: pœnitenti am ago, ne me Deus iudicet sordidum peccatorem, licet summũ sacerdotem. Sicq; locutus, paulo pòst uitam deseruit. Delectus dehinc patriarcha Tarasius, qui à secretis fuerat, ab uniuerso populo: sed nec precibus nec minis ad suscipiendam hanc dignitatem impelli poterat, nisi concilium Oeconomicũ promitteretur. Quo promisso, accepto patriarchatu, Romam ad Adrianum pontificem urbis profectus est: qui singulis patriarchis ac episcopis scripsit, ut Nicæã Bithyniæ urbem conuenirent, ac synodum celebrarẽt. Quod & factum est: & quæ illic decreta fuerant, in breue redacta Constantinopolim delata, palàm omnibus lecta sunt, à regibus confirmata ac subscripta: simulachraq; sanctorũ sunt templis restituta, templa Ecclesiæq; omnes unitæ. Hac serie synodus illa septima est peracta. Quamdiu Constantinus matris imperio obtemperauit, rẽte omnia domi foriscq; se habuêre. Nullę populorũ querelæ, nulli bellorum motus, pace & ocio omnia florebant. Continebat sapientissima mulier filium in officio: identidemq; monstrabat, bonis artibus imperia augeri, superbia & auaricia labefactari. Hæc & paria crebrò pia mater filio dictabat, simulq; uitam filij à flagitio tuebatur. Ipsa uerò populis quantum potuit semper diligentissimè inseruiebat. Constantinus aũt primos pubertatis annos ingressus, matrẽ haud ulterius passus, administratione deijcit, deiectam in ordinem redigit, in subiectos immaniter sæuit, multos mortales diuerso supplicij genere affecit, atrocíterq; imperiũ administrauit. Hanc in principe sæuitiam Constantinopolitana ciuitas auersata, consilia occultè agitabat de imperio illi abrogando. Multi eñ tacitè suffragia ferebant Nicephoro Constantini quinti filio. Quod ubi Constantinus resciuit, mox Nicephorum lingua & oculis priuatum, in uincula conijcit. Nec ijs sceleribus contentus, uxorem Mariam, fœminam optimam, ac benè alioquin conuenientem, in monasterium obtrudit: quæ ex Paphlagonia erat, Philarethi (qui à misericordia maximè celebratur) filia: licèt alij ex genere Armenorum fuisse dicant. Theodotámque eius ancillam sibi matrimonio iungit, cùm nihil in illa amabile esset, præter formam: Augustamq; fecit. Tradit Zonaras, Irenen matrẽm ad Carolum Regem Francorum misisse, ut suo filio uxorem filiam daret. Sed postremò dominandi uoluptate irretitam, curam abiecisse, ne filius Francorum naturam ex conuersatione indueret. Ideoq; potius puellam sibi ex Oriente quæsiuisse. Sic nescio quo aduerso imperij fato accidit, ut tres principes, omnium qui unquam hominum memoria fuerunt pessimi, unus post alium sint Byzantij rerum potiti. Deuicit tamen Carolus Auares, cùm Constantinus fortissimi regis occupationes in usum suum uertens, per magnę Græciæ populos, qui adhuc in fide erant imperij, Italię statum sollicitat. Sed pugna illa fuit Græcis adeò funesta, ut inde nihil diu mouere sint ausi. Nam ea tempestate Aron quoque Arabum dux, contra Romanos arma mouens, usq; Chrysopolim uenit. Cui Constantinus occurrens, stagna Banes occupat: quæ causa fuit, ut Arabes cum Romanis pacem inire iam deliberarent. Sed cùm administratores huius rei ad Aron proficiscuntur ut pacta faciant, ab eo retenti sunt, & carceribus mancipati: quia prius obsides illorũ cepe rãt, & malè cũ ijs egerant. Idcirco non antea emissi sunt carcere, q; Arabibus uectigalia pendere promiserũt. Quo tempore Regina Helpidium patricium militem,

litem, Siciliæ prępoſuit. Sed cùm hunc Cęſaribus ſtudere animaduerteret, ſubmiſit qui illum reuocarent aut caperent. Siculis contra mandata nimiũ audentibus, Irene indignata, uxorem huius cum filijs, poſtęq; fuſtibus ceciderat, ac detonſis capillis in prætorium detruſerat, exercitum contra hunc eduxit, cui eunuchum prępoſuit chariſſimũ & fideliſſimum eorum quos domi habebat. Diu durante bello, tandẽ in fugam uertitur Elpidus, & in Aphricã peruenit, dehinc ad Arabes, qui eum benigniſſimè ſuſceperunt: & regali diademate ipſum ornantes, Regem appellabant: tametſi nihil ex animi ſententia ei ſucceſſerat, ob pacem quę illi erat cũ Arabibus. Regina cum filio in Thraciã ſeceſſit: bellicisq; opibus & inſtrumentis muſicis onuſta, Beroen peruenit, ac ciuitatẽ ſolo æquauit, ac inde ad Philippopolim rediit. Eſt paulo pòſt Stauratius, qui dictator tũ erat Reginę, à Conſtantino uerberatus, & è palatio eiectus, & materni familiares in exilium acti. Mater etiam ignominioſè in domum, quam prope Eleutherij domum ſtruxerat, relegata: translata in ſe regni ac imperij adminiſtratione, Armenis ipſum adiuuantibus, licet mater plurimùm reluctaretur. Mox itaq; arma contra Bulgaros mouit, quibus tum imperabat Cardamus. Sed cùm illi occurrerent, fruſtrà iniecto timore, Megalopolim ſe recepit. Similiter contra Arabas profectus, nihil dignum notatu fecit. Reducta inde mater ad palatium, amicis Regem admonentibus, Armeni deſciuerant, crebrasq; ſeditiones mouerant. Et Bulgari reuerſi, magnam uim exercitui Romano intulerunt, qua multi ex primatibus perierunt. Vnde indignatus exercitus, quòd tam incõſultò rex progreſſus, turpiter ſe uincere permiſiſſet, congregatis ordinibus militaribus decreuerunt unum ex Cęſaribus, Nicephorum Conſtantini patruum, Regem creare: quo cõperto, Nicephorus obcæcatus: Chriſtophorus uerò & Nicetas floridæ ætatis adoleſcentes, linguis ſunt detruncati. Armenij ſuum etiam ducem excæcatũ indignantes, arma mouerunt, & quos ceperant ex primatibus excæcabant. Contra quos nouum exercitum Imperator mittens, ſuperior euaſit: multisq; captis, digniores oculis priuauit, alijs notas in facie atramẽto inuſſit, cum hac inſcriptione: *ARMENIACVS INSIDIATOR*, ac tum per Siciliam ac alias inſulas ſparſit. Cum Arabibus iterum pugnans, trophęum poſuit. Sed Arabes excurſionem in Amorium facientes, prædã magnam reportabant. Et cùm Cardamus Bulgarorum dux uectigal à Romanis peteret, irriſus à Conſtantino, iumentorum miſſis egeſtionibus, iterum ad arma uentum eſt. Sed Bulgari timore percuſſi, in fugam ſunt uerſi. At reuerſus domum cùm nihilominus ſęuiret in pleroſq; nobilium quibus lumina ademit, cum matre peregrè profectus, in Pruſiam peruenit. Hic Imperator nuncium accipit, natum ſibi filium. Matre igitur relicta, feſtinat Conſtantinopolim: quæ filij impietatem exoſa, ſimul dominandi libidine mota, duces donis ac promiſſionibus onerat, ut filium iugulent. Aſſenſêre omnes, deteſtati Regis crudelitatem: quærentes occaſionem, ne coniuratio quę matri & illis malè ceſſura eſſet, detegeretur. Dum filium nuper natum, cui Leonis induerat nomẽ, pater infœlix lugeret, feſtinantes in regia, hunc ſolum capiunt, & circa nonam illi oculos crudeliſſimè effodiunt, eodem die quo ante annos quinq; Nicephorũ ipſe excęcauerat, alijsq; linguã trũcauerat: decẽ & ſeptem tũ diebus ſole obſcurius (fortè ob ſcelus hoc infandum) illuceſcẽte. Quod facinus præceſſerat paulo antèingens incendiũ, quo multi libri Ioannis Chryſoſtomi, uiri eloquentiſſimi ſimul & eruditiſſimi, abſumpti ſunt: cuius autor magnus triclinius ſacrorũ templorum, qui Thometes dicitur, fuiſſe perhibetur. Sic luminibus priuatũ in uincula conijcit contra maternum amorem, uti mulier optima publicum bonum priuatæ charitati præferret. Conſtantinus maternæ contumeliæ impatiens, nullo maiore cruciatu affectus, paucis diebus luctu & mœrore expirauit. Sed decẽ ſimul annos Irene mater & filius Conſtantinus imperarũt. Expulſa enim mater à filio, à ciuibus eſt in priſtinũ ſtatum reſtituta, annisq; tribus ſola imperio

rio præfuit. Literis enim & nuncijs facta certior de ijs quæ Romæ acta erant, de Carolo salutato Cęsare, ne non in tantarũ rerũ mutatione aliquid suis rebus cauisse uideret, ad Carolum misit, qui illius amicitiã et fœdus peteret, Leonem Spatarium: de finibusq; imperij cum eo ageret, ac deferret illi suum connubiũ. Alij id à Carolo petitum malunt, qui putabat ijs nuptijs posse imperium uniri, ac in pristinum statum restitui. Missosq; tradunt ob eam rem legatos, Ambien sem antistitem, & Eligandum comitem: quibus facta sit ab Irene spes conficiundi negocij, si tempus ad deliberandum detur. Quæ res Nicephoro materiam prębuit criminandæ Irenes, primò apud milites, dehinc ad populum, quasi per eas nuptias Imperium externis proderetur. Vnde id crimen tantæ illi fuit inuidiæ, ut Nicephorus militum & populi fauore fretus, eam sine ullo maiore motu in ordinem redactam, in Lesbum ad filium relegare destinauerit. Scribit Zonaras, Irenem uoluisse nubere Carolo, nisi Aetius eunuchus, qui multum apud eam uolebat, intercepisset huiusmodi connubium. nam is potens in regno erat, ob id suum consanguineum Leonem solum connubio Reginæ dignum putabat: qui tum eiusdem Aetij opera, Thraciæ & Macedonię prępositus erat. Sed quia is superbia cæteros contemnere solebat ob immodicam potentiam, ex Orientalibus regionibus Opsichio oriundus, paulatim in odium multorum uenit. Paulo ante etiam cùm Cõstantinus oculis priuaretur, fratres mariti, regnante iam sola Irene, in magnam ecclesiã fugêre. Sed Aetio illis uitam assecurante, Athenas ire in exilium iussi sunt. Sed cùm à quodam principe Grecorũ reduci suaderent, à Regina sunt etiam oculis orbati. Insidiæ igit̃ contra Reginam motę sunt tales: Patricium Nicephorum legitimum gubernatorem assumunt, ac nocte profunda in Chalcem proficiscunt̃, cùm Regina ægritudine laboraret, ac in domo decumberet quæ est prope Eleutherij domum. Custodibusq; se à Regina missos finxerunt, ut Nicephorum Regem pronunciarent, ne Aetius uim Reginæ inferens, suum cognatum Leonem regem constituat. Quibus uerbis moti custodes, & ob reuerentiam patriciorum, & odium eunuchi, regiam aperiunt, Nicephorum inducunt: qui rex approbatus, tota nocte usq; in diem, quo in ecclesiã inductus, coronatus, ac Imperator pronunciatus est, nomẽ eius, fauorq; per uniuersam ciuitatem est propagatus. Sic demum expulsa à patricio Nicephoro successore ipsius, anno quarto, quàm sola imperare cœperat, in exilio uitæ reliquũ egit. Mulier una rebus administran dis aptissima. Id obmittere nephas duxi, quòd in uetustissimis annalibus scriptũ comperi: Irene scilicet & filio imperantibus, Hebraici sanguinis uirũ quendam in Syria, in Christianorum contemptũ, Christi imaginem lancea suffodisse, unde ubertim sanguis effluxerit. Is studio asseruatus, ne tantũ scelus deprehẽderet̃, multis deinceps mortalibus in grauissimo morbo, saluti fuit. Ex Syria diuino magis q̃ humano consilio Mantuã trãslatus, in multa est hodie uenera tione. Paucula hæc excerpsimus ex uarijs: quisquis plura cupiet, Ioannem Monachum Græcum, qui copiosè horũ gesta & luculenter describit, adeat: illic inueniet, quæ oblectare possint.

Cùm itaq; Irene mulier imperaret Byzantij, præbuit materiam Leoni pontifici nomen imperij aliò transferendi, cùm iam à Constantino Magno sedes imperij ex urbe Roma Byzantium translata esset, per quadringentos sexaginta octo annos. Carolus itaque primus Germanorum imperium adeptus, pontificiæ dignitatis uindex, Imperatoriam appellationem recepit. Creditum tum est, imperij arbitrium Apostolicæ sedis esse, cùm antea è cœlo dari crederetur. Sed de eo quàm breuissimè nunc scribamus. Qui enim imperium tradunt à Græcis ad Gallos, à Gallis ad Germanos translatum, ineptè illi ac nimium deliranr. Nunquam enim Galli imperiũ obtinuerunt: sed Francis quidem datũ est, & primũ Carolo Magno Franco, qui nunquã Gallus fuit, sed Francus: & in ea quidem parte Francię, ubi semper Germani habitarunt, genitus. Patria illi fuit

Ingelheym

Ingelheym oppidum, quod duobus constat miliaribus à Moguntiaco, cui sem per lingua patria fuit Germanica: quemadmodum et Franci populi fuerunt Germani, quod ex ueteribus Procopius Cæsariensis, Agathius, Zonaras, qui & Iohannes Monachus, Græci quidem, sed grauissimi authores demonstrant, qui de Francorum origine elegantissimè scribunt. Ex recentioribus Hunibaldus Francorũ scriptor uetustus, Regino abbas, Sigebertus, & plericq; alij, quos inutile est commemorare. Adeò ut labor ille quem fecit Lupoldus Babenbergius de translatione & iuribus imperij, ut quosdam diuersos uniret, non fuerit ualde necessarius. Sicut & nonnullorũ nostræ ætatis interpretum, qui subtiles magis q; conueniat uulgo uideri uolunt, ignorantes Francos cùm ab excidio Troię ad Męotim paludem consedissent, & hinc in Pannoniam cõmigrassent, exædificata urbe Sicambria, cuius ruinæ hodie adhuc cernuntur, & Sicambria uulgò dicitur, Sicambros dictos. Tum ad ostia Rheni delatos, cõmixtis Germanis, tandem Gallis, omnium mores ac linguas induisse ac assumpsisse. Eam aũt partem ubi nunc Doringia est, & quæ Franconia dicitur, Francorum scilicet ducatus usq; ad Rheni ostia, Franciam Orientalem, ut nunc quoq; dicitur, posteaquam diuisio terrarum ab successoribus Caroli Magni facta est, appellatam: quemadmodum Gallia Occidentalis est dicta Francia, adeò ut & Franci Germanici, & Franci Gallici nominati sint. Constat aũt imperium Rom. posteaquam Irene & Constantinus mortem obierunt, & Carolus Longobardorum imperiũ compresserat, & urbem ab ipsorum impetu liberauerat, in Carolum Francorum Germanicũ & posteros suos translatum, non in Gallos. Qui licet successu temporis Gallorũ reges, hoc est Franci Gallici sortiti sunt ex hæreditate, non electione, imperium: non tamen est ad eos unc̃q; uel per electionem, uel aliquo alio loco translatum. Hinc est quod in c. ad Apostolicæ, recte & uerè scribitur, imperium translatum à Græcis ad Germanos, non Gallos. Et Pipinus pater Caroli Magni, Rex Francorum est unctus à Bonifacio archiepiscopo Maguntino: qui & hodie Cancellarius imperij dicitur per Germaniam, nõ Galliam. Licet postea etiam à Stephano Papa cùm urbem à Longobardis liberaret, unctus fertur: consecratis cũ eo duobus filijs Carolo & Carolomanno. Carolum aũtem Magnum fuisse Germanum, non modò patria, in qua natus est, & quæ in Germania hodie iacet, sed & lingua ipsius, quæ adhuc etiamnum durat in nominibus xij. mensium, ac xij. uentorum, quibus passim hodie uniuersa Germanica natio utitur, attestatur. Is enim primus Ianuarium lenet, ut patrio utar uocabulo, & Februariũ Hornung, & sic de alijs appellauit: adeo ut nulla sit dubitatio ipsum fuisse Germanum, & in Germanos, non Gallos esse translatum imperium. Sciens omitto quæ Iureconsulti in c. Venerabilem, de electione. & de Iureiurando Romani Imper. in Cle. Et passim alibi lxiij. dist. ego Ludouicus. disputant & congerunt. Nicolaus de Cusa Cardinalis lib. tertio. de concordantia catholica cap. tertio, diligẽter satis rem hanc examinant, quem omnino censemus studioso perlegendum.

CAROLVS MAGNVS.

*CAROLVS FILIVS REGIS FRANCORVM PIPI*ni, qui sub Hilderico rege Maior domus erat, & Berthæ filiæ Heraclij Constantinopolitani Cęsaris, natus in Ingelheym uilla quæ duobus distat miliaribus passuum à Moguntiaco (non enim alio latino uocabulo, nomen illud loci in Germania explicari poterit, quod illi natiuum est & patrium, ubi etiam insigne palatiũ extruxit, cuius uestigia hodie cernuntur) Adeò ut frustrà sibi hunc Galli uendicent, & nimium inepte, cùm Germanus fuerit, & patria & lingua et moribus, hoc est, integritate & dexteritate. Pater etiam illius in Francia Germanica

manica ortus & educatus (quod tam nomina uillarum & oppidorum ab ipso appellatorum, quàm monasteriorum fundationes plurimorũ, quarum diplomata extant, euidentissimè simul ac apertissimè demonstrant) Regis Hilderici ex gente Merouingorũ ultimi, præfectus erat palatij, penes quem opes & regni potestas erat: atq; is Maior domus ea ætate appellabatur, utpote ad quem spectabat summa imperij: cùm Reges præter inane uocabulum, & personam crine & barba uestitam, in solio residentem, & legatos audientem, nihil reliqui haberent. Qui quidẽ Pipinus multa insignia ac egregia bella gessit: atq; ideo in monasterium detruso Hilderico rege, iussu Stephani pontificis, Rex cunctorum consensu eligitur. nam strenuè gessit bellum Cantabricum, Hispaniẽse, ac Aquitanicum: in quo tyrocinium posuit Carolus filius, excellenti uirtutis pietatisq; indole. Patrem enim quàmprimum per ætatem licuit sequutus, futuram magni principis spem cunctis de se planè exhibuit. Atq; ideo patre defuncto, concordi consensu in demortui locum surrogatur, quòd paternam auitamq; uirtutem æmularetur. Frater autem illius Carolomanus, cùm patrui regna teneret biennio tantum, morbo solutus est. Quocirca uniuersa ad illum regna & dominia unanimi regnicolarum consensu deuenerunt: nam post patris interitum, cum fratre regna partitus, summa patientia simultates tulit, & inuidiam superauit. nec unquam cum fratre in discordiã descendere, pluribus etiã adhortantibus, uoluit: utpote liberaliter à pueris bene institutus, & bonis præceptionibus informatus. Quandoquidem liberales artes studiosissimè coluit, earumq; doctores ueneratus, magnis affecit honoribus. Primò usus doctore Petro Pisano sene Diacono in Grammaticis: in cæteris disciplinis, Rhetorica scilicet, Dialectica, ac Astronomica, Albinum cognomento Alcoinum obseruauit, Anglum natione, quondam Bedæ auditorem, multæ eruditionis uirũ: quod & opera à se condita in diuinis literis, de ecclesiasticis dogmatis, & in utriusq; instrumenti commentarijs Glossæ ordinariæ dictæ, quæ hodie extant, attestantur. Quem è Britannia euocauit, in & delicijs habuit, Abbatemq; monasterij Sancti Martini Thuronensis creauit. Imitatus in hoc Athenienses, qui Gorgiam à Leontinis publicè missum, & legationis munere defunctum, eius capti eloquentia, ipsum remorati sunt. Sic Carolus ex Alcoino legato hospitem primùm fecit, & ex hospite præceptorem, eóque procurante Parisiense gymnasium extruxit: utranq; enim Franciam, Orientalem, in qua genitus est, & Occidentalem, quam hæreditario iure est assequutus, possedit. Quemadmodum & Papiense gymnasium uiris doctissimis instituit, posteaquam Longobardos perdomuit, & ipsorum regem Desiderium eiecit, superauit & cepit. Nec patrio tantum sermone, ut principes ignaui solent, contentus, peregrinas linguas à iuuentute perdidicit. Latinã perfectissimè edoctus, Græcam melius intellexit quàm pronunciauit. Sed religioni Christianæ ab infantia deditus, summa pietate antistites, sacerdotes, clericumq; uniuersum coluit: templa exornauit, basilicam miræ pulchritudinis Aquisgrani, ubi sepultus est, extruxit, donarijs auxit. Monasterium fundauit, ac muneribus magnis locupletauit. Longũ esset ea ordine recensere, qui iam annis pluribus in recognoscẽdis monasteriorum ac templorũ diplomatibus non uulgarem operam impendi, qui harum rerum curiosus antiquitates nostræ Germaniæ in cultu ac religione Christi perdiscere uolui. Quantũ aũt tribuerit religioni Christianæ, uel ex ipsius testamento, quod legitimè ordinauit, et hodie extat, liquidissimè apparet: in quo de thesauris suis monasteria, ecclesias, & temporalia plurima ornauit & ditauit. Pauperibus largitiones ingentes & magnas eleemosynas distribuit, nec ullam insignem sacram ædem per Germaniam & Franciam utranque indonatam reliquit. quod & literæ & reliquiæ, & templorum ornamenta etiamnum attestantur. Vir haud dubiè magnus & strenuus, & qui religionem tam accuratè coluit, & maxima simul bella gessit, æquè pacis ac belli studiosus. In quo

ſimul inſignis pietas, humanitas excellens, & ſingularis beneficentia illuxit. Venationis adeò ſtudioſus, ut tanquam rem ſaluberrimam, & ſanitati ſuæ perquam utilem, etiam in ſenio haud negligeret. Neque niues aut calores, ſaltus aut montes, aut quamuis aliam tempeſtatem exhorreſceret grauiorem uel in ſenectute. Grauiſſima bella & maxima geſſit: primùm Aquitanicum, à patre quidem inchoatum, & uiuente fratre Carolomanno ſuſceptum: ſed ſine eius auxilio finiuit. In quo Hunoldum, qui Vuaifaro ſucceſsit, ſtrauit fugauitq; . Et cùm ſæpe in Vaſconiam ſe recepiſſet, à Lupo Vaſconum duce, Carolo, ut petijt, eſt redditus, prouinciáque eiectus: quam Lupus dux Carolo, ſeſeq; ipſum ſubdidit, ac eius poteſtati permiſit. Rebus itaq; Aquitaniæ pacatis, regnoq; ſuſcepto, Longobardicum ſubſequutũ eſt bellum, quod Carolus precibus Adriani pontificis ſuſcepit, patrem Pipinum imitatus. Qui rogatus à Stephano põtifice, ſimilẽ accepit contra Longobardos expeditionẽ, reluctantibus licet quibuſdam Francorum primoribus. In qua Aiſtolphũ obſidione ad reſtituẽda Italiæ oppida, & reddendos obſides cõpulit. Carolus uerò filium eius Deſiderium regem longa obſidione fatigauit, ac in deditionem accepit. Et Deſiderij filium Adalgiſum, in quem ſpes omniũ inclinare uidebantur, nõ ſolùm regno, ſed omni Italia excedere compulit, omniaq; Romanis erepta reſtituit, liberãq; Italiam Adriano pontifici tradidit: Deſiderio rege perpetuo exilio cum filijs ſuis mulctato, Longobardisq; pulſis. Tertium bellum quod inter grauiora narratur à Carolo geſta, Saxonicum eſt: Cæteris quidem laborioſius & per interualla geſtum, utpote à patre ſuo inchoatum, quod tandem trigeſimo tertio anno abſoluit: quo ferociſſimas gẽtes atq; toties rebelles compulit, ut & frenum paterentur imperij, & Chriſti aſſumerent religionẽ, prius cultui idolorum dediti. Domuit & Hiſpanos. Sed dum per Pyreneos montes egreditur, à Vaſconibus in inſidijs delitescentibus, exercitus iacturam paſſus eſt: qua Rolandum ex ſorore Bertha nepotem, Britannici limitis præfectum, uirum ſtrenuũ, cum aliquot ducibus, Anſelhemo palatij comite, & Edrarhdo regiæ menſæ præpoſito, amiſit. Mirum autem in modum hunc dilexit, ideoq; ſæpè hoc carmẽ de eo cecinit, quod ſemper in ore habuiſſe fertur:

Tu patriam repetis, nos triſte ſub orbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos lachrymoſa dies.
Sed qui luſtra geris octo binos ſuper annos,
Ereptus terris, iuſtus ad aſtra redis.

Tot enim habuit annos Rolandus, dum moreretur. Britones, qui ad Occidentem in extrema Galliæ parte in Oceani littore habitant, quòd dicto audientes non erant, mox miſſa in eos expeditione imperata facere coegit. In Italiam poſtea ipſe cum exercitu peruenit, primùm Romam, dehinc Capuam acceſſit. Beneuẽtanis bellum eſt comminatus, coegitq; Aragiſum gentis ducem filios obſides dare, & iugum ferre. Nec eſt prætereundum bellum Baioaricũ, quod uxor Thaſſilonis ducis, filia regis Deſyderij Luitburga, ab alijs Lutberta dicta, excitauit: patris exilium à marito ulciſci cupiens, aduocatis Hunnis, quibus cũ fœdera iunxit, ut ſe de Carolo rege ulciſceretur. Sed is copijs contractis, & ad fluuium Lichum poſitis, qui Baioarios ab Alemãnis ſecernit, illius ſuperbiam mox uindicauit, attrita eius audacia, ut ſe ſubmittere, & Theodonem filiũ obſidem dare compelleretur, data fide ſe in obedientia permanſurum. Sed cùm iuramento dato non faceret ſatis, & fidem falleret, & reus maieſtatis coarguerẽtur, rex commotus uitam conceſſit quidem Thaſſiloni & filio, ſed tonſis capillis coacti ſunt induere inuiti habitum monaſticũ: eorumq; prouincia potitus eſt rex Carolus, quam Pipino filio conceſsit. Natum ex hoc aliud grauius bellum, Auaricum cognominatum, quod cum Hunnis, qui & Auares dicuntur, octo annis geſſit, qui tum Pannoniam incolebant ſuperiorẽ magna ex parte, quæ ab Anaſo fluuio ad Arabonẽ (qui uulgò Raba dicitur hodie) diſtenditur.

In qua

In qua Ragani & Hunnorum regia Ringus erat maximis opibus ac diuitijs referta, quibus uicinos spoliarunt. Quam Carolus expugnauit, & è terra Auares eiecit, totam penè Hunnorum nobilitatem sustulit, congestos thesauros diripuit. Nec ullo unquam bello Franci magis ditati & opibus aucti sunt. Suspicari libet, sedem Auarum antiquam tum fuisse in superiori Pannonia, quæ hodie lingua Hungarica Auar, nostra uerò patria Altēburg, id est antiqua ciuitas appellatur rectè. Multa donaria Carolus ex ijs bonis in hac terra Ecclesijs fecit, templaq; ac ædes sacras erexit. Vetustissimum cernitur templum haud longè à Buda, sacratissimę Virgini dicatum, quod ad Albam Mariam nostra ętate nominatur, quod Carolum extruxisse uetustissima monumenta attestantur. Pipinus enim rex Italię, Caroli filius, Hunnos cęsos ac profligatos ultra Tizzam fluuium, qui Tibiscus ueteribus dictus est, fugauit: pòst ablatos eorum thesauros, & regiam captam. Gessit & alia multa bella, Sclauonicum, Normānicum, quibus Danos & Sueones perdomuit: Boemanicum & Limonicum, quibus & Abodritas in suam ditionem redegerat. Quæ bella potentissimus rex annis quadraginta sex administrauit partim per se, partim per præfectos ac filios suos, quibus paternum regnum auxit ac ditauit, & Magni cognomentum commeruit: licet & aliqui à proceritate corporis illud ipsum assequutum contendant, qua cæteros mortales antecelluisse, & facie & barba, & pectore ac tibijs (quæ etiamnum hodie Aquisgrani cernuntur) cæteris longior fuisse feratur. Cùm itaque sic ampliasset regnum, ut Aquitaniam, Vasconiam, totumq; Pyrenæi montis iugum usque ad Hilerum amnem iunxisset, totamq; Italiam ab Augusta prætoria usque in Calabriam minorem, ubi Gręcorum ac Beneuentanorum erant confinia, possideret: ac Saxoniam, quæ magna pars Germaniæ est, & utranque Pannoniam debellasset, cum Histria, Liburnia ac Dalmatia: ob quam uicinitatem cum Cōstantinopolitanis Cæsaribus fœdus iunxerat: gentes etiam Barbaras inter Rhenum & Vistulā, Oceanum & Danubium perdomuisset: gloriā suam ita auxit, ut nemo non Regum ac Principum eius amicitiam expeteret, quibus cum societatem & fœdera iunxit: etiam cum Persarum rege cui nomen erat Aaron, à quo accepit elegantissima & preciosissima munera, quæ oratores attulerunt. Imperatores Græcos crebris legationibus & epistolis, quibus eos fratres appellitabat, ita demulsit, ut facilè ipsorū inuidiam patientia, cōtumaciā magnanimitate superaret. Cæterùm licet bella tractaret strenuè, pietatem tamen ac religionem multis præclarisq; operibus ostendit. Quater urbem uotorū soluendorum adijt causa, & limina Apostolorum uisitauit. Quintò urbem accessit, cùm Leo Pontifex ij. ab æmulis ac propinquis Adriani esset malè tractatus, quòd eius acta multa rescinderet: & ob id carceri mancipatus, pertulit ignominiam non uulgarem. Interim munera magis pia quàm magnifica ex Hierosolymis allata à Zacharia oratore regi Carolo, claues sacrosancti sepulchri & uexillum Caluarij montis. Hinc uindicaturus Leonis iniuriam, properauit Romam. Et cùm in magno illo natalis Saluatoris nostri die, templum oraturus ingrederetur, nihil minus speranti, Leo Pontifex coronam capiti suo imposuit, Imperatorem quoq; Romanum pronunciauit. Cui ab uniuerso Populo Romano acclamatum est: *CAROLO PIISSIMO, PERPETVO AVGVSTO, A DEO CORONATO, MAGNO AC PACIFICO IMPERATORI, VITA ET VICTORIA.* Vnctus est deinceps: & abolito patricij nomine, quo prius utebatur, appellatus est Imperator: anno regni sui xxxiij, nostræ uerò salutis anno DCCCI. ab urbe autem cōdita M. DLII. imperante Constantinopoli tum Irene, post excæcatum filium Constantinum. Quæ res etiam effecit, ut solium imperij à nemine tum occupatum quàm à muliere, quasi offerente numine regi Carolo, summis in religionem meritis quasi debitum daretur. Irene itaque mox legatos misit Carolo, de pace inter Gręcos & Francos firmanda. Nam semper Grę

cis ac Romanis Francorum potentia ſuſpecta fuit, adeò ut prouerbio diceretur: Francorum amicum habeas, uicinum ne habeas. Carolus uicíſſim oratores imperatrici miſit pro pace ſolidius firmãda, ipſius cõnubiũ petens: in quod cõ ſenſiſſet, niſi, ut ſuperius ſcripſimus, ab Aetio fuiſſet impedita. Miſit deinceps & ad alios qui ſucceſſerãt imperio Cõſtantinopolitano Cæſares legatos ſuos, ut paulo pòſt ſcribemus. Interim cùm bella per filios ſuos Carolũ & Pipinum contra Boemos & Danos gereret, accedente ſenectute, regnũ inter filios diuiſit. Ludouicũ Aquitaniæ regẽ, filium unicũ ex Hildegarda, aduocatis Francorum primoribus, eorumq; aſſenſu & cõſilio conſortẽ imperij fecit, Cæſaremq; ſalutauit. Bernardũ uerò nepotem ex filio Pipino, Italię regẽ dixit. Ac ſequenti anno cum Aquiſgrani hybernaret, pleuritide correptus, quam febris concomitabatur (ut ſolet) diem clauſit extremum, v. Kalen. Feb. anno noſtræ redemptionis Dcccxiiij. ætatis uerò ſeptuageſimoprimo, Imperij xiiij. regni xlvi. Princeps pacis belliq; æquè ſtudioſus. Eminẽtis ſtaturæ, oculis prægrandibus ac uegetis, canicie pulchra & hilari facie, habitudine corporis tota uirili, tẽperatiſſimi uictus, liberalis & miſericors, & in egenos munificus.

Habuit aũt uxores, ut ex diuerſis Annalibus collegi, quinq; legitimas: primam Galienam Galaſtriæ regis Toletani in Hiſpania filiam, è qua nullam prolem habuit. Secundam uxorẽ Hermingardim, Deſyderij Longobardorum regis filiã, poſt annum repudiauit, non ſine magna matris indignatione. Inuenio alibi hanc Deſyderij regis ſororem Theodorã dictam, poſt cuius repudiũ magni ſunt exciti tumultus. Tertia Caroli uxor Hildegardis erat, ducis Sueuiæ Hildebrandi filia, pręcipuæ nobilitatis fœmina, & quã mirè dilexit. E qua tres filios, Carolum Galliæ citerioris regem, Pipinum regem Italiæ ducemq; Bauariæ, ac Ludouicũ Regem Aquitanię, & Cęſarem. totidemq; filias ſuſtulit: Rhotrudim, quæ deſponſata fuerat Conſtantino Græco Imp. ſed mater Irene matrimonium inuito filio nouis nuptijs impediuit. Ob quã rem Rhotrudis innupta permanſit, neq; impari ſe nupturã in animum inducens, neq; parem nacta. Alterã Bertham: tertiam Giſelã, quæ ſe perpetuę uirginitati deuouit. Quartã, uxorem accepit Carolus de nobili Germanorũ Francorũ proſapia, quę Faſtrada dicebatur, filia Ratolij comitis, ab alijs Seſtrada appellata regina: mulier atrox, quæ uiri animũ ſuopte ingenio lenem, in multos immitẽ faciebat, qui id teſtati, dũ in coniuratione contra ſuum regẽ deprehenſi pœnas luebãt, & ſecuri & exilio, & in monaſterium mancipati. Quę res effecit, ut mitior in puniẽdis ſontibus eſſet. Ex hac duas tulit filias, Theodorã & Hiltrudim. Poſtremò Luitgardam duxit Alemanam, de nobili Sueuorum genere: de qua liberos non habuit. Sed illa fato functa, concubinas habuit plures: Gerſuindam, Saxonici ſanguinis admodũ pulchram, quę ei filiam Adeltrudim peperit: Reginam, ex qua Drogonẽ & Hugonem filios genuit: Adelindam, ex qua Theodoricũ procreauit: Himeltrudim, quæ ei filium Pipinũ cognomẽto Gippoſum peperit: qui in cõſpiratione cõtra regẽ Carolum deprehẽſus, monaſterio eſt intruſus. Sunt & notatæ à ſcriptoribus, Richildis, Lintpurga, Leomna, & aliæ cõplures, quibus cùm cõmercium uoluptatis habuit. Matrẽ Bertham religioſiſs. obſeruauit, quã non niſi in diuortio filiæ Deſyderij regis uxoris ſuæ in iram cõmouit, aliàs ſemper ueneratus: & quę tres nepotes priuſq; moreretẽ uidit, apud S. Dionyſium, qua pater eius Pipinus, ſepulta. Nec minori pietate coluit ſororem ſuam Giſelam, quæ à teneris annis ſanctæ cõuerſationi fuit addicta, & ideo ut matrẽ dilexit. Liberos aũt ſuos ita inſtituit, ut filij primùm optimas diſciplinas, tum equitare, uenari, ac cętera militaria munera addiſcerẽt: filiæ uerò aſſueſcerent lanificio ac cæteris muliebribus operibus, ne turpi ocio torpeſcerent: Auguſtum imitatus hac in re. Ob id mirum eos dilexit, ac illorum præſentia carere non potuit. Carolum tamen maiorem natu, Pipinum regem Italiæ, & Rhotrudem ſponſam, Conſtantini Imperatoris liberos, antequam ipſe moreretur, uidit

efferri,

efferri, & omnes suas coniuges. Hæc paucula è multis, quæ Turpinus archiepiscopus Remensis, qui eius gestis interfuit, latissimè, licet pleraq; fabulosè, & Eginhardus notarius Caroli abundè scripsêre, excerpsimus. Vt interim obmit tam Richardum S. Victoris canonicũ, in libris Exceptionum: Iacobum de Voragine, Conradum de Monte puellarum, Gotefridum Viterbiensem, & Othonem Frisingensem præsulem, qui in libro quinto suarũ Historiarum haud negligẽter de Carolo scripsit. Sed neq; Regino abbas Prumiensis, neq; abbas Vrspergensis in suis Annalibus, sunt contemnendi, neq; Sigebertus. Sed Paulus Aemilius Veronensis, qui quatuor de rebus Francorũ libros elegãtissimè conscripsit, priores duos de Gestis Caroli adimpleuit. Vbi etiã inuenies in tertio lib. de illo magno delectissimorũ integerrimorumq; uirorum cõsilio, sine prouocatione, quod Carolus instituit, & hodie Vuestphalicum iudicium appellatur. Donatus Acciaiolus, & Robertus Gaguinus, eadẽ de Carolo scriptis prodidêre: qui, si uacat, omnes studiosis sunt uidẽdi. Nos, ut ueteri inseruiamus cõsuetudini, iterum tetrasticha de singulis Imperatoribus subijciamus. Qui cùm sublatũ iam esset in Occidente imperium, annis trecentis triginta circiter, & ad Græcos translatũ, nullos apposuimus uersiculos: ut uel hac nota sequestrarentur Orientales à nostris, & studiosis uno aspectu essent quàm notissimi.

Carolus Ecclesiam tutatus, & hostibus arma
Infligens, omni dum fugat Italia:
Cæsaream meruit sacratus ferre coronam,
Germanis patriæ gloria prima suæ.

ANimus est immiscere Germanis Imperatoribus nunc Græcos quoque, quoad penitus extinctum est imperiũ Græcum, quod iam ad finem tendit. Licet nunc portenta potius q̃ principes scribẽtur deinceps: quod accidit, ut in pleriscq; liquoribus, dũ deficiunt, feces post se relinquunt. Series tamen ita exigit, ut hos quoq; interseramus: & dum malorum recensẽt uita & exitus terribilis, boni maiore incendantur ardore ad uirtutem, mali à uitijs deterreantur. Subiungam itaq; nunc hos Græcos Imperatores, qui tempore Caroli fuerant: licet & Constantinus & eius pater Leo, ac mater ipsius Irene, de quibus iã scripsimus, huius tẽpestate fuerãt: nec eũ anni imperij usq; quaq; respondent. Narrabo tamen nihilominus, quo propius fieri potest, utrorumq; imperia, Orientalium & Occidentalium Cæsarum. Sed his tantum tetrasticha apponam, ut ab illis secernantur.

VM Carolus Magnus Augustus & Imperator dictus, legatos ad Irenen Imperatricem Constantinopolitanã, pro fœdere inter Francos Græcosq; firmãdo, & matrimonio petendo misisset, Græcorũ proceres: ne Irene suis nuptijs Græcorũ spem omnem in Franciam deferret, Lesbum in insulã eam deportarũt, ubi consueuit. Et Nicephorus fraudulẽter Imperator creatus, & in templum ductus, coronatus est de more, præter spem omnium. Ne tamẽ uacui redirent legati Imperatoris Caroli, misit suos quoq; Apocrisiarios de renouando fœdere, ut scilicet in has cõditiones iretur: Ambo Augusti essent, fratresq; dicerentur, Orientis alter, alter Occidẽtis. Circa Italiam, cui Pipinus Caroli filius Rex præerat, Bernardusq; succesisset, hæc obseruarentur: Vt hinc à Neapoli, illinc à Siponto, quicquid ulterioris Italiæ in mare procurrit, cum suis eregionè insulis à Græco, reliquũ à Franco Imperatore iura peteret. Inter duo imperia medius finalisq; cardo Venetiæ, utriusq; imperij maiestatem piè conseruarent. Neutri se addicerent, proprijs uterentur legibus, utriusq; essent imperij amici, & pace ac bello neutrius censerentur. Id alij tradũt à Pipino esse factũ, cùm Niceta patricius cum classe Dalmatiã iussu Nicephori peteret, à qua tamen est repulsus. Et ob id Venetis magis infestus q̃ Græcis Pipinus, Brundusium, Albiolam, Palestinam, quæ Venetorum erant, capit: ac pleraq; alia lo-

ca occupat. Sed Carolus pronior ad pacem, quòd omnẽ culpam in duces suos Veneti auerterent, qui partim spontaneũ exilium, partim mortem obierant, unà cum Græcis ducibus & Spatarijs à Nicephoro missis. Sed & aduersus Persas Nicephorus turpi nefarioq; fœdere sibi prospexit, pro incolumitate imperij triginta millia nummũ aureorũ, ꝑ salute capitis sui tria millia, in singulos annos pacíscens, oblatis insuper multis & magnis munerib. Suscepit dehinc contra Bulgaros expeditionẽ Nicephorus, plurimùm dehortãte quodã suo familiari, qui futurũ incõmodũ quasi præsagiebat, & res infœliciter successuras prædixit. Sed cùm Nicephorus induratus persuaderi nollet, à Rege Bulgarorum Chrumno postulans æqua uel maiora munera, qualia ipse Persarum regi dedisset, indignitate rei furens Rex Chrũnus, manus cõseruit. Sed à maiori exercitu primo congressu superatus, succubuit. Cùm Græcus Imperator ferocitate insolescret, nec ullas pacis conditiones amplecti ob superbiã uellet: nocte intempesta suos cõgregans, cohortatus uires reassumere, per medium Græcorũ peditatũ securè dormientiũ inopinatè perrumpit, tentoriũ Imperatoris penetrat, Nicephorum obtruncat, passim alios dormientes, passim uigilantes (sed inermes & nescios) occidit. Diripitur supellex regię, auferuntur diuitię, arma & equi multi. Stauratius filius in humerum dextrũ & collum uulneratꝰ. Multi excellentes uiri cæsi, qui & dignitate & nobilitate sanguinis florebãt. Paucis per noctem concessa fuga, qui aut syluis aut paludibus tecti latuerunt. Nicephori cadauer repertũ Chrumnus obtruncat, caput hastę affigit, & ludibrio circumfert: dehinc pilis purgatam caluam argento induxit. Eaq; cùm ipse libasset, proceres suos ebibere iussit. Sic fore, ut auri cupidiss. Cæsar, mero post fata expletus, alienam sitim elueret, sedaretq;. Hæc res Constantinopolim nunciata, trepidare urbem fecit. Quisq; em̃ suum deflebat amissum. nam magna nobilitatis pars perijt. Dolorẽ uerò innuebat regis interitus ac calamitas, qua quisq; lætabatur optimus, Rempublicam liberatam tanto monstro uerius quàm ho-
189 mine. Erat enim insatiabilis omniumq; auariss. & ut sic dicam, scelerũ receptaculũ: qui suam iniquitatẽ dissimulare haud diu potuit, sed mox ubi imperiũ arripuit, latentem nequitiam aperuit. Nactus enim imperium, postero die ad reginã Irenem, quæ tum sub custodibus erat, accessit, inuitus accepisse imperiũ iactitans, nõ ex proposito: Ob id eam boni esse animi iussit, & cui nihil defuturũ esse cõfidat. Rogat tamen, ut ei thesauros nobiles ostendat. Cui regina sic respondit: Quòd imperio priuata sum, meis accidit fortè peccatis quę in Deũ cõmisi, qui te ad regnum uocauit & extulit: ideo te meritò ut Imperatorẽ à Deo sublimatum, ueneror, obseruoq;. Rogo tamen meæ imbecillitati parcas, & me in domo mea priuatã sinas agere uitam: quę enim mea erant, omnia Deo obtuli. Sed cùm magis urgeret Nicephorus reginã, ut absconditos thesauros aperiret, iuramento adegit ut ei multa ostenderet. Quibus raptis, eam in exilium mittit, ut in insula Principis, ubi domũ extruxerat, exularet. Animaduertit autem quòd ab omnibus odio habebatur: ideo timens ne Irene ad imperiũ reuocaretur, in Lesbũ insulam misit, appositis custodibus ne elaberetur, ubi cõsenuit, & mortem oppetijt. Sed neq; ijs pepercit qui ad regnum ipsum euocauerant, nã Triphyllium ueneno sustulit: Patricium uerò Bardanem & ducem exercitus Orientalis, cui Thurcus cognomen erat, in regẽ ab exercitu Orientali uocatũ inuitum, primò apprehendit: & data fide, nihil à se incommodi passurũ, monachum fecit: & in insulã quæ Prima dicitur relegatum, ubi monasterium erat, luminibus priuauit, iurans sese huius facti conscium nõ fuisse, qui hoc scelus per quosdam subornauerat clanculum. Sed & Constantinũ Irenes filium oculis orbatum, coegit ut multas in muris occlusas pecunias & thesauros reuelaret. nec destitit alia super alia excogitando, in iacturã subditorum, quo suæ auaricię inseruiret. Pauperes militare coegit, quibus ditiores & arma subministrabant, & tributa: quæ ipse uocabat ὃν ἀλλήλοις τροφὼ, id est, mutuam nutricationem. Insuper

super & quæstores instituit, per quos uectigalia augerentur, quíq; supra Chartiaticum, id est, id quod iam scriptum erat & taxatum, peterent in unoquoque numismate duo ceratia, id est duas siliquas. Hi uerò etiam meliora rerum immobiliũ à propríjs dominis abripientes publicabãt. Excogitauit prẽterea, quo modo per futurum quísq; tributum penderet, non sine maxima animi malitia. A qua quidem pensione, non ecclesiarum cultores, non ptochía & pauperum hospitalia, non gerocomía ubi senes nutriebantur; non denicq; monasteria erant salua. Sed & qui paruũ haberent agellum, qui tenuem uictum subminístrabat cultori, dare cogebantur auaríssimo Príncipi uectigal. Si quos aũt reperit ab egestate ad diuitias quacunq; uel fortuna uel índustría euectos, ab ijs uelúti reperto thesauro emulgebat quantum potuit. Mercatoribus autẽ & artificíbus quícunq; lucrũ facere uidebantur, ita inuigilauit, ut pecuniæ quantitatem quam posset, eis eriperet. Etsi externi essent mercatores aut nautæ, qui Cõstantinopoli negociabantur, ut agros ibi mercarentur, licet agriculturę essent ignari, imperabat, quò posset ab illis tributa exigere. Ex infinitis unum recẽsere puto nõ inutile inexplebilis auaríciæ facinus. Rusticus quidam, qui apes diligenter curabat, ex melle ac fauo honestũ faciebat lucrum, quasi multarum diuitiarum dominus. Is à Nicephoro accersitur, ac iurare cogitur, ut diuitias suas illi aperiat. Is præstito iuramento, licet inuitus, se centum libras auri habere ingenuè fatetur, quas statím proferre iubet. At Cęsar ablatis nonaginta libris, decẽ illi restituit: Satis, inquit, tibi in ijs decem, tantarũ pecuniarum tibi opus nõ est. dehinc suæ mẽsæ adhibuit conuiuam, ut prandiũ faceret pro nonagínta libris. His excoriationibus quotidie fatigabat subditos, ut omnibus planè esset inuísus. Atq; ideo quidã ignotus quondã regiam ingressus, regẽ interficere quęrebat, multís occurrẽtibus uulneratis: sed cõprehensus tandẽ, fassus est, se insánia correptũ, ob ereptas sibi iniustè opes, quas manu sua collegerat, ob id perpetuo est dãnatus carcere. Sic debacchatus est auarus princeps in quoscunq;: augurijs, oraculis, et secretis sacris prẽterea deditus, et Manichęa hęresi labefacta tus, & uanitatibus cunctis pollutus, seminarium omniũ scelerum, & portentũ.

Nec fuit purior filius eius Stauratius, quem consortem imperij fecit, & coronauit, turpis formæ & simplicis ingenij: cui nec prudentia ulla, nec animi generositas inerat, sed qui patrẽ stoliditate superaret. Cui Nicephorus Rex uxorem dare cupiens, Theophaniam Atheneam, reginę Irenes affinem, quę iam alteri uiro desponsata fuerat, ui eripiens, contra ius fasq; filio copulauit. Sed cùm in prælio Bulgarorum, humerũ saucius uix euasisset, Adrianopolim peruenit. Post patris interitũ ab amicis imperator est salutatus, licet prius esset coronatus patre uiuente. Verùm uulnere inde malè affectus, Megalopolim concessit, ubi uxori Theophaniæ suæ imperiũ tradere constituit: & insidias collocat Michaeli Rancabe cognomento, qui sororẽ suam Procopiã habuit uxorẽ. Quod consulares animaduertentes, cõgregato exercitu, manè in aurora Imperatorẽ Michaelem Curopalaten Imperatorẽ pronunciant. Sic Stauratius imperio deturbatus est, & tonsis capillis monasterio includit: cùm pater Nicephorus, & ipse, annos imperassent nouẽ. Zonaras tradit, Stauratiũ ex uulnere mortuum, duobus mensibus & sex diebus imperasse, ac in monasterio, quod Stauratij dictum est, sepultũ: quod à populo Barbaro, Braca appellari cœptum est. Et posteriores ueram uocabuli rationẽ ignorantes, ad Græcanicam tamen appellationẽ reducentes, Hebrijca uocauerunt. Nam Michael Imperator pietate motus, uxorẽ Stauratij Theophaniam, quæ sibi post uiri obitum comã totonderat, nigramq; uestem induerat, multa donauit pecunia, domumq; sibi ad habitandum parauit, in qua monachis qui secum erant, domicilium fecit, ubi sepultus est Stauratius, quod Mone appellatum est. Hæc ex Ioanne Monacho Græco, ac passim ex alijs Neotericis excerpsimus plerisque.

MICHAEL RANCABE

MICHAEL Curopalates, cognomento Rancabe, gener Nicephori, qui Procopiam eius filiam uxorem habuit, postquam Imperator est pronunciatus, postridie in magna ecclesia à patriarcha Nicephoro, regali diademate est insignitus: facta prius illi literis manu sua subscriptis promissione, nihil eorum quæ in ecclesia seruabantur, mutatum iri, neq; Christianorum sanguine unquam se pollui. Moxq; Procopia regina Augusta coronata est, eiusq; filius Theophylactus regio nomine insignitus. Vir ingenij liberalis, et melior pacis artibus, ac insignis pietate, quàm antecessores proximi duo. Nam & erga Stauracij coniugem Theophaniam magna est usus clementia & pietate, & erga eos similiter qui malè à Nicephoro tractati fuerant, quibus & ablata restituit, & societates militum quæ iam defecerant reparauit, multis pecunijs liberaliter exhibitis, mãcipatosq; carceri emisit, qui adhærere Nicephori noluerunt uanitatibus: Platonem scilicet & Theodorum præceptores monasterij, & Iosephũ Thessalonicensem episcopum, uiros clarissimos. Pius & in religionẽ nostrã. Cùm enim quidã simulachrorum cultum iterũ tollere niterentur, pluribus captis, partim uerberibus, partim terrore castigauit, ut deinceps sibi cauerent. Monacho cuidam, qui magnam præ se ferebat sanctitatem, & imaginem Deiparæ uirginis remouerat, linguam abscidit. Sed in rebus bellicis socors & infœlix, pacis studiosior. Euastarunt ea tempestate bonã Thraciæ partem Bulgari, contra quos expeditionem Imperator accepit: sed in exercitu suo reperit quendam coniuratorem, à quo penè proditus, extremam cladem subijsset, nisi benignè ipsum amplexatus, muneribus placasset. Quam ob rem expeditionẽ soluit, & paulo pòst à Chrumno Bulgarorum duce septem legatos accepit, pacem petentes: his tamen conditionibus, quas antea Theodosius Atramitenus & Germanus patriarcha acceperant. Et nisi ijs acquiesceret Imperator, minabantur irruptionem in Mesembriam, allaturosq; sese Christianis omnibus extremas calamitates quas possent. Has conditiones Imperator spreuit, pacemq; petentibus negauit. Qua re commotus Chrumnus Mesembriam inuasit, machinasq; multas admouit urbi, quibus mox urbs erat casura. Erat enim profugus quidam Arabs cum Bulgaris, qui olim sub Nicephoro militabat, & ob animi inconstantiam in fide Christiana defecit: qui peritissimus omnium habebatur in machinis bellicis iaculandis. Ob id Imperator habito cũ patriarcha consilio ac alijs præsidibus, censuit pacem Bulgaris dandam, & profugos (quod inter pacis conditiones continebatur) reddendos, ne ob paucos, magna hominum multitudo periret. Sic itaque inducię factæ sunt cum barbaris, impellentibus regem ad has primoribus, quibus facilè accesserat. nam erat in publicis rebus administrandis haud quaquam ingeniosus ac uafer, simplicis alioqui ingenij & fidei synceræ. Interim Bulgari Mesembriam capiunt, spoliant, ac multas hinc opes reducunt. Qui inde fuga dilabuntur, regem docent, Chrumnum Bulgarorum ducem nil eorum quæ promiserat seruare: sed totam Thraciã peruagari, cuncta populari, domos uillasq; deuastare. Quocirca Imperator coactis immensis undiq; copijs, statuit illi occurrere: & magnis uiribus in Thraciã usque peruenit, quem etiam Augusta sequuta est. Sed exercitus illud ægre ferens, eam redire in urbem coegit. Dum Michael Imperator totam collustrat Thraciam, nihil incommodi hostibus affert: qui tamen quotidianæ prædæ immixti, undique Romanis infesta ostentant arma. Elatus itaq; more suo Chrumnus, castra sua prope regium exercitum collocat: quem tam diu lacessiuit, donec manus cõsererentur, & uictis Romanis, uictoria Bulgaris cederet. Quod hinc proueniisse dicitur. Erat in exercitu Imperatoris, Leo Orientalis dux exercitus,

citus, qui ad imperium aspirabat, qui Imperatoris famam eleuabat, mulierem non uirum appellans indignum, cui tantus pareat exercitus & tam nobile regnum. Sæpius itaq; nunc longa oratione exercitum, nunc conuicijs in odium Cęsaris commouit: eoq; perduxit, ut si salui esse uelint, se ducem, dum hora cõflictus ueniat, sequantur. Dum itaq; ordines militares instruuntur & classicum personat, credens Imperator ab omnibus militibus suis pugnã iniri, Leo in primis turpiter fugit: quẽ totus exercitus sequutus, præter omnem necessitatem castra Cæsaris ac tentoria reliquit. Chrumnus Romanorum fugam uidens, insidias suspicatus, suos continuit, quoad Romanorum fugam perdisceret. Hac explorata, subsequutus cum suo exercitu, maximam cladem Romanis intulit: uix cum pauculis Imperator euasit, ac Constantinopolim delatus est. Bulgari spolijs onusti, ac omnibus quæ in castris erant in suam potestatem redactis, domum redeunt. Leo huius fugę autor, audacior hoc successu factus, Regem criminatur, famamq; eius quantũ potest lacessit: coniuratores quosdam in caput Regis subornat, qui eum inhabilem ad regendum coram plebe insimulent: opus esse rege magnanimo, experto multarum rerum, ac strenuo, qualis est Orientalis exercitus dux Leo. Sic excitata est seditio in plebe, quę instar uenti nũc sursum nunc deorsum fertur, & malè sentire de Michaele cœpit, solumq; Leonem dignum imperio censuit. Arreptus itaq; Leo in castris, & Imperator appellatus, regium nomen huiusce conspirationis uelut ignarus, detrectauit. Sed Michael Traulus cum cæteris quibusdam, ensibus nudis ceu inuitum coegerunt, uel potius suaserunt, regium nomen ferre. Imperator Michael ijs intellectis, nec tantæ uiolentię resistere ausus, nec se uindicare potens, regno cessit: ac cum uxore & liberis in templum quod in Pharo est, concessit. Leo regiam ingressus, Theophylactum filium, quẽ regio nomine pater decorauerat, absciss is prius genitalibus, cum matre ac fratribus in insulam quæ Prima dicitur, exulatum ire iussit: ubi & Michael monachus factus, monasterio se abdidit, & ibi uixit. Regnauit autem, teste Zonara, annos quatuor & menses nouem. Licet alij post annum alterum imperij, habenas regni Leoni concessisse scribant, & sponte Imperio se abdicasse, ob cordis maximam mœsticiã, quam post aduersam pugnam incidit: dubium, uereretur ne impetũ populi in se ob rem gestam malè, an quòd presenti fortunę iratus priuatam uitam agere mallet q; cum decore imperare. Hic Caroli legatis honorificè usus, antiquum fœdus sub Nicephoro inceptum de terminis Occidentalis & Orientalis imperij innouauit: uicissimq; oratores Carolo misit, Michaelem & Arsatiũ, Theognostum & Protospatharium, qui omnia confirmarent. Quos Aquisgrani Greca lingua, cuius & Carolus non fuit ignarus, perorantes, humanissimè audiuit: & magnis muneribus honestatos, remisit in urbem ad Leonem iij. Pont. Max. à quo fœderis libellum acceperũt. Est tum Hispaniarum pars Constantinopolitano adiecta imperio, Paulo Diacono teste. Et Veneti suis legibus uiuere iussi, immunitate ijs seruata, quam ad eam diem in Italia retinuerãt, uti Gothofredus Vetulonensis tradit. Apparuit huius tẽpestate cometes, uaria insignitus figura, ut qui hominem sine capite referret. Agareni item, qui sub illo regnum ad auroram prędabãtur, à Leone Armenio Orientalium copiarũ duce sunt fusi ac fugati: & ex ijs circiter duo milia interfecti, ablatis armis, equis, & magna præda. Hæc ex Ioanne Monacho Greco, & alijs item recentioribus.

LEO

LEO CAESAR

LEo Pardi patricij filius, Orientalis exercitus dux, imperiũ quo diximus modò sortitus, ubi regiã est ingressus, mox uestẽ qua indutus erat, Michaeli Traulo cõcessit: qui eã lubens accepit, ac statim sibi induit, bonũ inde omen colligens. Et dum pone regem sequeretur, hac uestẽ exornatus, sępè huius orã pedibus calcauit: quod omnes, futurũ illius successorẽ, interpretabantur. Bardanes tamẽ anhelabat ad imperiũ, quòd olim sibi ascẽsuro equũ, Leo, Traulus Michael, & Thomas quidã, hunc adducerent, & obseruarẽt ascendentẽ, ut fit: unde sibi colligebat animũ ad tyrannidẽ. Pro qua re etiam monachũ quendam futurorum præsciũ & diuinaculum consuluit, si res ex animi sui uoto esset successura. Cui monachus: Si perrexeris tyrannidẽ assequi, facultates omnes simul cũ oculis amittes: nec te moueat, quòd ij tres tibi equum adduxerint, quos certè manet imperiũ, & sibi inuicẽ succedent: Leo scilicet, & Michael, Thomas conabitur & ipse regnũ assequi, coronam accipiet: sed priusquam optatũ attinget finẽ, malè peribit. Proinde tibi caue, ne periculum incidas. Sed Bardanes à proposito cùm non discederet, tyrannidẽ aggressus, omnibus rebus priuatus, etiã oculos, ut monachus illi prædixerat, amisit. Et Leo regnũ assequutus, Michaelem patricia dignitate ornauit, & comitẽ excubitorum creauit: Thomam uerò turmæ fœderatorum exercitus præposuit. Vir imperio dignus, nisi imaginum persequutor, famã suam miserè labefactasset, rabie quadam in sacras imagines debacchatus. Sed non ineptũ est recẽsere, quomodo in hãc decíderit hæresim imprudens imperium assequutus Leo. Monacho cuidã, qui multo antè sibi regnũ denunciauerat, dona misit regia: nuncius qui detulit, alium quendã, locum illius iam defuncti occupantem & sibi ignotum reperit, hominem ueteratorem & sacrarum imaginum acerrimum hostem, & sectatorem hæreseos callidissimum. qui & dona spreuit, & nuncium abs se reiecit, ueluti idolorũ cultoris, cum ijs uerbis: Abi, inquit, & Regi tuo nuncia, nisi idola uenerari (sic eũ sacras uocitabat imagines) desinat, & regno & uita mox priuabitur. Verba
190 hæc ubi nuncius pauescẽs Regi, alioqui ad religionem mobili, simul cũ donis tulit, Meliseno Theodoto, qui cognomento Dyonymus uocabatur, et Caasiterans, tanquam sibi familiarissimo Rex communicat, qui & ipse hanc hæresim sectabatur, & imagines sacras persequebatur. Qui occasionem inde suscipiens, misero regi persuadet, ut monachũ quendam uirum religiosum & sanctum, habitu mutato, ne agnoscatur, adeat, quem interroget, quem cõsulat, cùm futura is ex uitę sanctimonia præsciat, & spiritali gratia sit præditus. Clàm itaq; monachum accedit ignoto & peregrino habitu. cui monachus, mox ut Regẽ uidit, præmissa debita ueneratione: Noli, inquit, ô Rex, me simplicem uirum fallere, qui tuam regiam agnosco dignitatem, licet habitu eam celes. Sed idololatriam abs te dimoue, si uolueris esse diuturnus & uita & imperio. Alioqui imperio decides summa cum ignominia, & gehennæ supplicio cruciaberis perpetuò. Rex nõ sine magna admiratione hęc audiẽs, quia ignorabat Theodoti cõmentum, sanctitatẽ uiri monachi suspiciebat: & eius uerbis motus, statim cõtra sancta simulachra & beatorũ imagines edictũ proposuit, & abolitionẽ earundem decreuit. Quod cùm Nicephorus patriarcha uir sanctus improbaret, & acriter Imperatorẽ reprehẽderet, criminãdo edictũ uerbis, literisq;, deturbat ab ecclesia, & in Proconẽsum in exiliũ mittit. Vir religiosus hanc insaniã & religionis perturbationẽ præsensisse dicitur, dum Leonis caput diademate exornat. uisæ enim sunt spinæ manibus suis infigi. Cùm aũt Nicephorus patriarcha naui deferret, magni agni professor, confessorq;: Theophanes, spiritu edoctus sancto, illi accensis cereis uarijsq; odoribus occurrit, & à longè uenientem excipit,

etsi

etsi de facie illum nunquam aspexisset. Vicissim Nicephorus, admirantibus omnibus qui secum naui uehebantur, Theophanem confessorem antea haud uisum, tanquam sanctum uirũ adorabat, uenerabaturq; ac eius laudes pleno ore prędicauit cunctis. In locum itaq; Nicephori, suffectus est Theodotus hæreticus iste, familiaris Leonis: qui olim etiam dum Michael Rancale regnaret, Leoni futurum imperium denunciabat ex muliere quadam maniaca, quæ in Gynecęo singulis mensibus furore corripiebatur: et tunc in eius amicitiam sese ac familiaritatem insinuabat: ac tandẽ commẽto quod scripsimus, factus est regi longè charior. Sed ubi imperiũ adeptus est, petit promissionẽ sibi datam, cùm illi imperium diuinaret, & sic patriarchatum obtinuit electo Nicephoro, Theodorus: qui tum cubiculariorum regiorum præfectus quoq; erat, qui Græcis Chorolectes dicit̃, & Chorarches: hoc est, cœtus princeps, & quẽ uulgus Protopsallen, id est, primũ cantorem uocabant. Vbi itaq; uir sacrilegus cathedram patriarchalẽ conscendit, audacissimè contra sanctas imagines debacchat̃, principem instigat ac irritat, ut insaniat crudelissimè, & ueluti fera rabie efferatur in eos qui sacras statuas uenerantur. Leo itaque pernicie incensus, incessanter simulacha comburit, destruit: & uenerantes illa dirumpere, dilaniare, dissecareq; iubet, inexorabilis erga illos. Quam quidem crudelitatem augebant illi qui blanditijs & adulationibus inescabant Principem, & religiosi uideri uolentes, ipso prẽsente in ecclesia sępè illud Isaiæ prophetę legebant, Cui'nam assimilabitis Dominum? cuius imaginem non fecit architectus, neq; aurifex similitudinem eius parauit. Sic insaniebat Leo contra omnes qui aut religione ipsum, aut alia re offenderent: in administratione tamen rerum publicarum impiger & strenuus, & qui uigilantissimè incubaret imperio. Huius tempestate Bulgari totam penè Thraciã euastauerant & spoliarant, adeò ut nihil penè restaret quod principis esset Constantinopolitani. Duxit itaq; Leo, oratores esse mittendos, qui de pace agerent. Bulgarorum uerò dux recenti uictoria elatus, pacis conditiones recusabat. Infecta re legati redeuntes, regem eò impulerant, ut coactis copijs castra moueret: sed uictoria iterũ Bulgaris arridẽte, Romani fusi fugatiq; sunt. Dum itaq; turbato ordine Bulgari insequerentur, Leo uiribus recollectis, animumq; intendens, uersa fuga in Barbaros, improuiso tumultu eos aggredit̃, suosq; cohortatus est ut fugã honestarẽt strenuitate sua. Mox itaq; mutata fortuna Barbaros fudit, strauitq;, multos præterea cepit captiuos: parũq; abfuit quin Chrumnus Bulgarorũ dux caperetur, qui iam suo equo fuga elapsus est. licet aliqui scribant, Chrumnum hac pugna occubuisse, & à Leone fuisse interfectum: quod tamen Zonaras non tradit, qui regẽ refert ex hoc bello trophæũ retulisse, ac amissam Thraciã recuperasse, & magna præda onustum redijsse. Fregit omnino Leo audaces Bulgarorũ conatus, qui iam Hadrianopoli potiti, in Constantinopolim arma meditabantur, ac in conspectu urbis castra locare cogitabant. Sed parta est hac pugna Leoni & eius imperio quies, mansitq; Orientale imperiũ aliquandiu & pacatũ & tranquillum: sed diu non durauit hoc otium, ut paulo pòst scribemus. Nam erat paulo austerior, magnusq; morum censor, & qui ad plebis clamores præsides corrigeret, & magistratus immutaret: quos alioqui neq; ad gratiam aut fauorem, neq; ob pecuniam quasi uenales creauit, sed qui sibi iusti uidebantur. Ob id mox inuisus illis qui honores ambiebant & magistratus, in indignationem incidit nobilium, qui in eum multi conspirabant. Michaël autem Traulus, cuius iam auctoritas & potentia multum creuerat, ob immodestiorem linguam ante omnia suspectus Cæsari, accusatus, captus, et morti adiudicatus, custodijs tenebatur, cõburendus in camino ad lauacrum prope regiam, pridie illius sacratissimi festi quo natalicia Christi omnibus Christifidelibus celebranẽ. Et cùm ad supplicium duceretur miser, sequente rege, facta conscia regina negociũ impediuit: & maritum uehemẽter increpauit, quòd tanto die talẽ impietatem impius exercere cogi-

cogitaret, & mysteria Seruatoris Sospitarisq; nostri in suo natali nõ altius perpenderet, honesta habita ratione. Igitur Regina iussit iterũ uinculis includi: Rex aũt ne elaberetur, potentiam eius suspectam habens, claues uinculorũ ad se recepit, ipsum tradens custodiæ Papiæ cuidam, cui captiuorum cura demandata erat. Vxori autem uehementer indignatus, quòd hunc supplicio eximeret, à quo sibi timẽdum omnino esset: Tu, inquit, uideris, & filij tui, quanta nos mala maneant & pericula, ob hanc pœnę necessarię dilationem: pręstaret multò & liberis & regno nostro, illum nunc nũc omni abiecta mora trucidare. Mirabantur plerique cur id diceret, qui ex diuina præscientia id non haberet, cùm à religione sancta prorsus alienus esset. Ferunt tamen in bibliotheca magna Regum, ubi pleraq; de Regibus oracula tenebantur, & quæ pręterea Sibyllæ putabantur, librũ quendam reperisse, quo inscriptę erant hominũ ferarumq; imagines, inter quas erat Leonis figura, cui in dorso literæ χ forma erat impressa: pòst uir quidam, qui eam hasta per medium trãsigebat. Quas quidem ænigmaticas figuras cùm ipse Imperator interpretari nequiret, quæstor quidam interpretatus: In die, inquit, natali Christi rex peribit, quòd per mediũ literę χ hasta penetraret, quæ litera prima est huius nominis Christi, Leonẽ regem interfici significarent. Quæ quidem interpretatio regẽ terrebat. Accessit etiã matris insomniũ, quę uisa est uidere in templo uirginis sanctissimę, in Blachernis, mulierem quandã filios uestibus candidis indutos sequi, & pauimentũ ecclesię à sanguine conspersum: mulierumq; aliam hastã manu gestantẽ, iussisse uas sanguine impleri, & matri regis dari. quod ubi accipere recusasset, sic loquutã: Tuus, inquit, filius eos qui me uenerãtur, ulciscitur, & eorum sanguine replet omnia, unde non immeritò & ego & filius meus illi indignatur. Mater somno exterrita, mox filio regi omnia manifestauit, enixeq; rogauit, ut à persequutione sacrarum imaginum desisteret. Verùm excęcato ac surdo fabulam narrauit, licet aliquantisper timeret: & pręsertim ubi aliud quoq; insomnium cuiusdam intellexit. Nam sacer Tarasius patriarcha cuidam in somnis apparuit, qui acclamabat, quendam Michaelem ut Leonem aggredderetur & interficeret, in uindictã eorum quos impiè & crudeliter ob religionem occiderat. Quæ omnia terrebant Leonem, adeò ut Michaelem duris uinculis ligatũ diligentissimè custodiri iuberet, clauesq; carceris sibi retineret, strictissimam curam Papæ mãdans ne elaberetur. Rex dum curis ita angeretur, nocte nullum potuit capessere somnum, licet lecto decumberet. Sic satis agitatus, media nocte surgit sine ministris, accepta carceris claue custodiam ingreditur, in pauimento cum ministris decumbentem Papiam, Michaelem uerò in lecto securum in utramuis aurem dormientem inuenit. Simulans non curare, discessit: irã tamen motu manus indicans: quod è ministris quidam dormire se simulans, agnouit, & cæteris enarrauit: regẽ scilicet noctu in carcere fuisse, & minas manu sine uerbis expressisse. quod ubi Papias Michaeli retulit, literis suadet alijs conspiratoribus, celeritate opus esse. Et hac nocte sancta, qua minus timetur, facinus pulchrum esse adeũdum, ne ipsorum consilia, si res diutius trahatur, in apertum producantur. Dum igitur circa matutinum regales cantores templum ingrederentur, ac suauissimè psallerent, cũ quibus conspiratores occultatis ensibus simul ingressi sunt, paulo pòst sequente rege: qui cùm & ipse canere inciperet uoce paulo acutiore (ut in hymnis solebat) cõspiratores in angulo quodam occultati, ex improuiso nudatis ensibus erumpunt. Rege autem ad altare fugiente, homicidæ sequentes ipsum ui rapiunt: quòd neque ijs imaginibus quæ ibi locabantur suum honorem dedisset, neque ad has confugientibus pepercisset. Caput abscindunt, & manum resecant dextram, corpore multis uulneribus confosso. Quod in hypodromium tractum abiecerunt, tanquam impium & crudelem Regem, qui annos septem & menses quinq; regnauerat. Michaelem autem regem proclamant, qui adhuc pedibus uincula gerebat: ad quæ clauis quam Leo secum retinebat

nebat, cùm reperiri non posset, effracta sunt, & liberatus Michael qui paulo ante captiuus erat, iam Rex omnium consensu declaratur. Vxor itaque Leonis mox in monasterium dominarum includitur. Quatuor autem eius filij in insulam quæ Prima cognominabatur, exules missi sunt, exectis prius uirilibus, ubi Theodosius quartus in ordine, diem suum obijt. Tres alij, Sabbatius scilicet, qui Constantinus uocabatur, Basilius & Gregorius uitam miseram uiuebant. Quod sæpius mater recordata, dum mariti futura prædicentis uerba inter se reuolueret. Licet uerò haberent & prędia & cæteras facultates unde uiuere possent honestè: Michael tamen Imperator postquam exilij loca circumscripserat, liberaliter donauit, aliquos etiam in numero familiarium reseruans. Sed inter hos Constantinus loquelam amisit: & ob id tam ardenter Deum mente precatus, & magnum illum Theologum diuum Gregorium, cuius imaginem quotidie supplex uenerabatur, ut continuis ad Deum precibus mereretur ab hoc sermonis impedimento intercessione diui Gregorij liberari. nam culpa patris, non sua, à regno ipse & fratres sui deciderant. Fertur igitur illi S. Gregorius in somnis apparuisse, quem toties feruentissimè rogabat, ac iussisse, ut templum ingrederetur, & lectionem illam quæ exorditur, Rursus Iesus meus, &c. coram omni plebe legeret: qua uisione persuasus, Ecclesiam ingreditur, ac lectionem hanc sine omni impedimento linguæ ita pronunciat, ut nemo nõ admiraretur & restitutum sermonem, & concessum à Deo donum. Hęc ex Iohanne Monacho, & alijs nonnullis recentioribus qui Annales scripsêre. in quibus id quoq; reperi: Leonem Venetis publicè misisse muneri Zachariæ corpus, cum parte sanctissimæ crucis ac Dominicæ uestis, & alterius quæ Deiparæ fuit uirginis: quibus Veneti sacraria sua & auxerũt, & adornarunt. nam ijs multũ fauebat, et illi uicissim contra Sarracenos & alios hostes suos classem pollicebantur.

Nunc mihi redeundum est ad Occidẽtis Imperatores, ut pari passu simul utrosq; recenseam fideliter. Non quòd usq; quaq; anni respondeant: qui fieri enim potuit, ut eodem tenore ij Orientem, illi Occidentẽ regerent: sed quo propius fieri poterat, coniunxi. Certam uerò annorum respondentiam dabunt annales. Hi sub Carolo Magno fuerunt Græci Imperatores. Nunc Ludouicum describam, & qui sub illo fuerunt subiungam.

LVDOVICVS PIVS.

LVDOVICVS filius fuit Caroli magni illius, qui rem Christianam armis, pietate ac templis auxit: & Hildegardis. Pius cognomento dictus, quòd religioni Christianæ, cuius fuit studiosissimus, multum detulit: & summis Pontificibus, qui sua tempestate floruerũt, maximam impartitus pietatem: mitissimi ingenij, & morum mansuetudine cunctis amabilis. Puer penè Aquitaniæ principatum obtinuit iussu patris: præclaros labores aduersus Hispanorum tyrannos suscepit, quibus multas in suam potestatem ciuitates, uiuente patre, redegit. Intellecto autem patris interitu, Aquisgranum uenit: recensito eius testamento, legata distribuit, à regni proceribus Imperator consalutatus. Diuersarum gentium legatos audiuit, partimq; cum ijs pacem nouam sanxit, partim cum alijs ueterem instaurauit. Ante omnes, legatos Michaelis Constantinopolitani Imperatoris, amicitiam eius petentes, & libros Dionysij de cœlesti Hierarchia dono ferentes, & benignè audiuit, & honestissimè donatos remisit. A Stephano IIII. Pontifice maximo, cui Lodouicus Aurelianus occurrit, honorificentissimè ipso excepto, Remis ab eo est inunctus, ac diademate imperiali coronatus. Qui cùm septem tantum sedisset mensibus, Paschalisq;, qui ab alijs Paschasius appellatur, in demortui esset locũ surrogatus, sine Imperatoris assensu (tum enim non licuit absq; Imperatoris authoritate Pontificem

u

tificem aliquem creare: quòd si in hæc usque tempora is mos duraret, melius de Republica Christiana ageretur.) Paschalis ipse ueniam deprecaturus, Imperatorem adijt: quem reuerenter per Bernardum Longobardorum Regem & Arelatensem antistitem excepit: ac agnita culpa, data que fide, ne posthac ijs imperialis læderetur authoritas, Romam remisit. Habito deinde generali procerum conuentu, duo egregia perfecit: primum, ne filiorum inter se fieret ulla dissensio, regna sua sic partitus est, ut Lotharium imperij consortem faceret, Pipinum regem Aquitaniæ, Ludouicum uerò Bauariæ. Dehinc animum ad sacerdotalem fastum corrigendũ adiecit, cõdito Codice de ordine & ritu Ecclesiastico uiuẽdi: quem per omnia sua regna iussit circumferri. In quo clericis ac sacerdotibus coccinei coloris uestes preciosæ ac sericeæ interdicebant, ne purpurati, ne ue bracteati, gemmisq; annulisq; redimiti muliebri more (ut nũc fit) incederent. Quod tam hodie esset necessarium, quàm utile, cùm tanto luxu sacerdotes incedant, ut uix annui census unius magni sacerdotij, in uestium abusum satis sit, atq; ideo sex septẽq; ac plura habere sacerdotia sit perneceſſe. Sed noluit uicissim pius Imperator, sacerdotes etiã egere. Ob id sanxit, qui sacris initiati essent, nullius hominũ seruitio subijcerentur, nec ulla seruitute premerentur. Hanc ob causam statuit, ut ędes sacræ suum haberent uectigal, unde uictus ijs foret qui diuinis operarent, ne sacrorum cultus, uictus inopia deseretur: ne etiã sacerdos quęstui ulli se dederet, qui ipsi est turpissimus. Sic uitam clericorũ pulchris legibus reformauit, quas per omnes suę ditionis regiones distribuit. Est interea Bernardus ex Pipino nepos, Longobardorũ rex, quorundam cõsilio, Imperatori factus rebellis, adeò ut alpium angustias (quas uulgus Clausas appellat) prędio muniret, & ingressum in Italiam prohiberet, & apertè ab eo deficeret. Imperator autem factus certior, misso insigni exercitu, coniuratores adeò terruit, ut Bernardus se sponte dederet, in clementiam principis confisus: & cęteri consultores eius exemplo idem facerent, Anselmus Mediolanensis, Alphonsus Cremonensis, & Theodulphus Aurelianensis episcopi: qui omnes custodijs traditi, cùm Bernardũ luminibus puniret, licet capitali omnes forent sententia condemnati à proceribus, tamen Bernardus huius pœnæ leuioris impatiens, quasi omni careret scelere, capite cęsus est, plericq; eius conduces pari affecti pœna: antistites dignitate amoti, cœnobijs inclusi, uita sunt donati, reliqui relegati. Hic Theodulphus Aurelianẽsis episcopus, Ligerientis abbas, denuò posthac est inter coniuratos deprehensus, cùm scilicet conspiratio, de qua paulo pòst, contra Ludouicum à regnicolis fieret, ubi Andegauiam a Pio Imperatore est relegatus. Qui cùm in carcere teneret, die illo festo Palmarum, quo supplicationes fiunt, prætereũte custodiam Imperatore cum clero ac uniuerso populo, aperta fenestra Episcopus, cùm haberet uocem sonoram, insignis musicus, & poeta non contemnendus, hunc hymnũ à se factum quo passim omnes ecclesiæ hoc die utuntur, clarissimè cecinit:

Gloria, laus & honor tibi sit, Rex Christe redemptor,
Cui puerile decus prompsit Osanna pium.
Israhel es tu Rex, Dauidis & inclita proles,
Nomine qui Domini Rex benedicte uenis.

Et reliqua carmina quæ sequuntur. Vniuerso aũt populo in stuporem uerso, Imperator episcopũ uinculis absoluit, & ueniam illi concessit. Cæterùm ut de præclaris eius bellis aliqua scribamus, Britones à Francorum fide deficientes, in suam potestatem redegit, eorum rege occiso. Vascones per filium Ludouicum ita compescuit, ut arma deponerent. Pannoniorum tyrannum Aquileiam bello prementem fugat, tandemq; occidit: piratas ex Dacia in Aquitaniam irrumpentes, ac omnia uastantes, arcuit. Italicum tumultum per filium Lotharium sedauit: qui à Paschali Pontifice Maximo, in urbem est accersitus, & die solenni Paschæ ab eo Imperiali diademate coronatus, ac Imperator &

Augu-

Augustus dictus. Cum Bulgaris item rem Imperator omnem composuit, & Normannis, quos ad fidem reduxit, & lauacro baptismatis ablui fecit: Frisiam illis donauit, ut tutiores ab infidelibus essent. Sarracenos, qui urbem iugo seruitutis opprimere tentabant, ab iniquis quibusdam in Italiam accersiti, ex Italia repulit. Cùm itaq; pientissimus Imperator undiq; oppressis leuamen dare, iniquis pœnam irrogare, & omnino bonum agere principem fatageret, in proceru primò, dehinc filiorum odium innocens pater incidit: quòd longior uita patris, filio uideretur esse seruitus quædam. Fit itaq; conspiratio in Imperatorem, siue quòd Bernardum quendam, quem ex Hispania accersiuerat, & cubiculari honore ac palatij præfectura honestatũ, corporis sui custodem, & magnæ in curia sua authoritatis creauerat: qui cęteris fermè omnibus erat exosus; siue quòd Iuditham alteram uxorem plus æquo diligeret, quæ potionibus ac magicis artibus animum Regis ferebatur emolliuisse, adeò ut indulgentior uideretur in Carolum filium ex ea genitum, quàm in alios: siue quòd Iudithã mulierem luxuriosam & adulteram, à Friderico Traiectensi episcopo castigatam ob eius delicta, Rex impunitam dimitteret, cùm eandem in templo occidi imperasset. Qui res nouas moliebantur, Pipinũ in patrem animabant, quòd Bernhardum eò extulisset, ut omnibus dominaretur, & aspernaretur uniuersos ob superbiam. Lotharium uerò inducebant, ut ignominiam patris quam ex uxore contraxerat, aboleret, si ipse sceptra & habenas imperij moderaretur. Imperator ut occasionem æmulis auferret, Bernardum à se amouit, Iuditham uxorem Landinum proficisci iubet, quæ pòst in diuæ Radegandæ cœnobium, quod Pictauiæ est, relegatur. Filium Lotharĩ pius pater modestè admonet, caueat credere coniuratorum mendacijs, decere filium patri obsequi. Coniurati ergastulis includuntur. Sed pius princeps nulla grauiori pœna ultus est scelera illorum, quàm quòd hos monasterijs inclusit. Cùm dehinc Aquisgrani regressus, uxorem ab exilio Aquitanię reuocasset, & purgatã uxoris loco dignatus esset, dimissis à se filijs, Lotharium in Italiam, Pipinum in Aquitaniam, Ludouicum uerò in Bauariam ablegauit. Sed pacis osores & quietis delatores, iterum patrem filijs inuisum reddunt: suadẽt, ut de regni statu ac conditione diligentius prouideant. Sic creduli filij copias cogunt aduersus patrem, & Gregorium III. Pont. max. multis erroribus inuoluunt, ut patrem adeat, & concordiæ cõditiones attentet: sed irritus omnis conatus. Pater dum filijs obuiã è castris suis progreditur, licet equis descendẽtes benignè excipiant, Iudithã primùm capiunt, ac Tortonã relegant. Dehinc partẽ custodię arctissimę mancipant, in monasterio diui Medardi Suessione, unã cum filio iuniore Carolo, imperiumq; inter se partiuntur. Monarchiã uerò Lothario natu maiori, fratres permittũt. O filij ingrati in pientissimũ genitorem, qui plus mendacijs creditis proditorum, quàm paternæ pietati: cùm ea unà cũ liberalitate & mansuetudine ac clementia, non potest sęuã à uobis dominandi libidinẽ amouere, cùm tamen sit hęc sarcina uirtutum, qua multi principes feliciter ac diu orbẽ rexerint. Sed si filijs hę uirtutes paternę, quas æmulari deberent, displiceãt, nunquid pręstat magis in cœlibatu uiuere, q̃ tam sordidam & feculẽtam post se prolẽ relinquere? sed nõ relinquit Deus iustum, & grauia diu nõ possunt latẽre scelera. Lotharius patrẽ de custodia eductum, ut se apud populũ purget & Ecclesię satisfaciat, cõiuratis seditionem timentibus, & id postulantibus, apud Compendiũ ostendit. Sed cùm iterum monasteriũ S. Dionysij ingressus, cucullã monachalem, abiecto baltheo, induisset, renunciaturus imperio, multis regni Franciæ primoribus Principem amantibus iunctis, custodia inuitis filijs educitur, regnisq; suis restituitur: sumptoq; baltheo ac imperiali diademate, Aquisgranum perrexit, Iudithã uxorem ex Italia exilio redeũtem recepit: ablegato post reconciliationẽ à se filio Lothario in Italiam, Ludouico in Bauariam. Sed cùm prudens mulier Iuditha ętatem ingrauescentẽ Imperatoris animaduerteret, rogat enixè, ut filio minori Carolo

de paterna hæreditate ac tutore prouideat,ne egere post eius obitum non sine ignominia uideatur. Pius pater Lothariũ ex Italia aduocat, tutorem Iudithæ ac Caroli cõstituit. Totum Austrasiæ regnum à Mosa flumine ad Hungaros usq; Lothario attribuit,reliquum Carolo assignat,quẽ Aquitaniæ regem cõstituit. nam Pipinus iam diem suum obijt. Ludouicus autem,licet Bauariã possideret, indigne ferens hanc regnorum partitionem,exercitum educit,sed frustrà. Approbata eñ hac diuisione & à populo & Imperatore, cùm iam Ludouicus Imperator morbo resolueretur,edito testamento,omnia roborauit,Lothario imperium cõmisit,simul & tutelam filij Caroli & matris Iudithæ: coronã illi auream & ensem quo in prælijs utatur,donat,cæteram supellectilẽ Ecclesijs & amicis impartit:dehinc religiosissimè perceptis Christianis sacramẽtis, quadragin ta diebus sine cibo ac potu iacuit.xij.kalen.Iunij,anno Christi octingentesimo quadragesimo,spiritum suum Deo reddidit, quum uixisset annis lxxiiij. imperasset annis xxvi. In monumẽto Hildegardæ matris,quod Metis erat Mediomatricum urbe sepultus,in basilica S. Arnolfi,nõ sine celeberrima exequiarum pompa:Drogone fratre suo, quem Metensem Pontificẽ ipse dum uiueret creauerat, iusta persoluente. Cuius mortem & cometa & eclipsis præcessit.

Habuit autem Imperator duas uxores: primam Hermingardem filiã Ingrami ducis Saxoniæ:ex qua tres genuit filios, Lotharium primogenitum, quem Regem Italiæ in Bernardi locum substituit, quem Paschalis Pontifex in Augustum inunxit, & qui patri in imperio successit. alterum Pipinum, quem pater in Aquitaniam misit, & illi filiam Theoderici comitis Matricensis uxorem dedit:sed ante patrem obijt(ut diximus)relicto filio eiusdem nominis. & Ludouicum tertiò genitum, qui pòst cognomento Senior dictus est Rex Germaniæ,Bauariæ & Orientalis Franciæ. Alteram uerò uxorem habuit Ludouicus Iuditham,filiam Vuelffonis,primi comitis Altorfensis in Sueuia,sororem Ethiconis:mulierem forma insignem,et ingenio præstantem. E qua sustulit filiũ Carolum:cui cùm plus æquo fauere à cæteris filijs suspicaretur, indignationẽ incidit. hic est postea Carolus Caluus dictus Imperator,ut sequẽtia indicabũt. Hęc excerpsimus è libro v. Annnaliũ Ottonis Frisingensis antistitis,ex quarto compendij Roberti Gaguini,ex iij.lib.Pauli Emilij Veronẽsis de rebus Francorũ, ex Sigeberti Chronicis,ex Reginone abbate Prumiẽsi, ex abbate Vrspergẽse, & nonnullis alijs Chronicis. Sed nos more nostro tetrastichon subijciemus:

Hic pietate patrem Ludouicus uincere Magnum
Dum parat, Ecclesiæ commoda multa tulit.
Pontificum scelera arguit emendatq; furores,
Et facit ut memores Cæsaris acta probent.

Subiungamus nunc iterum Græcos Imperatores, qui in hæc tempora inciderunt:duos autem inuenio, Michaelem scilicet Thraulum, & Theophilum: quos nunc describemus,redeuntes deinceps iterum ad Romanos.

MICHAEL THRAVLVS.

MICHAEL hic ex Amorio ciuitate superioris Phrygię,ex humili ac sordido genere natus,quia balbutienti lingua erat, Thraulus est cognominatus:uir summæ impietatis,& qui nefandam hæresim à pueris imbibisset: utpote in ea urbe genitus,in qua Iudęi,Athingani,& omnium sceleratissimorum hominũ colluuies habitabat. Inter quos erãt qui baptisma susciperẽt,et Mosaica præcepta in sectione præputij sequerentur. Et cùm præceptorẽ haberet domesticum,seminarium omniũ uitiorum,nullamq; animi puritatem, qualis spes esse

esse posset, à pueritia hac hæresis labe educato. Cùm autem rerum inopia urgeretur, & domi quæ ad uictũ spectant, satis nõ esset, in prima iuuẽtute maliciam exercere cœpit. Cùm ergo exercitus ducem adiret, militiæ conditionem acceptturus, Tinganus quidam uir qui tum fortè aderat, Michaelẽ aspiciẽs paulo intentius, Aechano duci loquitur hæc uerba: Qui te rogat, quando q; imperabit, si uera sunt quæ præuideo. Hoc uaticinio persuasus dux, Michaelẽ sibi familiarem, & ex filia socerũ facit, ut Zonaras scribit. Scylax Græcus autor, qui Constantinopolitanã scripsit historiam, tradit hunc Thraulũ Michaelem ex uaticinio Vxiorũ adeptum fuisse imperium, quæ secta per Mœsiam ac Europã sparsa, passim omnibus futura prædicebat. Putant autẽ aliqui Vxios esse Persiæ populos, quos seculum nostrum Cinganos uocant, qui per orbem sparsi, degunt more ferarum, nulla lege, nullis artibus, tamen futura prædicentes: cùm omnes ferè populi Oriẽtales præsertim Chaldæis uicini, uaticiniis sint addicti. Michael itaq; adultior factus, ubi genethliaco edoctus fuerat ex genesi sua imperiũ sibi promitti, Leoni imperatori (cui adeò charus erat, ut in compatrẽ sibi filio nato eligeret) adeò adhæsit, ut eum Comitem domesticorum crearet. Et ideo Leone coniuratione quadam (ut scripsimus) occiso, optimatum prætorianorum q; fauore, per arma sublimatus est ad imperiũ. Huic igitur sic imperio potito, patriarcha Nicephorus exul, mox de imaginibus sanctorum instaurãdis scripsit. Cui rescribens, nihil sese prorsus innouaturum promisit, nec semel institutũ Ecclesiæ ordinem immutaturum: nec præterea quenquam se offensurum aut reuocaturum, quò minus pro suo quisq; arbitrio numẽ quodcunq; adoret. Quæ omnia dissimulanter scripsit. Quandoquidẽ animum suum maleuolum mox operè patefecit contrario, homines sacratos ac religioni rectæ Christianè deditos, periculis obijciens, partim martyrio, partim exilio afficit. Quemadmodum sanctum Methodium, ac diuũ Euthymium Sardiniæ præsulem, ob eius filium Theophilum, Copronymum imitatus, qui eadem à Iudæis quæ hic in puericia didicit, & ob id sabbatis ieiunare præcepit. Resurrectionem minimè credebat, futuras promissiones ridere solitus, prophetas carpebat, dæmones negabat, adulteria passim permisit, ac per Deum in omnibus iurandum censuit. Iudæa- 191
lutem ominabatur, Pascham irregulariter celebrauit: & Christi ueram religionem, quãtum potuit, subuertere studuit. Sed paucula hæc sunt ex infinitis, quæ de eo scripta passim leguntur. Sunt autem eius scelera copiosissimè à scriptoribus tradita. Sub eo grauissima bella intestina ac ciuilia gesta sunt, autore Thoma quodã tyranno, cuius suprà mentio facta est, cùm de monacho in Philomi- 192
lio scriberemus, qui tres futuros Cæsares uaticinatus est, & hunc tyrannidẽ aggressurum pronunciauit, sine ullo tamen prospero successu. Erat hic (ut suprà scripsimus) fœderatorum ordinũ princeps sub Leone: cuius morte intellecta, siue quòd de eo benemeritus esset, siue quòd ad imperium aspirauit, aduersus Michaelem uires suas omnes colligens, haud contemnendas copias eduxit, omnemq; ferè Orientalem plagam sibi uendicat, arreptis simul omnibus undique publicis uectigalibus. Quibus auctus, aggressus est insuper Agarenos, finitima quæque deprædantes, ob hæc ipsa ciuilia bella: quos suo exercitu insequutus fudit, ac omni commeatu priuauit. Dehinc in colloquium ueniẽs cum illis, pacis conditiones has transegit, ut si Romanorum imperator euaderet, fines imperij illis concederet habitandos. Placuêre conditiones: & percussis fœderibus, Thomas Antiochiam ingressus, à patriarcha huius ciuitatis Iohanne coronam imperij accepit, & se imperatorem appellari passus est. uir obscuro loco natus, ex parentibus Barbaris, in maxima rerum inopia educatus, adeò ut seruitute uitam diutissimè sustentarit. A' fortuna igitur euectus, arrepta tyrannide nomen suum abiecit, & Constantinum se appellari iussit. Magno itaque exercitu, non tam ex suis quàm Agarenis confœderatis, alijs q; nationibus collecto, contra Michaelem egressus Antiochia, eum uicit, fugauitq;, non sine ma-

gna hominum ſtrage: licet multi fuga ſalutem inuenerint. Vnde animoſior factus, robuſtiorem exercitum ſibi comparauit, claſſem regiam uſurpauit, ex Abydo in Thraciam traiecit, omnesq; Orientis regiones ſubegit, dempta Opſicij regione, cuius præturam agebat Itacylas, & Armeniorum princeps Albanum prætorem pro imperio tenebat. Hic igitur inſidias tyranno parans, eius filium adoptiuum capit, captumq; interfecit. Thomas autem Thracia occupata, omnes ſibi populos adiunxit, mariq; ac terra bellum contra Michaelem geſſit, duplicique uictoria exercitum illius diſiecit, aliumq; ſibi filium adoptauit in demortui locum, cui nomen erat Aiathanas Anaſtaſius, olim monachus, qui abiecto ſacro habitu, militarem ueſtē accepit. Michael eò eſt deſperationis deductus, ut ex arce Conſtantini Peram oppidulum, ferream cathenam produxerit, ut ſecuriora à tyranno intus ſeruarentur. Sed Thomas ciuitatem petens, terra mariq; ingentem duxit exercitum, quo ferream hanc cathenam dirupit, ſperans ſe facilē conſequi ingreſſum, ſi à ciuibus agnoſceretur, ob odium quod iam in Regem concitatum erat. Sed urbis cuſtodes ubi paratos reperit, de ſpe decidens abijt, & ad templum ſacerrimum diuinorum Anargyrorum Paulini, hoc eſt qui argentū & pecunias aſpernantur, religioſorum caſtra locat, & uallo circundat, aliquotq; diebus ſe ad pugnam terra mariq; accingit, admotis urbis mœnibus machinis, ſcalisq; ac cęteris bellicis inſtrumentis. Sed ubi irritus eius erat conatus, in Thraciam cōceſsit, illic hybernaturus: ineunte uere, urbem iterum pedeſtri naualiq; obſidione cingit. Michael hac hyeme ingentem parauerat exercitū, quem multis pollicitationibus erexit, ac hoſte tum ſecuro, nihilq; metuente, è diuerſis urbis portis inſperatò emiſit, tyranniq; exercitum diſiecit ſubito terrore, ac fugauit, multis cæſis. Eademq; tempeſtate ſuis regijs triremibus claſſem tyrannicam aggreſſus, cùm impetum triremium ferre non poſſet, continentem petijt, hic pars militum in fugam uerſa, pars ad Regem defecit. Sic fortuna & terra & mari mutata, tyrannum deſeruit. Sed pertinax nec uallum reliquit, nec bellum detrectauit, nouum ex Græcia exercitum accerſit, remigio per Lyridas traiectum. Cui Michaelis claſsis inſidias locat, & noctu aliquas triremes igne concremat, aliquas nihil tale timentes capit, paucis relictis, in terram fugientibus. Præfuerat exercitui terreſtri Theophilus filius Thomæ: ſed iam nulla amplius uictoria Thomæ ceſsit. Et iam fama huius inteſtini belli ad Mortagon Bulgarorum principem, qui triennales inducias cum Leone pepigerat, deſcendit: qui Romanorum amicus, ultrò in auxilium Regis uenit, caſtraq; prope Cedoctum locat: quæ res maximo terrore Thomam affecit. Qui diffiſus ſimul & ciuitatem obſidere, & Bulgaris reſiſtere uno exercitu, inutile arbitratus ipſum diuidere, totis uiribus contra Bulgaros iuit: à quibus uictus eſt, multis cęſis, multis captis, multis in acinacem Barbaricam confugientibus, ne ab hoſtibus caperentur, ſed ibi rerum exitum expectantibus. Victoria potiti Bulgari, onuſti præda, domum ſuperbiores redeūt: uictum uerò tyrannum multi deſerunt, ad Michaelem deficiētes. Thomas uerò etiam debilior factus, ab obſidione non deſtitit: ſed magis idoneum nactus locum, uallo cinxit, quotidianæ prædæ intentus: unde graue ciuium odium incidit, qui uſqueadeò Michaelem impulerunt, ut totis uiribus hoſtem aggrederetur: qui manus conſeruit cum Thoma, eumq; uſque in Adrianopolim fugauit, multis militibus captis, multis in patriam ſuam abeūtibus. Michael obſidione Adrianopolim cinxit, fameq; ac inopia oppidanos coegit, ut Thomam illi in manus traderent: de quo triſtem Michael, manibus pedibusq; truncato, triumphum egit. Et quum inquiſitionem coniuratorum ageret, multis deprehenſis, Examulio ſtradente deſtitit, multisq; cruciatibus tandem iugulauit. Filius huius adoptiuus, qui in oppidum Byzies confugerat, in cuſtodia ſeruatus, crudeliter tandem cum patre mactatus eſt. Talem exitum ſortitus eſt Thomas ob inſolentiam ſuam. Ciuitates autem Thraciæ poſt mortem Thomæ in priſtina perſeuerabant pertinacia ac

nacia ac defectione, ob odium contra Regem iam diu contractum: Panium præsertim & Perinthus, quæ à ueteribus Heraclea appellabatur. Panium tamẽ capitur, quòd mœnibus terræmotu collapsis facilem hostibus aditũ præbuit. Heraclea ea parte, qua ad mare uergit, oppugnata est. Michael trophæum referens reuertitur, adductis in asino sedentibus in theatrum ubi equorum certamen erat, qui partibus Thomæ fauerãt, quos exilio mulctauit. Nec alia pœna affecit, præter Cheream & Zagorenum, quos interfecit: quòd ne post mortem quidem Thomæ arces, quas in custodia habuerant, restituere uoluerunt. Hac Thomę coniuratorumq; consperatione factum est, ut Agareni, & qui ad Occasum habitant, ac Iberiæ sinum colunt, ducem adirent, quem Amermumnen appellabant, petentes ab eo colonias deduci, & propter loci angustiam, & gentium multitudinem. Quod hic pollicitus, triremes parat, insulasq; Romanorum inuadit, prædaturq;, & in Cretam usq; peruenit: quam cùm omnium rerum feracissimam & abundantem inueniret, pluribus in prædam emissis, ipse custodiam insularũ tenuit, & tandem euastauit. Agarenis autem id ęgreferentibus, qui locorum amœnitate capti, libenter hic habitassent, Apothaps Hispanorũ dux, alicubi se coloniam quærere respondit. Et ilico: Regionem hic habetis, inquit, melle & lacte fluentem, et mulierum copiam, è quibus gignere filios poteritis. Qua ratione persuasi, insulam Agareni capiunt, & quoscũq; hic repertos in captiuitatem redigunt: ubi Cyrillus Cortinę episcopus martyrium ob Christi amorem passus est. Contra hanc Agarenorum classem, Imperator insignem emisit exercitum: qui adeò uictus est ab Agarenis, ut pauci relicti sint, qui in patriam nuncium retulerint. Qua re motus Imperator, classem magnã instaurat: cui Craterum præfecit, ut Agarenos debellaret, qui mox hostibus congressus, uictor multos captiuos abegit, & uictoria elatus, quasi omnes deuicisset, hostes contemptui habuit, uoluptatibus, ocio & somno inclusit. Quos Agareni adorti, media nocte maximo strepitu ita ceciderũt, ut uix calamitatis nuncius superesset. Craterus nauicula elapsus, reductus est, & in crucem affixus. Submissus Oryphas dux noua classe, audaciam eorum qui in Creta erant repressit. Hic Michael cùm post primam uxorem mortuam Euphrosynen Constantini, ab Irene matre excęcati, filiam duxisset, monachã & tonsam ab exilio redemit: promittente Senatu, filios ex ea natos, futuros sibi reges. Sed cùm annis octo & mensibus nouem crudelissimè imperasset, correptus phrenetide, profluuio uentris, animam excacauit, filio superstite relicto. Sub quo Dalmatia, quę Romano suberat imperio, defecit. Et Sarraceni duce Sabba, Mauriq; ex Aphrica trajicientes, urbem Romanam inuadere tentarunt. Vaticanum nullis adhuc munitionibus septum, facilè adepti. Iniectis flammis, suburbia deuastãt, & obsidione Romam cingunt. Sed aduentu Guidonis cum auxilijs, Italiam relinquunt, & Siciliam inuadunt. Non potuit tum Ludouicus Imperator Occidentis, à Paschale pontifice per oratores moueri, ut opem ferret, causatus eam iniuriã pertinere ad Michaelẽ, cuius esset Sicilia. Habuit autem Michael fœdus cum Ludouico Imperatore, cui oratores misit, & cum ijs opera Dionysij, ut suprà scripsimus. Hæc ex Ioanne Monacho, & recentioribus Blondo ac Sabellico, qui latissimè libro tertio primæ Decadis, de bello Siciliæ hac tempestate facto scribit: quæ sciens & uolens prætereo. Dicitur tunc uetus oraculum suum fuisse uaticinium assequutum, rem scilicet Romanam in lapsum præcipitem iturã, & principatum malorum in terra futurum, quando Dracon Babylonię dominabitur impedita lingua, & auarissimus, qualis hic uir fuit, balbutiens, & auarus admodum.

THEOPHILVS CAESAR

THEOPHILVS, filius Michaelis Trauli, Imperiũ assequutus, primùm in eos animaduertebat ueluti in homicidas, qui Leonem trucidarũt, licet patrem adiuuissent: ut pares audacię pœnas illis retribueret, hoc se in mandatis à patre habere dicens. Dehinc nouercã regia expulit, pristino eam monasterio includens, in principis insula: non obstante quòd consulares uiros Michael iuramento adegisset, ut eam se mortuo Reginam uenerarentur, & obseruarent. Alioqui uir iustus, & iniusticiæ acerrimus punitor: qui plerunq; singulis hebdomadis satellitibus cinctus, equester forum circuire, & res uenales scisciari solitus, ædili præcipiebat, ne fraudes in emptionibus permitterent, uel adeò conniuerent. In publico se facilem adeũtibus præbebat statis diebus. Sed ad seueritatem propensior, acrius delicta punire assuetus, quod uel hinc maximè patet. Cùm mulieri querẽti de patrono, qui affinis erat Augustę, quòd suis ædificijs uicinæ domũ obumbrasset, in foro nudatus & fustibus cæsus est, & eius tota domus mulieri est data. Simul etiam eius seueritas in hoc cognoscitur, quòd onerariam nauem quæ ex Syria Augustæ nescio quas merces aduexerat, mergi iussit, non sine iniuria & iactura Reginę, quòd regibus non liceret uictum quęstumq; plebeijs præripere. Sed impius in religionẽ & diuorum imagines, quas ex paterna æmulatione auersatus, plurimùm detestabat. Ob id religioni studẽtes, obnixè à simulachrorum honore reuocare laborauit, ut suæ fierent impietatis participes. Non assentientes, crudeliter puniuit. Solebat illos impudico ore idolomanes, id est imaginũ furore correptos appellare: cũ tamẽ eius uxor sanctorũ imagines ueneraretur religiosissimè, & coleret pientissimè. Ducturus enim uxorẽ multas uirgines forma & pulchritudine insignes undique ex omnibus regionibus fecit disquirere, inter quas Casia quædã nomine, forma præstanti, stemmate antiquo nobilissimoq;, et facundia mirabili, reliquas antecellebat. Theophilus delectum faciens, pomum aureũ accepit, ut insigniori & pulchriori σημεῖον amoris daret. Omnes itaq; contemplatus ordine, Casiæ pulchritudinem in primis admirabatur, eamq; accedens ueluti daturus pomũ, A muliere (inquit) prodit malitia. Cui placidè & summa cum uerecundia, colore rubeo perfusa Casia respondit: Et per mulieres bona coalescunt. Quibus uerbis quasi fulmine attonitus Cęsar, obticuit. Hanc prætergressus, Theodorę Paphlagonę pomum donauit. Quod Casia uidit, desperans se amplius futuram reginam, monachalem uestem induit, & habitui huic nomen dedit, quod usq; hodie permanet: Deoq; se dedicans, religiosam uitam uixit, corruptibile & caducum hoc regnum cõmutauit in cœleste: disciplinis dedita, libros conscripsit, qui ad hęc usq; tẽpora durare feruntur. Rex uerò Theodorã duxit uxorem, & in nuptijs coronam regalem obtulit, Augustamq; appellauit. Erat autẽ reginæ patria Paplagonia, parentes Marinus & Theoctiste, eius regionis nobilissimi, ac simul religiosissimi, & qui maximè diuorum imagines uenerarentur. Fuit mater cum filia apud regem, quæ cognomine dicebatur Florina. Hęc patricia dignitate donata, monasterium est ingressa Gastriarum, quasi uerberatorium dicas: quod ut multi tradunt, ipsa ædificauit. Genuit aũt Theophilus ex uxore Theodora, primùm quinq; filiolas, Theclam, Annam, Anastasiã, Pulcheriam, & Mariam: quæ ad auiam in monasterium, ut neptes solent, itabant. Solebat hęc pientissima auia puellas munusculis illectare, & sanctorum imagines puellarum capitibus annexuit, easq; uenerari docuit, ex arcula eas depromẽs, semper nouas & pulchris coloribus adornatas, quibus oblectebantur puellulæ. Redeuntes rex pater, filiolas interrogare solebat: Ecquid apud auiam fieret? quę diceret? quę donaret? Alijs silentibus, Pulcheria infantula balbutienti ore:

ore: Mi pater, inquit, quot habet auia noſtra in ſua arcula Ninia (ſic infans appellabat imagines) hæc capitibus noſtris imponit, hæc oſculamur, hæc ſalutamus bonis uerbis ut docet. Imperator mox intellexit, auiam docere puellulas imaginum cultum. Interdixit itaq; filiolis, ne amplius itarent ad auiam. Nil mali tamen auſus contra ſocrum Theoctiſten, uel ob reuerẽtiam, uel ob uirtutem matronæ, quæ crebrò eum obiurgare ſolita, quòd cõtra Orthodoxos ſentiret, & opprobriis ſacras imagines afficeret, odium ſubditorum concitatum iri aſſe uerabat conſtanter. Non minus uenerabatur ſanctorum ſimulachra & imagines regina ipſa, quæ peculiari quodam lararío ſacras ſtatuas colebat. Cùm autem Nanus quidam Deuderi nomine, quem rex in delicijs habebat, ſtultulus balbutiens, ad Reginam ueniret, inuenit eam ſacras imagines adorantem clàm marito, qui uehementer eas deteſtabatur. Cùm autem homuncio ille Reginam interrogaret: Ecquid hic eſſet? Reſpondit, thalami eſſe Ninia: quæ homunculus ille Regi prandenti narrauit: interrogatus unde ueniret, à Mana, inquit (ſic enim Reginam appellabat) quę pulchra & plura habet Ninia. Rex ſtatim imagines ſuſpicatus, ira concitus, ad Reginam uenit, contumelijs eam aggreſſus, idololatrã appellabat, uerba ſtulti repetens quæ audiuit. At hæc cauta uirum pulchrè eluſit. Deuderus (inquit) non ſimulachra apud me uidit, ſed me coram ſpeculo comantem, reuerberatas imagines reddente, quas Ninia ille ſuſpicatus, credidit. Quo commento mariti iram ſedauit, & furorem compreſſit. Qui in religioſos & imaginum cultores mirum in modum inſaniebat: immo & in imaginum pictores, in quos pari furore deſeuiebat. Erat enim per hęc tẽpora monachus quidam Lazarus, qui pingendo celeberrimus habebatur: quẽ uerberibus cæſum, in carcerem detruſit, & laminis ferreis ac ignitis palmas exuſſit, ob hoc ſolùm quòd imagines ſanctorum, prohibitus iterũ pinxiſſet. Sed diuina adiuto gratia, carcere exempto, reddita eſt priſtina ualetudo: ut poſt mortem tyranni, ſimulachrũ Saluatoris tanta arte ac tanto ingenio pingeret, ut omnis poſteritas pro rei dignitate uix ſatis admirari poſſet. Viros autẽ ſanctos ac confeſſores Theophenem & Theodorum germanos fratres uerberatos, nigris notis in facie notauit, ac frontibus eorũ carmina Iambica, quæ apud Zonaram extant, inſcripſit: ſanctiſſimum autem Methodium, qui deinde patri archalem ſedem decorauit, quòd ſuæ prauę fidei aduerſabatur, poſt colaphos, uerbera, & dentium euulſiones, inſulam Pannorim, ab alijs Antigoni dictam, relegauit: cumq; duobus latronibus in monumentũ uiuos incluſit, altero mox mortuo inedia. Septem fertur annis hoc ſepulchro incluſus inediam pertuliſſe uir diuinus, & deinde excluſus in templo quodã permanſiſſe à nemine uiſus, niſi à ſuo miniſtro & à Rege. Quadraginta duos fertur corona martyrij Rex illeſ inſigniuiſſe. Talis fuit rex in ſacras imagines & uiros religioſos, qui alioqui Rempub. bene curabat, & ciuitatis mœnia in parte maritima collapſa reparabat, magnificentiusq; & altius quàm fuerant inſtaurauit. Tum Xenonen, hoc eſt hoſpitale fecit proprio nomine, in loco ubi prius meretricũ diuerſoriũ fuit. Erat pręterea circa uenerea continentiſsimus, adeò ut quondã amore captus puellulę uenuſtiſſimę formę, quę reginę ſeruiebat, licet nullũ cũ ea unq; habuiſſet cõmerciũ, Theodora indignante, ueniã petijſſe cõſcięntia morſus ferat. Cantu oblectabat, & muſices erat ſtudioſiſſimus. Iuniorẽ filiam plurimùm amauit Mariam, cum qua ſibi generũ fecit Alexium, cognomẽto dictũ Moſele, uirum Armenũ ex genere Crinitorum, qui in flore ætatis erat forma regia et uenuſta: quem multis honoribus præ cæteris affecit, ac demũ Cæſarem creauit. dehinc cũ exercitu in Longobardiam miſit. Moſele ita euectus, nõ potuit carere inuidia. Regi eñ accuſatus quaſi imperiũ affectaret, in calumniã incidit: quę uxore ſua filia regis uiuente, non ceſſauit. Poſteaq; aũt mortua eſt hæc Cæſaris uxor, & regi filius natus eſt Michael, ſtatim hic poſita dignitate, crines ſponte depoſuit, habitum monachalẽ induit, ac monaſteriũ Anthemij exædificauit, in quo

193

uitam

uitam finiuit,& ſepultus iacet. Graſſabantur tum per regiones Romanorum Arabes:quare motus Theophilus exercitū eduxit contra hos inſignem,in quo duo erant pręſtantiſſimi in bellicis rebus uiri,Manuel ſcilicet:qui ſua uirtute etiam hoſtibus, quibus cùm ſæpiſſimè prius manus conſeruerat ac ſtrenuiſſimè pugnauerat,cognitus erat. Alter Theophobus,genus à Perſis ducens,educatus tamen in ciuitatum regina,aliquandiu in obſcuris latuit: licet eius pater ex regia Perſarum tribu progenitus,deficiente regia ſtirpe apud Perſas,alius ſe ex hac tribu finxiſſet, & honorē huic pręripuiſſet. Abijt itaq; cum filio,& tandem cognitus Theophobus in altiorē fortunā euectus,patricio honore eſt inſignitus, & ſororis regis maritus factus eſt. Erat præterea in hoc exercitu Michael Rangabe filius Protoſtrator exercitus,hoc eſt,primipilus.His præſtantiſsimis ducibus confiſus Theophilus, contra Arabas iuit,locatis in proximo caſtris, pro uiribus bene munitis. Sarracenorū dux erat unus ex eorū Satrapis Imbrael,qui octo myriadas hominū in exercitu habebat: quibus illic in præſidijs relictis,ipſe parua manu in patriam reuerſus,nō ſine ſuſpicione aut timiditatis aut arrogātiæ.Pugnatū eſt nihilominus,& multa hominum millia deſiderata ſunt: demum ad liberandum Rom. exercitū inducię factę ſunt. Et niſi Theophobus cum Perſico exercitu militari ingenio Agarenos decepiſſet, & ab hoſtiū manibus eripuiſſet Theophilū,captus fuiſſet Imperator. Qui poſt hanc pugnā Conſtātinopolim cum exercitu reuerſus,facto ſupplemento,mox reuerſus,iterūq; congreſſus, magnam hoſtium multitudinem fudit, uiuosq; multos in captiuitatem redegit. Inter quos captos Agarenus quidā erat ambidexter,ſcholæ gladiatoriæ princeps, duabus haſtis in equo pugnans,quem ſecum Imperator in triumphum duxit. Poſthac iterū egreſſus Imperator contra Agarenos,infœliciſſimè pugnauit. ab Agarenis ſeptus iamiam capiebatur Imperator, niſi Manuel in confertā hoſtium aciem ſeſe proripuiſſet,& Imperatorem minis, adhortationibusq; impuliſſet,ut ſe ſequeretur:& illi uiam enſe ſuo prępараns, hoſtiū manus effugiſſet. Sic incolumis reductus & ſoſpes Imperator, Manueli regia munera donauit.Sed non potuit Manuel maledicorum linguam,licet uir eſſet ſtrenuus & miræ bonitatis,effugere, quin apud regē affectati imperij crimināretur:ac ſic perſuaſus Rex,de eo excęcādo conſultabat. Manuel certior factus cōſilij huius,ad Agarenos defecit,& illic cōtra Perſas multa pręclarè geſſit,de eisq; trophęa erexit. Agarenis itaq; admiratiōi eſſe cœpit,& Perſis formidini. Theophilus errorē ſuum agnoſcens, pœnituit tantū ſe uirum tam inſigni iniuria affeciſſe. Chryſemanthū monachū cum fide aciuramento manu ſua ſcripto, ad reuocandū mittit Manuelem. Edoctus à monacho & perſuaſus, Iſmahelitarum Principē Manuel adit,exercitū petit ut Cappadociā inuadat,illic eſſe ſuos delatores quos ulciſci cupiat. Simulq; eius filiū,quem militaribus diſciplinis iā dudū inſtituere cœperat,petit ut rebus bellicis aſſueſcat. Vtrunq; accipit,& filium & exercitū,fineſq; Romanorū attingit:relictis copijs illic,cum filio ducis Agarenorum & pauculis Sarracenis, quaſi uenatū iret, in regionem peruenit Romanā. Filium Iſmahelitarum principi perq; honeſtè cum Sarracenis remittit. Conſtantinopolim ipſe ingreſſus,benigniſſimè ab Imperatore ſuſcipitur,& ſtatim magiſter equitū creat. Et ut arctiori uinculo eum amoris colligaret,filium regis ex ſacro leuat baptiſmate,quē pater mox corona inſigniuit,& regem Romanorū declarauit. Ineunte uere,Imperator rurſus contra Agarenos arma mouet,multa Syrię loca depopulatus,multa obtinuit oppida,etiā Zozopetrā ipſam,patriam Amarumnæ regis:qui tamen ut patriæ ſuæ parceret,Imperatorē enixè rogabat. Amarumnes iniquo ferens animo patrię euaſtationē,quā uita chariorem habuit,uiciſſim patriam Theophili Amorium aggreditur,obſidione cingēs ualido exercitu. Theophilus patrię ſuccurrere conatus,exercitum educit,cui præfecit Theodorū Fortem. Ipſe cum filio Amarumnę congreſſus, poſt pugnę meritū reuertitur. Nam Manuel qui nocturnis pręſidebat uigilijs,

Perſa-

Persarum proditiones, qui ad Agarenos erant defecturi, intellexit: quando-quidem horum linguam callebat. Iussit itaque Regem cum exercitu discedere. Amarumnes autem obsidioni Amorij intentus, incursionibus crebris oppidanos urgebat: qui cùm strenuissimè pugnarent, irritos omnes eius reddiderunt conatus, adeò ut expugnationem minimè pertimescerent. Sed quidam intus Bœditzis nomine urbem prodidit, in qua magna mulierum, puerorum ac senum multitudo periclitata est: iuuenum ingens turba capta, capti duces excellentiores, Calistus, Constantinus, & fortis Theodorus, patricij: plures{que} alij qui militari disciplina & dignitate insignes habebantur. quos redimere Theophilus multo ære nequiens, per legatos ad ducem Ismahelitarum missos, quos ignominiosè à se repulit, Imperatorem ad tantam animi angustiam redegit, ut iam multos dies ab omni cibo abstineret, solo frigidissimę aquę potu usus, ut dysenteriam incideret: intestinis{que} collabefactis, inualescente quotidie morbo, salutis suæ nullam spē habens, de regno cœpit cogitare. Vocato ad se Senatu iuramentum exigit, ut uxorem filium{que} pro regibus suscipiant, eos{que} seruent: quod promissum factū{que} est. Cœpit aūt maximè suspicari Theophobum, quē ipse Persis præfecerat (habuit enim Imperator Persarum exercitum) à quibus & ipse Rex fuit, licet inuitus, appellatus. Et quanquam tres myriades quas habuit, diuiserat, & in diuersa loca distribuerat, suspectū tamen eū habuit, propter proditionem quam Persæ attentauerant, multis hunc insimulantibus, sua persuasione factam. Dum igitur paulatim corpus insumitur, Theophilus timēs ne eo mortuo Theophobus regnū inuadat, intra regiam contineri iubet. Et cùm iam uires suæ liquescerent, & tenuissimo filo eius uita teneretur, Theophobum iubet trucidari, & eius caput afferri. quod manibus suis contrectasse ferī ijs uerbis: Nec tu posthac Theophobus, nec ego Theophilus ero. Et hoc dicto, animā efflauit, cùm iam duodecim annos & menses tres regnasset. Quo tempore uxor & Theoctiste conabatur imagines sanctorum restituere, & Iohannem patriarcham Synesioten, præceptorem Theophili, qui Antonio successerat, ab ecclesia repellere. Sunt sub hoc Imperatore Sarraceni Italiam ingressi, quam populati sunt: & cùm Veneti auxilio occurrerent, eorum naues partim naufragio, partim oppugnatione fractæ, submersæ sunt. Est tamen Ragusium & Ancona urbs à Sarracenis euastata, & sinus Crotoniates populatus, ut recentiores Annales produnt. Hæc magna ex parte sumpsimus ac mutuati sumus à Iohanne Monacho, Sed nunc reuertamur ad Occidentales iterum Imperatores.

LOTHARIVS CAESAR
LOTHARIVS SECVNDVS.

LOTHARIVS filius fuit Ludouici Pij Imperatoris, ex Hermingarda coniuge, uiuo patre Italiæ Rex & Cæsar designatus: post patris obitum diro auspicio & infœlicibus auibus imperium aggressus, quòd maximus stirpis esset, & iam Augustus destinatus, ad se omnia reuocabat. Et qui ne patri quidem Augusto pepercisset, multo ferocior in fratres erat: ob id aduersus fratris cupiditatem communi animo consilio{que} bellum gesserūt Ludouicus & Carolus, qui pòst Caluus dictus est. Inuenio in Francorum annalibus, Lotharium & Ludouicum fratres in Carolum insurrexisse, quòd nobiliori paternæ possessionis parte, hæres à patre institutus, licet ex altera esset uxore natus, par tamen illis in capienda hæreditate factus, indignationem fratribus auxerit. Ingentem id circo, quàm maximum{que} quisque poterat exercitū comparat, & in finibus Altisiodorensis agri ad Fomoniacū uicum eductis copijs manus conse-

conſerunt: fit ingens pugna die ſanctiſſimo reſurrectionis Domini, cùm utrique alteros quieturos ob diei celebritatem ſperarent. Vtrinque edita maxima ſtrage, omnis quoque nobilitas Frãcica cæſa eſt, tam pertinaci inter ſe certamine pugnarunt. Carolus fugientibus fratribus ſuperior euaſit: & ne victis colligendi uires ſpaciũ præberet, Aquiſgranũ, quò Lotharius & Ludouicus cõfugerant, victorem exercitum deducit. Lotharius recepta uxore & liberis, primùm Lugdunum, tum Viennam confugit. Sunt dehinc in annũ inducię indictæ, delectique utrinque quadrageni proceres, quorũ fide prudẽtiaque pax inter fratres componi poſſet. nam utrinque uires fuerant attenuatæ, fractæque adeò, ut non modò ad ampliandos regni fines non ſufficerent, ſed ne ad tuendos quidem: tam crudelis ſtrages inter fratres facta eſt. Fortè diuino id accidit iudicio, quòd impij filij in patrem ſuum Ludouicum Pium (ut ſuprà ſcripſimus) fuerant, hanc pœnam merebant. Feruntur regni proceres hanc concordię formulam inuenisſe, ut Carolus Rex Franciæ diceretur, quæ Arari, Rhodano, Scalde, Moſa ac Pirenæo ſaltu contineretur: Ludouicus Germanię Rex Baioariam poſſideret, & omnem Germaniam uſque ad Rheni fluenta, cum nonnullis circumadiacẽtibus ciuitatibus & pagis trans Rhenum, ob uini copiam regni admodum acceptis. Quæ quidem diuiſio uſque hodie duo Francorum regna, Occidentale ſcilicet Franciæ, & Orientale Francorum, diuerſa effecit. Porrò Lotharius Imperator maior natu, medius inter utroſque incedens, quæ media eſt, Galliã Belgicam & regnum Prouinciæ cum Auſtraſia, & ea portione terræ quam aliqui ab eo Lotharingiam appellatam ſcribunt, accepit: cùm iam Italiam & urbis Romanæ potentiam & dignitatem poſſideret. Pipini adoleſcentis reſpectus nullus
194 extitit. Quo dolore adductus cùm omnia agit, moliturque, comprehenſus, in cœnobium tondendus traditur Sueſſione ad S. Medardum. Sed duobus monachis conſentientibus, opemque ferentibus, fuga dilapſus, denuò captus, cuſtodiæ mancipatur. Fuit autem hic Pipinus filius Pipini, filij Ludouici Pij Imperatoris, quem pater Drogoni Metenſi epiſcopo patruo pueri, adoleſcentulum tradidit inſtituendum, ut eccleſiaſticis dogmatis imbueretur. Sed Lotharius eius frater contra patris uoluntatem, quòd miræ eſſet pulchritudinis, abſtraxit illum ui. Et cùm Ludouicus regna inter filios diuideret, Aquitaniam illi prouinciam dedit: ſed ebrietati deditus & crapulæ, cùm prouincia undique uaſtaretur impunè, malignisque quibuſque graſſantibus, ab indigenis captus, Carolo traditus eſt: qui eum conſilio Epiſcoporum monaſterio incluſit. Subid tempus Normanni Britannicum mare occupantes, Ligeris fluuij oſtia ingreſſi, repentina irruptione loca adiacentia cędibus, igne ac rapinis populati ſunt. erant ij Danis finitimi, Oceani accolæ, reliquiæ gentium Septentrionalium: quos Carolus Magnus deuicit, piraticam exercentes, oræ tantũ maritimæ infeſti, qui ad primum Francorum occurſum refugiebant. Sed tamen Franciam continuo latrocinio adeò infeſtabant, ut ſub nullo alio hoſte tantũ afflictaret. Lutecią ingenti præda ſpoliãtes, primùm dulcedine ſpolij allecti, reuerſi ſunt: Manetes inuadunt Sabbato S. Paſchæ, & epiſcopum cum clero ſacris intẽtos obtruncant. Dehinc Andegauum diripiunt, ac Turonenſem urbem fuga ciuium deſertam ſpoliant. Templum S. Martini incendio defœdant, abductis omnibus quæ agi ferrique poterant: morari diutius non auſi, aduentante cum exercitu Carolo Caluo, cuius hoc erat ea tempeſtate regnum. Lotharius autem Imperator, ſeu tædio præſentis uitæ permotus, ſeu pœnitudine peccatorum, ſeu religione, diſtributa filijs hęreditate, monachum profeſſus eſt: Prumiam monaſterium, quod ipſe fundauerat, ſecedens. Eſt autem id cœnobium in Lotharingia, ordinis S. Benedicti, quod alijs Pruliacum dicitur: unde erat abbas ille Regino, qui Annales ex fide ſine uerborum lenocinio conſcripſit, è quibus multa huius ſeculi geſta excerpſimus.

Habuit autem uxorem Lotharius Hermingardem, cuius familiam hactenus

nus non comperí, matronam nobilem ac pudícam: quæ tres ei filios peperit, Ludouícum, Lotharium, & Carolum, quí triennio ante maritum, diem ſuum clauſit. Sed cùm iam decem annis imperaſſet Lotharius, conuocatis Regni príncipibus, ſic inter filios regna partitus eſt. Ludouícum cõſortem imperij fecit, eíq; Italiam Auguſtíq; nomen tradidit. Lothario autem Auſtraſiam & Lotharingiam dictam: Carolo aũt minorí natu, Prouinciæ regnum, quod olim Narbonenſis appellabatur Gallia. Sic ordinatis regnis, ſeculo ualedíxit, & religioſiſsimè reliquum tempus tranſegit, in monaſterio claudens ſuum diem tertio kalend. Octobris, Anno noſtræ ſalutis octingenteſimo quinquageſimoquinto, cùm regnaſſet annis xvi. In choro eius cœnobij extructo ſepulchro conditus, ſuper cuius morte admirandus eſt circumlatus rumor. Haud diu ſuperſtes patrí iunior filius Carolus Prouincię rex, fratribus Ludouíco ac Lothario hęreditatem, quam ſine certamine inter ſe diuiſerunt, reliquit. Ludouico Prouincia ſcilicet, quòd ea continens Italiæ ſit, Tranſiurenſis autem Burgundia Lothario euenit. Sed is ſuam uitam inſigni dedecore commaculauit. Nam Thietburgam ſororem Hugbertí abbatis (cuí ducatũ inter Iuram & Louis montem commiſit) duxit uxorem, unde multa mala ſequuta ſunt. Quandoquidem eius conſuetudíne perteſus, ob amorem Vualtradæ cõcubínæ, quam deperibat, diuortíum aſſequutus eſt, autorĩbus Gunthario epiſcopo Colonienſi, cuius neptem ſeſe ducturum ſimulabat uxorem, & Thietgando Treuerenſi epiſcopo, uíro ſimplící & ſcripturarum ignaro: à quibus ei conceſſum eſt, ut denuò poſſet uxorem ducere. Et cum Guntharíj neptis ſponſa adduceretur regí Lothario, ſemel tantum conſtuprata ab eo, cum cachinno eſt auunculo remiſſa, & Vualtrada concubina in thorum coniugalẽ illata. Quòd ægreferentes Thietburgæ reginæ fratres, Nicolao ſummo Pontificí conqueſti ſunt: quí miſſis legatis rem ipſam plenè dídicit, utrumq; epiſcopum, Colonienſem & Treuerenſem dignitate priuauit, & annotauit anathemate, quòd ſine cauſa diuortium feciſſent: quí paulo pòſt exules mortui ſunt. Lotharius autem communione piorum priuatus, cum Romam pòſt obitum Nicolai Pontificis ad Adrianum ueniſſet, ut ſe ab anathemate liberaret, ſimulata pœnitentia corpus Euchariſtiæ ex manibus ſummí Pontificis, cum ſua nobilitate accipiens, in reditu ex urbe graui eſt oppreſſus morbo, & Placentiæ diem ſuum clauſit. Tanta autem ſtrages in exercitu ſuo facta eſt, ut non peſte, ſed hoſtíli gladio uiderentur cecidiſſe. Sic igitur corruit regni Franciæ nobilitas, & Lotharius miſerandum eſt adeptus uitæ ſuæ exitum. Talis itaq; finis fuit huius Imperatoris & ſuorum liberorum, ſolo Ludouíco, quí pòſt in imperio ſucceſſerat, ſuperſtite: de quo paulo pòſt latius ſcribemus. Hæc ex Annalibus Reginonis abbatis, ex Roberti Gaguini hiſtoriarum libro v. ex Pauli Aemilij libro tertio excerpſimus. Eede noſtro more hoc tetraſtichon ſubiunximus:

Inſidijs fratrum per multa Lotharius actus,
Cogitur in partes ſcindere regna nouas.
Turbas ut fugiat, nato committit habenas
Imperij, & Prumiæ triſtia claustra ſubit.

Subiungamus nunc iterum Græcum & Orientalem imperatorem, antequã Ludouícum deſcribamus.

MICHAEL CAESAR.

MICHAEL hic filius fuit Theophili & Theodoræ, qui patre mortuo superstes, imperium cum matre est assequutus. Nam puer habenas imperij administrare impar erat. Et Irenes matris Constantini administratio fecit, ut fœmineum imperium haud illibenter susciperent Græci. Habuit autem præceptores Manuelem & Theoctistum patricium, qui puerum gubernabant. Theodora autem regina imperium administrãs, in primis studuit tumultum sedare, qui iam contra sacras imagines excitatus, fautorẽ habuit patricium Theoctistum: quod erat Manueli contrarium, qui alteri opinioni adhæsit. Sed hoc fuit negocium in aliud tempus reseruatum, admodum commodum. Nam mox grauis ægritudo hunc corripuit, ut iam de eius salute desperaretur. Sed cùm monachi quidam ei consulerẽt, ut imaginum cultum reduceret, & opera sua reginam iuuaret, mox recuperaturum sanitatem priscam & corporis ac animi ualetudinem, promittebant. Quod se facturum recipiens, sanatus est, reginamq; adiuuit ut sacrarum imaginum cultus denuò erigeretur. Hinc passim & mater eius, & omnes affines eius patricij & consulares, imagines uenerabantur. Reuocati omnes ab exilio, missi in insulas à Theophilo, & qui carcere detinebantur, liberati sunt. Edicto hinc publico cautum, ut cõtra hæreticos passim ageretur: quare est orthodoxorũ multitudo mirum in modum quàm citissime aucta, & Iohannes Patriarcha ueneficus sede pontificali deturbatus, in eiusq; locũ surrogatus uir sanctimonia præcipuus Methodius, qui congregatis pontificibus & clero, sacris imaginibus suum restituit honorẽ. In quo quidem conuentu Regina sacerdotes & episcopos omneis obnixè rogasse legitur, ut preces Deo omnes deotè pro mariti sui delictis & filij salute funderent, quũ multorũ preces Deus opt. max. exaudire ab omnibus orthodoxis credatur. Iohannes autem patriarcha in quoddam monasteriũ relegatus, cùm inuenisset Christi saluatoris imaginem, & eius purissimæ genitricis Mariæ, oculos illis effodit. Ob id indignata Regina, impio oculos pariter iussit effodi. Sed quidam iram Reginæ mitigantes, hunc abduxerũt: est nihilominus uerberibus cæsus, & ducentis plagis oneratus. Sed cum se uindicare de Methodio nõ facilè posset, fautores inuenit, qui calumniã sancto uiro intenderent. Corruperũt nanq; hi publicum scortum multa pecunia, effecerũtq; ut hunc stupri accusaret coram totius Senatus primoribus: quæ omnia Methodius æquo animo tulit. Nam, Cõscia mens recti famæ periuria ridet. Sed calumniatores haud cessantes molestiam struere uiro sancto, indies in iudicio, & coram Manuele magistro, conuicijs innocentem onerabant, & calumnijs: eoq; impulerunt uirum sanctimonia prędituin, ut corã Manuele magistro, multisq; primoribus Senatus, nulla alia purgatione uteretur, nisi paucis uerbis præfatus, limbo uestis subducto, membrum uirile tabidum & eneruatum ostenderet: unde facilè obuium cuiq; fuit, ipsum ad res Venereas inhabilem, & membrũ haud esse idoneum. Quod Orthodoxis lætitiam, calumniatoribus uerò & sycophantis mœsticiam peperit. Cumq; uir sanctus rogaretur, unde tabes membri, an ex ægritudine prouenisset: non sine pudore respondit: Olim cum uitam Romæ ageret, à dęmone crebrius esse carnis igne correptũ: & cùm passio hæc increuisset, & amoris incendium quotidie exardesceret, timẽs ne uitæ continentiã amitteret, sanctos apostolos Petrum & Paulũ summis precibus rogasse, ut periclitanti opem ferrent. Et cum incessanter sic orarem, nocte (inquit) quadam mihi dormienti, astare duo uiri uisi sunt, quorum unus pudenda digitis tangens, Bono esto animo dixit, mox hic ignis extinguetur: qui mihi uisus est adurere pudenda, ut prę dolore expergiscerer. A somno excitatus, uirile membrũ tabidũ reperi, & emortuum, nec ab eo tempore ullam mihi amplius molestiã intulit. Quibus auditis,

Manuel

Manuel mulierculam accersit,& acrius instat ut uerũ fateatur. Tum mox scor-
tum scelerís authores indícat, & se pecunijs ac promissionibus illectam profi-
tetur. Fuissent malefactores hi crudelissimè puniti,nisi Methodius illos pœna
suis precibus liberasset.Iam itaq; innotuit palàm uiri sanctitas,& delatores om
nibus facti sunt inuisi. Sed ut res bellicas sub id tẽpus gestas attingamus,Bul
garorum dux,licet tum essent inducíæ (ut superius scripsimus) animaduertẽs
à muliere & iuuene imperium Romanorum regi,oratores mittit qui bellum in
dicent,& inducías sustollãt.Quos benignissimè Regina excipit, & tali respon
so à se dimittit:Se promptam esse & paratam ad arma suscipienda:sed cogitare
debere Bulgarorũ regem,si se uincat,haud multum laudis reportaturum, mu-
lierculam uicisse: si uerò ipse (ut Deo opt. max. duce sperat) ab ea uincatur,
quod dedecus incurrat,à muliere uictus. Quibus uerbis adeò est territus Bar-
barus,ut non modò furorem reprimeret, & ab armis cessaret, sed insuper indu
cías denuò instauraret & renouaret.Additæ sunt insuper conditiones pacis:&
captiua quædam, quæ in regia seruiebat ueluti serua, soror regis Bulgarorum,
reddita est. Vicissim Theodorus Cuphara,uir nobilissimus, qui apud Bulga-
ros captiuus erat, est restitutus. Didicit soror regis Bulgarorũ, cùm esset in re-
gia,literas,& ritum Christianũ cum baptismate suscepit: redditaq; fratri,ipsum
quoq; Christianis præceptis instituit:adhortata,ut idola abijceret,et uero Deo
obsequia præstaret:id quod etiã Cuphara, cum esset regi familiarius loquutus,
sæpe suadere elaborabat.Et licet rex sorori annueret, ausus tamen non erat re-
pentè à patria discedere religione, licet frequẽter de Christianæ fidei mysterijs
loquereẽ, & alios audiret. Accessit occasio assumendi Christianã religionem:
nam pestis undiq; regionem inuasit,ac tam crudeliter undiq; grassabatur,ut li-
bitina nõ sufficeret.Nemo hoc malũ uitare poterat, ita cadebat ingens populi
multitudo. Anxius rex sororẽ rogauit, ut huic malo remedium cogitaret: quæ
solum Christum opt.max.saluatorem,et seruatorem populi pereuntis asseruit,
& hunc solum inuocandũ censuit,qui facilè & caligínem pellere,& serenũ po-
test afferre aëra. Mox ergo, inquit, tu & uniuersa gens tua lauacro baptismatis
abluere,& Christi fidẽ amplectere,tum mox omnis extingueẽ mala aeris tem-
pestas.Inuocato itaq; auxilio Dei, ut pestis sedareẽ, rex baptizatus cum omni
populo,omnes Christiani effecti sunt,accersito quodam sacrorum pontifice,à
quo mysteria fidei acceperunt: & mox potentia Dei innotuit, & pestis sedata
est.Quidã uerò è primoribus Bulgarorum indignè ferentes, ducem suum pa-
trium ritũ relinquere, de eo interficiendo consultauerunt. Sed is signo crucis
& scuto fidei munitus,aduersantium risit cogitationes, legatosq; ad reginã mi
sit petitum,ut pars agri plebi daretur. Nã multitudo Bulgarorũ usq; adeò cre-
uerat,ut oppida amplius omnes non caperent: adijciens æternas cum Roma-
nis inducías,confœderationemq; perpetuã. Audiuit petitionem Regina, & à
loco qui dicebaẽ Sidenra (qui primus terminus erat inter Romanos & Bulga
ros) quicquid est agri usq; ad locũ qui patria lingua Debeltos appellatur, con
cessit.Quam regionem Bulgari accipientes,appellauerunt Zagorã: & hoc pa
cto per totam Hesperiam pax fuit cõstituta. Versus Oriẽtem uerò ingens erat
multitudo Manichæorum, qui alio nomine Paulitiani ignobiliori uocabulo à
plebeia multitudine appellanẽ,à Paulo quodã & Ioanne, qui magni apud Ma
nichæos nominis erant,& hæresiarchæ ac corruptæ fidei autores, quos cæteri
æmulati sunt.Constituerat regina hos ad rectã reuocare fidem, missis præstãti
bus & ingenio & uirtute uiris, ut id efficerent. Qui rem non solum infœliciter
gesserũt,ac frustra aggressi sunt,uerùm malũ illud plus auctum, & multa mília
hominum ad hos defecerunt:accedentibus quoq; Ismahelitis, qui contra Ro-
manos extiterunt.Interea rex Michael adolescentiam ingressus,amplius inter
pueros nõ numerandus,uidens res ac negotia regni interturbata, tristiciã con
cepit.Et ob id ab auunculo Barda ad regnandũ excitabatur.Erat autem & hic

ex tutoribus ſuis unus: duo enim alij, Manuel magiſter & Theoctiſtus Dromi Logothetes, ſimultates inter ſe exercebāt: & ob id Manuel à palatio cōmigrauit in ædes proprias, adminiſtrationem regni deſerens, & gubernaculū. Quod Bardæ gratiſſimum fuit, cuius ſtudium fuit, Theoctiſtū regno deturbare, ne ſibi obſtaret quod moliebat, né ue regno incōmodi quippiam ſubornaret. Inuenit aūt hanc eius rei occaſionem. Nam cùm rex homuncionem quendā pædagogum in delicijs, aſtutum quidem & uafrum, quodam magiſtratu ipſum inſigniuerat: quod cum mater reprehendere nō auderet, Theoctiſtus aperte hoc cauillatus, Nō oportere (inquit) maiori dignitate hunc ornare, cp eius conditio poſtularet, ne magiſtratus dignitas uileſceret. Vnde ſequuta eſt controuerſia inter Theoctiſtū & pædagogum, quod in rem ſuā & ſui conſilij fundamentum tranſtulit Bardas. Atcp ideo hinc uarias de pedagogo regijs auribus inculcabat calūnias, hinc leuitatē Theoctiſti uellicabat: uerbis tamen ſimulatis, perinde ut medius inter utroſcp arbiter. Sed cùm ipſe aſpiraret ad regnum, id aſſequi non potuit, niſi è medio tolleret Theoctiſtū. Subornauit itacp ſatellitē Bardas, qui egredientem è thalamo reginę Theoctiſtū iugularet. Solebat enim de adminiſtratione regni ſingula referre ad reginā, quemadmodum referendarij noſtra tempeſtate ſolent. Et cùm in ſe nudū enſem ſtringere uideret ſatellitem, ſcamno quodam ſe ſubtexit fugiens, quem nihilominus gladio transfodit. Et Bardas uentrem eius uibrante perforauit enſe, ut Theoctiſtus illico moreretur. Ad inſultū illum excita regina, uidens moribundum Theoctiſtum, & filium & fratrem increpat, ac utricp ſimilē uitæ exitum precatur. Bardas malū adijciens malo, omnia pro arbitrio ſuo efficit, reginā quocp cogitat è palatio deturbare. Quæ huius uoluntatis conſcia, ne ſibi quocp uita eriperetur, ultrò cedit è palatio. Accerſitis quocp ſenatoribus: Iam, inquit, imperio cedo. Et ne rex dicat, regium ærarium inueniſſe ſe uacuum, uobis aſtantibus, quę in theſauro ſunt, proferam. Aduocatiscp quęſtoribus, iubet auri argentiqp proferre pondera. At illi argenti tria milia pondo adeſſe fatentur, auri mille & noningenta centenaria, licet Regina maiorem diuitiarum cumulum congeſtum fateretur. Et ijs dictis palatio diſceſſit. Michaël itacp imperium iam ſolus obtinens, has immenſas diuitias cum mimis, adulatoribus, aurigiscp ſtatim abliguriuit: & ut prouerbio dicitur, plenis plauſtris omnia exhauſit, decoxitcp. Erat iam tempus, quo diribitores ſolent militibus ſtipendia diuidere, cum æraria omnia eſſent exhauſta, quandoquidem iam prodegerat platanum auream, duos leones aureos, multoscp gryæas, cæteracp inſtrumenta aurea ad ornatum regium comparata. Vnde populus territus, ut numos cuderet, ueſtes regales accepit: quibus pòſt Baſilius regnans uſus eſt, qui tria tantum centenaria ex omni theſauro à ſe reperta iurauit. Nec propterea Michaël matrem quieſcere, licet imperio ſe abdicaſſet, permiſit: ſed crebris admonitionibus per Bardam, ipſam ac ſorores ita afficit, omnibus bonis ereptis, quas miſeræ poſſidebant, circumſcriptis in domo Bariani locis, ut Theodora dolore confecta, monaſterium ingreſſa, haud diu uixerit. Poſt cuius mortē, filiæ remanſerunt multas exeiulantes miſerias. Quas Baſilius Macedon inde educēs, in monaſterium ad auiam maternam, quæ Gaſtria uocabatur, deduxit. Matre itacp regis defuncta, Bardas adminiſtrationem regni cœpit, qui Curopalatem pluris facere uidebatur quàm nepotem. Interea Michael contra Agarenos arma mouit, iam adultus factus: Samata ciuitatem, quæ prope Euphratis iacet fluenta, obſidens. Iſmaelitæ uerò, portas urbis obſtruentes, intra muros ſe continent, timoremcp ſimulant. Hinc Romanis ex hac trepidatone audacia creuit, qui intra ſeptum hoſtes occluſos metu putarent, paruam caſtrorum cuſtodiam agebant. Agareni qui timorem ſimulabāt, cùm incuriam hoſtium animaduerterent, nihil tale timētes, noctu porta erumpunt, & improuiſos incautoscp obruunt, & ſtrepitu ac clamore omnia complent. Regium caſtrum diripiunt uallo ſuperato, impedimenta omnia ac regios

gios appáratus rapiunt. At illi fugæ se omnes committunt, & Manichæi opem ferentibus Ismahelitis, multos interficiunt, multos captiuos abducunt. Inter quos uiri erāt illustres, à quibus magna pecuniarum summa pro redemptione receperunt. Peditatus omnis captus: & nisi celeritate equi fretus, Rex fuga sibi salutem inuenisset, captus fuisset. Reuersus in patriā rex, quia Agareni iam Romanorum agros euastabant ac depopulabantur, maioribus longè copijs coactis, eos iterum adoritur. Sed ij per aspera locorum compendia dispersi, exercitum regis passim aggrediuntur, fugantq; . Et nisi magister gladiatoriæ domesticus, Manuel regem texisset, iterū captiuus in manus hostiū incidisset. Cùm itaq; agri Romanorum uastarētur undiq;, regis auunculus Petronas cum exercitu contra Agarenos mittitur. Sed non ausus manus cum hostibus conserere, monachum quendā, qui uicinum montem incoluit, rerum futurarum præscium, & diuinorū peritum adijt, ab eoq; percunctat, an pugnam inire debeat. Cumq; is futurā polliceretur uictoriā, huius persuasione ductus, hostium exercitus aggredit, ac uictor euadit. Cadit Agarenorū dux Amer: & ex fuga retractus filius eius, pariter captiuitatem incidit. Fertur Amer captiuū quendam de nomine loci, regionis & fluuij interrogasse, ubi pugna conserta est. Et cum regionem Lalacaonem, Ptosantē uerò locum uallí, ac Gyren fluuiū appellari audisset: Omnia (inquit) infausta, malum mihi pugnæ euētum minata sunt. Dicebat enim Lalacaonē populi malum, Ptosanta uerò cadentem, & Gyren circūsessionem hostiū significare. Petronas itaq; uictor Byzantiū cum insigni triumpho ingressus, & honorificè exceptus, Præpositus gladiatoriæ domesticus factus est. Iā pridē enim magister Manuel uita functus erat. Nec diu post & ipse superstes fuit, adeò ut Bardas omnia pro arbitrio administraret, omnibus alijs amotis à palatio. Nam cum Michael rex alijs negocijs posthabitis, solum theatris et equorū agitationibus studeret, ipse imperatoris erat auriga, dum rex aut curru ueheret, aut certaret pro regali ueste, solitus aurigæ uestem induere Nullum enim dimisit quauis preditū dignitate, qui non certare cum ipso, aut equis aut curribus cogeret. Et cùm Dromologothetes prasinū indueret colorem, ipse Venetū assumebat, & cæteros nobiles ita cursum exercere iubebat: omni studio ijs certaminibus intentus, ut regni administrandi nullā penitus curā gereret. Nunciante enim, cùm certamē olim ageret equorum, Prothonotario, Saracenos irrupisse cum exercitu in Arelangas, quæ asperius Malangena uocantur, indignabundus obtortis in illum oculis: Stulte, inquit, audes me certamine occupatum appellare, & de Saracenis uerba facere? quasi cura regni tanti non esset. Bardas igitur rege se ita gerente, omnia in se uertit, omniumq; sententiā in sese traduxit, adeò ut regio honore potiret: iamq; ad imperiū aspiraret, modò adesset iusta occasio. Summum aūt studium bonæ de se æstimationi cōparandæ adhibuit. Iam in tanta regis desidia, neglecta erant penitus philosophiæ studia, nec erat qui bonis artibus intenderet: quod ignorantia horū qui magistratum gerebant, accidit. Vt sibi aūt famam Bardas aucuparet, scholas scientiarum triuiales ubiq; ordinauit, ac publicum docendi locum, professoribusq; annua stipendia & publicam prouisionem cōstituit: hisq; insignē uirum ac communem præceptorem conduxit, cui celebre in philosophia nomen erat, Theophilo olim imperatori charus, quod frequentes ad eum auditores cottidie cōuolarent. Illi nomē erat Leo, quē magnis muneribus imperator affecit, & pontificem Thessalonicensem creauerat, qui nullum honorē imaginibus censebat exhibēdum: & ob id eiectus urbe, à Barda reuocatus, omnibus professoribus est præfectus. Et inde studium scientię uigere cœpit, ut breui quidem coaleſcaret. Leges ciuiles recuperauit, cùm quotidie ipse iudicijs præesset, ut leges amissæ & obliuioni datæ pristinum uigorem resumerent. Hac re Bardas multorum in se beneuolentiā auxit, qui disciplinas bonas ab eo instaurari uidebant. Licet aliæ eius actiones & uita penè omnis esset expuenda, & penitus uitupe-

randa. Nam uiris sanctis ac religiosis infensus erat. quippe cùm uenerandus Methodius annos aliquot ecclesiã gubernasset,& hinc in sacra monasteria monachus cõmigrasset, Ignatius ecclesiæ præpositus fuerat. Nepos enim erat ex filia Nicephori regis, filiusq; regis Michaëlis Rancabe: qui postquã è regno à Leone deiectus est,eunuchus factus,positis capillis,longo labore carnem domauit:à regina Theodora cùm imperaret, in Constantinopolitanum patriarcham tandem euectus.Is cùm Bardam, quòd uxorem contra æquitatem omnem repudiauerit, à sacro templi ambitu arceret, indignatus eum ab ecclesia deiecit,multisq; iniurijs affecit,& demum sepulchro quodã inclusit:à quo tandem extractus, Mitylenem in exiliũ missus, cũ ijs omnibus qui ei fauisse noscebãtur. In cuius locũ suffectus est uir nobilissimus Photius Protho à secretis, uir eloquens.Sub id tempus Topothoretæ,id est,locum tenentes põtificis,ut causas cognoscerẽt malè de cultu imaginum sentientium,missi uenerãt, quos Bardas in suam mox traxit sentẽtiam. Et ideo in templo Apostolorũ congregati, ad se uocant Ignatium ab exilio,eumq; morte mulctarunt. Nec interea desistebãt Agareni Cretam & Cycladas insulas populari.Quinimo & Scythæ qui ad Taurum sunt,arma mouebant.Fiebant insuper terræmotus horrendi, sed nulla re Michaël à cursu equorum,in quem omne studiũ collocauerat, auocari poterat. Quinimo ne in suis certaminibus impediretur (nam aduentus hostium, ut fit, aliquando in theatris illi significabatur) sustulit faces quæ in Tharso, in Argæo colle,in Tamo,in Aegæo,in Mimante,in Cyzico,in Mocylo,in regione S.Auxentij locis editis erectæ erant:quibus accensis significabatur Ismaelitarum,Agarenorum,& hostium aliorum aduentus: & tum homines intra loca munita sese recipiebant,ne incauti abducerẽtur,Barbarorum impetum euitantes. Cùm itaq; ijs ignibus sæpe ab aurigalibus auocaretur certaminibus, decreto eos sustulit,fastui regali & superbiæ ascribens, facesq; à præcessoribus nulla necessitate institutas causatus. Sed quàm turpiter cũ pueris intra priuatos parietes & exoletis uixerit, obmittendum potius censeo quàm scribendũ: cùm satis constet,ipsum impurum hominẽ,fatuum & propè bestiam egisse, non Imperatorem. Venerat autem nuper in amicitiam Michaëlis Basilius Macedo,iuuenis quidem formæ elegantis,cuius præcipuum studium fuit in domandis equis:quem cùm rex primùm stabularijs præposuisset, eumq; Protostratora appellari iussisset, dehinc cubicularium creasset,mox Bardæ bilem mouit, qui illi insidias struxit:nec minus Basilius illi,qui iam Cæsar erat, & regnum sperabat. Mouet rex arma contra Agarenos,uterq; regem sequitur. Cæsar infausto omine in templo beatæ Virginis,quod Odigon appellatur,adoraturus, nullo soluente,ex humeris pallium decidens, spectantibus futurum malum portendit, licet aliqui in regem omen retorquerent.Cùm itaq; in castris,quæ rex sæpe malè administrasset,Bardas reformaret,& malefacta emendaret,omnia Basilio accepta referebat. Quare uicissim Basilius multis illum calumnijs onerabat. Et cùm quondam in regio tentorio manus quasi minabundus moueret, Basilius acceptis quibusdam coniuratoribus,Bardam etiam ad pedes regis prouolutũ accepit,& in minutissimas partes dissecuit. Rex re infecta Byzãtium rediit, ac Basilio Eudociam filiam Inceris cõcubinæ suæ matrimonio iungit, eumq; Cæsarem pronunciat,ac in magna ecclesia Phocium patriarcham iubet diademate ornare. Michael uerò ad solitum aurigãdi studium et Circenses ludos reuersus,deditus uino ac ebrietati, indies magis magisq; delirauit. Quæ res effecit, ut de eius cæde cogitaret Basilius.Forte celebrauit cursus equorũ ad Sanctum Mimantem:& cùm in cœna prope eum accumberet Basilius & Eudocia,uino madidus,cœpit Basilicinum quendam, qui Basilij primus remex erat,maximè laudare, & quòd optimus esset auriga, & corporis pulchritudine antecelleret omnes sui ordinis. Dehinc purpurei coloris calceamenta illi dono dedit, iussitq; ut ea calcearet,moxq; ipsum regem pronunciauit. Quod Basilio nõ tam

suspe-

suspectum, quàm hominis insani ac deliri uidebatur: qui paulo antè ab eo Cæsar pronũciatus, & rex erat diademate cinctus. Et ideo stupefactus uerba quæ dam Michaëli obiecit, ad quæ indignatus rex: Nónne (inquit) Basili, qui te regem crearim, possum alium quoq; regem constituere? Et fortè insignia illi magis quàm tibi conueniunt, ob corporis proceritatem. Quòd Basilius animaduertens, melius ratus id alios facere, quàm se in periculum manifestum locare: cùm potationibus iam fatigatus esset Michael, Basilius cubiculum ingressus, claues portæ ademit, ne qui ad custodiam thalami deputati erant, portas occluderent. Inde cum coniuratoribus introiens, pauculis custodibus qui repugnabant deturbatis, Regem aggreditur. Qui strepitu armorum experrectus, cùm in se enses stringi uideret, ambabus manibus obiectis, est truncatus. Sed nondum uino exoneratus, nesciens quò fugeret, aut quò se uerteret, ueluti ebrius quantus erat, iacebat. Quem quidam iacentem ense perfodit, ut intestina inde profluerent. Et talem mortem, qualem sibi mater & Bardæ prędixerat, meruit. Basilius regiam occupauit, iussitq́ue corpus Michaelis sagulo quo equi coopériuntur tectum, in monasterium Chrysopolis sepeliri. Qui cum matre decem & quatuor regnauit annos, undecim solus: ut Iohannes Monachus, unde hæc transtulimus, latissimè scripsit. Pauca apud Latinos de illo reperi. Redibo nũc ad Germanos Cæsares iterum.

LVDOVICVS SECVNDVS.

Et qui Cæsares scripserunt, & qui annales, etiam ab inclinatione imperij res gestas, hoc in loco narrationes suas ita confundunt (quia eodem tempore duo erant Ludouici: senior, qui rex Germaniæ & Bauariæ fuit, frater Lotharij imperatoris & Caroli Caluí: ac iunior, filius Lotharij, Imperator post patrẽ) ut sæpè quod unius est, alteri attribuant, & econtrariò: lectoremq́; mirum in modum confundunt. Aliqui (quod etiam obseruaui haud negligenter) totum hoc imperij tempus obmittunt. Ego examinatis diligentissime Francorũ annalibus, & illorum præcipuè qui ea tempestate uixerunt, quæ uerissima deprehendi, annotaui: ex fide dignis ac receptis autoribus ea cõscribens, quæ lectorem approbaturum confido, si syncerus fuerit, & nõ malignus interpres. Ludouicus itaq; iunior, quem II. in catalogo Cęsarum appello, filius fuit Lotharij Imperatoris, ex Hermingarde primogenitus, cui pater regnũ Italiæ & imperium uiuus assignauit, fœliciter gubernauit, ut plerisq; & stupori & admirationi foret. Princeps perhumanus, pius ac iustus, candida simplicitate, & pupillorum ac orphanorũ tutor singularis. In literis tam diuinis quàm saecularibus satis instructus, consilio promptus. Hic à patre consors ad imperiũ ascitus, trium filiorum maximus natu, à Sergio Pontifice inunctus & coronatus, comitante eum Drogone episcopo. Sed cùm adolescens rex non ea religione, qua proauus iuerat, iter faceret, sed armatus longo armatorum agmine incederet, & in urbibus agrisq; fierẽt à militibus quæ ab exercitu feroci fieri assolent, à Sergio hortatus ferociam deponeret, ne cœlo pendentem ensem in se experiretur, sed pacatus posita ferocia templum Dei, ut maiores sui, ingrederetur. Insignitus rex Italiæ, dehinc proclamatus Augustus, octauo die discessit ab urbe. Sarraceni paulo pòst regnum Italiæ inuadunt: ex Aphrica uenientes, Beneuentum aggrediuntur, ac uniuersam penè regionem illam cædibus, incendijs, ac rapinis depopulantur. Contra quos Ludouicus Imperator ingentem exercitum cõtrahit: & ueritus ne aduersus innumerabilem hostium multitudinem uires regni haud sufficerent, fratrem Lotharium per legatos hortatur, ut suppetias ferat cõtra nequissimam gentem, ad ipsorum audaciã refrenandam. Hic nihil cunctatus copias cogit, & fratri in auxilium quanta potuit celeritate uenit. Plurima tum gesta bella & fortiter & fœliciter. Sed Lotharij exercitus

ex calore & aëris temperie fatigatus, uarios morbos dysenteriæ, lienteriæ, pestis febrisq; incidit, & tandem non sine dispendio coactus est redire in Franciam. Erat à Ludouico post bella cõstitutus dux Beneuentanus Adalgisus nomine, qui Græcorum promissis corruptus, à Ludouico defecit, cum omnibus Samnij, Campaniæ & Lucaniæ ciuitatibus. Imperator Ludouicus certior factus, cum maximo exercitu Beneuentũ, ulturus ducis Adalgisi infidelitatem, aggreditur. Adalgisus imparem se sciens, ultrò illi occurrit, falsas à se calumnias repellit, obsequia offert, & muneribus pristinam assequitur gratiam, culpam in alios transfert, se nunquam defecisse iuramento firmat. Sine difficultate Lucaniam & Samnium in deditionem accipit. Sola Capua muris confisa ac munitionibus, in rebellione perseuerabat. Quam obsidione cingit undiq;, ut nullus exeundi intrandi ue esset aditus. Regio undequaq; deuastatur, agri populantur, uites, oliueta ac fructiferæ arbores radicitus excinduntur. Capuani desperatis rebus, urbis episcopum adeunt, rogantq; ut accepto diui Germani episcopi corpore in pheretro, ante castra imperatoris, subsequente uniuersa plebe, ueniam defectionis impetret. Delatum est itaq; insigni pompa corpus S. Germani, cuius animam uenerabilis pater S. Benedictus in ignea sphæra ab angelis in cœlum deferri olim uiderat, ad Ludouici imperatoris tentorium. Fusæ illic preces & lachrymæ ad pientissimum Imperatorem, qui cùm esset natura pius clemensq;, misericordiam illis largitus, delictorum ueniam indulsit, & mox exercitui ab excidio fructuum manus abstrahere præcepit bonus Augustus. Hac enim uia uel maximè plebs rebellis pacatur quantumuis ferox, si alimenta resecentur quæ in multos annos uel nunquam recrescent. Pulsis itaq; Græcis, singulis urbibus suos custodes imponit, ex satellitum numero, Beneuentumq; ingreditur, moraturus illic aliquantisper. Exercitus longo iam labore fessus, coniugum ac liberorum complexus desiderare, & quietem post labores optare cœpit. Id intelligens callidissimus Adalgisus, Augustum adijt, falsis ac simulatis uerbis pium Principem fallere nisus: Quid inquit, opus est ô Imperator, urbes, oppida, uillas & agros tuos ac gentem tuam tibi iam deditam, tanto exercitu indies spoliare ac deprædari? tui omnes sumus: da militibus missionem, da commeatum eundi domum, ut ædes, uxores, liberos suos inuisant, nullo opus est iam milite: alioqui paulatim diffluent & dispergentur. Pius Princeps proditoris uerbis deceptus, exercitum dimisit, & cum paucis corporis custodibus remansit. Adalgisus nactus occasionem, in meridie cùm Imperator quiesceret, palatium cum coniuratoribus ingredi tentat. Sed strepitu armorum excitatus Imperator, cum suis, ab ingressu illos arcet. Cùm itaq; illud non procederet, palatium flammis absumere cum Imperatore minatur Adalgisus, nisi iuramento affirmet se abiturum, & nunquam rediturum Beneuentum, neq; calumniam hanc ulturum. Tanta necessitate implicatus imperator iurat, & postero die Beneuentum cum suis exit, Romamq; diuertitur, summo Pontifici Iohanni ac Senatui tyrannidem Adelgisi conquestus. Qui mox publicus hostis iudicatus est, & Imperator iuramento solutus. Benignus Princeps nolens uideri & non esse bonus, ne à suis periurus uideretur, comparato insigni exercitu, reginam mittit contra Adalgisum. Qui suæ nequitiæ conscius, uitam fuga redemit, ac in Corsica insula latuit: de cæteris sumptum est supplicium. Fertur sub id tempus immensa locustarum multitudo, quæ alijs maior senis alarum remigijs, uolitabat ab Oriente, cum senis pedibus ac duobus dentibus durissimis, totam penè deuastasse Galliam in mense Augusto. Et quòd mirũ est dictu, tanto ordine uolitasse præmissis ducibus, qui pridiè castra metarentur, ut militaris disciplina in ijs animalibus cerneretur. Quæ segetes depascendo detondebat, ut nihil reliquum esset. Volitabat diurno itinere, quatuor aut quinq; millia passuum. Delata ad mare Britannicum, cum totam penè terræ superficiem obrueret, uiolento uentorum flatu in profundum

fundum delata est uniuersa locustarũ copia, & submersa. Sed refusione Oceani in littora reiecta congeries, putredinem aëris ex fœtore peperit. Vnde finitimis magna nata est fames, quam comitatur ingens pestilentia, qua tertia pars hominum fertur absumpta. Quo anno etiam Ludouicus Imperator moritur, qui est incarnationis Domini octingentesimus septuagesimusquartus. Vnde liquet ipsum decem nouẽ annis imperasse, non xxi. ut uulgares scriptores asserunt, qui ex transpositione notarum numeri xix & xxi falluntur. Mortem eius ingẽs cometes solito rutilantior præcessit, & maxima aquarũ inundatio. Quo autem genere mortis perierit, nondum reperi: Mediolani dicitur tamen mortuus. Nam rex Longobardorum erat & illic sepultus. Vxoris neq; nomẽ neq; familiam, licet studiosissimè disquisierim, inuenire potui. Filiam lego Herming- 196
gardim relictam, quam Carolus Caluus rex Franciæ & imperator succedens, 197
despondit consobrino suo Bosoni, eiq; in dotem Prouinciæ regnũ dedit. Nam hic Carolus Caluus Richildem sororem Bosonis, primò concubinam, dehinc uxorem habuit, quemadmodũ inferius latius scribemus. Ex qua quidem Hermingarde, Boso cùm iam rex Burgũdiæ ui armorum factus esset, Ludouicum genuit regem Italiæ, quem Berengarius rex competitor Veronæ excęcauit: ut paulò inferius, cùm de regibus Italiæ scribemus, copiosius narraturi sumus. Cęterùm quoniam plerique scriptores huic Ludouico Imperatori attribuunt, quæ senioris Ludouici regis Germaniæ sunt, non inutile censeo etiam paucula de eo annotare, ut errata tollantur. Paulo antè scripsimus, Ludouicũ Pium tres reliquisse filios, Lotharium, Ludouicum & Carolũ qui Caluus est dictus. Lotharius imperator factus est, qui filium suum Ludouicum II. consortem imperij fecit, de quo iã scripsimus. Ludouicus senior alius frater, est dictus rex Germaniæ & Bauariæ, qui sæpè bella cùm fratre Carolo Caluo ob diuisionẽ regni gessit, quod plerique huic imperatori Ludouico adscribunt. Et licet sæpe confœderationes & pacta inter fratres intercessissent, mutua tamen bella & fraternas expeditiones sæpe attentarunt. Ludouicus uoluit Occidẽtalia regna unire Orientalibus, quia Carolus rex Francię Orientalis fuerat. Et procerum quorundã suggestu, inter fratres sæpè bella excitata sunt, quæ partim per legatos, partim ipsi inter se composuerunt. Donec Ludouicus quondam ex solario casum faciens, costam fregerit: & dehinc, licet morbum occultaret aliquãdiu, tandem in palatio Franconefurt mortem obijt, sepultus Lorissæ propè Vuormatiam, in cœnobio S. Nazari: sed postquã Caluus iam imperialem est adeptus coronam. Hic Ludouicus uxorem habuit Hemmam, nobilissimam et pudicis- 198
simam fœminam. Ex qua genuit Ludouicum iuniorem, Germaniæ regem: Carolomannum regem Bauariæ & ducem Carinthiæ, in Oetinga sepultum suæ 199
fundationis, Principem nulla non uirtute insignem: Pipinum ducem Aquitaniæ, Carolum Crassum post imperatorem, & Hildegardã filiam. Collige hinc quàm ineptè multi huic seniori Ludouico attribuunt quæ iunioris sunt, & uicissim. Cætera require apud Reginonem abbatem, Robertum Gaguinũ, Paulum Aemilium Veronẽsem, à quibus nos & hæc excerpsimus, & alijs. Sed iam more nostro tetrastichon subnectamus.

Omine fœlici Ludouicus sceptra Secundus,
A' patre suscepit, sed patre prosperior.
Nam patrui rixas dissoluit, dehinc Saracenos
Cum duce fallaces, expulit Italia.

Sed priusquam Carolum Caluum, qui biennio tantum imperio præfuit, scribamus, iterum ad Græcos migrabimus, Basilium Macedonem scribẽtes. Non possunt anni in utroq; imperio respondere: quãto tamen uicinius sese imperia mutuò contingunt, summa cum fide enarrabimus.

Basilius

BASILIVS CAESAR

QVI multas euoluerunt hiſtorias, non mirãtur ſi quis nouus homo aut obſcuri generis, qui nec parentes nec patriam ciere poteſt, ſummam rerum nõnunquam attingit: fatis ſic orbem uoluentibus, quæ ſumma imis, & ima ſupremis ſæpe cõmiſcent. Sic hic Baſilius, homo captiuus inter uenales Conſtantinopolim olim adductus, Romanum imperium aſſequutus eſt. Licet adulatores quidam ex Arſacidis genus ipſum ducere mentiantur, quòd ex Macedonia fuerit oriundus, parentibus obſcuris ac pauperibus. Satis enim cõſtat, cùm Chrumnus Bulgarorum dux Adrianopolim obſideret, quòd Baſilij parentes cum hoc puero nuper nato captiui, in eius regionem abducti ſunt. Et mortuo Chrumno ſucceſſor Bulgarorũ dux cum Romanis inducias fecit, quibus captiui liberati ſunt. In puericia Baſilius indicia dederat de ſe futuri regis, imò & in infantia potius. Cùm enim parentes in agro ruſticarẽtur, & puerum in ſole dormientẽ ponerent, aquila ex alto deuolans, paſſis alis dormienti puero umbram fecit. Mater territa nequid mali infans à rapace pateretur alite, tremebunda accurrit, aquilam lapidibus abigit: qua reuerſa ad opus, aquila iterum delapſa, alis puerum obtegit. Mater denuò uociferans auem conſpicata, accurrit: ſed intra ſe rediens, omen accipit, filiumq; futurum regem coniectat. In puericia patrem amiſit. Mater grauata paupertate, cùm neſciret quomodo ſe atq; filium aleret, ſtatuit ipſa ſeruiendo eum nutrire. Ingreſſus Megalopolim noctu, quia nullæ erant impenſæ miſero, diuertit ad ædes S. Diomedis, & præ labore feſſus dormire cœpit. S. Martyr nocte diacono cuidam qui nondum ſacris initiatus erat, in ſomnis apparuit, iubetq; ut foris dormientem in fouea ante ædis ueſtibulum regem intromittat. Experrectus diaconus, & extra portas templi profectus, Baſilium adoleſcentulum reperit dormientem, ſomnium fantaſma exiſtimans. Ingreſſus templum, & iterum ſomno ſe dedẽs, fuit iterum atq; tertiò experrectus, & admonitus ut regem introduceret. Excitato itaque Baſilio, introducit in templum, & neceſſaria ſibi ſubminiſtrat. Erat huic diacono affinis quidam medicus, qui ſeruiebat Theophilitzæ, qui Michaeli Imperatori & Bardæ Cæſari erat ob genus familiariſſimus. Huius igitur fratri hoc arcanum quod in ſomnis uidit diaconus, aperuit, rogauitq; ut hunc in ſeruitium alicuius principis duceret. At hic ſuo domino ſeruitorem Baſilium fecit, ſtatimq́ ij fratres Baſilio hoc inſomnium narrant, ac iureiurando adigunt, ut ſi fata olim futurum regem conſtituerint, ut eos bona fortuna impertiat. Theophilitzes itaque Baſilio delectatus, qui comatus & proceræ ſtaturæ delectabilem præ ſe ferebat formam, manu promptus & ingenio dexter, cumq; iam primam lanuginem emitteret, ſtabularijs fuit præpoſitus, & Protoſtrator appellatus: quæ dignitas nobilibus tantum concedebatur, aut ijs qui familiariſſimi regi habebantur. Hoc pacto autem eam aſſequutus eſt. Erat regi allatus equus indomitus, pulcherrimus tamen, ſed qui ſeſſores deturbaret crebrò, & freno eſſet inobediens. Excandeſcebat rex nullum ſe habere, qui equum frenare & conſcendere poſſet, ac illum domare. Tum Theophilitzes: Qualem cupis, inquit, ô rex habeo, & eum adducam, ut uideas me uera loqui. Gauiſus rex: & affertur Baſilius & ſimul equus: qui mox frenum equi arripiens, paulum equo ſubblanditus, molliter armos eius de more palpauit, leniter aſcendens, molli primùm inceſſu ire ſinit: dehinc paulatim aſſueſcens, eum celerius ire adegit, ac tandem in curſum impulit, & ultrò citroq; quo uoluit in gyrũ rotauit, ut ad omnia eſſet obedientiſſimus. Rex delectatus iuuene, hunc apud ſe retinuit, & curatoribus equorũ præpoſuit, ac iam dicta dignitate ornauit. Creſcebat indies regis amor erga Baſiliũ, ut iam Cæſarem Bardã ad inuidiam prouocaret. Cùm mater regis olim cum filio comeſſet, iubetur Baſilius accerſiri

Pro-

Protoſtrator: quem uenientem regina conſpicata, admiratur eius & pulchritudinem corporis, & morum dexteritatem: ſtatimq; ſuſpicata eſt hunc ſui generis futurã pernicíem, ex ſignis quæ ei maritus indicauerat. quæ omnia Michael rex riſit, ac contempſit. Nec minus amare cœpit, ſed paulo pòſt Cubicularium creauit, quod Bardæ moleſtiſſimum fuit: Eiq; Eudociã filiam Inceris, quæ eius prius fuerat concubina, matrimonio iungit, ac regem pronunciat, & à Photio patriarcha in magna eccleſia diadema de more ſuſcipit, ut ſuperius ſcripſimus. Eſt paulo pòſt ex Eudocia natus Leo, qui potius Michaëlis credebatur: quippe cùm Baſilio Eudocia nuberet, iam in utero gerebat. Cùm itaq; (ut ſuperius narratum eſt) Baſilius Michaëlem in cubiculo cum coniuratoribus occideret, ſtatim ſe in regiã contulit, & ab omnibus Imperator approbatus eſt. Vt autem Michaëlem hominem argueret nihili, non regia dignitate idoneum, ſed aurigã potius quàm Imperatorem, & Imperij decoctorem, conuocatis ſenatoribus, omnibus præſentibus, iubet theſauros regis aperiri: ubi tantum tria auri centenaria reperta ſunt, reliqua omnia abſumpta. Vnde decreto ſenatorum profuſiſſimas Michaëlis largitiones reuocauit, ſtatuitq; ut quicunq; inde pecunias abſq; legitima occaſione accepiſſet, reſtitueret, aut ad minus dimidium ærario inferret. Quo edicto trecenta alia centenaria in ærarium regium collata ſunt. Qua re ſibi multorũ fauorem contraxit, & amorem conciliauit. Sed hac re etiã potiſſimũ diligebat, quòd fortunæ priſtinæ memor, quæ promiſerat adimpleuit. Cùm enim (ut iam paulo antè ſcripſimus) Theophilitzę ſeruiret, et cum eo Peloponneſum eſſet ingreſſus, cùm in templo S. Andreæ monachum quendã uirtutis ſtudioſum ſalutaret herus ſuus, is Baſilium magis honorabat q̃ Theophilitzen, & benigniùs accipiebat. Quod cùm uidua quædam nobilis, & multis diuitijs abundãs, monacho familiaris obſeruaſſet (ut ſunt curioſæ mulieres) Quare, inquit, Principem uirum & illuſtrem ex regia ſtirpe Theophilitzen minus quàm eius ſeruum honoras, ac domino ſeruum pręponis? Cui monachus, hunc futurũ regem à Deo definitũ iam manifeſtat. At illa diligentius hunc intuita, uidebat in eo regiam formam, ipſumq; obſeruare cœpit. Cùm autem Baſilius in ægritudinem mox illic incideret, ab hac uidua hoſpitio eſt acceptus, curatusq; egregiè, & multis muneribus donatus. Et cùm iam hinc abiret, uidua hunc rogauit, cui unicus erat filius, ut olim in maiori dignitate collocatus, memor eſſet beneficiorum: & ſi ipſa moreretur, filio ſuo rependeret: quem ille mox fratrem appellauit, & ſeſe memorem beneficiorum fore iurauit. Creatus rex, mulierem hanc uiduam ex Peloponneſo uenientem cum filio, cum multis donis benigniſſimè accepit, & Protoſpatarium creauit, memor eorum quæ in paupertate illi euenerant. Quodam die feſto Baſilius eccleſiam magnam ingreſſurus, ut ſacrificium Deo præſtaret, eſt à Photio patriarcha prohibitus, & homicida appellatus, quòd Michaelem Imperatorẽ iugulaſſet. Ob id in iram prouocatus, ſynodum conuocat, & Photium ab eccleſię patriarchatu eiicit, ac Ignatium tanquam iniuſtè à Barda deiectum & patriarchatu priuatum reſtituit: qui cùm decem annis eccleſiæ gubernaculum rexiſſet, mortuus eſt, & in eius locum à Baſilio Photius iterum eſt ſuffectus. Nam & paulatim inſidię tendebantur Baſilio, & cùm primùm regni ſceptrum cepiſſet, à quibuſdam patricijs Georgio & Symbatio tentatus eſt: ſed ij deprehenſi, mox corporali pœna mulctati ſunt. Sed & aliæ inſidiæ regi paratæ, cùm eſſent detectæ (quia diu latere non poterant) autori coniurationis Romano Curquati oculi effoſſi ſunt: cæteri uerberibus cęſi, detonſis capillis in exilium miſſi ſunt. Cùm autem haberet quatuor filios, Conſtantinum, Leonem, Alexandrum & Stephanum, totidemq; filias, has omnes monaſterio Euphemiæ incluſit. Stephanum patriarcham facere laborat, eumq; adoleſcentulum clero eccleſię beatę uirginis annumerat. Conſtantinum autem Cęſarem pronunciat ac coronat. Cæterùm ut ſe Deo conciliaret, quia Michaelẽ occiderat, cupiẽs iram Dei auertere, ac ipſum pla-

placare, in multis locis urbis Regiæ templa erexit, in honorem S. archangeli Michaelis, qui Archistrategos Græcis dicitur, mirabili & precioso opere. Et in ipsis templis sacellum extruxit sumptuosum, quam ædem Nean, id est nouam ecclesiam appellauit. Alij Enneam uocant, id est nouennalem, quòd illic Ecclesiasticarum machina horarum, nouem pulsata ictibus sonet. In qua quidem ædificatione occupatus, aliquandiu stetit, & celebrandis conuiuijs, ut suã classem qua hostes arcebat dissolueret, & hostibus latè euagandi copiam offeret, ut mox scribemus. Erexit præterea & templum in honorem cuiusdam Heliæ presbyteri Thesbitæ, quẽ ita uenerabatur, ut ex hoc templo arbitraretur se ab Helia curru tandem igneo uehi. Sed de rebus bellicis nunc loquamur. Cùm contra Agarenos, qui Cretam occupabant, pugnaret, uictus est, multíq; conciderunt. In qua pugna ipse penè captus in manus hostium uenisset, nisi Amastactus Theophylactus, qui pater fuerat Romani Lacapeni, qui pòst imperauit, eum protexisset ac saluasset. Reuersus itaq; Byzantium, Christophorum eius socerum contra Agarenos, qui in Creta erant, misit: qui cum eis congressus, Barbarorum audaciam fregit. Mouit præterea Basilius arma contra Agarenos, qui ad Orientem sunt, & contra Manichæos: quorum quidem dux quidam erat Chrysochir dictus, hoc est Aurimanus. Multaq; eorũ oppida cepit, prædamq; maximam abegit, decreuitq; eorum metropolim Tephricen obsidere. Sed quum & magna hominum multitudine, & longo tempore, obsidionem illam indigere animaduerteret, re infecta discessit. Inuenit autem Euphratem latè uagantem, & plurimùm exundantem, alueum suum egressum, & ideo nauibus traijcere hunc coactus est: ubi multa oppida expugnauit, non sine maxima præda, Barbarosq; in fugam uertit, & quosdam ad se deficientes recepit. Tandem cum triumpho in suam magnam ciuitatem reuersus, per mediam urbem Regiam ingressus est. Manichæorum uerò dux Chrysochir, interim Romanorum regionem inuadit, & passim deprædatur. Contra quem imperator Domesticum scholarum, hoc est, gladiatorum magistrum mittit, qui cùm idoneam secum multitudinem non haberet, manus illi conferere non ausus, palantes opprimebat & infestabat excursionibus. Ob id timidi non ausi egredi populationibus abacta præda, in suam abiere regionem. Domesticus autem scholarum, missis duobus ducibus, hos insequi iussit: quibus præcepit, ne uagabundum hostem abigendæ prædæ intentum, impunè transire sineret. Et cùm aliquandiu inter milites contentio orta esset, tandẽ ut se ab infamia uindicarent, hos persequuti sunt: quos partim abduxerunt, partim occiderunt. Inter quos & Chrysochir cecidit, cuius caput ad regem perlatum est. Vere accedente, exercitum in Syriam traduxit, secumq; unum ex filijs Constantinum in militiam ducit: ubi uno castello expugnato, fecit ut multi sponte oppugnationem suorum oppidorum timentes, sese dederent. Inde se ad Germaniceam conuertit, cuius suburbia euerterat. Tum ad ciuitatem Adatan, quam obsedit. Cumq; ciues nullam obsidionis curam habere se ostenderent, accersiti à Basilio, uenire noluerunt, penè iam capta urbe. Senex quidam solus uenit in Regis conspectũ, qui intrepidè dixit, Nõ esse in fatis, ut hæc urbs ab eo caperetur, sed à quodam, qui ex lumbis eius nasciturus esset, Constantino. Statim itaq; Rex filium ostendẽs: Hic est, ait, Constãtinus filius meus, ex meis uisceribus genitus. Cui senex: Hic non nostrã capiet urbem, sed ex eius nepotibus fortè aliquis. Indignatus itaq; Rex, arctiori obsidione cœpit urbem premere. Sed accedente frigore, cum nihil efficere posset, discessit: captiuos omnes interficiens, ne aut custodes illis adhibere oporteret, né ue aliqua nouitate audaciam cõciperent. At alia parte ex Tarso ac Melitene, Agareni per Romanas regiones cursitabant, omnia populantes. Contra quos magister equitum Andreas missus, eorum repressit impetum, temeritatemq; castigauit. Amyras Tarsi indignatus, Andreæ scripsit, ut ordinato exercitu, si placeret, occurreret: eum neq; uirginis Mariæ filium,

filium nec̃ robur ſuum defenſurum. Quas quidem literas ubi legiſſet Andreas, commotus, imaginem Virginis in uexillo erexit: eiusq̃ auxilium implorans ſupplex, contra arrogantem hoſtem educit copias, hoſtesq̃ ope diuina & in fugam uertit, & grauiſsima cæde proſternit. Trucidatus eſt Amyras, & eius exercitus totus penè corruit, paucis periculum euadentibus. Et licet hic Andreas uictor euaſit, non potuit tamen euitare calumniam, quòd Tarſum non cepiſſet, aut capere noluiſſet: unde ablatum eſt ei imperium, et Stypero traditum: quòd Tarſum ſeſe euerſurum promiſerat, ac quæ neglecta ab Andrea eſſent, emendaturum. Qui non modò nihil eorum quæ iactauerat, fecit, uerùm in maximum ex negligentia ſua incidit periculum. Barbari enim negligenter locaſſe caſtra animaduertentes, noctu illum aggrediuntur, ac incautos ſomnoq̃ ſepultos trucidant. Experrecti ſeſe mutuò cõterunt, & ſibi magis quàm hoſtibus pericula ignari inferunt. Sic ſe res habuerunt Orientales, & Occidentales, cùm nihilo eſſent meliores. Quum enim Italia Romanis regibus ſubdita eſſet, crebris incurſionibus moleſtabatur: potiſsimùm Sicilia, cuius maior pars prædationibus Carthaginenſium erat expoſita, quo tempore Michael regnauerat: aliæq̃ nationes adiacentes, Italiam ſtimulabant undiq̃. Agareni autem ex Carthagine comparata claſſe, multas ciuitates occupabant: demum uerò Raguſium obſident. unde Raguſei moti, legatos pro ferẽda ope ad Baſilium mittunt: qui mox eis centum bellatorias naues in ſubſidium dirigit. Quas, ubi in portum delatas animaduertunt, obſidionem ſoluentes, in Longobardiam ſe conferunt, ciuitatemq̃ Barrum occupant, è qua impetum in finitimas urbes ſæpè fecerũt, breuiq̃ totam ferè Longobardiam obruũt. Intelligentes autem quomodo Raguſei ope Baſilij ab obſidione eſſent liberati, cæteræ quoq̃ nationes cum ipſo confœderationem ineunt. Qui uiciſsim regi Francorum opem tulit: breuiq̃ uniuerſa Agarenorum militia euerſa eſt, eorumq̃ dux Soldanus captus, toto anno Capuæ in captiuitate delituit, nunquam ridere uiſus, non ſine omniũ qui aderant admiratione: quoad ſemel uidens rotam currus circumuolui, et imã partem nonnunquã in altum erigi: Sic (inquit) res uertũtur humanæ, quod ſine cachinno neſcio explicare. Et fortè ego qui ad ima detruſus iaceo, exurgã quandoq̃, & denuò regnabo. Rex huius fortunam miſeratus, ſibi familiarem hunc fecit, adeò ut ſæpe cum illo conſilia ſua communicaret. Barbarus callidus, inſidias regi moliri incipit: ſuadens, ut ſi Capuam ac Beneuentum firmiſſimo dominio poſſidere uelit, nobiliores urbis aliò migrare faciat, ut ſic plebs ſine labore poſſit facilè domari. Rex conſiliũ ex animo ſuo arbitratus fore, clàm uincula fabricari & compedes iubet. At Soldanus omnia nobilioribus patefacit: & ut uerum illis dicere credatur, compedes oſtentat, & manicas ferreas. At populares regem in uenationem progredientem, urbe excludunt: & Soldano preciũ, libertatẽ ſcilicet captiuitatis donant. Qui egreſſus, nouo exercitu inſtauratus, recuperatis priſtinis uiribus, longa obſidione Capuam & Beneuẽtum iterum cingit: qui obſidione preſsi, iterum ad regem cõfluunt, facti ueniam petentes: cauſantur, Barbari aſtu ſe deceptos. Rex legatos nõ admittẽs, ſe ob delicta meritò pœnas luituros eſſ proteſtatus. Baſiliũ itaq̃ adeunt, & opem petũt, ut pericliclitãtibus ſuppetias ferat: qui benigniſsimè legatos cõplexus, bono iubet eſſe animo, mox auxilia ac præſidia affutura promiſit. Soldanus legatum ex itinere redeuntem capit: lectisq̃ literis edoctus, quæ Baſilius promiſerat, iubet legatum ciuibus ſuis, ſi uiuere modò uelit, contraria nunciare: Baſilium ſcilicet confœderationem recuſare, nec hac tempeſtate poſſe ullũ præſtare auxilium. Ductus itaq̃ legatus ante mœnia urbis, ſtans clara uoce, legationem ſe abſoluiſſe, & mox uenturum auxilium pronunciat, popularibus ſuis bene audientibus. at Soldanus mox mille enſibus illũ iubet cõfodi, & relicta obſidione diſceſſit. Interim Saraceni, qui Anconam, Dalmatiãq̃ uaſtabãt, ad Euripum uſq̃ Conſtantinopolitanũ, nauibus triginta, quæ Saracenicæ dicuntur, peruagabãtur (Cam

parta has Agareni appellãt) quibus Esman Amyras Tarsi præerat: repulsi fatigatiq;, per Nicephorum Phocã, percussusq; Amyras periit, et ingens cum eo multitudo sui exercitus. Et qui Cretæ præerat Sait Apochaps, cõparata classe, quendã factiosum uirum Photium ducem creãs, omnia Aegei maris maritima loca & insulas iubet populari. Cui Romanorum classis occurrens, cuius præfectus erat Drungarius patricius, Niceta Oriphas fusili igne hostiũ naues concremauit, multos occidit, multos submersit: pauci fuga elapsi, piraticis nauibus Peloponnesum & adiacentes insulas deprædati sunt. Quibus rursus Drungarius in portu Cenchrearum occurrens, hostiles naues circa Methonem & Pylon ac Pataram stantes, per Isthmum Corinthiacum celeriter transuectus, improuisos hostes aggreditur, nauesq; combussit ac submersit, ac Photium præfectũ iugulauit. Superuenerunt tum aliæ piraticæ naues, quæ in Cephaleniam & Zacynthum processerunt: quibus Romana classis, cui præfectus erat nauarchus Asaracus, occurrit: sed cùm ab eo remiges plures fugissent, triremesq; haberet semiuacuas, non est ausus cum hostibus congredi. Qua re nunciata, Rex omnes belli desertores, quotquot inueniri poterãt, iubet ligari, ut fugientibus timorem incuteret, nullum tamẽ puniturus Christianum. Triginta quos in carcere habuit Agarenos, nocte iubet extrahi, faciẽq; fuligine tingi, ne cognoscantur, ut in publico uerberarentur, & per medium forũ ducerent, qui ducti in Peloponnesum cruci sunt affixi. Nautici milites hac re audita, timere cœperunt, & noctu aggressi sunt hostes, trophæumq; constituunt partim ex hostibus interfectis, partim captiuis. Dehinc in Siciliã traiecerunt, & quæ ciuitates ad Carthaginenses defecerant, afflictæ punitæq; sunt. Arabes autem, qui ad Orientẽ sunt, uidentes Romanos ociari (iam enim Basilius ædificijs deditus, & conuiuijs, classem dissoluerat) omnia Syriæ & Phœniciæ loca, quæ maritima sunt, afflixerunt, depopulatiq; sunt: & tandẽ Syracusas usq; progrediuntur, quas euerterunt & euastarunt. Et cùm Basilius exercitum contra hos mitteret, re infecta reuertuntur milites. Tum delegit uirũ generosum, et rei militaris peritissimum, Phocam Nicephorum, auum, qui pòst regnauit, Phocæ, & qui multa de Agarenis trophæa retulit, qui strenuè hostes debellauit, & redire ad sua coegit. Et sub hoc Basilio maximus est factus terræmotus, quo multa tẽpla collapsa corruerũt, mox à Basilio reparata. In primis fornix quidã templi Sophiæ fuit, quẽ tibicinibus suffultum artificiosis, instaurauit, ut nõ rueret. Multos præterea Iudeos magnis pecuniarum largitionibus ac promissis ad fidem Christi flexit, ac Christianos fecit. Gentem etiam Scythicam quæ Rhos uocatur, in cognitionem nostri diuini cultus traduxit, adeò ut iam baptismum anhelarẽt. Rex itaq; cùm summum quẽdam sacerdotem, & qui doctrina sana & uitæ sanctimonia præstabat, ut lauacro illos baptismatis tingeret misisset, qui inuiti patrium cultum relinquebant, baptizari tardabant, & miraculum petebant. At episcopus librum sacrum Euangeliorum capiens: Si, inquit, liber ille, qui res diuinas nostræ continet religionis, in igne illæsus permanserit, credetis ne, & baptismum accipietis? at illi: Etiam domine. Tum ille magno accenso igne, librum iniicit, & ad cœlum erectis palmis oculisq;: Glorifica, inquit, Domine nomen tuum. Et librum illesum ex igne, cunctis palàm iterum ostendit. Barbari stupore correpti, crediderunt, & sacris sunt initiati. Et licet cultum diuinum rex undiq; amplexaretur, cùm eius maior natu Constantinus mortẽ obiret, delirare uisus est, nam adeò eius desiderio tenebatur, ut post mortem omnino uiuũ cuperet uidere. Nec sanè defuit, qui regis stulticiã iuuaret. Erat enim monachus quidam Theodorus, cognomento Santabarinus, in metropoli Enchaitarum præpositus, qui summa erat iunctus familiaritate regi: utpote quem et obseruabat ut uirum religiosum, & diligebat ut ueritatis amatorem. Hic se regi filiũ monstraturum uiuentem inter frondosa uirgulta equo insidẽtem promiserat: quid enim non audent monachi? Stultus pater credidit: & uisionem uidens, quam fallax mona-

monachus diaboli miniſter fabrefecerat, arbitratus eſt filium ſe amplexum, nihilq; non perfido monacho credidit: ut etiam filium Leonem, quem pater diademate ornauerat, & regem creauerat, ac Martinacij filiæ maritum collocauerat, patri adeò ſuſpectũ reddiderit, ut illum carceri includeret, quo longo tempore innocẽs rex eſt maceratus. Hoc autem pacto maledictus monachus rem aggreſſus eſt. Leo uidebat patrem adeò deditum monacho, ut omnia eius arbitrio faceret. Monachus autem noſcens Leonem uirum æquum, & bonis artibus deditum, ſubuerebatur, ne patrem ab eius amore auerteret: ob id cœpit eum deteſtari, ueneficumq; appellare, & perfidum regẽ, apud patrem. Nec iſs conuicijs cõtentus, patri oſtendit, ut ſibi inſidias filius ſtrueret, & eius mortem moliretur. Idq;, inquit, ut credas, ecce cùm in uenatione cum filio prodibis, enſem ſub eius ueſte, quo te eſt occiſurus, ſi erit occaſio, deprehẽdes. Paulo enim antè, monachus amicitiam cum Leone ſimulans: Rex, inquit, iuuenis es: quum uenatum cum patre prodis, nunquam nudus ſine enſe ibis: aut enim feram proſternens, tuo egebit auxilio: aut ſi quid inſidiarum patri tenderetur, genitorem defendes. ob id ſemper tibi fidus ſub ueſte enſis latus muniat, ne inermis riſum cunctis præbeas. Leo ſanum arbitratus conſilium, ſemper ſub ueſte enſem gerebat. Cùm pater in uenatione enſem ſub ueſte Leonis, indicio monachi (cui omnia crediderat) deprehendiſſet, ſibi parari inſidias à filio certè credens, thalamo incluſit, & omnia illi inſignia imperatoria ademit: effoſſurus etiam illi oculos, iuxta monachi cõſilium, niſi à primoribus & patriarcha eſſet prohibitus, qui precibus eius irã placabant. & nihilominus lõgo tẽpore in cuſtodia eſt maceratus. Solitus erat Baſilius nonnunquam cum ſenatoribus ac patricijs conuiuari. Et cùm olim diuerteret in ædes patricij cuiuſdam, cui erat loquaciſſimus pſitacus, qui ſæpe Leonem in cuſtodia gementem, plorantemq; uiderat, eius geſtus uocemq; repreſentans loquax auicula, ſępiſſimè Leo Leo Leo inclamabat. Excìti conuiuę ſurgunt è menſa: &, O Imperator, inquiũt, hæc auicula multo eſt nobis prudẽtior, quæ ſuum miſerata dominum, eius petit liberationem: nos uino indulgentes & crapulę, illius obliuiſcimur. Depone iram ô Rex, ſatis eſt, ſi peccauit, caſtigatus: paterno illum uultu intuere benignius, ut patrem decet, & carcere libera: iam ſatis eſt punitus, ſi quid unquam moleſti erga te egit. His dictis, pater iram depoſuit, ac cuſtodia liberato filio, regalem dignitatem reſtituit. Sed mox condignam pœnam delicti in filiũ accepit: progreſſus enim in uenationem Imperator, ceruo occurrit, qui iram erectis cornibus præ ſe ferebat, toruè Regem inſpiciẽs: cui gladium magnum attollens, in collum uibrabat. Sed ceruí cornibus implicitus Rex, zona qua cingebatur, altero eius cornu ramo adhæſit: unde in altum eiectus, in cornibus feræ, Rex uitam tum finiſſet, niſi quidam enſe ſtricto zonam abrupiſſet: quare in terram delapſus, ſaluatus eſt. Cui ingratus Rex mox caput pro ſalutaribus donis ademit, quòd nudũ enſem in ſe ſtrinxiſſet, nõ in feram: falſò illud (ſicut pleraq; alia) in innocentem ſimulans, qui pro ſalute Regis malè mulctatus fuit. Sed mox uindicta Dei affuit: ictus enim à ceruo, inteſtina perfregit: quibus læſis, mox uitam cũ morte cõmutauit: cùm iam regnaſſet cum Michaele anno uno, ſolus decem & nouem, relicto filio Leone in imperio. uir alioqui frugi, nullis comeſſationibus deditus: & laudandus, ſi non tantum monacho indulſiſſet perfido & fallaci. Hæc ex Zonara, qui eius uitam Græcè latiſſimè ſcripſit, & nonnullis alijs Annalibus excerpſimus: redeuntes iterum ad imperatores noſtros Occidentales Germanos.

CAROLVS CALVVS.

CAROLVS Ludouici Pij imperatoris, ex ludítha altera uxore filius, ac Ludouici II. Imperatoris patruus, quum iam Occidentalis Franciæ regnum annis sex & triginta regnasset, in sylua Arduenna uenationi indulgens, de morte Ludouici imperatoris, ex fratre nepotis, nuncium accepit: moxq; Richildem uxorem Syluanectum mittit. Filium uerò Ludouicum in eam Austrasiæ partem, quæ à Lotharij decessu sibi euenerat, ut eam tueatur, proficisci iubet. Ipse uerò omni mora abiecta, summa cum festinatione alpibus superatis, in Longobardiam contendit, ut hinc rectà Romam proficiscatur pro corona imperiali, in Franciam Cæsarum nomen allaturus. Ludouicus Germaniæ rex filium mittit Carolum, ut iter prohibeat: & cùm is cederet, indignatus pater alium quoq; filium cum exercitu mittit, qui Carolum auertat. Sed cùm copijs præstaret, & potentiam ferre nõ posset, reuersus ad patrem, missus in Franciam cum exercitu, diris incursionibus eam uexat. Interim Carolus Italiam ingreditur, quem Iohannes octauus summus pontifex benignissimè accipit, diademate imperiali ac Augusti nomine adornat: acceptis tamẽ ab eo multis magnisq; muneribus. Hac enim uia sibi putauit stabilire imperium, quum uideret põtificem auarum, & largitionibus corruptibilem. Augustus dictus est nostræ salutis anno octingentesimo septuagesimosexto. Cæterùm ut Italiam in fide, officioq; cõtineret, Bosonem uxoris Richildis fratrem, Papiensibus ducem exhibet, consiliarijs uiris atq; copijs necessarijs illi attributis. Nam Berengarium ac Guidonem proceres Romanæ iuuẽtutis, per matres Francis, per auias Longobardis cognatione iunctos, factionumq; quæ Italiam iam distrahebant principes & fœdere ipsos inter se & honoribus & muneribus Francis conciliat. Alterumq; Foroiulienſium ducem, alterum Spoletinorum pronunciat, ut aduersus Germanos imperij studiosos, Francicas partes tutarentur: ducatusq; nomine datos, armis uirtuteq; in ditionẽ suam, fidemq; Francorum redigerẽt. Hinc Carolus Hermingardam, Ludouici Augusti filiam, apud suæ factionis homines educatam, quam pater Basilio Græco Imperatori desponderat, Bosoni in matrimonium collocat. Scribunt aliqui id opera Berengarij factum, ut fidelitatem suam Francis probaret. Hermingarda uerò, quòd Cęsaris sponsa fuisset, ac patre, auo, proauo, atauo Augustis, tumens ac elata, uirum ducem maiori cupiditate impleuit, negans iucundam sibi uitam fore, nisi uirum Regem amplecteretur, eò impulit Carolum imperatorem, ut qui iam duces creasset, crearet et reges, quibus iura diceret. Bosonem itaq; regem Prouinciæ proclamat, arbitratus ita facilius & sanctiori iure, & minore hominũ inuidia, Prouinciã ad Francorum imperium redituram. Fluctuabat tamen eadem tempestate Campania, Apulia & Beneuentum. Sed minus erat Carolus imperator de ijs sollicitus, quòd hinc à Græcis sollicitabantur, magisq; auxilio indigebant quàm iuuare partes poterant. Nam pontificis factum, qui largitionibus corruptus, Carolum Augustum dixerat, aliqui probabant, quòd Francis de Italia benemeritis, pristinum decus restituisset. Alij ad Germanos, Germanorumq; regem Ludouicum, Calui fratrem maiorem, & ipsum Caroli Magni nepotem, res uocabant. Vel quoniam is iam ætate sera, infirmaque ualetudine, ac corpore debilitato, ex costæ fractura, propè inhabilis esset, ad eius filium Carolum Crassum, augustæ indolis iuuenem, trahebant. Dum Carolus in Franciam reuertitur, Ludouicus eius frater rex Germanorum, diem suum obijt. Eius tres filij, Ludouicus, Carolomannus & Carolus Crassus, ob recentem patris mortem, paterna inter se diuidunt regna. Carolomannus sortitus est Bauariam, Pannoniam & Carnotum (quod Carantauum aliàs dicitur) unà cum regnis Sclauorum, Behemensium, & Marahensium. Ludouicus Orientalem Franciam, Turingiam, Frisiam,

Frisiam, & partem regni Lotharij. Carolo Alemania in partem cessit, & ciuitates quædam ex regno Lotharij. Sed dum diuisioni regni paterni sunt intenti, Carolus Caluus imperator, regna quæ Lotharij iunioris erant, in ditionẽ Francici imperij cupiens redigere, ingentem coegit exercitum, & Coloniam usq; profectus est. Cui oratores Germani occurrerunt, à fratribus missi, qui suã hęreditatem testabãtur non posse frustrà amittere. Sed cùm parũ proficerent, coactus fratrum exercitus, Rhenum iam trãsiuit: & cùm dolo malo imperator Carolus pacem simularet, missis oratoribus, noctu sperabat incautos in castris repentè opprimere. Sed Germani per exploratores re cõperta, suos ad pugnam preparant: Francum uigilijs & imbre (qui tumultus totam occuparat noctem) pulchro certamine opprimunt, & in fugam uertunt. Fœda elapsus fuga imperator, quia angusto itinere exercitus undiq; cinctus est: à Germanis multi truci dati, impedimenta occupata, nobilissimus quisq; captus est. Quos tamen comiter ac benignè Germani tractarunt, testantes se quoque genere & animo Francos esse, & Caroli Magni sobolem: sed hoc bello se uindicare à cupiditate Calui, qui iniustè eos sua hęreditate priuare niteretur. Cessit hęc humanitas postea Carolo Crasso in bonum, & multo usui illi fuit. Ludouicus enim ex Francia Orientali, Turingia & Saxonia delectissimum habuit exercitum, quo fraudem Caroli oppressit. Carolus imperator aliò cogitationes suas uertit: uidens hic non procedere quod instituerat, in Normannos sese armauit, qui finem nullum tumultus faciebant, contra quos sæpe prius depugnauit: nempe tum Sequanæ ostium classe irrumpere tentabant. Aduersum quos misso exercitu, fluminum pontes ueteres rescissi, noui fabricati, & aduersus omnem uim muniti, firmatiq; utrinq; propugnaculis, quibus præsidia collocata sunt. Ita enim præceperat Augustus, ut à Normannis publicè tuta esset Francia, & terra omnis diligenter custodiretur. Sed cùm ita foret pacata Francia, noua exorta solicitudo Carolum infestabat. Grassabantur enim Sarraceni in Campania: quorum aduentu summus pontifex Ioannes Octauus territus, Imperatorem admonet, ut Ecclesiæ opem ferat. Cõtractis copijs Carolus Longobardiam ingreditur: & ut Papiam attigit, occurrentem Pontificem inuenit. Qui dum illic de rebus gerendis mutuò consultant, certiores facti de Caroli Crassi aduentu, cum exercitu Papia discedentes, Romam commigrarunt. Et Carolus Crassus uicissim congregatos Pontificem & Cæsarem magnis uiribus intélligens contra se, leui rumore permotus, eâdem qua uenerat uia in Germaniam contendit, ridiculè. Imperator rebus Romæ absolutis, propter quas uenerat, cùm rediret, Mantuę correptus febre moritur; accepto ueneno à Sedechia ludęo medico, quem familiarius dilígebat. Nec tradũt autores, quo solicitatore corruptoreq; id scelus perpetrarit Hebræus, & an sæuitum in eum sit. Necesse est autem parricidij fuisse authores summos uiros, quorum magnitudo nefarium scelus memoriamq; obscurarit, & impunitatem dederit. Annonius de hac re ita tradit: Caluus Augustus primores regni sui Hugonem, Bosonem, duos Bernardos, alterum Auernorum comitem, alterum Gotthiæ Marchionem, quos uenire iusserat: sed ij cum cæteris regni proceribus (exceptis paucis) aduersus eum conspirarunt, coniuraruntq;: febre tentatus, hausit in potione puluerem, missum à Sedechia ludæo medico suo, quem mirè diligebat, cui quę nimium fidei habebat: hæc ille. Vel igitur Hebræus, ob Christianæ religionis zelum, ut sunt omnes nobis infensi, hoc scelus admisit: uel pecunia corruptus, quam mirificè etiam hæc gens sitit. Non fuit enim hic Imperator multum à suis dilectus, qui impotentię & superbię insimulabatur: utpote qui contemptis patrijs moribus & cultu, in externos mores degenerabat. Dalmaticam indutus, sæpe in publicum prodibat: persæpè cum corona diademateq; serico, quasi personatus incedebat: cùm ueteres reges nihil à cæterorum ornatu differrent. Ita dum se augustiorem oculis hominum facit, pectoribus inuisus, ueneno obijt. Vir inani iactantia

ctantia & ambitione infinita, qui pugnare dolo quàm armis instructior erat, cùm sæpius in bello hostes fugeret quàm fugaret. Cuius corpus dum exenteratum & multis aromatibus conditum, sui in Franciam efferre cupiunt, cadaueris putredinẽ ferre non ualentes, Vercellis humauerunt in diui Eusebij martyris æde, anno salutis octingẽtesimo septuagesimooctauo. Vnde post annos septem in diui Dionysij templum delatum est, per admonitionem uisionis cuiusdam, quæ filio regi reuelata est. Regnauit annos trigintasex: imperauit biennium. Princeps alioqui religiosus, qui preciosissimas ædes, & clarissima cœnobia extruxit, muneribus locupletauit, ac donarijs auxit: ut diui Cornelij cœnobium apud Compendiũ, quod magnis prouentibus ditauit, & S. Dionysij templum prouentibus auxit, & donarijs adornauit. Compendium autem ita amauit, ut à nomine suo Carotropolim nuncupari iussit.

Habuit autem duas uxores (licet autores illarum & nomina & seriem uariẽt) primam aliqui Richentẽ, alij Richildem appellant, sororem Bosonis Burgundiæ & Prouinciæ regis: quæ ab alijs secunda dicitur, & Iuditha appellatur. Ex qua duos sustulit liberos, sed ij non perennauerunt. Ob id alij dicũt nullam prolem ex Richilde tulisse, sed ab initio eius cõcubinam fuisse, non uxorẽ. Secunda, quæ tamen alijs prior, sed falsò, appellata est Hermendrudis: cuius familiam inuenire hactenus nõ potui. E qua filios quatuor tulit & unam filiã: Ludouicum scilicet cognomento Balbum, regem Franciæ & Imperatorẽ, qui patri successit: Lotharium, quem immatura mors præripuit, neque uirtutibus neq; uicijs nobilem: Carolum Aquitaniæ regem destinatum, adolescentia ferocem, quem Albuinus militum fortissimus, ignarus quis nam esset, & nihil minus quàm filium Regis existimans, facientem uirium periculum, lucta congressum, tam graui ruina strauit, ut inter manus sublatus expiraret: ac quartum Carolomannum ducem Prouinciæ, quem cùm pater sacris initiatum & sacerdotijs locupletatum in se coniurationem facientem reperiret, sacrorum gradu dejectum, reliqua uenia impartiuit. Sed se mox iactantem ob id, sacris amotum, ut regni potens esset, luminibus priuauit. Nam abiecta omni religione, apostatæ Iuliano similis effectus, sacra diripuit, horrenda multa perpetrauit. Tum oculis captus Ludouicum patrem adijt: à quo Epternacum in monasterium S. Vuilibrordi missus, uitam exegit, illic sepultus. Filia autem Caroli Iuditha est appellata, & Edulpho Anglorum Regi, qui alijs Adolafus dicitur, matrimonio locata. Qui quum sine liberis decessisset, redeuntem in Franciam ad patrem, uiduam excellentissimæ formæ, Balduinus Arduennæ saltuarius, & ipse pulcherrimus, nec ignobilis, eius amore captus intercepit, uolentem an inuitam, incertum: sed inconsulto Imperatore patre, sibi thoro iunxit. Quum pater in prædonem sui sanguinis exercitum ductaret, precibus mulieris flexus pater, ex hoste ac prædone generum fecit, Flandriaq; donauit, ac comitatum tum primum instituit, cùm hæc terra, quæ paucis incolebatur hominibus, prius à regis custode, qui Francorum lingua Forestarius dicebatur, tueretur: tum Comitatus dignitatem hac occasione accepit. Sed cur hic Imperator Caluus sit dictus, nemini puto esse ignotum, qui historias uiderit. Vt enim primus Carolus à magnitudine rerum gestarum Magnus, & tertius à corpore obeso Crassus, ita hic secundus à caluitie cognomen usurpauit. Scripsit in eius laudem Hugbaldus Monachus Eluonensis, uir ingenuis disciplinis insignitus, & musicus præcipuus, Ecglogam de Caluis centum trigintasex uersuum, qui omnes cum singulis dictionibus à c litera incipiunt: opus quidem superstitiosum, sed laboris plenum, & quod hactenus à nemine tentatum uidi. Præmisso enim prologo, sequitur talis narratio:

Carmina conuicij cyrritus carpere caluos
Conatus cecinit, celebrentur carmine calui
Conspicuo, clari carmen cognoscite cuncti,

Dehinc

Dehinc interponit semper hoc intercalare carmen:

Carmina clarisonæ clauis cantate Camœnæ.

At si quis laudes caluorum uberius legere cupiat, is Synesium Cyrenensem adeat, quo caluitij encomiũ Græcè elegantissimè scripsit, à Ioanne Phrea Britãno Latinitate donatũ: contra Dionem Chrysostomum, qui comatos exulit: Vbi argumẽta ingenij plena inuenies, p caluis, cõtra comatos. Quod ideo hoc loco annotaui, quoniã & ego ex eorum numero sum, & lata calua sæpè quibusdam risum moueo puellis, quibus admodum placui adolescens comatus. Sed hæc aliàs. Ex Rheginone, Roberto Gaguino, Anastasio Bibliothecario, Sigeberto, Aemilio Veronensi hæc excerpsimus. plura illic lecturus, si quis his cõtentus esse noluerit. Nos more nostro nunc tetrastichon subiungamus:

Carolus ut fratrem fallat, festinus ad urbem
Accelerat donis, ut diadema ferat.
Pontifici auxilium dum fers, sublate ueneno
Calue obis, Hebræo concidis à medico.

LVDOVICVS TERTIVS.

LVDOVICVS hic III. Caroli Calui ex Hirmendrude filius, quòd impeditioris & tardioris linguæ esset, Balbus est cognominatus. Vir simplex ac mitis, iusticiæ, pacis ac religionis amator. Audita Caroli patris morte, regni proceres, ut eorũ beneuolentiam aucuparetur, propere ad se uocat. Multis enim regni primatibus, memoria Calui, quòd immodico superboq; ulus fuisset imperio, erat inuisa. Quæ res effecit, ut minus obsequentes forent nouo regi filio, timẽtes ne sibi patrios usurparet mores. Reuersa tum Richildis nouerca ex Italia, quam apud Compendiũ conuenit Ludouicus, indicto conuentu, quem Franci Parlamentum appellant, eamq; maiestate augustali inflatam, ac fratre Bosone rege, pietate mitigauit: ab eaq; eblanditus est regni insignia, à patre Italiam petente apud illam deposita, gladium, diadema, sceptrum aureum, quibus Carolum institutũ hęredem pater moriens declarauerat: tum patris testamentũ Ludouico exhibet, nouerca mitigata. Quibus acceptis, suscipiendæ unctionis gratia Remorum urbem petit, ubi Haymardus eius loci Archiepiscopus hunc coronauit, salutis anno (ut scribunt quidã) octingẽtesimo septuagesimo octauo. Erat ea tẽpestate conuentus pluribus annis intermissus. Spes itaque certa futuræ moderationis omnibus fuit: sed authoritate potius quàm imperio, dissensiones Principũ sunt sedatæ. Expeditio in Cœnomanos à Rege paucis interiectis mensibus suscepta est. Qui traiecto Sequana, Turonum usq; profectus est, ut Gotefridi comitis filios rebellantes ad officium sanitatemq; reduceret. Qui amicorum consilio ad Carolum ueniũt, ac terras quas occupauerant illi reddunt, ita ut illas sibi ex regio dono retinere liceat: quod assequuti, gratiam compensant. Nam rebellantes Britones, ad Caroli obedientiam sua opera reuocãt. Iohannes Pont. Max. octauus eius nominis interea temporis affligebatur à quibusdã comitibus Italiæ Lamberto & Helbardo, qui Ecclesiæ bona rapuerant, & suæ ditionis fecerant. Quos cùm interdicto feriret, Lugdunum uenit, Ludouicum regem Francorum qui aduersa ualetudine Turoni iacebat, uocaturus in auxilium: simul etiam, quia Francorum partium erat, ut eum Augustum crearet. Nam urbis primores plerique ad Carolum Tertium, cui plurimùm fauebant, rem trahebant. Ferturq; ita Pontifex in uincula coniectus, sed amicis procurantibus, ac falsis custodibus, custodia elapsus, uenisse in Franciam. Et cùm Caluum patrem prius Augustum creasset, iudicij sui esse ducebat, ut Balbum filium in defuncti locum sufficeret. Licet aduersa factio Carolum Crassum Cæsarem appellaret. Cum itaque Pontifex à Francis officiosissimè esset exceptus, Balbum Augustum creat, diademateq; coro-

nat. Dehinc quorundam episcoporum causas discutit, Lamberto Himbertoq; comitibus excommunicatis apud Threcas. Et cùm in Francia mansisset annum integrum, quòd à Sarracenis Italia uexaretur, in urbem redire coactus est. Imperatori autem dissensiones erant cum Ludouico nepote, Germanorum Rege: quæ ijs legibus sunt sedatæ, ut Lotharingia inter Francos Germanosq; æquis partibus diuideretur, sicut defuncto Lothario inter Caluũ & Ludouicum Bauarum factum erat: De imperio neutris ius esset alio loco, quàm in Italia dimicare: ut scilicet si à Sarracenis alter regnum impeteretur, alter supp petias ferret. Re ita composita, Ludouicus Germaniæ Rex ad suos remeauit. Ratisbonam ingressus, omnium suorum obedientiam subditorum reperit. Imperator Compendium accessit: nec data quiete, Bernardus Marchio bellum renouat. In hunc mouens Imperator exercitum, cùm Threcas uenisset, morbo decubuit. Hinc omni spe salutis destitutus, Cõpẽdium se deferri iubet. Bernardo Auernorum comiti filium suum committit Ludouicum: protinus imperij insignibus ad filium missis, coronari illũ imperat. Atq; ita paucis interiectis diebus, morte absumit, Idibus Aprilis, anno nostrę liberationis octingẽtesimo octogesimo, in diuæ Mariæ æde sepultus. Cuius mortẽ insignis Solis eclipsis mense Octobri præcessit, adeò densis tenebris, ut stellę in cœlo in meridie cernerentur. Decessit autem, cùm iam regnasset imperasset q; uixdum biennium, ueneno (ut quidam tradunt) è medio sublatus, grauida relicta uxore. Ventri tutorem reliquit Odonem, alij Eudonem uocant, Roberti Andegauensiũ ducis filium. Nam duas habuit uxores: in flore enim iuuentutis nobilem quandam puellam Ansgardam nomine mirè deperibat, quam sibi coniugij fœdere, nescio patre, copulauit. ex qua duos liberos, prestantes forma atq; animo iuuenes, suscepit, Ludouicum & Carolomãnum: qui regnum Franciæ à Northmannorum incursu ac infestatione tutati sunt, nouemq; millia horum Ludouicus uno prælio fudit, multis in fluuio Vienna absorptis. Carolomannus autem Northmannos astu duodecim millibus pondo argẽti puri è regno eduxit, duo
201 decim annorum inducias spondentes. Ambo insuper cõtra Bosonem Prouinciæ regem, pro regno Burgundiæ concertarunt, eumq; repulerunt, quòd fratris sui Posthumi Caroli Simplicis essent tutores, cui regnũ Francię iure successionis ex testamento patris debebatur. Licet Boso à Pontifice Lugdunensium Aureliano, insignibus regijs esset ornatus, sacratusq;, ac rex Prouincię Burgũdiæq; declaratus: sed non diu res lætę fuerunt illis nobilissimis adolescentibus. nam Carolomannus in equo ludibundus, dũ refugientem domũ puellam insequitur, impetu equi intra humile ostium illatus, corporis compagem soluit: & Ludouicus anno uno eius mortem præcedens, inter uenandum aprum prę mens uenabulo, intorto aliunde telo transfigitur (licet aliqui Carolomanno id accidisse prodant:) ambobus apud S. Dionysium Parisijs sepultis. Carolus Crassus Caroli Simplicis tutor quinq; annis fuit, & eius nomine regnum administrauit. Ac illos duos filios Balbus ex Ansgarda tulit, quam pater coegit repudiare, quòd sine eius uoluntate duxerat: & interposito iuramento solenni, ne unq; eam reciperet iterum, dedit illi Adalheidam in matrimonium, quã grauidam reliquit, cùm mortẽ obiret. Sed quę expleto partu genuit Posthumum, cui nomen aui imposuit, & dictus est Carolus Simplex, Rex Francię. Hic cùm per ætatẽ regendo regno nequaq; idoneus esset, & Northmanni nouos belli motus pararent, ab Endone Roberti Andegauẽsis filio educatus est. Cui & tutelã & regni administrationem cum regia appellatione Franci committunt. à Gualtero Senonũ archipræsule consecratus, Carolũ Simplicẽ probè educauit, & Francis modestissimè præfuit. Moriens proceres iureiurãdo adactos admonet, regnũ sine cõtrouersia Carolo Simplici administrandũ permittant, eũ esse regni legitimum hęredem. Qui cùm iam regnaret, crebras Normannorum incursiones in suo regno passus est: utpote qui iam quadraginta annos regnum

Franciæ

Franciæ populabantur. Nec erat incursionum ullus finis, quoad Rollonem Normannorum ducem Carolus generum sibi creat, data illi filia Gilla in uxorem, & in dotem Neustria, quæ ab Epta fluento ad Britones terminatur, clauditurq; Gallico Oceano. Est tum Rollo initiatus sacris, & lauacro baptismatis ablutus, Robertusq; appellatus: Neustria Northmannia uocata, quòd eam homines à Septentrione profecti occupassent. North enim Danorum lingua Septentrionem, Man uerò hominem signat. Est dehinc Carolus Simplex, per simplicitatem credulus, ab Heriberto, qui ei specie congratulationis occurrerat, captus, & in custodia mortuus, Radulpho in Regem Franciæ creato: licet filiũ haberet Ludouicũ, qui cum matre Eliginia, Anglorum Regis filia, in Angliam confugerat. Hęc ideo adscripsi, quia multi autores res gestas huius Caroli Simplicis, Carolo Crasso attribuunt, & historias confundunt: præsertim cùm de Normannis scribunt, ut inferius patebit. Cæterùm quia hic Ludouicus bienio tantum imperauit, & Romã non uenit, sed in Francia à Ioanne Papa coronatus est (qui etiam eodem anno Carolum Crassum Romam uenientem, & in quẽ magis cõsenserant Romani proceres, diademate insigniuit: quod nulli unquam pontifici contigit, ut intra quatuor annos tres Imperatores coronaret) Ob id plerique scriptores utriusq; Cæsaris unum imperium faciunt: aliqui Ludouicum Balbum Cæsarum catalogo non inserunt. Nos, ne lectorem fraudaremus, hunc etiam scripsimus, nunc Carolum subijcientes, dilato paulisper Græco Imperatore Leone, qui etiamnũ tempore Caroli post mortuum Basilium regnauit. Et idcirco hunc nullo dignamur tetrasticho, quòd ob breuitatẽ temporis quo imperauit, nec uirtutib. nec uitijs nobilis, neq; bonis neq; malis Cęsaribus est annumerandus.

CAROLVS CRASSVS.

CAROLVS iunior dictus, cognomẽto Crassus, à corporis pinguedine, filius fuit Ludouici Germanorum Regis ex Hẽma uxore. Cui in diuisione regni paterni Alemannia euenerat, cũ quibusdam pagis Lotharingiæ, quia minor natu erat. Dehinc uerò Carolomanno paralysi resoluto & mortuo, tum altero eius fratre Ludouico immutata morte præuento, regnũ Germaniæ obtinuit, mox imperium Italiæ ac Franciæ assequutus. Princeps Christianissimus, totus religioni deditus, Deo omnes suos cogitatus, atq; eius arbitrio omnia sua deuouens. Vnde tantam assequutus est fœlicitatem, ut omnia Francorum regna, quæ maiores sui non sine magna sanguinis effusione obtinuerant, breui sine conflictu assequeretur: Si hæc fœlicitas ad finem usq; durasset. Sed summis negatum est stare diu. Hic Carolus audiens Italiam à Sarracenis uexari, ingenti parato exercitu, in Barbaros summam uirtutem religionẽq; præstitit. Italia defensa, eum Augustum salutatũ Iohannes Pont. Max. non inuitus tandem coronauit, qui prius Balbum in Francia coronauerat. Dum itaque Carolus Italiam pacaret, Northmanni adiunctis Danis, Ambianorũ, Attrebatium, Cameracensium, Morinorum, Menapiorum, Brabantinorumq; fines populati, Gotofrido & Sigefrido Regibus, Rheni fluenta ingrediuntur. Leodiũ, Traiectum, Tungros, Coloniam, Treuiros deuastant, ac incendijs defœdant: ac Aquisgrani palatium Regis, equorum stabulum faciunt, multis monasterijs in fauillã redactis, homines ueluti pecora sternentes. Quibus Ludouicus Rex quantum potuit restitit. Sed cùm breui pòst moreretur, Barbari qui prius abacta præda discesserant, maximis uiribus resumptis reuertuntur, & Treuirorum nobilissimã urbem funditus excindere cupientes, flammas inijciunt, & muros demoliuntur: finitima loca quæq; populãtes, in Mediomatrices usq; contendũt. Vbi Carolus Crassus Imperator ex Italia crebris legationib. euocatus, ut labẽti imperio succurreret, cũ maximis copijs Longobardorũ, Alemannorũ, Turingorum,

gorum,Saxonum & Frisiorum,illis occurrit. Sed non ea fœlicitate, religionis nostræ hostes,ut in Italia Sarracenos,aggressus est,quia irritus omnis erat eius conatus,licet innumeram subditorum suorum multitudinẽ secum duceret. Ita fortè Deo uolente plebem suam, quę Christianam religionẽ fœdauerat, castigare. Tandẽ Carolus ex hostibus non modò socios amicosq́, sed affines fecit, data Gotofrido Regi in matrimoniũ Gisla filia Lotharij patruelis sui, et Frisia in dotem,addito baptismatis lauacro: Sigefridæ immensum pondus auri & argenti,ut regni fines egrederentur Northmanni. Gotofridus assumpta Christiana religione,ac Frisia prouincia,mox solicitatur ad defectionem,per Hugonẽ Lotharij regis ex Vualdrada pellice filium,Gotofridi uxoris fratrẽ. Qui assumptis pessimis quibusq́,ac factiosis prædonibus,Lotharingiã occupat:& ne ex hoc regno pellatur, Gotofrido regi sororis suæ uiro suadet (cui etiam partem regni Lotharingię,si eam tueatur,offert)ut ab Imperatore deficiat. Normãnus rex occasionẽ quęrens deficiendi ab Imperatore,petit,ut urbes aliquot,uidelicet Confluentiã,Andernacum,& adiacentes propter uini affluentiam, cùm in Frisia pecuniã habeat, & æs militare ex Augusti fisco quotannis cõcedat, quò possit firmius incursiones hostium abigere, & in fide permanere constantius. Hoc petito,siue cõcesso,siue negato,facilè ex amicis inimici futuri erãt. Id Hugo affectabat,arbitratus sibi Lotharingiam permansurã. Missis oratoribus,Carolus fraudẽ intelligens, Gotofridum ad colloquuium designato loco tempore q́ euocauit,in Atauorum insulã,ubi Rheni fluenta & Vualis uno se alueo resoluũt,& paululum recedentes Prouinciam suo gurgite cingunt. Conueniunt Gotofridus,& quos callidus Imperator miserat legatos,Henricus dux & Vuilibertus Colonię episcopus: dies colloquio absumptus. Sed dũ Henricus dux obiter etiã causam Eberhardi comitis cum Normanno rege, à quo illius bona detinebantur,ageret,facta contentione, Gotofridus ab Henrico occiditur, & omnes illic Normanni trucidantur. Nec multo pòst,Hugo ab Henrico capit, illiq́ oculi eruuntur,& in monasterium truditur Prumiense,cui tunc Rhegino noster annalium scriptor præfuit. Normanni in Lotharingiam irrumpentes, licet imperator exercitũ contra hos frustrà mitteret, magna rapacitate prædas abigunt:& Sequanam ingressi,in confinibus Parisiorum castrametantur. Contra quos Imperator Henricũ ducem cum exercitu dirigit. Sed dum imprudẽs in cæcas fossas,quas leui materia hostes texerant, corrueret,superuentu hostiũ oppressus est. Exercitus amisso duce,rursus ad propria reuertit. Imperator nouo coacto exercitu, uniuersos Franciæ populos perlustrat, passim ab omnibus Franciæ Rex & Augustus acclamatus. Lutetiam cum magno exercitu ingressus,sæpè aduersus Normannos pręlia gessit,licet parũ proficeret. Sed cùm immensam uideret hostiũ multitudinẽ, & Neustri,qui ultra Sequanã fuerant, imperiũ detractarent,ut eos uel tolleret,uel edomaret,nouã pacem cum Normannis composuit, eisq́ hunc locum inhabitandum dedit, qui à nouis incolis Normannia tum dictus est. Tametsi(ut superius cõmemorauí)quidam autores illud Carolo Simplici,regi Francię,attribuunt:qui Rolloni,post acceptũ baptismatis lauacrũ Roperto dicto, Neustriam concessit. Sed fides penes autores sit. Carolus relicta Francia,recto itinere in Alemaniam contendit. Et qui iuuenis mira indole claruit,adeò à Magni Caroli stirpe degenerauit, ut tã animo quàm corpore deficeret:fortè annis fortunæ suæ expletis.

Habuit autem uxorem Richardem, Regis Scotiæ filiam,fœminam sanctimonia uitæ & castitate insignem. Cui cùm adulterij crimen obiiceret, quòd familiarius ageret cum Luituualdo Vercellensi episcopo, unico suo consiliario, cui rerum suarũ administrationem omnẽ concesserat, factus zelotypus ac delirus,uxorem in concionem uocat, iurat ab se integram hactenus relictam, nec ullo concubitu cum ea se commiscuisse. Casta fœmina, quæ impotentiam uiri tot annis celauit: Bene (inquit) res se habet, mariti iureiurando uirgo: afferte obsce-

obstetrices & mulieres honestas, quæ meam integritatem attestentur: nec amplius tali marito cohabitabo. Si uultis insuper, ignitis uomeribus castitatem meam palàm cunctis faciam. Facto itaq; dissidio, acceptis bonis suis, in Alsatia monasteriũ construit sacrarum uirginum, quod hodie Andalauu appellat, ac se Deo dicat, ubi sepulta iacet. Quæ res ut multis cõmiserationem, ita Augusto peperit extremam calamitatem: cuius ignauiam iam pertæsi eius subditi, quòd & Franciam ui bellica Normannorum fœdatam relinqueret, et coniugẽ sanctam probri iniquè insimulasset, tanquam inutilem imperio deponunt: adhibito ei curatore Arnulpho quem illi sufficiunt, Regemq; ac Cæsarẽ eligunt, Carolo abdicato. Qui in summa egestate adeò uixit, ut sæpius quotidiani uictus sentiret penuriam: ab omnibus suis derelictus, priuatam uitam miser uixit, adiutus ab Arnulpho, certis ex Alemania redditibus pro uictu quotannis, quem supplex rogauerat ne fame periret. Et cui Bernhardum ex pellice filium unicum commendauit. Mortuus itaq; pauper sine honore, in Augeo maiori monasterio prope Constantiã, humili ac abiecto monimento sepultus, ij. Idus Ianuarij, anno Virginei partus octingentesimo octogesimooctauo, Imperij decimo, ut aliqui tradunt: alij uerò, Imperij sexto. A suis strangulatus etiam scribitur. Res digna spectaculo, & magnis principibus animaduertenda, humanæ sortis insigne exemplar. Qui enim paulo antè tot tantisq; regnis sine labore, sine sudoribus, sine sanguine partis à Carolo Magno, nulli Francorum erat inferior, momento temporis, ut sic dicam, fragilitatis humanæ exemplum, omnibus suis regnis exutus, egenus & inops, quærit corporis alimoniã. Nemo itaq; confidat rebus nimiũ prosperis, quum & regibus plerunq; uarietas fortunæ occurrat, ut miseris coæquentẽ. Ostendit enim sæpè Deus potentiã principibus, ut intelligant, quoniam solus est adorandus, cuius regni nullus est finis. Tradit Rheginо (unde hæc maxima ex parte mutuati sumus) Carolum patientissimè hanc tulisse calamitatem, cum summa gratiarum actione: & totum deditum orationibus, incessanter pro delictis suis orasse. Quandoquidem uir erat religiosus, Deum timens, & omnia diuinæ dispensationi attribuens. Ob id etiam à plerisq; Carolus maleferiatus dictus est, ab ocio & ignauia. Quisquis plura de hoc scire uoluerit, Sigibertum & Rheginonem in Annalibus, Robertum Gaguinum libro quinto, Aemylium Veronensem in tertio Historiarum euoluat. Nos more nostro tetrastichon subiungamus:

Carolus hic Crassus consensu lectus ab uno,
Principiò imperium regnáq; lætus adit.
Contemptus tandem, regnis spoliatur, & omni
Exutus cultu, decidit imperio.

Quum (abrogato imperio Carolo) rerum summa esset Arnulpho oblata, maximæ sunt ubiq; ortæ dissensiones & regnorum diuisiones in Germania, in Francia, in Italia, alij alijs rerum administrationem offerentibus. In Francia Carolus Simplex filius Ludouici Balbi, cui regnum debebatur, cum matre, quòd minor annis esset, abigitur. In Italia Beringarius & Guido tumultus excitant. In Germania Arnulphus administrationem consensu procerũ arripit. De quibus priusquam singula serie recensеam, nolo præterire imperium Orientale, quod tum Leo occupauit. Qui cùm in Caroli Crassi tempora inciderit, & cum fratre Alexandro in multos annos deduxerit, antequam res nostras Germanas prosequar, de ijs duxi prius scribendum.

LEO

LEO QVINTVS.

Leo hic in Catalogo Imperatorum eius nomẽclaturę quintus, Græcorum piſſimus Imperator, filius fuit Baſilij Macedonis Imperatoris, uiuente patre Cæſar creatus, poſtq; Cõſtantinus maior natu ante patrem diſceſſit. Philoſophus (quòd literis, ac potiſſimum Aſtronomiæ eſſet deditus) cognominatus: ac etiam Porphyrogenitus appellatus, à domo cui purpura nomẽ dedit, in qua genitus eſt. Conſtantinus enim Imperator, qui primus Byzantio nomen à ſe reliquit, domũ ædificare iuſſit, cui Porphyra nomen dedit, uoluitq; ſobolem ſtemmatis ſui illic in lucem prodire, ut inde Porphyrogeniti appellarentur, nõ à purpura, ſed à domo. Vnde & Baſilius à Michaele adoptatus, quo ſuam ſobolẽ in imperio firmaret, hunc Leonem genuit: à quo & Septimus Cõſtantinus dehinc naſcitur, ut infrà ſcribemus. Hic Leo Imperator factus, ſtatim uindictę cupidus in Theodorum Santabarenum monachũ, cui Baſilius Imperator tantum tribuit, ut eius perſuaſu filium Leonem etiam Cæſarem factũ carceri mancíparet, ut ſuperius latè ſcripſimus. Patre itaq; mortuo, hunc ab Euchaicis, ubi eccleſiæ prępoſitus erat, adduci iuſſit: & timens ne Photius patriarcha illum defenderet, quẽ tantopere diligebat, ab eccleſia repulit, & in Armenia exulare iuſſit, Stephano ſuffecto. Tum Santabarenus in uincula cõiectus, ſęuiſſimè fuſtibus eſt cæſus, & hinc Athenas in exilium miſſus. Paulo pòſt ſubmiſſi, qui ei in publico oculos eruerent: pluſculis dehinc annis lapſis, ab exilio eſt reuocatus tandem. Pius admodũ in defunctos, ad Chryſopolim monaſteriũ Philippi miſit, ubi corpus Michaelis Imperatoris ſepultũ erat: quod effodi iuſſit, in templumq; Apoſtolorum deferri, ubi marmorea arca includi iuſsit, adhibitis ceremonijs ſolennibus & funerali maxima pompa. Cui ipſe, & fratres eius Alexander & Stephanus patriarcha interfuerunt. Templum item diui Thomę Apoſtoli incendio uaſtatũ, cum multis alijs renouauit. Templum præterea nomine S. Lazari extruxit, in quo & eius corpus recondidit, aduectũ ex Cypro: quinetiam corpus Mariæ Magdalenæ. Et cùm primã eius uxorem plurimùm diligeret, in honorem beati Stephani templum precioſum exędificauit propeędem S. Apoſtolorũ, in quo & corpus eius depoſuit. Habuit aũt quatuor uxores: Theophaniã primam, filiã Martinacij patricij, quã inuenio à pleriſq; dictã Stephanium, cui templum (ut paulo antè cõmemorauí) extruxit. Hac etiam uiuente, perditè amauit filiam Zantzi Stiliani, Zoen nomine, ob cuius amorẽ patrem magiſtrum creauit, & Dromologotheten, inde uerò nomine nouo Baſileo patrẽ cœpit appellare. Quum in agris cum hac Zoe conuerſaretur, in inſidias penè eſſet pręcipitatus, niſi per Zoen, quæ illum dormientem excitauit, utq; in regiã fugeret, cõſuluit, euaſiſſet hæc pericula. Ob id magis in eius amorem exarſit. Et cùm Theophanía moreretur, Zoen hanc ſecundam duxit uxorem legitimam, & ex concubina Auguſtam fecit. Sed momentanea hęc fœlicitas fuit, quia poſt menſes octo & annũ unum mortua eſt. Quo tempore ſecundę inſidiæ regi paratæ fuerunt, quas excogitauerat Pectes Baſilius, qui Zantzi erat patruelis, & rem tum eunucho Sammonactis Agareno communicauerat: adacto tamen iuramento, ne cui aperiret rem tam ſecretam: qui tamen regi omnia manifeſtauit: & Baſilius hinc captus, cum omnibus coniuratoribus pœnas dedit. Sammonax uerò Protoſpatharius creatus, regi factus eſt perquàm familiaris. Duxerat hinc Leo tertiam uxorem Eudociam ex Opſicio, pulchritudinẽ alias omnes præcellentem, quę breui & ipſa tempore cum rege uixit, in partu cum fœtu mortua. Rex hęredis cupidus, cùm eſſet omniũ diſciplinarum amator, & pręſertim rerũ ſecretarum, & quę futura edocent: Aſtronomię inſuper deditus, ex iudiciaria didicit, futurum ſibi hæredem filium, qui imperium Romanũ eſſet moderaturus. Qua ductus perſuaſione, quartam ducit uxorem

Carbo-

Carbonopsiam Zoen, quam non statim reginali dignitate insigniuit: uerùm tamdiu ea usus, donec filium enixa est, quem Nicolaus mysticus patriarcha baptizauit, & Constantinum nuncupauit. Tum primùm eam uxorem approbauit, & Augustam dixit. Vnde cùm paulo pòst Syncellum Euthymium fecisset patriarcham, legem ferre uoluit, ut quisq; impunè duas, tres, quatuor'ue uxores ducere posset: sed is omni opera obstitit. Fuit autem in Republica moderanda solicitus, ut paulo pòst narrabimus, & in custodienda urbe solers. Nam cùm Constantinopolis inter ferocissimas gentes pluribus esset periculis obnoxia, utpote quæ tum Hungaros, Russios, Bulgaros, Normannos, Armenos & Persas, cum alijs sæuis nationibus haberet uicinos, qui eam passim pro temporis opportunitate molestabant: insuper cottidie sibi domesticè parabantur insidiæ, singulis noctibus in triuijs ac plateis urbis agitabantur custodiæ. Et quicunq; post crepusculum deprehendabatur à custodibus, cæsus uerberibus trudebatur in carcerem, donec illucesceret: Leo Imperator, uigilum uolens experiri fidem, noctu solus è palatio habitu mutato sese proripuit. A primis deprehensus custodibus, quò proficisceretur rogatus, lupanar se petiturum respondit: à quibus se duodecim aureis redemit, cùm carcerem & uerbera minarẽtur. In secunda item custodia deprehensus, uiginti se liberat aureis. In tertiam cùm incidisset, pugnis flagrisq; cæsus, carceri traditus, nullo se potuit redimere ære. Abeuntibus reliquis, cùm iam illucescere penè inciperet, custodiarum magistrum interrogat: Si Leonẽ Imperatorem nosceret? At cùm ille negaret, utpote quem rarò uidisset (rarissimè enim in publicum prodibat Imperator) custos carceris, hominis facultatem admiratus: Cur (inquit) indignabundus de tua salute non cogitas, mane publicam subiturus ignominiam, qui Cæsaris es transgressus mandatum, noctu in plateis, ut latro ac meretricarius impurus deprehensus, & custodiæ mancipatus. Leo uix custodem carceris persuadet sese Imperatorem esse, ut sese in palatium comitetur, antequam dies tota illucesceret: uerebatur enim capitis periculum. Persuasus tandem, palatium cum illo accedit: & duabus auri libris donatus, iussus est cæteris dicere, carcere effracto, illũ captum diffugisse: mane facto, Imperator custodes urbis euocat: Num quis latro aut adulter, aut fur nocte præterita sui mandati transgressor sit deprehensus, interrogat: qui precio erant corrupti, nihil se aut uidisse, aut audisse asserũt. Qui uerò Leonem cæsum custodiæ mancipauerant, sese quempiam reperisse fatẽtur, & flagris onustum carceri tradidisse, sed effracta custodia aufugisse. Et ideo in terram prostrati, ueniam precantur, cùm non sua culpa is carcerem effugerit. Leo amotis alijs suis familiaribus, dorsum ex flagris adhuc liuidum custodibus ostendit: ablatis donis quæ dederat, ac bonis omnibus, prioribus custodibus, posteriores magnis muneribus locupletauit: alijs urbe pulsis, hos in fide retinuit, longeq; diligentiores effecit: ac urbem suam hoc astu tutissimam reddidit, custodibus semper præsentiã Imperatoris expauescentibus. Eandem curam iniecit & prætorianis militibus. Solebant enim præsidia duodecim militum post acceptum prandium ante eius palatiũ excubare, cùm Imperator quiesceret. Leo quondam aperto clàm palatij ostio, uidit omnes in somnum resolutos. Vnus cõtractis in faciem brachijs stertabundus, somnum simulabat. Imperator singulis dormitantibus auri libram apponens, clàm discessit clauso palatio, cupiens illis admirationi fore aurum inopinatò repertum. Abeunte Imperatore, duodecimus qui non dormiebat, singulorum sibi aurum arrogauit, & se quieti dedit. Pòst ab Imperatore omnibus uocatis ijs militibus, interrogati sunt: Quid dulcis somniassent, si expergefacti hilariores ex somno redditi essent? Territi quòd dormiuissent, nihil quicquam tamen se uidisse, aut reperisse iureiurando affirmãt. Imperator, ex calliditate obticere ea quæ eis apposuisset, suspicatus, minas adiecit, ut uerum dicerent. Duodecimus itaque, qui singulis aurum sustulit, præfatus honorem: Imperator, inquit, quid mei uiderint in som-

nis collegæ, planè nescio: ego dulcissimum somnium habui, & utinam sæpius tale mihi somnium obueniat. Visus enim sum quasi non dormiẽs uigilare, dormientibus uerè, sed non commodè collegis meis: cùm quidam similis tui, ô Imperator, singulis auri libram apponit clàm, & tacitus clauso discedit ostio. Illis uerò tam pulchram non uidentibus uisionem, surrexi, & undecim libras meæ duodecimæ coniunxi: arbitratus honestum, ut duodecim hæ libræ ob honorem duodecim Apostolorum simul essent, quos omnes libenter ueneror: tum dulcissimè quieui. Et in somnis duodecim mihi astare Apostolos uidi: qui meã laudarunt solertiam. Hæc uisio me multum exhilarauit, ô Imperator, & utinam crebrò redeat mihi talis somnus. Expergefactus, xij. libras auri in marsupio reperi, & uisionem ueram fuisse re ipsa didici. Leo in risum solutus: Vigilandi (inquit) & auspicandi officium exegisti simul, dignus qui talem uisionem habueris. Collegæ tui stulticię pœnas secũ ferant, & dormiant hinc usq; ad confusionẽ. In rebus bellicis haud negligens fuit, qui hostes, qua potuit diligentia nunc circũuenit, nunc debellauit, nunc cũ ijs pacẽ instituit. Erant ea tempestate induciæ Romanis & Bulgaris, commerciaq; utrinq; agebant: sed uectigalia acerbius q̃ conueniebat, exigebantur ab ijs qui tributis præerant à Romanis mercatoribus: ita iubente Simeone Labas, Bulgarorum duce, qui ex philosopho monachus, ex monacho miles & bellator, & tũ dux Bulgaris prælatus est. Hic occasionem contra Romanos quærens, ut eis arma moueret, hanc iniusticiam cũ Romanis exercuit. Armati cõtra hunc Romani, uicti ab eo sunt, multis Romanorum desideratis: quorum dux periit, multi capti, quibus nares omnibus mutilauit Simeon, & mutilatos Byzantiũ remisit. His iniurijs lacessitus Imperator, donis multis effecit, ut Turci, qui ad Istrum erant, quiq; Vgri uocantur, contra Bulgaros arma mouerent, ac omnibus uiribus illis uim inferrent. Imperator terra mariq; cõparato exercitu, arma contra eos mouit. Cui quidem bello gerẽdo, Patricium Nicephorum Phocam prẽfecit, qui tum erat domesticus scholarum. Misit ante belli tamen initium ad Simeonem, qui pacem ab eo peteret. Barbarus uerò hunc dolo aduenisse suspicatus, hominẽ in carcerem coniecit, & statim cum exercitu contra Phocã profectus est. Cumq; ipse cum exercitu occupatus esset, Vgri Bulgarorum regionem uastarunt: ob id Phocã relinquere coactus, contra hos profectus ac congressus, cùm manus conseruisset, uictus est. Multi Bulgari capti, Simeon in Doroscolam cõfugit. Bulgaros rex Leo à Turcis coemit. Interea Simeõ dolo plenus, cũ rege de pace egit. Cui Imperator cùm confideret, Cherophactem illi misit, ut de inducijs cum eo transigeret, quem Barbarus retinuit & coercuit, hinc contra Turcos iuit, eosq; in fugam uertit, eorũ regionem populatus. Victoria elatus ab Imperatore, cupit sibi captiuos suos restitui à Turcis mercatos, alioqui nullas inducias speret, licet neq; in animo habuerit ullas inducias uelle Romanis dare, etiamnũ oblatis captiuis. Imperator cõmotus, coacto tum Orientali, tum Occidentali exercitu, contra Bulgaros profectus, crudeli bello eos uicit ac prostrauit: in primoq; cũ Simeone congressu, Bulgari uicti sunt ac superati: cum Sarracenis pariter conflixit, Marte ancipiti. Cæsare enim naualibus parandis intento, antequam classis esset parata. Agareni classe sua Tauromínium deprædantur, & Lemnon insulam occupant, insularibus magna clade afflictis. Sammonax interim Agarenus, qui potentissimus, & magnæ apud regem autoritatis erat (ut antè scripsimus) iam ditissimus factus, ad Agarenos transfugit. Et iterum in mari à Constantino, Andronici ducis filio captus est, & Byzantium reductus. Excusationem fugæ inuenit, causatus in Syriam ad exercitũ uoluisse ire, quam rex amplectebatur, nondum ab amore quo afficiebatur erga illum alienus: & ob id Constantinum iubet hanc causam in Senatu proponere, non aũt hunc transfugam appellare. Senatus iuramento proposito, Constantinũ interrogat, si Samnonactem fugientẽ reuocasset? Is periurium timẽs, respõdet, hunc in Melitenẽ propriam

priam domum itantem reduxisse. Ira percitus rex, Constantinum abijcit, Sammonactē pristinę restituit dignitati: quā auget et honore Patriciatus, et cubicularij officio: à quo rex postea ad mala multa est traductus, multaq; ob hominē hunc passus est. Agarenis itaq; Romanorum regiones euastātibus, Imperator Imerium Logothetem cum exercitu mittit, ut is ascito alio secum duce, cū hostibus manus conserat, eosq; regione abigat. Qui Andronicum præstantissimum bellatorē delegit, & exercitatissimum ducē, cum quo unà contra Agarenos proficiscatur. Sammonax, qui exitiali odio hāc domum prosequebat, quia ab eius filio Constantino captus (ut paulo antè claret) cuidā Andronici amico subindicat, periculosum esse admodum Andronico, si hanc sumat expeditionem: futurum enim ut oculi illi eruantur. Andronicus itaq; non obediens Imerio, expeditionem detrectat, nec nauim conscendit. Imerius accepta classe, nauali bello hostes deuicit, & classe potitus est. Andronicus audiens ducis victoriam, desperatus cum affinibus & seruis abiens, habitauit Cabalam oppidum munitissimum non longè ab Iconio. Sammonax nondum odio satiatus, haud desistebat regē irritare contra hunc, quoad timore perculsus ad Agarenos defecit. Rex ubi id cognouit, doluit haud triuialiter, ducem se tantum & rei belli cæperitissimum perdidisse. Literas itaq;, quibus & factorū obliuionem, & ad reditū cohortationem magnis muneribus promittebat, cera inclusas, cuidam Sarraceno captiuo ex carcere educto, perferendas dat Andronico consignandas. Hunc ad se clàm uocans Sammonax: Totius, inquit, Syriæ interitum manibus tuis affers. Si igitur & patriam, & affines, & omnes tui generis saluare uoles, literas cera innexas, quas defers, Vzir dabis (sic enim ille uocabatur, cū quo erat Andronicus) quod ubi Agareni resciebāt, lectis literis, Andronicum cum omni familia in uincula coniecerunt, ubi Andronicus uitam finiuit. Constantinus eius filius, & pauci qui cum eo erant in uinculis, ruptis carceribus fugæ se cōmiserunt, salutem quærentes: & sequutos se Agarenos fortissimè repulerūt, & patriam suam repetiuerunt: quos Rex benignissimè excipit, & munificentissimè donatos honorauit, Constantinoq; uerbis ornatissimis integritatem commēdat: pluribus adhortatus, nequid noui moliretur, néue ad tyrānidem aspiraret, cùm sibi esset filius cognominis, ne capitis subiret periculum: licet ipse Cōstantini nomine esset dignus. Alioqui, inquit, si de tyrannide unquam cogitabis, per hanc Chrysotriclim portam (eam illi indicans quę ad Occasum erat) ad me tuū sine busto caput deferet: quod & factum est, & rectè Leo uaticinatus, quēadmodū in Cōstantino sequēti scribemus latissimè. Festo die qui Pentecostes religiosissimè à nostris celebrat, Rex cū sacris interesset, cancellis adhęrēs, quidā ex ambone (ut fit in multitudine ob pressurā) in caput Imperatoris bacu lum impegit: quo, nisi candelabrū obstitisset, actum erat de uita regis: sanguinē enim eructauit, & mente alienatus semimortuus iacuit. Aberat frater Alexander, qui in multorū suspicionē uenit, se has patrasse insidias. Sed autor cùm per iudices non inueniretur, qui casum hunc fecerat, dissectis manibus ac pedibus in ignem est proiectus. Monachus aūt Marcus miraculum adaugens: Ab hoc, inquit, ô Rex anno, non amplius decem regnabis, quod & subsequutum est.

Venit quondam Sammonactis pater cum quibusdam ex Melitene Cōstantinopolim, quos rex honorificè suscepit, & in magnam ecclesiā (licet essent infideles) induxit. Videns igitur Sammonactis pater, quam filius apud Regem haberet dignitatem, quantumq; diuitijs creuisset, constituit & illic manere, & nostram religionē assumere: quod filius dissuasit, recipiens se adepta occasione ad patrem rediturum. Et cùm eunuchum hic haberet Constantinū Paphlagona, quē reginæ dederat ut seruiret, mox ut erat omni inuidia plenus, quia uidebat & regi & reginæ percharum, detulit apud regem, quasi reginam amaret: Leonemq; induxit, ut è palatio abigeret: qui in monasteriū est trusus. Sed re cognita, quòd calumniā illi struxisset Sāmonax, reuocatus, ornatissima uestę uenit in

palatium regis, multo quàm prius in amicitia regi familiarior. Quod bilẽ Sammonacti mouit, qui literas in regem famosas, quacunq; rex iturus erat, conspargit. Quod tandem scelus Imperator ex conscio quodam, in Sammonactem autorem reijci apertissimè cognoscit: quocirca omnis tandem fauor in hunc extinguitur. Et si illi uita fuisset diuturnior, malè de Sãmonacte esset actum: quẽ à regia expulit, & certos exilij limites circumscripsit. Patiebatur tum Luna deliquium: cuius Imperator effectum scire cupiens, Mitropoliten ad se uocat, ut super hac re consulat. Quem prius Sammonax seorsum pariter de hoc Lunæ defectu interrogauit. Qui apertè hunc Lunæ defectum, suũ fore infortunium indicat, nisi periculum euadat post tredecim dies, quo Sol quoq; eclipsim sit passurus. Hæc animo suo reponẽs Sammonax, cùm à rege Mitropolites super defectu interrogaretur: Secũda, inquit, tibi facies erit pro incommodo. At rex fratrem Alexãdrum secũdam faciem intellexit: quum Sammonactem potius, qui primùm post Cęsarem in regia locum occupabat, intelligere debuit. Creat itaq; Constantinum Andronici ducis filium cubicularium, cui & mansionem inter nosocomion & ualetudinarium exædificat, ut haud longè à rege dormiret. Incidit paulo pòst rex in cœliacam passionem, quæ adeò aucta regem occupauit, ut ad Senatum de ieiunio solitam habere orationem, quæ appellabatur silentium, non potuerit. Pauca nihilominus loquutus, Senatum rogauit, ut sui nõ obliuiscereturcommendãs uxorem & filiolum Cõstantinum, quem die Pentecostes proximo regẽ creauerat, & diademate insigniuerat. Durauit morbus in Maium mensem, quo mortuus est, cùm annos regnasset quinq; & uiginti cum tribus mensibus: fratri Alexandro imperium relinquẽs, & curam filij: arbitratus illum apud se regaliter & diligẽter educaturum. Licet, ut moriẽtes solent in agone diuinare, cùm Alexandrum fratrem moribundus Leo aspiceret, dixisse fertur: Mala occasio post decem & tres menses. Hęc Zonaras. nonnihil Luitprandus Ticinẽsis in libro rerum suo tempore gestarum, & primo & tertio, è quibus & alijs illa excerpsimus.

Plerique scriptores utriusq; fratris imperium simul iungunt, quòd Alexãder paruo tempore rexerit. Nobis uerò uisum est seorsum uniuscuiusq; uitam tradere, quòd id & apud Græcos Zonaras fecit: & quòd functo uita Leone, Alexander successit. Et quia breue illius fuit imperiũ, antequam Arnulphum Cęsarem & Reges Italiæ scribemus, qui in confusione imperij, regnum sibi Romanum uindicabant, uoluimus Alexandrum præmittere, & tum ad seriem Imperatorum redire: licet anni Imperatorum Occidentalium & Oriẽtalium ad quadrantem non conueniant.

ALEXANDER CAESAR.

ALEXANDER Imperator filius Basilij, ut suprà scripsimus, frater fuit Leõis, cui successit in imperio: utriq; tamẽ moribus dissimilis. Et cùm uix pedem in regnum intulisset, Nicolaum patriarchã, quem frater eiecit, ex Galacienis reducens, insedẽ patriarchalem Constantinopolitanam reposuit, Euthymio in exilium acto. Ipse totus delicijs deditus, uenationibus, potationibus, petulãtiæ, impudicitiæ indulsit. Nihil regium agẽs, sed regni curam in adulatores, præstigiatores, & eos quos ex triuio sibi delegit, scelerũ suorum comites reiecit. E quibus in primis Basilitzen diligebat, quem sceptri hæredẽ relinquere statuebat: fratris filio Constantino, cui regnũ debebatur, priuato. Cui præterea uirilitatem tollere parabat, & in monasterium intrudere. Sed diuina uolũtas fauit puero, quæ regis consilia destruxit: & uitæ suæ breuitas, qua prohibitus est exequi ea quę concepit. Cęterùm cùm magicis esset deditus uanitatibus, erãt præstigiatores, qui uanis admonitionibus & ueneficis aures oppleb ant, longæuã illi promittens uitam, potissimùm si porco qui in theatro eregi-

one

one leonis stabat, & ex ære dentes & pudenda apponeret. Quo ænigmate insaniam Imperatoris notabant, qui uentri deditus, æreis indigere uidebatur (ob continuã crapulam) dentibus: & peni ob lasciuiam indulgens, porco similior quàm homini erat, omnem intemperantiam sibi iure quodam uendicans. Sed insanus hic rex & porco fœdior, dictis fidem habens, reuera quę porco deficie bant ex ęre addi iussit. Hic itaq; frequẽtibus deditus conuiuijs & ebrietatibus, tandẽ cœpit langueſcere. Et cùm nunquam prandium nisi post balneum capere t, immoderatissimè quondam ientaculatus, ludo pilæ se uoluit exercere, corpus extẽdendo: statim equũ ascendit, ac uenam rupit, qua sanguis è naribus ac pudẽdis toto die effluxit, ac sic enormi fluxu extinctus est: tutores relinquens nepoti Constantino ac regni moderatores, Nicolaum patriarcham, & Stephanum magistrũ, & magistrum Ioannem Eladon, & rectorem Ioannem, & duos etiam quos ex præstigiatoribus in numerum Senatorum allexerat, Basilitzen & Grabrielopolen. Huius tempestate Bulgarorum dux Simeon, si pacem amplecti uellet, legatos misit ad Imperatorem Alexandrum: quos neque benignè suscepit, neq; ut oratores decuit honorificè tractauit, sed fastu quodam ac inani iactantia, mala potius illis minabatur. Quod Simeon cognoscens, mox bellum Romanis mouit, eorumq; regiones deuastauit, innumerasq; prędas nemine resistente abegit. Regnauit aũt Alexander annum unum & meniem, quem admodum Leo moriens prædixerat. Hæc ex Zonara. at nunc ad nostros Imperatores Occidẽtales est redeundum. Et quo pacto familia Caroli magni in Arnulpho defecit, & eius filio, adscribendum.

ARNVLPHVS CAESAR.

ARNVLPHVS filius naturalis Carolomanni regis Bauariæ, & ducis Carinthię, nepos Ludouici senioris regis Germanię. Nam hic Carolomannus Rex, frater Caroli Crassi, cùm coniugem haberet sterilem & infœcundam, ex quadam Carentana nobili fœmina pulcherrima hunc filium genuit. Quem Arnulphum, ob memoriam Arnulphi Metensis præsulis, à cuius sancto germine Francorum regum olim prosapia pullulauerat, appellauit: quod non sine futurorum præsagio accidit. Nam ex hoc regum genealogia secundis successibus, in Carolum usq; Magnum, fastigium collocauit: ac deinde uariante fortuna paulatim, tum ex immatura sobolum morte, tum ex coniugũ sterilitate diffluxit: in illo uerò manifestè defecit, ut liquidò apparebit. Non fuit hic Carolomannus filius Ludouici Balbi, ut ineptè somniauit Egnatius in suis Cæsaribus, sed Ludouici regis Germaniæ, princeps admodum uictoriosus: qui cum patre & suis auspicijs, in regnis Sclauorum, prędarissima non sine triumpho bella gessit, terminos imperij sui ampliauit singulari solertia, nil nisi regium semper meditatus. Corpore procero & forti, cui regia maiestas natura inesse uidebatur. Eloquio blando literis, ut tempora ferebant, satis eruditus, & in primis Christianæ religioni deditus. Vnde & honorificẽtissimum diuæ Dei Puerperæ templum, cum sacerdotibus ac canonicis, quod hodie magna uenerat ione in Bauaria frequentissimè inuisitur, extruxit: ubi & sepultus iacet, Ottinga patria lingua nuncupatur. Cùm itaq; optimates (ut superius scripsimus) Carolũ Crassum uiderent uiribus animi & corporis deficere, hũc Arnulphum elegantis formæ, & strenuum ducem totius Orientalis Franciæ, quæ regnum Teutonicum tum dicebatur, Bauariam, Sueuiam, Saxoniam, Turingiam, Frisiam, Lotharingiam complectens, abiecto Carolo, regem & Imperatorem deligunt, ac illum Carolo curatorem nullo exemplo statuunt: ac dehinc mortuo Carolo, etiam tutorem Carolo Simplici, regi Franciæ constituunt. A quo multa sunt in Francia gesta bella, sedes regia Parisiorum euastata, corpus S. Dionysij ablatum, & in Bauariam in ciuitatẽ Ratisbonam delatum. Vbi hodie quoq;

in templo diui Emerami, quod multis donarijs exornauit, religiosissimè uenera-
tur. Quod etiam Leo nonus Pontifex Max. diplomate suo, quod in cœno-
bio dicto custoditur, impium Gallorũ mendacium coarguens, attestatur. Mirũ
ẽm est quantum hãc urbem, quæ uulgò Ratisbona, à peritioribus Reginobur
gium, metropolis Bauariæ appellatur, Arnulphus dilexerit. Nam cum incen-
dio esset defœdata, eius muros ampliauit, ędes adornauit, & cœnobium sancti
Emerami censibus annuis locupletauit & auxit. Erat aũt Arnulphus in bellicis
fortunatus, utpote qui Sclauos inter se dissidentes compescuit, Northmannos
Lotharingiam uastantes fugauit, & ad internitionẽ usq; cecidit: licet impari e-
xercitu cũ hostibus congrederetur. Sunt enim tum duo Normannorũ & Da-
norum reges cæsi, duodecimq; signa regia, indiciũ uictoriæ, in Bauariã delata.
Ob quę rex Deo magnificas laudes decãtauit, & quendam Rudolphũ Chun-
radi filium, qui se regem appellari iussit, Lotharingiam ad se trahere conatum,
per arctissima itinera fugere cõpulit, tota illum uita cũ filio Zendiboldo perse
quutus. Hac tẽpestate Hungari ex Scythia à Peucenatis populis sibi finitimis
expulsi, ac alias sibi quærere sedes coacti, in Pannoniam irruerunt (alij sunt illi
ab Hunnis, qui & Auares dicuntur, contra quos Carolus Magnus bellum ges-
sit, & illis iuniores) dehinc Germaniam, Galliam, Italiam penetrarunt, ac instar
diluuij cuiusdam totam penè Europam inundatione obruerunt. Omnes enim
penè Germaniæ nationes Hungarorũ sunt expertæ sæuitiam. De quibus uidẽ
dus est Rhegino abbas in suis Annalibus, & Luitprandus in libro Antapodo-
seos, ne omniũ commentarios huc congeram. Erat sub hoc tempus Zuende-
baldus, qui alijs Zuendeboch uocitatur, Marahensium Sclauorum rex, cui Ar
nulphus Imperator concessit Bohemensium ducatũ, qui tum à suis regebatur,
& Francorum regibus inuiolato fœdere iunctus erat, antequam in regni fasti-
giũ sublimaretur. Sed familiaritatis gratia Arnulphus hunc concessit, et simul fi
lium quem ex pellice habuit, sacro fonte lauari, & eius nomine Zuendebaldũ
appellari iussit. Ex qua quidem amicitia, maxima dehinc orta sunt bella. Nam
& Boemi à pristina fide, cùm in aliud dominiũ essent traditi, defecerunt. Et Ma
rahensiũ siue Marananorum rex (utrunq; enim nomen apud autores inuenio)
ex adiectione alterius regni uires suas ampliatas sentiens, fastu inflatus, contra
Arnulphũ rebellauit. Qui cum exercitu Marahensium regnũ ingressus, omnia
solo æquauit: etiam arbores fructiferas radicitus excindens, ut Zuendebaldũ,
nõ nisi filio obside dato, pacẽ impetrare cogeret. Dum itaq; Arnulphus in Ba
uariæ finibus Sclauorũ temeritatem reprimeret, Northmanni, qui duobus præ
lijs infœliciter in Britannia uires attriuerant, in Lotharingiam irrũpunt classe,
& castrametati prędas ingentes abigunt. Contra quos Arnulphus exercitum
insignẽ mittẽs, supra Mosam iubet tẽtoria figere. At Northmãni circa Leodiũ
traiecta Mosa, terrã omnem populantur & exercitum irritant. Qui palabũdus
sine ordine hostibus occurrens, cæsus, fusus, fugatusq; est crudeliter. Northmã
ni prædа diuitijsq; onusti ad classem reuertuntur. Arnulphus stragem suorum,
& hostiũ uictoriam ubi accepit, fremebundus miratur Francorũ hactenus in-
uicta corpora, hostibus terga ostẽdisse. Indignitatẽ rei animo uersans, nouo cõ
gregato exercitu, Rheno transmisso, circa ripas Mosæ castra statuit. Norman-
ni superiori uictoria elati, cum omnibus uiribus occurrunt, & more suo ad prę
dandũ accinguntur, cachinnis & exprobrationibus agmina lacessunt. Ingemi-
nantes, ut proximæ pugnę essent memores, & turpis fugę, & cædis fœdissimę,
qualem iterum mox essent passuri. Rex Arnulphus ira percitus, exercitũ iubet
omnẽ pedestri congressu hostem adoriri: qui dicto citius ab equis desilientes,
elato clamore, præsidium inimicorum irrumpunt, eosq; usq; ad internitionem
ferro cædunt, fugientes sternũt, & innumerabilem hostium cateruã, ut uix qui
aduersum reportaret nuncium aliquis superesset, opprimunt. Rebus itaq; fœli
citer gestis, Arnulphus in Bauariam reuertitur. Et Northmanni Mosam tran-

seuntes,

ſeuntes, ad ſolitam prædationem reuerſi ſunt, magna præda abacta, & monaſterio Prumienſi ſpoliato. Arnulphus ſequenti anno reuerſus, Rhenum traijciens, Lotharingiã omnẽ circuit, et ab omnibus eſt honorificentiſſimè acceptus. Et cùm apud Nemetas (Vuormacia hodie uulgò dicitur) conuentum celebraret, Carolus Simplex Francorũ rex adueniens, multis oblatis muneribus, Arnulphum pro auxilio rogat, ut regno Francorum reſtitui poſſet. Qui illi conceſſo exercitu, iubet ut ei adſint pro regno recuperando. Sed reſiſtente illi Odone, reuerſus eſt Arnulphi exercitus, & magnę rapinæ in Franciæ regno undiq; ſunt factę. Tum Arnulphus Longobardorũ fines ualida manu ingreſſus, à Berẽgario in auxilium rogatus, Pergamum armis cepit: & Ambroſiũ urbis comitem ſibi reſiſtentẽ, in arbore ſuſpendit, cum enſe, balteo, armillis, omnibusq; precioſis indumẽtis. Qua uia ſibi cęteras urbes omnes, ne ſimilia paterent̃, aperuit. Placentiam ubi attigit, per alpes Pœninas cõuerſus Galliam intrauit, Rudolphum ſibi rebellẽ quęrens: qui fuga intra montes dilapſus eſt. Redijt tum Vuormaciam, ut illic ſuum Zuendebaldũ Lotharij regno præficeret, in quem optimates cõſentire tum noluerunt: ſed ſequenti anno planè cõſenſerunt omnes. Qui ampliare regnum hoc ſuũ uolens, multa bella geſſit, & contra Carolũ Frãcorum regem exercitum eduxit. Interea Formoſus Portuenſis ciuitatis epiſcopus, Romanę ſedis ſummus & uniuerſalis Papa, grauem in urbe patiebat̃ à Sergio & ſuis perſequutionẽ. Audiens itaq; Arnulphum uictorioſum regem, eius auxilium inuocat, rogatq; ut Romam tueatur. Nam & Lampertus filius Guidonis, ſe Imperatorem uocari contendebat. Iterũ itaq; Arnulphus Italiam ingreſſus, Romam uenit, eamq; armis cepit, mulctatis ultimo ſupplicio qui ſeditionis autores extiterant: mirũ dictu quomodo urbem cepit. Nam cùm non admitteretur clauſis undiq; portis, Leoninã urbem obſedit, qua parte diligentiſſimè à cuſtodibus ſeruabat̃. Fortè lepuſculus excitatus (ut fit) à militibus, ad urbẽ fuga contendit, quem ingenti clamore exercitus perſequebatur. Vigiles urbis ac cuſtodes clamore ac timore perculſi, muros deſerũt, ac exercitui ſcandendi muros copiam faciunt: ſic Arnulphus nullo labore urbem ingreſſus cepit. Mater Lamperti, quæ illic ad præſidium à filio relicta fuit, cum ſuis latenter aufugit. Ingreſſus urbem, Imperator & Auguſtus à pontifice ſalutatur, anno poſtquam rex electus fuit, abiecto Carolo, decimo. Pacataq; urbe cùm per Italiam rediret, Guidonẽ qui Berengario Italiæ imperium eripuerat, perſequitur. Nam Arnulphus Berẽgario fœdere erat iunctus, ut pòſt paulo ſcibemus, cùm de regibus Longobardorum hiſtoriã texere ordiemur. Audiens itaq; Guidonẽ fuga abijſſe, Arnulphus profectus Camerinum, caſtrũ natura & uocabulo Firmũ, in quo eius uxor quidem erat, licet Guido alijs incertis quibuſdã locis lateret, uallo circundat atq; obſidet. Vxor Guidonis in anguſtijs conſtituta, ut eſt muliebre ingeniũ ad omnia ſcelera excogitanda promptum, uidens omnẽ illi ſpem euadendi negatam, familiariſſimum quendam aulicum, Arnulphi imperatoris muneribus magnis corrumpens, accerſit, ab eo auxilium, ut liberetur obſidione, petens. Qui nullum auxiliũ ſe præſtare fatetur, niſi domino ſuo regi ciuitatem tribuat: quod & ipſa promittit, & auri magna pondera ſimul donat. Sed feritatem Imperatoris exhorreſcens, dicit ſe poculũ habere, quo homines ſæui dicto citius placantur. Hęc ait potio (poculum manu geſtabat) triſticiã diſcutit, læticiam, amores, feſtiuitatem, ludos iocosq;, & omnia gaudia menti affert. Eo mariti mei animum furentem ad ſanitatem reuoco, & Cæſaris animũ in me immeritam ira ſuccenſum placare cupio. Et ut fidem rei faciat, quod ſine noxa ſumi poſſet, ſeruum quendam è ſuis planè furioſum accerſit, pharmacumq; ei exhibet. Qui mox placatus, & ſanus, ualidus uigẽsq; breui ſpacio diſceſſit. Accipit poculũ & ſimul auri talẽta familiaris Arnulphi, regiq; propinat, ut mentis feritatẽ mulceat. Arnulphus accepto pharmaco, in ſomnũ reſolutus, triduo excitari, ceu lethargo graui percuſſus, nullo ſtrepitu potuit. Excitatus,

apertis oculis nihil sensit, nihil loquitur, ueluti mutus iacuit, mugitum quẽdam edens. Dehinc paulatim Italiam relinquens, cùm hunc Guido persequeretur, & ipse Berengarium oculis priuare, quò Italia potiretur, cogitans, per montem Iouis redit, Eporregiæ comitem Auscarium in cauernis latêre sese fugientem compulit. Et in propria reuersus, turpissima ualetudine correptus, ex hac potione corpus est tabefactum. Nam minutis uermiculis, qui pediculi nominantur, corpus adeò scaturiebat, ut nullis curis medicorum minui possent. Morbum hunc medici Phthiriasim appellant, quo olim Alcman citharœdus, Pherecydes tragœdus, Sylla dictator, Callisthenes Olynthius, Mummius iure consultus, Eunus belli Seruilis dux, correpti, mortui sunt. Cùm igitur nullum posset huic afferri remedium, indies magis inualescente ægritudine, moritur in
202 oppido Bauariæ Oetinga, iij. Kalend. Decemb. anno salutis humanæ octingentesimo nonagesimo nono, delatus Ratisbonam in basilica S. Hemerani sepultus (cuius quidem monumentum hodie cernitur) duodecimo regni sui, Imperij uerò secundo anno. Nam à Carolo Crasso annis duodecim præfuit imperio. Abundat hoc cœnobium & uiris religione præditis, & ueteribus deplomatibus, & libris quos mira custodiunt diligentia uenerãdi patres, & doctioribus uiris, si appulerint, copiam faciunt, humaniterq; eos tractant, hospitalitate insigni utentes: uerè religiosi patres, & digni ut apud posteros quoq; nomen habeant. Cæterùm ut ad historiam reuertamur, sunt qui putant hunc Imperatorẽ crudele hoc genus mortis meruisse, quòd rebus secundis elatus, omnia uiribus suis accepta retulit. Deum Opt. Max. non agnouit: neq; dignè, ut decuit Christianum principem, obsequia præstitit. Passus, dum in Italia bellum gereret, sacerdotes uinctos trahi, uirgines stuprari, coniugatas opprimi, templa spoliari, & in ijs res uenereas exerceri impunè. Ad hæc cùm Zuendebaldum Marahensium regem debellaret, Hungaros, gentem perfidam, & Christianę religionis hostem aduocasse, ut sibi resistentem opprimeret. Quo factum est, ut hæc gens uniuersam dehinc Germaniam crudelissimis affecerit populationibus ac supplicijs, cùm iter in has nostras terras didicisset, ut pòst scribemus. Nonnulli quòd corpus S. Dionysij abstulerit furtim, & Ratisbonam detulerit, id accidisse credunt. Sed quis iudicium Dei occultum intelligit? illi relinquamus, qui illuminat abscondita tenebrarum, & manifestat consilia cordium. Non ignoro tamen Rheginonem abbatem in suis Annalibus tradere, Arnulphum, cùm ex urbe rediret, paralysi grauatum, diem suum obijsse. Inuenio hunc duas habuisse legitimas uxores: Agnetem scilicet Græcorũ regis filiam, quam accepit dux adhuc existens Bauariæ & Carinthiæ, è qua duos sustulit filios, Arnulphum cognomẽto Malum, ducem Bauariæ, & Vuernherum comitem in Scheurn. Hac mortua, superduxit Deytam, quam alij Luitgardam uocant, alteram uxorem: quæ ei peperit Ludouicum Romanorum regem, ac Bauariæ ducem, successorem suum. Habuit autem concubinam nobilem, ex qua Zenebaldum filium naturalem genuit, quem apprimè dilexit, & regem Lotharingiæ instituit. Reperi eius quoque filiam, sed ex qua uxore ignoro, Bertham: quam Luthardus primus eius nominis, comes Cleuensis, filius Eberhardi, uxorem duxit, duosq; filios ex ea peperit, Balduinum II. undecimum comitem Cleuensem, & Richfridum, patrem Vualdrici episcopi Traiectensis. Cùm autem præter imperium haberet Bauariam, Carinthiam, Lotharingiam, Franciam Orientalem & Germaniam, diuisit antequam moreretur has inter filios prouincias. Hæc ex Ottone præsule Frisingensi, Rheginone abbate Prumiensi, Sigiberto Gemblacensi, abbate Vrspergense, Luitprando Ticinense, ac alijs Annalibus diligenter excerpsimus, ac nostro hoc tetrastícho clausimus:

Arnul-

Arnulphus Romam armatus capit, enſe coruſco
Vltus pontificem, corpora multa ſerit.
Sed redit ornatus diademate, uermibus eſus
Qui notum à ſenis nomen habent pedibus.

Subiungam nunc Arnulphi filium Ludouicum, in quo familia Caroli Magni defecit: quæ centum penè annis Romanum adminiſtrauit imperium. Licet is Ludouicus, quòd à pontifice non accepit diadema, à pleriſq; Catalogo Cæſarum non inſeratur. Nos tamen, qui nihil quod ſtudioſis prodeſſe putabamus, obmittere uolentes, & hunc appoſuimus, ut ſingula bono ordine ſuccederent.

LVDOVICVS QVARTVS.

QVARTVS hic Ludouicus (nam tertius eius nominis Balbus fuit cognomento dictus) filius Arnulphi Imperatoris ex ſecunda cõiuge Deyta: uir ſtrenuus & bellicoſus, ab optimatibus Francię Orientalis in oppido Forchhaim, poſt patris obitum electus, iuuenis admodũ. Cõuenientes enim illuc cuncti regni proceres, uiderunt in Italia Lampertum, Berengarium, Ludouicumq; Boſonis pro imperio concertare. Ob id ſibi in regno Teutonico hunc regem creant, regnijſq; ornamentis inſigniunt. Zuendebaldum autẽ Arnulphi quoq; ex illegitimo congreſſu filium, regno deturbant, omnibusq; dignitatibus ac honoribus ſpoliãt, ob rapinas aſſiduas, ſpolia & ſtupra quæ incolis homo crudelis intulerat. Cùm enim principum fauorem amiſiſſet, tranſeuntibus turmatim omnibus ad Ludouicum, coadunato exercitu, urbes regni circuit, incẽdijs cuncta euaſtat, ratus crudelitate ſua poſſe rebelles ad officia reducere, ſed fruſtrà. Nam paulo pòſt circa Moſam fluuium interficitur, & Ludouicus hic Germaniæ, Bauariæ, Lotharingiæ atq; Francię Orientalis rex conſtituitur: paternos dignitatis titulos amplexus, omnibus erat amabilis: quemadmodũ Zuendebaldus frater, ob ſęuitiam cunctis erat inuiſus, quia cum ignobilioribus uerſabatur, honeſtiores uerò honoribus ſuis ſpoliabat. Huius tẽpeſtate Hungarij (ſic enim apud ueteres appellãtur) audita Arnulphi morte, qui eorum opera contra Zuendebaldũ Marahenſium regem fuerat uſus, magno collecto exercitu, iuuenem regem deſpicientes, Marauonorum gentem quam olim debellauerãt, ſibi uendicant. Copijſq; auctis, Baioariorum fines irrumpũt, eccleſias igne deuaſtant, populosq; iugulant. Et ut maiorẽ hominibus terrorẽ injiciant, interfectorum ſeſe ſanguine potant. Crudelitate hac audita, Ludouicus Rex, ut populum à fuga, quam quiſq; parabat, retẽtaret, ingenioſa arte uniuerſos ſuę ditionis populos, abiecta formidine, dicto citius coaceruauit. Minatus eſt ſingulis qui fugam meditarẽtur, & hac ſalutem quærerẽt, & arma detrectarent, laqueum. Quo cõmento, innumeram multitudinẽ circa Auguſtã Vindelicorum colligit, quæ latiſſimos Lyci, uel (ut Luitprandus ſcribit) Lemmani fluminis cãpos, operi Martio aptos, ob capacitatem implet. Iam gẽs fera, belli auidiſſima, & cruorem noſtrum ſitiẽs, magno cum impetu irruit, oſcitantes opprimit, & ſomno ſepultos iugulat. Cùm uerò noſtri excitati iuſtum prælium ineunt, & diu dubio pugnarent Marte, Hungarij fugam ſimulãt: qua ſuis telis magis ſunt periculoſi, multosq; ſeſe ſequẽtes ſternunt, exercitumq; Ludouici Regis huius doli ignarum diſſipant, omniaq; ſtrage ac cruore defœdant. Aceruatim corpora militũ in cumulos leuata cernebant, flumina & riui ſanguine multo rubeſcebãt. Equi ſine ſeſſoribus palabundi diſcurrebant. Tanta uictoria elati, Bauarorum, Sueuorum, Frãcorum, Saxonum cuneos peruagãtur, cædibus, rapinis, incendijs omnia euaſtantes, multosq; tributarios ſibi facientes, prędas precioſiſſimas ac captiuos innumeros abduxerũt. Nec cõtẽti has populari terras, paucis interiectis annis, Italiã Longobardiamq; penetrant, ut mox ſequẽti

capite

capite ſcripturi ſumus. Ludouicus abeũtibus è regnis ſuis Hungarijs, prouincias ſuas ſingulas adiuuit ac reformauit, cõuentusq; generales principũ, nunc apud Triburios, nunc apud Mediomatrices, nunc apud Vuormaciam egit, diſſenſionesq; nobilium cõpoſuit. Nã Conradus filius ſenioris Conradi comitis Franconiæ, principis Haſſiæ & Vuedrouiæ, & Albertus filius ſororis Henrici
203 regis, nepos Othonis ducis Saxoniæ, magna inter ſe flagrabant diſcordia. Et cùm Albertus Conradũ occidiſſet, ultus fratrẽ ſuum, qui erat à Conrado prius occiſus, nemo regum potuit ſimultates ac inimicitias inter tantos uiros ſedare. Cùm aũt Adelbertus ille & regi Ludouico eſſet rebellis, nec poſſet ad obedientiã ſeptem annis ullo ingenio reduci, indignatus Ludouicus, opera Hattonis Moguntinenſis archiepiſcopi, hominis uafri & ſolertis, qui eum ex caſtro Babenberg fraude eduxit, promittens eum reducere, regi preſentaṫ, à quo eſt iudicio nobiliũ condẽnatus & decollatus: quod epiſcopo magnã dein infamiam attulit. Cùm dehinc epiſcopũ Argentinenſem cõpoſuiſſet cum plebe ſua, multaq; prælia geſſiſſet, quibus ferè ſemper ſuccubuit ceu infortunatus: tandẽ moritur ſine hærede, anno Virginei partus nongenteſimo undecimo, regni uerò duodecimo, Ratisbonæ ſepultus cum patre, in cœnobio diui Emerani.

Habuit aũt uxorem Mathildam, quam Saxonicus ſcriptor Luitgardam appellat, ſororem Brunonis ducis et magni Othonis, filiam Luitolphi ducis. Qui uoti gratia Romam profectus, reliquias Innocentij papę trãſtulit: cùm interim Bruno dux cum exercitu Saxonũ, Danos ab incurſione repellens, inundatione repentina obrutus, cum omni exercitu perijt, relinquens fratri Othoni magno ducatum. Ludouicus aũt ex hac Mathilda nullam ſuſcipiens prolẽ, genealogiam Caroli Magni in Orientali regno clauſit, cùm tamen per Carolum Simplicẽ in Occidentali continuaretur adhuc longius. Hæc ex Rheginone, qui hactenus ſuos Annales protulit, ex Othone, Sigeberto, abbate Vrſpergenſe, ac Luitprando excerpſimus. Nunc tetraſtichon ſubiungemus:

Vltima progenies Magni de ſanguine Carli,
Deficit imperio iam Ludouice tuo:
Tempore quo Hungarij, fera gens, has diſſipat oras,
Euertitq; ſolo, peruia quæq; terens.

Nunc eſſet Conſtantinus Græcus Imperator ſubiungendus, qui in hæc tempora incidit. Sed quia in Italia eodem tempore Reges ac Imperatores inuaſerunt imperium, armis ſibi uindicantes Longobardiam, & pleraſq; Italiæ ciuitates, qui tyrãni ſunt potius & inuaſores, quàm reges nũcupandi: nolumus hos quoq; ſilentio præterire, ut ſingularum rerum ſeries bene noſcatur: cùm ſcriptores pleriq; in ijs ſint plurimùm hallucinati.

BERENGARIVS CAESAR

PAVLATIM deficiente Magni Caroli proſapia, quæ centum & aliquot annos fœliciſſimè imperium adminiſtraſſe legitur, quaſi legitimo deſtitutũ hærede, & in partes à ſua compage reſolutũ, factiones undiq;, & ex æmulatione diſcordias excitauit, & bellorũ motus. Vnde nati ſunt multi reges & imperij inuaſores. Qui licet in catalogo Cęſarum à ſcriptoribus non ponantur, tamen ut Auguſtalis hiſtoria noſtra recta ſerie procedat, ſtudioſis duxi hos quoq; aperire, ut horum quoq; notitia quantulacunq; habeatur. Ne graueris itaq; lector hos agnoſcere, quos alibi non niſi maximo ſudore ex uarijs congeſtos reperies, & hic, ut aiunt, citra pulueris iactum.

Dum CAROLVS Caluus Auguſtus Imperium adminiſtraret, ut contineret in fide officioq; Italiam, dat Papienſibus ducem Boſonem, Iudithæ uxoris ſuæ fratrem, ut ſuperius ſcripſimus, cui deſponſat Hermingardim filiam
204 Ludo-

Ludouici regis, regemq; Prouinciæ creat. Berengarium autem & Guidonem 205
proceres iuuentutis Romanæ, per matres Francis, per auias Longobardis cognatione iunctos, Principes Italiæ, quæ iam factionibus distrahebatur, honoribus & muneribus Francis conciliat: alterumq; Foroiulienſium ducem, alterum Spoletinorum dicit, ducatusq; nomine datos, armis uirtuteq;, ut in ditionem ſuam Francorumq; redigant. Hi duo itaq;, Berengarius & Guido, dum in gratia principis Auguſti ac autoritate eſſent, collectis magnis opibus, dum Carolus Craſſus Imperator animo corporeq; deficeret, inter ſe conſpirarunt, rerumq; potiundarum conſilium ineunt. Placuit ut Berẽgarius in Italia, Guido in Francia, nomen imperij inuaderent, facta confœderatione, quam iuramentis affirmauêre, licet diuturna non fuit. Cùm Guido Caroli Auguſti interitum audiſſet, Romam properat, & abſq; Francorum conſilio regni Franciæ unctionem ſuſcipit: cùm Franci, dum hic abeſſet, Odonem ducem filium Ruperti regem ſibi conſtituunt, cuius opes plus quàm modicæ, omnes conatus Guidonis repreſſerant. Igitur feſtinus per Burgundiorũ regna tranſiens, cùm illi nuncij occurrerent, Francos longa expectatione feſſos, cùm diu ſine rege eſſe non poſſent, Odonem cũctis petẽtibus elegiſſe nunciantes, ad Mediomatricum urbem Metenſem, in regno Lotharij nobilem diuertit, ſperans ex compoſitò conuenturos ſocios, qui arma & ſuppetias adminiſtrarent. Accidit (ut tradunt Annales) cùm dapifer eius illuc prẽmiſſus, ad alimẽta regio more prẽparanda, ab epiſcopo Metenſi, uideret iuxta Francorum conſuetudinem multa admodũ cibaria parata, petiſſe ab Epiſcopo, ut ſibi equum donaret, ſeſe curaturũ ut rex tertia huius obſonij parte ſit contẽtus. Cui epiſcopus: Non ferẽt Franci regnare regem, qui x. drachmis uile prandeat obſonium: abeat retrò unde uenerit, nemo hunc regem amplectetur, nemo amabit. Francorum itaq; rebellione perturbatus rex Guido, deſperans de Francia, Italicum regnũ, quod ſibi iam Berengarius uſurpauerat, fracto iuramento, & repulſa confœderatione, cœpit deſiderare: collectoq; magno exercitu, Italiam ingreſſus, Camerinos atque Spoletinos tanquam propinquos adijt, & Berẽgarij partibus fauentes pecunia corrumpit, ac bellum ciuile Guidoni parat, rupto amicitiæ fœdere. Tum iuxta fluuium Teruium, qui quinq; miliaribus Placentiam præterfluit, e- 206
ductis utrinq; copijs, fit pugna longè acerrima: in qua multi utrinq; cæſi, & magna edita ſtrage, Berengarius fuſus fugatusq;, Guido uictor Italiæ Rex ac Imperator dictus eſt. Berẽgarius paucis interiectis diebus, nouis collectis copijs, in Brixiæ latiſſimis campis bellum Guidoni reparat. Vbi maior edita ſtrages eſt, & Berengarius fuga liberatus ad Arnulphum contendit, ſuppetias imploraturus: promittens ſe, ſuosq; eius potentiæ ſeruituros, ſi eius auxilio Guidonẽ ſuperare, regnumq; ſibi uẽdicare poſſit. Arnulphus, qui regni Franciæ diſſidijs erat implicitus, Zuendebaldum ex concubina filium, ingenti cum exercitu in auxilium mittit ad Papiam: quam Guido ita munierat, ut nulla parte exercitus illi poſſet quicquam inferre nocumenti. Viginti & amplius dies urbs obſideẽ, quum Itali crebrò à Bauaris laceſſiti, tanquam imbelles, manus cõſerere noluerunt, quoad miles quidam Bauarus Hubaldum Bonifacij patrem, qui pòſt Camerinorum & Spoletinorum Marchio fuit, ad duellũ prouocaret. In quo Hubaldus dedecus ſuæ gentis uindicare cupiens, Bauarum proſternit ac occidit: hoſtibusq; terrorem, ſuis audaciam inijcit. Zuendebaldus ergo acceptis à Guidone argenti ponderib. ad propria redijt, re infecta. Berengarius magis incenſus, ad Arnulphũ reuertitur: hortaturq; ut Italiam ſibi uendicet, ac imperiũ ſibi arripiat, modò Guido expellatur. Magno igitur coacto exercitu, Arnulphus rex Italiam ingreſſus, à Veronenſibus excipitur. Pergamenſes cùm hunc excluderent, firmiſſima loci munitione confiſi, urbs obſeſſa capitur, ciues iugulãtur: Comes urbis Ambroſius ante portã laqueo ſuſpendit. Vnde cæteris principibus terror iniectus, ne regẽ hunc ſibi contrarium facerent, Mediolanenſes atq;

Ticinen-

Ticinenſes obedientiam miſſis legatis pollicentur. Mediolanum itaq; mittit Othonem, ducem Saxonię potentiſſimum, Magni Othonis auum, qui eam urbem tueatur. Ipſe Ticinum proficiſcitur. Guido huius impetum ferre non potens, Camerinũ Spoletumq; uerſus fugam arripuit. Quem rex inſequutus, urbes & caſtella reſiſtentia ui expugnauit. Nulla arx, quantumuis etiã natura munita, reſiſtere potuit huius potentię: cùm etiam Romam ipſam ui caperet, ut ſuperius ſcripſimus. Dehinc relicta urbe, Guidonem perſequitur: qui in incertis latuit locis, nunc in Vmbriam fugit, nunc in Etruriæ ciuitatibus ſeſe continuit. Cùm autem firmum caſtrum, in quo Guidonis uxor erat, obſideret, potione infectus (ut ſuprà latiſſimè narrauimus) repedare coactus eſt, ualetudine mala correptus. Quem redeuntẽ Guido perſequitur. Vbi Bordonis montẽ Arnulphus cõſcendit, in conſilio ſuorum reperit, ſi Italiam ſeruare cuperet, ut Berengarium luminibus priuaret. Cognatorum unus Berengarij, qui conſilium accepit, mox Berengarium admonet: qui lucernã quam Arnulpho officij gratia præferebat, alij tradidit, moxq; fugit, ac Veronæ delituit. Mox ab Italis deriſus Arnulphus, cùm Ticinum ueniſſet, nocte magna eſt orta ſeditio, eiusq; milites multi occiſi. Per montem Iouis reuerſus, Eporegiam uenit: cuius Marchio Anſcarius, quòd ciues eſſe rebelles docuit, aufugit, & in cauernis latuit. Guido Arnulphum ſemper perſequutus, iuxta fluuiũ Tarum moritur. Erat autẽ Guido filius Lamberti Spoletinorum ducis, qui ſub Carolo Craſſo Italiæ regnum apud Rauennates inuaſit. Eius uxor Vuilla filiũ genuit, nomen patris referens Lambertum, elegantem iuuenem & bellicoſum: quem mater Romam miſit, ut coronamentum imperiale ſuſciperet à præſule ſedis Apoſtolicæ, cùm urbs duabus grauiſſimis factionibus laboraret. Berengarius uerò filius fuit Eberhardi, qui ducatum Foroiulianorum tenebat, Roma oriundus, è ſtirpe Longobardorum regum, uir magnanimus, & militaris diſciplinæ non ignarus. Is ubi mortem Guidonis intellexit, feſtinus Papiam uenit (illic enim erat tum regia ſedes) regnumq; ſibi potenter uſurpat. Qui uerò Guidoni ſeruiebant quàm fideliter, timentes ne Berengarius, illatam ulciſceretur iniuriam, ſimul etiã quòd Itali libenter geminos habent dominos, ut alterum ſemper alterius terrore in ſollicitudine contineant ac coerceant: Guidonis regis defuncti filium Lambertum, elegantem ac bellicoſum iuuenem, regem ſibi conſtituunt. Deſertus itaque Berengarius, iuxta Papiam, Lamberto occurrẽti cum grandi exercitu, cum ſuis paucis militibus cõgredi nõ auſus, Veronam ſe recepit, & ad tempus illic ſecurus latuit. Nec multo pòſt Lambertus factus ſecurior, fortuna mutata grauis eſſe cœpit, & moleſtus populis ac Principibus. Inerat illi quippe morũ integritas cum formidoloſa ſeueritate, cùm iuuentutem ornaret ſenectutis grauitate. Ob id iam ipſum expellere, & Berengarium per legatos reuocare cogitant. Vualtfredum comitem ab Arnulpho Italiæ præpoſitum, capitis ſententia, tanquam ſibi rebellem, damnat. Tum Maginfridum, prædiuitem urbis Mediolanenſis comitẽ, qui quinquennio illi rebellis erat, & ſuam urbem ab incurſu Lamberti non ſolùm tuebatur, ſed etiam finitima loca depopulabatur, quæ Lamberto adhærebant: ob id hunc quoq; capitis ſententia damnat. quæ res magnum cæteris terrorem iniecit. Excitus hac moleſtia Albertus, illuſtris Tuſcorum Marchio, cognomento Diues (tantæ enim potentiæ inter Italiæ Principes, tantis diuitijs præcellebat) unà cum potenti comite Hildebrando, apertè rebellare cœperunt, ac collecto exercitu Papiam uerſus tendere: quę omnia ſuaſit etiam Alberti uxor Bertha, Hugonis qui pòſt regnauit mater. Sed dum hi Papię appropinquant copijs inſtructi, Lambertus uenationi indulgens, certior de aduentu horum factus, centum acceptis tantum militibus, noctu uino ſomnoq; ſepultos trucidat, & Marchionem cum comite fugientes capit. Fertur, cùm Albertus in præſepio animalium latitans repertus, ante faciẽ Lamberti ductus eſſet, quòd à Lamberto hoc ſcommate ſit riſus: Nunquid uxor tua

Bertha

Bertha Sibyllino ſpiritu te Regem futurum prędicauit: ſed falſa: cùm in preſepio repertus ſis, aſinũ te futurum præcinere debuit. Iniecti igitur cuſtodijs, donec eius Principes quid de captis agendum ſit ſtatuunt. Rex iterum uenatione occupatus, cùm aprum inſectatur, qui multis anfractibus eius curſum ludificat, feſſus quieti ſe tradidit. Meginfridi comitis filius, qui paternam necem alto animo reconditam habuit: licet Regis eſſet à ſecretis, cùm ſolus illic cum Rege eſſet, occaſionem uindictæ nactus, dormienti truncum ligni in caput inſligit, ac ceruicem fregit: quaſi aprum inſectatus, ex equo caſum feciſſet, cùm nulla hic ſanguinis effuſio aliud genus mortis indicaret. Itaque Lamberto occiſo, Marchio Adalbertus, Hildebrandus comes, & cæteri è captiuitate liberati, & rex Berengarius priſtinæ regiæ dignitati reſtitutus eſt. Sic uitam finiuit Lambertus rex, qui nimia morum ſeueritate erat formidabilis & timendus: licet integritate ſua promitteret priſcum Reipub. ſtatum. Berengarius itaq; regno Italiæ recuperato, dũ partim ſe ulciſcitur, partim uoluptatibus indulget, Hungarij (ſic enim apud ueteres nominantur) cùm iam Bulgarorum atq; Græcorum gentem ſibi tributariam feciſſent, & per uniuerſam Germaniam graſſati eſſent, ne quid inexpertum ijs eſſet, Italiam ingrediuntur: miſſiſq; exploratoribus, terræ ſitum, & hominum multitudinem, ac urbium munitiones inquirunt. Cùm autem diuitias ingentes conſideraſſent, ac populos immenſos, reuerſi per hyemem, maiores copias benè armatas colligũt, & ſequenti uere redeuntes Aquileiam, Veronam, Ticinum, munitiſsimas urbes pertranſeunt. Berengarius gentem prius non uiſam, neq; cognitam, cum ſtupore miratur: moxq; ex Italis, Tuſcis, Volſcis, Camerinis, ac Spoletinis maiorem multo exercitũ colligit quàm Hungarorum eſſet. Qui prelium fugientes, Adduam fluuium natando tranſeunt mira celeritate, ut ex eis multi ſubmergerentur: nam alia non erat fugiendi uia. Miſsis itaq; nuncijs, petunt Hungari relicta præda diſcedere, ac Italiam tutam relinquere. Sed cùm preces illorum exauditæ non eſſent, fuga dilapſi in latiſſimos Veronenſes agros perueniunt. Sed cùm inſequuti Itali eos iterum circumundiq; dediſſent, adeò ut nulla fuga elabi poſſent, iterum omnem ſupellectilem, captiuos, arma omnia, ac prædam omnem, denicq; equos, ſingulis tantum retentis, quibus repedare poſſent, offerunt: nec unquam ſe redituros iureiurando obſtringunt. Sed ſurdæ ad omnia aures, faciunt ut Hungarij deſperati de ſalute ſalutem inueniant: Vna enim ſalus uictis nullam ſperare ſalutem. Triplices inſidias Italis ponunt, & ſuperbientes quaſi iam de uictoria certi, in medio amplectuntur: quoſdam uerò iam ex itinere fatigatos, dum ſe cibo recreant, inter prandendum obruunt & conculcant, ablatis equis, quibus ſe fuga tutari uoluerunt. Moxq; tanta fit ſtrages, ut quibuſdam diſſimulantibus aliorum cædem, quò ſecurius deinceps ipſi regnarent, æquè omnes cæderentur ac ſternerentur. Et qui paulo antè ſupplices rogabant ut abirent, palabundi totam eaſtant Italiam, ſæuiunt in omnes, ac nihil inhumanitatis obmittũt. Nec ſtragis erat ullus finis, quoad Berengarius ingenti data pecunia, ab incurſione tali Italiam ſecuram redderet, redditis etiam nõnullis obſidibus. Quare indignati Itali cõtra Berengarium qui ocio intra muros uoluptatibus deditus marceſſebat, Ludouicum Boſonis regis Prouinciæ ac Burgundiæ ex Hermingarda filium, miſſis legatis ultrò inuitant, ut regnum Italiæ Berengario auferat, ac ſibi uendicet. Huius uerò tam turpis ſceleris autor Adelbertus Eporregiæ ciuitatis Marchio fuit, cui idem Berengarius filiam ſuam nomine Gislam copularat, ex qua & filium genuit, cui aui ſui uocabulum dederat. Hic eſt iſte Berengarius, cuius tyrannidem tota deflet Italia, à nemine non deteſtatus. Fuit hic Albertus tempore iuuentutis ſummæ humanitatis ac clementiæ, liberalis erga inopes, ac largus, adeò ut ſæpe pauperibus ſi nil aliud haberet, ex uenationibus rediens rogatus, largiret cornu aureis fibulis ornatũ, quod ſuo collo deſumpſerat, ac rurſus magno precio redimeret. Adultus famæ tam ſiniſtræ, ut nulli unquã fidem

seruaret integram. Huius itaq; ac aliorum hortatu, Ludouicus in Italiam uenit. Cui cùm Berengarius longè maioribus copijs occurreret, illis perterritus Ludouicus quum iam fugere nõ posset, iureiurando promisit Berengario, si nunc dimitteretur, nullis pollicitationibus, nullis promissis unquam uisurum aut ingressurum Italiam. Ob id Ludouicus Italia pulsus est. Nam tum Berengario potentissimus ille Tuscorum marchio Adelbertus, magnis muneribus ab eo honoratus adhęsit: licet diuturna non fuerit hæc amicitia, impellente ad discordiam Bertha uxore maritum. Cuius consilio, & nonnullorum aliorum Italiæ Principum, Ludouicus cupiditate regnandi immemor iuramenti dati, iterum in Italiam irrupit. Berengarius accipiens, Ludouicum accersitum tam ab Italensibus quàm à Tuscis, Veronam proficiscitur. Sed auxilio Italorum Ludouicus Verona hunc expellit, totumq; Italiæ regnum sibi subiugauit. Occupata itaq; Papia, cùm Lucam proficisceretur, miro apparatu quàm honorificentissimè est ab Adelberto acceptus. Sed cùm dignitatem ac magnificentiam & regium splendorem miraretur, inuidia motus: Hic Rex, inquit, non Marchio est appellandus: nomine me minor, sed longè maior opibus. Quæ uerba & Adalbertum & Bertham uxorem à fide eius alienarunt: unde & cæteri Principes in fide fluctuarunt, & pòst paulo ab eo defecerunt, ut est Italorũ constantia in suos Principes firma. Dum igitur è Tuscia rediẽs Veronã redijsset, nil mali suspicatus, neq; de fide suorũ hæsitans, in arce habitauit, quæ ultra põtem per quem Athesis labitur, in colle sita est, dimisso exercitu atq; subsidiarijs militibus. Berengarius clàm urbem ingressus, in cõticinio noctis corruptis custodibus, pontem transijt, ac rectà mane in crepusculo ad arcem tendit. Excitus strepitu clamoreq; militum Ludouicus, in templum confugit: illic latitans, ab uno solo Berengarij milite uisus, qui hunc prodere noluit. Sed ueritus ne ab alijs inuentus & proditus, capitis supplicio mulctaretur, Regem ut sibi uitã concederet supplex petijt. Qui misertus fortunę, et precibus militis cõmotus, uitam concessit, sed luminibus priuauit: quòd prius ab eo seruatus, iurasset se nunq; Italiam ingressurũ: & iam iuramenti oblitus, denuò fidem uiolasset. Sic excęcatus Ludo-
207 uicus regno pellitur, & Berengarius regno potitur, ut Luitprandus ij. lib. Antapodoseos tradit. Licet Rhegino abbas in suis annalibus scribat, Ludouicũ hũc à Longobardis mox post mortem Lamberti in Italiam inuitatum, post multas cum Berengario cõgressiones, & uaria certamina, cùm Berengarium fugasset, Romam concessisse, & à summo Pontifice Imperatorem coronàtũ, regno potitum Italię, Berengarium in Bauariam exulatũ ire compulisse. Sed tandem cùm Ludouicus securũ se arbitraretur, dimisso exercitu, ut quieti studeret, cum paucis Veronam, sic eum adhortante Adalhardo Veronensi antistite, cõcessit: cuibus factus inuisus, ut est horũ inconstans natura. ab ijs est euocatus Berengarius, ac noctu in urbẽ intromissus: qui Ludouicũ & oculis & regno, cui nouem annis præfuit, priuauit, in mense Augusto, cùm in Maio cometa futuram hanc mutationem demonstrasset: anno salutis nostræ noningentesimo & quinto. Sic itaq; Berengarius Italiæ regnũ multis cædibus cruentatum, infortunatisq; prælijs diu laceratum, tandem obtinuit. Sed nullus adhuc erat Italicæ calamitatis finis. Nam ab una parte Sarraceni uidentes terrę desolationem, summas sibi Italiæ partes uendicabant, ac depopulatis urbibus pluribus, haud longè à Papia castra locabant. Africani item ratibus è Lybia exeuntes, Calabriam, Apuliam, Beneuentum, Romanorumq; pleraſq; urbes ita occuparunt, ut in singulis media pars ciuiũ essent Romani, media Africani. Mõtemq; Garglianum, quò uxores, paruulos, captiuos, omnem denique supellectilem deduxerant, ita munitione firmarunt, ut nemo posset Romam tutus adire. Ab alia autem parte Hungarij, quia Saxones, Francos, Sueuos, Bauaros inquietare non poterant ob militũ strenuitatem, per totam Italiam nullis resistentibus debacchabantur: quos sibi Berengarius conciliauit & amicos fecit, quia militibus suis fidere non satis

ob ipso-

ob ipsorum inconstantiam potuit. Sic misera Italia ab Hungaris, Sarracenis & Africanis undiq; laceratur, & intestino bello discinditur. Vlricus em̃ Palatij comes ex Sueuorum genere, à Berẽgario est occisus, Gisilbertus flagellis cæsus, Adalbertus gener pecunia mulctatus & Italia pulsus. Id audiẽs bellicosus Princeps Rodulphus Burgundiorũ rex, Richardi ducis filius, cognomento Transiurensis, potentissimè regnũ Italicum subiugat, coadiuuantibus Adalberto Eporregiæ marchione, & Gisilberto comite, qui erant à Berengario ex Italia pulsi. Cumq; tribus annis imperio præfuisset, conuocatis Papiã regni proceribus, illis tradidit regnũ ipsum moderandum, patriam suam Burgundiam repetens: forte infidelitatem & incõstantiam Italorum pertæsus, cùm ijs fidere nequiret. Veronenses ubi accipiunt Rhodulfi regis discessum, Berengario insidias struunt, autoremq; sceleris quendam Flambertum statuũt: cui Berengarius filium è sacro baptismatis lauacro leuauit, ipsumq; honoribus euexit, ac opibus locupletauit, & cui facilis erat ad Regem aditus. Berengarius certior factus de insidijs, quas Flambertus sibi moliebatur, hũc aduocat, de beneficijs perceptis admonet, ac de honoribus illi ab eo collatis. Disquirit inde, cur suæ uitæ insidietur: cùm salutẽ suam semper quęsiuerit, dignitatesq; auxerit, ne tam prauo consilio obediat: si iussus sit, ut uel discedat, uel abneget. Et ut hominem maiori deuinciret amore, nobile uinũ aureo poculo iubet infundi: Bibe, inquit, amorem, & absterge si quid conceperis rancoris, ac aureũ illud poculum ob nostri amorẽ tibi & tuis reserua. At Flambertus accepto precio traditionis, magis æstuat innocentem tollere Regem. Consueuit autem Rex ad galli cantũ plerunq; surgere, & templa adire, ac laudes Deo dicere. Quod compater eius Flambertus haud ignorauit: qui acceptis sceleris socijs, dum quodã amœnissimo tuguriolo iuxta quandã Ecclesiam maneret, noctu euntem ad templũ bonum Regem capit, ac à tergo rhomphæa occidit: cuius sanguis lapidi insperſus, nullo liquore multis pòst annis potuit abstergi. Milo fortissimus iuuenis, à rege multis annis educatus, & qui suum regẽ mirificè amabat, cùm frequẽter noctis excubias gubernaret, et illa absens, iussu tamen regis, fuisset, audiens cędẽ factam, non destitit, nec unq; quieuit, quoad capto Flamberto proditore ac socijs, dominum suum ulturus, omnes laqueo suspendit. Sic uitam finiuit Berẽgarius rex, cum tot calamitates, tot labores exantlasset. Cuius obitum ubi Hungari acceperant, Salardo duce Italiam ingressi, omnia crudelissimè ferro & incendijs euastant. Brixiam & Pergamum expugnant, expugnatas urbes diripiunt, Papiam obsidione cingũt, eamq; sęuissimo incendio exurunt. qua exusta, cùm iam satis per uniuersam essent debacchati Italiam, ad propria cum ingenti ac maxima pręda reuertũtur. Quo tempore defuncto Adalberto Eporregiæ ciuitatis marchione, eius uxor Hermingarda, Adalberti potentis Tusciæ marchionis & Berthæ filia, totius Italiæ principatum inuadit. Ob pulchritudinem enim corporis sui copiam passim omnibus fecit, stuproq; patebat cunctis: hinc eius dicto audiẽtes omnes erant. Rhodulphus itaq; rex morte Berengarij audita, rediẽs è Burgundia in Italiam properat, ut regnum sibi iterum uendicet. Sed Italię primores inter se dissidebant: pars enim reginæ, pars Rhodulpho adhæsit. Qui enim reginæ cõcubitu potiri non poterant, ad Rhodulphum se transferebãt. Quocirca collectis copijs Rhodulphus Papiam obsedit, ea parte castrametatus, qua Ticinus & Padus conueniunt. Per alueum igitur fluminis nuncio misso lintre, callidissima mulier blandicijs & literis Rhodulphum in sui amorem pellicit. Qui nocte sequenti castris suis desertis, dimisso exercitu, solo nuncio comite, ad reginam uenit Papiam: cui copiã corporis sui libens impertit, & in amore suo regem insanire fecit. Mane facto, cum Principes tentoriũ ingrederentur, & præter morem insolita hora Regem dormire admirarentur, quum ad nullum excitaretur strepitum, ingressi lectum uacuum cernentes, aut raptum aut occisum clamitabant. Nemo eum transfugam suspicatus est, quoad superueniente nuncio quo-

cio quodam, Rhodulphus cũ reginę militibus irruere in eos fertur. Qua rè cõsternati, tã celeri fuga discedunt, ut non currere, sed uolare diceres. Mediolanũ ueniẽtes Italię primores, consilio facto, archiepiscopo Lamberto Mediolanen se potissimum cõsulente, Hugonem Arelatensem comitem potentissimum ac sapientissimum euocant, qui olim regnum Italiæ affectarat, sed à Berẽgario est excluſus. Huic scribunt ut ueniat, & Rhodulpho regnum auferat, & sibi uendi cet: promittunt opes, auxilia, subsidia. Hugo itaq; per Tyrrhenum mare in Italiam delatus, prosperis uentis Pisam Tusciæ caput delatus. Vbi Iohannis Rauennatis Romani pontificis, & omnium penè Italorum principum nuncij hũc excipiunt, & ad regnum Italiæ inuitant, quod longo iam antè tempore concupiuit. Mox itaq; Papiam uenit, cũctisq; conuenientibus regnum susscepit. Iam Rhodulphus Eporregiæ erat, ac Burchardum Sueuorum ducem, socerum suum in auxilium uocabat. Habuit enim Rhodulphus Bertham eius filiam uxorem, ex qua diuam Adalheidam & Conradum Burgundiorum regem peperit. Quum ergo Burchardus collectis copijs Eporregiam uenisset, genero suo Rhodulpho suasit, ut relictis copijs suis Eporregiæ, sineret ipsum inuisere Mediolanum, quò posset & urbis munitionem, & Italicum robur explorare. Burchardus acceptis paucis militibus, Mediolanum uisendi gratia accedit. Et conspecta sancti Laurentij æde sacra, qua munitionem struere cogitabat, quędam uerba homo iactabundus lingua Alemanica in contemptum Italorum temerè effudit, arbitratus neminem adesse patriæ linguæ expertum: cùm tamen mendicus quidam ea intellexisset, & mox archiepiscopo Lamberto detulisset. Qui homo astutus ea dissimulauit, benigneq; ipsum hospitio accepit, uenationẽq; ut Principi amico ob honorem pręcipuum instituit: cùm interim Principes Italicenses admoneret, ut hunc ueluti exploratorem iugularent. Nouariam cùm uenisset, Eporregiã rediturus, à subornatis crudeliter discerpitur: & sui ad templum fugientes extrahuntur, & mactantur. Quæ ubi Rhodulphus accepit, Italiam relinquens, in Burgundiam profugit, regnũ Francorum adeptus, cui post undecim annis præfuit, Hugonique sine contentione regnum dereliquit Italiæ. Fuit autẽ hic Hugo filius Lotharij, ex Lothario illo anathemate notato, ut scripsimus, & Bertha: quæ postea Adalberto seniori nupsit, Ethruriæ marchioni. Ex quo Guidonem, qui Tusciæ Marchiã possidebat, sustulit: & Marustam (Marotia ab alijs dicta) Romanum scortum sibi uxorem acceperat. Quæ quidem Bertha Hugonis mater hoc tempore moritur. Vxor autem Hugonis Alda ex Francorum Germanorum erat genere, ex qua filium Lotharium regem Italiæ progenuit, cùm ex concubina Vuendelmunda filiũ Humbertum Tusciæ Principem haberet. Licet enim fortitudine, audacia, religione, scientia præcelleret, & qui philosophos ac bonarum artium studiosos non modò amaret, sed honoraret insuper, pauperesq; mirum in modum defenderet, sollicitus tamẽ in mulierum amorem usq; ad ignominiam erat procliuus, & nimis salax. Nam prętet Vuendelmundam concubinam, habuit & Stephanã concubinam Romanam, quam Semelen uocauit. Habuit & Rosam, filiam iudicis Papiensis, quam Iunonem solitus est appellare. Ac Beselam uulgarem, quam Venerem dixit: ex qua filium Bosonem episcopum Placentinum genuit, & Bertham filiam, quã Constantinopolim Cõstantino desponsandã misit. Suscepto regno, ex Papia Mantuam uenit, ubi Iohannes summus Pontifex illi occurrit, cum quo fœdus fecit. Dehinc, ueluti prudentissimus Princeps, omniũ Principum ac Regum undiq; conquisiuit amicitiam, missis nuncijs & ad Henricum Germanorum ac Romanorum Regem, qui tum Bauaris, Sueuis, Lotharingis, Francis atq; Saxonibus imperabat: & ad Grecorum Imperatorem Romanum Lacapenum, de quibus deinceps suo ordine scribemus. Cui muneri misit inter cætera duos insignes canes, quales prius in Græcia non sunt uisi. Ita enim sese quàm officiosissimum omnibus quibus potuit Principibus, reddere studuit. Vt autem regnũ pacatum

sine

ſine metu proditionis teneret, in exiliũ egit eos potiſſimum, qui Arnulphum Bauarum in Italiam inuitauerant. Irrupit enim hoc tempore in Italiam Arnulphus Malus, Arnolphi Cęſaris filius, Bauarię dux, à Veronenſibus exulibus & cæteris factioſis inuitatus, ac tumultu quodã Rex acclamatus. Nam Hugo uio lentius regnum adminiſtrauit Italicum, actis in exilium per Samſonem ducem exercitus ſui, quorũ fides illi ſuſpecta erat. Rhodulphi exemplo, Boſonem fratrem occidit. Auſcarium Eporregiæ marchionem, Berengarij Secũdi fratrem, bello atq; conflictu confecit, et morte mulctauit. Ticinenſes interea cõiurationem in eum machinãtur: ob id Gezonem lingua atq; uiſu, Vualpertum capite priuat. Racheriũ Veronenſem epiſcopum cõiurationis autorem, Ticinum relegauit, ciuibus ueniam dedit: Arnulphum ad mœnia urbis uicit, & Italia expulit. Cùm itaq; Hugo iam annis x. Italico præfuiſſet imperio, Berengarius II. Adalberti Eporregię marchionis et Giſelę filius, Marchio qui à Rhudolpho Burgundo Italia pulſus, apud Hungaros delituit, à quibuſdam etiã accerſitus, cum copijs Germanicis Hermanni Sueuiæ ducis ingreſſus Italiam, ab Hugone ſuperatus, iterũ in Germaniam rediit: maioribus denuò coactis copijs ingreſſus Italiam, iterũ manus conſerit cum Hugone. Qui cùm ſuis nõ ſatis fideret, per legatos de pace concordiaq; Italici regni egit: in idq; fœdus cõuenêre, ut Hugo Italię decederet, ſed Hugonis filius Lotharius cũ Berẽgario ex ęquo regnaret. Cùm itaq; Arelatũ rediret Hugo, paulo pòſt moritur. Berengarius autẽ contra fœdera mox collegã contempſit, & ex libidine ſua dominabat: Lotharius itaq; biennio tantum patri ſuperſtes, moritur: relicta coniuge Adalheida, quæ dominio Papienſi tanq; ſuo patrimonio utebatur. Quam, ne id pro dote alteri ac regnũ ſimul transferret, in uincula cõiecit, multisq; annis retinuit. Ipſe mox cum filio Alberto Romam feſtinauit, ac ſe Auguſtum, imperatoremq;, filium uerò Italiæ regem dixit. Interea Otho qui cognomento Magnus eſt dictus, rex Germanorum Cæſar factus, cùm Italiam ingrederetur, Adelheidam è uinculis liberat, ac ſibi coniugem capit. Ex qua filium, ut poſt ſcribemus, Othonem Secundum progenuit. Berengarium cum filio Alberto uinctum in Germaniam ducit, Italia ab omni tyrannide liberata. Sed in conuentu Francorum, Saxonum, Bauarorum, Alemãnorum & Longobardorum, à Cęſare ueniam commeruit, reſtituta omni illi Longobardia: Verona atq; Aquileia exceptis. Sed cùm tyrannidem iterum exercerent, ſuperbeq; ac auariſſimè imperarent, iterum ſunt iuſſu Othonis, per Luidolfum filium eius debellati. Et cùm ipſe Italiam denuò 208
ingrederetur, Berengario cum copijs latente in monte Leonis, Vuilla in lacu Benaco capta, omnibus ſpoliata poſſeſſionibus, ad maritum, poſtquam pientiſſimè eſt emiſſa, confugit: illi perſuadens, ne ſe dederet, Guidone filio tum diſcurſante per Italiam, & Alberto fugiente in Corſicam, quem Põtifex ſummus Iohannes pòſt Romam intromiſit. Sed paulo pòſt Berengarius cũ uxore Vuilla in monte Sancti Leonis eſt obſeſſus: ac poſtremò captus, cum coniuge ac filiabus, quas imperatrici poſthac donauit, in Bauariã miſſus: tandem exul in Babenberga moritur, honorificeq; ſepelitur. Vidua Vuilla uelũ aſſumpſit, ac monaſticam uitam egit. Hæc autem Vuilla Berengarij uxor, Boſonis Tuſciæ marchionis filia fuit, Hugonis ex fratre neptis. Quę duas peperit ex Berengario filias, Giſelam & Girberram. Mulier alioqui libidinoſa, & quæ cum ſuo (ut aiũt) capellano Dominico presbytero deformi & hirſuto, cõmercium adulterij habuit: cui filias erudiendas tradidit, ſeſeq; cum illo adeò coinquinauit, ut paſſim omnibus ſua innoteſceret incontinentia. Albertus autem eius filius à quibuſdam, Lõgobardis more ſolito ab imperatore deficientibus, reductus in Italiã, iterum cœpit dominari. Cui imperator Burchardum Alemanniæ ducem obuium miſit, ut eum debellaret. Per Padum itaq; ingreſſus, mox manus cum illo cõſeruit. Guido frater Alberti mox occubuit. Albertus fuga elapſus, per montana latuit, quoad dux lætus cum uictoria ad imperatorem rediit. Dehinc cùm

nihil aliud haberet,& piraticã exerceret, & Venetis multa inferret incõmoda; haud longè à Rauenna captus, missus est Constantinopolim: ubi in exilio mortuus est. Durauit hæc Italici regni confusio annis circiter quinquaginta, cùm ij motus in Italia excitarentur. Nec tamen imperiũ ad illos ulla successione transibat, cùm non regio stemmate orti ad illud cõscenderent, sed quisq; pro sua libidine, partim factione, partim armis usurparet. Licet interim in Germania imperialis sedes non uacaret, etiam Caroli progenie in Ludouico deficiente. Cùm Franci, Bauari, Saxones, Alemanni, Conradũ, dehinc Henricum, post Othonẽ reges sibi crearent, ut pòst paulo scribemus. Hęc ex Rheginone abbate & Luitprãdo (cuius tantũ tres libros hactenus uidimus, licet plures scripsisse nõ dubitemus) ac nonnullis alijs Chronicis excerpsimus: plura scripturi, si integri ad nos uenissent. E quibus tamen non possumus nisi duos Berengarios inuenire: licet aliqui tres, aliqui quatuor ponant, & horũ gesta adeò cõfundunt, ut quod unius est, alteri ascribant, sine tamen ullo recepto autore: qui alij fuerint, planè ignoro. Primus Berengarius dux Foroiulij, & hinc rex Italiæ, filius Eberhardi fuit. Cuius filia Gisela, primò nupsit Adalberto Eporregiæ Marchioni: è quibus natus est Berengarius secundus rex Italiæ, qui celebre nomen apud diuersas nationes sortitus, potenter Italiæ usq; ad tyrannidem præfuit, cunctis exosus. Græcos iuxtà & Gallos paruifecit: ab Othone captus est. Cùm igitur hic secundus ad tempora Othonis usq; uixerit, dicant mihi quando alij regnauerint duo, cùm sub Othone imperium Italicum sit extinctum penitus. Quocirca plurimum miror quosdam Italicos scriptores, cùm cæteros omnes et + indiligẽtiæ & negligentiæ incusent, Barbarosq; & ineptos appellitent, cur in suis Italicis rebus, hoc est patrijs, sint omnibus negligentiores. Queruntur scriptorum inopiam, sed sibijpsis non constant: nec satis accuratè res gestas cum annorum supputatione examinant. Blondus se tenebris inuolutum queritur: licet Vincentij, Martini, Gulielmi, Sigeberti, Gotefridi, Ricardi Lucensis uiderit Annales. Platina adeò confusè Italicorum regum mentionem facit, ut Sabellicũ nunc in suam traducat sententiam, nunc à se lõgè alienum faciat. Volaterranus eadem naui uectus, in pudendos labitur errores: tres Berengarios ponit, Ludouicũq; Bosonis apud Veronenses excæcatum, filium Arnulphi Cæsaris malè scribit. Tum Conradum regem ducem Austriæ nescio cur nominat, qui Francus fuit. Baptista Egnatius, qui nuper tres de Cæsaribus edidit libros, quum Arnulphum Carolomanni filium Cæsarem describeret, fassus se originem eius ignorare, Carolomannum Ludouici Balbi filium tradit, qui fuit Ludouici senioris regis Germaniæ natus. Quum itaque plures tales in scribendis historijs committant errores, nimium suæ tribuentes arrogantiæ, omnes cæteras præ se despiciunt nationes, cùm tamen sæpenumero & ipsi, atq; adeò puerilìter labantur. Condonandi sunt nihilominus huiuscemodi lapsus, & quisq; scriptor tenuitatis suæ conscius, nihil debet nimium sibi arrogare, sed & alijs aliquid tribuere. Vbique enim Deus suam diuinam maiestatem ostendit: nec natura est effœta, ut non indies etiam pulcherrima procreet ingenia. Fuerunt etenim & in Germania (si in epistolis Hieronymo credimus) clarissima ingenia. Nec Scythæ omnes sunt ingenio infœlices. Quisq; quod potest præstat, nisi sit inuidus & malignus. Ego quam possum adhibeo operam, ut singula disquiram. Si me quædam fugiant, & quædam oscitabundus prætereo, ueniam precor, quia homo sum: si ab alijs inueniuntur, laudo & approbo. Et utinam integri omnes ad nos uenissent Luitprandi libri, qui per hæc tempora uixit, Græcè & Latinè (ut erant tum tempora) doctus, dubio procul horum tyrannorum res gestas uberius explanassem. Si quis post me inueniet, non grauetur, quæ ego non uiderim, subscribere. Quòd autem duos Berengarios tantum, cùm alij quatuor scribant, posuerim, id ex Genealogia, quæ tã necessaria quàm utilis est ad indagandam ueram historię cognitionem, didici: non sanè absq; diligenti inquisitione.

fortè ignorantiæ.

Ac in-

Ac inueni Berengarium primum Eberhardi filium: ex quo Gisela filia, quæ Adelberto Eporregiæ Marchioni marito peperit Berengarium Secundum, aui nomen referentē: qui deinceps ex Vuilla uxore, quæ filia erat Bosonis Tusciæ Marchionis, Albertum genuit, & duas filias: qui omnes ab Othone capti, & in Germaniam ducti, in exilio mortui sunt. Quare nō uideo, qui' nam alij duo Berengarij fuerint, cùm Otho Magnus Italicū imperium destruxerit, & in unionē omnia redegerit. Sed uideo adhuc quod dubitari possit de Marchionibus Tuscię, qui etiam hoc Italicum imperium sunt aggressi. Vt hunc quoq; tibi scrupulum eximam, genealogia horum sic se habet: Bertha nobilis & callidissima fœmina, primum maritum habuit Lotharium Lotharingiæ regem, filium Lotharij qui fuit anathemate notatus, ut suprà scripsimus. Ex hoc illa peperit duos filios, Hugonem comitem Arelatensem, & Regem Italiæ, de quo iam scripsimus: & Bosonem. Mortuo Lothario, Bertha nupsit denuò Adalberto seniori, Marchioni Tuscię potentissimo. Ex quo etiam peperit duos filios, Guidonem scilicet & Lampertum Marchiones, & filiam Hermingardam, quæ uxor fuit Adalberti Eporregię Marchionis, ut suprà scripsimus. Guido Marchio Tuscię, Adalberti præpotentis Tusciæ Marchionis filius ex Bertha, simul cum matre post uiri obitum, quia callida mulier, muneribus omnem penè Italiæ nobilitatem allexerat, à Berengario capitur, & Mantuæ custodijs traditi. Sed eius subditi ob amorem in dominam, eam cum filio liberarunt. Huius Guidonis uxor Marotia, impudens scortum, quæ prius ex Alberto seniore Tusciæ Marchione Albertum iuniorem progenuit, Guidone defuncto, Hugonem regem Italiæ ad se uocat, Romanæ imperium urbis spondet, si se ducat uxorem. nam ex Sergio papa prius per stuprum nefandum Iohannem Rauennatem archipræsulem, qui postea papa Iohannes decimus est cognominatus, progenuit. Hugo cùm Romam uenisset, à Romanis benignè susceptus, in arce Sancti Angeli cum Marotia concubuit: homo, ut paulo antè scripsi, in omnium libidines paratus. Vbi habenas assequutus est imperij, Romanos despicit, & Adalbertū iuniorem Marotiæ filium, aquam, iussu matris, Hugoni porrigentem ex officio, cùm manus ablueret, alapa nescio in quem contemptum cædit: ob quam causam facilè rursus imperiū amittit. Albertus enim Romam conuocans nobilitatem: En (inquit) orbis dignitas eò deuenit, ut meretricum imperio pareat, & uirius mulieris incestu pereat. Quid fœdius, quid turpius excogitari potest, q̄ Burgundinos olim Romanorum seruos, Romanis imperare? In principio sui ingressus hospes, me insontem & officia sibi immeritò exhibentem, in faciem uerberat. Quo pacto dominabitur, si altius radices infigat? Burgundiorū uoracitatē ac superbiam nemo nō nouit. Ego Burgundiones, Gurguliones censeo appellandos, & urbe eijciendos. Quibus uerbis incensi Romani, Hugonē deserūt, ipsumq; cum Marotia urbe eijciunt ac expellunt. Albertus Marchiam uix bis tenuit: Lampertus autem alter filius Adalberti & Berthæ, Guidonis frater, post mortem fratris Guidonis Marchiā possedit Tusciæ, uir audax, fortis, & ferox: ob id Hugoni suspectus, ne Italicum regnum sibi auferret. Timuit em̄ ne Itali & uniuersa nobilitas illi adhærerent, ac sese desererent. Ob id illi insidiarum laqueos struxit Hugo, ac tandem denūciat, ne se amplius fratrē nominet. Cui, ut erat animi infracti, respondit: Ne fratrem suum esse inficiaretur, cùm ex uno corporis aditu in lucē prodijssent (erāt enim uterini) illudq; duello se cōprobaturum asseruit. Cùm dies instituitur, Hugo fortem iuuenem Retrudinū supposuit, qui eius nomine pugnaret: sed Lampertus uictus, ab Hugone capitur, & luminibus priuat. Boso Hugonis frater, qui & odio ob Marchiā habuit Lampertum, Tusciæ Marchio creatur. Sic ab utroq; liberatus, trāquillus administrat imperium. Sed mox in discordiam cum Hugone uenit, perfidia uxoris Bosonis, quæ Vuilla Burgunda nominabat. Quæ cùm esset mulier uersuta & uafra, & inexplebilis auaricię, baltheū aureum gemmis preciosissimis nobilem furata, post mariti obitum pudendis abscondit. Quem Hugo cùm ab ea re-

quireret, nec inueniretur, iussit eam denudari: furtum prodidit corrigiola è locis muliebribus dependens. Vnde extractus baltheus, multis ipsa opprobrijs afficitur, & ad patriã Burgundiam remittitur. Ex hac Vuilla Boso nullũ filium, sed quatuor filias genuit, Bertham, Vuillam (quæ uxor fuit Berengarij Secundi) Richildem & Giselam. Quæ omnia ut magis clarescant, sub uno (ut sic dicam) aspectu subiungam.

Eberhardus dux Foroiulij: Eius filius,
Berengarius I. qui nullum genuit filium. Eius uerò filia.
Gisela, uxor Adalberti Eporregiæ Marchionis, filium genuit qui nomen aui referebat, dictus
Berengarius II. Rex Italiæ. } huius uxor { Vuilla, Vuillæ & Bosonis filia.

Filius Albertus Rex Italiæ. — Filiæ Gisela & Girbeira.

Sed de Marchionibus Tusciæ, sequẽs intueatur arbor, quæ omnem genealogiam edocet.

Lotharius Lotharingiæ Rex, genuit ex — Adelbertus Tusciæ Marchio, secundus maritus, genuit ex

Bertha

Hugonẽ comitem Arelatensem, qui ex uxore Alda genuit Lotharium, regem Italiæ

Bosonẽ, qui Marchio fuit Tuscię, & ex Vuilla Burgundia uxore genuit Bertam, Vuillam, Rihildim, Giselam.

Lampertum, Marchionẽ Tusciæ, ab Hugone occisum.

Guidonem Marchionẽ Tuscię, eius uxor erat Marotia scortum impudẽs, quæ ex Alberto genuit Albertum Iuniorem,

Hermingardam, uxorem Adalberti Eporregiæ Marchionis.

Sergio Papa Iohannem X.

Hæc de rebus Italicis, quantum homo Germanus potui, studiosissimè ex diuersis Annalibus longo labore conquisiui: & cùm à cæteris scriptoribus sint neglecta, ne penitus ignorarentur, apposui. Nunc uerò, ut ad ordinem institutum reuertar, priusquam Conradũ & Henricum Romanorum & Germanorũ reges scribam, qui à cæteris quoq; scriptoribus negliguntur, & Cæsarum Catalogo non inseruntur: quòd Romam non adierint, nec pontificis benedictionem attigerint, ob Italica (quæ tum æstuabant) bella; Græcum Imperatorem Constantinũ, qui per hæc tempora uixerat, subiungam: & cum eo Romanum Lacopenum, qui fraude ab eo imperium extorsit, sed deiectus tandem iterum, Constantino administrandum reliquit: Ob id ambos simul uno capite complectar.

CON-

CONSTANTINVS PORPHYROGENITVS.

CONSTANTINVS Leonis ex Zoe filius, Basilij nepos, Porphyrogenitus cognomẽto dictus, quòd in domo, cui Porphyra nomẽ Magnus ille Constantinus, à quo Constantinopolis quoq; dicta est, dedit, in lucem sit editus. Voluit eñ in ea omnem suam posteritatem in lucẽ prodire: unde & hanc luculentã sortiti sunt appellationem, teste Luitprando. Septennis aũt puer hic Cõstantinus à patre relictus, sub matris tutela & patrui Alexãdri fuit, ac nobiliũ quorundam: quorum diligentia Constantinus Ducas Andronici filius, tyrannidis inuasor, oppressus est. Hic eñ Andronicus scholarum domesticus, morte Alexandri intellecta, abijt è Constantinopoli exercitũ collecturus, ut affectati regni scintillã, quam dudũ sub cinere occultauerat, retegeret. Accendebaẽ pręterea à multis quotidie, ut id faceret: inter quos erat Nicolaus patriarcha, inscius adhuc se esse tutorem testamento scriptum Constantini regis. Prestãtioribus itaq; militibus congregatis, Constantinus Ducas per paruã Byzantij portam urbẽ ingressus, occupat cum lapidibus portã Hippodromi. Habuit ex senatoribus quoq; socios: & pars populi cõgregata, eum regẽ acclamabant. Cùm aũt custodes urbis portam non aperirent, Cõstantini Protostrator eam refringere temerarius nimiũ ausus, lancea confossus perijt. Per aliã uiam Andronicus ad theatrum uenit, ubi certamen equorũ agitur, qui locus Charrę appellaẽ, ad excubias usq; & regios custodes progressus. Ex tutoribus aũt magister Ioannes Eladas, ex socijs ac nauticis hominibus manu collecta, cõtra tyrannum insurgit: factoq; congressu, multi utrinq; ceciderunt. Arripuit arma & Gregoras, Ducis filius, & eius nepos Michael, & Curticius Armenius: quibus omnibus oppressus est Constantinus tyrannus. Qui, ut animũ suum audacẽ ostentaret, in consertã aciem equum impulit: & lapsus in fossam, aditu refracto, à quodã occisus, caput eius regi Constantino allatũ est. Itaq; per Occidẽtalem Chrysotriclini portã ingressus est, ut iã uaticinatus rex Leo fuerat, ut superius scripsimus. Quidam publicanus Nicolaus nomine, qui obæratus ad Ismaelitas cõfugerat, fidei Christianæ proditor ac desertor, Astrologus insignis, hoc illi prædixerat, & literis ad Dronidagotheten perscripsit. Itaq; hæc seditio sedata est. Sed rebellis socer magister Gregoras, & Leo Cherophractes, ad magnam profecti ecclesiã, & monachos expulerũt, & quibusdã oculos excauarunt: omnes aũt in mansione studij dicta detinuerũt: de multis triumphatũ, uerberibus prius cæsis: multos capite priuarũt, multos insuper ex Chrysopoli ad Leucatẽ cruci affixerũt. Multiq; alij per licentiã tutorum dispendiũ fecissent, nisi res ad iudicium delata, fuisset cõplanata: cùm hęc fierent inscio rege, qui puer penè erat, eiusq; iniussu. Constantini præterea tyranni uxor tõsa, & filius eius Stephanus uirilitate priuatus, in Paphlagoniã, ubi domũ habuerant, missi sunt. Multa itaq; iniqua facta sunt, & per hos & per tutores, qui etiã inter se discordabant, ut Polyarchia potius q̃ Monarchia uideretur. Interea Bulgarorum princeps Simeon, uidẽs regem puerum, & regni res confusas, cogitauit urbẽ obsidione cingere, admotis quacunq; habere potuit machinis. Cùm uerò urbis munitio & populi frequentia eius conatus frustrarenẽ, reducens exercitum ob pactũ ei oblatum, cum Nicolao patriarcha, & cæteris tutoribus ad regiam, quæ est in Blachernis, ubi rex erat, profectus est Simeon cum filijs & obsidibus, quos daturus erat regi, si confœderatio procederet. Epulatusq; cum rege, benedictionem à Nicolao suscepit. Sed inexorabilis recessit, pluribus tamen muneribus unà cum filijs onustus: quos duos habuit, Baianum, qui magica arte fuit infectus, & ex homine quẽ uoluit feram facere promisit: & Petrũ, qui pòst Bulgaris præfuit. Rex autẽ Constantinus indignationem hostis animaduertens, nec

in ullo

in ullo tutorum eam ſpem, quam in matrem habuit, collocans, eam reuocauit in curiam. quandoquidem, ut ſuperius ſcripſimus, Alexander eam abiecerat. Pietate autem filij conſentientibus tutoribus reducta, priſtinæ reſtituitur potestati: adminiſtrationemq; imperij cũ filio aſſumens, cubicularium & excubitorem Conſtantinũ & fratres ſecum reduxit. Patriarcham Nicolaũ, et Alexandri familiares Baſilitzen rectorem, & Gabrielopolon, ac reliquos è curia abiecit. Interea autem Bulgari per totam diſcurrebãt Thraciam, prædam abigentes, et Adrianopolim obſidentes. Sed cùm longa obſidione expugnare nõ poſſent, corruptis cuſtodibus largitione, eam deprædatus occupauit: ſed ingenio, opera, ac arte reginę, iterum in ſuã iuriſdictionem redacta eſt. Nam cùm Simeonis frequentes in Thraciã incurſiones cerneret, cũ Iſmahelitis fœdus percutere coacta, Orientalem & Occidentalem exercitũ inſignem coegit, quem contra Simeonem miſit, Phoca ſcholarum domeſtico duce. Qui cũ Bulgaris manus cõſeruit, eosq; deuicit, ac maximam illis ſtragem intulit. Sed cùm ob laborem æſtuaret, è pugna diſcedẽs, & in fonte quodam ſudorẽ abſtergeret, atq; ſeſe refrigeraret, equus eius manibus elapſus, currendo (ut fit) in exercitũ fugit. Quem ſui ſine ſeſſore conſpicati cognitũ, in magnũ timorem inciderunt, ducem ſuum occiſum arbitrati: tum pugna abſtinuerũt, & hoſtes fugiẽtes non ſunt amplius perſequuti. Simeon è quadam id ſpecula contemplatus, collectis quibuſdã, in Romanos iterũ impetum fecit: qui ſuo deſtituti duce, in fugam uertũtur, quos fugientes perſequutus cædit: uixq; Phocas in Meſembriam fuga cum paucis euaſit. nec enim amplius eos tenere potuit in prælio. Id audiens regina, Iohannem Bogam mittit, ut Patzinatos confœderatores contra Bulgaros adducat. Iuſſus eſt & Romanus Lacapenus, qui Drungarius erat, ut cũ claſſe ſua confœderatos afferret, quò ſecurius tranſirẽt, & auxilium domeſtico ſcholarum Phocæ præſtaret. Sed cùm inter Bogam ac Lacapenum ſeditio inter nauigandum oriretur, et ſeſe mutuis obiurgijs laceſſerent, confœderati ſibi timẽtes ad propria reuerſi ſunt. Tradũt alij, Phocã, cùm Barbaros uinceret, fugaretq; Lacapenũ, abijſſe cum ſua claſſe: ſparſumq; rumorem, id facere, ut regem caperet, & imperio ipſe potiretur. Ob id territum, amplius hoſtes perſequi noluiſſe: ſed reuerſum in caſtra, ut rem certius intelligeret, ſubſequutum exercitũ ſuum, qui Phocã fugere arbitratus eſt: quod & imperij affectatione factũ produnt. Cupiebat enim & ipſe Imperator fieri, & Lacapenum præuenire. Itaq; à Bulgaris Rom. exercitus uictus eſt, Bogas & Lacapenus reuerſi ſunt. Sed ijs cognitis quæ acta ſunt, decretum eſt, ut Lacapeno tanquam exercitus proditori oculi excauarentur. Liberatus eſt tamen ab ijs qui apud reginam aliquid potuerant. Ac Simeon hac uictoria elatus, Conſtantinopolim denuò obſeſſurus, cum magnis Bulgarorũ copijs aduenit. Cui Phocas occurrens iterum, & manus cum ijs cõſeruit, & eos uicit fugauitq;: ob eiusq; præſtantiam, reginæ erat longè chariſſi-
209 mus, & Conſtantino eunucho cubiculario (cuius tum magna fuit authoritas) multum affectus, quia ex filia ſocer. Cùm itaq; creſceret Phocas honore autoritateq;, incidit (ut fit) in inuidiam: pædagogus enim Conſtantini regis ei timẽs, ſuadet ut Romanum Lacapenũ Drungariũ & claſſis præfectũ ſibi cuſtodẽ faciat, literis manu ſua ſcriptis ipſum aduocet. Quas ubi accepit, ilico fidẽ dat cubicularij potẽtiã auferre, eiusq; autoritatẽ imminuere quoad fieri poſſit, quod & mox præſtitit. Cùm enim cubicularius Drungariũ ſollicitaret, ut inde ſolueret, ad triremes acceſſit: quem ſequutus, cùm in prætoriam nauẽ conſcenderet, iuſſus eſt capi, fugatis ijs qui eum comitabantur. Regina id audiens, perturbata, miſit quendam qui captiuitatis cauſam inquireret: at ille lapidibus è naui eſt pulſus. Poſtero die rex Nicolaũ patriarchã, & Stephanũ magiſtrum, qui inter regales amicos erant, accerſit, iubetq; ut matrẽ regia pellant. Quæ mox ad filium lachrymis profuſis profecta, ad miſericordiam filiũ flexit: qui tamen omnẽ in ſe regiã poteſtatẽ transferẽs, matri eam abſtulit, ac ſtatim magiſtrũ Ioannem

Gari-

Garidam scholarum domesticum creauit. Magister Stephanus & patriarcha è regio palatio discedunt. Lacapenus aũt Drungarius, quasi in pugnam prodi-turus, classem disponit: & in die Euangelismi ex Basilijs soluit Bucoleontem, iurans se regiæ utilitati nunquam consulturũ, nec reginæ amplius se obtempe raturũ. Mox in regiam secessit, & in templo quod in Pharo est, regi obuius factus, conciliati sunt: Christophorus Lacapeni filius magnus Heteriarches pro obside datus, Phocas ne id iniquè ferret, admonitus est. Constantinus uxorem accipit Romani filiam Helenã, Basileopatercp, id est regis pater dictus, & Christophorus magnus Heteriarches. Nuptiæ triduo post pascha celebratæ sunt, patriarcha Nicolaus orationẽ dixit. Phocas id audiens, accersito in sociũ ad se Constantino cubiculario, alijsqp principibus, tyrãnidi aspirare cœpit, ab ijs cõfirmatus, quę Constantinus ei nunciauerat. Sed Romanus literas nomine regis & regio sigillo scripsit, quibus eũ dehortabat, misitcp per meretricẽ in exercitũ. Quæ cum multis aureũ regis sigillum ostenderet, breui effecit, ut magna militum pars à Phoca deficeret: qui tũ Chrysopoli erat, moxcp se in fugam uertit. Et cùm in quadam regione ad locum uenisset, qui Goelion nuncupatur, captus est, & excæcatus ad reginã deductus. Sic finita est eius tyrannis. Sed & iuuenes quidam regem in uenatione aggredi statuerunt, & occidere: quorũ insidiæ deprehensæ sunt, & autores harum malè tractati. At regina Zoe mater regis, quę insidias Basileopatri Romano struxerat, abiecta est à curia, & abscissis capillis in monasteriũ sanctæ Euphemiæ intrusa. Romanus in Cæsaris dignitatem erectus est, & à Nicolao patriarcha regali diademate coronatus, adhortatione Constantini: qui Romanus paulo pòst Theodoram uxorem coronauit, ac Christophorũ filium: ostendens id placere Constantino, quod maximoperè displicuit, quod & testatus est quibusdam, quibus confidebat, questus suam calamitatem, sed contradicere non audebat.

Cæterùm quis ille fuerit Romanus, & quo pacto sit imperij culmẽ assequutus, Luitprandus Ticinensis in tertio Antapodoseos libro, luculentissimè explicat. Fuit enim Romanus is humili prosapia, ex gente Armenorũ, qui se nunquam in regis aula futurum alicuius eminentiæ sperauerat, nedum regalia sceptra obtinere: homo rusticus, & qui nauali pugna stipendia reciperet. Imperante igitur Leone Constantini genitore, classis præfecto seruiebat utiliter, ei multa faciens quæ nauibus essent utilia. Quadam autem nocte, dum exploratum Sarracenos abiret, esset cp in eodem loco palus atcp arundinetum ingens, contigit leonem ferocissimum ex harundineto prosilire, ceruorumcp multitudinem in paludem demergere, unumcp lacerare, quò rabiẽ suam extingueret. Romanus suspicatus Sarracenorũ aliquos in harundineto latitare, mane exurgens, Græcum ignem, qui nullo liquore nisi aceti extinguit, undicp per harundinetũ iactauit, quod est concrematum, præterquam in ea parte qua leo latuit, uento à contrario flãte. Cùm igitur omnia lustraret Romanus, & aceruũ hunc miraret ab igne saluatum, ensem dextra, lęua pallium gestãs, cum socio cõfabulatus multa: leo ex harundineto prosiliẽs, accẽsus ira ex fumo: cui cùm Romanus intra brachia pallium inijceret, leo hominẽ arbitratus quẽ laniaret, iã infremuit: à tergo aũt, ense cluniũ iuncturas dissecuit sumis uirib. ut caderet. Quod socij eius uidẽtes (iam em ab eo fugerant) rem mirandã & insigne hoc facinus cunctis narrabãt, & Imperatori Leoni deferrebãt: qui pluribus eum donis honestauit, & magnis honoribus affecit. Cùm itacp Leo moreret, quẽ mox frater eius Alexãder subsequutus est, hunc paruulum Cõstantinum relinquẽs filium, ut prius patuit, ad tutãdum palatium eunuchum (ut moris est) dedit Phocã domesticum scholarum, quẽ terrestris exercitus ducẽ cõstituerat. Romanum aũt qui nõ claro natalium erat ortu, nauales exercitus principẽ fecit. Cùm aũt classe sua ad urbẽ appulsa, palatium nõ egrederet, & principes illi obuiam euntes ipsum salutarẽt, obsequia offerentes, omnes capit, in et sentinã proijcit ligatos.

Dehinc

Dehinc magno comitatu in urbem festinat, quos suspectos habuit palatio abigit, suæ factioni fauentes ibi collocat. Rectorem, magistros, patricios, logothetas, cubicularios, spatharios, eparchontas, pro suo arbitrio creat. Zeon etiam regis matrem, uenereo affectu demulcet. Phocam domesticum capit, & utroque lumine priuat. Qui etiam regis pater ardenter fieri cupiebat. Sicq; Romanus Basileos pater factus, data filia Constantino in uxorem, arcta necessitudine regi iunctus, de more Cæsarum, rubricatarũ pellium caligis usus, altero anno mox coronam usurpauit cum caligis imperialibus, Christophorũq; primogenitum pariter coronauit. Cęteros uerò filios, Stephanum et Constantinum, quos pòst genuit, Cæsares dixit: ob id insidiæ contra Romanum paratæ sunt, quarum author Sacellarius quidam Anastasius fuit, qui mirum in modum partes Constantini tuebatur: sed detectę tandem, malè conspiratoribus cesserunt. Nam Sacellarius detonsus est, & Constantinus rex (quem magno prius honore affecit) in eius tractus est inuidiam ac odium. Hoc tempore Simeon Bulgarorum rex nouum contra Constantinopolim exercitum miserat: contra quem Romanus, ne prędia in littore maris et ornatus urbis defœdarent, suum quoq; exercitum misit, ut illis resisteret. Sed multitudinem Bulgarorum non ferẽtes, in fugam uersi sunt: quidam principes in triremes sese receperunt, aliqui ab hostibus cæsi, aliqui capti, nõnulli in mare præcipitati, multi ab undis marinis absorpti. Sic male tractatus est exercitus Romanus, in loco qui ad Fõtes cognominatur. Vbi pulcherrima palatia à Bulgaris concremata sunt, & reliqua quæ in maris littore illic sunt reperta. Tum iterum Simeon ad Adrianopolim sese cum exercitu recepit, eamq; obsedit, in suamq; iurisdictionem ob alimonię & uictus penuriam accepit. Eodem tempore Leo ex Tripoli cum classe armata contra Romanos profectus est: & ob id Romanorũ triremes ad Lemnon insulam peruenientes, quasi Agarenorum classem penitus deleuerunt. nam multas earum submerserunt, ut uix earum præfectus Tripolim aufugeret. Bulgarus interea magnis copijs Macedoniam est deprędatus, et Thraciã: accedensq; rursus Constantinopolim ad Blachernas, manus cum Romano exercitu conseruit, cupiens cum rege ipso Romano congredi. Quod is auersatus, fugit: & Simeon semper insequutus cum exercitu, quoad magis eum muneribus placaret. Discordes tamen à se inuicem discesserant: quod duæ aquilæ in aere uolantes, & clangorem edentes, portendebant. Quarum altera se in ciuitatem recepit, altera in Thraciam abijt. Nescius autem Simeon quietem agere, uir sanguinarius, contra nationem quæ Chabata dicitur, bellum mouit: à qua uictus, in editos mõtes se cũ exercitu recepit: ubi cordis nimia pressus angustia, mortuus est. Cui successit ex secũda eius uxore filius Petrus, qui inducias cum Romanorum rege fecit, quòd Bulgari maxima peste premebantur. Accipiens insuper in uxorem neptem regis, filiam Christophori maioris natu filij. Iam eñ Theodora Romani uxor Augusta mortua erat, & filij uxor Sophia Augusta est cœpta appellari. Romanus aũt auariſſimè se gessit, non contentus se & maiorem filiũ imperiali cinctos diademate. sed & alios filios regali ornauit corona, unà cũ nepote & Christophoro, monarchiam in polyarchiam traducens, & sedem pontificalem minori natu Theophylacto attribuens. Qui cùm puerulus adhuc esset, & Nicolaus patriarcha post tredecim annos, qui præfuit, diẽ clausisset, Metropolites Amasias Stephanus in thronũ Constantinopolim traductus est: qui tertio anno mortuus, successorem habuit monachum, qui Tryphon dicebat. Pacto tamen inito, ut post aliquod tempus sponte Theophylacto regis filio cederet, qui tum erat adolescentulus. Ita Constantinũ regem modis omnibus deijcere curauit. Et cùm nuptiæ cum Petro celebrarent, magna existente in urbe Bulgarorũ copia, clàm instituit, ut seditionem quandam fingerent, qua Christophorũ regem, posthabito Constantino, pronũciarent, simulans se rex coactũ id pati. Quinimo nisi Romanus Christophori filius parvulus

lus paulo antè esset mortuus, & hunc regali dignitate insigniuissent: cùm iam alij duo filij Cõstantino maiores, hoc idem approbarent. Sic indigena rex, cui regni sors iure cessit, erat ascripticius, ab ijs alijs despectus. Iusticia tamen, licet tardo pede, tandem illi arrisit: ut uindicta Dei lẽto passu incedit, quemadmodum paulo pòst scribemus. Superuenit enim hyems intolerabilis, quam fames ingens subsequuta est, & incendium horribile: dehinc Christophorus rex mortuus est. Et cùm Tryphon debuit aduentante tempore promisso, à patriarchatu discedere, curauit remanere, cùm Theophylactus tum tertiumdecimũ esset natus annum. Sed Cæsareas quidam dolo innocentiam patriarchæ aggredítur, Regi cupiens gratificari. Simulans personam amici Patriarchæ, insidias Imperatoris in se detegit, qui causaretur quòd Patriarcha nescíret literas. Persuaderet itaq; illi, ut arrepta charta multis uidentibus nomen suum & dignitatis titulum adscribat, ut omnis accusandi facultas tollatur. Tryphon consilio paruit, & multis spectantibus & audientibus scripsit: *TRIPHON MISERICORDIÆ DEI ARCHIEPISCOPVS CONSTANTINOPOLIS NOVÆ ROMÆ*: obmisso titulo Patriarchatus. Hinc occasionẽ accipiens rex, cùm hanc chartam Cæsareas afferret, Tryphonem ab ecclesia submouit, & eius filium Theophylactum substituit: qui ob ætatem Patriarchatum per pædagogos administrauit, patre uiuente. Deinde hos à se repellens, non dicenda fecit: canibus & equis deditus, plus uenationi quàm religioni tribuens. Et cùm multas equas excellentissimas aleret, pulchriorem ex ijs ad insaniam usque deamauit, ut cùm olim páreret, & ipse sacris intentus à nuncio audiret, sacris relictis, pullum conspexit in loco quo alebantur, ac demũ ad cæremonias redijt: ita etiam equitationis rabie perijt. Nam dum uelocissimè prope mare curreret in equa, muro illisus sanguinem euomuit, indeq; hydropisim incurrit, ac miserè perijt. Cui Polyeuctus monachus successit, tum sermone tum uirtute præcellens: & qui à Cæsarea iam creatus fuerat, quamuis Heracleas quidam obstiterit: qui tamen per regis æquitatem reiectus est. Sic itaq; duo Romani Imperatoris filij uitam amiserunt, licet posterior patri fuerit superstes. Supererant tres adhuc filij, Stephanus, Constantinus & Romanus. Quos Constantinus rex contra patrem, per alios tamen, solicitauit: licet Stephanum, quòd eum stabiliorís esse animi arbitratus est, aggredí non est ausus: alios uerò in patrem excitauit, Helelena uxore id dudum persuadente. Qui ægre ferentes se iusta patris sui seueritate à uiuendi leuitate coerceri, positis in palatio insidijs, patrem deturbant, & tonso capite in uicinam insulam, ubi monachi philosophabantur, trãsmittunt. Videntes autem Constantinum Leonis ab omnibus coli ac obseruari, cum pares in illum insidias struerent, ad cõuiuium ab eo uocati, cum de loco sessionis honoratiore contenderent fratres, rege diligenter stulticiam illorum obseruante, ambo fratres capti à militibus, tonsi & clerici facti, in exiliũ missi sunt: alter in Panormum, alter in insulam quæ Terebinthus dicitur. Stephanus in Procõnesum exulatum abijt, inde in Rhodum, demum in Mytilenem. Constantino uerò Samothrace circumscriptus est locus. Qui cùm crebrò inde fugere niteretur, ueneno hũc cui custodia demandata erat aggrediens, ab alijs interfectus est. Stephanus in Lesbo uixit xix. annos. Pater Romanus solus dominatus ad xxvi annum, mala correptus ualetudine obijt: sic quisq; eorum meritam pœnam soluit. Sub id tempus Roxolani Scythæ, qui ab alijs Rusi appellant, ingenti facta classe, contra urbem progressi, ad Pharum, ubi Romana classis eis occurrit, manus conseruerunt. Quorum rex Inger nomine hoc consilium attulit, sciens Græcorum exercitus partim cõtra Sarracenos ductos, partim ad custodias insularum dispersos. Facilè itaq; Constantinopolim capi sperauit, de uictoria adeò securus, ut Græcos nõ occidi, sed capi præciperet. Sed cum Romanus illis occurreret, multæ sunt captæ, multæq; naues fluxili igne crematæ sunt: cæteræq; in fugã uersæ, inciderunt in Bardam Phocam patricium, exercitus

ducem. A quo adeò cæsi captiq; sunt, ut pauci superstites relicti fuerint, calamitatum suarum ac stragis perpessæ nuncij. Captiui enim omnes sunt decollati. Ita terra mariq; sunt Barbari profligati, ut deinceps in terras Romanorum amplius non grassarentur. Agareni autem à domestico scholarum Ioanne Curba & Theophilo fratre eius, qui quidem Theophilus auus fuit Ioannis, qui postmodum est adeptus imperium, sæpenumero uicti sunt ac prostrati: & non paucas ciuitates, quas iam adepti fuerant, per id tempus amiserunt. Nam primo eius imperij anno, cùm pleræq; Orientales gentes Sarracenorũ instinctu, Romano regi essent rebelles, ex Apulia & Calabria (quæ tum Græco Imperatori seruiebant) tam copiosum eduxit militem, ut cùm is ingentem stragem passus esset, ambæ regiones pluribus hinc annis uiderentur desertæ. Erant eo tempore Longobardi magnæ in Italia autoritatis: qui præter alias ciuitates Beneuentum plus xxx annis occupabant. Ad quam quidem urbem recuperandã, Symbaticum patricium Protospatharij suum misit, qui eam tertio obsidionis mense, in suam potestatem redegit. Quãquam Guido Longobardus tertio postea anno expulsis Græcis, eandem iterum recuperauit. Romanus itaq; tum ex bellis, tum ex incursionibus hostium liberatus, cùm esset ingenio alioqui malo, & Regem Constantinum (cui iure imperium debebatur) suppressisset, & ipse eo pro arbitrio frueretur, conscientia aliqua motus, ueluti is qui uicino bouem furatur, ac in sacrificio intestina offert, distributis pedibus ac extremis, pauperibus, corpus tamen ipsum totum depascitur: sic Romanus Deum placare quibusdam donis cupiens, donaria diuersa obtulit, & obæratos usura liberauit, daniistis debita soluens, & scripturas igne cõburens: precium insuper ijs qui conductitias domos habuerant, gratis præstitit, rem magnam se arbitratus fecisse cùm publica donaret, de priuato nihil: cùm illum priuaret suo regno hæreditario, qui iure id præstare & ex liberalitate sua posset. Mantile illud diuinum, in quo imago Christi non manu facta, quæ hodie Romæ uisitur, transportari curauit in primam ciuitatũ, cum antea esset in Edessa. Quæ cùm à Romanis obsideretur, & iam expugnatæ periculum immineret, ne deprædata exureretur, Agareni qui eam tenebant, ut se hoc periculo redimerent, Christianis hanc sacram imaginem concesserant. Eaq; tempestate duo iuuenes ex Armenia Constantinopoli uisi sunt cõcretis corporibus: quorum alter dum diem suum obiisset, medicorum consilio huius cadauer abscissum est à uiuẽte: sed mox & ille mortuus est. Cæterùm ut redeamus ad historiam, Constantinus monarchiam iam adeptus, statim Romano filio diadema regni imposuit. Et ut uicem ijs rependeret, qui in imperij recuperatione ei auxilio fuerãt, Phocam Bardam magistrum creat & domesticum scholarum Orientis, ambosq; Phocę filios: Nicephorum, qui Romano in imperio successit, ducem Orientalis exercitus fecit: Leonem autem Cappadociæ præfectum: alios item alio modo remuneratus est. Regis uerò Stephani filium Romanum eunuchum fecit, quem peperisse aiunt ex serua. Sed Christophori filium Michaelem clericum cum tonsura fecit. Erat enim Constantinus pientissimus princeps, in rebus diuinis religiosus, mitis & humanus. Literis præterea deditus, ut suæ epistolæ attestantur: carmine & soluta dictione iuxtà doctus, Philosophiæ & Encyclopędię peritus, & in ciuilibus expertus, adeò ut filio Romano librum à se scriptum relinqueret elegantem, qui in Venetorum bibliotheca dicitur asseruari, in quo summã totius imperij explicuit. Fuit tamen iracundus, & punitor penè inexorabilis: admodũ grauis, ijs qui uel mediocriter deliquissent: sed aliquantisper uino deditus. Cæterùm indignos exercitui, ciuitatibusq; præfecit, flagitiosos scilicet & ignobiles: & quos uel regina uel Basilius cubicularius, qui emptiles magistratus fecit, illi obtulerant. Res tamen regni in omnibus bene administratæ fuerant: & licet cubicularius Theophanes illi insidias strueret, aliquot acceptis commeatoribus, qui Romanum Romani filium ex Prote insula, aut Stephanum ex

Lesbo

Lesbo Regem reducere niterentur: Constantinus tamẽ horum insidias & cauit, & conspiratoribus omnibus cõdigna irrogauit supplicia, regulosq; in insulis arctiori custodia asseruari iussit. Hac tempestate Turci, quos Vgros Zonaras appellari etiã scribit, cùm per aliquod tempus hæc natio quieuisset, Romanas regiones populari cœperunt. Sed cum suis excursionibus parum efficerent, eorum princeps Bulosydes ad regem ueniens, ad fidem Christi est conuersus. Quem & alius Turcorum dux Gylas subsequutus, diuinum quoq; renascentiæ lauacrum suscepit: ambo nostra edocti mysteria, Patriciaq; dignitate uterq; donatus, cum multis muneribus, accepto secũ Hierotheo episcopo, à quo multi postea ad religionem nostram perducti, ad sua reuersi sunt. Atque hi duces & fidem & pacẽ seruarunt. Reliqua uerò multitudo fide nostra posthabita, iterum arma contra Romanos & Francos corripuerunt: qui capti sunt, & cruci affixi. Tum etiam cùm cuiusdam Roxolanorum Ducis uxor, qui classem contra Romanos mouerat, & diem obierat, post mariti mortem ad regem ueniſſet, baptismate & honore multo affecta, in patriã reuersa est. Sub id tempus Constantinus rex, cùm iam uxor eius filij Romani Berchta, ex Hugone Italiæ rege, quem Zonaras Francorum uocat, genita (ut suprà scripsimus) per Seisridum Parmensem episcopũ illuc transmissa mortua esset, eidem aliam despondet, humili quidem domo natam, sed forma excellentissima, quæ Anastasia appellabatur, cognomine Theophano. Quo quidem tempore uenerabilis manus S. Iohannis prodromi, hoc est, præcursoris, ex Antiochia, ad ciuitatem excellentissimam, à quodam diacono Iob allata est. Agarenis autem Romanorum regiones euastantibus, ac littoralia deprædantibus, rex classem ingentem bene instructã eis obuiam misit. Sed ob imperitiam præfecti, qui uix à suis custoditus euasisset, nisi in triremem sese recepisset, aliæ naues submersæ sunt, aliæ captæ. Aliter Bardas Phocas sese in Oriente contra Agarenos gessit: qui militari disciplina edoctus, illorũ urbes expugnauit, & uicina loca prædatus, cum maximis spolijs se exercitumq; suum ditauit. Iam regis filius Romanus uir factus, cupiditate regnandi cœpit & patri insidiari, coadiuuante uxore: præparantq; uenenatum poculum, quod ei porrigant. Sed magna poculi pars effusa, ac imperatori data, non mortem, sed maximos dolores induxit. Quocirca ubi hi sunt paulisper sedati, accedere cogitauit Theodorum Cizicum, qui in monte Olympo habitauit: ut cum eo conuersaretur, & ut simul precibus illorũ, qui ibi orationes diuinas exercent, armaretur contra Agarenos, qui populari Romanos agros non destiterunt. Ibi aliquandiu moratus, non ausus ob insidias in regnum reuerti, post aliquot annos mortuus est, ut multi arbitrantur, ex nota corporis distemperatura: alij per insidias filij interfectum scribũt. Nam priusquam moreretur, sæpe in regio thalamo auditi sunt qui lapides portarẽt, ut sæpe timeret se saxis obrui, licet nemo sit uisus. Fuerunt autẽ omnes uitæ suæ anni quinquaginta quatuor, & duo menses, simul cum patre regnans Leone, & Alexãdro patruo, & cum matre annos tredecim. Et cum Romano Lacapeno, qui ui regnum arripuerat, annos sex & uiginti. Solus quindecim annos rexit. Itaq; undequadraginta annis gubernasse alijs scribit, qui omnes simul annos supputant. Hæc ex Zonara, Luitprando, Sigeberto, ac nonnullis alijs.

Reuertar nunc ad Germanos Cæsares, Conradum & Henricum, qui Ludouicum Arnolphi filium subsequuti sunt. Quos plerique scriptores, quod & Italicam tyrannidem, per Berengarios & Italiæ reges longè lateq; serpentem nõ fregerint, & summi pontificis non acceperint benedictionem, Catalogo Cęsarum indignos arbitrantẽ. Ego uerò eos ob præclaras eorum res gestas, & quod magni ac laude digni Principes extiterint, obmittendos non censui: qui paulo antè inuasores imperij, & tyrannos quoscunq; scripsi.

CONRADVS CAESAR.

LVDOVICO Arnolphi filio Augusto è medio sine sobole sublato, imperij nomen à stirpe Magni Caroli ad nouã uirtutem nobilitatemq; delatum est. Nam uniuersus Francorum ac Saxonum populus, Germanorumqúe procerum concursus, ad Othonem Saxoniæ ducem fiebat, eo quòd rebus gestis, summa prudentia & sanguine esset nobilissimus, eumqúe Augustum salutabant. Sed cùm is senecta inualidus esset, excusatione ætatis usus: Si Germanicis rebus (inquit) usui dextra mea arsúe rerum gerendarum esse posset, nullum corporis laborem, nullam animi sollicitudinem pro communi salute recusarem. Sed cùm imperium à familia Caroli translatum, magnarũ rerum inclinationes ac ingẽtes motus facturum sit, duce opus est, qui sciat, possitq; ac audeat inter tela uolitare, exercitumq; non consilio magis regere quàm exemplo mouere. Talis est itaq; uobis uir quærendus, nõ qui ex imperio decus sibi expetat, sed imperio afferat. Id quod unicum possum, consilio uos remqúe Germanicam iuuabo. Conrandus Franconiæ dux, & opibus & robore animi ac corporis, fideq; ac existimatione & maiestate, est sustinẽdæ moli ponderiq; huius tantæ rei, quã mihi iudicio uestro ultrò detulistis, longè aptissimus. Hũc uobis regem constituite: dignus est etenim, qui imperij habenas tractet. Sic autore Othone Conradus Augustus designatus, rex inungitur. Summa tamen rerum gerendarum administratio penes Othonem fuit. Ex quo filius mundo necessarius natus est Henricus, qui Conrado in imperio successit, ut paulo inferius scribemus. Fuit autem is Conradus rex, filius Conradi Comitis Franconiæ, Hassiæ, Vuedrouiæ, Frislariæ, & (quod Blondus scribit) Ducis Austriæ, quod nusquam lego: quũ Marchia Orientalis Marchiones tum, non Duces haberet. Quem Adalbertus ob inanem de nobilitate contentionem occidit: ut latissimè Rhegino, nos obiter superius attigimus. Vir strenuus, & re bellica exercitatus, animo corporeq; ualidus, adeò ut plerisq; timorẽ, multis inijceret obedientiam. Nam potentissimi principes huius ætate florebãt in Germania, Arnolphus Malus in Bauaria, Burchardus strenuus in Sueuia, Eberhardus Comes potentissimus in Orientali Francia, frater regis. Cum Francis enim Occidentalibus Conradus Aug. societatem ac amicitiam iunxit. Item Gisilbertus, dux in Lotharingia. Omnium autem præstantissimus Henricus Saxonum & Thuringorum dux, qui omnes Conrado regi erant rebelles. Sed quos cõsilio partim ad amicitiam reduxit, partim robore cõpescuit: tantasq; illis strages intulit, ut ex maxima occisorum militum multitudine plerique in antiquorũ philosophorum uenirent sententiam, animas post mortem iterum in alia corpora redire. Et cùm Conrado regi potentia Ducis Saxonũ Henrici suspecta nimium esset, cõsilium Hattonis episcopi Moguntini (cuius dolo Adalbertus Comes prius ceciderat) implorat. Hatto aureã torquem fabricari fecit, quem collo cõuiuantis sub honoris prætextu inijceret, caperetq;. Sed dolus est proditus, & Hatto mox diem suum obijt. Henricus beneficio motus, in gratiam cum rege redijt. Solus inter illos Principes Arnolphus cum uxore & liberis rebellis, ad Hungaros fugit, & ad obitũ usq; regis Conradi illic delituit. Regis etiam Hungarorum filiam uxorem ducit. Nam tum Vngarij uehementissimè grassabant, Franciam & Thuringiam euastantes. Et cùm Alemanniam ingrederẽtur, à Bauaris & Alemannis iuxta Oenum fluuium cæsi sunt. Sed rursus Alemanniam ingressi, igne & gladio cuncta euastarũt: totam Thuringiam & Saxoniam populati, ad Fuldense usq; monasterium progressi sunt. Dehinc Alsatiam penetrantes, ad Lotharingiam usq; excursiones fecerunt. Basileam urbẽ crudeliter incendio defœdarunt. Conradus rex nisi immatura præuentus fuisset morte, gentẽ hanc extirpasset. Sed aduersa semper ualetudine correptus, cum sibi imminere

minere extremum uitę terminum sentiret, ac supremum diem adesse cerneret, nec posset amplius bella obire, conuocatis Germanis proceribus, mansuetissimus princeps, maximis precibus, intermixtis multis lachrymis, ne amore regnandi, ambitioneq; dissidium imperij fieret, ac discordia, autor fuit ut Henricus Othonis Saxonum ducis filius (cuius beneficio ipse ad imperium peruenerat) Rex atq; Augustus crearetur, longa usus oratione, qua cæteris Principibus persuasit (aberat enim hic solus) ac ipsorũ mentes in suam sententiam traduxit. Simul etiam regalia ornamẽta, coronam multis unionibus & preciosis gemmis nobilem, sceptrum aureũ in medium ferri iussit: ijsq; manu tactis: Hęredem (inquit) regiæ dignitatis & imperij uicarium statuo Henricũ Saxoniæ ducem. Cui ut pareatis, non cõsulo modò, sed oro obsecroq;. Proceres lachrymis ac dulci persuasione moti, eius uotis annuunt: acceptisq; regijs indumentis abeunt, ac Regem relinquũt. Qui paucis pòst diebus, uitã cum morte commutauit, cùm annos regnasset septem: in Fuldensi monasterio honorificentissimè sepultus. Sed abbas Vrspergensis in ciuitate sua Vuilinaburg, cum mœrore ac lachrymis Francorum sepultum tradit, Anno nostræ salutis noningentesimo decimonono. Habuisse fertur uxorem Placentiam, filiam Ludouici senioris regis Germaniæ. Sed nullam hinc tulit sobolem. Hæc ex Othone, ex Luitprando, ex Annalibus abbatis Vrspergẽsis, ex Annalibus illius qui Rheginonem continuauit, ex Sigiberto excerpsimus. Nos more nostro huius quoque Cæsaris uitam tetrasticho claudemus: 211

Conradus procerum consensu lectus, Othonis
Consilioq; Ducis, Regia sceptra capit.
Officium leto moriturus reddit amici,
Qui patris accepit munere tale decus. 212

HENRICVS AVCEPS.

MORTVO Conrado rege, Eberhardus regis defuncti frater, ut iussus erat à fratre, acceptis aureis armillis cum chlamyde, lancea, & ueterum regum gladio ac diademate, ad Henricum Saxoniæ ducem festinat: quem in uenatione & aucupio fortè reperit, unde & cognomentum sibi datum est. Eiq; fratris uoluntatem ac procerum consensum detegit, regemq́ue salutat, pacemq; ac amicitiam cum eo init firmam, qua in perpetuũ dehinc usi sunt. Paulo pòst congregati Principes & primores cum omni Francorum exercitu, Fritislarij Rex designatur, & Augustus coram omni populo, magna omnium acclamatione appellatur. Et cum unctio ei offerretur à summo pontifice: Satis (inquit) est me diuina annuẽte, uestraq; pietate, Regem dici, tãto honore nos indignos arbitramur: sit penes eos unctio, qui meliores esse cupiũt, hac sumus appellatione cõtenti: his dictis, manibus in cœlum eleuatis, Deo se commendat. Vnde ingens à populo excitatus est clamor, Deus te regẽ custodiat, Deus te iuuet, tibiq; assistat. Fuit autem hic Henricus filius Othonis, Saxoniæ ducis, quem (ut suprà scripsimus) ante Conradum proceres regem, post defunctum Ludouicum Arnolphi Cæsaris filium, nominabant: quòd frater esset Luitgardæ uxoris Ludouici, quæ prole caruit: & quòd uir strenuus, qui Dalmatas & Hungaros fudit, fugauitq;. Sed ob senectutem regium decus assumere recusauit. Hic Otho hunc filium Henricum regem genuit, & Brunonem ducem. Et 213
ut aliquantisper eius familiam attingam, genuit hic Otho filiam Babam, Henrici Comitis coniugem, quæ urbi Babenbergæ nomen dedit, matrem Alberti comitis, & fratrum. Ac alteram quandam filiam Richardim, Leopoldi Sueuiæ Ducis, & primi Marchionis Austriæ coniugem, è quibus natus est Henricus cognomento Rebellis: à quo progenies diui Leopoldi tandem processit. Sed

ad Henricum reuertamur. Cùm regnũ Germaniæ ſuſcepiſſet, ſumma prudentia illud & fortiter adminiſtrauit. Diſciplinam militarem, quæ iam in latrocinia abierat, correxit, ac denuò reuocauit: latrones expulit, inteſtinas diſcordias in Francia inter Rutpertum & Carolũ ſedauit. Rediit tum ab Hungaris Arnoldus Malus cum uxore ac liberis, à Bauaris benignè ſuſceptus, admonitusq; ut ſe quoq; regem diceret, nec Henrico pareret regi. Quod intelligẽs Henricus, cùm iam Ratiſponæ colligeret exercitum Arnoldus, magnis copijs ut urbem obſideat, feſtinat. Sed hic non paſſus propius urbẽ accedere, imparem ſe agnoſcens, parat inire cum rege prælium. Stabant utrinque milites accincti ad pugnam, uiri fortes & bellicoſi, & maxima ſanguinis Chriſtiani effuſio inſtabat. Henricus rex, ſapientiſſimus Princeps & religioſus, irreparabile damnum animo uoluens, cupit ſolus Arnoldum alloqui. Et ille (licet duellum ſibi putaret indici) haud renuit. Conuenientibus utriſq;, rex inquit Henricus, Deo omniũ opt. ac maximo (cuius nutu mundus cõtremiſcit, à quo omnia in hoc orbe inferiore gubernantur) ſic ordinante, uniuerſus Saxonum, Thuringorum, Francorum ac Alemannorum populus me regem, Conrado rege anteceſſore noſtro ſic ſuadente, ordinauit & elegit. Cui ordinationi temerè reſiſtis, & Dei uoluntati parêre recuſas. In præcipitium mittis tuam plebem, cuius eſſe defenſor debes & tutor: quæ ignara quid agat, ruit quodam impetu, ut tibi obſequatur. Quin potius in alium hanc ſeruas gentem uſum, unde eſt fructus aliquis te ſequuturus. Ego, ut loquar quæ ſentio, ſi Deus te regem uoluiſſet, obedientiam tibi promptus oſtenderem: nec in me quòd diſpliceret, agnoſceres. His dictis, animum Arnoldi, alioqui malum, inflexit. Pontifices tamen omnes Bauariæ, ut petijt, ſuæ ditioni ſubmiſit, ut in defuncti locum liceret ſibi quem uellet ſuffi cere. Sed abuſus hac donatione impius princeps, redditus eccleſiarum militibus diſtribuit, pro quo & pœnas dehinc dedit. Henricus poſtea cum exercitu contra Burchardum Alemanniæ ducem, ſibiq; rebellem, profectus eſt, generum Rudolphi Burgundionis: qui rex Franciæ, occiſo Ruperto patre Hugonis, in contemptum Caroli elatus eſt. Burchardus tamen ſe imparem cognoſcẽs, etſi ſtrenuus eſſet bellator, ultrò ſeſe dedidit cum urbibus & populo ſuo. In regno autem Franciæ, quum inter Carolum Simplicem, cui regnum iure debebatur, & Rupertum, qui factionibus erigebatur in regem, maximæ eſſent ſimultates, oppreſſoque Carolo & cuſtodiæ mancipato, Rupertus gubernaret, Henricus Giſelberto Lotharingiæ Duci filiam ſuam Gerbirgam tradit uxorem: alioqui Lotharingiam rex erat inuaſurus. Captus autem Carolus, Henrico regi brachium S. Dionyſij auro gemmisq; incluſum, fœderis & perpetui amoris pignus clàm miſit, unicum Francorum ſolatium. Poſtquam enim huius
214 S. martyris corpus è Frãcia fuit ſublatum, nunquam bella uel inteſtina, uel externa ceſſauere. Quod quidem munus ſumma cum ueneratione religioſus rex accepit: & Carolo ſuppetias dediſſet, niſi in cuſtodia fuiſſet defunctus. Cui Burgundionum rex Rodulphus, qui triennio in Italia imperitabat, & cum Berengario (ut ſcripſimus) manus cõſeruit, in regno Franciæ ſucceſſit. Henricus autem Cæſar cum Francis pacem ſeruauit: tantum à Rodulpho rege lanceam mirifici operis, clauis crucifixi Domini affabre in ea locatis ſanctificatam, precibus promiſcuè miniſq; ac muneribus extorſit, illam pro ſacroſancto imperij inſigni poſteris relicturus: quæ apud Conſtantinũ Magnum in ſumma uenera tione fuiſſe ferebat. Quam Samſon quidam Comes dono dediſſe Rodulpho dicitur, & Othoni Magno filio imperatoris relictã. Cæterùm Hungarij, qui in defuncti Conradi Cæſaris locum Henricum ſuffectum iampridem intelligebãt, experiri ſi ſolita tributa rex pendere uellet cupientes, Saxoniam inuadũt: urbes, oppida, uillas incẽdunt, extremamq; cõminantur depopulationẽ. Rex rudi militi ac bellis inſueto, tam ſæuam gentem cõmittere noluit: quos autem ſecum habuit diſciplina militari inſtitutos, emiſit, qui crudelem abigerẽt populum.

lum. Forte Regulus Vngarorũ ab ijs captus est, & regi adductus. Quem, cùm magni esset nominis, multo auro Hungari redimere conabant, Henricus neq; auro neq; argento captiuũ reddere liberum uoluit, nisi firmã pacem in nouem annos iurarent Hungari. Quod ubi esset factum, ex agrarijs militibus nonum quemq; urbibus imposuit, ut cæteris octo cum familiaribus suis habitacula cõstrueret, frugumq; omnium tertiam partem custodiret, cæteris octo seminantibus ac fruges colligentibus. Concilia & conuentus in urbibus instituit, ut tempore pacis discerẽt, quid in bello esset agendum. Ruri aũt rara domicilia ædificari iussit. Tali disciplina ciues suos institutos, breui reddidit bellicosissimos. E quibus coacto exercitu, repẽtè irruit super Sclauos, quos prælijs fatigauit. De hinc Dalmatas quoq; debellauit, prædamq; ingentem abegit. Pragã Boemorum urbem, unà cum duce suo Venceslao in ditionem accepit. Dux deinceps Spitigneus, Boleslai pater, ad fidem Christi conuersus, q; obedientissimus Cæsari fuit, & Boemia tributaria facta est. Reges præterea Abroditarum, quos hodie Noruuegos dicimus, ac Danorũ siue Normannorum Henricus rex Christianos fecit. Hungari interea transacto inducirarũ tempore, tributum repetentes spreti, hostili manu Saxoniã populabundi ingrediunt, Thuringorum fines hostiliter peruagantur, tũ præcipuè, cùm grauissima ualetudine Henricus detineretur. Nihilominus tamen per quatriduum ingenti collecto exercitu, corpore licet infirmo, animo tamen robusto, equum conscendit: ac iuxta Merseburgum oppidũ, ab alijs Martinopolis cognominatum, in confinio Saxonũ, Thuringorum ac Sclauorum situm, hostibus occurrit: qui iam magnam puerorũ ac mulierum prædam agebant, uiris cæsis. Ordinata acie, Cęsar hoc stratagemate suos munit, ut æquo gressu, iunctis simul clypeis, sagittas hostiũ excipiant: deinde celeri cursu, sed æquali, in hostes lanceas suas uibrent, antequam arcus denuò extendant. Saluberrimę admonitionis memores, rapido impetu Saxones in Hungaros irruunt, clypeis (ut Rex iusserat) cooperti, quibus inanes sagittarum ictus excipiunt, ingẽti edito clamore Kyrieeleyson, Kyrieeleyson, uociferantes. Quid plura? Hungari incredibili cæde sternuntur, funduntur ac fugantur. Præda captiuorũ ex pueris ac mulieribus ingens eripitur ac liberatur. Cæsar uictor triumphat, & in cœnaculo domus regiæ in Merseburgo ingeniosissimę, ut posteris esset singularis memoria, depingi graphicè fecit. Deo dignas gratias egit: omnem hæresim, ut Deo ante prælium uouerat, è regno suo abigens. Tributum illud, quod Hungaris debebatur, cultui diuino impendit, & usibus pauperum distribuit, Pater patriæ ac imperator ab omnibus passim acclamatus. Magna est deinde fama regem sequuta, estq; dehinc omnibus gentibus, regibusq; ac principibus ueneratus: qui & legationibus & muneribus eius fauorem sunt emercati. Sic inter Hiribertum & Rodulphum discordias sedauit, & Hugonis legatos benignè susceptit, & quidquid erat uspiam discordiarum extinxit. Princeps prudentissimus, cui forma corporis regiæ dignitatis decorem adiecit: in optimos quosq; pientissimus, quos beneficijs prosequutus est, nulla leuitate notandus, etiam si ludorum exercitio uteretur. In omnibus grauitate usus & modestia concinna. Indulgens uenationi plurimum, si seria non erant tractanda. In conuiuijs hilaris ac iocundus, citra leuitatem. Sed cùm iter postremò Romã uersus meditaretur, aduersa ualetudine correptus, cùm morbus quotidie inualesceret, conuocato omni populo, Ottonem filium suum maiorem natu, & quòd optimus, & quòd religiosus esset, Regem designauit, omniq; Francorum imperio præfecit, cæteris filijs thesauris distributis. Dehinc legitimo edito testamento, rebusq; omnibus ritè compositis, mortem obijt tactus paralysi: Anno ætatis suæ lx. Imperij uerò xvij. Anno nostræ salutis DCCCC. xxxvij. vi. nonas Julij. Sepultus cum planctu & lachrymis in Saxoniæ oppido Quidalburgo, in basilica S. Petri. Vbi est etiam cœnobium uirginum preciosissimum, ab eius uxore Mechtilde extructum: licet Sige-

bertus & Vincentius in monte tradant sepultum, qui flãmas euomat. Fuit autem Henrico uxor Mechtildis, nobilissima & rarissimæ pudicitiæ matrona, honestatis & uirtutũ exemplar. Theoderici ex eadem gente Saxonũ filia. Cuius fratres erant Vuitikindus, Immotus & Rheginbertus. Qui Rheginbertus Danos Saxoniam euastantes, ab incursionibus arcuit, & patriam ab hostibus liberauit. Hi autem ex stirpe magni ducis Vuitikindi, qui cum Carolo Magno triginta fermè annos bellum gessit (ut superius scripsimus) descenderunt. Henricus autem ex Mechtilde ante regni susceptionem genuit Gerbirgã, quam Giselberto duci Belgicæ coniugem dedit, ac filium Ottonem Magnum imperij successorem. Postea uerò in regia dignitate genuit filium Henricũ, uirum fortem & industrium, prudentia, patientia & decore corporis ornatum, cognomento dictum Rixosum, postea Bauariæ ducem. Qui ducatus ei cessit, cùm Iuditham filiam Arnolfi Mali, Bauariæ ducis uxorem caperet. Dehinc tertium filium Brunonem, quem frater Otto post patris excessum, omnium literarum eruditione à puericia bene institutum, Colonienſium præsulẽ fecit. Qui dehinc orta in regno insigni perturbatione, qua filius quoq; Regis Luitolfus contra patrem coniurauerat, cùm Otto Orientis regna ordinaret, & præsulis & magnanimi ducis functus officio, summa religione pericula auertit. Genuit & alias filias, Mechtildem matris nomen referẽtem, primam abbatissam cœnobij in Quittelburgo: Adalheidem Hugonis Comitis Parisiensis uxorem, matrem Hugonis Capucij regis Francorum. Rixam quoq; Rhodulphi ducis Bauariæ coniugem, qui ab Hungaris circa Augustam Vindelicam fuit cæsus. Et quintam, cuius nomen non inuenio, uxorem comitis de Eberstein in Sueuia. Fertur Henricus (ut in antiquissimis reperi annalibus) ante Mechtildem uxorem concubinam habuisse eiusdẽ nominis, mirè pulchrã, ex monasterio ereptam. E qua filium naturalẽ genuit Danquardum, quẽ pòst Otto interfecit, cùm eum ducatu priuare niteretur. Coactus est tamẽ concubinã relinquere, & legitimam ducere uxorem. Plura si quis cupiat, Abbatem Vrspergensem, Monachũ Corbiensem, Sigebertum, Ottonem Præsulem Frisingensem libro sexto, Luitprandum Ticinensem in secundo, è quibus hæc excerpsimus, adeat. Nos more nostro tetrastichon subiungamus:

Henricus Primus, qui uulgò dicitur Auceps,
Saxoniæ claro stemmate progenitus,
Hungarios sæuo debellat Marte feroces:
Pacatum linquens imperium, & patriam.

Sub hoc Cæsare Henrico Primo inuenti sunt illi ludi equestres, dicti uulgò Torneamentum, in quo quatuor nationes, ex Bauaria, Sueuia, Franconia, & Rheno, tanquam principaliores conueniunt, inter se digladiantur: & uitia detestanda, hoc est adulteria, blasphemias, & pessima quæq; horrenda scelera corriguntur. Quemadmodum peculiari quodam opusculo de hac re impresso circumfertur, patria lingua scripto. Nam hos ludos Cęsar tum priuilegijs & libertatibus confirmauit, anno Christi DCCCC. XL. Sed hodie omnia in iocum iuerunt. Vbi enim inter nobiles hodie non regnat usura, blasphemia, adulterium, & id genus alia uitia & scelera plusquàm detestanda & horrenda? de mulieribus loqui prohibeor: & tamen tacere non possum, quòd adeò creuit in ijs

luxus & libido immodica, ut certè si de ijs inciperem,
neq; principium neq; finem facilè inuenire
possem.

Otto

OTTO PRIMVS.

TTONEM Magnum plerique scriptores primum Germanorum Imperatorem numerant, quod imperium à iusta sobole agnationeq; Caroli Magni ablatum, primus hic Otto iustus Princeps, uir belli pacisq; insignis recuperauit Pōtificis max. autoritate. Quasi Carolus & tota eius progenies nō fuerit ex Germanis orta, quod suprà asseruimus: ac Conradus, Henricusq;, qui ingens nomen sibi ex rebus gestis uendicarant, quòd benedictione Pontificis caruerint, inter Cæsares non sint numerandi: qui tamen sanctissimè Romani imperij res administrarunt. licet autorem habeam, qui Henricum tradat spreuisse ac renuisse coronam à Pontifice accipere, qui iam erat concordi omnium uoto Rex designatus, & Cæsar à Bauaris, Thuringis, Saxonibus, Alemannis & Francis. Francorum enim regnum in Orientale & Occidentale diuisum, sua reliquit semina in Occidente, in Carolo rege cognomento Simplici, & ex gente Saxonica reparatum, altius iterum egit radices, & latius propagatum est. Quamuis aliqui illud Teutonicum nunc appellitent regnum. Sed de hoc aliàs. Fuit autem hic Otto filius Henrici regis & Mechtildis, primorū consensu regni successor electus Aquisgrani, & à Moguntino episcopo Hildeberto inunctus, quem pater ex Fuldensi monasterio ob uitæ sanctimoniam & literarum eruditionem, ac singularem sapientiam, ad pontificatū sedis Moguntinæ transtulit. Quàm uerò prudentem ac strenuum Principem se gesserit rex benedictione unctionis percepta, uel hinc maximè patet, quòd mox rebelliones, coniurationes & discordiæ intestinæ sunt ortæ, quas mira prudentia sedauit ac compescuit. Nam ea tempestate mortuo Arnulpho Bauarorum duce, eius filij ambitione ducatus regi rebellant. Ducatum enim Rex fratri Bertholdo dedit, ob id comitatum abnuebant accipere. Tum nouæ exoriuntur inter Henricum regis fratrem, & Eberhardum Francorum ducem discordiæ, ob uasallorum inimicitias. Propter quas Eberhardus uinctum Henricum duxit uelut tutile mancipium, iunctus coniuratione cum Danquardo fratre Ottonis ex concubina, qui sibi Saxoniam post Sigefridi obitum usurpauerat contra regis uoluntatem, quam Gereoni comiti donauerat. Quocirca ducto contra eum exercitu, in templum fugiens, à milite cōfossus cecidit. Eberhardus necem sui coniuratoris intelligēs, animo fractus, à captiuo suo Henrico duce ueniam petit. Timebat enim, ne simili casu obrueretur. Henricus cupidine regnandi incensus, iuuenili ardore flagrabat fratrem Ottonem regno deturbare. Veniam Eberhardo largitur, si secum conspirationē ineat, ut corona posset potiri. Non audebat enim Eberhardus Regi confidere, sibi suorumq́ue scelerum cōscius. Ob id non modò Henrico suppetias pollicetur: sed & Gisilbertum Lotharingiæ ducem, qui sororem habuit Ottonis Gerbirgam uxorem, socium promittit eius factionis. Nam & ipse regnum affectabat, cupiebatq́ue ipsum solio regni deijcere, ascitis etiam nonnullis Ecclesiasticis uiris & Episcopis. Giselbertus Belgicæ dux Henricum fratrem Ottonis hac inani spe regnandi inescare enixus, ipsum esse ab Henrico Rege iam firmato genitum: licet maior natu Otto natus esset Henrico duce, non Rege. Sed reuera uoluit eius adiutorio uti debellando Ottonem, ut sibi regnum pararet. Vtrunq; decipere Eberhardus instituit, quum cæso Rege plures iam haberet comites quibus sibi usurpare regnū certo iam habuit. Et ob id dicitur uxori, cùm olim in eius sinu (ut fit) quiescret, dixisse: Mox charissima cōiunx nō in Ducis, sed Regis amplexibus gaudebis. Sic tres pari anhelabant spe Regem solio deturbare, & alter alteri illudere, plurima largientes suis dona & regalia munera, luctabundi & regali ambitione inflati. Collectis itaque copijs, Henricus in Lotharingiam proficiscitur, paraturus bellum contra Ottonem. Qui primùm non credidit: sed certior factus,

ctus, neq; militum multitudine neq; ducum temeritate territus, occurrit eis lætus: & festinanter ad Rhenum delatus, cùm suos transmississet, insperatò Henrici copias offenderunt illi transmissi pauci (nec enim naues aderant, quæ omnem regis exercitum transmitterent) in altera itaque fluminis ripa rex suorum uidens periculum (erant enim pauci transmissi, & maior multitudo penes regem erat) in preces & lachrymas corruit, lanceam Domini cum clauis quam habuit ueneraturus. Deum opt. max. rogauit, ne pauci innocentes uiolenter obtererentur impiè. Et ecce Deus mentem ijs largitus, hostium exercitum in medio amplexi hi pauci, dum elato clamore fugam Gallicè consulerent, hostes arbitrati à socijs hunc clamorem emitti, fugientes cum duce suo Henrico, qui grauiter uulnerabatur, uictoriam Ottonianis paucis relinquebant. Otto subsequutus, in Merseburgo duobus mensibus ipsum obsidet: urbe capta, induciæ xxx dierum datæ sunt, quatenus cum militibus è Saxonia secederet. Si
116 cui uerò regem adire placeret, ueniæ locus esset. Henricus Lotharingiam ingressus, nouum cum Gisilberto comparat exercitum. Subsequutus rex ad Caprimontem usq; utrumq; obsidet. Sed cùm difficultate locorum parum procederet obsidio, undique est ferro ac flammis regio euastata. Interea Ludouicus rex Franciæ cognomento Transmarinus, filius Caroli regis Simplicis, inimicorum regis suggestu Alsatiam petit, recuperaturus (ut sperabat) Lotharingiam, quam pater perdiderat. Otto hunc insequutus Alsatia pellit, & Brisacum munitissimum castellum obsidet. Vbi Eberhardus multa regi incommoda inferens, cuncta populabatur. Erant in exercitu Regis Fridericus Moguntinus Episcopus, qui Hildeberto successerat, & Ruthardus Strasburgensis præsul. Qui fixis in obsidione Brisaci tentorijs, noctu clàm aufugerunt in urbem Metensem, Gisilberto & Henrico occursuri, quibus cum coniurauerant. Sed Hermannus Sueuorum dux, eiusq; frater Vto, atque Chunradus cognomento Sapiens, fortiter Regi astiterunt suis copijs. Et cùm iam Gisilbertus ac Eberhardus prope Andernacum Rhenum erant transituri, præmisso exercitu cum selectis ipsi subsequentes, ab Vtone & Chunrado Eberhardus occiditur. Gisilbertus cum equo in fluuium præcipitatus submergitur. Reliqui fusi, fugati, cæsiq; sunt. Brisacum deditum Regi, qui omnem Lotharingiam in suam deditionem usurpat. Ludouicus dehinc Franciæ rex, Gerbirgam Gisilbetti uiduam relictam ab Ottone in uxorem petit, quæ ei data est. Filia autem Gerbirgæ sororis Ottonis regis data est coniunx Bertholdo Bauariorum duci, qui partes regis fouebat. Et cùm Henricus post hanc cladem iterum Caprimontem esset occupaturus (nam Metis, ut decreuerat cum Episcopis nullum reperit auxilium, cunctis fugientibus) à sorore Gerburga est prohibitus, quæ fratrem suum Ottonem noluit molestare: cui erat & filius Henricus paruulus, hæres Lotharingiæ, quem Ottoni Rex alendum commisit. Henricus autem frater Regis, quum nullum undique reperiret subsidium, desperatus nudis pedibus & capite detecto ante pedes Ottonis procidit, ueniam pro delictis rogat. Clementissimus Rex, licet & antea illi ueniam donasset, indignum iam censebat, elabi impunitum: fraterna tamen pietate motus, quoad ira resideret, iussit eum in Ingelheym oppido custodiri. Sed cùm precibus amicorum fatigaretur pientissimus rex, primùm in Lotharingiæ regno indulsit habitare, quem tamen Lotharienses expulerunt. Tandem mortuo Bertholdo Bauarorum duce, Henrico fratri, quòd Arnulfi ducis Bauarorum haberet filiam uxorem Iuditham, fœminam & forma & prudentia egregiam, ducatum Bauariæ, matris suæ precibus & intercessione concessit, concordiamq; cum eo iniit, in qua perseuerauit. Et hic est Henricus Bauariæ dux Rixosus cognomento à posteris cognominatus, ex Saxonũ familia oriũdus. Nec tamẽ, licet intestinis bellis esset implicitus Otto rex, externa bella defuerãt. Venceslaus enim Boemiæ dux, humanissimus & optimus Princeps, à fratre suo Bolezlao occisus, ambi-

ambitione regnandi, & quòd Ottoni adhæreret, magnas excitauit turbas. Barbaris itaq; res nouas molientibus, Otto parcendū non ſtatuit: coactoq; exercitu, Barbaros fudit. Sed cùm recenti uictoria uictores ſecuri agerēt, à Barbaris ſunt cæſi. Itaq; bellum hoc in decimumquintum annum eſt protractum. Sed tandem Boletzlaus in fidem Ottonis peruenit, in eaq; perſeuerauit. Vngarij pariter noui regis uirtutem uolentes experiri, per Auſtraſiam & Alemanniam crebris urbibus euaſtatis, Vuormaciæ Rheno trāſito, Franciam ingrediuntur, ſi poſſent Saxoniam exurere. Sed Otto nihil moratus illis occurrit, à finibus regni eos repellit, & multis cædibus affligit. Ciuilibus dehinc intentus rex, Magdaburgum urbem, quæ & Parthenopolis dicitur, exornat & ædificat. Burgundiam dehinc intrat, eamq́ue cum ſuo rege ſubiugat ſibi. Et cùm Lotharingiæ præſes Otto comes, cum nepote Henrico Giſilberti filio occubuiſſent, Rex Chunrado Sueuorum duci Lotharingiam conceſſit, illiq; unicam filiam Luitgardam coniugem dedit: quòd Princeps eſſet belli pacisq; artibus inſtructiſſimus, & qui filium regis Luitdolfum miro amore proſequeretur, qui Itham filiam Hermanni ducis habuit uxorem. Cui paulo pòſt dum Hermannus moreretur, ducatum Alemanniæ donauit. Mouerunt autem ea tempeſtate bellum Franci regi ſuo Ludouico, cui rex Otto Gerbirgam ſororem in matrimonium collocauerat, eumq; penè regno ſuo ſpoliarunt. Quod non paſſus Otto accurrit, hoſtiliter urbes & mœnia populatur, Regemq; Ludouicum ui reſtituit, Hugone Rutberti filio expulſo. Qui dehinc uires regis expertus, redijt in gratiam. Genuit hæc Gerbirga ex Ludouico filios Carolum & Lotharium, qui patri poſtea ſucceſſit. Regina autem Editha Ottonis coniunx, ſub id tempus mortem obijt, non ſine maximo uniuerſæ Saxonicæ gentis planctu. Dum itaq; rex de alia ducēda cogitat uxore, illi in memoriam uenit Adalheida uidua Lotharij regis Italiæ, filia Rhodulphi Burgundionum regis. Quæ ſanctitate uitæ cæteris plurimùm commendabatur præſtare, quæ in cuſtodia à Berengario tenebatur, quò decus eius ſplendoris aut obſcuraret, aut penitus extingueret: qui tyrannide crudeli totam uexabat Italiam, licet prius cùm rege Ottone in Germania fuiſſet, ſuppetiasq; contra Hugonem eſſet precatus. Hanc itaque è uinculis liberare, ſibiq; copulare magnanimus Princeps cogitauit: per eamq; regnum Italicum ſibi uendicaturus, Romam ire ſimulat. Magno itaq; ſe apparatu ad hoc iter accingit, præmiſſo filio in Longobardiā Luitdolfo, cum Alemannis & numeroſo exercitu. Reliquit enim ei ſocer Hermannus Sueuorum dux ditiſſimum ducatum, cum ampliſſimis diuitijs: quarum ſolus ipſe cum coniuge unica ducis filia, hæres fuit. Cùm itaq; iter patri filius conaretur reddere ſecurum, Ottone rege ſequente, patruus eius Henricus Bauariæ dux inuidus gloriæ ſuæ, in pleriſque Italiæ urbibus factiones excitat, quibus Luitdolfus ab urbibus aliquot excludebatur, incōmoda & moleſtias illi non paucas ſtruens. At Otto Italiam ingreſſus nemine repugnante, Papiam armatus magna potentia ingreditur, Adalheidam fœminam clariſſimam liberat: quam, Deo auſpice, ſibi rex coaptat coniugem. Et dum diem nuptijs celebrandis deſignat, Luitdolfus id ægre ferens, patre inconſulto mœſtus diſcedit Italia, Saxoniamq; ingreditur. Poſt obitum enim prioris coniugis, Otto facto teſtamento, omnem poteſtatem in filium tranſtulit, quem & regem deſignauit. Ob id patri infenſus, cœpit illi inſidiari. Otto autem rex celebratis nuptijs regali magnificentia, Italiam relinquens, Saxoniam petijt: relicto Conrado duce cum militari præſidio in Papia. Sequente autem regem Berengario, qui pòſt unà cum filio Adelberto fidelitatem iurans Regi in Italiam eſt reuerſus, quæ ei regio dono eſt collata, excepta Marchia fratri Regis Henrico conceſſa. Sed reuerſus Berengarius, in cunctos Italiæ Principes ódiū retorſit: magisq; quàm unquam ſæuiendo, tyrannidem exercuit. Filius autem regis Luitolfus, & gener Chunradus, iam Ottoni moliuntur inſidias, adiunctis ex Francia,

Saxo-

Saxonia, Bauariaq; conspiratoribus, & Friderico præsertim Moguntino episcopo. Quod intelligens rex Moguntiam uenit: quæ hostibus repleta, introitum intercepit. Henricus frater regi laturus opẽ, cum Bauaris aduenit urbem obsessurus, cum iam Lotharienses in suas partes Otto traduxisset. Interea Luitolfus machinatione uxoris, Henrici Arnulfi iunioris sororis, quæ aliquibus luditha, alijs Adelheidis dicitur, Bauaros à suo Principe alienauit: ac Ratisponã ingressus, thesauros Henrici diripuit, & omnia bona sustulit, coniugem cum filijs regione abegit. Indignatus enim Arnulfus ducatum paternum ab alio possideri, cum ipse esset naturalis hæres: sed Otto ob rebellionem ipsius & fratrũ, hoc eos supplicio mulctauit. Rex enim Otto, cùm omnibus uiribus Ratisponam obsidione cinxisset, ad extremamq; famem incolas adegisset, coactus est Luitolfus urbem egredi, pacem petere & ueniam, si uitam uoluit suam à ciuibus integram seruare. Dicta est Luitolfo dies in Saxoniam, ubi de uenia cum illo erat acturus. Ratispona exusta est. Pòst cùm rex in Saxonia uenatione sese oblectaret, filius & gener, eo inscio, nudis pedibus ante regem in nemore procidentes, multis lachrymis patri extorserunt misericordiam. Qua donati, in fide deinceps manserunt. Fridericus autem Moguntinus præsul mortuus est, & Moguntia cum omni Francia regi traditur, cui Guilielmus regis filius successit. Vngarij ea tempestate per totam Galliam grassantes, crudeliter eam populati sunt. In Bauariam deinde cõcesserunt, licet legatos ad regem, ad explorandũ, si uiribus esset bellis assiduis exhaustus, misissent. Sed à fratre Henrico admonitus, immensas collegit copias, ut ijs resistat. Nam ferũtur Vngarij tam immensam habuisse hominum multitudinem, ut dicerent: Aut cœlum cadẽs nos obruet, aut terra dehiscens nos absorbet. Alioqui nemo hostium nos multitudine superabit. Qua confisi, in campo quem Lycus fluuius circa Augustã Vindelicam præterlabitur, conserere manus auidissimè expectabant. Rex electis ex Saxonibus receptis (nam & bellum Sclauonicum instabat) quasi nihil laboris superioribus annis toleraſſet, ad Augustam festinat. Cui tum diuus Vdalricus summus Pontifex eius ecclesiæ præsidebat: ubi Francorum & Baioariorum illi ingens multitudo occurrit. Aduenit & Chunradus dux cum electissimo equitatu. Factis itaq; Deo opt. max. supplicationibus, ordinat Rex aciem, exercitum ductitans per aspera & difficilia loca, ne daretur hostibus copia turbandi sagittis (quibus maximè præstant) agmina, arbustis protegentibus. Primam itaq;, secundam & tertiã legiones (nam octo coegerat) duxerunt Baioarij. Quibus præfecti erant ducis Henrici primores, qui tum aduersa ualetudine, qua & periit, laborabat. Chunradus dux cum Francis quartam ducebat legionem, uir domi militiæq; clarus: & quod rarò audacibus accidit, consilio prudens: tam strenuus eques, quàm bellicosus pedes. Quintam & regiam maximam cum electis ex omnibus militibus agebat Otto rex, coramq; eo Angelus (sic enim appellauerunt signum militare regium, nostri uocant uexillum) præferebatur. Sueui sextam & septimam constituerãt duce Burchardo, cui nupserat filia fratris regis. In octaua erãt Boemi armis instructissimi, cum sarcinis & impedimentis: quam primùm Vngarij contra opinionem omnium adorti, trajiciẽtes Lycum, sagittis & crudeli impetu, crudelissimaq; uociferatione uerterunt in fugam, multis etiam cæsis, sarcinisq; potiti. Tum sextam & septimam aggressi pariter, plurimis ex eis fusis, in fugam uerterunt. Sentiens rex à tergo periclitari exercitum, misit ijs obuiam Cunradum ducem cum quarta legione, qui agmina Vngariorum perturbauit, captiuos & prædam omnem sustulit hostibus, ac cum uictricibus signis ad regẽ reuersus est. Qui suos cohortatus paucis (nam plus gladijs mouentur Germani, quàm linguis & inani loquacitate) ipse arrepto clypeo & sacra lancea, primus in hostes ruit, strenuissimi militis officio & imperatoris optimi functus. Quem sequuti ueterani milites uictorijs assueti, hostes in fugam uertunt, fugatos partim in Lyco submergũt. Ex nimio

solis

solis ardore, qui tum flagrabat, & labore corporis Cunradus fatigatus, dum lo
ricam resoluit, ut auram suscipiat, ictu sagittæ cadit: non sine maximo Franco-
rum planctu, Vuormaciam delatus & sepultus. Tres Hungaricæ gentis reguli
capti, & Henrico oblati, suspensi sunt in crucem, ut meruerunt: cæteri propè o-
mnes deleti. Rex pater patriæ & Imperator appellatus, triumphum egit cele-
brem: decretis prius Deo honoribus & laudibus. Ipse præmisso nuncio ad ma
trem, quam de victoria fecit certiorem, lætus in Saxoniam est profectus, beni-
gnissimè ab universo populo exceptus. nam ducentis propè annis nullus est re
gum parem assequutus victoriam. Dehinc rebus in Saxonia & Francia ritè or-
dinatis, & cæteris prouincijs, iterum Romam parat proficisci. Sed prius Scla-
uos debellaturus, contra hos exercitum ducit, Luitolfo filio in Italiam præmis-
so. Qui Berengarij adeò oppressit tyrannidem, eo ejecto, ut penè omnem Itali-
am occuparet. Sed breui pòst diem clausit extremum: à Gulielmo Moguntino
episcopo eius fratre, Mogũtiam eius corpus translatum, in æde S. Albani con-
ditur. Interea episcopi comites, & plerique Italiæ principes à Berengario Italia
pulsi, regem adeunt, & pro subsidio petunt: nam sæuissimè in omnes crudelis
erat. Venerunt & legati summi pontificis, à Ioanne papa missi, regi supplican-
tes, ut Italiam à tyrannis purgaret. Petiturus igitur Italiam, Vuormaciæ omnem
procerum multitudinem ad se uocat, eorumq; cõsensu filium suum Othonem
regem designat. Hinc Aquisgrani coronatur, filioq; Gulielmo Moguntino ar-
chiepiscopo à patre commendatur. Tum per Tridentum Italiam ingressus, ho-
norificè suscipitur. Papiam ingressus, fugiente Berengario & Vuilla eius uxo-
re palatium ab eo destructum reædificare præcepit, ab universo populo impe-
rator & Augustus acclamatus, à summo est Pontifice inunctus. Qui licet mul-
ta pio promitteret imperatori, alia tamen multo à promissis diuersa sunt subse-
quuta. Nam & Adalbertus Berengarij filius, à pontifice uocatus, Romam est
intromissus, & subsidijs adiutus, contra iusiurandum imperatori datum. Indi-
gnabundus itaq; imperator, relicta Papia, Romam ingreditur: quæ intra se di-
uisa, habuit qui Pontificem & qui Imperatorem sequerentur. Fugiente autem
Pontifice Iohanne, cõgregato omni clero, ac universo populo Romano, Leo
Protoscrunarius uir strenuus & industrius in Pontificem eligitur, ubi post ter-
tiam uocationem uenire recusauit Ioannes. Sed hunc quoq; Romani, à Iohan
ne pecunijs corrupti, abijciunt pòst paulo: & imperatorẽ adorti, uim illi inferre
moliuntur. Sed mox omnis eorum eneruata est uirtus. Nisi enim reuocasset mi
lites Imperator, ad internecionem Romani essent deleti. Datis igitur centũ ob
sidibus, imperatori fidem syncerã promittunt, nec se iniussu eius electuros Põ-
tificem unquam iurant. Imperator itaq; ordinaturus Spoletanum ducatum, &
Camerinũ relinquens urbem, digreditur. Dimissis quoq; obsidionibus ob pre
ces Leonis, mox ingenitam perfidiam reassumunt, Iohãne reuocato. Leo cum
paucis ad Imperatorem fugit. Sed nec diu lætatus sua tyranride Iohãnes, dum
cum uxore cuiusdam Romani plus æquo se delectat, subita morte corruit. Ro
mani sibi timentes, & iuramenti sui immemores, Benedictum Papam creant.
Imperator coacto exercitu urbẽ obsidet, adeò ut nulli penitus pateret exitus.
Benedictus Pontifex Romanus hortatur, ut in fide perseuerent sua contra Im-
peratorem, illi diras comminatus. Et cùm obsidio hæc duraret, in muros urbis
ascendens, satis elatè Imperatori excõmunicationem minatur. Eo arctius urbs
obsidetur, & fame crudelissima affligitur: haud minus punita, quàm olim à Sen
nonibus Gallis Brennone duce, aut Alarico Gothorũ rege, aut Genserico A-
fricæ rege, aut Odoacre Turcilingorum aut Rugorum principe, ac Totila Go
thorum rege, cùm humanis carnibus uesci cogerẽtur. Fame itaq; coacti, urbis
portas aperiunt, Imperatorem intromittunt, ueniam precantur, Leonem susci-
piunt. Qui deiecto Benedicto, & pontificalibus exuto, sedem reformat Roma
nam. Imperator Italiam relinquens, pestilentia eius exercitus est molestatus. In

Liguria uenationibus (quibus libenter indulsit) sese recreauit, cessante iam tabe & peste, toto autumno genio suo indulgēs. Egressus deinceps Italiam, cùm uenisset ad confinia Franciæ, filios Othonem regem & Gulielmum episcopū Moguntinum, sibi occurrentes, magna alacritate affatus est. In Vuormacia fratrem Brunonem Colonien sem archiepiscopum obuium habuit. Hinc nauigio Coloniā delatus, matrem suam Mechtildam, & sororem Gerbirgam reginam Franciæ, cum eius filio Lothario rege, benignissimè nō sine ingenti gaudio amplexus est. Detulitq; secum Benedictum depositum Pōtificem, quem in Francia, ad custodiendum Adaldago archiepiscopo dedit. Imperatrici uerò duas Berengarij filias elegantissimas donauit. Vuido Mutinensis episcopus uulpina astutia Imperatori illudere satagens, functus Alberti legatione, nonnullos Italiæ proceres accusare nitebatur. Sed ab Imperatore non auditus, custodiæ est traditus. Mortuo hinc Leone pontifice, legatos Romani ad imperatorem mittunt pro nouo eligendo in Saxoniam usq;, qui Romam uicissim suos Oratores delegauit: factaq; synodo, electus est Iohannes Marmensis episcopus in summū pontificem: sed qui mox pulsus, in Campania exulauit. Imperator itaq; ordinatis regni Lotharingiæ rebus, iterum statuit Italiam ingredi, & reliquias tyrannidis conficere. Interim pontifex metu Imperatoris aduenientis, sedi suæ restituitur. Ingressus urbem Imperator, tredecim primores urbis, qui authores discordiæ fuerant, ut Iohannes eijceretur, laqueis suspendit. Præfectus enim urbis aufugit: quem per Spoletum sequutus, Rauennæ Paschæ festiuitatem cum Pontifice celebrauit. Tum à Pontifice & Imperatore literæ sunt missæ Othoni regi filio, ut Romam ueniret inuitātes: qui magno apparatu iter hoc assumpsit. Sed antequam Italiam ingrederetur Otho iunior, Nicephorus Græcus imperator, Rauennam ad imperatorem honorificam mittit legationem cum regijs muneribus, pacemq; ac fœdus amicitiæ petit. Timebat enim, ne & Græciam quoque, sicut Italiam iam subegerat, sibi uendicaret. Imperator cum ijs legatis suos quoq; adiungit, filioq; suo priuignā eius, Romani scilicet Imperatoris defuncti filiam, uxorem petit. Sed in itinere à Græcis impetiti, plures sunt occisi: aliqui capti, & Constantinopolim delati. Ob quod facinus indignatus, ex suis mittit qui Calabriam depopulentur: qui hostiliter euastantes urbes & uillas, quoscunq; inuenerant Græcos, truncatis naribus domum remittunt. Dehinc per Apuliam & Calabriam tributa exigunt. Cōstantinopolitani id intelligentes, in Nicephorum Cęsarem suum insurgunt, qui est à Iohanne Zimisce strangulatus: cuius filiam Theophaniā uxorem accepit Iunior Otho, à summo Pontifice inunctus, & sacratus, patre astante, celebratis in Italia nuptijs. Hinc Saxoniam repetens Imperator, uenas argenti reperit circa Goslariam Saxoniæ oppidum, quod unà cum palatio mirè exornauit. Cùm itaq; Romanum imperium longè lateq; auxisset, senecta inualidus, tandem est morbo subitaneo, dum uespertinis laudibus interesset, correptus: caput inclinans deficere uisus est, allato q; sacramento, religiosissimè id sine gemitu accepit. Delatus hinc in cubiculum, magna cum tranquillitate è uita excessit, nonis Maij, anno nostræ salutis noningentesimo septuagesimotertio, regni trigesimoseptimo, imperij decimotertio. Regia pompa in Magdeburgo, quæ Parthenopolis dicitur, in æde Sancti Mauricij sepultus. Magnus cognomento à rebus gestis, ut olim Carolus dictus, Christianissimus princeps: & qui more ueterum Germanorum barbam in pectus promissam gestare solebat, per quam, si quando seriò loquebatur, iurabat. Auream securim more ueterum consulum præferri sibi præcepit, qua nocentes percutiebat.

Duas autem habuit uxores: primam Editham, quæ alijs corruptè Egid dicitur, Ethmundi Anglorum regis filiam, ex qua Luitdolfum filiū & Gulielmum Moguntinum archiepiscopum tulit. Luitdolfo autem cessit ducatus Sueuiæ, quòd Hermanni ducis filiam Mechtildem duceret uxorem: ex qua peperit Othonem

thonem ducē Sueuiæ, qui pater fuit Brunonis, qui factus dehinc ſummus pōtifex, & Gregorius quintus appellatus eſt. Sed prēter hos filios ex Editha Otto filiam quoq; Luitgardam genuit, quæ nupſit Chunrado duci Francorum. Fuit hæc Editha regina fœmina ſanctiſſimæ religionis, quæ Magdeburgo eſt ſepulta, cùm Luitolfus annū ageret decimum ſextum, in quem pater tū omne ſtudium tranſtulit. Altera Othonis uxor fuit Adalheidis Rodulfi Burgundionum regis & Berthæ filia, ſoror Chunradi regis Burgundionum, Lotharij Italiæ regis relicta uidua. Ex qua Otho progenuit Henricum, Brunonem & Othonem imperij ſucceſſorem, filiamq; Adalheidam nomen matris referentem, uxorem Hugonis comitis Pariſiorum. Berthę ſocrui Otho in Alſatia fœminę religioſiſſimę conceſſit Abbatiam, quę patria lingua Ereſtein uocitatur. Duo prętereo nequeo, quæ ſub Othone Magno acciderant, & noſtro ſeculo eadem ſub diuo Maximiliano uiſa ſunt. Primum, quòd miræ magnitudinis lapis tonitru ē cœlo iactus, miraculum ingens hominibus dedit. Alterum, quòd notulæ crucis anno eius regni uiceſimo ſecundo, in ueſtibus plurimorum apparuêre, qua ſi lepra ſordeſcentibus, quæ plures à uicijs coercuerunt. Sub Maximiliano noſtro, ingens lapis ſpecie ac forma Græcæ literę Δ, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, in Ensheym decidit, oppido Alſatię, qui hodie in ædē ſacra cuſtoditur, à Sebaſtiano Ticione etiam carmine celebratus. Fuerunt item in pleriſque Germaniæ regionibus ueſtes crucis ſigno notatæ, quę magnū hominibus terrorem incuſſerūt, anno noſtrę liberationis milleſimo quingenteſimo tertio. De qua re Franciſcus Iohannes Picus, comes Mirandulanus Græcè & Latinè doctiſſimus, multijugis eruditionis & doctrinę, carmen Stauroſtichos ad Maximilianum conſcripſit, cuius eſt initium:

Germanæ nuper delapſa inſignia terræ
Principis ætherij, canerem ter Maxime Cæſar, &c.

Excerpſimus hęc ex Abbate Vrſpergenſi, Othone præſule, Sigeberto, & nonnullis alijs ueteribus Chronicis. Apoſtolicus abbreuiator, Theodericus Othonis Nyem, originem Saxonum & res geſtas longè lateq; explicat. Sed Vuindichildus monachus, Saxonum eſt hiſtoriam complexus ubertim, uſque ad Othonis tempora. Res item geſtas Othonis, Roſuita uirgo monialis complexa eſt uerſibus: qui licet ſint, ut tempora ferebant, neque elegantes, neque ſatis culti: mirandum tamen eſt, ingenium muliebre in Saxonia, & ipſa Barbaria educatum & genitum, ea præſtare potuiſſe. Sed nunc more noſtro inſtituto claudamus hoc tetraſticho:

Magnus Otho Belgas, Sclauos, fortesq; Boemos
Subiugat, à dominis liberat Italiam.
Hungaricam gentem, quæ deuaſtauerat oras
Germanas, ſtrauit cum populo ac ducibus.

Subiungendi ſunt nunc iterum Græci Imperatores, qui per hæc Othonis tempora gubernarunt Orientale imperium. Et licet anni non uſquequaque reſpondeant, ordini tamen noſtro inſeruientes, illos tres, Romanum Iuniorem, Nicephorum Phocam, & Iohannem Zimiſcen (licet numerum annorum Ottonis imperij, tres illi imperatores haud aſſequuti ſint) quia tamen ſeſe mutuò ſequuti ſunt, ordine locabo.

ROMANVS IVNIOR.

OMANVS Iunior, filius fuit Constantini Leonis & Helenę filię Romani Lacapeni Imperatoris, qui cum omni familia extinctus est. Iunior dictus, non ob puericiam, cùm iam uirilem ageret ætatem, imperiũ post patris obitum adeptus: sed quòd Romano materno auo successerat, qui senior erat. Licet haud ineptè eum quis Iuniorem appellitet, quòd pueriliter nimis & uitam egerit, & imperium administrauerit, quum uir fuerit omnium ignauissimus: uino, ocio, luxui, ac omnibus uoluptatibus deditissimus, licet ingenio nõ esset malo, sed si id intenderet solerti. Ocio id corrupit, quum alieno arbitrio regeretur, ac subinde crudelissimus fieret. Voluptuarios tantum homines ac infames secum habens, quorum cõsuetudine magis insaniebat, exitiosorũ ac praua rum cõsilio usus. Curam autem imperij & regni administrationem cuidam
217 Bringæ Iosepho præposito, & cubiculariorum præfecto commisit. Filium primogenitum Basiliũ imperij corona insigniuit, ac mox alium natum patris nomine Constantinum, ut aui sui nomen referret, appellauit. Impius in matrem Helenam ac sorores, quas regia eiecit, ac cœnobio relegauit, exutis imperialibus ornamentis. Quæ ob dolorem regio uestitu spoliatæ, impudicitiæ sese ded iderunt, & meretricium quęstum amplexę sunt. Vnde mater in summo luctu paulo pòst uitam finiuit, diris imprecationibus filium execrata. Quemadmodum autem domi ob illecebras & incontinentem uitam fuit impius, ita foris satis fœlix, suorum fortuna in hostes usus. Duo uerò eadem tempestate sunt orta bella, in Creta unum à Sarracenis: contra quos misit Nicephorum Phocam domesticũ scholarum, qui septem mensibus idoneo exercitu sæpe manus cum ijsdem conseruit, & machinis obsidionalibus urbes expugnauit, ac tandem ipsorum metropolim Chandaca subegit, capto Sarracenorum duce, cui Curupes nomen erat, & altero quodam, qui post hũc in alijs primatum gerebat, quẽ Anemans uocabãt. Et nisi reuocatus fuisset ab Imperatore Nicephorus, quod iam passim omnibus innotuit, & Sarraceni omnes essent insula eiecti, & Creta fuisset Romanis conseruata. Alterum uerò bellum excitauit Chamedas Turcus, qui Chalep tenebat. Cõtra quem Romanus imperator Leonem Phocam Nicephori consanguineũ cum potenti exercitu misit. Qui cum Chameda congressus totis uiribus, Barbarum adeò uicit, ut magna pars exercitus illius caderet, pars in captiuitatem redacta: ipse imperator exercitus hostilis uix fuga est elapsus. Leo reuersus, magnifica est exceptus pompa, & uictoriali triumpho honestatus. Quo tempore Romanus imperator sumpsit pœnas ac supplicia de quibusdam coniuratoribus, qui in eius uitam machinati sunt, qui cum conscijs in uinculis tum detinebantur. Nicephorus Phocas autem, qui ex Creta accersitus est, sed cum omni exercitu iussus ad Orientem properare, quum Chamodas Turcus armata manu iterum in Romanos aduentaret. Cui in Syria Phocas occurrit, & manus conseruit, uictoria potitus, Berroeam que urbem (excepta arce) expugnauit. Vbi magnam argenti uim coegit, innumera mancipia cepit, Christianos multos è captiuitate liberauit. Quum autem interim Romanus Imperator illecebris carnis corpus extenuasset, ludis, crapulæ ac ueneri intentus, mortem obijt. Licet aliqui tradant, ipsum ueneno potionatum, Anno eius imperij tertiodecimo, relictis superstitibus liberis, Basilio ac Constantino paruulis, cum matre Theophania, quam Annam alij cognominant, à Nicephoro plurimùm deamata. Quem ferunt olim Romano imperatori, quum interrogasset, quur tam infœliciter res Romanæ succederent, Agarenis tum regionem uniuersam populantibus, respõdisse liberè: Causa est (inquit) Imperator, quòd solo nomine Imperatorem agis. Quo responso monitus, iussit ex animi sui sententia imperij negocium tractare. Qui mox

milita-

militaris rei curam suscepit, aliquosq; milites parum sibi idoneos uisos, in ordinem redegit. Nouum delectum militum faciens, quem frequenti exercitio ac usu agilem ad rem militarem instituit: instrumenta rustica in machinas conuertit, & frequentes hinc uictorias assequutus est, unde & trophæa statuit. Et quum triumphum ex Berrœa ageret, Byzantio spolia illa intulit: in quibus etiam partem uenerandæ tunicæ diui Iohannis Baptistæ adferebat, iussu reginæ & eius literis accersitus. Veritus autem ne Bringa ipsum regno inhiare suspicaretur, mira arte hominem elusit. Vno enim famulo comitatus, cubiculum eius adijt, Bringam familiarissimè compellans, ac iusiurandum afferens, se pridem religioni addictum, cordi esse sibi uitam solitariam, quam dudum elegisset transigere, nisi quædam singularis imperatoris obseruantia, & Principum suorum affectio hactenus impediuisset. Et ut plus hominem falleret, cilicium uestem hirtam corpori adhærentem, alijs splendidioribus obtectam, ostendit, moxq; ad pedes se submisit: testatus nulla se cupiditate regni, nulla ambitione teneri: sese quàm primùm rebus paternis abdicaturum, & uastam quandam solitudinem ingressurum, ut religioni & soli Deo inuigilaret. Ac sic petita uenia, domum in Cappadociã est reuersus, eluso præfecto cubicularij Bringa. Quem mox pœnituit, ubi astum hominis intellexit: omni studio enixus, ut hominem è medio tolleret. Subitò literas ad præfectum Iohannem Zimisce, qui exercitui præfuit in Oriente, mittit, & ad præfectum Romanum Curbicam Orientis prætorem, & in re militari uirum insignem, ut hominem comprehensum uel necarent, uel quoquo modo è medio tollerent: pro mercede accepturi honores longè quàm nunc habeant maiores. Zimisces domesticus scholarum futurus Orientis, Romanus domesticus scholarũ Occidentis, uterq; literas Phocæ ostendit, eumq; adhortantur, ut regnum adeat: qui uehementer hoc recusabat, quòd impotens esset, & uiribus impar: siue id fingeret, siue seriò faceret. At illi strictis ensibus comminati sunt mortem, nisi imperium arripiat. Ita ui pene coactus, imperatoris nomen accepit, ab uniuerso Orientis exercitu Imperator consalutatus. Ferunt etiam Theophanen reginam, quam haud uulgariter Phocas adamauit, eum conuenisse, iuxta Megalopolim, & ad suscipiẽdum imperium instigasse. Nam ea tempestate Stephanus rex Lacapeni filius in Lesbo iuxta Methymnam seruatus, suspectus erat, ne imperium arriperet. Ob id nulla manifesta causa mortuus est. Suspicio in imperatricem Theophaniam cecidit, quòd eius opera esset è medio sublatus. Mortuus est & sub id tempus Bulgarorum dux Petrus, qui post defunctam coniugem suam fœdus cum Romanis initum renouauit, datis obsidibus filijs duobus proprijs, quorum alter Barizes, alter uerò Romanus appellabatur. Sed post eius obitum liberi permissu Romanorum in sua reuersi sunt, & paterno in dominio successerunt. Vnius dein ex optimatibus inter Bulgaros quatuor liberi, Dauid, Moses, Aaron, & Samuel, defectione Bulgaros commouerunt, ut inferius latè patebit. Romanus Imperator uxorem habuit Theophanen, ex qua duos filios Basilium & Constantinum progenuit, ac filiam Theodoram, quam Iohannes Zimisces Imperator post Nicephorum uxorem duxit, ut paulo inferius patebit. Hæc ex Zonara, & quibusdam alijs Annalibus excerpsimus.

NICEPHORVS PHOCAS.

Hic Nicephorus Phocas, filius fuit Phocæ, qui Bardas cognomento dicebatur, quem filius postea Imperator factus Cæsaris dignitate honorauit: nepos illius Nicephori Phocæ, qui à Basilio imperatore contra Sarracenos in Siciliã irruentes missus est, ut in uita Basilij scripsimus: uir æqui seruantissimus, ac pius. Cumq; eos repressisset, paulo pòst reuersi, & Siciliam & Calabriæ magnam partem occuparunt. Nicephorus autem hic Imperator ab exercitu acclamatus, & literis reginæ accersitus, ubi Constantinopolitanæ urbi appropinquabat, fama præcedente, Ioſephus Bringas cubiculariorum præfectus in urbe tumultum excitabat. Phocas Bardas pater Imperatoris in Ecclesiam magnam confugit, Leo alter eius filius elapsus urbe ad fratrem uenit, quæ res cubicularium incertum ancipitemq; consilij fecit: quippe cùm esset inaffabilis, facilè omnium odium commeruit, qui eum deturbare imperio optabant, ut ad alium deuolueretur. Ob id magnus in magnam Dei ædem concursus factus est. Et cùm decuisset Bringam comi sermone populum ac plebis multitudinem demulcere, uerborum asperitate magis exacuit, dicens uultuosè: Ego mox quietos reddam, eorumq; tumultum sedabo, si uiuam. Tum uerò maius odium incidit uendendo frumenta, pro quibus iussit ementes pecuniam in suum recondere sinum. Basilius, qui prius cubicularius Bringę fuerat, ampla custodia munitus, hero suo satis infensus, armatis suis famulis noctu per urbem discurrit, Nicephorum Phocam Imperatorem acclamat, aduersarios ferit, multitudine plebis sibi adiuncta, triremes adornat cum suis Chrysopolim profectus, ut Nicephorum deducat: qui septimo die in urbem delatus, magnifica pompa in summam Ecclesiam ingreditur. In quam paulo antè cõfugerat Bringas, fortuna mutata miserabilis. Et Bardas cum lætitia filio obuiã egressus est, qui prius in ea latuit. Hic Nicephorus insidias sibi à Bringa subornatas populo detexit, & merita sua in Rempub. copiosius enarrauit. Quæ res effecit, ut ab omnibus acclamaretur Imperator. Tum Patriarcha Polyeuctus diademate Nicephorum astante populo insigniuit. tum Ioseph Bringas cubicularius in Paphlagoniam exactus est, & biennio pòst è uita migrauit. Regina Theophania palatio depulsa, in Petrium deducta est. Sed paucos post dies eã rex sibi cohabitare fecit: & cùm nuptias celebraturus esset, à Patriarcha à limine templi arcebatur, quòd ferebatur cõpater fuisse in lauacro Christiano liberorum Theophaniæ. ob id Patriarcha illi ædem sacram interdixit: aut diuortium celebrare cum Theophania, quam deperibat, iussit. Res hæc ad sacerdotes primores ac maiores natũ delata est, qui hac de re legem latam Constantino Copronymo adscribentes, nihil prorsus momenti afferre oportere dixerunt, talis præsertim uiri legem. Et omnes unà concessionem scriptis expressam, hac in parte imperatori præbuerunt. Patriarcha obstinatus in proposito suo, flecti non potuit, quoad Principis genitor Cæsar Bardas (hac enim dignitate filius patrem adepto regno condecorauit) iuramentum attulit, Nicephorum nunquam cum patrem extitisse liberorum Theophaniæ. Cæterùm auus regum Stilianus huius rumoris autor fuisse perhibetur, qui has libenter dirupisset nuptias ob eius nepotes. Sed res acta erat, & Patriarcha à sua sententia cessit, & Nicephorum admisit ut nuptias concelebraret. Interea bello imperium extẽdere cogitauit: ac primùm Saracenos aggredi, qui Romanorum perpetui hostes fuerant, statuit. Erant tamen in Sicilia & in Cilicia Saraceni. Cũ ijs qui in Sicilia erant, conditiones annui census sunt constitutę. Nam cùm olim illis nemo resisteret, Eustatio Calabrię duci tum Romanis subiecto, mandatũ fuit, uti fœdus annui cẽ-
218 sus cõditione cum Saracenis iniret. At cùm post hunc Iohannem Patriciũ, Muzalona ducem item Calabriæ interfecissent, Imperator Cosmam Patriciũ cum exercitu

exercitu misit, qui cum Pandulpho partem Calabriæ tenente conuenit, ut de communi sententia desisteret, ac partes Constantinopolitani sequeretur. Pax post hæc in Italia subsequuta non diu durauit, iterum atq; iterum tumultuante Sarraceno. Nicephorus itaq; indignè ferēs iuxta uetustas conditiones Romanos tributarios esse Sarracenorū, ac intolerabile existimans se imperante Agarenos uectigal Romanos pēdere, commotus Manuelem patricium nothū ex patruo Leone (qui domesticus scholarū apud Romanum Seniorē cùm esset, tyrannidē affectans utroq; lumine priuatus erat) cum exercitu in Siciliam contra Sarracenos mittit. Qui ob iuuenilem arrogantiam simul & insolentiam ac rerū inscitiam, cum omni exercitu periclitatus interijt, atq; extinctus est. In Ciliciam uerò, ubi Agareni quoq; dominabant imperiosè, misit Ioannem Zimiscen, Orientis domesticū designatum: qui Adanan uersus profectus, cum Sarracenis congressus, ac potitus uictoria, gloriam quā in re militari habuit, auxit plurimùm ac dilatauit. Cuius gloriæ Imperator inuidit, & à militari primatu ad ciuiles administrationes locauit, Dromi Logotheten ipsum constituēs. Quod uiro forti & bellicoso indignum, & non honor, sed pœna uidebat: quam præterea auxit, quòd eum domi latêre coegit. Cui tamē uir prudens obtemperauit, expectās occasionem meliorē. Nicephorus idcirco secundo imperij anno magna manu in Ciliciam profectus est, comitante eum uxore sua cum liberis, quā apud Drizion (hoc em Ciliciæ propugnaculum est) reliquit. Ipse uerò Ciliciæ admouens, Anabazan ui cepit, Rhosum simul et Adanan Cilicum urbes, ac cū ijs arces ac munimenta multa. Tarso aūt & Mopsi aræ, ob hyemis appetentis asperitatem admouere commodum tum non censebat, uel Theophanię amore ab incepto retrahente, qua cum Cappadociam adijt, primo uere in Ciliciam reuersurus. Postquā redijt, Mopsi aram obsedit, & aduersus Tarsum fratrem Leonem cum exercitu remisit. Mopsi uerò aræ, mediū fluuio dirimente Sara, partem alterā eius obsidendo cepit: & qui in ea erant Agareni alteram in partem transfugerunt ultra flumen, desertæ illi ignem inijcientes: deinde & reliquū cepit, nemoq; illinc aufugit. Tarsenses hanc ubi acceperunt expugnationem, ultrò regem accersierunt deditione facta. Post triduum classis ex Aegypto auxiliatū Tarsensibus adnauigauit, quæ repulsa est à littore, & à triremibus Romanorum ac tempestate exorta maiori parte delata. Princeps Constantinopolim reuersus, portas Tarsi & Mopsi aræ, artis excellentiam testantes, secum duxit, quas in arce sua & ad Ortū & ad Occasum statuit: primitias quasi Deo suæ expeditionis attribuens, & Sophiæ delubro dedicans, quæ spoliata insignia attulerat. Est & Cyprus ab Agarenis detēta, per ipsum Romano adiecta imperio. Postea in Syriā profectus, plerisq; hic urbibus expugnatis, ac deuictis regionibus Libano & mari adiacentibus, Antiochiā peruenit. Quam cùm obsideret, ob cōmeatum & rerum necessariarum inopiam, qua milites premebant, simul etiam quòd Antiocheni uiriliter expugnarēt, & quòd perpetui imbres regionē profundo cœno replerent, coactus est urbē deserere, & ad superioris se regionis urbes conferre: afferens secum seruatoris nostri Iesu Christi effigiē, quam ex luto reperit in Hierapoli Syriæ, & in una cæsariē Baptistæ Ioannis sanguinolentā. Reuersus ex Antiochia Imperator ad Orōtem, arcē in monte Tauro ędificauit, quem montē Maurum illa tempestate multi nominabant. In qua Michaelem Burtzen reliquit, Patricia dignitate honestatū, & Mauri montis Imperatorē ipsum appellauit: præcipiens illi, ut Antiochenis quæcunq; posset, inferret mala. Ac Petrum eunuchum ex suis familiarioribus, uirum alioqui strenuū & fortem, & qui præesse scitè militibus potuit, exercitus ducem creauit, ut in Cilicia regionem ac locum daret exercitui ubi hybernaret. Ipse deinde Imperator Byzantium redijt. Burtzes itaq; ex præcepto regis continuò erumpens, infestabat Agarenos in Antiochia, conatus urbe potiri, quò sibi gloriā pararet. Clàm altitudinē turris unius emēsus, scalas lōgitudine ęquales quadā hyberna

& tenebricosa nocte turri admouit,& cum xxx.electis militibus nemine sentiente trucidatis custodibus,occupauit:mittēs ad exercitus ducem, auxilium rogauit. Qui ferre suppetias recusabat,quòd uaticinio quodam ferebaꝫ,post Antiochiæ expugnationem regis mortē subsequuturam. Et idcirco regem prohibuisse ferūt,ne Antiochię prorsus admouerēt. Cæterùm dux exercitus anceps et dubius,in diuersas trahebatur sententias.Hinc eñ regis mandatum obuersabatur,illinc cędes Burtzę & nobilissimorum triginta militum.Satius igitur duxit,ne sineret tã egregios ac strenuos uiros perire,& moto omni exercitu Antiochiæ admouit.Tum Barbari uidentes turrim captam,& urbem obsessam,expassis manibus uitam orabãt. Qui uerò in turri cum Burtze erant, ex ijs suppetijs animos uiresq; resumpserūt.Burtzes securi clausira portarum confringēs, duci exercitus facilem prębuit ingressum.Sic nobilis Antiochia,nullo labore, leui negocio,Romanis est subiecta.Quod ægreferens Imperator,tristicia affectus,duci copiarum grauiter iratus,Burtzę diligentiam & strenuitatem minus ꝓbauit:sed dignitate spoliauit,ac minis incessit,& domi ingloriũ latitare decreuit.Quod regē populo infensum reddidit, qui aliàs iam odio haberi cœpit passim,ut paulo inferius narrabimus.Turci,qui & Vngri appellantur,sub id tempus oras Thracię populabanꝫ, quod Nicephorus auertere nõ poterat:sed Bulgarorum principi scripsit,ne permitteret eis per Danubium transitum, ut Roditionis solum uastarēt, sed potius repelleret atq; arceret ab ijs regionibus. At Bulgarus nihili faciens eius petitiones:Olim(respondit) nobis illi hostes fuerunt,& cùm abs te auxiliũ rogassemus,distulisti. Vi coacti cum ijs fœdus pepigimus,quod nunc uiolare nõ cupis:& arma in eos mouere,qui nos bello rationabili ac iusto perdere, si facere uoluissent, tũ poterãt. Repulsam igitur passus Nicephorus,Sphendoslaum Roxolanorum principem excitauit contra Bulgaros,qui eorũ regionem magna parte deprędabatur,ingentem prędam inde abigens.Et anno sequenti reuersus,maiori calamitate Bulgaros infestauit. Verùm enimuero licet Nicephorus Romani fines imperij propagaret atq; extenderet,omnibus tamen fuit ob aliquas causas admodum odiosus:tum quod militibus,qui defectionis tempore omnem conatum ei præstiterũt,in quoscunq; inciderat,parum fuit gratus,æquè insolens in uniuersos. Quemadmodum neque domesticos atq; excellentes uiros ab iniuria militum tuebatur, sed omnia dissimulauit,quasi nihil commissum esset. In ciues pariter debacchatus, atq; in eos ipsos qui adiutores ei in adipiscendo principatu extiterunt. Tum etiã omnibus inuisus,quòd prętextu bellorũ quæ continuò agebat,nouis tributis atq; exactionibus subditos expilauit,parum discriminis inter militem & hostem faciens.Senatui donatiua subtraxit, indigentiã causatus ob crebras ac uarias expeditiones. Sacris item ædibus,& in locis Deo dicatis, suos annuos reddituś imminuit:& nouo decreto,ne immobilibus bonis ecclesiæ ampliarẽtur,cauit. Vnde antistites crebris suis prouentibus spoliati,rei diuinæ,sicut debebant, solitam operam nõ præstiterunt.Et eò tandem episcoporum facultatem transtulit,ut defuncto aliquo episcopo,in uiduatam ecclesiam aliquem regium ministrum mitteret, cui necessarias tantum expensas admodum tenuiter erogauit, reliqua conuertens omnia in suum usum.Sic et in prouincias descriptores censendis pro capitibus misit, qui per phas & nephas subditis graues imposuerũt exactiones, præteritis ne pauperibus quidem. Copiasq; ac ordines militares perturbauit,terrestres in naualem militiam,ac nauticos in pedestrem ordinem annumerando ac confundendo. Decretũ insuper sanxit,in prælio desideratos pari honore cum martyribus uenerãdos. Sed patriarcha & episcopi & senatorij ordinis plericq; generosè restiterunt & decretum illud antiquarunt. Auariciæ fuit tam inexhaustæ,ut numismata corrumperet,& pondus cõsuetũ immi nueret,adeò ut redditus ponderosiore nummo,erogationes aũt siue expensas leuiore faceret.Sic plericq; in paupertatem redacti,principi infensi, cupiebãt à

tyran-

tyrannide liberari: potissimùm cùm iam cœpisset regiam magno muro circundare, in cuius structuram magnas effudit opes. Intellexit enim quodã oraculo sese in regia interfectum iri: ob id hanc muniuit quantũ potuit firmissimè, licet frustrà, ut paulo inferius liquebit. Ciues enim hinc cõtristati, tyranni receptaculum iudicabant, non regiam, magisq; in regis mortem inhiabant. Accessit ad hæc, quòd cum quodam die festo, cùm Imperator ad ædem sacrã progederet, inter Armenios & Nauticos quędam concertatio est orta, in quam ciues inter mixti, tandem magnã cędem hominum excitauit: adeò ut primùm cõuicijs ac ignominia Imperatorem incesserent, dehinc lapidibus prosequerent, quòd nõ sua autoritate rem tantam cõposuisset. Et nisi à quibusdam fuisset in regiam deductus, mala esset passus. Id ulterũ sese minatus facinus, in hippodromo, cùm in theatrũ armatos introduxisset ueluti præliares copias formulam hostiũ populo ostendens: plebs uidens milites stringere enses, ex fama præcedente principis iram cognouit, quę iã longè lateq; diuulgata erat, putãs re ipsa uelle eam exequi, diffugere cœpit. Interq; fugiẽdum magno impetu in theatri exitu multitudo cõculcata est, & inuicem collisi non pauci perierunt: perituri multo plures, nisi rex immobilis in sua sella fixus permãsisset. Cognati proculcatos & oppressos uidentes, in regem indignati conuicia iecerunt. Et cùm se in regiam occlusisset, quã firma custodia munierat, malum quod metuit magis auctũ est, omnibus odiosus. Neq; quicquam adiumenti attulit ei munitio, tantis consilijs extructa, quam infringere & domestici & intrinseci moliebãtur aduersarij. Indies enim eius odium augmentatum est in populo uniuerso. Nam cùm terræmotus huius principatu horrendissimus fieret, quo multæ ciuitates concussæ sunt, Maio sequenti crudeles exorti uenti, pullulascentes destruxerũt fruges: & hinc grauis sequuta est fames: quã in suum lucrum Nicephorus conuertit, maiore precio frumentum uenditans, & egentibus multo carius distribuẽs quàm cęteri mercatores. Vnde populo magis execrabilis fuit: non imitatus Basilium Macedonem Imperatorem, qui in simili penuria munificentiam ostendit liberalissimè. Progressus enim olim de more ad Apostolorum ædem sacram, ciues quosdam tristitiã ac mœrorem præferentes conspicatus, mœsticiæ causam rogauit. Qui intrepidè Imperatori, ô domine (responderũt) quid ni tristemur, qui mortẽ nostram ac liberorum præsentem oculis uidemus, quum duos modios frumenti aureo uno mercari cogimur: & cùm iam pecunia deficiat, nunquid propediem deficiet & uita? His auditis rex ingemuit, & pecunijs mœrorẽ dissoluit. Tum eos qui ciuilibus præfecti erant negocijs, quòd tantæ indigentiæ eum non fecissent certiorem, magistratu amouit, ac dignitate priuauit. Econtrariò hic Nicephorus, non modò non miseratus afflictos fame, sed cauponariam exercens, quæstum undiq; inquisiuit: & calamitati insultans, famis ulcera lancinauit. Vnde & odium ingens cõmeruit, & inuidiam sibi cõparauit, populusq; in eum scõmata iecit: quemadmodũ dignus erat, qui ab omnibus derideretur. Cùm enim nouus quondam cõscriptus esset exercitus, quem rex de more lustrabat, uidens canum quendam militem iam emeritũ & nimio senio confectũ: Cur, inquit, ô senex ita uiribus destitutus, audes te in militiã adscribere? Cui ille generosè admodum extemplò respondit: Multo sum robustior (ò rex) atq; olim iuuenis cùm essem. Siquidem tum dimidij numismatis æstimatione frumentũ humero uix potui gestare, at nunc perfacilè duũm nummũm precio emptum attollo. Imperator irrisione intellecta, aliorsum se uertit. Quoniã Leo Imperatoris frater non leuius pressit populum & regionum incolas, cauponariã & ipse exercens: unde & ipse inuisus erat plebi. Theophania præterea uxor regem odio habere cœpit, liberis suis metuẽs, quos intelligebat clàm Phocam uelle emasculare, ac prolificis membris orbare, ac Leonem fratrem suum successorẽ instituere. Iam enim eius cõsuetudine abstinuit, uel satiatus amore, uel proposito cõtinentiæ, cùm ne iuuenis quidem satis prõptus in amores fuisset.

Ob id

Ob id indignata in colloquium uenit cum Ioanne Zimisce, quo cùm fertur adulterij consuetudinem habuisse. Nam ob decentem formam & speciem gratiosam illius amore capta erat, rata etiam facilè inimicum Nicephori posse concitare, quẽ sua dignitate priuauit, & ob id regi meritò infensus fuit: qui coegit eum domi latêre, quod tanto uiro grauis pœna erat, & ob id ira in regem exacerbatus est. Sic igitur fœmina meretrix facilè persuasit concitato tyrannidem inuadere, cùm talem haberet adiutricem: & ut prouerbio dicitur, Globum per præceps impulit. Cùm itaq; cõsensissent Ioannes Zimisces, habuit & alios quos læserat Nicephorus, Michaelem Burtzen, qui etiam ira exasperatus erat in regem, ob causam superius scriptam. Cum quo & Leo Amalantes, & Theodorus Niger (sic à colore corporis nominatus) & Zypodeodorus cum duobus alijs intrepidis, qui omnes nocte intempesta lembis mare ingressi, meridiẽ uersus prope regiam ad locum qui Bucoleon pastorali nomine appellatur, quòd marmoreus illic leo exculptus fuit qui bouem inscendit similem, & sinistro pede continente cornu ipsius, ceruicem bouis contorsit. Eò cùm peruenissent, sportam uident demissam exalto, per quam ab ancillis Theophaniæ sursum trahuntur. Subeunt itaq; cubile regium, quod eis Theophania aperuit: & sapore oppressum ac humi dormientem offendũt Nicephorum, quem calce quidam impetens excitauit. Cùm itaq; experrectus caput attoleret, uulnus letale accipit, quod & corpus & animum eius concussit. Tum Zimisces lecto regio insedit, ac Phocam conantem plura loqui, & quur malis afficeretur rogantem, manubrijs ensium in maxillos ferire iubet ut dentes excutiat. Quidam à tergo hastam per dorsum eius traiecit, ut ferrum per pectus egrederetur. Tumultuq; & clamore exorto inter cubicularios ministros (iam insidiarum noticia detecta erat) caput regis occisi per fenestram, corporis custodibus demonstratur: quo uiso, impetus sedatus est. Frater regis Germanus Leo cum filio Nicephoro in ecclesiam confugit magnam, audita Imperatoris morte. Qui septem & quinquaginta annis uixit, è quibus sex annis ac totidem mensibus Rom. præfuit Imperio. Alij decẽ annos imperasse narrant. Ferẽ tradito sibi libello, in quo cõiuratio hæc & coniuratorũ nomina scripta erant, ut sequentẽ noctẽ caueret, operã non impendisse ut legeret, alioqui mortẽ effugisset: sed ita fortè fatũ uoluit. Scribũt aliqui hũc olim à ciuibus expulsum per factionẽ, legatos ad Othonem dũ immoraretur Italiæ misisse, ac impetrasse ut restitueretẽ per Othonẽ I. patre imperante. Cui sororẽ (uel ut alij tradunt) priuignam uxorem concessit, Theophaniam nomine, quam Ioannes Pont. Max. Romę coronauit, & Othoni copulauit. Alij uerò hanc fuisse neptem Ioannis Zimisces referunt, ita uariãt autores. Hæc ex Ioanne Monacho siue Zonara, & alijs excerpsimus.

IOANNES ZIMISCES.

MORTVO Nicephoro, Iohannes Zimisces imperio potitus, insignis antea militari laude, occupata regia, quò sibi firmius pararet imperium, Romani iunioris Imperatoris filios, Basilium & Constantinum consortes imperij asciuit (licet adhuc essent pueri) ipsorumq; sororem Theodoram matrimonio sibi copulauit. Quamuis alij tradunt opera cubicularij Basilij, Theodoram filiam Constantini Porphyrogeniti uxorem duxisse. Cubicularium aũt Basilium, quem Phocas præsidentis dignitate tum noua honestauerat, domesticæ prouisioni, ueluti uersatum communibus in rebus, præfecit. Cæteros uerò Nicephoro deditos, aut beneuolentia astrictos, è medio sustulit. Leonem Curopalaten & eius filium Nicephorum in Lesbum relegauit. Bardam uerò in Amassam, Theophaniam uerò in Procõnesum. Damnatos aũt à Nicephoro exilio reduxit: inter quos erãt episcopi, q edicto subscribere noluerũt, in quo sancitum fuerat, ne quis sine eo antistes constitueretur. Cùm autem magnam

gnam ecclesiam accepturus coronam peteret, à Polyeucto patriarcha prohibitus, tanquam cæde pollutus, placidè illud ferebat: fassus authores cædis Imperatoris Amalantem, Leonem & Atzipothrodon, Theophania procurante. Iussoq; itaq; percussores regia pellere, atq; exilio damnare unà cum regina, ac edictum contra præsules rescindere, pœnitentiam iniunxit, ut quas priuatas opes possideret, egenis dispartiret: quæ omnia sese facturum recepit. Et omnibus ijs factis, natali Christiano Seruatoris nostri festo, in magnam ecclesiã progressus, diademate coronat̃, & Imperator publicatur. Trigintaquinq; diebus pòst Polyeuctus mortem cum uita cõmutauit. in eiusq; locum suffectus est monachus quidam Basilus Scamandrenus: qui quadriennio tantum in sede patriarchali permansit, quibusdam criminibus accusatus, per synodum est depositus, et Antonius Studetes patriarcha electus. Sub id quoq; tempus mortuo episcopo Antiochensi, Imperator Iohannes Theodorum monachum episcopum substituit: qui olim præsagiebat eum futurum Imperatorem, modò non ui arriperet, neque nimium festinaret, sed diuinitùs concessionem expectaret. Hic adeptus pontificatum, ab Imperatore rogauit, ut Manichæos, qui sua detestabili hæresi multos corrumpebant, ex Oriente in Occasum transferret: cuius petitionẽ exaudiens Imperator, Philippopolim Manichæorum traduxit sectam. Bardas uerò Phocas Leonis filius, ex Amassa, quò relegatus erat, fugiens, cùm Imperator bellum gereret, ut paulo pòst dicemus, Cæsaream Cappadociæ cepit, complures sibi adiungens in societatem: ac imperij insignia sibi ascisceens, palàm tyrannidi ac imperio inhiauit. Sed à Duro principe, qui iussu Imperatoris contra hũc profectus est, Cęsarea excluſus, & à suis derelictus, qui ad Sclerum cõfluxerũt: à quo persuasus est Phocas, ut adiret regem ueniã petiturus. Quod cùm facisset, clericus factus, in Chium deportatur. Cùm iam in pugna Constantinum Charonta claua occidit, cõtumelijs ab eo affectus est. Cæterũ pater huius Leo Curopalates, cum altero filio Nicephoro è Lesbo in Thraciam cogitauit discedere, habens Abydi antistitem sibi coniuratorem: sed deprehensus, decretum tulit, ut oculis priuaretur unà cum filio Nicephoro. At rex Ioannes pietate motus, autori excæcationis præcepisse fertur, ne illos exoculare, sed metum tantum iniiceret, seruato uisu. Sed parum pietatis illius memores, pòst mortem Imperatoris iterum inhiare imperio conati sunt, multis in ciuitate & ipsa regia illis adhærentibus: sed ex conscijs unus rem detexit. ob id deprehensi, & in uinculà coniecti, incolumitatem pristinam amiserunt, oculis erutis pœnas dantes stultæ ambitionis. Sed nũc de rebus bellicis scribemus. Agareni sub hoc Imperatore ægreferentes priuari ciuitatibus, quibus iam tum spoliati fuerãt, undiq; coierunt, & fœdera de bello sociali percusserunt, Carthaginensibus ducendi exercitus primatum relinquentes. Hostili itaq; manu contra Antiochiã egressi, Daphnen urbem obsederunt, oppidanis fortiter illis resistentibus, ac regi obsidionem annunciantibus. Qui mox duci Mesopotamiæ præcepit, ut auxilio ueniret, & hominum colluuiem dissiparet: qui nullo labore Agarenos cõfecit, & Barbaros & illorum auxiliatores fudit, fugauitq;. Omnium autem grauissimum bellum gessit Imperator contra Roxolanos, cùm Bulgarorum regionem omnẽ sibi subiecissent, omnesq; eos unà cũ ducibus cõtra Romanos excitarunt: licet essent inter eos fœdera sub Nicephoro Phoca & Romano iunioꝛe firmata, ut superius latè patuit. Erant tum gentis Bulgaricæ duces Borises & Romanus, qui olim obsides apud Romanos fuerant: qui domi permanere maluerunt. Sed Callocyrus eos uanis promissis excitauit ac emolliuit, ut promissorum omniũ obliti, legatos etiã Imperatoris paulo insolentius tractarẽt. Quo circa arma in eos sumere coactus est Imperator, constituens exercitus sui ducẽ magistrum Bardã Durũ, quem Prętorẽ nominauit, qui frater erat iã mortuę nuptę. Mouere igit̃ copias Romanas iussus, cõtra Roxolanos, pgressus est. Quorum dux Splendoslaus re intellecta, Bulgaros armauit, sociosq; adhibuit Scythas,

thas,qui Patzinacæ dicuntur, & Turcos Vngros Pannoniam habitantes, qui exercitum trigínta myriadum collegerũt,ac Thraciam omnem depopulabantur. Quibus non audebat Durus congredí,nec manus conſerere,aut cominus pugnare,uiribus illis impar. Cęterùm militari arte & compendijs Barbaros de bellauit,ac ingenioſè eluſit. Primùm enim inſidias locauit, ſolosq; inuaſit Patzinatas, & ſcitè eos circumiens, ad inſidias deduxit: ac partim eos interfecit, partim uiuos cepit:dehinc cum alijs congreſſus,aliquandiu æqualis pugna,an ceps uictoria. Vbi uerò quidam è Scythis corporis mole & animi audacia uiſus haud degener,& ſocijs omnibus ſuperior,cernens Durũ principem equeſtrem ordines ſuos obequitãtem, atq; adhortantem ut animo præſenti eſſent, in illum irruit ſtricto enſe, ſed ob galeæ firmitatem lubrico, uulnus ut affectabat,non inflixit. Cui Durus tanto impetu plagam intulit in caput, ut Scytham mediũ ſecaret,ac partes diſſectę utrinq; ab equo decidereẽt. Quo facto,Barbari conſternati,in fugam ſunt conuerſi ſubitò. Quos Romani inſectati, multos trucidarunt,nec non paucos uiuos capiebant. Prohibuit enim nox imminens Romanos à perſequutione. Reliqui enim Barbarorum uulnerati grauiter, diſceſſerunt,& uictoria Romanis contra Roxolanos permanſit. Vere accedente,Imperator magnis copijs & claſſe inſigni contra Roxolanos egreſſus,legatos accepit Scytharum, qui explorandi gratia potius regi occurrerunt, quam ut à rege aliquid peterent: quod regem non latuit. Ob id circumducti per exercitum omnem ut ſingula contemplarentur,redire eos ad ſuos iuſſit. Ipſe uerò rex expeditorum peditum quinque milia, equitum quatuor milia aſſumpſit,ac Perſclauam magnam urbem uenit,uallumq; fecit. Quare Tauroſcythas in deſperationem adegit. Calocyrus autem omnium malorum primus artifex, intellecto regis aduentu,in Roxolanorũ caſtra aufugit:à quo certiores de Rege facti, conturbati quidem ſunt,ſed nihilominus contra Romanos caſtra metantur. Et cùm uelitares pugnas cũ ijs inciperent qui cum Rege aduentabant, non diu tamen reſtiterunt ijs,ſed fuga conſulentes uitæ,abierunt. Aliquando autem itinere illis intercepto,ne in urbẽ fugerent, diſſipati ſunt,nũc occiſi,nũc capti. Vbi autem Baſilio cubiculario duce integer exercitus, qui regem ſubſequebatur,aduenit: tum rex ualidius obſidioni incubuit, admotisq; ſcalis muri ſuperati,& portarũ cuſtodes trucidati, facilem ingreſſum exercitui præbuere. Vrbsq; Parſclauas à Romanis capta eſt, ubi & rex Bulgarorum Boroſis captus eſt:ſed neq; in eũ,neq; in Bulgaros Imperator deſæuit,cum Roxolanis ſibi rẽ eſſe aſſerens,Bulgaros magna clementia dimiſit. Sed cùm Scythę ad arcẽ confugerent,& ob loci difficultatem milites,ut à rege iuſſi erant,ad expugnandum non ſatis alacres eſſent,Imperator ex equo deſcendẽs,pedes arcem adijt, adhortatus milites ut ſeſe ſequerentur: qui uerecundia moti,arcem ceperunt: & inhabitantes partim occiderunt, partim ceperunt. Locato itaque præſidio,in urbem ac arcem rex Doroſcolam, quæ & Driſta uocatur,profectus eſt, captis in itinere ciuitatibus & caſtellis. Sphendeslaus autem Roxolanorum princeps ante hanc urbem caſtra metatus, ubi exercitus mutuò ſe aſpexerunt, ilico manus conſerentes, in multam noctem ancipiti Marte pugnatum eſt. Multi tamen ex Roxolanis capti,ac uulnerati: maior enim pars fuga in Doroſcolam ſe recepit. Rex ante urbem uallum ſtatuit, triremes Danubium cuſtodientes expectans,ne Roxolani aufugerent. Sphendoslaus,qui uiginti milia (ut fertur) Bulgarorum habens, ne contra eum inſurgerent, aut ad regem transfugerent, omnes uinctos fecit. Porrò ubi claſſis aderat, Rex urbem acrius obſedit. Adiacentes autem urbes legatos ad regem mittunt, ueniã precantur:uillas,oppida,caſtella,arces,ſeq; dedũt. Barbari in urbis obſidione ſtre nuiſſimè multis occumbentibus,ſeſe ſuaq; mœnia defendunt ac tuentur, quoad uitæ neceſſaria & uictus deficiens,animos frangeret militum. Ob id Sphendoslaus nocte quadam tenebricoſa cum duobus milibus e greſſus urbem pabulatum,

bulatum, in ratibus aduexit cõmeatum. Et cùm Romani sparsi iuxta fluuium id animaduertissent, plerosq; insequuti trucidarunt. Quod regem uehementer perturbauit, qui præfectis classis indignatus præcepit, curarent ne amplius illis copiam exeundi præberent, sub mortis supplicio. Sic deinde urbs diligentius obsessa est: quoties Barbari erumpebãt, aut capti, aut occisi sunt. Cùm itaque fame premerentur, ac nulla esset illis penitus spes cõmeatus inuehendi aut auxiliorum, pars noctu aufugere cogitauit, pars se Romanis credere, ac ad propria redire: alij aliud decreuerunt. Sphendoslaus omnes suos conuocans, milites adhortatus, ut honestam ac gloriosam mortem uitæ infami anteponerent, & iterum cum Romanis cõfligerent, ac salui aut euaderent aut occumberent. Multitudo dicto audijt: & manus conserere cupientes, ultrò se morti obijciũt, portis erumpunt, & Romanos aggrediuntur, diuersoq; euentu nunc Scythæ Romanos, nunc Barbaros Romani sternunt. Rex loci quo pugnabant angustiam conspicatus, utilem hostibus, suis incommodam, ducibus præcepit exercitum in planiciem subducere clàm, ut incunctãter succederet. Hostes arbitrati Romanos fugere inconditè, eos persequuti alacres adoriuntur. Vbi uerò spacioßiore in campo utraq; acies constitit, Romani terga uertunt, & pugna horribili cum Barbaris confligunt. Rex magistrum Bardã Sclerum cum suis cohortibus, ut reditum ad urbem Barbaris præcludat, tacitò præmittit. Prælium diu anceps et utrinq; æquale fuit: Romanus tamẽ Scythis superior, quòd in tempestanocte succedente, unicus eques apparuit Barbaris duplex aut triplex, nube exercitum obscurante: atq; ideo Barbarorum phalanges ruptæ, uictoriam Romanis exhibuêre. Erat dies pugnæ Diui Theodori martyris festa, cuius auxilio Romani feruntur obtinuisse uictoriam. Quemadmodum fœmina quædam religione ac castimonia uitæ insignis, Byzãtij pridie quàm est pugnatum, uisa est uidere in somnis: quæ Deiparam uirginem multis comitatam, audijt Theodorum martyrem alloquentem, ut Ioanni imperatori medijs in periculis uersanti succurreret, atq; ei præstò esset. Quod quidem insomnium mulier hæc religiosa pleriscp aperuit, qui diem obseruarunt, & post uictoriam imperatori annunciarunt. Qui Diuo martyri ædem circa Euchaneam celebrẽ extruxit, ueteri diruta, donarijsq; auxit, & eius corpus illuc locauit: urbisq; mutato nomine, Theodoropolim uocauit. Cùm enim utrinq; strenuè pugnaretur; & uictoria Romanis cederet, Scythæ in fugam uersi, urbem uident clausam, & iter à Sclero interceptum. In suburbana delati, capti, interfecti, uulnerati, conculcatiq; sunt & oppressi, adeò ut interfectorũ numerus haud facilè deprehẽdi poterat. Sphendoslaus penitus desperans, legatos regi mittit petituros ueniam, ut sibi ad sua redire liceat: ob quod gentem suam sociam Pop. Romano pollicetur, & quòd Tauroscytha deinceps Romanis legibus pareat. Omnibus à rege impetratis, Sphendoslaus imperatorẽ adijt, caput submisit, impetrauitq; ut Patzinatę Rhoxolanis transitum per suas regiones non prohiberent, & ut Romanorum socij essent: sed ne Danubium transirent, & Bulgariam popularentur. Confecto itaque bello Imperator Constantinopolim petijt, honorificè exceptus. Porrò Patriarcha cum omni clero, tum Senatus ac uniuersus populus occurrit, coronas offerentes, & quadrigam albis equis ducentes rogabant, ut Imperator currum triumphalem cõscenderet, & triumphaturus urbẽ ingrederetur. Sed ipse albo equo uectus, paludamenta regia quæ Bulgarorum Principibus detraxit, quadrigę imposuit, supraq; ea imaginem Virginis matris: ipse currum pręcessit. Et cùm in forum peruenisset, Borizen Bulgarorum regem insignibus regijs spoliauit, & magistrorum honore decorauit. Trophæa in templum Constantinopolitanum locauit. Nummos quoq; cum Seruatoris imagine ac sequenti inscriptione percussit, quod & sequẽtes Cæsares Græci imitati sunt. Talis autem est ea inscriptio: *IESVS CHRISTVS REX REGVM.* Sphendoslaus cum Rhoxolanis domũ rediens, in insidias Patzinacarum decidit, cumq; omnibus

suis est occisus. In Oriente interea populi omnes à Romanis deficientes, seruitutis iugum excusserunt, & uincula Romani imperij detrectarunt. Cõtra quos rex expeditionem assumens, alios ferro, alios ui, alios facili negotio iterum Romano subiecit imperio. Rediens dehinc iuxta Anabarzan & Podondum, terras cõspicatus & fertiles omniũ rerum, & populosas, percunctatus cuius nam essent: ubi comperisset esse Basilij cubicularij, ac partim à Nicephoro Phoca, partim ab alijs atq; ipso sibi donatas, ingemiscens: Durum, inquit, est eunuchũ publicis ijs bonis perfrui, quorum gratia multi strenui mortem oppetierunt, ac malè accepti sunt. Quæ uerba cùm ad aures essent delata cubicularij, ad insidias animum adiecit, letaleq; poculum construxit, non admodum potens, aut subitum, sed quod lentè uires corrumperet corporis: hoc pocillatori regis, quem largitionibus corrupit, regi propinandum dedit. Quo epoto, rex paulatim intabescens, mortem obijt, cùm regnasset annis sex, ac totidem mensibus: imperium relinquens Basilio ac Constantino, Romani Iunioris Imperatoris liberis. Hæc ex Zonara atq; alijs excerpsimus.

OTTO SECVNDVS

OTTO II. filius Othonis Magni & Adelheidis Burgundię regine, adolescens patre uiuente Aquisgrani rex est declaratus, & Romæ inunctus, à patre in Imperiũ ascitus. Ac illo ipso defuncto, denuò à regni proceribus confirmatus, & imperator acclamatus. Solus Henricus Baioariæ dux patruelis eius, quẽ cognomento Heyzilonem appellant, rerum nouarum cupidus, huic se rebellem opponit: quem tamen mox Imperator perdomuit, ac sibi subiugauit. In Lotharingia quoq; exciti motus: nam Raginerius ac Lambertus, Raginerij Montensium comitis filij, ad Peronã paternos hostes atroci pugna cõmissa occidunt: recuperatisq; opibus paternis, ad fluuium Axonam Buxide castello communito, Lotharingiam infestam Othonianis faciebant, cùm Otho imperator hac tempestate apud Sclauos esset occupatus. Sed reuersus, indignũ id ratus, ingenti coacto exercitu, Buxidem expugnat, soloq; adęquat. Euocatoq; ex Francia Carolo Lotharij regis Francorũ fratri, Lotharingiæ ducatum tradit. Vt is beneficiarius Cæsarum iureiurãdo effectus, fratrem regem, Francosq; minus respiceret: quæ res ut Germanos illi cõciliauit, ita suos ab eo alienauit. Lotharius certatim Francis nomina dantibus, coacto exercitu, tanta celeritate Lotharingiam percurrit, ut Aquisgrani Cæsarem nihil minus expectantẽ propè oppresserit. Aegrè Otho euasit: sed ut hanc eluderet ignominiam, delectu habito, Lutetiam infestis signis peruenit: suburbijs cõcrematis, agros populabatur. Sed eruptione ciuium, præsidijsq; nobilissimos fortissimosq; suorum desiderauit. In reditu uerò ad Axonam fluuium fortè imbribus intumescentem, tumultu iniecto, magnam impedimentorum partem amisit ex uorticibus aquæ dum trajicit, carpente nouissimum agmen hoste. Nam crudeli cæde fines Remensium, Lugdunensium, Suessionum, & Parisiensium euastauerat, solis templis ob honorem Dei immunitate concessa. Sed interuenientibus bonis sanctisq; uiris, ultrò citroq; commeantibus, ad colloquium cõgressi sunt Imperator & Rex Franciæ, armaq; posita. Carolus in Lotharingię possessione permãsit: sed angustioribus finibus quàm antea fuerat, descripta est. Nam haud mediocris pars hinc Agrippinensium, illinc Leodiẽsium ecclesiæ attributa est. Dehinc noui ducatus, comitatusq; instituti, ueluti membra è corpore diuulsi. Antuuerpia marchionatus sacri imperij à Germanis appellari cœpit. Compositis itaq; rebus in Germania cum Francorum rege Lothario pace firmata, imperator Italiam petijt. Sed prius Dalmatiam atq; Sclauoniam, ubi Græcorum erant præsidia, in suam potestatẽ redactas ac spoliatas oppressit, ac dehinc Romam

mam uenit. Hic ingenti coacto exercitu ex Germanis, Francis, Longobardis, ac totius Italiæ populis, bellum contra Græcos, qui Calabriam & Apuliam occupauerant, meditabatur. Has enim prouincias iure affinitatis ob uxoris suæ Theophaniæ dotem, ad imperium Romanum transferre conatus est. Et simul Sarracenis erat infestissimus, quos undiq; insectabatur. Sed dum arma mouet, infœliciter pugnat, uniuerso penè exercitu in fugam conuerso: & cùm Romanorum copię signa deseruissent, ad internecionem usq; sunt deletę. Si tum Grę ci uictoria uti nouissent, Roma totaq; Italia Græcis cessisset, quod olim Adherbal Hannibali obiecit. Otho imperator à suis desertus, ad littus fugiens, in naui cula trepidè cum paucis salutem quæsiuit: à piratis paulo pòst deprehensus, in Sicilią delatus est ignotus, cùm Cõstantinopolim perducere tentarent, suspicati eum fore Cęsarem: sed magnã pecuniam promisit, si ad littus Sicilię duceret. Sclauus enim quidam negotiator, qui Cæsarẽ nouit, pro eo pecunias ingentes pollicitus rem occuluit: & imperatrici ac episcopo Theoderico, qui rei euentũ præstolabatur, detexit. Ad littus cùm peruenissent piratæ, pecuniæ allatæ sunt. Quib. numerandis, cùm intẽti essent, imperator equo celeri cõscenso qui adductus erat, uelocissimè abijt, Romãmq; adijt, auro multo liberatus. Id quod poeta quidã nostri seculi carmẽ de instabilitate fortunæ cùm ederet, sic expressit:

Alter Oto dum bella gerit, de Cæsare factus
Mancipium uenale fuit: sed tempore paruo
Rursus ad imperium, Romanaq; regna rediuit.

Vtigitur ignominiã fugamq; ulciscereturm & irã euomeret, collectis dispersi exercitus reliquijs, Beneuentũ obsidet, oppugnat atq; incẽdit, totamq; urbem euastat. Sed dum incautè nimis Græcos atq; Saracenos persequitur, sagitta uenenata uulneratur. Romã rediens post paucos dies, siue angore animi, siue ueneno paulatim serpente, diem suũ obijt, x. imperij sui anno, honorificè in porticu basilicę S. Petri, labro porphyretico sepultus, quòd ingrediẽtibus ad lęuam cernitur. Alij tradunt, quòd in montem Garganũ secessisset, licet à Pontifice esset prohibitus, ut angelorum uisiones haberet. Sed quòd temerè sacratũ locum introijsset, fertur prostratus & cæsus mane cruentatus Romam cõmigrasse, & Benedicto põtifici reuelasse, dein ualido languore aggrauatum decessisse. Fuit hic Otto optimus princeps, & Romanę ecclesię defensor acerrimus, pacis bellicq; iuxtà studiosus. Victor in prælijs frequẽs: ab æmulis Rubeus Otho ac Sanguinarius cognominatus, à Sarracenis Pallida mors. Duas fertur habuisse uxores, Theophaniam Romani Imperatoris Cõstantinopolitani filiam, mulierem callidam & astutam, & Adalheidę imperatrici semper infensam, ex qua Ottonem III. genuit, Cęsarem & successorem, & Hugonem ducem Saxonię, ac Alasyam filiam, uxorem Alrami ducis Saxoniæ, qui postea fuit Marchio Mõtis ferrati, unde diuersæ sunt ortæ familiæ. Cœpta est autem Imperatrix Theophania haberi exosa primatibus, quòd dum exercitus Imperatoris in fugam uersus, omnibus pauore consternatis pro infortunio Reip. sola Imperatrix fœminea & Græca leuitate insultabat, quòd ab exercitu suæ nationis uicti essent Romani, uiri fortes & bellicosi ab effœminatis. Altera uxor è familia fuit Marchionum Austriæ, cuius nomen reperire hactenus non potui. Quæ Vtilhaidim peperit, uxorẽ Theoderici primi comitis Hollandiæ. Inuenio in Annalibus alias quoq; Ottonis filias: sed ex qua uxore, incertũ. Sophiã abbatissam in Gandersheim, Adalhaidem abbatissam in Quittelburg: Iuditham præterea, quæ primò uxor fuit Mesconis ducis Polonię, dehinc Bisetissai ducis Boemię, ac tandẽ Petri regis Hungariæ, triũ Principum coniunx. Fuit & Mechtildis Othonis filia, uxor Ezzelini comitis Palatini Rheni. Fuerũt Fridericus & Vdalricus duces Saxoniæ filij Othonis Secundi, à quibus postea descenderũt Comites & Principes Sabaudiæ. Hæc ex Sigeberto, Othone Frisingensi, Paulo Veronẽsi, ac nõnullis alijs Annaliũ scriptoribus excerpsi. Illud præterire nõ possum, quod in ue-

tustissimo scriptore reperi, Ottonem hunc Romæ instituisse insigne cõuiuium regiè acceptis Pontifice, episcopis & ciuibus. Et dum opiparè cibos apposuisset, armatos in formam coronę conuiuas circumstetisse, tum Imperatorem grauissimè cõquestum de ijs qui fœdus amicitiæ rupissent (quoties enim à Roma discesslit, toties pacem plerique uiolabãt) & iam decreuisse eos punire qui fidem nõ seruassent. Armati autem qui hoc conuiuium circumstabant, quosdam notatos è mensa ac cõuiuio (ut iussi erant) rapiebant, & capitibus truncabant. Cæteros accumbentes Imperator solatus, ut cũ lætitia pranderẽt, pluribus exhortatus est. Sed multi nõ sine timore conuiuiũ simulato uultu peregerunt, & paci dehinc diligentius studuerunt. Sed subiungamus de more tetrastichon:

Alter Otho Calabros latè tutatur, & omnem
Fortiter expurgat hostibus Italiam.
Dum nimis exultat, fortunam expertus utranq; est:
Nam qui uictor erat, æquore præda fuit.

OTTO TERTIVS.

OTTO eius nominis Tertius, Saxoniæ dux & dominus Lunenburg & Braunschuueig, filius fuit Othonis Secundi ex Theophania regina Imperatrice, cognomento Mirabilia mundi dictus. Quo pacto autem is imperio potitus sit, sic in Annalibus inuenimus. Defuncto patre Othone Secundo, à Germanis proceribus qui tum Romæ frequentes erant, cùm de successoris electione uarijs agitaretur contentionibus, magna sunt excitata certamina. Crescentius Nomentanus Cos. Romanus, qui urbis dominium per sese arripuit, suadebat à Romanis ac Italis imperium resumẽdum. Quidam Henricum Bauariæ ducem Henrici fratris Othonis Primi filium, futurum proclamabant Cæsarem, odio Imperatricis à filio eius imperium transferre conãtibus. Quam ob rem Henricus hunc Othonem puerum factiosè raptum in firma tenuit custodia. Nonnulli Othonem filium Imperatoris, tanquam legitimum patris sui & regnorum suorum hæredem, imperio præficiendum certabant: quòd recto stipite ab Othone Magno auo suo nepos descenderet. Hæc ut melior & potior sententia euicit, ut tandem Otto eligeretur: potissimùm ne res Romanæ magis turbarentur, quæ alioqui non satis tranquillæ fuerant. Nam summus Pontifex tũ urbe eiectus, in Ethruria exulabat. At Principes imperij de manu Henrici ducis puerum Othonem extorquentes, in regno collocarunt, & diademate regali cinxerunt. Cùm itaq; Otho rex adolescceret, & undecim ferè annis res Germaniæ componeret, Francus repetito bello Lotharingico, Viridunum oppidũ cum eius comite Gotofredo capit. Sed mox moritur, & Ludouicus Lotharij illius filius regno Francorum succedit, & annum omnino unũ regnauit: ultimus qui ex agnatione Caroli Magni regium nomen gessit. Carolus eius patruus Lotharingiæ dux, nõ satis Francis probatus, quòd Germanorũ imperio faueret, dum ex Lotharingia in Franciã ad ius regni capessendum ueniret, obuium habuit delecta manu Hugonem Capetum, factionis plus iusto ualidæ. Ad Landanum pugna commissa, cùm & uiribus & fortuna inferior esset, fugiens est obsessus, & tãdem cõprehensus, custodiæ mancipatus. Ita tertium stemma in solio locatur regio Francorũ. Otho imperator interea rebus Germaniæ compositis, ad imperialem benedictionẽ aspirabat: coacto q; ingenti exercitu, priusquàm Romam ingrederetur, Beneuentanos, Capuanos q; duces pacatos reddidit. Inde urbẽ petens, à Gregorio quinto summo Põtifice, consanguineo suo (fuit enim antea dux Saxoniæ Bruno dictus, filius Othonis ducis) benedictionem diademaq; imperiale accepit, paulo q; pòst ædẽ diui archãgeli Michaelis quæ in Apulia in Gargano monte sita est, uoti reus adijt, Romã reperens,

Impe-

Imperator sese mox per Gallias cõtulit in Germaniam. Post cuius discessum fe rox Pop. Rom. quòd Gregorium Saxonem natione & affinitate coniunctum Cæsar creasset Pontificem, urbe eiecit: qui cùm aliquandiu in Ethruria substitis set, Imperatoris auxilium petens, in Germaniam est delatus. Crescẽtius autem denuò consul confirmatus, Remp. arripuit: ac more uetusto ne quid detrimẽti Resp. patiatur, admonetur. Tum muros urbis ac mœnia instaurat. Molem Hadriani (quæ hodie castellũ S. Angeli cognominatur) ita munit ac firmat, ut longo tempore pòst Crescentij arx uocaretur. Otho imperator ira cõcitus, copijs coactis urbem petit, eamq; longa obsidione cingit: & ad eam rèdigit necessita tem, ut Pont. Rom. fame impulsus, patentibus portis Imperatorem reciperet. Intromissus in urbẽ Imperator, Ioannem pseudopontificem sede deturbat: oculis primùm, dehinc uita priuat, Gregorio restituto. Crescentium autem consulem ex fuga retractum, uili iumento auersè imponi iubet, & per urbem circumduci, paulatim membris detruncatis. Postremò ante urbem suspẽsus, mille uulneribus à militibus est cõfossus. Gregorius, ut Cæsari Germanisq; gratificaretur, & acerrimam de accepta à Romanis iniuria uindictam reciperet, seq; ulcisceretur, nouam fecit unà cum Cæsare Othone de eligendo à Germanis procerib⁹ rege sanctionem, formulamq; ac legẽ creandi Imperatoris, ut hęc electio perpetuò Germanis maneret, & ut è suo corpore Cæsarem designarẽt: quæ ad hoc usq; nostrum æuum permanet. Nominarunt autem Cæsar & Põtifex treis Germaniæ antistites Ecclesiasticos principes, quos imperij Archicancellarios esse uoluerunt: Moguntinũ scilicet, ut rebus Germanię: Colonienſem, ut Italię: ac Treuerenſem, ut Galliæ præesset, ac in ijs sua officia exercerent. His quatuor sunt additi seculares Principes, qui sua quoq; munia Cæsari exhibent, ipsumq; dominũ mundi esse fatentur: Saxonum dux, ueluti Protospatharius ensem prę fert, significans hunc esse fontem iusticiæ: Marchio Brandenburgensis cubiculo pręest, & uulgò Camerarius nũcupat̃: Comes Palatinus Rheni, dapifer: Bohemiæ rex, pincerna: corporis Cæsarei curam gerentes. A' quibus rex Romanorum electus, designatus Cęsar, ac futurus Imperator dicitur. Penes quos ius ac arbitrium est eligendi Regem, ne quis sibi Imperatoriam dignitatem ueluti hæreditariã uendicet, ut olim. Hanc formulam postea Imperator Carolus IIII. in bullam auream, quæ hodie extat, redegit, ac singula significantius expressit. Fertur hæc ordinatio incidisse in annum humanæ redemptionis millesimum primum: quę Gallis plurimùm displicuit, qui eam graui animo pertulerunt. Verùm quia (ut paulo antè scripsimus) regium stẽma Caroli Magni defecerat in Ludouico Lotharij filio, regia dignitate in Hugonẽ Caputium translata, contendere cum Germanis operæprecium non fuit. Ob odium itaque sanctionis creandi Cęsaris, Romanis Imperator inuisus, cùm iura regni & Ecclesię ad antiquum statum reformare contendit, remissius id agens in contemptum uenit: subito tumultu exorto, ac aliquot militibus occisis, in palatio Cęsar obsidetur: sed industria Henrici Baioariæ ducis & Hugonis Italiæ Marchionis simulato pacto eductus, Roma discedit. At uxor Crescentij consulis suspensi, quæ forma eximia cunctas Italiæ mulieres superabat, speq; regnandi Imperatorem ad amorem sui pellexerat, discessum eius iniquo animo tulit. Et quum reditum in Germaniam maturantem uideret, chirothecis miro ingenio affabrè factis, uenenum insuisse fertur uenefica mulier, & Cæsari muneris loco dedisse: quo paulatim intoxicatus ac consumptus, inter remeandum in Italia interijt. Milites Germani Imperatorium corpus cum imperij insignibus per Galliam in Germaniam detulerunt, crebris Italorum incursionibus lacessiti. Sed armis uiam sibi tutam præparantibus, ad Aquisgranum est tandem perlatum, ac imperiali pompa honorificentissimè sepultum, nullo relicto hærede. Sic Otto imperator decimonono imperij anno è medio sublatus est, paternæ auitæq; uirtutis æmulus: qui Christiana pietate Rempublicam iuuit et auxit. Viros eruditos &

amauit plurimùm, & excoluit: ingenuis disciplinis condigna salaria largitus. Nec minus religioni intẽtus, antiqua templa diruta reformauit. Monasterium illud Bauariæ Altach nomine, sub Arnulpho desolatum, reconcinnauit. Pragensibus per legatum rogantibus, Theodagum sacerdotem uirum dignum, et ab archiepiscopo Moguntino consecratum, antistitem dedit. Aemulis tamen & detractoribus non caruit, qui rhythmis incessere & libellis infamiæ eũ nota re conati sunt: qui circumferunturin ueteribus Annalibus, à quibus etiam Mirabilia mundi cognominatur.

Habuit autem uxorem Mariam de Arragonia, fœminam impudicam & sterilem, uirorum appetentissimam. Quæ secum habitu muliebri circumduxit iuuenem, quo cum cõgrediebatur quotidie: quandoquidem pro cubicularia utebatur. Quod cùm innotuisset Imperatori, multis astantibus Principibus iuuenis est spoliatus uestibus, & pro fœmina masculus repertus: uiuus dehinc combustus. Sed & Imperatrix cùm sępius uiros peteret quàm peteretur, amatore suo extincto, quum ab Imperatore ueniam meruisset, in Italia circa Mutinam comitem quendam elegantissimè formæ, sed uirum optimum, cœpit deperire, multisq; blanditijs conata est eum in sui amorem pellicere. Cui quum assentire nollet, falsis delationibus ab ea est apud Cæsarem accusatus, & pœna capitis damnatus. Post cuius mortem comitis uxor maritĩ innocẽtiam candenti ferro perpurgauit. Qua re commotus Otto imperator, uiduam multis bonis ac muneribus, quatuor insuper castris donauit: uxorem uerò suam exuri fecit. Sic condignam recepit petulantissima & impudicissima fœmina, suæ impurissimæ uitæ mercedem. Excerpsimus hæc ex Othone Frisingensi, Sigeberto, Abbate Vrspergensi, & ex uetustissimis Annalibus incertorum authorum, & Chronicis. Tetrastichon autem adijcientes:

Imperij normam regnandi ne fera rumpat
Seditio, regnum Tertius egit Otho.
Præsulibus tribus, inde duces treis addidit: ijs Rex
Arbiter annexus, septimus officio est.

Redeamus nunc uicissim ad Græcos Imperatores, Basilium qui Iohannem Zimiscen sequutus est, cum fratre Constantino describentes. Quanquam primùm Basilius, dehinc Constantinus regnarit.

BASILIVS CAESAR.

DEFVNCTO Iohanne Zimisce Imperatore, imperium est deuolutum ad eos qui iure hereditario succedebãt, id est ad Romani Iunioris liberos: Basilium, qui uigesimum ætatis annum impleuerat, & Constantinum, qui septimum & decimum agebat. Vterq; regijs insignibus est prius ornatus, ut suprà scriptimus. Sed omnis imperandi potestas Basilio cessit: qui in primis matrem ab exilio reuocauit. Sed sibi ab initio non confisus, cubiculario suo omnem Reipub. administrationẽ tradidit, eius præceptionibus ac monitis ueluti pædagogo parens, & in militaribus expeditionibus, & in ciuilibus actionibus. Licet ipse Imperator natura esset impiger, non ut frater languidus & effœminatus. Vbi uerò adoleuit, & cõtra hostes uictorijs potitus est, elatior factus, familiaribus sese formidabilem exhibuit, magis amãs eorum metum quàm beneuolentiam. Ciuilem ritum ac consuetudinem corroboratam, nõ ut legũ conditores scripserunt, sed pro suo arbitrio ac sententia exequutus: & legum professoribus & dicendi peritis non usus, quum ipsorum libros & orationes tanq; rem inutilem aspernaretur, indignis scribendarum epistolarum regiarum onus iniungens, quas ipse sępe dictauit. Hos enim consilio adhibuit, & rerum secretiorum

tiorum participes effecit. Auaritiæ studiosissimus, utpote qui ingentẽ auri copiam undiq; ex erarijs corrasit, & quęstum nouum ex omnibus sibi fecit. Tum deniq; omnibus prõptuarijs suis adimpletis, reliqua subterraneis cuniculis tortuosis instar labyrinthi effossis cõdidit. Arculas aũt omnes preciosis lapillis & margaritis adimpleuit, paucis seruatis quibus purpurã suam & uestes regias, quũ aut oratores audiret, aut festo aliquo interesset, adornabat: reliqua omnia in penu iacebãt recondita. Belli tẽpore erat uarius animo & diuersus. Pacis tẽpore cùm quietus esset, imperiosior iram occuluit, & secũ retinuit, quoad opportunitas esset effundendi, tum deprompsit & delinquẽtibus grauis fuit. Animo uerò cùm esset constanti & solido, semel decreta haud facilè mutauit, ob id indignationẽ concipiẽs contra aliquos minimè reconciliatus est, neq; facilè remittit, sed implacabilis remansit. Hæc de moribus, nunc de gestis eius loquemur. Principatũ itaq; suum à bello ciuili auspicatus est. Nã Bardas Sclerus quòd in re militari esset prestantissimus, à cunctis ob uirtutẽ adamatus, Oriẽtis prætor, suspectus est Cęsari uisus de affectato imperio. Cui monachus quidã spem iniecit illud acquirẽdi ex uisione qua in somnis uisus Sclerũ cuidam mulieri altè sedenti accedere, & ab ea scuticam regiam accipere manibus: quod pro suo captu interpretatus est imperium portendere, cùm potius diuinam iram significaret, ob rebellionem & sanguinis ciuium emissionem. Ob id Imperator cùm animaduerteret Sclerũ filium è Constantinopoli euocasse, præfectura Orientis exuit, & ducẽ Mesopotamię constituit. Quo maximè perturbatus, principatum illũ accipiens apertè defecit, & nihil cunctatus tyrãnidem arripuit. Ac primùm regis diademate cinctus, purpurea calceamẽta pedibus innexuit, assumptis socijs regibus Amydis, quos sua lingua Amyras uocant, & Martyropolis, atq; ipsos Arabas: à quibus Imperator salutatus, omnium studio atq; cura pecunias collegit, ijsq; adiutus contra Byzantium exercitum bona spe mouit. Imperator cum fratre id intelligens, quicquid erat exercitus regij, cuius dux summus Petrus Phocæ spado erat, contra rebellẽm misit Sclerum. Sed antea Nicomedię antistes legatus Cęsaris Sclerum persuadere conatur tyrannidẽ deponere. Cui cõmonstratis coccineis calceamẽtis: Impossibile (inquit) semel ijs indutum facilè abijcere. Atq; ideo necessariò ad pugnam utrinq; accinguntur acies. Et cùm iuxta Liparan, quæ & Licandon uocata est, aliquandiu simul conflixissent, regij strenuè obstiterunt: pòst in fugã uersi bona pars eorũ interfecta est, & ab hostibus castra direpta sunt. Deinde Romandũ populosam urbẽ ex accessione incolarũ Sclerus occupans, pecuniæ uim haud sanè exiguã ad se cõtraxit, deficientibus pleriscq;, de salute regũ fratrum desperantibus. Ob id Protouestiarius Leo cũ omni potestate, ut olim apud ueteres Romanos dictator à regibus mittitur: qui primùm pollicitationibus & precio desertores à Sclero auellere tentauit. Quod ubi non successit, nocte Sclerum obruit, & eius exercitum multis locis aggressus, & diuersum rapuit, multosq; captiuos abduxit, multos occidit. Quo metu perculsi qui amicissimi apud Sclerũ fuerunt, tyrannum deserũt, & ad Protouestiarij castra se conferunt. Sclerus illi mox obuiam mittit magistrum Michaelẽ Burtzen, & Romanum patricium Zarmiten, cum exercitu, quem uicit, fugauitq;. Tum ipse cum uniuerso exercitu manus cũ Leone conserens, uictoria potitus est: dux Petrus interfectus, Protouestiarius captus. Qua uictoria res Scleri elatæ, res uerò fratrum in desperationem actæ: potissimum quòd nauali exercitu Sclerus præpolleret. Cubicularius tamen regis instaurata classe, pugna nauali Scleri classem dissipauit, & certamine uicit. Et quũ in Bythiniæ metropolim Nicean (ubi erat Eroticus ille) uenisset, fame per obsidionẽ enecari oppidanos statuẽs, miro astu est deceptus. Nam frumẽtorũ granis substrauit copiã arenę, ut maximi acerui iudicarentur, captiuis copiã hanc frumẽtorũ ostentãs. Qua calliditate facilè impetrauit ab hoste, ut ipse cum suis quò uellet, liberè abiret. Milites itaq; cũ ad Megalopolim abduxisset,

Sclerus sese deceptum indignatus, ad Byzantium iter maturauit. Cubicularius fortunam Scleri nimiam exhorrescens, Phocam Bardam ab exilio reuocat, iuramẽto horribili astringit, ne unquam regno inhiare, néue contra reges quicquam moliri aut tyrannidem affectare uelit. Cæteris tamen magistratibus omnibus præficit, & dignitate magistri honorat, ubertim illi pecunias subministrans, omne bellum contra Sclerum illi demandat. Quod ubi Sclerus animaduertit, cum digno duce sibi rem fore cernens, circa Amorium uterq; dux cum suis ancipiti Marte pugnarũt. Tandem singulari certamine cõgredi, & de summa rerum depugnare statuerunt. Cùm itaq; Sclerus prior ense stricto in Phocam irrueret, qui ictũ declinabat adeò, ut summo mucrone equi quo Phocas uehebatur, aurem feriret atq; abscinderet: is rursus malleo caput Scleri uerberauit, ut uertigine occupatus, collo equi incumberet, cruorẽq; euomeret. Abductus itaq; ad puteũ, ut refocillaretur, & cruor abstergeretur, equus eius, qui Aegyptius uocabatur, & notus erat omnibus, sine insessore saltabũdus, peruenit in exercitũ, iuba sanguine defœdata, à militibus suis agnitus: qui rati uictũ ac cæsum, in fugam uertuntur. Quos Phocas insequẽs, partim cepit, partim occidit, multi uerò oppressi sunt inter se. Itaq; Sclerus suis destitutus, cũ reliquis ad Chosroen Babylonium aufugit: cui mox rex legatum misit, ipsum adhortatus, ne tyrãnidis affectatorem, et qui contra suũ principem arma sumpsisset, acciperet. Attulit quoq; nuncius ille literas ad Sclerum & suos, manu regis subscriptas, rerũ omnium oblíuionem pollicentes, si ab incepto desistere uelint, et regi deinceps parêre. Has ut uidit Babylonius, & Sclerum & legatũ custodiæ tradidit: & ita defectio Scleri desijt, sed non penitus extincta est. Nam occupato Basilio Imperatore in bello Bulgarorũ, de quo paulo pòst loquemur, cùm obsidionem Sardicæ, quæ Triaditza alio nomine dicitur, pararet, post tergum relinquens magistrum Leonem Melissenum: Conto Stephanus domesticus Occidentalium copiarum, ueritus si res prosperè regi cederent, ne & ipse & alij duces nullo honore haberentur, cùm per se res bellicas rex tractare nosset. Nam Bulgarorum regiones ingressus, omnes duces domi reliquit, cum nullo re communicata, quam moliebatur. Conto Stephanus itaq; regium conatũ infringere, et impetum intercipere meditatus, Melissenum tyrannidem affectare falsò mentitur: atq; ideo regi cõsulit, ut Byzantium acceleret, nec rem differat, nec regnum amittat. rex perturbatus, reditum populo indicit. Subitum hũc discessum Bulgarorũ princeps Samuel, quo cum rem habebat, ex montanis regionibus à longè contemplatus, quandoquidem cominus congredi non audebat, ratus metu hoc fieri, Romanos persequitur, ex insperato omnes perturbat, fugatq;: castrisq; potitus, & Augustali prętorio, ac Imperij insignibus. Rex uix Philippopolim incolumis fuga peruenit, illicq; Melissenũ, harum rerũ omniũ insciũm, reperit. Ob id in Conto Stephanũ excanduit, animo iraq; incẽsus solio exiluit, crineq; arreptũ & barba solo afflixit. Quod cęteri cõspicati duces Romani, regi irati sunt, quòd eos neq; cõsilij participes faceret, neq; rebus suis secretis adhiberet, sed insolenter incumberet, sperantes res omneis regi Mandrabuli more succedere, ut in Græco prouerbio dicitur. Congregati itaque in Charsiano, Phocæ Bardæ diadema imponunt, & Imperatorem salutant: quod omnibus desertoribus placuit, ac profugis. Ea tẽpestate Sclerus Babylone detentus, citra spem custodia elabitur. Nam Persarum regno à Sarracenis euastato, uir quidam Persa, Inagros nomine, dictis Persas demulcens persuadet, ut à seruitute Sarracenorum deficiant, seq; duce arma contra Sarracenos sumant. Sæpius aũt Chosroes Persis prelio occurrit, semper tamen uictus abijt. Quam ob rem desperatione (ut fit) à Romanis custodia detentis, opẽ consiliumq; petit, ex carcere eos liberans. Sclerum in primis rogat, ne offensæ memor, de belli ratione liberè dicat quid sentiat. Qui in primis bellum dissuadet, cuius exitus semper incertus est. Sed Babylonio instante, utpote uindictæ cupido, tandem annuit,

annuit, promittens se solis cum Romanis bellum obiturum. Nam plus tribus milibus, ergastulis detinebantur: qui omnes educti & armati, Sclero duce prælium cum Persis inierũt, ac deuicerunt. Redeuntes Chosroen tanquã Barbarũ declinarunt, uincula timentes, quæ prius experti fuerant, atq; ideo sese fugę cõmiserunt. Quos Chosroes magna hominum multitudine subsequutus, partim occidit, partim obruit, pleriscq; uiriliter pugnantibus & occumbentibus. Sclerus autem & qui cum eo erant, limites Romani imperij attigerunt. Qui audiens Phocam regem creatum, & tyrannide potitum, ad eum anhelabat, ut particeps & belli & principatus esset: dictæ inter eos conditiones, ut imperium regionum, ciuitatum, & gentium penes Phocam remaneret, si optata consequerentur. Sclero uerò attributa est Antiochia, Cœlosyria, Phœnicia & Palæstina cum Mesopotamia. Hæc pacta iureiurando sanctè confirmata sunt. Sclerus ijs fidens, se ad Phocam confert: qui eum mox regio insigni priuauit & habitu, ac custodiæ mancipat, exercitum eius arripiens, ut robustior ad tyrannidem occupandam fieret. Quod futurum sibi cùm auguraretur Sclerus, Romanum filium clanculum, ut ultrò ad regem reuerteretur, adhortatus est, aliquam sibi ex infortunio salutẽ quærens. qui benignè ab Imperatore acceptus, magistri dignitate cohonestatus est. Phocas uerò dein partem exercitus sub patricio Delphina mittit Chrysopolim, ipse cum reliqua manu abijt Abydum uersus. Confestim aduenit rex cum gente ad Roxolanorũ Curamone, ad Blandemirum principem ob Annam eius sororem, quem socium sibi adhibuit, ac facilè hostẽ superauit, Delphinan captum cruce sustulit. Postea Abydum abijt cũ fratre Constantino. Et cùm utrinq; acies in exercitu starent ordinatæ hostiliter, ac Basilius copias suas circũiens, cohortaretur ut strenuè pugnarent, Phocas equo celeri, frenoq; laxato in eum irruit, sperans eum inopinatũ occidere, ut hinc facilè ipse uictor euaderet. Sed multo aliter euenit. nã haud longè à suis progressus, equo delapsus, corruit, cùm in colle quodã equus eius caderet consternatus. Ipse humi tractus, letali uulnere cęsus, obijt: cuius interitum sibi Constantinus rex adscripsit, licet quidam eius corpus inoffensum repertum tradãt. Nonnulli uerò scribunt uenenum à Basilio subornatum, quod eius pocillator Phocæ tradidit, precio corruptus, quo interijsse putant. Mortuo itaq; Phoca Barda, exercitus eius diuulsus est, pars eius interfecta, pars uiua capta, detenti pro regis arbitrio puniti sunt. Nam multo austerior q̃ antea fuit, in omnes suspiciosus, & iræ inexorabilis fuit, cunctos timẽs. Ob id etiam cubiculario suo, qui prius omnia gubernabat infestus, ab administratione rerum publicarũ ipsum amouit, ut domi inglorius otiaretur: hinc exulem fecit, & eius acta rescidit. Aedificatiab eo templi plurima sustulit, eius domos ac agros diripuit: unde quasi infamię nota cõsperssus, membris defecit, ac miserè diem suum obijt. Hinc Imperator illo amoto, cognouit tandem quibus curis regni administratio egeret. mox regium luxum contempsit, splẽdido uestitu abstinuit, & omnes uoluptates abiecit: licet prius regia affluentia delectatus, nonnunquam amore caperetur, ludisq; & festiuitatibus ac cæteris delicijs oblectaretur. Vbi tamẽ administrationem regni suscepit, cõmunicatis imperij insignibus cum fratre lancearios illi haud ualde strenuos adhibuit. Quod ille facilè tulit, uita sese mollio re oblectans, ac delicioſa: uenationibusq; deditus, inter æquales nutriebatur. Sclerus Phoca mortuo, carcere liberatus, iterum tyrannidem affectauit. quem rex literis ut ab huiusmodi uecordia desisteret, admonuit, ne semper author esset bellorum intestinorum, & terram sanguine spargeret Christianorum. Senio itaquè confectus & uertiginosus, monitis acquiescit regis, & sese illi traditurus ad regis tentorium ducitur tremebundus senex, sed corpore procero ac prægrandi. Quem ubi rex aspexit inter duos firmatum ac obambulantem: Ecce (inquit) quem timueram, nutabundus adducitur & cæcutiens. Cæterùm ubi aspexit purpurea calceamenta Scleri (reliquum enim omnem imperatorium

ratorium ornatum abiecerat) oculos continuò auertit, nec illum alloqui dignatus, quoad exueret. Egressus itaq; cœnã, calceos abiecit: & iterũ ingressus, regem occurrentem sibi & assurgentem uidit: quem dextra primum, hinc mensa dignatus est. Hinc Curopalatæ honore ornatus est. Et ita Scleri tyrannis desijt. Qui eum sequuti fuerant, benignè à rege susceptí sunt: quibus possessiones & opes acquisitas, & simul dignitates liberè dimisit. Et ita bellis intestinis liberatus, & curis defectionum exoneratus, ab bella se externa abhibuit. Erãt post mortem Imperatoris Ioannis Zimisce quatuor fratres, qui regnum Bulgarorũ inter se partiuerũt, Dauid, Moyses, Aaron, & Samuel, qui κομητοπουλοι uocabantur, quòd filij erãt cuiusdam apud eos celebris à Cæsaris nomine dicti. Etenim ij soli ex regia prosapia reliqui fuerunt, unico Petri filio relicto, Romano uidelicet, qui exectus erat. Quatuor porrò fratrum Comitopolon Dauid breui diẽ obijt. Moyses uerò Serras obsidens, lapidis ictu perijt. Ipsum uerò Aaron Samuel uita priuauit, ut sibi soli regnum uendicaret: unico tantum filio superstite, qui binominis fuit, Aladislaus Iohannes. Bulgarorum itaque principatus in uno Samuele constitutus fuit. Qui Romanis copijs ciuili dissensione impeditis, occasionem nactus, Romani imperij Occidentales regiones omnes obiuit: non solùm deprædandi studio, uerùm etiam loca ciuitates'que subigendi. Cùm autem Basilius exiret ad ipsum repellendum, & subitò discederet (ut suprà scripsimus) Barbarus latè omnes regiones euastauit. Cõtra quem in Thraciam exijt Imperator, & in Thessalonicam profectus est, relicto illic uno duce ex insignioribus cum magno exercitu, ut obstaret Samuelis excursionibus. Byzantium deinde reuertitur, & in Iberiam uadit: ubi fratrem Dauidis Curopalatæ Georgium interioris Iberiæ ducem cõstituit: & ut suis contentus uiueret, alijs ereptis principatibus, filioq; illius obside accepto, in Phœniciam perrexit. Et Tripolis ducem, & Damasci, & Tyri, & Berytiæ, per pacta Antiochiæ ad Daphnen irruẽtes, & loca sub ea diripiẽtes repressit, & seruituti Romanæ subesse coegit, acceptisq; ex eis obsidibus reuersus est. Samueli aũt Bulgaro non solũ Thraciam & Macedoniã depopulanti, sed & Græciã atq; ipsam Peloponesum flãmis ferroq; uastanti, rex obuiã misit magistrũ Nicephorum Cæliũ Occidentis ducẽ, qui iuxta Sperchium fluuiũ (ubi eregionè Samuel castra habuit) exercitũ locauit. Erat aũt fluuius pluuia auctus, & ob hoc innauigabilis. Quocirca Samuel Romanorũ contra se conatum irrisit ac spreuit. Cùm autẽ nocte uado quesito, meabilis fluuius esset inuentus, nil tale suspicante Samuele, exercitus traductus, castra Bulgarorũ obruit. Samuel & filius eius uulnerati, capti fuissent, nisi cadaueribus cæsorũ sese immiscuissent, & deinde aufugissent. Postea rex superueniens, in Sardica arces subuertit, magnã Perschlauã ac minorẽ cepit, Borrœaq; ei tradita est, Drobomero ad Romanos deficiente. Cùm Imperator Budinon obsidet, Samuel resumptis uiribus, Adrianopolim cõfestim inuadit. Et cùm foris nundinales celebrarentur feriæ, merces omnes in prædã auexit, magna captiuorum abducta multitudine. Quem subsequutus rex, traiecto fluuio Axio, inopinantem obruit, tentorium Samuelis & castra Bulgarorum diripuit, multis cæsis ac captis. Samuele autem fuga elapso, Imperator Constantinopolim reuersus, nouam exactionem à potentibus, rerum consumptarum scilicet expensas (quod Allegangium uocabatur) decreuit: multis frustrà orantibus, & ipso etiam patriarcha rogante, ne id faceret. Sed inexorabilis fuit, utpote ex crebris iã uictorijs elatior factus, cunctos despexit, & sese inciuilem exhibuit. Præses Aegypti sub id tẽpus rupto fœdere, contra Romanos tẽplum in Hierosolymis, in quo Christi monumentũ est, diripuit, simul cũ monasterijs quæ illic sunt. Imperator autem occupabatur cum Bulgaris, quorũ terram depopulabat. Et cùm Samuel Romanis copijs resistere nõ posset, fossis & locis angustis ac munitiõibus sese includit, magnis adhibitis custodijs. Cũ itaq; Imperator frustrà sæpè munitionẽ expugnare conaretur, misit ducẽ qui à tergo

per

per loca montana clàm munitionem frangeret. Quod conspicati Bulgari, abiectis armis, solum quo pacto mortem effugerent meditantes, trucidantur, capiuntur q̃, Samuele aufugiente. Captiui quindecim milia adducti, omnes excęcati sunt, uno è singulis cẽturijs relicto monoculo, qui reliquos duceret: dehinc omnes iussit ad propria reuerti. Quos cùm Samuel uidisset, minimè sui cõpos, uertigine correptus, & animo deficiens, humi procidit. Paululum pòst ad se reuersus, stomachi dolore correptus obijt tertio die, fœdo spectaculo consternatus, unico relicto filio Gabriele, qui & Romanus dicebatur. Quem nondũ annum regnando implentem, filius Aaron patrui ipsius Vladislaus Ioannes interfecit. Sed antequã occumberet, dum Imperator deserta peragraret, arces & munitiones expugnaret Bulgarorum, missis nuncijs ad regem, seruitutem pollicetur literis. Quæ priusquam regi oblatæ sunt, & Imperatori prælectę, ab Vladislao ipsum interfectum ab alijs intelligit. Itaq; indignatus rex, Bulgarorũ regiones deprędatur, urbes & arces ui diripit, multis præstãtibus uiris è Bulgaris ad ipsum deficientibus, pleriscq; etiã trucidatis, pleriscq; captis. Vladislaus Ioannes Bulgarorum princeps, contra Dyrrachium mouit, & obsidione cepit, tribusq; pene annis occupauit: rege tum Adrianopoli residente. Ad quem è Bulgaris illustres aliquot accesserunt, dedentes oppida & arces circiter quinq; & triginta. Conuolabant ad eũ & alij Barbari sese dedentes. Vxor præterea Ioannis Vladislai Maria, præmisso Bulgarorum episcopo Dauid, tandem ad regem cum sex filiabus & tribus masculis peruenit. Nam alij tres filij fugitiui in montibus errantes, tandem ui coacti, adducti sunt. E quibus Prusianum, unum ex illis fratribus, magistri dignitate decorauit, reliquos patricios fecit. Subacta itaq; uniuersa Bulgaria, arces nonnullas cõmeatu & præsidijs firmauit. Ipse Athenas se cõtulit, sacrificio Deiparæ uirgini gratias agens, & preciosa donaria templo relinquens. Redijt deinde Constantinopolim, urbium principem, cum triumpho, uera corona seu diademate cinctus. Vulgus tupham nominat, quam typhen uocant alij: quòd superbos faciat eos qui ipsam gestitant. Procedens inde usq; ad diuæ Sophiæ templum, ubi gratias Deo egit. Illic patriarcha multis regem orauit, ut Allagangium tributũ, quod prius pollicitus erat si Bulgaros uinceret, auferret ac deleret, non impetrauit. Sub iugum itaq; Romanorũ Bulgaria missa, succubuerunt & gentes Chorbatorum, & qui etiam Sirmium habitant. Pòst hęc contra Abasgiam rex exercitum duxit, quod eius dux Georgius fœdus uiolasset. Qui cùm illic esset, defecêre à tergo Chiphias & Nicephorus Bardæ filius patricij. Celeriter tamẽ horum defectio extincta est, interficiente Chephia Phocam: sed & qui uinctus Constantinopolim est delatus. Imperator huiusmodi cura exutus, confligit cum Abasgis: acriq; pugna facta, multi utrinq; ceciderunt, & æquale aliquandiu & anceps prælium fuit. Rursum inito prælio, uincunt Romani. Abasgorum dux Georgius fugit: sed dato filio Pancratio obside, pacta recepit, ut cuicunq; uellent regioni Imperator præficeretur. Sic sunt ij populi subacti: cogitauit & in Ciliciam mouere exercitum, sed res non est sortita effectum. Iam enim in extremam senectutem uergebat, & morbis continuis affligebatur. Quibus mox defecit, cùm uixisset annos duos supra septuaginta, regnasset autem per se annum quinquaginta duos. Etenim ante reliquum tempus cum patre regnauit, pòst cum Phoca, ac postremò cum Zimisce, ut latissimè Zonaras in sua historia tradit. Sed subiungamus

& eius fratrem Constantinum, quem post se successorem reliquit.

CON-

CONSTANTINVS CAESAR

ONSTANTINVS Basilio fratri mortuo in imperio successit, eo paulo quidē iunior, sed moribus adeò remissis, ut per summā ignauiam & luxuriam, regnum turpissimè administraret, socors penitus, & uitæ ociosæ. Nihil enim publicarum rerum cum eo Basilius cōmunicauerat, nec participem administrationum habuit. Imperio itaq; potitus, adeò segnis erat, ut eadem qua prius uita uiueret, aliis onus gerendarum rerum iniungens, improbis scilicet & apprimè Barbaris, non probatis ac generosis uiris, aut qui facundia ac ingenio cæteris præstarent. Barbara em̄ mancipia circum se habuit, quæ cōparauit, & hinc euirauit: quos cubicularios & concubinos fecit, ac dignitatibus et honoribus, principatibusq; collocupletauit. In hos liberalis fuit, innumeras illis suggerens pecunias, cùm in alios parcus esset & sordidus, ipse totus uoluptatibus deditus, gulæ & Veneri obnoxius, uenationi mancipatus, ludos ac theatra ad insaniā amplexus. Præceps in iram fuit, quā produxit: non ut frater irascebatur, cùm facilè aliò uteret, & in ira multos puniret atq; excruciaret. Plures exertis oculis uisu priuauit, ratus leuiore pœna eos affecisse, qua illos inutiles prorsus & ineptos reddidit ad agendum quicquam. Porrò statura & mole corporis fuit prægrandi, mēbris robustis, sed animo timido. Hinc maluit Barbarorū hostium motus donis sedare, q̄ ferro & armis compescere. Subditos facili suspicione puniuit, & delatoribus aures sine iudicio præbuit: liberalitate abusus, qua iniquis gratificabatur. Sub eo Patzinacæ Scythiæ populi Istro trajecto, magnā Bulgariæ partē depopulati sunt. Quibus occurrebat Constantinus Diogenes Sirmij dux, Bulgariæq; princeps, qui eos abegit, ac ut quiescerent edocuit. Et cùm Bulgarij tributarij sub Basilio facti essent, & biennio tributa non pendissent, durissimè sunt sub illo, & citra misericordiam exacta. Erat tum caritas in uniuerso regno, qua pauperes corruerunt plures. Circa id tēpus classem Agarenorū contra Cycladas insulas enauigantem, Sami præfectus debellauit, nauibus duodecim captis, aliis sparsim fugatis. Duxit uxorē iuuenis, Alipij admodū locupletis uiri filiā: ex qua tres suscepit filiolas, Eudociā, Theodorā, & Zoen: quæ in regia enutriebant̄, defuncta matre. E quibus grandior natu Eudocia, pestilenti morbo pulchritudine corporis amissa, uolens Deo cōsecrata est. Reliquæ duæ apud fratrē manserunt, iam imperantem, segnē & negligentem: qui nullam honoris rationē illarum tum habuit. Sed cùm senio graui conflictaret̄, tabo confectus, de successore Imperij cogitauit. Constituebat itaq; Constantinum Dalassenum patricium cū una filia facere generum & hæredem, mittitq; in regionem Armeniorum illic mansionem facturum. Sed illo nondum profecto, mutat sententiā Imperator, & alium quendam uirum clarū genere, & illustri natū familia è Senatu elegit generū & hæredem, Romanum Argyropolū. Sed huic obstabat adoptationi, quòd præclarus ille uir consuetudinē cum quadam habuit fœmina, quā deperibat. Hanc ut ab eo auelleret, hoc cōmentus est Imperator: Iram asperā & uiolentam contra illū simulat, & lictores qui ad supplicium illum trahant mittit. Qui ipsius domū uiolenter ingressi noctu, concubinam rapiunt, & comā abscindunt, ac domo ejiciunt. Hæc cōmentum ignorans, coma desecta aliud uitæ genus sponte elegit, nigro indumento circundata. Romanus uerò ad regiam ductus, quasi iam passurus mortē, ueniam rogat, & supplex Imperatoris genibus aduoluit̄. Quam non concedit, nisi unā è filiabus sumat uxorē. Iunior natu Imperatoris filia audiens concubinā nolentē & inuitā à se diuulsam, illius coniugiū renuit. Altera eius soror Zoe hūc maritū accipit. Sic Cęsar est pronunciatus Romanus Argyropolus. Constantinus uerò triduo pòst est mortuus, septuagenario maior: cùm annos imperasset tres, uno mense minus. Hęc ex Zonara. redeundū est itaq; nunc iterū ad Germanos.

HENRI-

HENRICVS ROMAN▸ IMP▸ BAVARIAE DVX SANCTVS HVNGARORVM APOSTOLVS.

TTONE III. defuncto, cùm iam iuxta eius constitutionem, & formulam Gregorij Pont. Max. ab electoribus Cæsar & Romanorum rex foret eligẽdus, omnium penè uota in hunc Henricum Bauariæ ducem inclinarunt. Solus Heribertus Colonienſiũ archiepiſcopus, à cuius ore plerique pendebant, huic contrarius, inſignia regni uti tenuit: à quo hic uiolenter, quaſi ad ſe iure hereditario pertinerent, extorſit. Fuit enim hic Henricus filius Henrici ducis Bauariæ, dicti cognomento Hezelo, quod patria lingua per diminutionem ſonat Henriculus, à corporis ſtatura. Qui erat genitus ex Henrico Rixoſo, dicto fratre primi Ottonis. Nam cùm Otto Magnus fratri Hẽrico, quod & ſuperius ſcripſimus, Adalheidim filiam Arnolphi Mali ducis Bauariæ, qui filijs caruit, uxorem dediſſet, ex ea ſortitus eſt ducatum Bauariæ, & genuit Henricum Hezelonem. Qui ex Bertha filia ducis Lotharingiæ, hunc noſtrum Henricum ſuſtulit: principem illuſtrem, & moribus ac uitæ ſanctimonia præclarum. Qui literarum ſtudio oblectabatur ad ſobrietatem, à teneris in ijs educatus in oppido Saxoniæ Hildesheym, ubi pòſt Epiſcopatum inſtituit, donarijſq; & cenſibus decorauit. Poſtquã rex Romanorum eſt deſignatus, Henricum Marchionẽ, aliosq; ſibi rebelles comparato exercitu reddidit obediẽtes. quorundam autem aliorum Principum animis ſibi conciliatis, concordiam fecit: ac à Vuilligiſo Mogũtino archiepiſcopo inungitur. Dehinc quoſdam reguloſ gentilium, qui uulgò Vuindi, à noſtris Sclaui dicuntur, in Germania interiori habitantes, tributarios fecit. Bolizlaum etiam Boemiam poſſidentem, cum 219
omni Sclauorum gente ſubiugauit, & ſimiliter Poloniam debellauit, accepto gladio S. Adriani martyris, qui longo tempore in loco cui nomen eſt Vualdberch, aſſeruabatur. Hoſtes terribiliter perſequutus eſt, diuino numine cooperante (uiſi enim ſunt diui martyres Georgius, Laurentius & Adrianus, exercitum ſuum antecedere, & cuneos hoſtium diſſipare) Victis itaq; Barbaris, quæ futuræ paci prodeſſe poterant, firma pactione ſtabiliuit: Deo Optimo Maximo gratias, ueluti Chriſtianiſſimum regem decuit, egit. Epiſcopatus Merſeburgenſem, Madeburgenſem, Miſnenſem, & paulo pòſt Argentinenſem, qui incurſione Barbarorum euaſtati fuerant, auxit & locupletauit, redditibusq; ſuis denuò ditauit, ac etiam ædificijs collapſis renouauit, & in priſtinum dignitatis gradum pontificalem multis additis ornamentis reſtituit. Poloniam, Boemiam, & Morauiam tributarias fecit. Cùm itaq; pacatis hoſtibus Deo pacem ſibi largiente tranquillè degeret, ſine tamen prole (nam cœlibem caſta cum coniuge uitam duxit) prudenti conſilio habito, cum aſſenſu coniugis ſuę caſtiſſimæ, Deum omnium bonorum datorem hæredem ſuum inſtituere decreuit, cum filijs careret. Et in Babenberga nobilem epiſcopatum in honore ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, ac diui martyris Georgij erexit, prædiorum diuitijs & omni ornatus decore copioſiſſimè ditauit, ſanctæq; Romanæ eccleſiæ tradidit: unde & à multis pontificibus eſt priuilegijs, libertatibus, ac prærogatiuis dotatus, quemadmodum diplomata pontificum Iohannis, qui præſens ob honorem Imperatoris peragrauit Germaniam, & Babenbergam adijt, Clementis II. Damaſi, Leonis IX. qui etiam ſua præſentia hanc epiſcopalem ſedem condecorauit. Vnde piiſſimus Imperator inſtituit, ut quotannis albus equus phaleris adornatus Romano præſuli, tanquam huius ſedis defenſori, ab epiſcopo mittatur. Adiecit autem Imperator & duo monaſteria à dextris & ſiniſtris, quę funditus extruxit, alterum in honore S. Stephani protomartyris, alterum uerò S. Michaelis & Benedicti. Quę donarijs, cenſibus & prędijs ditauit, ut

uit,ut Deo continuò psallerent & preces funderent. Non ut ueluti porci saginati in latibulis uentri & penì seruirent. Voluit enim clemẽtissimus Imperator, ut hic episcopus cum suis subditis incursiones Barbarorum arceret,sacerdotes ac religiosos in regulari uita custodiret,& ueluti bonus pastor uigilaret. Inuidebat aũt omnibus actibus Imperatoris Bruno frater illius,Augustensis antistes. Qui quas potuit illi aduersitates ac iniurias intulit, aliosq; qui illi inferrent excitauit. Sororem insuper Giselam,de qua paulo pòst,adhortatus,ne sineret patrimonium suum distrahi,quod eius filio Henrico regi deberetur, multa commentus in detractionem pijssimi Imperatoris. Qui uindictæ non cupidus,pietate ipsum placare studuit. Tandem à Deo correptus,& nocturna uisione territus,qua membrorum usum amisit,positis machinationibus & occultis consilijs malis animum mutauit, fundationẽ Babenbergensis episcopatus,tot pontificum literis firmatam,in suo iure permisit. Augustæ in æde S. Mauritij à se extructa sepultus. Infestauit & hunc pientissimũ Imperatorem Theodericus frater uxoris suæ Chunegundis,qui ei rebellauit. Et cùm dux Mosellanorũ Theodericus, post fratrem suum Alberonem dato episcopatu Metensium filio suo adhuc puero,tutorem ei substituisset ipsum Theodericum,qui puero urbe exclusso & episcopatu usurpato,perperam multa gessit, bello uictum capit. Tum Henricus rex urbem Metis obsidet:qua penè desolata, tandem pacem firmat, & Adalberonem episcopum constituit. Gisela soror Henrici regis erat ea tempestate omnium formosissima, cuius pulchritudinem omnes principes ualde admirati sunt ea tempestate. Hanc sibi in uxorem expetiuit Hungarorum rex, specie illius captus: quam per nuncios & pictores excellentissimam esse cognouit. Quæ regem Hungarorum maritum aspernata, nisi abiecto idolatriæ cultu lauacro baptismi abluereturr,& Christum cum uniuersis suis subditis confiteretur. Accepit conditionẽ rex,& Stephanus est nouo nomine dictus, ut potiretur huius uenustissimæ puellæ matrimonio:simulq; uniuersum Hungarorũ regnum fidem Christi assumpsit. Vnde & hic Imperator Hẽricus Hungarorum est Apostolus dictus. Et cùm rex Stephanus filium ex Gisela uxore tulisset,Henricum ab Imperatore hoc uoluit appellari: licet corruptè hodie Emericus uocitetur. Quod uel hinc maximè patet, quòd gens hæc Hungarica, quoties aliquem è Germanis Henricum dictum uocat, Emericum appellat patria lingua. Est hic cum patre in numerum sanctorum dehinc relatus,ut testantur Hungarorum Annales:uterq; enim miraculorum gloria non caruit. Cæsar dehinc Lotharingiam comiti Gotefrido dedit. Et cùm iam undecim annis res Germaniæ Galliæq; composuisset,ac multa bella sedasset, Græcis circa Beneuentum, Salernum & Capuam debacchãtibus,& Sarracenis Apuliam uastantibus, Italiam est ingressus: pulsis hostibus,Apuliam diu ab ijs possessam recuperauit,& imperio reddidit,Ismahelemq; ducẽ ijs dedit, qui Babẽbergæ sepultus cernitur in capitulo maioris monasterij. Troiam ciuitatẽ illic destruxit, ubi quõdam Hannibalis castra fuerant:ac funditus euersam,cum ignominia & pudore hostium diruit. Beneuentanum monasterium condidit & locupletauit. Cumq; Apuliæ ciuitates perlustraret,& necessaria illis prouideret,calculorum labore sic est infestatus,ut plericq; de eius salute desperarent. Sed tanta patiẽtia religiosus princeps hunc morbũ sustinuit, flagellũ correptionis sibi à Deo missum iudicans,ut cùm montẽ Cassinum ascẽderet,petiturus intercessionẽ à sanctis,diuo Benedicto & S. Scholastica (nam medicorũ arte nullam recuperare potuit bonã ualetudinem)in somnis uisus est uidere diuũ Benedictum astare sibi,& ferro pudenda aperire,& calculum ingentem eximere: uulnereq; soldato,calculum in manũ regis dormiẽtis collocauit. Qui è somno experrectus, grande miraculum cernens,satellites ad se uocauit,ut principes accerserẽt:quibus rem hanc mirandam & supra humanum captum incredibilem ostendit,unà cum cicatrice uulneris obducta. Agens itaq; immẽsas Deo immortali optimo maxi-

mo maximo gratias, oblatisq; templo diui Benedicti preciosissimis donarijs, ac annuis ex prędijs adiacentibus redditibus, Casmum reliquit: semper dehinc quoad uiueret ueneraturus sanctum Benedictum Romam concessit. A Benedicto VIII Pont. Max. honorificè exceptus, & benedictione Imperator Augustus sacratus est. Cui suum episcopatum Babenbergensem commendauit, impetrauit precibus, ut ipse Pontifex sequenti anno Germaniam inuiseret, & suam plantationem consecraret sua præsentia: quod & factũ est proximo Aprili. Quem uicissim Imperator summa beneuolentia, & qua potuit honorificentia excepit Babenbergæ in hebdommada sancta, ubi sacra mysteria cum qua decuit solennitate peregit. Basilicam dehinc S. Stephani VIII Kal. Maij construxit, ac preciosis muneribus adornauit, ipsumq; episcopatum liberum deinceps à seculari potestate, præsentibus lxxij episcopis pronunciauit, ac priuilegio confirmauit, quod extat. Imperator aũt Henricus Romæ cùm omnia quæ postulasset à pontifice esset assequutus, accepta Apostolica benedictione, tra-iectis alpibus, exercitum in Germaniam ire iussit. Ipse paucis secum acceptis familiaribus Cluniacum peruenit, religionis causa, acillic coronam auream gemmis redimitam Deo in mysterijs sacris obtulit, fratribusq; illic congregatis prędia quædam in Alsatia contribuit. Dehinc per Leodiũ & Treuerim iter faciens, multa religiosis semper largitus, adeò ut mirum sit, hominem ita religioni deditũ, potuisse imperij terminos & ab hostili incursu reddere tutos, & regnum sicum locupletare ac augere. Quæ enim cæteri reges ensibus & humani sanguinis effusione, non sine magna multorum calamitate perfecerunt, hic pietate, religione, ac bonis uirtutibus peregit, & imperialem dignitatem decore, gloria ac maiestate exornauit. Sic Boemiam subiugauit, sic Burgundiam in deditionem recepit, sic Pannoniam fidei catholicæ & Romano imperio coniunxit, ita magis precibus ad Deum quàm armis triumphauit. Regni autem anno uigesimoprimo, Imperator cum Roberto rege Francorum super Charum fluuium conuenit, de statu Ecclesiæ, imperij & regni tractaturus. Et colloquio habito, ac pace inter imperium & regnum firmata, statuerunt ambo Papiam conueniendum, ut & pontifex sancita firmaret. Vbi Imperator tanta est usus munificentia, ut Persarum Arabumq; opibus compararetur imperialis liberalitas. Cùm dein in senium iam uergeret, cœlibem agens cum castissima uirgine coniuge sua Chunigunde uitam, cùm horã mortis haud longè abesse animaduerteret, conuocatis parentibus, consanguineis ac cognatis castissimæ coniugis sue: Hanc, inquit, illibatã uirginem à uobis in uxorem mihi accepi, eandem intactam & castam uobis reddo commendoq;, ut eam fideli tuitione conseruetis, ne quid patiatur aduersi. Satis enim probata est eius integritas ac fides. Nam olim (sic calumniatore humanorum uirtutum diabolo instigante, qui sanctum thorum fœdare zelotypię liuore conabatur) pudicitiam & integritatem Chunegundis, uomeribus candentibus, quos nudis pedibus calcauit sine ulla molestia, multis astantibus & stupidis comprobauit. Fuit autem hæc Chunegundis (quam perperam multi Singundam, multi Sigismundam ineptè uocitant) Sigefridi Palatini Rheni filia, uxor Henrici Imperatoris, ambo in cœlibatu uiuentes sine prole obierunt, in numerum sanctorum relati. Babenbergæ sepulti in templo Sanctorum Petri & Pauli. Imperator uerò obijt anno imperij undecimo, regni uigesimoquarto: licet alij uigintiduobus annis ipsum regnasse scribant: fortè duo illi anni, quibus inter regnum fuit, ei addicti sunt, ætatis autem quinquagesimosecundo: cuius mors heremitæ cuidam ex strepitu malignorum spirituum innotuit. Ferunt enim Imperatorem inter uenandum sæpius anachoritam religiosum & sanctum uirum adijsse, & de Deo ac uirtutibus secum disseruisse. Is cùm Hierosolymam uisurus itineri sese accingeret, Imperator illi calicem aureum immensę magnitudinis, duabus ansis insignem, in Iordannem ter immergendum ob honorem indiuiduæ trinitatis committit

dum redeat: donans item illi quantum sat erat uiatici. Hic per Constantinopolim rediens, Bulgariam tum heremitis abūdantem obambulat: quos singulos rogauit, ut Deum pro pientissimo Imperatore eiusq; incolumitate suis precibus rogarent. Dum ita colloquuntur uiri religiosi, unus ex ijs Imperatorem uita functum narrat, uisionemq; nocturnam pluribus explicat, qua se uidisse calicem diuæ Marię uirgini dicatum, cui ansa una destructa fuit, fatetur. Id quomodo acciderit ex uisione demonstrat. Anachorita sarcinam suam referat, ac calicem fractum reperit, qui etiam hodie miraculi testimonium Babēbergæ ostenditur. Vbi domum rediit, Imperatorem eo decessisse die, quo in heremo fuit, agnouit. Hæc ex diuersis annalibus excerpsimus. Adelboldus episcopus Traiectēsis uitam huius Imperatoris scripsit. Circumfertur & incerti autoris de hoc Imperatore uita. Abbas Vrspergensis & Otto præsul Frisingensis, ac Sigebertus Gembacensis nonnulla de hoc prodiderunt. Nos tetrastichon de more uitam concludamus:

Henricus sanctam casta cum coniuge uitam
Vixit, & innocuo corpore purus erat.
Hungaricam gentem, coluit quæ monstra Deorum,
Aduerum Christi rite reduxit iter.

CONRADVS SALIQVVS.

PRIVSQVAM de Conradi Imperatoris rebus à se gestis, & quo pacto imperium adeptus sit scribemus, operæprecium de eius familia ac origine, & cur Saliquus cognomento dictus sit, præmittere quędam pro multarum rerum noticia duximus. Hic enim Conradus Orientalis Franciæ, quæ hodie Franconia appellatur, dux, prosapiam à Conrado Vngarorū & Lotharingiæ duce, de familia, quæ uulgò patria lingua Gorblingen cognominatur, duxit: qui Ottonis Magni Imperatoris, ex filia Luitgarda gener fuit: in campo Lyci ante Augustam ab Hunnis interemptus, ut superius annotauimus. Maternam autem originem in Francorum principes Clodoueos, ex antiqua Troianorum stirpe descendentes, referebat. Conradus enim Vuormaciæ & Lotharingiæ dux, ex Luitgarda coniuge Ottonem genuit filium comitem Franconi: ex quo Cuno comes nascitur: cui tres erant filij, Sigefridus, Eberhardus & Hermannus Franconiæ comites. Sed Hermannus ex uxore Adelheide ē Francia Orientali orta, genuit hunc nostrum Conradum Franconiæ ducem & Imperatorem, & Gebhardum antistitem Ratisbonensem in Oringau sepultum, ac ludithan filiam uxorem Guilielmi Marchionis Montisferrati. Duxit aūt hęc Adelheidis primo marito defuncto, alterum Hermānum comitem de Hohenlohe: ex quo duos item filios peperit, Sigefridum & Eberhardum, comites de Hohenlohe. Mulier admodum religiosa, quæ duo in oppido Franconiæ Spalt collegia fundauit, S. Emerami & S. Nicolai, ac beatæ Virginis, quod nouum collegium appellatur. In Oringau monasterio à se constructo sepulta, & in numerum diuorū relata. Sed cur Saliquus sit dictus hic Conradus, paulò altius repetendum est. Pharamundus Marcomiri, qui à Troianis descendit, filius, Francorum rex, quum modestissimè regnum administraret, ut feros hominum mores exueret, leges condidit atq; promulgauit: quatuor primatibus ex Sycambris spectatis cooperantibus, Vsugasto, Losogasto, Visogasto, & Sologasto. A quibus leges cœptæ sunt dici Saliquæ, & ipsi Franci Saliqui, qui ijs legibus utebantur. Testatur Nicolaus de Cusa Cardinalis libro tertio de concordantia Catholica cap. xxv. se leges Salicas seriatim uidisse & legisse. Erat inter cæteras Lex Salica, ut soli uirilis sexus reges à maribus regibus orti, regnum administrarent, nec ad eam dignitatem fœminę admitterentur in regno Francorum, qui ab ijs legibus Salici nominabantur. Vnde & hic Conradus

dus quòd Francus esset, & ex ueteri familia Francorum, Salicus est cognominatus. Fit mentio Salicæ legis xij q. ij cap. in legibus, in prima glosa: quomodo uidelicet emendentur, qui sacra compilarint. Fit & in libro Feudorum de filijs natis de matrimonio ad Morganaticam contracto, cap. uno: sed ijs omissis reddeamus ad historiam. Quum Henricus Imperator lecto decũberet moribundus, fatalem sibi diem adesse cernens, multis astantibus principibus, & proceribus imperij consulentibus, quem nam successorem dignum imperio iudicaret, qui habenas regni posset prudenter administrare, & imperium ab hostili incursione tutari: mox sine longa deliberatione, non affectibus suis, sed communi salutí prospiciens, Conradum hunc Franciæ ducẽ, qui aliquando militarium ordinũ dux sub eo fuerat, & stipendia honestissimè meruerat, licet in nulla fuisset apud eum autoritate aut gratia, dignum censet qui imperiũ moderetur: quod antiqui generis & uetustissimæ ac nobilissimæ sit familię, ac egregiæ libertatis, utpote qui se nunquam alicuius submiserat seruituti. Cæsaris morientis iudicium sanctum uisum est. Mortuo itaque Henrico, interregnum biennio durat, quòd Electores principes inter se de eligendo rege dissidebant. Et Cuno dux Francorum uehementissimè ambiebat ut rex crearetur. Sed Aubone Moguntino archiepiscopo, & Eberhardo Babenbergensi præsule Conrado fauentibus, Cuno quum suffragium suum Conrado daret ridendo, ratus impossibile esse ut eligeretur, cæteris principibus in eius suffragium consentientibus, omnium uoto electus est Conradus, & Cuno spe sua frustratus. Circumferuntur antiqui uersus rythmycè, quibus ambitio Cunonis ducis irridetur: quos subscribam, licet non sint elegantes, sed semibarbari:

Dux erat in patria præcelsus, nomine Cuno,
Ille procul dubio confidit habere Coronam,
Et de Conrado spes modo nulla fuit.
Consedêre duces, electio uult agitari,
Conrado dux ille petit diadema parari,
Fraude quidem petijt, nec cupit illud agi.
Dum petijt hi laudant, laudantibus ipse resistit,
Sed prohibente duce, regnum contraditur isti,
Vox ita fraudata, stat ratione rata.

Sic itaq; Conradus princeps strenuus, & militaris disciplinę peritissimus, in qua ab ineunte ætate exercitus rex electus, consilio Brunonis Augustẽsis prę-sulis, Hẽrici defuncti fratris, cuius actibus fœlicibus semper inuidebat, in sede regni est sublimatus. Babenbergensem enim episcopatum conatus est destruere, Giselæ sorori & eius filio Henrico promittens, prædia omnia ad se iure hæreditario pertinentia ablaturũ episcopatui, & ei restituturum. Sed uisione nocturna territus, ut suprà scripsimus, destitit. At Conradus rex pacẽ undiq; lege lata per uniuersum regnum præcipit, cùm iam mox undiq; dissensiones orirentur contra ipsum: quas tamen summa prudentia sedauit religiosus & prudens princeps: ac mox filium suum Henricũ puerum adhuc Aquisgranũ ducit, & regem designat. Nam Robertus Francorũ rex, Lotharingiam inuadere tum statuit, sed mox à conatu destitit. Nam & Conradus nouam necessitudinem cum nobilioribus familijs Francorũ iniit, filia Odoni comiti Campano in matrimonium data. Et Rodulphus Giselæ Augustæ auunculus, rex Burgundię tũ erat. Quam quidẽ Burgundiam pòst Henrico Conradi regis filio tanq; suo hęredi, quem uiuus instituit, donauit, misso diademate Cõrado Cęsari. Et ita Burgundia quæ ab Arnolpho Imperatore per centum triginta annos suis regibus paruit, à nostris iterũ est in Prouinciam redacta. Licet Odo comes crebris bellis, tanq; sibi & suis hęredibus deberetur, eam infestaret, occupato Cęsare, & bello Pannonico & Italico. Sed uenia tandem data, pax inter Francos & Germanos, fraternitatisq; nomen inuiolatum permansit: regniq; Francici iura impe-

rio, & imperij Francico regno sancta extitêre. Redigebat ea tempestate Cęsar Sclauos rebelles ad unionem & pacem. Et Hungaros deficientes, adeò est bel lò persequutus, ut coëgerit Stephanum regem missis legatis, pacẽ petere. Cæterosq; omnes Boëmos & Polonos tributarios prius factos, ad parẽdum com pulit. Cõpositis itaq; triennio penè rebus Germanicis, cùm pleræq; Italiæ ciui tates ab imperio deciscerent, coactis copijs, Italiã ingressus, ut odia principum in se castigaret, qui partim libertatem asserere conabantur, partim declaratum Cæsarẽ armis ab ingressu repellere annixi sunt: primũ mouit in Mediolanum, ut tantę defectionis autores in primis puniat, agros populatur, suburbia incen dit, captis quibusdã proceribus, et episcopis, quos in uincula coniecit. Vrbem obsidet, excidiumq; minatur. Aequasset urbem solo, nisi Colonienſis antistitis persuasione, qui ei oraculum diui Ambrosij enarrauit, mutasset consiliũ. Visus est enim Ambrosius Cęsari ac exercitui minari exitium, nisi discedat. Referunt hoc aliqui in Brunonem episcopum: qui cùm solennia missæ in parua ecclesia secus urbem in festo Penthecostes dum coronaret Cæsar, celebraret, grauissi ma sunt audita tonitrua & fulgura, quib. plericq; sunt exanimati. Amotis igitur castris, Romã perrexit. A Ioanne XVIII pontifice benedictionem accepit: Au gustus Imperator acclamatus, duobus regibus astantibus, Cynitone Anglo rum, & Rudolpho Burgundiæ, uniuersoq; Po. Ro. Dehinc Italicos proceres, qui contra eum coniurarunt, Sclauorumq; & Hungarorũ auxilia postularunt, castigauit acerrimè, & uniuersam sibi Italiam subdidit. Inde per Pœninum in 220 Franciam rediens, hybernauit apud Treueros ac Metenses: cùm Bruno Augu stensis præsul & Vuelffo comes prædas & incendia inter se facerent. Ac priui gnus eius Ernestus dux Alemannorum, qui consilio comitis Vuernheri olim rebellauit, ad Imperatorem ueniens, ueniam peteret. Cui prius etiam clemens uitricus indulserat. Sed iam censura iusticiæ in exilium actus, paulo pòst occi sus est: cuius ducatum Hermãnus frater occupauit. Dehinc iterum Italiam in greditur ad sedandam ignobilis uulgi contumaciam, cùm per Brixiam ac Cre monam Mediolanũ uenisset, eiusdem urbis episcopum cõiurationis reum ce pit, & Aquilegiensium patriarchæ custodiendum commisit, qui clàm elapsus, aufugit. Imperator uerno tempore Rauennæ agros euastauit, & multas arces occupauit. Cremonę pontificẽ obuium habuit, quẽ multo honore susceptum, à se dimisit. Et cùm Parmę hybernaret, orto tumultu, urbs concremat, & à Ro. Pon. Mediolanensis episcopus diris deuouetur, quòd suo Imperatori rebellis fuisset. Subacta itaq; Italia citeriori, Apenninũ trãsit Imperator, regina uerò uo ti soluendi gratia Romã concessit. Ipse Apuliam ingressus, Capuam, Beneuen tum, & alias urbes in suam iurisditionem accepit. Deinde per Adriatici maris orã iter relegens, multos ex suis ob aëris corruptionẽ perdidit: Hermannũ du cem priuignũ, Cononẽ Francorum ducẽ, et alijs, ac Kunegundã filij regis spon sam. Cæterùm cùm iam Germaniam attigisset, Imperator in inferiore Traiecto Frisię urbe, in ipsa Pentecostes solennitate ægrotare cœpit, subitanea morte illi co sublatus, relicto Henrico filio superstite & successore. Decimoseptimo re gni, imperij quartodecimo anno: licet quindecim alij illi tribuant. Sepultis illic eius intestinis, corpus eius Spirã delatũ, in templo nobili diuę Marię dicato, & à se constructo, honorificè sepultũ est: illic eñ episcopatũ struere cœpit, quem filius Henricus, quia pater morte præuentus, absoluere nequiuit, perfecit. Con didit & insigne monasterium in castello Lintburg, quod multis donis & reddi tibus locupletauit. Habuit autem uxorem Giselam de antiquissimo Caroli Ma gni stemmate, filiam Lotharij regis Francię V. & Mechtildis, quæ tres maritos habuisse fertur, & cum singulis liberos. Primus erat Bruno iunior Marchio Sa xonię, ex quo Luitolfum peperit. Alter maritus erat Ernestus dux Sueuiæ, fra ter Alberti Tertij Marchionis Austriæ, filius Henrici rebellis Marchionis Au strię, ex quo gemellos peperit, Ernestũ, qui in exilio occisus est, & Hermannũ,

qui

qui peste in Italia periit, ut scripsimus. Tãdem duxit Conradum Imperatorem, ex quo peperit Henricũ tertium. Est Spiræ cum suo marito sepulta, anno quarto post mariti obitum XVI Calen. Mar. incarnationis M. XLIII. Hæc ex diuersis Annalibus, & ex Sigeberto, abbate Vrspergensi, Othone Frisingensi, Hermanno Contracto, qui comes de Veringen ex Sueuia fuit, ac monachus in Augea, excerpsimus. Sed nunc tetrastichon subiungamus:

Conradus Sclauos debellat Pannonioſq;,
Effrenenq; sibi subiugat Italiam.
Pacem cum Francis & fœdera candida sanxit,
Burgundosq; datos, traxit in imperium.

AD LECTOREM.

Licet pro cognitione rerum Germanicarum satius fuisset subiungere huius Conradi filium Henricum tertium, dehinc illius nepotẽ Henricum quartum, & dein eius pronepotem Henricum quintum: tamẽ ut seruemus ordinem cœptum, nunc Græcos aliquot Imperatores subiungamus: licet ad quadrantem nõ possint respondere tẽpora. Quis enim hoc præstare posset? Sed quanto uero propius fieri potest, interseramus. Nam Hermannus cognomento Contractus, comes de Veringen, episcopus Constantiensis, & monachus, Annales ab initio mundi ad sua usq; tempora, hoc est, ad Henrici tertij, sub quo uixit, imperium scribens, in rebus Henrici inter cætera tradit, Imperatorẽ ad Græcos Nouariensem episcopum legatum misisse, reperisseq; fœminam pro Imperatore Monarchiã occupantem. Ob id eam seriem Imperatorum Græcorũ ad Zoën fœminam usq; scribemus. Quæ cùm iam imperio præesset, stimulis uenereis agitata, quinquagenaria tertium duxit maritũ, Constantinum Monomachum, quem Sigebertus in suis Annalibus refert imperasse per tempora Hẽrici tertij (licet falsò & perperam in uulgò impressis codicibus scriptum sit illic Constantinus monachus) quod facilè fieri poterat. Breuissima enim fuerant omnia illorum imperia, ut uidebimus.

ROMANVS ARGYRVS.

CONSTANTINO fratre Basilij mortuo, cùm eius filiã Zoën Romanus Argyrus, siue ut alij scribunt, Argyropolos, uxorẽ duxisset, Cæsar creatus, mox socero successit in imperium. Quod ubi ministrandum suscepit, ut omnium fauorem in se conuerteret, in primis tributum illud, quod Allagangium uocant, radicitus sustulit. Ministrisq; magnę ecclesiæ clericis ingentem largitionem fecit, haud ignarus, non sufficere quæ illis prius data fuerant, qui obærati multa creditoribus debebant: quorum debita dissoluit, pauperes episcopos datis muneribus restituit, languores ac cæcitates curans: spoliatis bona restituit, aliterq; alios afflictos consolatus. Cæterùm magistrũ Pausaniam, quòd Augustę sororem Theodoram constuprasse uerebatur, custodię tradidit, & paulo pòst excæcauit. In Petrium Theodora clauditur, Constantinus Diogenes neptis suæ maritus, tyrannidis accusatus, in turri ligatus adseruatur. Sed nescio cuius auxilio liberatus, Imperatore urbem egrediente, dum Illyricum aufugere cogitaret, tyrannidẽ denuò affectans deprehensus, seipsum præcipitauit, ne conscios facinoris tormentorum uiolentia proderet, atque sic interijt. Regina uerò Zoë in Petrio Theodoram sororem totondit, fecitq; monacham. Ea tempestate mortuo Abasgorum principe Georgio, cùm eius coniunx inducias peteret, ac filio uxorem: Imperator renouatis inducijs, Helenam fratris sui filiam Pancratio, quem Curopalatinatus honore cõdecorauit, sponsam in Abasgiam dimittit. Sed quo pacto naturam & mores immutauerit, ex liberalissimo principe factus auarissimus, & bonorum expilator, mox ubi bellum imprudenter gessit, intelligetur. Nam Bulgaris tum pax erat, cum solis

Agarenis res erat. Qui sub Constantino ignauo principe occasionem opportunam nacti, Phœnicię Syriæq; urbes, quas Nicephorus ac Ioannes Imperatores Romanę ditioni subiugarant, & Basilius ob bellū Bulgarorū, presidijs non poterat necessarijs (quia illi otium non erat) prouidere adoriuntur: excusso seruitutis iugo, præsidijs expulsis, multisq; militibus in ijs urbibus cæsis. Obid Romanus Imperator magno apparatu aggredi cogitauit Chalep urbem, quæ Berrœa dicitur, antiquitus Berytus uocata, Metropolitana Phœniciæ & Augusti colonia, Fœlix Iulia à Plinio dicta, iureconsultis celebrata. Contra quam impetū facere cogitauit. Rector Chalep, continuis excursionibus iamdudum & Antiochiā, & omnes Syriæ gentes incolas, Romanis subditas, depopulabatur. Cui occurrens dux Antiochiæ, turpiter ab eo superatus est, plurimis è suis amissis, ægrè ipse aufugit. Atq; id quidem Constantino imperante factum est. Romanus uerò Imperator hunc ob id amouit, alteri præsidium committens. Cùm uerò cum exercitu eò esset progressus, Legati à Chalepita missi, multis cum muneribus regem adeunt, ueniā petentes, ac seruitutem cū tributis quotannis soluendis, tum beneuolentiā, quam hactenus non præstiterant, promittentes. At rex, licet plericq; bello illustres expeditionē hanc tanquam futuram inutilem dissuaderent, consulerentq; ne in proposito perseueraret, à sententia sua moueri haud poterat: ratus facilius Agarenos hinc superatum iri, ac se eximium sibi comparaturū ornamentum ac ingens uirtutis bellicæ nomen. In Syriam igitur profectus, castra uallo munit, finitima quæq; populat atq; euastat, ac prędas abigit, certā sibi uictoriā pollicitus. Arabes aūt, & audacia & equorum uelocitate expediti, imò nudi ac celeres, crebras insidias locabant Romanis, qui aquatum frumentatumq; palantes exibāt. Eaq; arte tam milites quàm equos crudeli fatigabant siti, dehinc crebris incursionibus in desperationem quandam redigebant. Haud ignari, quantos illis luctus dura seruitus, si uincerentur, esset allatura. Ex editioribus itaque locis impetum quendam facientes, quum sine ordine uiderent sparsim milites uallum exire, Barbaricum nescio quid ululant: ac multitudinem exercitus exterrentes, in fugam conuertunt. Tum turbatis & sine ordine fugientibus militibus, parum abfuit, quin Imperator caperetur: cuius equus telo perfossus cecidit. Alius autē sibi suum equum subministrauit, ac hostibus eripuit sparsis iam illis, qui eius latus stipabant: & quo quenquam fors ferebat militibus fugientibus. Barbari uerò inconsultam Romanorum fugam admirati, currentes non insequebantur, sed in castra irruebant. Vbi præclaros quosdam uiros uiuos cum multa præda ceperunt, castra Cæsarea omnimodis referta diuitijs regijsq; sumptibus diripuēre, ac sarcinas sibi iumentisq; impositas abstulēre. Rex uix saluus in Antiochiam peruenit, & tandem Constantinopolim concessit, priorem mentis habitudinem exuens, in deterius mutatus, carnifex pro rege est factus: acerbusq; exactor: debita inueterata parentum à filijs exigens. Ditiores uerò contra subditos aliquandiu iniustè passus est sæuire, quos tandem extinxit, eorumq; bona in cinerem redegit: sic multi ædibus agrisq; pulsi sunt. Nihil tamen in publicum contulit, licet undique raperet, multa impendens in ædificationem templi diuæ Genitricis, etiam ex regijs thesauris, quum situm ac formā toties uariaret, toties arctaret, toties extenderet, iam extructum deponeret, iam in sublimius suscitaret. Monachis uerò minimè monasticam uitam ducētibus, sed mollem ac dissolutam, & delicijs plenam, multa distribuit: regiones illis, urbesq; locupletissimas, & agros fertiles largitus. Sic sibijpsi factus cōtrarius, & ratione eneruatus, multa indigna Imperatore gessit. Nam & Amyram Chalepitę filium cum muneribus ad sese uenientem, in gratiam recepit, ac pacem cum eo fecit. Cùm Arabes incursionem in Mesopotamiam, Patzinacæ in Bulgariam facerent, Agareni ma
221 ritima Illyrici aggrediuntur. Quibus cum Romana classis congressa, plurimas naues incendit ac combussit. Hi uerò ex pugna nauali fugientes, tempesta-

te in

te in Siculo freto diſiecti ſunt. Rurſus deinde nauibus refectis, ex Aphrica redeuntes, multas inſulas, & quædam maritima loca euaſtarunt. Quibus Romanæ triremes occurrentes, plurimos interfecerunt, & quingentos uiuos regi captos obtulerunt, quos uinculis aſſignauit. Georgius autem Maniaces Protoſpatarius, & urbium iuxta Euphratem præſes, Edeſſam inſignem urbem Euphratis ui cepit. Vbi epiſtolam propria Dei et Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti manu conſcriptam cùm reperiſſet, regi eam tranſmiſit. Fuit autem hæc epiſtola à Chriſto Ieſu regi Abagaro conſcripta, priuſquam pateretur, & ex Syrorum lingua translata, ab Euſebio primo Eccleſiaſticæ libro eſt inſerta, ubi exemplar leges ſtudioſe lector. Eſt magna facta fames ſub hoc Imperatore in Cappadocia, Armenia, & Paphlagonia, locuſtis penè omnem Orientem uaſtantibus. Ob quam penuriam multi deſertis patrijs, tranſmigrare aliò coacti ſunt, quos auri diſtributione Imperator refouebat. Terræmotu collapſa diuerſoria iterum extruxit, & eregionè Byzantij hoſpitale, quod corpore uitiatis, leproſis, & ſacro morbo laborantibus à multis annis fuerat extructum, ſed tum corruerat, iterum reſtaurauit. Refecit & aquæductum, qui aquam in Megalopolim deferebat, terræmotu collapſum. Cùm uerò uiuendi terminus inſtaret (nam ſerò eſt imperium adeptus) de ſucceſſore erat ſolicitus. Reliquiſſet enim libēter ex corpore ſuo ſobolem, ſed uxor eius regina effœta & ſterilis, utpote quinquagenaria, minimè pro feminis ſuſceptiōe erat habilis: licet prius unguētis quibuſdam uſus Imperator, lapillos etiam illi ad conceptionem efficaces appendiſſet: ſed omnia fruſtrà. Neq; enim ab incantationibus & carminibus abſtinuit. Idcirco cùm omnia fruſtrà intellexit fieri, deſperauit, & à coitu abſtinuit: factus etiam iam ætate in Venerem ſegnior. Quod reginam in graue contra maritum odium irritauit, quæ longa iam conſuetudine coitus ſalaciſſima facta, plurimùm ipſum deſpexit, ac contemptui habuit: quærebat itaque alium quo ſe oblectaret. Erat autem quidam eunuchus regis miniſter, cui multi erant conſanguinei, ſed frater eius Michaël forma ac pulchritudine cæteros longè antecelluit, qui & inter Camerarios cooptatus eſt. Cuius amore capta Imperatrix ob corporis elegantiam, animo urebatur. Sed ignem amoris magis accendit eximia rerum à ſe geſtarū fama. Quum uerò inter cubicularios eſſet, arbitrata eſt eum fore eunuchum. Quod frater eius intelligens, Michaëlem adhortatur, ut reginam crebrò conueniat, atq; illi loquatur paulò familiarius, neq; eam uereatur. Nam eius amorē frater callidus iamiam olfecerat, qui diu tacitus, diurnaq; conuerſatione nutritus, tandem in apertum prodijt: ut non modò iam in aula murmur de illorū amore, ſed in triuijs quoq; oriretur. Soli Imperatori (ut fit) ignotus erat. Nam & condormiente Imperatore cum regina, ſæpè in cubiculum eſt accerſitus Michaël, fricare ei pedes iuſſus. Arbitror illum crebrius pedes reginæ, q; Imperatoris fricaſſe, & tandem totum corpus, quod eius indulgentia uſu uenit. Pulcheria Auguſti ſoror, nonnullíq; alij certiorem Imperatorē fecerunt de Michaëlis & reginæ amore. Qui ad ſe uocato Michaële, de amore reginæ interrogauit. Qui omnia inficiatus, iuramento per ſacra interpoſito, fidē fecit, diris ſe ac execrationibus deuouens, ut regem falleret. Qui cùm illi fidem haberet, aliorum ſermones calumnias putabat. Ob quam quidē deierationem, fertur Michaël morbo ſacro correptus, qui uſq; ad eius mortem durauit. Per circuitus enim quoſdam animo linquebatur, cum oculorum conuerſione, uiolento q; corporis motu in terrā decidens, ad ſe reuerſus, priſtinos ſenſus recuperauit (Epilepſian hunc morbū aut comitialem medici uocant.) Et cùm hunc crebro etiā in ipſius Imperatoris conſpectu pateret, in miſericordiā ipſum permouit, adeò ut magis quę contra hūc dicta eſſent, falſa putaret. Et ob id nec amare nec amari hoc modo affectū certò crederet. Sunt qui credāt regem haud ignarum fuiſſe huius amoris: utpote qui ſciret reginæ furorē in rem Veneream, & quo pacto fureret ac inſaniret erga Michaēlē: ob id eius uicē facilius toleraſſe, ignoran-

ignorantia simulata, quò ipse ab hoc onere senex iam liber esset, & quod illi de inceps non tam apertè mœcharentur. Incidit Imperator paulo pòst in hydropen, tumefactaq; est illi facies, cum uehementi admodum & difficili anhelitu, ut mortuo haud multum absimilis esset: cùm nudata capitis densitate capilli defluerent: dicitur igitur medicamentis sedulò curatus esse. Sed quum in regia ad quoddam balneũ loturus solus liberè, nõ manuductus iret, quasi ex integro cõualuisset, piscinam seu natatorium ingressus, ut corpus lauaret, à quibusdam capite sub aqua merso quantũ satis erat, est oppressus & penè suffocatus, & in stratum reclinatus. Rumore de ea re orto, superuenit regina eiulans ob hosce dolores, certa iam de mariti decessũ: ilicoq; abijt. Imperator per os, nescio quid subnigrum euomens, sine ulla mortis suspicione, tandem nemine opem ferente, animam egit, cùm annos imperasset quinq; & menses senos. Literis Græcis excellenter doctus, legũ publicarum non imperitus, multam habens rerum cognitionẽ. Princeps nobilissimus, & qui ab initio multa in melius mutauit. Post Sarracenorum expeditionem, quæ illi haud fœliciter cessit, ignauię & colligendæ pecuniæ deditus. Hæc ex Zonara.

MICHAEL CAESAR.

ROMANO Imperatore iam mortuo, Zoë regina totis uiribus, omniq; conatu ut Michaelem throno imponet, laborabat. Quibusdam uerò cubicularijs prę eminẽtibus, & qui curam eius habebant, moram negocio dandam censentibus, accuratiusq; deliberandum, haud consensit: potissimum Iohanne eunucho Michaelis cognato consummationem rei solicitante. Qui reginæ quantumuis exiguam moram periculosissimam persuadet: Si (inquit) negocium hoc protrahetur, ilico prorsus peribimus omnes: hæc & similia illi in aurem insusurrauit. Festinans igitur regina, Michaeli stolam injcit regiam, diademate caput eius cingit, & in sede regia collocat, illi assidens. Omnes qui aderant iubet adorare & regem salutare. Quinimo patriarcham Alexium accersit in palatium, & mortuum Romanum nunciat, & ut hic inauguretur hortatur, noctuq; nuptiale sacrificium perfectũ est. Cùm tandem res cæteris quoq; innotuisset, ciuitas nouum Imperatorẽ salutauit: partim illi gratulantes, partim quòd alio liberati forent gaudentes. Regina uerò omnem sibi potestatem adsciuit, Michaele ueluti ministro usa. Id enim prius promiserat, societatem regni & integram administrationem recusans, donec edoceret clarã in reginam obseruantiam & affectionem, illiq; gratificaretur & placita faceret. Sed non diu hæc durauit obseruantia. Quandoquidem suum ueritus exemplum, sublata simulatione mutat, eamq; suspicatur. Ob id palatij eunuchos, ipsius reginę secretiores & eminentiores famulos, cubiculo exigit, famulantesq; ancillas gynæceo abstrahit, aliosq; in famulitiũ substituit. Gyneceum obstruit: & custodiam opponit, ne quis eam sine eius iussu adeat. Timebat eñ domestico solicitus metu occasiones, sibi conscius quæ illi euenerant olim. Ad hęc Ioannes eunuchus cognatus eius id crebrò admonebat. Erat enim homo grauis, & peritus rerũ agendarum, et moribus compositis: cum cõuersantibus uarius, laborum patiẽs, nec uentri nec uino deditus, publicæ iurisdictiõis studiosus, & in ijs satis uersatus: & ita se in administratione regiæ domus gessit. Michael uerò Imperator publicorũ negociorum gubernaculũ acceptauit, & regni administrationem usurpauit, nec malum principẽ egit: utpote qui facilis & beneficus in suos fuit, hostibus formidabilis, nisi eum morbus, quem diuina ira illi immissum propter periurium pleriq; tradunt, corripuisset indies ualidius. Qui hominem constringebat (quemadmodum Saul olim) insania & rationis alienatione laborantem. Coactus est itaque Iohannes eunuchus uniuersam regni suscipere administrationem: licet monachicam olim uitam professus, habitum usque ad ferua-

seruauerat. Constantinus Dalassenus patricius domi uitam agens, ubi de nouo Imperatore accepit, molestè admodum ferebat quòd in talem uirum & in tam barbarum mancipium Romanum Imperium peruenisset: & uix sibi à tumultu temperauit. Quod ubi illi acceperunt qui circa Michaelem erant, timentes ne tyrannidem assequeretur, Iohannem induxerunt, ut Dalassenum Imperator accersiret, eumq; muneribus placaret: quod & factum est. & à rege benignè susceptus, & plus aliquanto quàm erat fas, honoratus est: qui tamen haud diu in fide perstitit. Nam cùm Antiochensibus egit, ut Nicetæ duci Imperatoris consanguineo (qui eius quæ supra Daphnen est Antiochiæ præses erat) uiam in urbem præcluderent. Exactorem enim publicorum tributorum, quòd onerosè eis ea indiceret, interfecerant Antiochenses. Veriti itaque ne huius audaciæ pœnam luerent, urbis portas duci occluserant, atque ingressum prohibuerant. Sed hic fide data, nil mali ob eædem eos passuros, ingressum impetrat: & iuramenti oblitus, multos occidit, quosdam ex potioribus uinctos Megalopolim mittit, ob hoc, quòd in beneuolentiam Dalasseni id fecissent Antiochenses: Dalassenus in insulam Platen condemnatur, Constantinusq; Ducas eius gener nec iniquitati reclamans, nec periurium dissimulans, turri quadam claudítur. Post hoc ex Plate Dalassenus reducitur, & ipse quoq; turri mancipatur. Sed quum paulo pòst Antiochiæ dux uitam morte commutasset, Constantinus regis frater mortuo successit, & alter ipsius frater Protobestiarius efficitur. Qui quidem Constantinus Antiochiæ dux factus, cùm Arabes Edessam obsedissent, auxilium tulit, alioqui urbs capta fuisset. Cuius diligentiam rex compensans, Orientalium legionum domesticum eum fecit. Nihilominus Arabes iterum dolo Edessam aggrediuntur, tantopere cupidi ea potiri, eligentes duodecim primores, qui quingentos camelos adducant: qui singuli duabus arcis onerati, singulæ arcæ armatum intus habebant, simulantes se ituros ad regem cum muneribus offerendis. Petebant itaque in urbem recipi, ut noctu armati inclusi emitterentur urbem occupaturi. Ingredientes igitur ad urbis præfectum primores illi duodecim, honorificè excepti sunt: qui uerò camelis seruiebant, extra urbem erant. Mēdicus autem Armenius quidam Arabicæ linguæ peritus aduenit, qui stipem ab eis petens qui foris manebant, audiuit ex arca quendam interrogantem ubi nam esset. Qui mox urbem ingressus, præfecto dolum aperuit. Qui mox primores splendido conuiuio accepit, ac in urbe detinuit. Ipse cum suis urbem egressus arcas perrupit, omnesq; in eis armatos occidit. Regressus in urbem primores gladio trucidauit: unius manus præcidens, nasumq; cum auribus truncans domum remisit, ut domesticis cladis nuncius esset: sic denuò Edessa est liberata. Interea ab Agarenis Myra capitur, & Patzinacis præda fit Mysorū terra. Ex Aphrica etenim & Sicilia classis adnauigans Agarenorum, uexauit insulas & maritima. Quibus Romana classis occurrens, multas naues cum uiris submersit, nec paucos cepit, quos Imperatori transmisit: qui per littoralia passim in cruces sublati sunt. Pancratius item Abasgorum princeps, cui propriam consobrinam Romanus Imperator, ut suprà scripsimus, coniunxerat, fœdera quæ cum Romanis habuit, rupit, quæq; prius præsidia & urbes Romanis concesserat recepit, ut forsan se uindicaret super rege & auunculo uxoris suæ. Sæpè etiam Patzinacæ Istrum transgressi, maiores Romanas afflixerant, captiuos impuberes occidētes. Amyr Aegyptius, qui res Romanas infestabat, per ea tempora mortuus, uxorem habuit Christianam, quæ filium suum impulit ut cum Romanis fœdera iungeret. Ob id Imperator tricennales inducias firmauit. Erant duo fratres Sarraceni sub id tempus Siciliam possidentes, inter se contrarij, magnam habentes controuersiam: è quibus unus ad Imperatorem confugit, auxilium postulans. Mittitur ergo Georgius Maniaces patricius opem illi laturus, Longobardiæ tum dux præpositus: qui frustrà Siciliam aggressus, nihil efficere potuit. Nam sui principis

pis cognati inter se icto fœdere mutuo, abire insula Maniacem compulerunt, auxilium ex Aphrica accersentes. Sed nihilominus facto cõgressu, Romanus exercitus uicit: factaq; magna Carthaginensium cæde, prius quidem urbes diripuerunt tredecim. Vlterius dehinc progressus Maniaces, omnem Siciliã breui Romanę subiecit ditioni. Sed Carthaginensis dux stagem in Sicilia acceptã audiens, in insulam expeditionem magna potentię mole mouit. Maniaces uerò Agarenis occurrens, Stephano patricio regis affini classis duci pręcipit maritimam tueri oram (nam uires suas ambo coniuxerant) ne uictus forte Carthaginensis aufugere posset. Cõmissa itaq; pugna Afrorum, innumera penè multitudo interijt. Dux uerò ipsorum aufugiens, equo euasit: receptisq; qui in classe erant, domum reduxit incolumes. Quam ob rem indignatus Maniaces, præfectũ classis Stephanũ uerbis increpuit, qui eum in magnã calamitatem duxit. Nam is affinitati regiæ confisus, molestè ferebat increpationẽ, contumelias regerens. Maniaces animi impotens, ut eius nomen indicat, plagis hominem cecidit. Qui mox Ioanni eunucho uxoris suæ fratri cognominato Orphanotropho scribit, Maniacẽ defectionẽ moliri. Quocirca Maniaces in uinculis abductus ex eo loco, custodiæ traditur, omnisq; potestas Stephano cessit. Sed non multo pòst rursus in Agarenorũ potestatẽ insula redijt, culpa atq; ignauia prefecti, & eius auaricia. Sola uerò Messana urbs Romanis relicta est, ducis sui animositate, cui nomẽ Cecaumenus: qui non modò urbẽ tutatus, uerùm aliquot hostium milia cecidit. Atq; hęc hactenus de Agarenis. Bulgari uerò, ut superius scripsimus, sub Basilio Imperatore deuicti, eorũq; regno euerso, hactenus seruitutis iugum tulerunt: quod excutere cogitantes, duce caruerunt. Vir itaq; quidã genere ignobilis, Dolianus nomine, dolo plenus & astutia, filiũ suũ dissimauit, Aaronis esse fingens, qui Samuelis principis frater fuerat, & ex Byzantio fugerat. Cùm igitur populo persuasisset, puerũ esse Aaronis ex concubina genitũ, regem Barbaris constituit. Vnde & mox in apertam defectionem gens erupit: commotaq; in latrocinia, Romanorũ terras infestauit. Mittitur igit dux quidã cum exercitu, ut incursiones uastantiũ prohibeat. Sed cum malè ijs qui sub eo erant consuleret, Dolianus incitauit eos contra se: peneq; interierat, nisi noctu aufugisset. Exercitus igitur timens, iam defectionẽ meditatut, & quendam ex ipsis cognomine Tethomeron, genere ortum Bulgarico, ducẽ sibi constituũt, regemq; Bulgariæ cognominant. Sic Bulgari diuisi, alteris se ad Dolianum, alteris se ad Tethomerum conferẽtibus. Cæterùm dolo aggressus est Dolianus ęmulum: aduocat enim eum in societatem regni, simul & quę aduersùm Romanos in pugna necessaria sunt parat. Posteaquam uerò ambo duces conuenerunt, magnaq; Bulgarorũ copia astabat, Dolianus ad suos uerba faciens: Nunq; fieri poterit, inquit, ut salua sit gens Bulgarorũ sub duobus gubernata ducibus: si salutem igitur uestram quęritis, alterũ ex nobis abigite. Cùm me uerò Samuelis stirpe ortum sciatis, Tethomero abrogate imperium. Quod si nõ uidetur, ipsum præficite, me uerò in ordinem redigite. Super hoc concilio habito, collaudato regni statu, Tethomerus lapidibus obruitur, Dolianus solus rerum potitur. Moxq; cepit Dyrrhachiũ: progressusq; per Græciã, subiecit & Nicopolim, quæq; iuxta eam sita sunt. Quidam uerò ultrò ei se dediderunt, immensam Orphanotrophi rapacitatem, insatiabilemq; auariciam non ferentes, eoq; pacto res Romanas Mysijs prędę exposuit. Imperator uerò accepto hoc nuncio, statuit ilico recuperare deficientes populos: turpe existimans, si ipse non modò nihil imperio adijceret, sed pateretur insuper partem ipsius diripi, quandoquidem de uita ipsius iam penè desperatum erat. Intercus enim supra alium ueterem morbum adeò inualuerat, ut totum corpus intumuerit. Cognati igitur expeditionem impedire consolationibus, & consilijs longius protractis auocare studuerunt. Imperator uerò ceu uir fortis, uicit ualetudinem corporis, animi alacritate. Coacto itaq; exercitu, contra defectores proficiscitur.

Quæ

Quæ res in maximam admirationem cessit. Nocte enim morbo laborans, in eam incidit ualetudinem, ut postridie crederetur moriturus, quum uix orto sole in equo conspectus præcessit exercitum. Attingentes autem Bulgarorum limites, noua quædam res subitò emersit, citra negocium Imperatori uictoriam allatura. Alusianus enim Aaronis illius filius uerus & legitimus, patricius factus, qui apud Romanos erat, quum nescio quid Imperatorem offendisset, domi manere fuit iussus: nec enim in palatium ire, nec Constantinopolim petere ausus, mœstus defectionem gentis suæ cogitat, ægreferens Dolianum regnum paternum occupare. Aufugit igitur domo sua, & Armenica stola obuolutus, seruum se Theodorocani fingens, & ire in exercitum, à nemine agnitus, in Bulgariam uenit. Verùm non protinus se quis nam esset ostendit: sed quosdam conueniens, de Aarone loquutus est. Interrogat, si fortè quis filiorum illius superstit. Et cùm de Doliano, qui ex concubina genitus fingebatur, mentio fieret: Nunquid dignior imperio, inquit, populi uideretur legitimus spurio? Omnibus assentientibus, arcanum cuidam eorum credidit, qui Aaronis familiam rectius cognouerat. Hic curiosius inquirens oculorum speciem, præterea signum cognoscens quod ei inerat, indubium uidere hoc petit. Erat autem macula quædam nigra circa cubitum dextrum, & pilus dēsus circum. Qui hæc uidit, ante uirum procidit, pedes eius complexus: regius insuper amicus, regio illum ortum stemmate pronunciat. Ob id edocti hunc regij esse generis, à dubio illo & spurio digressi, legitimo accedunt. Diuisum que est denuò regnum, quod dissidentibus inter se principibus omnino persistere diu non potuit. Icto tamen fœdere, communiter aliquandiu rem egerunt: non tamen sine mutua suspicione insidiarum, quas uterque alteri moliebatur. Alusianus tamē acutior inuentus ad insidias, Doliani dolum præuenit: præparatoq; dolo combibonem accepit regni socium, potantem que adorsus misero effodit oculos: inq; sui unius potestatem, quod paulo antè duorum erat, redegit: postea per se creriores nuncios Imperatori significat, se in colloquiū ut putabat gratissimum uenturum, non sine recompensatione acceptorum beneficiorum à se. Admisit Imperator colloquium, & meritis sese retributurum præmia respondit. Venit igitur Alusianus ilico, & Imperatori singula recenset. Qui magister ab eo est constitutus: & mox gentem quæ sine rege fuit adorsus, dispersam uicit, & Romanæ rursus ditioni subdidit. Ac dein Byzantium cum triumpho ingressus, inter multa mancipia Dolianum oculis priuatum adduxit. Imperator uerò post triumphum indies peius habere se cœpit. nam & uetus & recens morbus inualescebat, & simul rationis usus deficiebat, adeò ut rarò in publicum, & sine pompa & sine præcessoribus progrederetur. Nec pro tribunali ius diceret, sed domi plerunque latitans, custodiam quorundam habuit, qui uela circumquaque, cum signa perturbatæ mentis (quæ multa erant) adesse cognouerant, hominem tegebant atque obducebant: ne astantes (qui tamen frequenter exire iussi sunt habitaculum) patientem morbum uiderent. Morbus enim accedebat, recedebátque sæpenumero. In ea igitur ualetudine Michael, & uidendæ reginæ, & adeundi officium dimisit: siue pudore correptus, quod talia pro periurio rependeret: siue uerecundia motus, quòd crebrò morbum pateretur, quem noluit ab illa uideri: siue quòd corporis habitudo morbo corrupta, ad coitum inepta foret. Tradunt aliqui, Imperatorem hunc Christianum & orthodoxum, uiris religiosissimis crimen adulterij & cędis Imperatorię confessum, inter cætera accepisse ab illis tum eleemosynę erogandæ mandata, tum uerò præcipuè Veneris abstinentiam. Ob id magnam pecuniæ uim pauperibus dilargitus est, & monasteria construxit: Thessalonicenq; profectus, gloriosissimo martyri Demetrio supplicans, ut aliquod morbi inueniat remedium. Sic affectum fratrem uidens Iohannes eunuchus, de regno solicitus, ne simul mortuo Imperatore ad Zoen tanquam hæreditarium redeat, ac deinde tum

ipſe, tum uniuerſum genus pereat, aggreſſus fratrem illi ſuadet, uti nepotem ex ſorore communem, Michaelem Calaphaten faciat Cęſarem, quò ſit illi in imperij adminiſtratione adiutor. Sed Imperatori fratri Zoen imperij hæredem pronunciat: ideo & illam aggreditur, & ambo fratres matrem nobilem illius ignobilis fingunt, & adoptiuum nominant. Zoe contradicere non auſa, illorum uoluntati conſentit: mulier alioqui facilis, & in quamuis ſententiam perſuaſibilis. Senatus ergo in ſacrum templum in Blachernis uocatus, ubi ordine ſtetit, in medium regina adducta, & in choro templi ſine cancellis conſtituta, Michaelem adoptauit, ac ut filium amplexata eſt: Imperator uerò Cæſarem eum fecit, & mox conuentum dimiſit. Ac ſic Iohannes ſibi uiſus eſt totum negocium perfeciſſe, & ſuæ familiæ imperium peperiſſe, quum potius interitum & ſibi & generi ſuo (ut paulo inferius patebit) creauerit. Cupiebat & Iohannes Eunuchus Eccleſiæ præeſſe, ſubornans quoſdam epiſcopos ſocios, qui Alexium patriarcham tanquam regia potentia, non communi omnium ſuffragio & legitimè electum, deponere denunciarent. Alexius uiciſſim: Si non canonicè (inquit) ceu uos aſſeueratis, factus ſum Patriarcha, deponite: & quicunque à me conſtituti ſunt Epiſcopi, deponantur mecum. Quo uerbo ita repercuſſit accuſatores ſuos, ut ſine effectu Orphanotrophi ambitio remaneret. Erat enim auariſſimus, & in excogitandis exactionibus (quibus miſeram plebem uexabat) ſummè ſedulus: adeò ut cum Maria ſoror eius, & mater Michaelis Calaphati pòſt imperaturi, deuotionis gratia Epheſum iret, & redeundo fratri narraret pauperum querelas nouis uectigalibus grauatorum, quibus commiſerabatur, Orphanotrophus eam deridens: Vt fœmina ſapis (inquit) ignorans quantis ad regni molem impenſis opus ſit. Omnia itaque ab Orphanotropho commutata gubernabantur. Nec minus uerò illius fratres omnes diuexabant, iniuſtiſſimis auariſſimisq; moribus prædíti, quibus & per hæc Imperator ipſe odio erat. Sed maliciam eorum prohibere, à fratre maiore natu Ioanne eunucho non eſt permiſſus: qui eos nunc excuſabat, nunc eorum facta occultabat, nec in noticiam Regis peruenire ſinebat. Quocirca regina Zoe adeò in illum odio ſuccenſa eſt, ut inſidijs illum appeteret, promittente Catharſio medico ſe ueneno eum ſublaturum: quod medicinę loco illi ſubminiſtrare, muneribus ac promiſſis quibuſdam corruptis à reginæ miniſtris, pollicebatur. Sed hic inſidijs cognitis periculum effugit. Imperator uerò quum iam morti proximus eſſet, regno deſpecto, ex palatio tranſmigrat in monaſterium, quod iuxta mœnia exædificauerat: quod θαυματουργῶν ἀναργύρων, id eſt, ſine pecunia miracula operantium cognominauerat. Ibiq; ſectis capillis, purpuram & imperij inſignia exuit, ueſtemq; induit humilitatis in Chriſto, ſacrisq; initiatur myſterijs: ac diuinam pellem, uoluntariæ mortificationis ſignum præcingit. Qua dere certior facta regina, pedes palatium exijt, maritum acceſſura. Sed portas clauſas reperit. Vetuit enim eam ad ſe ingredi, nolens in memoriam reducere priſtinum erga eam affectum: ſiue pudore eorum quæ ei oſtenſura erat, ſiue quòd omnino ſe pœnitentię tradiderat. Igitur non admiſſa, ad Michaelem adoptiuum rediit. Imperator uerò poſt immutatam uitæ rationem, breui ſuperuiuens, in ſempiternas tranſmigrauit manſiones, Chriſtianiſſimè mortuus, in extremam uſq;
222 ſpiritus emiſſionem, quod in Romanum egerat Imperatorem deplorans amariſſimè. In ſeptimum annum rebus Romanis præfuit, Rex clemens ac bonus, quantum in eo erat. Licet cognati eius ueluti macula quædam eius bonitatem dehoneſtantes, ſint ipſi additi.

Hæc ex Zonara.

Michael

MICHAEL CALAPHATES.

DOENITVIT Michaelem Imperatorem defunctum sese creasse Calaphaten Cæsarem: ob id non satis benigno erga eum erat animo, data illi habitatione extra urbem, ut non nisi iussus ad se ueniret. Sed postquam Imperator palatio excessit, fratres eius regias confinxerunt literas, quibus illum, ut ea quæ ad imperium pertinebant administraret, aduocabant: & ita quidem ingressus est. Primus autem fratrum Orphanotrophus consuluit, ne citra reginæ sententiam ullum negocium tractaret quidem, sed potius pedibus illius ad uolutus sanctè iuraret, titulotenus se tantum imperaturum, potestatem totam penes eam mansuram, ueluti adoptiuum filium deceret, quo uti ueluti mancipio posset. His blandimentis fœminam suapte mobilem demulserunt, facientes suæ uoluntati singula obnoxia. Asseruit igitur adoptionem fœmina stulta, & ignara futurorum, tradens illi sceptrum, dehinc diadema regium: quo coronabatur indignissimus simul & ingratissimus ac ignobilissimus uerna. Erat enim obscurissimi generis, sordes referẽs parentum, qui apud Paphlagonas pice naues oblinerent. Vnde & Calaphates est dictus: ideo & auare & crudeliter rem susceptam administrauit, malitiam quam corde gessit explicans: fraudem diu non potens tegere, consilijs dolosus, lingua inconstans, qua aliud uerbis, aliud animo sensit: inuidus, iracundus, & ad quamuis auram mobilis: circa opportunitatum difficultates seruilis & ignobilis, facilius ex meliori affectu in odium quàm ex fauore in clementiam ducebatur. Nec cognationum, nec amicitiæ leges obseruans, prorsus inamabilis. Et nihilominus tot uicijs septus, super summam imperij atque adeò axem inducitur. Sed sic Deo optimo maximo iusto iudice, Orphanotropho & auunculo, omniq; cognationi principium inde exoritur calamitatum, atq; colophon imponitur, ut prouerbio Græco dicitur. Paucissimos enim dies simulatione usus, auunculum Dominum appellans, dedignatus est iuxta eum sedere, omnia illi deferens. Paulo pòst honoris nonnihil illi abstulit, neq; eius consilijs obsequutus, crebrò illum uellicans. Tum eum studij pœnituit in suum nepotem, nec quid faceret, in promptu habebat. Abstinuit paulatim ab eius cõgressu, facinus excogitans, è quo sibi controuersia cum Constantino fratre, cui soli ex cognatis omnibus Imperator adhærebat, orta est. Fecerat enim imperator hũc Nobilissimum (quod erat dignitatis gradus) quem Imperator contra Iohannem exasperauit, qui uicissim uerbis coram Imperatore eum obiurgauit, quòd à rege potius per contumeliam in se honoratus esset. Quod morosè accepit, longeq; ab urbe secessit. Hoc ubi bona pars Senatus cognouit, congregata est hominem accessura: non ex bene uolentia, sed uti sibi hominem conciliarent. Imperator literis senatoribus accusat malignitate discessisse hominem, eiusdem superbiam multis detestatus. Auunculus uerò iam discessit: sed rediens, in theatrum est profectus, quo die equestre certamen agebatur, quum non adesset Imperator, qui adhuc ira efferuescebat, quasi iniuria affectus, denuò abijt. Rex uerò amplius malitiam tegere nequiuit: erumpente iam in propatulum sua in illum nequitia ac maleuolentia: nauim mittit obuiam, præcipiens, ut in ea hunc aduehant nautæ, qui uerba in ipsum arrogantiam exprobrantia dederit. Ille uerò intrepidus nauim conscendit ad palatium nauigaturus, quod Rex uetuit: statimq; triremem mittit, qui in exilium hunc deferat, gratiam rependens suo benefactori, per quem Cæsar primùm, dein Imperator factus est. Hoc sublato, ad cognationem suam conuersus, uiros omnes suæ familiæ, & maritos, & puerorum parentes, & iam adolescentes, genitalibus membris priuauit, spadonesq; fecit: ubi de proprio sanguine huiusmodi trophæum statuit. Vnum sibi relictum putauit Herculeum laborem, reginæ scilicet imperium auferre, incitatorem habens & inductorem

Constantinum auunculum. Machinatur igitur contra nobilissimam matrem ignobilissimus filius, fingens ab ea sibi paratas uitæ insidias, & uenenum positum, à quibus erat innocentissima. Exigit itaque eam palatio inauditam, relegatq; in insulam, quæ uocatur Principis, benefactricemq; detondet, & monachico habitu induit: pro purpura à se donata, dat uilissimam uestem. His perfectis, gaudebat, superbiebatq;, ludis se tradens & uoluptatibus. Sed ingrato & perfido homini mox sua retributio, iusticia diuina sic uolente, facta est, non diu prolongata. Dum enim uulgo pronunciata per præconem, quæ in reginam acta sunt, mœror ortus, & maxima plebis consternatio, quasi communis calamitas deplorata est: deinde uelut in tyrannum apertè obiurgatum. Mulieribus omnibus, non sine magno luctu reginæ desiderium fuit ingens: quę omnia in apertam seditionem tandem proruperant. Vniuersi itaque, ut facinus ulciscerentur, uitam suam negligebant, & armati ad palatium contendunt, primo occursu discerpturi ingratum Principem, si offendissent. Sed is primum intrepidus, multitudinis turbam non admodum timuit, neq; eum clamor uulgi multum conturbauit. Postquam uerò conglobatim debacchantes, in agmen coacti, magis ac magis infremerent, & qui latus Principis stipabant, animo labarent (neque enim illis quæ in reginam patrauerat, placuit) de salute sua solicitus, in angustiam mentis incidit. Constantinus uerò nobilissimus aliquantulum lenijt. Qui cum armatis ad regiam properabat, armatos quosdam seditiosis opponens, qui sagittis ac fundis eos repellerent, ac clàm plerosque mittens qui reginam reducerent. Reductam ilico in editiori theatri loco statuunt, seditiosis ostentantes, ut nonnihil animos eorum placarent, domina eorum reuocata. Sed ex habitu nigro ac uili reginæ, magis in iram accensi ac exasperati, in furorem ruunt, ob maleficentiã tyranno infesti. Sic Zoe restituta populo gratias agit. Sed tandem deficiunt à regina Zoe, & conuertuntur ad eius sororem Theodoram, quam ex habitatione sua eripiunt, & in magnum templum Sophiæ deducunt. Vbi ab omnibus, & senatorij & plebeij ordinis, simul & ab ecclesiasticis Theodora Augusta & Imperatrix salutatur. E qua re spes omnis Michaeli & suis sublata est. De uita igitur sua solicitus Imperator, cum fratre nobilissimo ex aula commigrant, & naui Perionnymon studij mansionem festinãt: regnicq; insignibus positis, monachi habitum assumit Imperator. Quod ubi populus resciuit, gaudio elatus, ouans urbem circuit. Qui uerò circa Theodoram erant, timentes ne soror Zoe eiectum reuocaret, ne ue soror regni socia efficeretur, inclinante die mittunt qui utrosque oculis orbarent. E sacrario itaq; mansionis studij extracti abducuntur, ingenti confluente multitudine obiurgãte ipsos atque irridente, ac compositis carminibus illudẽte. Vbi ad Sigma (quod loci nomen est) peruentum, oculos illis eruunt, familiari Græcis pœna. Constantinus calamitatem magno fert animo. Michael effœminatus, deos atq; homines testatus, muliebriter eiulauit. Postquam igitur utrisque tenebræ offusæ sunt, qui carnificinam hanc exercuerant, ad Theodoram reuertuntur, adhuc in magno Sophię templo manentem. Zoe uerò erat iuxta palatium, minimè consentiens in sororem regni consortem: nam hunc illi honorem inuidebat. Senatus uerò ambas uenerabatur: hanc quidem ut iamdudum ipsorum reginam, illam uerò ut nuper assumptam, & quæ excussæ tyrannidis causam præbuisset, Suadent sorori annosiorem sororem imperij consortem accipere. Sic

Michael rerum potitus, menses quatuor, dies quinque,
perijt in exilio, quo dignior erat
quàm Imperio.

Zoe

ZOE IMPERATRIX.

DEGENERAVIT & in gynæcea Romanũ imperium, quod flagitia Principum fecêre: ideo circa fœminas in imperio nihil innouatum est, sed duabus sororibus imperij fasces & maiestas asserta. Præsidebant itaque ambæ, omnisq; ab eis perferebatur imperij moles. Sed Senatus atque exercitus auctoritas erat amplissima. Satellitio equidem eadem, quæ sub Regibus forma mansit, quinque primi cõsilij, & qui ultimi erant, in suo ordine aderant. Inquisitio iudiciorum, & exolutio publicarum contentionum, senumq; interpellationes & comitia, aliaq; Imperium decentia, ab ipsis sunt ministrata. Verùm Zoe solicita ne Imperium soror sola occuparet, quandoquidem illi soli deberi plerique cauillabantur, quòd causa depositæ tyrannidis fuisset: siue uiri desiderium, & uenereorum cupiditas ac ardens libido Zoen induxit, ut sibi conuicturum regem in palatium ducendum quæreret, in Constantinum Dalasse-num, quòd ei forma esset digna imperio, qualis ad amores illicere posset animum etiam adulterijs non deditum, totis (ut aiunt) uelis aspirauit. Sed obstabat ei, quòd haud illustri patria ortus, obscuris esset natalibus, ac præterea moribus difficilis, inconsideratè nonnunquam loquens. Quę tamen omnia uix ab amore Imperatricis abstulissent, nisi morte preuentus subita, quam uxor per zelotypiam machinata est, mortiferum illi poculum temperans. noluit enim maritum uidere alteri condormientem. Ardor igitur Imperatricis in hoc extinctus, in Constantino Monomacho reuixit: regij stemmatis uiro & illustri, à Romano Imperatore per neptem in affinitatem accito. Auxit amorem consuetudo, qua Imperatrici insinuatus est. Nam proximè aulam enutritus est: & cùm se familiarem Reginæ faceret, gratijs plenus, beneuolo semper animo ipsum amplexa est, adeò ut in suspicionem plerisque eorum amor ueniret. Vnde Michael imperator pòst Romanum ob zelotypiam relegat, exulem illic toto tempore sui Imperij agens: nec alterum Michaelem benigniorem expertus est. Vbi uerò in Zoen Imperium redijt, ab exilio in Constantinopolim reductus est: ubi in itinere à Regina quidam missus, ueste regia illum induit iuxta templum in Dobotiania, & cum regio satellitio ad Imperatricem deduxit. Fitq; mox sacerdotũ cerimonijs regibus nuptiale sacrificium: patriarcha uerò Alexius propter trigamiam abstinuit manu sua sacrificium nuptiale conficere. Sed ad coronationem impellitur, & coronatur Monomachus, sceptrumq; Romani accipit imperij, cùm fœminarum imperium uix tribus mensibus exactis perdurasset.

CONSTANTINVS MONOMACHVS.

IMPERIVM fœminarum desijt in Monomacho. Qui Princeps fuit adeò ignauus, ut tũ primùm imperij labes prima orta sit. Neq; enim aut sapientiæ aut dignitatis rationem habuit: honores citra modum accepit, pecunias sine ratione distribuit: & quibus non debuit, donauit: adeò prodigus, ut si una die regias opes omnes dilapidare potuisset, non admodum magni æstimaret. Delinquentibus facili causa remittens culpam, nulli succensebat: uoluptatibus deditus & delicijs, ut tristitiam ac perpessam in exilio calamitatem, regnũ nunc adeptus, immoderata lætitia dilueret, simul ut Reginis gratificaretur: facillimis præditus moribus, & admodum effœminatis. Literas minimè curauit, qui studia uix summo labro degustauit: magis intentus luxuriæ adeò perditè, ut mortua secunda quoq; uxore, tertiò matrimonij aleam experiundam non censeret, sed nepti ex fratre uxoris suæ uiduæ cõuixit: primùm quidem clàm, postea uerò palàm sine rubore. Hæc enim cùm annis iunior esset, for-

maq; eximia & genere illustri, utpote de Sclerorũ prosapia, sic mutuò coaluerant amoris ardore, ut separari inuicem non possent. Ob id simul ipsa damnatũ in exilium sequuta est, omnia illi aduersa faciens mitiora, calamitatem alleuiãs, & propria bona, quò indigentiam abigeret, subministrãs: spe principatus, qui illi à quibusdam uaticinabatur. Leuatus igitur in imperium, non est oblitus beneficiorum. Reginã precatur, ut hæc mulier reuocetur, & suis facultatibus potiri possit. Quod non renuit Regina: quæ iam ob ingraescentem ætatem decrepita, zelotypiam abiecit, moderatior longa ætate & experiẽtia facta. Abducitur igitur Mitylenis Sclerena Habra, pulchra, regio satellitio comitata, palatium ingressa, ubi ei hospitium datum est. Nam propriã domum Monomachus illi ædificare destinarat, ut illam, si quãdo liberet, tutò accederet: amorẽ celans, nõnihil erubescebat. Postea posito pudore, mulierem, non ut pellicem aut concubinam, sed ut coniugem deperibat, & ideo in aula cõuictricem hanc et cohabitatricem habuit, Regina consentiente: cui persuasit, firmiorẽ inter ambas eas fore amicitiam. Nec irata est, sed ob honorem quem multum illi detulerat Augustæ & Reginæ Imperator, passa est. Sæpe etenim inter ambas in medio pranca. Nec regina Zoe Imperatrix uera Imperatorem adijt sola, nisi eã abesse certò sciret. Verùm nõ diu hæc fœlicitas durauit. Mortua enim amica, Imperatori magnum luctum relinquens, lęticiã omnem extinxit: subsequuti dolores & angores, tum ex bellis ciuilibus, tum ex publicis. Sed duo ciuilia primùm prosequemur, de alijs deinde scripturi. Primùm excitauit Georgius Maniaces, uir animo promptus, et manu strenuus, gerendoq; bello aptissimus. Is à duabus Reginis sororibus cùm imperio præessent, in Italiam missus, bello exacturus, qui eam ingressi erant, & sibi uindicabant loca Romanę ditioni subiecta, quæ recuperare omnibus neruis laborauit. Cùm uerò Monomachus imperium sortitus Romanũ, Sclerum fratrem amatæ Cæsaris concubinæ, potentem, magnumq; feciſſet, magistrum creauit, ac Protostratum per Orientalem regionem. Qui finitimus domui Maniacæ, ueteris memor iniuriæ ac inimicitiæ, quæ potuit incommoda uiro intulit, etiam thalamo suo iniuriatus. Quæ nunciata Georgio, multum illum perturbarunt, ac tantum dolorem concitarunt, ut ab Imperio deficeret: certus nullã se habiturum iusticiam apud Constantinum, qui sororem huius pellicem deperiret. Iacta itaq; alea, principatum affectauit, quòd magna exercitus pars illi tanq; excellentissimo Duci adhæsit. Traiecto itaq; in Epeirũ exercitu nauibus, maiores sibi copias cõparat, omnia tumultu replẽs. Rex certior factus literis, meliora Maniacę promittit, si arma deponat: sed qui semel ad tyrannidem aspirasset, arma deponere ueretur, populatur quæ potest. Rex igitur illi occurrere statuit: sed non ausus est præstantem aliquem ducem aut in re bellica probatum mittere, ueritus ne ille tale quippiam audeat. Mittit itaque è cubicularijs suis eunuchum quendam satis illi fidum: qui potestate accepta, abijt. cui Maniaces occurrens, sperauit inordinatũ obruere exercitum. Sed cùm spe sua destitueretur, utraque acie stante, rectè fit conflictus et prelium ingens. Georgius letali uulnere læsus, plurimo emisso sanguine, ex equo in terram freno manu excidente labitur: omnibus iam membris solutus, statim expirat. Milites sine duce terrore correpti, sparguntur: Duci caput adimitur, quod Imperatori eunuchus transmittit, quod in theatro sublime ponitur. Subsequutus eunuchus cum exercitu urbem triumphans ingreditur, Imperatore apud forum in præparato loco (qui Chalce uocatur) cum magno splẽdore & apparatu presidente, utrinque Reginis assidentibus. Sub id tempus Patriarcha Alexio mortuo substituitur Michael Cerularius. Imperator autem ex mansione Alexij uigintiquinque auri centenaria illic deposita sustulit. Eunuchus uerò Iohannes Orphanotrophus, frater Michaelis imperatoris, ea tempestate Mitylenis priuatur oculis: siue Imperatoris iussu, qui eum odio prosequebatur ob exilium

suum

ſuum lõgum,ſiue legitima cauſa illi decretum,ſiue regina Theodora (ut aliqui dicunt)ita iubente abſq; regis conſenſu. Qui paucos dies excæcationi ſuperuiuẽs, uitam clauſit. Alterum ciuile bellum contra Monomachũ Tornitius Leo excitauit,qui ex materno genere Imperatorem contingebat.Hic Oreſtiada habitans(ſic enim olim ab Oreſte Agamemnonis filio Hadrianopolis uocabat) Macedones habuit ſecum ſentientes,tanquam optimo uiro,et forma egregio, & conſilio prudentiſſimo.De quo etiam uaticinium prodijt,ipſum aliquando imperaturum. Ob id ei infeſtus Imperator,non debito illũ honore afficiebat. Soror uerò regis Euprepia,generoſa mulier & conſtans,in fortuna ſplendida, diuitiarumq; abundantia educata,gratum eum habebat, exiſtimationẽ illi magnam tribuens,ob prudentiæ excellentiam.Cùm uerò contemptim haberentur ambo ab Imperatore,& Imperator ſororis ſuæ erga Tornitium familiaritatem ſuſpectam haberet,longiſſimè eam à ſe amouit.Tornitium uerò apud Hiſpanos iuriſditioni cuidam præponens,conueniens illi decreuit exilium.Quo 223
ille abijt quidem,ſed ſpe ſua non decidit. . Quod cùm regi eſſet annunciatum, animo concuſſus, mittit qui ei pilos abſcinderent,ut defectis comis,ſpes quoque regnandi amputaretur: & nigram ueſtem indueret, qua ei ſplendor fortunæ obſcuraretur. Sed neque ipſe hac re animo deiectus, irridens potius regis imprudentiam, neque Macedones ſpe ſua deiecti, noctu eum ex regia urbe eduxerunt in Adrianopolim, metropolim ſuam, beneuolentia omni ac obſeruantia proſequentes,magno militum concurſu. Qui Imperatorem odio (quod malè illis uteretur) proſequebantur. Poſtquã igitur magna manus accurrit,regijs acclamationibus rex eſt à militibus ſalutatus.Accedunt Orientales exercitus & urbani,utrinq; Monomacho infeſti.Huiuſmodi ſpe leuatus,ad urbem duxit exercitũ,obſidione preſſurus,ſi eum non ſuſciperent.Mane adducto exercitu iuxta mœnia apud Blachernas aperiri ei portas rogabat,promiſſionibus onerans eos qui intus erant, ſecundum cuiuſq; fortunę ſplendorẽ.Sed ſubſannantibus illum ac cauillantibus,accingitur ad obſidionẽ.Imperator contrà militibus paucis,& turba urbana ex ſenatorũ ſeruitijs ad mille coacta , ante mœnia loçauit,ut hoſtibus terrori eſſent,& tyranno . Simul & ipſe Imperator regio thalamo in campum obuerſo,regio more collocat,ac illis conſedit,ut hoſtes uideret ac uideretur. Macedones huius uanitatis contẽptores,ei illuſerũt: chorosq; conſtituentes,compoſitis carminibus,comœdias ſaltarunt, plaudentes ac canentes.Et cùm Cæſariani in hoſtes erũperent, illi in portas impetũ fecerũt.Cuſtodes in foſſas ſeſe precipitarũt,inde aufugientes;tãta penuria ijs incubuit,qui pro muris ſtabãt,& qui portas urbis cuſtodiebãt,ilico inutiles facti aufugerunt, portas relinquentes apertas. Si itaq; Tornitius uincere ſciuiſſet,ſine omni impedimento urbẽ ingreſſus, rerũ omnium eſſet potitus. Sed neſcio qua cauſa fugit,cùm iã Imperator quoq; periclitaretur, ex iaculo miſſo in ipſum: quod in cubiculariũ quendã decidit,uulnere tamen non letali. Alicubi itaq; ſedes eius translata,& urbs firmiori cuſtodia munita, cùm tyrannus rurſus exercitum adduceret,priori fœlicitate amiſſa,depulſus eſt.Funditoribus eñ ex machinis lapides mittentibus,tantũ pauorem tyranno et ſuis iniecerunt,ut obſidionẽ ſoluẽtes, in caſtra ſua redirent,nec urbis expugnationi amplius reſiſterẽt, ſpargentibus etiam ſe militibus:quorũ pars ad Imperatorẽ defecit,pars aliò aufugit. Soluta igitur urbis obſidione abiens, plenus ſpe Thacienſis præfidij acquirendi,hinc quoq; depulſus eſt.Tantum eñ Orientalium uirium ab Imperatore eò conuocatũ fuerat,ut tyrannum repellerent. Quare magis ſoliciti,cæteri quoq; tyrannum deſeruerũt, cùm Orientales copiæ & literis & ſermonibus ad Imperatorem deficiendũ ſolicitarent nõ modò gregarios militares, uerùm illuſtres ac exercituũ urbaniſq; functos præfecturis: ſolo Baratze ex inſignioribus permanente,cum quo Tornitius ad ſacram ædem confugit. Ineuitabilis nanq; erat undiq; captiuitas. Capti igitur,ac compedibus uincti,Monomacho

adducuntur,uterq; oculis priuatur: & defectio ita desijt, & utrunq; ciuile bellum extinctum est. Nunc ad Barbaricas pugnas transeamus.

In Illyrico prima belli fax orta est. E Byzantio enim uir quidam Scytha profugit Boisthlabus nomine, qui magna collecta multitudine, in montibus Illyricis ueluti fera quędam belua latitabat, finitimas montibus gentes, Romanis subditas, latrocinio infestans: Triballos scilicet, & Serbos, & quicunq; illis coniuncti fuerant. Imperator id intelligens, scribit Stephano præsidi apud Dyrrhachium, ut illum profligaret. Quod ubi Boisthlabus intellexit, disciplinæ militaris imperitus, imprudenter contra illum pugnam arripuit, suis ingentem ob suam temeritatem cladem inferens. nam uniuersus exercitus fusus, stratusq; est: qui superfuerant, cùm cæsos uindicare nequirent, fuga salutem quæsiuerunt, ipse cum paucis ægrè seruatus est. Hoc pacto res Illyricę sese habuerunt. Nunc de Roxolanorum incursione dicendum. Hic populus (ut superioribus patuit) contra Romanos sæpius bellum gessit, uictus tandem ictis fœderibus, pacem cum Romanis & amicitiam fecit, ut per uicinitatem et coniunctionem concordes populi coalescerent, & commercia exercerent. Erant igitur tum Tauroscythæ plures apud Constantinopolim, ab ipsis dediti, & auxiliares. Discordia itaque Scythijs contra Romanos orta, ita accidit, ut res ad uulnera & cædem ueniret. Inter cæsos uerò unus primorum inuentus, occasionem præstitit, ut eius terræ princeps contra Romanos commoueretur: statimq; confectis nauibus admodum multis, quę apud eos Monoxyla uocantur, de solido scilicet atque uno ligno, bellum atrox Romanis mouit, impositis nauibus uiris immenso penè numero. Rex ubi Propontidem ingressi sunt, oratores obuiam mittit, iubentes arma deponere: Curaturum regem de remedio, si quo malo affecti essent. Barbarus arroganter legatos excepit, uerba arrogantię & iactantię plena dedit, minusq; honorificè dimisit. Imperator desperatis pacis cõditionibus, & ipse ad naualem se pugnam apparat. Sed quia classis propè non erat quæ terras tueretur, comparatis quibusdam triremibus & onerarijs, liquidum ignem copiosè illis imponit, ac scaphis barbaricis opponit. Ipse præsens ac suprà in portu quodam sedens, præcepit Theodorocanum tres triremes accipere, ac Barbaros in pugnam irritare. Sed hic non pugnę initium, uerùm nauale certamen molitus, scaphas quasdam Barbaricas incendit igni liquido, quasdam dimersit, unam uerò comprehendit. In quã insiliens ipse, alios ferro cędens, alios territãs in uincula consternatos accepit captiuos. Postquã tam fœliciter cessit trium triremiũ in aduersarios progressio, alijs quoq; onerarijs Imperator signũ dedit pugnæ. Quas ubi Barbari eductas aduentare cognoscunt, ordines soluũt, puppibusq; obiectis in fugam uertuntur. Sed & uentus illis aduersus, qui repentè ortus ex Oriente in Occasum spirans, tempestatem ingentem mouit: qua multæ Barbarorum naues, pars fundo traditæ, pars scopulis ac saxis allisæ confractæq; sunt. Subsidia uerò illorum, partim unda absorbuit, partim insidens turba militaris in ripis corripuit, tempestate ereptos. Sic igit̃ deuicta Barbarorum multitudine, Imperator ouans ad regiam redijt. Sed Turci, aliud Barbaricum genus, hoc tempore Romanos infestare cœpit, totam Asiam peruagari incipiens, & breui tota Orientalis plaga in eius ius deuenit, & usq; ad obiectam Byzantino freto continentẽ peruenit. Quod latius inferius scribemus, cùm de origine Turcorum, & quo pacto ex Asia in Europam migrarũt, narrationem prosequemur: ubi scitu dignissima ex receptis autoribus enarrabimus. Tum Patzinacę etiamnum Scythica natio, & populosa, ultra Istrum habitans, in Europę partem cõmota est. Erat tunc gentis princeps Tyrach, uir ut in hac gente illustris, ita moribus sęuis & asperis. Alter uerò gentis dux Cegenes, si genus spectes ignobilis, industrius uerò & strenuus, multisq; in bellis summa cum laude uersatus, & ob id populo percharus. Quem Tyrach occidere parauit, multis insidijs hominem aggressus. Idcirco duabus sibi tribubus adiunctis,

quum

quum omnes numero essent xiij. Istrum trajcit: & cum Romanorum fines attigisset, transfuga ad regẽ se proficiscí præsidi prouinciæ memorabat, ac se non inutilẽ pollicebatur. Imperator Scythas adducere iubet præsidem. Cegenes in conspectũ regis perductus, salutifero baptismate accepto, inter patricios cooptatur. Sunt etiã cæteri, qui cum eo uenerant, lauacro sancto abluti. dehinc expeditionem faciens in terras Istro finitimas, fluuiũ transgressus, eos qui sub Tyrach erant infestauit, multarũ rerum prẽda abacta. Incensus itaq; ira Tyrach, legatũ Imperatori mittit, accusans eum quòd desertorem gentis suæ susceperit. Et nisi profugũ à gentis suę molestatione prohibeat, ac sibi tradat; adfuturũ se ilico cum immensa multitudine uirorum, qui omnia tumultu bellico impleãt. Cui Imperator, nec proditorem ad se uenientem prohibere, nec ulcisci insidiatores se uelle asseruit. Tyrach itaque quoniam hyems instabat, & Ister frigore congelabatur, cum tota gente Istrum pedes transijt: direptisq; Romanorum terris, obuia omnia corrumpebat. Imperator præsidi prouinciæ & Cegeni supperias misit. Patzinacæ sanè, reperta esculentorum ac uini copia aliorumq; potuum ex melle confectorum abundantia repleti, ueluti insatiabiles, morbum contraxerunt intestinorum, quem Cœliacum uocant: quod ex transfuga Cegenes intellexit, atque ideo Romano exercitui hostes inuadere suadet. Barbari Romanorum in se aduentum uidentes, morbo correpti eiulabant: ac timore perculsi, abiectis armis supplices facti sunt, Romanisq; sese dediderunt. Sed aliqui ferro obtruncantur, aliqui in seruitutem auro ueneunt: reliqua turba, quæ utilis fore putabatur arma ponentes, in Bulgarorum terras, quæ penè desolatæ fuerant colonis, iubente Imperatore imponuntur. Tyrach cum primoribus gentis Imperatori adductus, accepto diuino baptismate, splendidis dignitatibus honestantur. Cæterùm cùm bellum Romanis ea tempestate cum Turcis in Oriente esset (ut paulo antè diximus) electis xv. Patzinacarum milibus, hisq; armatis ac equis donatis, præpositisq; ex eodem genere ducibus, Chrysopolim transire, ac deinceps Hispaniam (ordinato ipsis itineris duce) iussi sunt proficisci. Sed cùm iuxta Damatrin uenissent, constiterunt, ulterius pergere recusantes: imò retrò abeuntes, cùm ad fretum usq; peruenissent, cum equis trãsfretantes circa S. Tarasij templum, statim ordinato agmine incedentes cognatos suos conuenerũt. Quibus adiuncti, in finitimis Istro terris castra posuerũt: ac facto impetu Thracias populabantur. Sæpe uerò ab Imperatore missis contra eos exercitibus, prævaluêre Barbari, qui per omnem Thraciam ac Macedoniam hostiliter incursantes, prædas abegerunt, donec cũ Romanis, fœderibus pacati quieuerunt. Sultanus uerò in Oriente nunquam cessauit terras atque urbes Romanorum uexare, alias spolians, alias excindens, ac in eas colonias deducens. Quare magna Orientis pars orthodoxis est ablata à Barbaris, quibus facilis aditus in Romanos fines dabatur, quòd licet Imperator tributa gẽtibus præscriberet, nulla tamen præsidia posuit. Exhauserat enim imperatorios ac publicos thesauros: & ob id pecuniæ indigus, turpissimis exactionibus prouincias expilabat, & ex nouis uectigalibus substantias prouincialium corradebat. Nec tamen terras tuebatur, nec quibus oportuit publicas tribuebat pecunias, nec quantum debebat, nec quando decebat. Nullum autem opus egregiũ extruxit, solam ædificauit domum quæ Manganorũ uocatur. Quod ædificium propter amicam suam Sclerenam cœpit, ut illa eum conuenire posset, & conuiuere, in domo Cynegij tunc habitantem, prætextu sacræ ædis extruẽdæ: nam totus erat libidini deditus. Zoe etenim tum Imperatrix iam tum septuagenaria decessit, quam effœminatè deplãxit. Sed iterum amore perditus cuiusdam puellæ, ex Alanis in obsidem Romanis datæ, primatis huius gentis filiæ. Quam in aulam inducit, Augustamq; appellat, regiamq; familiam addidit, largos abundè sumptus subministrans. Et nisi Theodora regina obstitisset, pudore & uerecundia abiecta, quaternas cum ea nuptias celebrasset, Imperatricemq;

dixis-

dixisset. Sed non durauit illi regius honor rege mortuo: sed fortuna mutata, in priorem obsidis sortem recidit. Passus est autem insidias Imperator, quas illi Romanus Belas machinabatur, uir plebeius, lingua titubante, qua cunctis sæpe risum ciebat: sed fraude plenus & simulator maximus, naturæ uitiũ dolo obscurabat. Mirum itaq; illo rex oblectabatur, audiens loquentis errata in articulatione uerborum: eiq; adeò factus familiaris, ut omni tempore liberum ad principem haberet aditum. Nec ei gynecæũ occludebatur, sed omnia illi erant peruia. Affluebant illi utrinq; diuitiæ, & ex triuio breui in senatorium ordinem est arreptus. Dehinc imperium quoq; uir ineptus affectauit, si Imperatorẽ occideret. Quos itaq; ab Imperatore uidit alienatos, in hoc arcanũ adducit, multos incitans, spe magna arripuit. Et cùm illi liber semper pateret diu noctúque ad regem aditus, facillimũ putabant Imperatorẽ posse occidere. Patrasset sanè nefas, nisi conscius quidam regi hoc indicasset. Deprehensus igitur cum ense quo erat Imperatorem aggressurus, uulneratur, sed non letaliter. Quandoquidem per indulgentiam rex illi nihil potuit molesti inferre, uolens per hoc magnanimus uideri, cùm minus prudenter faceret: conscios uerò omnes puniuit. Ob incontinentiam aũt mox cùm rerum potiretur, articulari morbo comprehenditur, primùm factus podagricus: & usq; eò morbus paulatim auctus, ut neq; pedibus consistere amplius posset, sed aut ferebaẽ lectica, aut innixus baculo ambulabat. Progressu temporis manus quoq; usum suum amiserunt, articulorum usu penitus destitutus. Tandem pleuretide correptus, finem uitæ sibi adesse cognouit. Ob id magnates, & qui primas partes apud Imperatorẽ habebant, suadent ut de successore cogitet: quòd illud admodũ necessariũ esse uideret illis qui cum eo annis aliquot uixerat familiarius. Inter hos erat uirunculus quidã Ioannes Rationarius, ignobilis genere & obscurus, in expediendis negocijs ineptissimus, nec literis ad necessitatem edoctus, cui omnẽ publicorum administrationem negociorum Imperator commiserat, tanquam consiliariorũ principi. Cùm ante illi fuisset uir genere, ratione & prudẽtia planè contrarius, Lichudes nomine, qui cũcta administrabat: sed quòd Imperator in ijs quæ decentia non erant non assentiret, à publicarum rerum functione eum deposuit, Iohanni gubernationem credens, ne ab ijs quæ decreuerat impediretur. Egressus igitur urbem Imperator, de successore cum suis cogitans, cùm Theodoram omnia celaret, ipsa regiam magnam ingreditur, Regio ad se accersito satellitio: ad quam etiam Senatus quoque confluxit, qui eam Imperatricem declarauit: utpote ad quam hæreditario iure principatus pertineret. Hoc ubi Monomacho significatum est, maximo affectus dolore, quàm diu uixit (quod admodum exiguum erat) suspirijs ac mœrore contabuit, & ilico defecit: cùm annis imperasset duodecim, mensibus octo: in Mangana, quam extruxerat, ædes sepultus. Hæc ex Zonara.

THEODORA IMPERATRIX.

POST Monomachum & Zoen, imperium iterũ ad fœminam Zoes sororem Theodorã redijt, quæ prius cum sorore (ut scripsimus) regnauit: idq; auxilio amicorum eunuchorum paternorum, qui potentes erant. Accepto itaq; imperio, Imperatorem negocijs præponere noluit, potestate lætata, quoad uixit, in regno penes se retinẽs omnium rerũ gubernationem: à suis ita admonita, quos primarijs præfecit magistratibus. Ciuilium uerò rerum iurisdictionem Syncello Leoni, qui Paraspõdylus uocabatur, tradidit, qui prius Michaeli Imperatori seruierat. Ipsa uerò dignitati præsidebat, & per seniores ius dicebat, studebatq; gratiæ multitudinis, sedulam legum habens curam, decreta & sententias ferebat. Vescebatur autem publica & communi ratione, fœlixq;

fœlixq; erat sub ea Respub. Nec enim in eam quisquam coniurationem molitus est, nec præstabantur à subiectis negligenter quę iussi erāt. nec ulla sub Romanis natio tumultuata est, sed erat undiq; temporis ātrquillitas, ac omniū rerum ubertas, domi foriscq; ociū ac quies, terra ipsa fructus abūde subministrante, adeò ut neminem fœminei pœniteret imperij: sed serò, ac annis iam plena, rerum est potita Imperatrix, eundem imperandi tenorē ac modum in annis habens. Erat enim corpore robusto, quod facilè labores tolerabat. Sed cùm iam uergeret in grauescentē ætatem, morbo iliaco laborare cœpit: qui morbus grauiter eam molestabat, adeò ut omnes sui spē de eius salute amitterent: licet monachi quidā multa adhuc uitæ tempora uanè pollicerentur: ut est superstitiosum genus hominum. Conuenientes itaq; senatores & cæteri, consultabant quemnam in principatū substituerent, qui ipsis & facultatem & fœlicitatem conseruaret. Visus est igitur huic oneri aptus Michael militaris uir, Byzantij quidem ortus, ad negocia uerò imperialia ob naturalē segnitiē ac simplicitatē, ac annorum grauitatē ineptus. Iam capularis senex erat, & morti proximus. Suadēt igitur reginę, hunc potissimū imperio præficere. Isaacium namq; Comnenum uirum fortissimū exercituí prefecerat. Et prius multi, antequā regina rerum potiretur, Nicephorum quendam, qui Bulgarię prerat, Imperatorē optabant. Sed hæc ilico Michaelē imperiali diademate cingit, prius sacrosancto accepto iuramento ab eo, ne quid in administratione ista præter Senatorum sententiam cōmitteret. Vix illa perfecta sunt, cùm spiritus & uita ipsam deserunt, cùm anno uno ac mensibus nouem præfuisset. Ex Zonara hæc excerpta.

AD LECTOREM.

Reuertendum est itaque nunc ad Germanos Imperatores, ut tempora quantum possumus iungamus. Nam Hermannus Annalium scriptor (ut suprà monuimus) Henricum *III.* tradit legatos ad Græcum Imperatorem misisse, qui fœminā imperio præesse inueniebant. Sigebertus aūt Heuricum *III.* tradit imperasse, cùm Monomachus Cōstantinopoli imperaret. Cōiunximus igitur totam hanc familiam Zoes & Theodoræ, scripturi nunc Germanos, post auum Conradum prius scriptum patrem & filium, ut bona serie omnia intelligantur.

HENRICVS III▸ IMP▸ AVGVST▸ NIGER, PIVS DVX FRANCONIAE ET COMES IN ĸALAVV.

HENRICVS huius nominis *III.* (nam aliqui primùm excludunt à Cæsarum catalogo, quòd Romam non adierit) Conradi Imperatoris ex Gisela nobilissimi stemmatis fœmina, filius, non gener, ut perperam quidam & fabulosè commemorant, genealogias principum non ignorantes. Ob maternam enim hanc originem, uisum est imperium ad antiquum redijsse germen. Viuo patre consors imperij adscitus, ac Romanorum rex designatus, ab electoribus confirmatus est. Princeps humanus, natura facetus, hilaris & largus, hostibus tamen sæuus. Defuncto patre, mox in Boemos rebelles copias ductauit, quòd annuum censum, centum scilicet boues electos, & quingentas argenti marcas debitas & promissas, non persoluerent. Sed periclitatus in syluis, quæ ueluti claustra Boemiam cingunt, sectis arboribus & incisis, multisq; militibus qui iam redire nequiuerant cęsis, irrito conatu remeare coactus est. Sed paratiore instructus exercitu, denuò hostes aggreditur, gentemq; attriuit, ac ducem eorum Vratislaum cepit. Quem mox coegit mille & quingentas argenti marcas, trium scilicet annorum censum persoluere, obsides dare, & ad

& ad deditionem Ratisbonam uenire, regnum tributarium faciens, ut ex Annalibus Boemicis Cosmi Pragensis Decani liquet: licet Petrus Hungariorum rex subsidia duci contra Cæsarem misisset, qui mox auxilio Cæsaris egebat. Nam Petrus tum rex Hungarorum, cùm externos plus dilexisset Hũgaris, indignationem suorum incidit. Qui anno regni eius tertio conspiratione facta, eum regno deturbarunt, Aba rege iuuãte. Petrus fugiens in Bauariam, Henrici Cæsaris opem petijt. Quod ubi Aba rex (quem Ouonem cæteri uocant) intellexit, missis legatis Cæsaris animum explorantibus, hostem expertus, coacto exercitu in utraq; ripa Danubij Austriam depopulatur, & Bauariam. Cum ingenti præda & captiuorum numero in Hungariam reuersus, etiam prius Carinthia spoliata. Indignatus idcirco Cæsar, qui in absentia ab Hungaris immeritus talia erat passus incommoda, consilio Principum magnis collectis copijs Hungariam ingreditur, præmisso Vladislao Boemorũ duce. Qui cõfinia Hungarorum ingressus, populatus est ea. Hungari missis oratoribus cũ magnis muneribus, Cęsarem rogarunt, ne Petrum regno induceret: pollicíti sese captiuos cum omni præda ablata restituturos. Gerebat tum bellum Henricus contra Gotefredum Lotharingorum ducem. Res itaque in aduentum suum in Bauariam suspensa est. Dehinc data opportunitate, Cæsar cum exercitu Hungariam ingressus per Sempronium, quod hodie corruptè Suppronium appellatur, Rabam fluuium (licet mandasset) quibusdam Hungaris ductantibus, tandẽ traiecit. Aba rex in laurino, quod rectius Scaurinũ nominatur, cum magno exercitu certus penè de uictoria, Cæsarem expectat: commisso q; prælio, Aba rex uictus fugit in uillam quandã, in qua à suis crudeliter est iugulatus. Quamuis ingens etiam Bauarorum turba eo prælio ceciderit, ut etiam locus ille Alamanica lingua insignitus Verloren Bayren, Hungarica autem Vestnempti uocetur etiam hodie. Dehinc Albam regalem ingressus Cęsar, Petrum denuò insignibus regijs decorauit, regnoq; restituit: tum Ratisbonã remeauit. Sic Hungariam uarijs motibus agitatam sedauit, ac quietam reddidit. Sed rogatu (ut fertur) Alberti Marchionis Austriæ, cuius leuir erat Petrus, & quem plurimũ dilexit. Sub id tempus Gisela Cæsaris mater carnis debitum soluens, Spirę sepelitur. Ac æstas pluuiosa peneq; hyemalis, magnam frugum & uindemiæ penuriam facit, famemq; ac crudelem pestilentiam generat. Cæterùm maior longè turba Romæ orta est ex discordia pontificum, ob tria scelestissima & teterrima monstra. Nam Benedictus IX. Syluester III. & Georgius XII. põtificatum mercabantur, uendebant, diuidebant: & quæcunque ambitio aut luxus postulant, impunè exercebant. Ob id exercitus Cęsar, ingentibus copijs Romam uenit, ecclesiasticam dignitatem compositurus, quam obsidione cinxit. Dehinc ualido exercitu ingressus, celebrata Synodo, multa decreuit: deiectisq; illis teterrimis monstris, Suidegerus secundus Babenbergensis antistes, natione Saxo, sed multæ pietatis ac religionis præsul, inuitus & reluctans summus pontifex creatur ab Imperatore: qui pòst Clemens II. dictus est: à quo Henricus cum coniuge Hagnete benedictione imperiali consecratur, Augustusq; ac Imperator uictoriosus acclamatur, insignibus imperialibus condecoratus. Sunt tum Romani ciues à Pontificum lectione iureiurando, nisi cum assensu Imperatoris, prohibiti. Fertur, quòd eodem conuentu Imperator cum omnibus regni sui optimatibus, ducibus, marchionibus, & episcopis id suadentibus, Vratislaum tam Boemiæ quàm Poloniæ præfecerit, ac regalem circulum capiti eius imposuerit, quali diademate hodie adhunc utuntur. Cùm Romæ aliquot dies summa cum gloria peregisset, demissa exercitus parte, Capuam ipse profectus, Calabriam à Sarracenis purgauit, castella rebellantia solo æquauit, Ravennati ecclesiæ Himifridum cancellarium suum præsulem dedit: in qua terra Agnes Imperatrix filiam peperit. Pacata itaque Italia, Imperator ingressus, uix Germaniam attigit, cùm Clemens pontifex Romanus ueneno (ut fertur) intoxi-

intoxicatus periit. In cuius locum imperator Brixiensem episcopũ Poponem & Aquileiensem Patriarcham, Romam mittit. Qui benignè susceptus, Pontifex creatur, & Damasus cognominatur, paucis diebus uixit. Per legationẽ igitur rogatus imperator ut ecclesiæ prouideat, Brunonẽ Tullensem Antistitem Romam mittit. Qui suasionibus Hildebrandi monachi, pontifex à clero tandem eligitur. Vir sanctimonia uitæ celebris (cui postea nomen Leo IX) ex Alsatia genitus, ex comitibus de Dabisburgo, ut pleraque hodie adhuc testantur monumenta: potissimum monialium monasterij S. Crucis, quod nuper defecit, & alia sacra loca ab eo dicata. Hic à Nortmannis circa Beneuẽtum captus, tamen non sine honore Romam remissus est. nam maximũ illuc exercitum imperator miserat, qui Apuliam tueretur. Fuit hic Bruno Pontifex Apostolicus Mogũtiæ cum imperatore in synodo, quæ illic pulchris cerimonijs magna hominum frequentia colebatur. Fuit & Ratisponæ cũ imperatore, cùm diui Dionysij reliquias (de quibus dubitabatur) astantibus Parisiorum legatis, approbaret, & corpus S. Vuolfgangi à tumulo leuaret. Inde est cum imperatore Babenbergam profectus, priuilegia ecclesiæ confirmans & augens. Tum Vuormaciam simul concesserunt, natale Dominicum simul celebrantes. Vbi quædam inter Apostolicum & Moguntinum Archipræsulem contentio suborta est. Sed Metropolitano sua iura defendente, cessit Apostolicus honorificè. Hinc reuersus est in Italiam, quinto Pontificatus sui anno diem claudens. In cuius locum Gebehardus Bauarus Eistatensis episcopus (uel, ut alij tradunt, Laureacẽsis) sufficitur, Victor II. dictus. Cui cùm olim sacrificaret Diaconus, in calicem suffudit uenenum: sed cùm leuare nequiret, dæmonio uexatus, crimen tandem fatetur. Calix autem cum sacramento in quodam altari includitur. Imperator autem Henricus & rex Galliarum Henricus, conueniunt Metis, & pacem fœdusq; iuramentis firmant. Henricus autem imperator dehinc contra Balduinum profectus, qui Scaldo fluuio superato fugit: Imperator ipsum insequutus, Lambertũ Balduini comitem ac satellites m, cum multis Flandrensium primatibus intra Tornacũ obsessos capit ac perimit, omnia circum adiacentia loca populatus. Godefridus ad deditionem imperatoris Aquisgrani uenit reconciliatus. Balduinus obsides mittit, & pactum cum imperatore facit. Dehinc in Saxonia in Merseburgo cum rege Danorum conuenit, Conradumq; Baioariæ ducem suo ducatu priuauit. Mortuoq; Ottone Sueuorum duce, Ottonem Sueuiæ ducem de Schuueinfurt præfecit. Quod patriæ meæ in qua genitus sum, non exiguam laudem reputo, licet hodie Imperio subsit. Filiumq; pòst paulo Henricum quinquennem, multorum Principum suffragio regem Aquisgrani creauit, Bauariæq; ducatum illi contulit. Dehinc iterum in Italiam progressus, ut quędam emendaret. Nam Godefridus dux illi iterum rebellis, Beatricem imperatoris sororem, post mortem Bonifacij Mantuæ Marchionis, primi mariti, clam Italiam ingressus, sibi uxorem rapuit. Quæ imperatori haud longè à Florentia occurrit, deditionem mariti sui faciens: sed custodiæ mancipatur. Et ideò filius eius Bonifacius uenire recusauit, qui breui pòst obijt. Mathildem insuper ex sorore neptem, quę Azoni Erstensi nupsit, & multa ecclesiæ donauit, pro matre intercedentem exaudiuit, utrisq; reconciliatus. Fuit hæc paternarum maternarumq; opum hæres, quæ iura dabat Lucæ, Parmæ, Regio Lepidi, Mantuæ: ac ei Italiæ parti, quę in potestatẽ Pontificum postea testamento Mathildis uenit, ac patrimonium Petri uocitatur. Gebehardo insuper Ratisponensi episcopo, patruo suo, quem plurimum dilexit, & contra Hungaros rebellantes cum exercitu misit, licet occultè contra imperatorem multa moliretur mala, & ab eo esset custodiæ mancipatus, tamen ei misericordia motus ignouit, & ab exilio uocatum pristinæ sedi restituit. Cùm itaq; multas undiq; in omnibus penè prouincijs calamitates cerneret, famem, pestem, terræmotus, bella, Principum discordias, ciuium factiones innumerabiles, in-

uitato Pontifice Romano in Saxoniam, cœpit de morte meditari, & pro delictis satisfacere: restituens prædia & bona multis, quibus abstulit. Veniam petijt ab ijs quos læsit: à quibus ipse læsus fuerat, crimina remisit. Dein & imperatrici & filio Henrico iniunxit, ut omnibus satisfacerent, qui ab eo iniustè essent afflicti, ægritudine correptus est: & ut aliqui tradunt, grandi panis portiuncula suffocatus est, in Saxonię oppido Bottenfeld dicto. Sed uitam concluſit III. Nonas Octobris, anno nostræ reparationis M. LVI. ætatis suæ XXXIX. Regni decimooctauo, Imperij decimo. Regia pompa Spiram delatus, in æde Diuæ uirginis à se constructa, sed imperfecta, iuxta patrem & matrem sepultus: Pontifice Romano præsente, & filio Henrico IIII. puero tunc septenni, ac imperatrice. cui filius à primoribus regni ad educandum commendatus est.

Habuit autem duas uxores, primam Regis Anglorum Cynitonis filiam, quam patre uiuente duxerat: & ob suspicionem adulterij repudiatam, in cœnobium monialium adegit. Alij uerò tradunt, eam tantum sponsatam, priusquam matrimonium consummaret in Italia, cùm rediret Conradus imperator ex urbe, peste correptam perijsse, cum multis alijs principibus, dictamq; esse Chunegundim. Alteram Hagnetem, nobilissimi Pictauiæ Principis, & Aquitaniæ ducis Gulielmi filiam, fœminam longè prudentissimam. Cum qua nuptias celebraturus in Ingelheym, quum immensa histrionum & mimorum affluxisset multitudo, omnes abegit, & in eorum locum pauperes & egenos accersiuit. Hæc tres illi filias peperit, primam ludithan scilicet, quam Andreas Hungariorum Rex filio suo Solomoni despõdit. Mathildim alteram, quæ Rudolpho Comiti & Duci Sueuorum nupsit, quæ non diu uixit. Tertiam Itham, quæ data est uxor Luipoldo IIII. eius nominis Austriæ Marchioni, & Duci Sueuiæ Quin. cognomento Pulchro, quæ illi genuit Diuum Luitpoldũ Marchionem Austriæ, & Poponem Treuerẽsem archiepiscopum, cuius historiam inuenies in nostra Austria pulchrè exaratam: dehinc duos filios, Henricum & Conradum Bauariæ ducem. Henricus patri succeſſit. Qui in matris tutela cùm annis aliquot esset, in discordiam cum matre uenit per Gisbertum Parmensem Italiæ Cancellarium. Vnde multa sunt subsequuta incommoda. Ob id amota est à gubernatione, procurante Hannone Colonienſi archiepiscopo. Hinc se Romam contulit, religiosissimè usq; ad obitum in uiduitate uiginti annis uiuens. In basilica Sancti Petri, iuxta sacellum Sanctæ Petronellæ sepulta. Hæc excerpsimus è libro sexto Othonis pontificis, Annalibus Cosmi Pragensis Decani, Abbatis Vrspergensis, & Hermanni Contracti, qui per hęc tempora uixit, & peculiari libello gesta Henrici conscripsit. De quo nos hoc tetrastichon:

Hungarios sternit sæuos, Boemosq; rebelles
Subiugat Henricus Tertius armipotens.
Pontificum luxus, discrimina, schismata, rixas
Tollit, & à monstris libera Roma uiget.

HENRICVS QVARTVS.

HENRICVS cognomento Senior, IIII eius nominis: licet quidam Tertium uocitant, quòd primum Regem, non Imperatorem credant: filius fuit Henrici Tertij, Franconiæ ducis & imperatoris, & Agnetis Pictauiensis comitissæ, & Bauariæ (ut uulgò loquuntur) Ducissæ. Puer penè patre uiuente in Regem creatus, post patris obitum sub tutela matris educatus, quæ prudenter imperium filij quinquẽnio administrauit, & Fridericum quendam de Glichberga cum fratribus suis, qui in Germania cõtra imperium tyrannidem moliebantur, cum Principibus regni ad deditionem compulit: licet indies maiores surgerent in imperio tumultus, ob puerum Regem. Nam &

1224.

& Comes de Reinfeldt Rodulphus, Cõstantiensi episcopo Rumoldo coadiuuãte, Mathildam Henrici regis sororem in uxorem rapuit. Et cùm eadem tempestate Otho Dux Sueuorum sine prole moreretur, ducatus ab imperatrice Rodulpho est collatus: qui olim uiuente Henrico imperatore, Bertoldo Comiti (cui pòst paulo ducatus Carinthiorum committitur) erat promissus, annulusq; illi admonitorius ab Imperatore datus, quem Agnes Imperatrix agnouit. Sed cùm mutare nequiret ob filiam eius uxorem, Carinthiam illi cõmittit, ut iram Ducis leniret, & hominẽ alioqui factiosum placaret, quamuis frustrà. Quia quum iterum à rege Henrico pòst ducatus illi auferretur, antiqua iniuria renouata, occasionem illi dedit, ut Othonem Bauarorum ducem, qui ducatu priuabatur, & Cunradum Sueuum, qui tamen à regijs militibus prius occidebatur, ad sese traheret, ut Regi rebellarent. Otho igitur in Saxonia, Berchtholdus in Sueuia, motus undiq; suscitant, & odijs regem onerant, ac demum Rodulphum in suas partes attrahunt. Agnes Imperatrix à filio in odium concepta, qui ab eius amore quorundam consilio alienatus erat, à tutela repellitur. Anno Colonienſis episcopus Henricum cum regalibus ornamentis abduxit, indignè ferens, à muliere regem gubernari, eumq; in suam custodiam suscepit: cùm tamen Imperatrix ob singularem prudentiam, grauesq; ac uiriles mores cunctis esset metuenda. Vnde seminarium dissensionis auctum est. Anno autem Agripinensium Pontifex, facto procerum conuentu, ostendit non suarum rerum causa, qui & nominis & opum satis haberet, sed dignitatis communis gratia id se egisse, ut uiri uiris consulerent: quod factum omnes laudarunt. Imperatrix relicto Bauariæ ducatu, Romam concessit, Italicasq; sedes uiduitate ac magnitudine sua, memoriaq; mariti antiquiores esse duxit patria Aquitania, quæ bello tum ardebat. Abiectis paulo pòst regalibus uestimentis, uelo sacro tecta, religiosè uitam finijt, Pontifici iniurias sibi illatas conquesta. Henricus autem adolescentiæ usus libertate, Saxoniam incolere cœpit, uenationi operam dare & luxui, Principes alios contemnere, nobiles opprimere, ignobiles efferre, filias illustrium obscurioribus coniugare, præsidia non ijs quibus debuit committere, licentius omnia agere, ex sinu matris abstractus, permissione illorum qui regi non ministrabant, sed potius imperabant. Vnde omnium in se traxit odia. Qui rebellionem machinantur, conspirationes faciunt, detractiones in Principem confingunt. Quicquid enim illi præscribebant regi faciendum, hoc fecit. Quem uolebant, exaltauit aut deposuit, rebus suis magis quàm regni consulentes, & in omnibus quęstum curantes. Hinc effrenis adolescens multa præter decorem regium faciebat. Multa etiam ob iuuenilem calorem incautè loquebatur, quibus gentem suapte ingenio inquietissimam, infensam sibi reddidit. His discordiæ seminarijs regi insidiatores tam uitæ quàm regni creuerant multi: licet Adalberti Bremensis Antistitis consilio, adolescentiæ frena laxantis, multa fecisse crederetur. Vnde & seditiones multæ in Saxonia obortæ sunt. Et Marchio quidam principum nonnullorum auxilio tyrannidem molitus, conuictus tandem & debellatus est. Ciuili tamen discordia Saxonia obruitur. Ob id ea relicta, rex cum thesauro suo Vormaciam uenit. Nam ob adolescentiæ suæ stulticiam, oblitus uxoris, luxui adeò deditus fuit, & uitijs obrutus, ut plerique Principes eum regno priuare studerẽt, pleriq; uita, pleriq; apud summum Pontificem maximis accusationibus & grauissimis querelis onerarent, ac de symoniaca prauitate redarguerent. Inuisus iam penè uniuersis regni principibus, potissimũ pręsulibus Moguntino, Vuormacienſi, Vuirtzburgenſi, Salisburgenſi, & cęteris. Dicunt quidam Colonienſem coniurationis autorem fuisse. Vnde Rex multa sibi munitissima castella, & in Saxonia & Doringia construxit atq; usurpauit, multorumq; in se animos magis excitauit. Qui ob has munitiones regi, & quæ aliàs insolenter ac præter morem fecit, apertè rebellare cœpit, ac conspirationes facere. Et cùm olim rex

concilium celebraret, Sueuorũ dux Rodulphus, Bertholdus Carentanorum, & Vuelfo Bauariæ exierunt, uidentes malorum præferri adulationes rectis consilijs. Dehinc quidam in Regem falsas calumnias finxit. Quas cùm duello à se purgare polliceretur calumniator, subita morte sublatus est. Rex deinceps aduersariorum inimicitias minus timuit, licet in magnis foret periculis. Collectis tamen auxiliaribus copijs à Vuormacienſibus, Saxoniam ingressus, ad deditionem eos compulit: si munitiones destrueret, quas paulo antè extruxerat. Simulanter omnia acta, & Rex Goslaram ingressus, & Rodulpho & cæteris rebellibus conciliatur. Sub id tempus Imperatrix cum duobus episcopis legatis apostolicis ex urbe in Alemanniam ueniens, regem pro deprauatis moribus alloquitur. Qui se reum præsentibus Moguntino & Bremensi, alijsq; multis fatetur, emendationem uitæ promittit, ac auxilium summo Pontifici ad Symoniacos deponendos. Consiliarij Regis ecclesiastica bona iniustè acquisita, legatis pollicentur sese restituturos: idq; iuramento sacrosancto promittunt. Miserat enim biennio antè Romam rex Colonienſem & Babenbergensem episcopos, pecuniæ repetendæ gratia, quæ regi debebatur. Qui re infecta redeuntes, Regem Pontificis iussu ad satisfaciendum pro simoniaca hæresi, cæterisq; criminibus quibus accusabatur, in urbem uocarunt. Quod cùm aspernaretur Rex, Gregorius Pontifex qui Alexandro successerat, crebris literis regem ad se uocauit. Sed plerique illum sine regis consensu Pontificem factum non agnouerunt legitimè electum: mos enim tum erat pontifices ab imperatoribus confirmari, ut superius sæpe annotauimus. Attulit tum suppetias Rex Henricus Salomoni Hungarorum regi, quem regno eiectum restituere uoluit, sed frustrà. Accepta sorore sua Iuditha uxore Salomonis, reuertitur Vuormaciam, ingentem ex Baioaria, Alemannia, Boemia atq; Germania colligens exercitum, Saxoniam ingreditur: magnaq; strage peracta, uictoria potitur. Vbi Rudolphus pro rege fideliter pugnasse asseritur, ex Saxonibus octo fermè milia desiderata sunt, cæteri fuga dilapsi, uulneratiq; sunt. Amisit rex hac cruenta uictoria mille quingẽtos electos milites. Rediit paulo pòst ad reliquias Saxonum debellandas, munitionibus eorum solo æquatis: locatisq; præsidijs, in urbes imperiosius solito regnauit in Saxonia. Scripsit quidam carmine heroico bella, quæ in Saxonia Henricus gessit, uersu quidem triuiali (ut tempora erant) quibus quisq; maluit scribenda facere, quàm facienda aut facta scribere. Si quis & hunc incertum uoluerit legere scriptorem, operis, quod tres cõtinet libellos, initium hoc est:

Henrici regis uolo dicere prælia Quarti
Contra Saxonum gentem, sua iura negantem,
Quæ dum fallentes sociaret uiribus arces,
Plurima bella dolis fidens, commisit & armis. Et quæ sequuntur.

Est illic rex & literis & legatis Apostolicis admonitus denuò, ut flagitia quibus accusabatur, à se repelleret, ne ueluti putridum membrum ab ecclesia disecaretur, anathemate notatis tum quibusdam suis cõsiliarijs: quos tamen ipse non à se repulit, sed cum ijs more consueto conuixit. Quod Pontificem adeò commouit, ut & ipsum anathemate feriret, potissimum, quòd Synodo Vuormacienſi adhæsisset, qua uniuersi penè Teutonici episcopi (demptis Saxonibus) interfuerant, qui Hildebrãdum monachum Papam, Gregorium dictum recusabant, nec illi parêre tam literis quàm nuncijs significarunt. Vbi uerò rex se anathemate cum suis notatum intellexit, id Pontifici non licere, apertè testatus est. Formulam abrogationis, qua Pontifex Imperatorẽ est execratus, quisquis legere uoluerit, apud Platinam in Gregorio Septimo inueniet. Sunt itaq; plerique & antistites & duces à rege alienati, qui obtemperare deinceps recusabant, & nullam regi ostendere obedientiam, quòd Pontificis mandata spreuisset: licet absens & inauditus esset condemnatus. Omnes enim regnicolas

Pon-

Pontifex Romanus à iuramento regi præstito, & ab obedientia absoluerat. Quod magnum peperit in imperio dissidium, adeò ut rex Henricus compelleretur etiam inuitus Romam petere, & summo Pontifici (qui iam iter Germaniam uersus tendebat) adhærere, ut secum gratiam iniret. Apud Canusium igitur Rhegiensis agri oppidum, rex Pontifici occurrit, triduo depositio omni regali habitu, nudis pedibus in summis frigoribus ueniam cõmissorum rogans; ante portam Castri substitit humilis, Imperatrice matre et Mathilda consanguinea intercedẽtibus, ægrè & difficulter absolutionem anathematis assequutus. Dum autem in Longobardiam remearet, Pontifex quę legatos ad Germaniæ Principes mitteret, iterum discordiæ subortæ inter primates imperij: nonnullis de regis Henrici absolutione dubitantibus, alijs uerò pertinaciter in sua rebellione perseuerantibus. Rodulphum itaq; Sueuorum ducem in oppido Forcheym Romanum regem eligũt, Sigefrido Moguntino archiepiscopo, & Adalberone Herbipolensi Antistite suffragantibus. Nec non Bertoldo Carinthiæ duce, & Othone, in præsentia legatorum summi Pontificis. Ac mox Moguntiacum delatus, à Metropolitano inunctus est. Vbi mox ingens orta est seditio à ciuibus, qui noui Regis milites sæuissimè & truculentissimè occiderũt: adeò, ut tam Rex, quàm Episcopus cogerentur altero die relinquere urbem. Cæterùm paucula, antequam historia Henrici continuabitur, de Rodulpho enarranda censemus.

RODOLPHVS hic non, ut Platina scribit, Saxoniæ dux, neq; ut Vincentius, Burgundiæ fuit, sed Comes de Rheinfeld. Qui tamen Comitatus olim in Burgundia fuit recẽsitus. Post obitum Othonis ducis Sueuiæ, dux factus Sueuorum, quod Henrici sororem imperante Agnete Imperatrice uxorem duxerat, cùm ducatus ille uacaret. Dehinc cùm aliquandiu sub Henrico (cui omnia debebat, militaret, à Principibus (ut paulo antè scriptum est) Rex factus, non absq; consilio summi Pontificis, qui Principes Henrico contrarios à fidelitate & periurio absoluit. Fertur præterea à Pontifice missa illi corona cum tali inscriptione: *PETRÆ DEDIT PETRO, PETRVS DIÆDEMÆ RODVLPHO.*

Erat tum cùm eligeretur & ungeretur Henricus Papiæ, & alpium aditibus undique contra se munitis exire non potuit. Sed frustratis illorum insidijs, per Aquileiam in Carinthiam uenit. Dehinc in Bauariam descendens, Ratisbonę multorum principum habuit conuentum, questus denouo Rege (seu tyrãno potius) cogens exercitum ad duodecim fermè milia hominum. Inter quos erant Boëmi & Burgundiones, & magna Francorum pars, Basilienſis, Argentinusq; episcopus, Hermannus Comes Palatinus, qui tamen gener regis Rodulphi futurus erat. Habuit enim Rodulphus duas uxores, Machtildim Henrici *III* filiam, & Henrici *IIII*, Cæsaris sororem, ex qua nullam suscepit prolem. Alteram uerò uxorem duxit Adalheidim, quæ & Adila quibusdam dicitur, filiam Othonis Italiæ Marchionis, sororem Berthæ, coniugis Henrici Cæsaris. E qua duos filios Berchtoldum & Othonem genuit, quos & Sueuiæ duces creauit. Sed sine prole uterque discessit. Tres autem filias, Agnetem Berchtoldi Marchionis uxorem, Mechtildim & Bertham. Mater uero, cùm maritus in Saxonia bellum contra Henricum gereret, mœrore, calamitatibus & egestate confecta, febre corripitur & tabescit, in monasterio Sancti Blasij iuxta Nigram syluam post obitum sepulta. Cæterùm plerique consanguinei regis Rodulphi, & magna pars militum quos fidelissimos sibi sperabat, sese paulatim subtraxerunt, & Henrico adhæserunt. Copijs itaq; magnis Sueuiam populatus, per sententiam condemnatis omnibus, Rodulpho adhærentibus: qui iam Saxoniam occupauit, & undique auxiliares copias contraxerat, quò posset manus cum Henrico conserere. Sunt utrinq; missi Oratores, ut Reges conuenirẽt, & de pace à Principibus tractaretur. Cardinalis quidam in Saxonia denuò Henricum

diris deuouit: qui Pontifici Romano legatos misit, id conquestus. Sed Rodulphi legati illos præueñerunt, & Rodulphum summo Pontifici plurimùm commendarunt, Henricum autem in ódium adduxerunt. Rudolphus Goslariæ habito principum conuentu, Saxoniæ & Thoringiæ pro expeditione cõtra Henricum sumenda accepit Philippi regis Franciæ legatos, Flandrorum simul & Lotharingiorum ac regis Hungariæ, qui omnes auxilia pollicebantur, quæ tamen non præstabant. Magni undiq; motus atq; tumultus in Alemannia, Alsatia & Franconia excíti: prædæ abactæ, & incendia facta. Sed & Henricus magno apparatu aduersus Rhodulphum exercitum educens, prælio commisso, utrinq; multis cadentibus, incerta uictoria stetit: utrinq; etiam certatim fugientibus: Magdeburgensis Episcopus in fuga occiditur, uel (ut quidam tradunt) suspenditur. Vuormaciensis captus cum Hermanno Comite patruo Magni ducis, Henrico traduntur. Henricus Poponem uirum fortem amisit, et post pugnam in Baioariam cõcessit, ouans & hilaris. Sunt dehinc iterum ultrò citroq; missi ad Pontificem nuncij ab utroq; rege. Sed semper Henricus Pontifici fuit inuisus, utpote quem toties condemnauit. Est sequenti quoq; anno iterum inter utrosq; Reges commissa strages, in qua Saxones fusi, fugatiq; sunt. Duxq; Boëmiæ Vratislaus lanceam Rodulphi regis insigne uictoriæ assequutus est, quam deinceps permissu regis Henrici Boëmi semper in principijs congressus belli, ob suam uirtutem deferebant. Mox est subsequutum aliud interreges prælium, in quo Rodulphus cecidit, abscissa dextra, delatus uiuus Martinopolim, quæ uulgò Merseburga dicitur. Et cùm uulneri medicamenta afferrentur, Episcopis ac magnatibus (qui fortè aderant) astantibus, truncum manus abscissæ intuitus: Rectè, inquit, mecum actum esse ingenuè fateor: hac enim fidem Domino meo, & iusiurandum sacramento dedi, ac turpiter (uobis sic suadentibus) uiolaui, condignam accipio periurij mercedem. Ecce in quod me, uestra monita sequentem, collocastis solium: satius fuisset, fidem semel datam seruare integram & illæsam. Sic tanquam alia uulnera non sufficerent ad mortem accessit huius membri mutilati pœna: mox deinde mortem oppetijt, ut hac pœna & illo mortis genere agnosceretur culpa: regali pompa sepultus. Quod cùm pleriq; ægrè ferrent, regiq; Henrico indignum esse diceretur, quererenturq; non decere tyrannum regijs insignibus mortuum etiam honorari: Sinite, inquit Rex, eum ita ornatũ sepeliri. Vtinam omnes mei aduersarij eo ornatu sepulti iacerent. Sustulit hinc ducatũ Sueuiæ Berchtoldo Marchioni Zaringiæ genero Rodulphi, ac Comiti Friderico de Stauffen, uiro prudenti ac strenuo, unà cum filia Agnete contulit, simulq; dux Sueuorum & gener Cæsaris efficitur. Hinc multi Italiæ & Germaniæ Episcopi Brixiam conuenientes, decreuerunt Hildebrandum monachum, qui se Gregorium Septimum appellauit, pontificatu abdicandum: quòd & legitimè sine consensu Regis electus non esset, & Regem nullo exemplo, anathemate præter omnem cautam perculisset: surrogantes Rauennatem Archiepiscopum Vuigbertum, æmulis Demens appellatus, qui Clemens est dictus. Henricus itaque Rex magno exercitu Italiam ingressus, Romam obsedit biennio, haud paruis incommodis urbem infestans, omnibus euastatis ac destructis, donec eam caperet, & Hildebrandum (qui in faciem eius uenire noluit) fugaret Salernam: ubi diem suum obijt, à Romanis etiam abdicatus. Henricus autem cùm magnam Apuliæ partem cepisset, Campaniam aduenit, à Romanis uocatus, ut urbem & ciues omnes in suam fidem acciperet, & Pontificem electũ confirmaret. Vrbem splendido apparatu ingressus, Clementem in sedem Pontificis collocauit. Ab eo dehinc ipse cũ uxore Bertha inunctus & Imperator Augustus acclamatus, in Lateranensi basilica, Gregorio tũ in Adriani mole profugo & latitante. Sed liberatur à Roberto Guiscardo, id est, errone seu gyratore. Ob sterilitatem enim patriæ Nortmanniæ profugus, Comes Apuliæ factus est: quum Pontificem

cem Salernam deduxisset, ex animi dolore mortuus est. Prius tamen (ut tradit Vincentius) imperatorem uinculo excommunicationis per suum confessorem absoluens. Tum pacata Italia urbem relinquens Imperator, cùm Germaniam attingeret, magnas inter Principes reperit dissensiones, & urbem Augustam à Vuelffone Baioariorum duce occupatam, electo Sigefrido Episcopo. Quam mox Imperator recuperauit restituto priore Episcopo. Saxones præterea in Orientali Francia cum Alemannis rege absente conuenientes, non sine clade prouinciæ discesserunt, bellumq; inter Conradū ducis Boëmiæ fratrem, & Luitpoldum Austriæ Marchionem commissum est: similiter inter Alemannos & Baioarios.

Ad hæc Hermannus quidam potens ac nobilis ex Germania à Saxonibus, Rex (Rege absente) constituitur ob suas diuitias. Qui ex Lotharingia ac Germania copias educens, Franciam Orientalem hostiliter inuadit, paruo tamen damno illato. Vnde mox tam à suis quàm alienis despectus haberi cœpit, regiumq; nomen, ac dignitatem cum diuitijs ac uita amisit. Nam cùm à Saxonibus esset (nescio ob quod delictum) abiectus, ad Hermānum Treuirensem archiepiscopum, qui eius etiam farinæ erat, cōfugiens, cùm interuenandū castellum quoddam satis munitum porta aperta inuenisset, quod tamen præsulis erat, experiri uolens robur militum, prælio eos aggredi tentauit: qui partim fugiebant, partim ad arma prosilierunt. Fœmina uerò quædam turrim occupauit, & grandi saxo Hermannum regem in terram prostrauit: qui mox animam exhalauit, & turpissima morte sic occubuit, Metis sepultus. Sed nec destiterūt Saxones ab odio in Regem suum, quin de nouo excitando cogitarent. Tum est Marchio quidam Eggibertus Imperatoris consanguineus, armis strenuus & ditissimus, in Saxonia contra Imperatorem in tyrannidem excitatus. Licet Imperator à Saxonibus iam esset receptus quiete, & pax communi consensu constituta. Sed tyrannis illa mox extincta est. Quum enim Henricus Saxoniam popularetur & cuncta euastaret, Eggibertus autem in quodam molendino deprehensus, à Cæsarianis turpiter est occisus, cùm uix annis quinq; tyrannidem exercuisset, & obsidione urbem quandam expugnare frustrà conaretur. Saxones uerò imperatore absente in Franconiam irrumpentes, Vuirtzeburgum obsident, & tandem imperatore occurrente, cum eo confligunt, in loco qui hodie patria lingua Bleychfelt appellatur. Victoria hostibus cessit, qui Adelberonem Antistitem restituunt, & urbem præsidijs muniunt. Sed redeunte cum ingenti exercitu imperatore, urbs recuperatur: & pulso Adelberone, Meginardus restituitur. Adelbero diu in exilio uiuens, monasterium in superiori Austria constituit Lambach, ac illic moritur ac sepelitur. Imperator itaq; rursus Italiam ingreditur, septemq; penè annis singula disquirit, quum illius & Berthæ primæ coniugis filius Conradus patri fit rebellis, quem Italiæ præfecit. Quocirca post reditum Henricus eo neglecto, quamuis maiore natu, iuniorem Henricum Quintum regem creauit ac coronauit. Vnde Conradus plus indignatus, accepto quodam secum Conrado uiro prudenti & strenuo, ex ordine familiarium patris, Italiam occupat, consilio Mathildis accedente. Regis nomen & dignitatem nouem penè annis obtinuit, semper tamen seruata debita in parentem obseruantia. Nec enim unquam indignum uerbum contra genitorem suum palàm auditum est: miræ religionis, in omnes humanus & misericors, præcipuè in milites pauperes quos benignè fouit & aluit: ob id omnibus amabilis. Et cùm sibi cœlibatum cōstituisset, coactus penè est Rogerij Ducis Siciliæ filiam ducere uxorem: qua cum coniunctissimè simul & castissimè uixit. Princeps cunctis animi uirtutibus præditus, corpore procero, ac forma decora, omnes æquè patris familiares ad se uenientes perhumaniter alloquens. Machtildi religiosæ & nobilissimæ matronæ coniunctissimus, utpote qui etiam sanguine illam contigerat. Tandem immatura morte, ueneno

(ut aliqui putant) sublatus. Quod iusto Dei iudicio acciderat, ne parricida fieret, & fraterna bella homines in multas calamitates abducerent. Ferre enim nõ potuisset Conradus primogenitus, Henricum minorem natu sibi in regno præferri. Sed post huius obitum mox pax sequuta.

Interea ingens hominum multitudo excitata, Hierosolymam petijt. Quam quidem peregrinationem antea inauditam nec uisam, ostenta portendebant: Immensa scilicet uermiculorum uolantium ignotorũ (licet papiliones quídam putent) in aëre multitudo, quæ duo triaue in longitudine miliaria occupauit. Tandem Gotefridus Dux Lotharingiæ, omnibus bonis suis in nummos redactis, uir armis & ingenio clarus, ut Dominicum sepulchrũ ex faucibus immanissimorum eriperet Turcorum, coacto exercitu emensus Pãnonias ac Bulgarias, Constantinopolim peruenit: associatisq; Siciliæ, Græciæ, Danorũ ac Normanorum exercitibus, attritis Barbaris, Antiochiam obsedit, & nono tandem mense expugnauit. Quarto tandem anno nõ sine difficultate Hierosolymam, militiamq; quam pro crucifixo Christo susceperit, uiriliter in multos annos quoad ferocissimos hostes debellaret, exercuit. Sed narrare hoc loco qui Duces, qui Principes sanctam hanc pro Christi nomine expeditionem sumpserint, & longũ & inutile censeo, cùm libellus incerti autoris de Hierosolymitana expeditione circumferatur. Et Abbas Vrspergensis, qui huic expeditioni interfuit, in suis Annalibus longissimam faciat mentionem: Baldricus item Dolensium Pontifex. Sed nemo elegantius, nemo tersius hoc sacrum bellum descripsit, quàm Paulus Aemilius Veronensis in quarto libro de rebus gestis Frãcorum. Nonnihil etiam Georgius Merula lib. iij Historiarum uicecomitum. Idcirco hac relicta expeditione, reuertamur ad historiæ contextum. Henricus itaq; Imperator à Paschali Pontifice, Vrbani successore, in synodo Romana iterum atque iterum anathemate execratur: & ob id Imperator cõuocatis Principibus, horum usus consilio, Henrico filio regnum offert, ipsumq; Ducibus consentientibus regem Romanorum creat. Statuit enim & ipse sepulchrum Dominicum inuisere, & è faucibus infidelium eripere. Sed iam filius Henricus Rex suasu Theobaldi Marchionis, Berengarij Comitis Noricorum, & Ottonis ex materna stirpe sibi cognati, contra ius fasq; rebellionem in patrem molitur prætextu religionis, quòd anathemate nondum esset liberatus genitor suus. O iniqua soboles, quæ cupiditate regnandi, eum per quem uitam accepit & regiam dignitatem, odio persequitur & ferro. Cùm tamen nusquam legatur Cæsarem à Pontifice, qui eius beneficentia auctus, locupletatus ac confirmatus est, ita esse diris deuotum, à quo sibi olim potestas fuit concredita ac concessa. Sed id Deo discernendum relinquamus, qui cordium est scrutator. Impietatis filij in patrem me piget, qui multis ex Orientali Francia, Alemannia, Bauaria q; Principibus ascitis, Saxoniam ingreditur. Quam suopte ingenio patri contrariam, commouet, uniuersosq; gentis illius primates in partes suas traducit. Coëgit tum exercitum Henricus imperator Ratisponæ, auxiliumq; Ducis Boëmiæ, & eorum qui tum cum Marchione Austriæ Luitpoldo potentissimi in sua curia erant, enixè rogabat. Cuius exercitus cùm appropinquasset fluuio Regino, qui Ratisponam præterfluit, ut suppetias imperatori ferret, cùm Leopoldum Marchionem noctu fugam capientem uiderent Boëmi, solutis castris & ipsi domum abierunt, præter spem Imperatoris. Id autem arte & astu iunioris Henrici Regis factum constat, qui patris potentiam in ijs duobus Principibus constare non ignorabat. Vt ergo alterum patri eriperet, Marchioni Leopoldo Agnetem sororem, quæ Friderico Sueuorum Duci prius nupta iam uidua erat specioßissima, uxorem promittit, si partes suas sequatur. Qua promissione motus, Imperatorem relinquit Henricum Seniorem, ut hac fœmina potiatur. E qua pòst decem & octo liberos sustulit. Hic est ille Leopoldus Marchio Austriæ, quem Cæsar Maximilianus Anno M. D. V I. in numerum sancto-

sanctorum retulit, clausto Neuburgo sepultus. Sic libido dominandi excęcat homines, & præstiti iuramenti immemores facit. Id autem Otto ille Frisingensis Antistes, Leopoldi filius, in suis Annalibus tradit lib. vij. Imperator itaque Henricus auxilio Boëmorum destitutus, Boëmiam ingressus à Duce Boëmiæ honorificentissimè exceptus, ac cum honesto comitatu ab eo adiutus, ad generum suum Vigbertũ in Saxoniam proficiscitur. Filius autem Spirã thesauros patris rapiẽs: Abbatem Gebehardum Antistitem creat, altero electo. Dehinc circa Rhenum quæ sibi necessaria uisa ut patrem deluderet, effecit. Fit Principum cõuentus Moguntiæ. Ad quem cum Henricus imperator, ut se purgaret Principibus aduentaret, à quibusdã prohibitus, nequid sibi aduersi accideret, in Ingelheym substitit. Cui filius simulata fronte occurrit, delictum suum confessus, quod in parentem pararat. Patrem pium dolo fallit: & dum nuncium accipit multos confluxisse proceres, patri persuadet ut in castello (in quo paulo post capitur) maneat: ob legatos quoq; Apostolicos, qui anathema iterum atq; iterum innouabant. Persuasus itaq; à Principibus, si uitam tueri, si se seruare ac suos uelit, filio regnum in manus traderet. Quibus obtemperans pius pater, ut uitam redimeret, regalia insignia, crucem, lanceam, sceptrũ ac coronam filio misit: prospera illi imprecatus, cum fletu primatibus regni ipsum cõmendans. Sic denuò rex ab uniuersis quoque Germaniæ Principibus approbatus Henricus Iunior, Apostolicis legatis id maximè laudãtibus, nouos mittit summo Pontifici oratores: episcopos, Treuirensem, Magdeburgensem, Babenbergensem, Eistatensem ac Curiensem, ut Pontificem Maximum in Germaniam deducant, fortè ut Henricum Iuniorem Imperatorem declararet. Henricus autem Senior uidens astum filij, auxilia Ducis Lotharingiæ Henrici, Leodiensis 226
episcopi ac ciuitatũ Coloniæ, Iuliaci, Bunnæq; ac Veronæ impetrat atq; adiacentium oppidorum. Rex Henricus ducem Lotharingiæ reum perduellionis agit, ac hostẽ Reip. iudicat, ac ducatu priuat, quòd patri faueret, instituens contra Lotharingiam expeditionem, dum Henricus imperator Coloniam uallis propugnaculisq; muniret, quam frustrà Henricus Iunior duobus penè mensibus casso labore obsedit. Quare plurimùm Henricus imperator doluit de filij fraude, quod & literis ad Principes conquestus est: quibus palàm, quòd arte sibi regnum extorserit ac dolo abstulerit, conqueritur: nec sinat eum sic omnibus priuatum quietè degere, quum tamen se summo Pontifici submiserit, & obediẽtiam in omnibus pollicitus fuerit. Henricus filius patri per nuncios bellum denunciat apertum, nisi Aquisgrani ad colloquium ueniat. Imperator captiuitatem metuit, quam prius in castro haud longè à Binga degustauit, dum undiq; militibus uiæ obsessæ essent. Præmœrore itaq; Leodij moritur, cũ protestatione, se à Principibus deceptum, qui filio regalia mittenda persuasissent, in monasterio illic sepultus. Sed filio procurante non potuit recõciliari episcopus Leodiensis, nisi exhumaretur cadauer. Quod pheretro delatum Spiræ in sarcophago lapideo, in sacello diuæ Affræ quinquennio stetit inhumatum, antequam in templum beatæ Virginis sepeliretur. Sic miserè periit Henricus ille Imperator, Princeps alioqui facũdus, liberalis, pius, ingenio acer & bellicosus, & re militari fortunatus, utpote qui sexagies & bis acie collata pugnauit, M. Marcello & C. Iulio superior: quum iam regnasset undequinquaginta annis. Inuenio in uetustissimis Annalibus, Hildebrãdum monachum, qui Septimus Gregorius dictus est, dum moreretur, plurimùm, quòd Henricum Imperatorem iniquè molestasset, doluisse, & ob id ante obitum suum absoluisse. Licet filius & æmuli iterum apud Pontifices sequentes laborarunt, ut uinculis banni frustrà innecteretur, quod factum est. Et ideo quinquennio Christiana sepultura iniustè priuatus.

Habuit autem duas uxores: Primam Bertham filiam Ottonis Marchionis Italiæ, Ex qua genuit Conradum, cui pater Italiam regendam concesserat, im-

ma-

matura morte præuentum (ut suprà scripsimus) sepultumq; Florentiæ. Dein Henricum V. Cæsarem: dehinc Agnetem filiam uxorem Friderici Ducis Sueuiæ, ex qua Fridericum Sueuiæ Ducem, & Conradum Roman. Regem ac Franconiæ Ducē filios genuit primùm, auiam Friderici Primi Cæsaris cognomento Barbarossæ. Dehinc post primi mariti obitum, uxorem diui Leopoldi Marchionis Orientalium, è quo decem & octo liberos peperit. Habuit & filiam alteram ex hac Bertha Limpergim, uxorem Marquardi senioris Ducis Carinthiæ, & Marchionis Stiriæ. Et Sophiam tertiam filiam coniugem Solomonis regis Hungariæ. Hæc Bertha Spitæ est cum marito sepulta. Alia Henrici imperatoris uxor fuit Vthonis Marchionis uidua, Ruscorum regis filia, cum qua nuptias Coloniæ celebrauit. Sed an prolē ex ea susceperit, mihi ignotum est hactenus, licet diligenter disquisierim Annales & Chronica. Cæterùm si quis acta Henrici Quarti copiosius uidere concupiuerit, is adeat Annales Bertholdi, qui Hermannum Contractum continuauit: qui abundè nimium de eo scripsit, sed malè illi affectus. Abbatis item Vrspergensis Annales: licet uetercq; ardentius quàm conueniat, pium Imperatorem insectetur. Honestius de eo & citra affectum Sigebertus in suis Annalibus, nec non Otto Frisingensis præsul septimo libro, scripsere. Circumfertur item uita Henrici Quarti eleganter perscripta ab incerto autore, quam Iohannes meus Auentinus Reginoburgij in æde diui Hemerani reperit, ac publicauit in studiosorum commodum, cum epistolis quibusdam ad Regem Franciæ, Principes & Episcopos. Quæ profectò studiosis sunt legendæ, ut res gestas agnoscant. Est autem illius autoris prologus in uitam sic scriptus: Quis dabit capiti meo aquam, & fontem lachrymarum oculis meis, ut lugeam non excidia captę urbis, non captiuitatem uilis uulgi, non damna rerum mearum, sed mortem Henrici imperatoris Augustiæ & quæ sequuntur. Ex ijs paucula hæc excerpsi. Et tetrastichon de more subiunxi:

Marte ferox Henricus erat cognomine Quartus,
Hostes qui toties contudit atq; fugat.
Pontifici inuisus, proprio quoq; sanguine cretis,
Sed nati infœlix impietate perit.

Vt textus historiæ seruaretur, subiungendus esset Henricus V. huius filius & successor. Sed quoniam res gestæ in Hierosolymitana expeditione ad Alexium usq; imperatorem sese prorogant, operæprecium est Græcos imperatores nunc texere, deinde redire ad ordinem incœptum. A Theodora autem imperatrice ad Alexium usq;, rem ordine prosequemur.

MICHAEL CAESAR.

THEODORA Imperatrix moribunda, suis suadentibus, hunc Michaelem, ut dictum est, imperio destinauit: qui ea mortua est ad imperium leuatus. Et quum diademate esset insignitus, populo & Senatui omnem liberalitatē exhibuit: plerisq; amplissimos dignitatum gradus largitus, & honores: plerisq; etiam parum idoneis exercituum ac turmarum prefecturas, ac militares ordines condonauit. Nihil aūt munificentiæ ueris militibus ostendit, nec benignis uerbis eos accepit, qua re sibi infestos omnes reddidit. Et cū primarij duo uiri, ambo magistri ac nobili stēmate, non modò bellica arte ac præstantia, sed animi robore & audacia clari atq; insignes, per id tēpus exercitus in manibus suis haberent, Isaacius scilicet Cōmenus, & Cecaumenus Catatalon, cui Colonia erat patria, Antiochię prefectus et Dux, mox Michael cū acclamatione imperij nepotē suum, cui Vranon cognomē addidit, quasi ex uetere illo

Vrano

Vranò genus referret, magistrũ ac Ducem Antiochiæ creauit, Cecaumenum imperio suo quasi indignum deijciens, erepta illi potestate, opprobrijs & contumelijs affecit, aliosq; illi iunctos clarissimos uiros, conatosq; hunc tueri modis omnibus, contempsit, ac spurcissimis uerbis derisit. Quod milites in mœrorem coniecit, quum ne uerbis quidem benignis compellarentur (licet id semel & iterum experirentur) nedum ullam liberalitatem sentirent. Ob id nouarũ rerum occasionem quærebant, & rebellionem, ut paulo pòst dicemus. Cæterùm Theodosius Præses Constãtini Monomachi patruelis, Michaele in imperium inaugurato, molestè illius leuationem ferens, domesticis ministris, ac alijs quibusdam qui cum eo deliberabãt stipatus, iniustè actum exclamans, per forum abijt. Prætorium ingressus, publicũ carcerem confractis claustris aperuit, emissis qui illic detinebantur. Itidem & in Chalces custodia fecit: sperans per illos sese imperio potiturum. Sed ubi in regia exercitum ualidũ iamiam contra sese mitendum accepit, in magnam ecclesiam confugit, comprehẽsus solus cum filio, cæteris qui eum sequebantur dispersis. Ipse in exilium condemnatus, à populari turba carminibus compositis derisus: quibus illum fatuum Monomachũ, nihil scientem, acclamabant. Et sic finem imperij sui clausit. Milites aũt præfectis Orientalibus subditi, denuò experientiam capessere uolentes, Protosynellum Leonem adeunt, rogantes per eum, ne soli indonati ac sine præmio à Rege relinquantur, omnibus alijs regia liberalitate fruentibus, quum ipsi limites imperij indesinenter tueantur, ac hostibus quotidie obsistãt. Hic uerò nihilo secius Cęsaris dehonestator, afflictis hominibus afflictionem augens, res eorum eleuauit, exasperauitq;, uicijs onerans ac inhonoratos dimittens. Sic spe iterũ sua frustrati, non amplius statuerunt differendum, proximum quemq; compellantes, in apertam erumpere rebellionem festinarũt. Bryennium uirum illustrem, Ducemq; Macedonicarum copiarum primùm adierunt, facinoris consciũm & adiutorem: qui ob præfecturam Cappadocię, finitimam indignationis materiam facilè contra imperatorem præbere posset. Quem ubi promptum suo cõsilio inuenerunt habilẽ, pro imperio solicitè quæsierũt. Et mox Isacius Comnenus ab omnibus, cunctis prę ferebatur. His sanè compositis, domum omnes redeunt, regem pro commeatu compellantes. Bryennius uerò cum militibus suis regionem Orientalem ingressus, militarium ferculorum donatiuum distribuit, quo cum erat Iohannes Patricius Opsaras cognomento, aurum afferens donatiuo cœpto, addit annonam militibus: Bryennius auxit unicuiq; distributum congiarium. Quæstor qui aurum attulerat uir bonus, non hoc dicebat sibi cõmissum ab imperatore. Tum Bryennius indignatus, tacere hominem ac imperata facere imprudentius iubet. Quo recusante, audẽtius Bryennius iratus, uirum capillis correptum & barba in terrã prosternit, uinculisq; tradit. Pisidarum & Lycaonum Dux (qui haud longè castra habebat) harum rerum certior factus, principia esse tyrannidis animaduertens, cum suis copijs Bryennij tentoria irrumpit: Opsaran soluit, uinctũq; Bryennium illi tradit. Cui hic oculos statim effodit, atq; imperatori transmittit, significãs ei quæ peregerat. Sed Cõnenus, & qui cum eo coniurarant, militaribus undiq; auxilijs ad eum confluentibus, occasionem arripiendi imperij quærebãt. Et cùm milites opem indefessam præstarẽt, & conatus rationem fortissimã simul & optimam Comneni cernerẽt, summa potestas Comneno à militibus committitur, & rex ab omnibus saluratur. Missis igitur per totũ Orientem suis, tributa postulauit, cõstitutis ad hoc exactoribus & afferendi censoribus. Inde agmine ordinato Niceam profiscitur, ut ea potiretur pro refugio simul & propugnaculo. Vtrinq; fortuna illi affuit. Nam & urbem nullo labore accepit, & præsidium quod satis erat, in eam imposuit. Tum duodecim ab ea stadijs castrametatur. Imperator Michael certior de ijs factus, Occidentalibus copijs collectis, & siqui alicubi Orientalium relicti fuerant à Comneno non præoccupati, Ducem illis domesticum Orien-

Orientis eunuchum Theodorum Imperatricis Theodoræ ministrum constituit, adiungens collegam magistrum Aaron, cognatum uxoris Comneni. Qui contra hostes ducentes exercitum, pugnam in loco quem incolæ Haden uocant, commiserunt. Cùm autem inter pugnandum, sinistrum cornu Imperatorianorum dextrum Comneni superaret, ac Romanũ Sclerum qui illi præerat uiuentem caperet, Cecaumenus qui dextrum cornu hostium tenebat, Cæsarianos in fugam uertit, & facto impetu in uallum eorũ, castra eorum diripuit, & terræ æquauit. Vnde animi militum Comneni mirum in modum aucti, Cæsarianos fugant, cæduntq; fit cædes ingens Cæsarianorum, non modò gregariorum, uerùm etiam ducum, quorum non pauci uiui capti sunt. Victoria Comneno accessit. Imperator ubi id accepit, in desperationem redactus, principatum uoluit deponere. Sed qui cum eo erant aliter sentientes, & legatos mittendos suadent. Hi erant quidam Senatorij ordinis, Proedrus siue præses Constantinus Lichudes, item Proedrus Leo Alopus, & Michael Psellus inter Philosophos primarius. Quibus mandatum est, ut offerrent Comneno adoptionem ab imperatore faciendam, ac Cæsaris dignitatem, suis uerò qui ei adessent, remissionem & amnestiam admissi criminis & mulctæ. Quę cùm in multitudine coràm Comneno nunciata essent, tumultu suborto, multitudo nolle se dicebat alia forma quem præfecissent uidere, neq; passuros sese stolã abijcere, qua iam indutus esset. Hoc uerò magis adulatoriè quàm uerè erat dictum. Soluto uerò concilio, seorsum legatos Comnenus accipiens, Si (inquit) arcana renunciare imperatori promiseritis, quæ abdita corde habeo, uobis bene audiẽtibus edisseram. Asserentibus secreta forè quæ crederẽtur, sufficere sibi (ait) iam nomen ac dignitatem Cæsaris, nec se iam quærere imperium. Postulare uerò se ex imperatore, ne cui imperium quàm sibi tradere promittat: & ut cõseruet omneis qui sibi adsint, si quid honoris ab eo accepissent. Dein ut sibi tradat quippiam regiæ potestatis, ut habeat unde honoret quosdam, in dignitatibus inferiores, ac in ducatus quosdam militares euehat. Quæ si illi firma rataq; fiãt, facturum se fœdus. Vt autem multitudini quæ secum esset, hoc placeat, binas ad imperatorem conscripturum se literas, quarum altera captaret exercitus beneuolentiam, altera uerò conscribat secreta. Super hæc etiam petit mutari tractantem publica negocia, utpote iniquiorem tum sibi, tum suis. His igitur ab eo dictis, consignatisq; epistolis, abire hortatus est. Qui ad imperatorem uenientes, arcana quæ Comnenus illis iniunxerat, uiua uoce assignatis etiam literis significarunt. Ad quæ senex Imperator gauisus, omnium quæ petijt, fidem dare promisit. Simul legatos redire iussit: qui iureiurando illi affirmarẽt, haud longe abesse tempus, quo illum imperij participem sit facturus: nũc ob causas quasdam id differri. Comnenus læto animo nuncium legatorum accepit, alijsq; eadem non tristia fuere uisa: magisq́ue aliquanto, quòd mutari gubernatorem rerum publicarum didicerãt. Iamq; deponere arma omnibus est uisum, simul & tyrannidem. Michael Imperator, priusquam integram cum Comneno iniret concordiam, ut sibi ciuium animos conciliaret, inscriptionem quandam confecit, exxecrationibus ac iuramẽto unumquenq; deuinciendo, ne quis Comnenũ uel imperatorem diceret, uel regium honorem præstaret. Senatus autem partem muneribus, partem dignitatibus, alios alio modo demulsit, uti inscriptionem hanc subsignarent, confirmarentq;. Postridie cùm aduentare Comnenus nunciaretur, seditiosi senatores in templum Sophiæ conuenerunt. Quibus & Duces socialium exercituum iunguntur, patriarcham postulantes in medium eorum conuenire. Is ianuas illis claudens, nepotes misit quæsitum, cur ita tumultuarentur, quasi inuitus ad eos descenderet. At illi quum undiq; copiosa afflueret multitudo, nisi ueniret, malè se affecturos nepotes suos minitabantur. Descendens igitur stolam indutus pontificalem, increpuit eos quur tam uiolẽter eum descendere cogerent: quur tam audax per eos cõflata esset seditio? At illi cor-

correptò eo in medium, legatum eum esse ad Imperatorem postulabant, quò ipsis redderetur inscriptio, quam coacti subscripsissent, icto cũ Comneno fœdere: sed petitioni eorum restitit, simulanter tamen. Paucis enim horis exactis, Imperatorem ac Regem salutaruut Comnenum, patriarcha adiuuante ac comprobante: qui mirum illi fauebat ac studebat, ut & acclamationis ferret cõpensationem. Iubet igitur impudẽtius Imperatorem senem regia egredi. Qui cùm Pontificibus à Patriarcha missis dixisset: Quid mihi pro imperio redditis? hi uerò cœleste regnum illi ostentarũt: illico igitur abiectis imperij insignibus, regia exijt. Comnenus uerò iam imperator insignitus, Cecaumenum fecit Curopalaten, eumq; cum parte exercitus ad occupandam mittit regiam. Vrbana itaq; multitudo Imperatori nouo certatim occurrens, splendidissimum fecit eius in palatium ingressum. Cùm igitur non amplius uno anno senex Michael imperasset, à regno decidit. postq; hoc non diu superstes, uitam cum morte cõmutauit. Sic uir genere & opibus clarus, licet minus ad imperandum idoneus, in ordinem redactus, & regno priuatus, pòst paulo obijt.

ISACIVS COMNENVS.

COMNENVS Imperio potitus, suam felicitatem, nõ Deo, sed sibi acceptam retulit. Quod publico numismate attestatus est, quo imaginem suam strictum gladiũ manu extensa ferentem, cum hac inscriptione fieri fecit: *MIHI HOC IMPERIVM PEPERI.* Quo nũmo quasi seipsum prostituit, negocijs quibuslibet sese ingerens: concidereq; tumores quoslibet statuens, cùm tamen nec lenire nec fouere uulnera nosset. In primis autem Patriarcham in multa ueneratione habuit, eiusq; nepotes ex fratre propter illum & dignitatibus honestauit amplissimis, & magistratibus præfecit illustribus. Ecclesiasticorum negociorum iurisdictionẽ Ecclesiæ contribuit: in Patriarcham munificus. Cùm in id usq; tempus ab Imperatore magnus (ut dicebatur) Oeconomus imponeretur. Sed & Scenophylax (quod instrumentorũ custodem significat) quæ officia ambo sub Patriarchæ potestate constituit. Dein liberalissimè suos muneribus, qui sibi affuerunt, cohonestauit. Festinabundus cuiq; cõpensationem reddidit: ac domũ repedare iubens, ne quid tumultus excitarent, aut populum mouerent. Dehinc uitæ sociam acciuit Augustam: fratrem uerò Ioannem Curopalaten fecit, Magnumq; domesticum appellauit. Cùm uerò priores Imperatores, quicunq; post Basilium Porphyrogenitũ rerum fuerant potiti, nõ rectè uterentur publicis cõmunibusq; rebus, uerùm eas aut in proprias uoluptates, aut monasteriorum ædificia absumerent, aut deniq; quibus uolebant, largirentur, regiosq; thesauros distraherent, ac ob id magistratus & officia pecunijs priuarentur, Comnenus id emẽdare statuit. Sed nec quieta nec debita castigatione rem aggressus, cùm ex tyrannide legitimũ fecisset imperium. Postquam enim regnum accepit, inuertit obseruatum ante se morem: et siquid alijs dedit, rursus abstraxit, priuauitq; semel potitos rerum, multa cum indignatione derogans partim, partim deponẽs pleraq; prius cõstituta. nec id plebeis modò fecit, sed ne senatoribus quidem pepercit. Tum eo furore progressus, ut manus etiam ad diuina admoueret: quæ partim retractauit, partim in seruitutẽ redegit ac exactionibus subiecit, alioqui ecclesiastica gaudentes libertate: qui bus sufficientes alij præbuêre sumptus. Iste Reipub. defectus, sacrilegio reficiebat, aliud supra aliud quotidie accumulans. Ob id inuisus cunctis, & senatorij ordinis uiris, & multitudini populari, & militibus: quorum facultatibus pariter insidiatus est, nec ab eis abstinuit. Potissimum autẽ illis perquàm molestus, qui in monasterijs degebant: nec enim ab incepto, aut timor, aut odium, aut obloquutio abduxit. Sic animum totum eò intenderat, animamq; tumefactã inflauerat.

uerat. Sed nec diuturna illi fuit cum Patriarcha amicitia, qui huic imperare uolebat. Et quoties petitione aliqua ab eo frustrabatur, irascebatur, obiurgabat, & minabatur sese imperium illi ablaturum, quum potissimùm hoc illi contulisset: quod æquo animo Imperator ferre non poterat, & idcirco anteuertere priusquam quippiam pateretur, meditatus est, acto ipso unà cum nepotibus in exilium, priusquam festum cœlestium exercituum (quod nostri S. archangeli Michaelis uulgò appellant) instaret, quod celebrabatur splendidissimè à Patriarcha. Veritus est enim è sacra æde abducere, ne à clero ac plebe tumultus excitaretur. Dehinc hæreseos calumniam supponere solicitè studuit, quibusdam episcopis coadiutoribus, & Psello accusationes criminationesq; conscribente: quibus uirũ pontificatu deijcere sperabat, ut uel sponte dignitate se abdicaret, uel inuitus deijceretur. Vbi uerò regiæ uoluntati hic non obtemperat, ui deponere nisus, mors Imperatorem curis liberat. Huius nuncium quum quidam ueluti lætissimum Imperatori attulisset, Imperator pœnitentia ductus, illachrymans eiulauit: ac funus magno apparatu ac pompa ab exilio reducens, in propriam mansionem reposuit, nepotesq; pristinis dignitatibus restituit. Ecclesiæ uerò Proedron & Protobestiarium Constantinum Lichudem præfecit, uirum in Reipublicæ administratione longo tempore uersatum, ac officijs innocenter functum. Cui Monomachus olim Manganorum gubernationem commiserat, & de ipsorum libertate inscriptiones concrediderat. At Comnenus fraudis ac maliciæ plenum excogitans consilium, à cacodæmone quodam haud dubiè sibi inditum, sub suam Lichudem concupiuit reducere potestatem. Simul enim atque Lichudes confirmatus est, ac præpositus, & sacerdos factus, per secretiores suos mittit, ut prohibeant eum consecrari. Et nisi Mangana cederet ac solueret in Synodo, non fore uti chrismate pontificio inauguraretur: Si uerò (inquit) mihi dederis iura Manganorum, permittam te inungi. Sciens igitur Lichudes quòd in pristinum statum non pateretur sibi regressus, in hoc uerò ordine turpe ducens manere, afferens petita dedit: & sic permissus est pontificali dignitate inungi. Cæterùm Comnenus bellum gerens contra Vngros & eos Scythas, qui Patzinacæ dicuntur, Vngris pacem petentibus, dedit inducias. Contra Scythas uerò mouenti, alij quidem succumbunt ac pacantur (nec enim omnes sub uno principe degunt) unus autem eorum Selte nomine, audax nimium, cum parte Romanarum copiarum conflígens, uincitur. Hinc uerò Imperator moto exercitu, in Lomizo castra statuit, iam penè ad finem uergente mense Septembri. Cadentibus autem densis imbribus ac niuibus, iamdudum & equi plurimi interierunt, & milites non pauci frigore periclitati sunt. Flumina' que alueos suos egressa & æstuantia, commeatum & necessaria simul abstraxerunt. Postea uerò pluuijs ac niuibus aliquantisper sedatis, prætorio egressus Imperator, sub ingentem quandam quercum, quæ illic fortè stabat, constitit: astantibus circa eum primoribus quibusdam. Strepitu autem eo in loco repentè ac inopinatò euenìente, abierunt omnes, & ilico radicitus euulsa quercus corruit. Ob id Imperator Constantinopolim reuersus, gratiarum actiones & uota Deo de incolumitate persoluens, intra regiam sacellum diuæ martyri Theclæ extruxit: ea enim die periculum sub quercu effugerat. Sed pronepos illius imperator Iohannes Alexij filius, templum minus magnificum pro ipsius dignitate existimans, deijcit: ac multo splendidius nomini Saluatoris nostri Iesu Christi dicatum reædificauit. Sed quomodo regno deposuerit Isacius, licet historici non consentiant, tradendum nunc est. Psellus enim uerbosus, uenationi tradit Imperatorem uacantem, continuò dextram uenabulo armatam in ursos & apros extendentem, frigido spiritu latus ferisse, ac deinde horrorem eum inuasisse, ac febrem profundam in eo exæstuasse, ac in sequentem usque diem latus pupugisse, nec anhelitum habuisse: ac ex ijs uitę dubium factum, immò penitus desperasse. Et ob id Constantinum Ducan

imperio

imperio præfectum, in melius mutasse uitam. Thracesçus uerò uenatum & ille Imperatorem commemorat circa nouam urbem. Aprum uerò apparuisse alicunde aspectu terribilem. Comnenum laxato equi freno insequutum esse suem, eum uerò incidisse in mare ac disparuisse: quem quidam non suem, sed uisionem quandam suspicati sunt. Inter hęc quasi coruscatione quadam afflatum Imperatorem, eiusçp iactu turbatum, ex equo decidisse, ac procubuisse humi exanimem, ore sputo conspersо, illatumçp in regiam. Vbi quum aliquantisper ægrotasset, in desperationem redactum, totondisse capillos: & pro purpura asperum ac durum induisse uestimentum, cucullam scilicet monasticam. Ducan uerò Constantinum Imperatorem factum. Tum se applicuisse ad studij mansionem, ubi reliquum uitæ transegit, ex morbo pristinæ ualetudini restitutus. Imperauit autem annos duos, menses treis. Strenuus alioqui, & moribus arrogantioribus, bello, pacęçp infractus. In negocijs uerò celer & expeditus, in rebus bellicis præstantissimus. Literis uerò non perinde deditus, affectus tamen erga eas & earum studiosos. In Venere temperatus. Fertur enim quum olim ægrotasset ex renibus, ac à medicis in morbi remedium fœminæ iuberetur congredi, noluit alteram quàm uxorem tentare, morbi potius ferens austeritatem. Alij tradunt, tantæ fuisse continentiæ, ut prolem ex uxore susceptam, amplius etiam si medici frequentiore coitu uti edocerent pro seruanda sanitate, cum ea congredi noluerit. Accusatus aliquando quòd tyrannidem arripuisset: Grauabar (inquit) conseruo seruire, & non decentia sortiri: sesęçp id Reipublicæ causa fecisse exclamauit, ac nihil iniusti à se factum est cautus. Hæc Zonaras.

CONSTANTINVS DVCAS.

CONSTANTINVS Ducas Proedrus, & scholarum domesticus, Andronici Ducæ filius, citra negocium rerum potitus, Isaacio succedit Imperatori, multum de progenitoribus suis gloriatus, Ducarum scilicet familia, Andronico Pantherio & Constantino. Cùm tamen gens ea olim funditus fuerit exterminata, ob Constantini Ducæ, qui tyrannidem affectabat, insolentiam. Constantino VII. Porphyrogenito Imperatoris Leonis philosophi filio imperante, ut superius scripsimus. Qui sub procuratoribus & tutela aliquandiu regnauit ob puericiæ imprudentiam, quum tota penè familia extingueretur, nullo mare relicto. Sed ex fœmina quadam illius sexus, maiores illius originem habuêre. Vnde nec uerus aut purus Ducas fuit, sed mixtitius, & adulterinam habens cum ea gente cognationem. Dictus est plerisçp forma diminutiua Ducitzes: ab alijs corruptè puto, Diochysis cognominatus est. Vir alioqui eximia in Deum pietate, moribus mitis, ueræ pietatis cultor, & æqui obseruantissimus. Consilio & sententia tardior & hebetior, delectatus in primis uitæ mundicia & sanctimonia. Sed auariciæ studium prægrauabat. Pecuniæ enim immoderatè studiosus, uias quærebat sedulò, quibus thesauros cumularet. Duplici autem studio id inuestigabat. Nam ut publicas diuitias augeret, officia quę circa rationes uersabantur, uenalia dedit ambientibus, & publicanis collectionem tributorum sub conditione additionum & augmentorum concredebat. Alterum illi studium erat, ut ius diceret & decerneret. Qua in re non plena spectatus est diligentia, sed aliquando potestate abutebatur, & decreta imminuebat in dictas sententias, ambigua proponens: incōstans aliquando & tenax. Sed ab initio Imperij, multos senatorij & plebeij ordinis ad amplissimas sustulit dignitates, & exutos suos honoribus ac spoliatos à Comneno, qui plurimi erant, restituit. Vnde grauis eum conspiratio, insidijs in eum commotis, penè oppressisset, parumçp aberat, quin submergeretur: erat em in regia

Manganorum. Vnde coniurati augurabantur fore, si tumultus in urbe concitatus annunciaretur in forum, ut statim per mare Imperator in maiorem regiam esset abiturus, quod & euenit. Ordinatum autem ne tum regia triremis adesset, eiusq; rectores, quos Protocarabos appellant, socios habebant coniurationis. Imperator igitur ubi tumultum motum accepit, ex Regia ilico abeundum decreuit. Sed regia triremi non inuenta, quoddam fortuitum conscendit nauigium. Abeunti uerò iam imperatoria quoq; triremis apparet: quæ uehementi ualde remigatione cum impetu fluctus conscindens, ad nauigium in quod Imperator fuerat ingressus, dirigebatur. Hoc sanè consilio, ut impetu nauigium obrueret, supprimeretq;, ac Imperatorem demergeret. Sed Imperatoris nautæ sublato clamore, triremis impetum prohibuerunt, auerteruntq; gubernaculum eorum. Qui hac uoce attoniti (diuina sic ordinante prouidentia) timore magno correpti sunt. Sic Imperator periculum effugit. In authores autem coniurationis, qui has conflauerant insidias, Imperator nulla alia pœna q; publicatione bonorum animaduertit. Quumq; hanc conspirationem non sine discrimine oppressisset, ad Reipublicæ administrationem conuersus, non pessimum egit Principem. Decreuit uerò secum omnino cum nulla gerere bellum gente, sed muneribus alijsq; illecebris placare, aut conciliare Romano Imperio, ob solum auariciæ studium: quòd scilicet in expeditiones plus se quàm in munera expensurum iudicaret, & quietus pecuniarum aceruationi uacaret. Ideo neglecto militum delectu, fortissimum & strenuissimum quenq; conscriptorum ob præmij grauitatem dimisit. Vnde Barbari animosiores facti, & res Romanorum deterere, & exercitus subiugare non neglexerunt. Sic multæ Orientales regiones partim diripiebantur ac excindebantur, partim hostibus debebantur. Nec minus Occidentales aduersa patiebantur, propter militum paucitatem ac incommoditatem. Vzorum enim gente (Scythica est ea ex Patzinacis, alijs Scythicis gentibus, & generis præstantia & multitudinis excellentia præponenda) Istrum populariter transgrediente, tentarunt finitimarum Istro gentium Præsides à transitu prohibere, licet non possent. Erant autem hi, magister Nicephorus, Botoniates & magister Basilius de Cape. Sed Barbari cum eis congressi, & exercitum quem illi habebant, uicerunt, & ambos præsides manu captos abduxerunt: Danubium 'que transgressi, omnem circa regionem cædibus atq; incendijs impleuerunt. Erant enim, ut constans est fama, super sexaginta chiliades, qui ad Græciam usq; sunt progressi, nemine uetante. Hæc licet mœrore Imperatorem afficerent, non tamen exercitum conscribere placuit, differens quoad posset, ne nummum aut obolum quidem profunderet: inuictam gentem esse causatus. Oratores tamen cum muneribus misit, quibus sefœdere iuncturum Barbaros sperabat: sed parum effecit. Cunctis autem Imperatori maledicentibus ob parcitatem, Barbaris non occurrenti, tandem urbe egressus, iuxta Cherobacchos castra locauit: non pluribus quàm quingentis aut quinquaginta militibus secum assumptis. Meditanti uerò ampliores cogere delectus, superuenit nuncius de gentis distractione ac subuersione, grassante in eam ac sæuiente pestilentia, eosq; ualde uexante. Sed & Patzinacæ ac finitimi Bulgari infirmis opponebantur, simulq; occidunt ac extinguunt, ducibus cum paucis in alteram Danubij ripam ægrè euadentibus. Quod cœlesti auxilio nimirum prouenie bat, Imperatore desperante, & ad diuinam opem confugiente: lachrymis enim cordisq; contritione id à Deo anxiè efflagitauit. Hæc sexto eius imperij anno gesta sunt. Antea uerò terræmotus ingens (familiaris Constantinopoli clades) uigesimotertio die Septembris factus est: quo templa ac domus plurimæ sunt dirutæ. Sed & Græcum templum in Cyzico corruit, opus pulcherrimum & admiratione dignum. Sed & Nizeæ speciosissimum simul & maximum Sanctorum patrum templum decidit. Maio autem mense quartę inditionis, cometes uisus est à tergo solis ad Occasum uergentis.

Erat

Erat prius & in luna ingens magnitudo, postea cometes ut factus est minor, decreuit: quantumq; per comas crescebat, tantum deficiebat magnitudine. In Orientem radios protendens, quadraginta diebus apparuit. Constantinus præterea Lichudes patriarcha, quatuor annis & mẽsibus sex pontificatu functus, in aliam migrauit uitam: cui Iohannes Xiphilinus successit, ex Trapezunte oriundus: eruditione literarum uariarum clarus, olim inter senatores connumeratus. Qui omnibus spõte relictis, monasticam uitam ingressus, iuxta Olympum longo tempore degebat, dignus tanden habitus sede patriarchali. Cæterùm Imperator morbo diutino correptus, cùm penè consumptus diu laboraret, ineuitabilem instare sibi uitæ finem uidens, Imperium filijs reliquit tribus, quos ex uxore Eudocia genuerat. Duos quidem priuatus, Michaëlem scilicet & Andronicum, quos Cæsares declarauit: Constantinum uerò Imperator iam existens genuit ex Augusta Eudocia: qui solus Porphyrogenitus, ante alios Imperatorijs insignibus exornatur. Ipsam uerò Augustam, matrem & dominam appellari cauit, Imperij molem illi imponens. Et quòd moderata & prudens, tum ad filiorum educationem idonea uideretur, & ad gerenda negocia nata. Iuramentum tamen ab ea inscriptum exigebat, ad secundas nuptias non transituram. Quod Patriarcha sua subscriptione roborauit. Quo inscripto, omnes penè senatorij ordinis contristati sunt, nullum se alium Imperatorem scilicet, nisi ipsius filios appellaturos: licet seruatum non sit, ut infrà dicemus. Post hæc Imperator defecit, functus imperio annis septem, mensibus sex: anno ætatis sexagesimo & amplius. Fratrem sanè suum Cęsarem cùm honorasset, participemq; imperij fecisset, arcanorum cõscium habebat. Literis uerò nullam nauauit operam, amabat tamen eas, studiososq; earum uenerabatur: solebatq; dicere, malle se literarum gloria quàm imperio illustrem esse. Insidiatores uerò suos non aliter duxit puniendos, nisi quòd ipsis ut uenalibus mancipijs est usus: utpote ex legibus libertate priuatis. Hæc Zonaras. Fertur autem & tres habuisse filias, Annam, Theodoram & Zoën, ut cæteri historici tradunt.

EVDOCIA IMPERATRIX.

MORTVO Imperatori succedebant in imperio Eudocia uxor & tres liberi, iuxta factam ordinationem. Accepitq; Imperatrix communem liberorum prouidentiam ac educationem, unaq; cum illis in regio throno collocatur, utrinque accubantibus filijs, regina in medio residente. Sic in consilijs, sic in publicorum iudiciorum cognitionibus, sic in domesticis sessionibus, sic in consuetis progressionibus sedebat & incedebat. Sub id tempus Barbari Orientem latrocinijs uastantes, Romanorum terras quotidie uexabãt. Quandoquidem milites (ut diximus) ob Imperatoris defuncti parcitatem pauci erant, & inutiles facti sunt ocio & ignauia. Siqui autem fortè erant militiæ diti, hostibus occurrere, consuetis priuati esculentis ac stipendijs, non audebant. Ob id Barbari quandoque in Mesopotamiam irrumpebant, aliquando Cappadociæ urbem Melitenen, & quæ circa eam sunt, diripiebant. Quandoque Ciliciam populabantur, ac in Cappadociam egressi sunt: nec his qui in Cœlosyria sunt abstinuêre. Quæ imperatrici nunciata, tumultum concitarunt: multis clamantibus, Imperatore iam opus esse ad hæc cõficienda negotia, quæ fœmineo essent longè imparia ingenio. Mulier itaque sagax, ne una cum pueris regno excideret, Republica ob Imperatorem periclitante, quendam cogitabat in principatum inducere, uirum fortem & ad res bellicas aptum, quò & sibi & liberis imperium conseruaret, integrumq; maneret. Neque enim intemperantia motam aiunt, nec uictam uoluptate sibi sociasse Diogenem, uerùm ut Principem in re militari iamdiu uersatum & robore excellentem, præ-

posuisse rebus Romanis, ut metus Barbaricus tolleretur uniuersus, quum hic manus illis consereret. Erat uerò is uir & nobili familia, & celebri fortitudine. Cuius pater Imperatoris Romani affinis fuerat per neptem ex fratre, captusq; ob affectatum regnum, seipsum præcipitauerat: ne in potestatem redactus, indicaret conscios tormentis interrogatus, qui dehinc supplicio afficerentur. Is Romanus Diogenes honore Bestarchonum functus, à Duca Sardice dux fuerat factus. Vbi & Patzinacis aliquoties congressus, multos cepit, fugauit, ac cecidit: missisq; & manu captis uiuis, & cæsorum capitibus, Bestarches dignitate est honoratus, scribente ad eum Imperatore his uerbis: Non dono tibi Diogenes hanc dignitatem, uerùm eam uirtutis tuæ compensationem esse uolo. Illic igitur degens, arripere destinabat tyrannidem, quum mortem Imperatoris accepisset. Quum illius itaque animus Reginæ significatus esset, misit qui comprehenderent. Sicq; uinctus Byzantium ducitur, accusatusq; ueluti insidiator condemnatur, & arctiori custodia clauditur. Tum ad imperialem ductus thronum, condemnatus est, ut promulgaretur contra eum factum decretum. Omnes qui aderant miseratione mouit, & ob formam eius egregiam, & robur corporis insigne. Cum alijs & Imperatrix misserta est uiri: immò, ut credibile est, amore mota, licet incertum sit. Atq; ideo pro sententia supplicij absolutio profertur: liberatusq; à pœna in patriam proficiscitur, quæ illi Cappadocia erat. Reuocatum uerò Imperatrix, magistrum & prætorem constituit, Imperatorem potius appellandum censens, ut uirum se dignissimum. Sed obstabat iuramentum & inscriptio, quę penes Patriarcham asseruabatur: cuius recuperandæ ingens cura illi fuit. Excogitat igitur astu fœmineo consilium malum quidem, sed callidum ualde, idq; eunucho suo aperit, quo pro lenone usa est: præscribens illi, quid & quomodo Patriarchæ loqueretur. Hic itaq; ad Patriarcham iam singula edoctus se propipiens: Nostin, inquit, Domine, amore nepotis tui teneri Imperatricem? Erat autem illi nepos Bardas iuuenis in ipso ætatis flore, rei uenereæ aptissimus. Quę cùm amore illius ardeat, me misit si tu consentias, hoc est, illi chyrographum reddas, spondeasq; citra incommodum illi fore, statim coniuncturam se sibi nepotem tuum, traditurameq; imperij potestatem. Vbi hæc audiuit Patriarcha, deceptus muliebribus dolis, totum tradidit seipsum, omnia pollicitus. Eunuchus ad hæc Senatum quoque expertus, unumquemq; eius ordinis compellans: Necessitatem ac negocia postulare, inquit, Imperatorem ex eorum numero deligere, ne diutius à fœmina ac puerulis Respublica gubernata, breui Romanum Imperium pessumeat, peritumq; occumbat: non modò in ijs regionibus hostibus uicinis ac expositis, uerùm ipsam urbem fore in periculo. Illis adiunxit iuramenti ac apographi mentionem, reprehendens mortuum Imperatorem, quòd non publico consuluisset commodo, sed ob zelotypiam illicita exegisset iuramenta ac illegitima apographa. Cùm autem plures inuenisset assentientes, contradicentes partim muneribus, partim promissis induxit, uti tale aliquid decernerent. Missa igitur Regine inscriptione sua, in rem atq; effectum uoluntatem traduxit, Diogenemq; sibi maritum coniungit, communicato negotio maiori filiorum Cęsaris, quem in regiam accersiuit, ut nuptijs interesset. Sic Diogenes Imperator salutatur: quum Eudocia cum liberis imperium gessisset menses septem, & dies aliquot.

Fuisset profectò Respub. non incommodè à muliebri prudentia tractata, si ab externis pax affuisset. Sed Barbarorum motus effecit, ut iuramenti oblita Imperatrix, hunc uirum fortem duceret maritum.

Romanus

ROMANVS DIOGENES.

POTITVS rerum Romanus Diogenes, non respondit conceptæ ab Imperatrice sibi imperium donante spei. Quandoquidem illa ex condemnato etiam penè carnificibus tradito, non modò absolutum & periculi liberum ac immunem fecit palàm, sed & tali imperio est dignata: sperãs in omnibus sese exhibiturum obsequentem, seq; potestate functuram. Hic autem intractabilis, animo libero, exiguo tempore, ui naturæ mores ingenitos compescens, succubuit Augustæ uoluntati, suspicionemq; dissimulauit. Paulo pòst retecta natura, statim ad suum ingenium rediit, subiectionemq; molestè ferens, potestate regia uti statuit: malè se interim Orientis rebus habentibus, ac alijs desciscentibus, alijs uerò inclinatis ab eo. Habito itaq; delectu, castra regia ad Orientalem partẽ Augustæ Byzantinæ locat, duo uno labore facere intendens: Barbaris scilicet accessum prohibere, & sic salutem subditorum suorum (ut fas Imperatori) præsens curare: & nomen sibi ac famam conciliare, nec omnia subijcere Imperatrici, sed se ostendere rerum dominum. Progressus idcirco ex regia armatus, ad Orientem pergit non satis ualido exercitu: utpote qui penuria laborabat & armorũ & equorũ, aliarumq; rerum in bello necessariarum. Longo eñ tempore rem militarem (ut scripsimus) neglectã haud facilè erat ac promptũ breui instaurare. Ad Orientis igitur plagam, ubi Phrygiæ pars quædam est, eductis militibus, hostes intelle xerũt Imperatorem uirum bellicosum & inuictum adesse, qui se paratum pro suis exhiberet quodcunq; subire periculum: uisa acie Barbari comínus pugnare recusarunt, cautius existimantes retrò fugere. Sultanus igitur in duas partes Barbaricum agmen secans, alteram in meridionalẽ Asiam seorsum, alterã in septentrionalẽ induxit: præsidentibus præcepit quicquid occurrat diripere. Niocæsariam itaq; subitò obruentes, oppressam diripuerunt, prædaq; onusti inde abierunt. Quod Imperatorem mœrore affecit, qui assumptis expeditioribus agminis, itineribus difficillimis ac penè inuijs, hostes improuisus adoritur, iniectoq; illis terrore in fugam uertit. Barbari enim relictis spolijs & supellectile, dissipati sunt. Cùm autem exercitus Imperatoris commeatus penuria laboraret, persequi diutius hostes nõ potuit. Ob id & captiui & quicquid aliud prædæ accesserat, uniuersum dimittebatur. Inde in Syriam cœpti sunt traduci. Legiones uerò Imperator Meliteam dimittit: ipse ad Chalep contendens, multam abegit hominum ac animalium prædam. Inde Hierapolim Syriæ accedit, eamq; expugnare conatus, post longam obsidionem certis conditionibus in potestatẽ redegit. Posthac uerò Romani exercitus partem Barbaris inuadentibus, ex uictoribus nemo potuit auxilio uenire pugnantibus. At Imperator (qui tum fortè in capta urbe erat) hoc accepto, statim cum ijs quos habebat secum, suppetias latum uenit certãtibus suis. De hac uerò Romanorũ pugna Chalepitarum dux factus certior, & ipse cum omni suo exercitu Barbaris se iungit, sperãs se Imperatorem captiuũ mox abducturum, & ob id Romana castra circulo ambijt. Imperator autem improuisam illis pugnam inferens, uallo egressus, copias nullo præcedente turbarum sono eduxit, nec alia aperta signorum ostentatione: euertitq; ilico hostes ac fugere coëgit. Quod si uictis instetisset exercitus diutius, uictoriam retulisset maximam ac celeberrimam. Equi enim Arabũ primo impetu ueloces sunt 227
quidẽ, alijsq; cursu prestantiores, non tamen perinde perseuerãt continuò, sed lædunt ilico. Reuocati itaq; & à persequutione desistẽtes hostes quidẽ incolumes perstiterũt, seipsos uerò & magnæ uirtutis opere & ingẽti gloria priuarũt. Imperatori pariter uisum est sat fœlix magnumq;, quòd Romani hostibus occurrere confidissent, multumq; pristini timoris posuissent. Deducta uerò est iubente Imperatore Hierapolim Acropolis ipsa. Ipse autem & alia oppida acce-

dens,partim quòd in expugnabilia essent præterijt, partim uerò recepit, & ad urbem Ciliciæ Alexandriam occurrit. Inde abeunti nunciatur Amorium captum esse,multosq; illic interijsse. Aegrè ijs affectus Imperator, passa hoc tempore uindicare se non posse agnoscens,ordinatis quæ in exercitũ erant,ne per hyemis tempus in penuriã necessariorum incideret, ipse ad reginã reuertitur: satis arrogãs,quòd tam celeriter rem egregiã gessisset. Regina se spe sua falsam sentiẽs molestè ferebat,animoq; ulcerato continere se fœmina nõ potuit,quin increparet. Rursus uere illucescẽte,alias Imperator copias conscribens,statim Byzantio decedit,Cesaream petẽs. Vbi accepit ingentem Turcorũ exercitum regionem populari. Quibus & ipse occurrit, & partem exercitus in hos immittit ut manus conserant. Sed uersis in fugam hostibus,quos uiuos caperet,omnes contrucidauit. Inde ad Euphratem tendit,exercitui ducem præficiens Phi laretum,uirum de familia Brachmannorum,spectatũ,iudicatumq; ad belli periculum sufficientissimum:sed uita haud admodum integra, prorsus à nomine suo discrepante. Cùm in conspectũ exercitus huius uenissent hostes, loca insidijs parata deseruerunt,uersiq; in fugam omnem amiserunt supellectilem. Doluit Imperator sic euasisse hostes, qui impetu quodam Cappadociam euastarunt,Iconium usq; progressi. Vbi quum magna uis hominum esset, abundare omnibus bonis putabat. Sed Augustus audito Turcorum in Iconium aduẽtu, Sebastiam relinquens,à tergo accelerat. Sed iam direptum audiens Iconium, hostesq; abire, eius aduentum pertimescentes, misit Catathurio duci magnæ Antiochiæ partem Romani exercitus, illi præcipiẽs,ut ad Mopsi domum diuerteret,ac cum transeuntibus Turcis congrederetur. At hostes ubi in planiciem apud Tarsum uenêre,in Armenios incidêre, penèq; omnem prædam abiecerunt:effugiẽtesq; Romanorum exercitum in Mopsi foro latitantem, noctu abierunt securi: quod regi triste attulit nuncium. Qui desperatus(iam enim autumnus instabat) Byzantium rediit. Quo tempore magnum illud apud Blachernas templum cõflagrauit, anno instante sexies millesimo quingentesimo septuagesimooctauo. Vere autem redeunte Manuelem Comnenum Protoproëdrum, Imperatoris Isacij nepotem, Curopalaten constituit, ac exercitibus præfecit. Qui cùm admodum esset iuuenis,sub senioribus imperabat:Barbaricum'que sortitus certamen,congreditur, & uictor euadit. Qui ei inuidiæ materiam erga Diogenem ingessit,adeò ut haud exiguam exercitus partem illi adimeret, ac in Syriam mitteret. Iuxta Sebastiam itaque cum reliquis in magnam incidit Turcorum multitudinem,eisq; congressus,cùm illi fugam simularent, ac Comnenianos milites ad loca sibi opportuna attraxissent, obuersis ex composito tergis, ordines Romani exercitus turbarunt, sparsosq; partim trucidarunt, partim captiuos abduxerunt, ac cum ijs Manuelem ducem, castris prius direptis. Attulit hoc nuncium Imperatori haud triuialẽ mœsticiam. Et præter hoc fama uulgauit quod & Respublica Chonas & nobile illic templum à Barbaris captum esset. Illico igitur arma corripiens Imperator,itineri se accinxit contra hostes, cladem hanc uindicaturus. Tametsi alijs uideretur, se aliquantisper cõtinere,consultius. Inter hæc uenit Manuel Comnenus, unà cum Turco à quo captus erat,ad Imperatorem. Nam nescio qua causa contra hunc Sultanus indignationem conceperat, emisitq; contra hostes exercitum qui captum adduxerat. Vnde sibi ille timens statuit ad Imperatorem transfugere. Quem statim Imperator Proëdri honore dignatus est. Erat autem is statura breuissimus & forma turpissimus. Vere iterum illucescente,Imperatoriam triremem ingreditur. Nauiganti columba subnigra triremem totius exercitus obuolauit:nec circuire destitit, quoad manibus caperetur,quam Imperatrici transmisit. Quod planè augurium non perinde prosperum coniectarunt quidam,nec illi qui eam ceperat,nec illi cui erat transmissa. Sed & ligno,in quo medio statutum cernitur Imperatorium tentorium, sua sponte contracto, decidit præ-

dit prætorium: & hoc quoq; infaustum uisum est omen. At hæc nihil potuit Imperatorem tristicia auertere. Progreditur tamen ad regiones usq; Orientales, parsimonia præter solitũ correptus. Sed cùm crebrò inter domunculas contubernium statuisset, ignis eas corripuit ut flagrarẽt prorsus. Ipseq; & equi semiambusti protracti sunt è prætorio, tum etiã frena tum uehicula: nec id bonum est iudicatum portentum. Inde uerò abiens Halym transgressus, Cæsaream uenit, ac in pago quodam (quem Cryan uocant) uallum munijt. Illic cum quibusdam Nemitzorum crudelius propter iniusticiam egit. Eorum uerò turba deficiente ac rebellante, ipse statim equos illustriores & exercitum inducens, terruit desertores, statimq; redegit in ordines auxiliares. Postea Theodosiopolim abijt, isticq; duobus mensibus singulos pro commeatu afferendo dimisit, quòd ad inuia & inhabitabilia esset profecturus. Diuiso tum exercitu, partem Rusellio tribuit (uir hic erat Latinus bellicosissimus) et per Chliat illum emisit. Alteram ueò partem attribuit alteri, illi præcipiens ut terram diriperet Manzikurt. Imperator uerò ipse cum paucis reliquis, nec ad pugnãdum satis idoneis remansit. Manzikurt igitur per concordiam Imperatori se dedidit, trepidantibus Turcis, inducias q; & fidẽ petentibus, & illum reuerentibus. Militibus aũt frumentatũ alijsq; pro necessitatibus egressis, conueniũt hostes. Quod ubi Imperator resciuit, cum aliquot cohortibus magistrũ Nicephorum Bryennium emittit, qui cum Turcis congressus est. Sed laborantem cernens suum exercitum, mittit ad Imperatorẽ auxilium petitũ. Imperator hostium potẽtiam ignorans, Bryennij formidinẽ reprehẽdit, ac in uirum ira exasperatur. Tum uerò sacerdos Euangelium fortè legebat, ac casu hæc uerba dicebat: Si me persequuti fuerint, persequẽtur & uos. Simul emisit magistrum Nicephorũ Basilacium cum parte militum: quibus Bryennio adiunctis, aliquãtisper æquale certamen fuit. Pugnante uerò inter principia cum suis Basilaceo, ac in hostes faciente impetum, illi non ferentes, terga uertunt, quos ille persequitur, Briennio cum suis non comitante. Vbi uerò ad hostium uallum est uentum, uulnerato ipsius equo, eo decidit: armorumq; mole grauatus, cùm moueri minimè posset, hostibus circundatur, capiturq; uiuus, ac ad Sultanum mittitur. Qui nihil illi seruile fecit, nec ut mancipio afficiebatur: sæpius uirum compellans, de Imperatore interrogabat, ac suam illi potentiam ostentabat. Sed astutus res Sultani & laudabat & admirabat: sed tamen nihil esse dicebat, si cum Imperatore conferrentur. At Imperator cum reliquis egressus uallum, exploraturus quid factum esset, constitit in colle usq; ad uesperum, ac demum reuertitur. Statim uerò Turci circundantes castra obequitabant ac iacula mittebant, uocibusq; ignotis & ululatibus circum exercitum sonabant. Sic quidem nox superuenit. Mane uerò Vzorũ cohors quædam ad hostes sponte transfugit. Quo uiso & reliqua Vzorum multitudo idem facit. Rex uerò uelocissimo in Chliat nuncio misso, aduocat istinc exercitũ. Cùm uerò non ueniret (Trachaniotes enim dux istic degentiũ militum, audito Sultani aduentu, induxit & Rustelliũ, ac cum ijs quos habebant, coniuncti, fuga in Romanorũ fines euaserant) statuit Diogenes cum eis qui secum erant, in crastinum pugnam cõmittere: ac simul cum aurora ad pugnã instruitur. Inter hęc legati uenêre à Sultano de pace acturi: quos Imperator non admodum benignè suscepit. Moxq; responso dato ad dominum suum redire iussit nuncios, si quid de pacis conditionibus esset acturus, uti relinquat locum in quo castra locasset, longius alicubi castra metetur. Et ut cum Romano exercitu uallum sit coniunctum, ubi nunc est Barbarorum munitio. Hæc cum legatis loquutus arroganter ilico redire eos præcepit. Nunciant igitur Sultano Imperatoris sententiam, qui cum suis de pacis conditionibus consultat. At Imperator fastu plenus, à suis quibusdã persuasus est, formidine correptũ esse Sultanum, quòd parẽ sibi exercitum non haberet, ac ea causa pacem quærere, ut dilata pugna copias augeret. Non expectatis igitur legatis, nec

tis,nec quippiam ſpeculatione diligenti cõſiderans,tubicinibus præcepit cie-
re Martem. Improuiſa autem res Barbaris tumultum mouit: ſed tamen in ordi
ne ſic etiam perſtiterunt, ac inuadentibus eos Romanis non occurrerunt, ſed
ceſſerunt:ita ut nec terga uerterent,nec pugnarent tamen. Vt uerò clara eſt fa-
cta dies,Imperator non eſſe idoneum in caſtris preſidiũ comperiens,timuit ne
inuadẽtibus ea hoſtibus diriperentur:decreuit pugnam dimittere,ac ad caſtra
reuerti: Conuertenſq; ad regiũ ſignum, redijt, & exercitui ut idem facerent ſi-
gnum dedit. Qui circa ipſum erant, citra tumultum imperata faciunt, qui ue-
rò longius aciẽ firmarant, fugam eſſe Imperatoris ſuſpicati ſunt, Andronico
Cęſaris filio hoc legionibus ſuggerente.Semper enim & Cæſar & filij illius Im-
petatori inſidiabantur,ac clanculum illi machinabantur perniciem. Statim igi
tur Andronicus cum ijs qui penes ſe erant (rexit enim non exiguam militum
partem)ex ordine aciei reuertũtur ad caſtra,id quod & reliquos in fugam uer-
tit. Quos tam inordinatè fugientes Imperator conſpicatus, ipſe conſtitit, ac
idem fugientibus pręcepit. Sed nemine parente fugamq; ſiſtente, nil effecit.
Tam inconſultam uerò fugæ infœlicitatem Romanorum, diuinamq; iram ui-
dentes hoſtes,ſtatim irruunt in Imperatorem:qui cum ijs quos tum adhuc ſecũ
habebat, pugnam ſuſcepit,& aliquatenus fortiter ſuſtinuit. Poſtea alijs caden-
tibus,alijs captis circumdat à Barbaris Imperator. Sed ne ſic quidẽ ſe dedidit:
multos uerò cędens ac uulnerans,& ipſe manu uulneratur. Deficiens amplius
reſiſtere hoſtibus nequiuit.Et equo telis uulnerato ac collapſo,fugere neſciẽs,
capitur abducituq; ueluti mancipiũ. Nunciata Sultano Imperatoris captiui-
tas,gaudio nimirum fuit,uerùm pro ſua prudentia non nimio. Azan ille uoca
batur, cuius multa de iuſticia & moderatione dicta canuntur. Vnde non cre-
debat Imperatoris captiuitatem, propter tantæ fœlicitatis immodicam acer-
uationẽ. Sed & ipſum coràm uidens,non ſtatim credidit,donec miſſi ad eum
legati, ipſum agnouerunt. Baſilacius quoque illic in uinculis habitus,eo uiſo,
ſeipſum protinus ante pedes eius non ſine ingenti lamẽtatione proiecit. Tum
uerò de throno exilijt penè attonitus,poſitúmque humi de more pedibus cal-
cans, ſuſtulit ac amplexus eſt: Et ne doleas, inquit, Imperator, hæc enim hu-
mana ſunt. Ego enim te non ut mancipium, ſed Imperatorem tractabo. Et
ſtatim habitationem illi ac familiam imperatoriam ordinat, communíque ſe-
cum menſæ adhibet, quoſcunque uolebat captiuos illi ſoluens. Sic ad dies ali-
quot uiro conuerſatus immodicéque honorans, factis pacis conditionibus &
affinitate inter pueros contracta, dimiſit Diogenem quanto nemo unquam
ſperauit honore, ſimul & ſatellitio. Is uerò Theodoſiopolim Barbarico cultu
uenit. Sultanus enim proprias illi ueſtes præbuerat, manumq; uulneratã cùm
illic maneret,illi curauerat, Romano quantũ fieri poterat more adaptans om-
nia. Inde igitur progreditur rediens, Sultani legatos ſecum ducens. Hoc pa-
cto itaque reuerſus eſt. Cæterùm audita in primis eius captiuitate, duplex
in regia motus fuit: pars enim Imperatrici poteſtatem ablatam reddebat, alij
uerò omnia eius filio decreto imponebant. Inter hæc ſolutus captiuitate Dio-
genes nunciatur, affertur que eius manu ſcripta epiſtola, hæc ita docens ac-
cidiſſe. Vnde magis rumor timórque inualeſcebat,omnésque cepit dubitatio
quò fugerent. Cæſar itaque Iohannes,eiusq; filij, ſemper (ut dictum eſt) Dio-
geni infeſti, arrepta occaſione, acceperunt ſenatorij ordinis quoſdam ſibi fa-
uentes: quorum princeps Pſellus & ipſe fortè Diogeni inimicus. Imperatri-
cem Eudociam in conſtructam à ſe manſionem, iuxta Propontidis anguſtias
includunt: Michaëlem uerò ſalutant Imperatorem. Deinde emittuntur undi
que Imperatoriæ literæ, iubentes nec ſuſcipere, nec regio honore dignari Di-
ogenem: ſenatuſconſulti perſuaſor ac author Pſellus fuit, ut ipſe in propria te-
ſtatur hiſtoria. Diogenes uerò his cognitis, datum accipiens ſatellitium pro-
grediẽs,ſingulis diebus caſtra metatur. Cæſar uerò filiorum ſuorum iuniorem

Proedrum

Proedrum Constantinum cum exercitu cõtra Diogenem mittit, qui se in Cappadociam iam conferebat. Accedente uerò Crispino (Phrangus ille) cum contribulibus ad Constantinum, Diogenes Theodorũ Alyatem contra ipsos mittit. Hic uerò conserta cum eis manu, succumbit, captusq; oculis priuatur. Hoc uerò territus plurimùm Diogenes, quũ iam Tyropij (quæ arx est munitissima) esset, accessit ad eum dux Antiochiæ Chatatarius, multos secum adducens milites. Is accepit Diogenem: abductoq; eo in Ciliciam, expectat à Sultano auxilium. Qui habito delectu, colligit exercitum. Mittitur uerò rursus contra eos Proedrus Andronicus maior natu, Cæsaris filius. Qui ingressus Ciciliam, collata manu pugnat. Quo in certamine periit Chataturius. Eius uerò milites in Adanau fugêre, ubi & Diogenes erat. Obsidens igitur urbem Andronicus, expugnat eam. Tum certis conditionibus Diogenes traditur, ut scilicet ipse depolito imperio, sectisq; capillis priuatus ageret. Super quibus & põtifices missi sunt ab Imperatore, qui illi sacrosanctum iuramentum dederunt, nihil eum triste passurum. Quibus confidens Diogenes pullatus egreditur, seq; committit Andronico. Ille eum accipiens rediit: ac in Cotyeum ueniens, tam diu illic mansit, quoad quid faciendum esset, acciperet. Aegrotabat à pede Diogenes, impositò illi à quodam insidiosè ueneno. Quod cùm nihil operaretur, decretum regium aduenit, immerentem oculis priuari iubens, quod & factum est: præsentibus etiam pontificibus ipsis, molesteq; ferentibus hominis calamitatem: sed tamen contemnebantur. Crudelissimè igitur oculis orbatus, nullamq; fortitus necessariam curam, capite intumuit, ac uulnera putruerunt usq; adeò, ut uermes hinc prodirent, circumq; eum aër grauissimo odore ex putrefactione repleretur. Tum in insulam Praten abducitur, in qua ipse templum extruxerat loco editiori. Paulisper uerò illic superstes, hominem exuit, ab Imperatrice Eudocia splendidissimè sepultus: quum annis imperasset tribus, mensibus que octo. Fama uerò est, in uirum hunc patrata esse omnia Cæsare disponente, ipso Michaele Imperatore nesciente. Erat uerò facilimus moribus, & solutus, ad negocia quoque gerenda non perinde dexter ac industrius, quali sanè ad imperium est opus. Proinde per ipsius ignauiam adiutus auunculus eius Cæsar, omnia in Diogenem patrauit, homini infestus. Pater illi fuerat Diogenes patricius, domi militiæq; clarus. Nam & ordinibus præfuerat, qui tyrannidis affectatæ reus, seipsum præcipitauit, & ob seditionem in Sardinia postea exulauerat. Paternæ laudis æmulus filius, quum esset imperium assequutus, diuersis actus fatis, tandem concidit, ut scriptum est à Zonara. Tradunt Annales sub hoc Imperatore Nortmannos duce Roberto Guiscardo, Apuliam Calabriamq; occupasse. Et cùm Cyriacus dux exercitus (qui summæ rerum præerat) ab Imperatore missus, frustrà pertinacibus Nortmannorum armis restitisset, pulsos & oppugnatos Græcos Apuliam Calabriamq; deseruisse.

MICHAEL PARAPINACEVS.

Hic Michael filius fuit Cõstantini Ducę Imperatoris, Parapinaceus cognomento, à fame quæ sub eo inualuit, dictus. Tanta enim penuria annonæ sub hoc Imperatore facta est, ut non totus medymnus numismate aureo emeretur: et ob id publica infœlicitas indidit Imperatori hoc cognomen Parapinaceon, quod significat ad scutellam siue ad tabulam, quo uniuerso orbi est factus notus. Homo ignauus ad regendum & gubernandum, studijs tantum literarum deditus. Sub Michaele enim Psello summo honoratissimoq; ea tempestate philosopho (cuius adhuc opera extãt) nunc Grammaticis intentus uersus cõponebat, nunc more Rhetorũ declamabat, nunc historias uolue-

bat:

bat: inutilis prorsus Reip. Cuius curam primum Imperator effectus, Iohanni Metropolitæ Sides eunucho, strenuo homini, & rerum agendarum perito tradidit. Postea præfecit administrationi & alium eunuchũ Nicephorum, qui iuuenis in aula à Nicephoro assumptus, propter ætatẽ teneram diminuendi forma Nicephoritzes cognomentum sortitus est, qui & Constantino duce Imperatori patri prius seruierat. In gerendis negocijs expeditus, literisq; benè institutus, moribus uerò remissioribus, ut probri gratia per iocum à plerisq; Nicephora appellaretur. Huic igitur tradit habenas imperij, appellatq; Logotheten, Græciæq; ac Peloponneso ius dicturũ hunc dimittit. Sides autẽ deponitur, & tota imperij gubernatio rationario Nicephoro cõmittitur, prorsusq; ab eo omnia administrantur, Imperatore ipso pro mancipio quodã habito. Suspectus itaq; redditur Cæsar. nam multi rebus suis iniustè spoliabãtur, alijs aliunde illatis incommodis: prorsusq; magna fiebat hominum conculcatio ac miseria, nemine ea cordi recipiẽte, cùm Imperator puerilibus negocijs esset intentus. Sic igitur Rep. perperam administrata, in Oriente ac Occidente res malè tractabãtur. In Oriente tamen sese peius habebãt: Sultanus enim cùm ea quæ erant gesta cum Diogene accepisset, quem captum ipse honorabat, ac in proprium dimiserat imperium, reducem aũt familiares ac cognati crudelissimè ad mortem redegerant, & per hoc pacis conditiones irritæ manserant, mirum in modũ indignatus, copias suas in Romanorũ fines emisit. Non ut more latrocinij terras popularentur, sed ut loca quęcunq; possent, sibi subijcerent ac occuparent, nemine tum prohibente. Imperator id intelligens, conscripto exercitu, illi præfecit ducem Isacium Commenum, Latinum illi adiungens Rusellium, gentilium suorũ quadringentorum ducem. Qui ubi Iconium uenerũt, ex causa Rusellius rebellat: acceptisq; gentibus suis, sui iam iuris, cum Turcis se iungit, ac aliquot Romanorum terras euastat. Isacius uerò Commenus cum reliquis Turcis congressus, uincitur: multisq; cæsis ac reliquis captis, unà ipse dux comprehenditur, castra uerò diripiuntur. Commenus tamen multis pecunijs libertatem sibi redemit. Imperator itaq; Cæsarẽ auunculum belli summę præficit. Hoc accepto Rusellius, antequam Cæsar Sangarium Phrygiæ fluuium transiret, contra eum castra posuit. Cæsar rursus illum, uenia delecti nunciata, ut ad Imperatorem rediret, cohortatus est: qui Barbarico more infremens, nõ accepit conditionem. Commisso itaq; prælio, uincuntur Cæsariani. Ipse quoq; cum plerisq; alijs uincitur, Botoniate (qui et ipse cum Cęsare pugnarat) cũ paucis fuga elapso. Hinc Rusellius ad Byzantium mouit, Cæsarem uinctum secum ducens, & Maleseu Basiliũ nuper cum Diogene captiuitate liberatũ, qui erat in Chrysopoli transfuga: statimq; ignis illic domibus immissus est. At Imperator Curopalati dignitatem per legatos illi obtulit, si arma poneret, ipsiusq; uxorem cum liberis ei transmisit. Barbaro uerò in duricia perseuerante, misit contra Rusellium Imperator Turcos precio conductos. Is uerò sese bello non sufficere agnoscens, Cęsarem liberat uinculis, acclamationibusq; regijs salutat, multos sperans illi coniunctos iri. Subitò uerò Turcis apparentibus, ilico contra eos Rusellius Barbarica audacia prorumpit, imparatus ac temerarius. Tum Franci multos Turcos occiderunt, alios in fugã uerterunt, persequutiq; sunt uehementer. Illi igit mul tos à tergo reliquerunt, deficientibus in persequendo equis. Rusellius autem cum Cæsare, paucis abactis iam hostibus, suos plurimùm auxit. Tum alia Turcorum multitudo occurrit, in multa milia æstimata. Qui ubi aduenêre, inuiti cum ipsis congrediuntur. Circumuenti igitur à multitudine, amissis equis capiuntur, & Cæsar & Rusellius, quem uxor mox redemit: quemadmodum Cęsarem Imperator. Qui cùm ad Imperatorem duceretur, contigisset; Propontidem, tondetur, induiturq; stolam, cilicio monachico iniecto: tamen si caueret, ne quid à nepote pateretur propter imperatoriam salutationem. Rusellius uerò liberatus captiuitate (ut diximus) accepta uxore unà cum Francis in Armeniorum

niorum terras uenit, ubi & antè fuerat. Mittit igitur Imperator contra eum Proedrum, Alexium Comnenum, iuuenē quidem tum, sed prudentem & strenuum. Qui ubi attigit Amasian, per arcanas literas Turcis significat, si tradant sibi Rusellium, multis se eos ditaturū diuitijs. Simulata igitur illi cum Rusellio amicitia, comprehēdunt uirum, pecunijs potiuntur: qui statim ab Alexio uinctus, Byzantium abducitur, ac benè cæsus in turrim clauditur. Tertio uerò imperij illius anno, Chrobatorum gens (quos quidam & Serbos uocitant) commota, aggressaq; Bulgarorū terras inuadere, nihil assequuta est. Multis uerò prælijs, ac uariante ultrò citroq; uictoria, decidit ac uicta est. Relictis igitur Rom. terris, alias quærere sedes cōpulsi sunt. Seruus quidam patris Imperatoris, Nestor nomine, Bestarchas dignitate, finitimarum Istro gentiū Præses, contra Regem arma mouit, affinitate cum Principe quodam Patzinacarum contracta, qui Tatus uocabatur. In reginam itaq; urbium aduenium, ac iuxta eam consederunt. Imperatore uerò illi significante ut arma deponeret, paratum se hoc facere dicebat, si sibi Nicephorus Logothetes dederet, siue ilico de medio tolleretur, ut pestis publica, communisq; calamitas. Hoc cùm rex recusasset, discedit quidem ab urbe, Thraciam uerò & Macedoniam, & quicquid Bulgariæ attinebat populabatur, ac in terram Patzinacarum regreditur. Barbaris uerò Orientem populantibus, trucidantibusq; obuios quosq;, fugientes Asiani Constantinopolim ueniunt: nemine prouidente publicis cōmodis, fame uerò urbanos premente tanta, ut publica calamitas manifestè deploraretur (cùm interim Imperator literis exerceretur, ac iambos à Psello conficere doceretur) Ad hæc accessit crudelissima pestis, qua tot homines conficiebantur, ut à uiuis sepeliri nō possent, ac plurimi sæpe uno in lecto efferrentur, multiq; in uijs insepulti iacerent passim. Vnde luctu omnia impleta sunt. Et quòd præter hæc iniurijs expositi essent subditi, omnia ruinam minabantur. Ob id præfecti Oriētalibus negocijs conueniunt, defectionem faciunt, Curopalatenq; Nicephorū Botoniaten Imperatorem salutant. Hoc Michaelem tumultu simul & metu impleuit. Ex studio enim literario didicerat, superiorem ac potentiorem aliquādo fore literam Mū. literæ Mū. hoc est Nicephoros præstare Michaelibus. Mittit igitur legatos Imperator undiq;, & Turcis ingentia dona promittit, si desertores correptos sibi tradant. Botaniates autem, & nomen & insignia Imperij accipiens, ex Oriente Byzantiū uersus proficiscitur. In Occidente interea altera defectio nascitur. Nam Proedrus Nicephorus Bryennius tum fortè Dyrachij dux, ubi desertores Imperij quosdā intelligit, & ipse deficit. Indutisq; Imperij insignibus, cohortibus quas secum habebat stipatus, Adrianopolim accelerat, fratri suo Iohanni istic coniunctus: collecta militum, tum Gentilium tum Macedonum iusta manu, Principatum est ingressus. Bryennius uerò concurrens Theodorocanus, uictus capitur. Affluunt igitur ad Bryēnium & Redesteni, sed & Panium habitantes. Satis igitur fœliciter cedente sibi defectione, Bryennius fratrem suum Curopalaten statuit, eumq; contra Byzantium misit, utpote ilico accipiendum. Spem enim cōceperat amplissimam, obuijs (ut aiunt) manibus Senatum ipsum recepturum, ob odiū Logothetæ sui rationarij, ipsiusq; Imperatoris inutilitatem. Sed res ex animi eius sententia non successit. Postquam enim missi ad Blachernarum muros appropinquauerunt, diligentia quidem non defuit, sed res non successit. Nam per pontē transeuntes, uenēre in urbis conspectum, domibus uicinis ignem inijcientes. Inde in Athyram se conuertunt. Imperator ita afflictus undiq; curis, Rusellium è carcere liberat, uirumq; uerbis & pecunia placans, occurrere persuadet fratri Bryennij, cum Proedro Alexio Comneno, qui exercitui illi præerat, qui Byzātij circa Imperatorem degebat. Hoc ubi Bryennij frater resciuit, fuga præuenit. Macedonū uerò plurimi relicti, aut cæduntur, aut capiuntur. Inter hæc uerò & Patzinacorum exercitus contra Adrianopolim uenit: nec longè ab ea castris positis, uicina populabantur. Quos Bry-

ennius pecunia compescens, urbe decedere persuasit. Abeunti uerò fratri suo ad Cyzicum, finitimos subacturo, Rusellius occurrit: in fugam hominem uertit. Botaniates uerò miscellaneas sibi ex omni genere hominum legiones contrahens, Turcos quoq; adiunxit: quibus Cutlumus prærat apud Persas uir primarius, ac ipsi Sultano genere iunctus. Sed imperij gratia ab eo dissidebat. At cùm ad bellum parati iam essent, Calphæ nunciatum est, qui ab ipsis maiorem in modum fuerat honoratus, utpote de genere natus Mahomet, & originem hinc ducens. In solicitudinem incidit, ne ciuile ac intestinum inter eos bellũ gereretur. Et quamuis à domestica consuetudine recedere durum Caliphæ uideretur, neque publicis se rebus ultrò ingerere decreuisset, præter morem tamen conuenit illos de imperio contendentes, suadetq; bellum dimittere. Sultanum domestico præesse imperio: decere autẽ ut cognatus omnia ea possideret, quæ Romanorũ fuissent, ac ijs imperaret. Hęc ubi sic contigerunt, Cutlumus in Romanorum fines egreditur, ac fortè tum tumultuantẽ adiuuat Botaniaten. Qui cùm iustũ haberet exercitum, contendit Niceam spe eius potiundæ (iam enim prodita erat illi ciuitas ab ijs, qui præsidio impositi fuerant) ob id ultrò illi se ad eum transferunt. Ex Megalopoli quoq; multi quotidie ad eum cõfluebant, negocia quoq; Botaniatæ fœliciter procedebant. In urbe uerò principe plurimi cõuenientes, tam de plebe quàm de magistratibus ac clericis, die festo Annunciationis Botaniaten Imperatorem appellant: Principe huius cœtus Aemiliano patriarcha Antiocheno & Iconij Metropolitano. Nam ea tempestate Constantinopoli Patriarcha erat Cosmas monachus, literis quidem nõ admodum insignis, sed omnium uirtutum genere ornatus, & ob id Imperatori eximiè charus: qui successit Ioanni Xiphilino, qui undecim annis ac septem mensibus ecclesiam gubernauerat. Electi igitur per phratrias præstantiores, & per legiones protectores, uadunt ad palatium circiter solis ortum. Eoq; potiti, proprios milites custodiæ apponunt. Imperatorem uerò Michaelem cum coniuge Maria Alana, & filio Constantino coronato iamdudum, & Roberti Longobardorum ducis filiæ (quam Helenam transnominauit, adductã per legatos) desponsato, in Blachernanam regiam aufugientem exuerunt imperio, habitu monachi ipsum uestientes: abduxeruntq; in studij mansionem, imperio functum annis sex, totidemq; mensibus. Hæc eo sunt gesta sabbato, quo miraculum resuscitati Lazari ecclesia celebrat. Vt igitur acceperat Imperiũ Michaël, ita & amisit. Botaniates igitur facilè adepto imperio, Constantinopolim abit. Nicephorus uerò Logothetes ab urbe digressus, ad Rusellium Heraclię degentem confugit. Milites Michaëlem custodientes, in aula triumphantes regia, urbe triduo rege carente, tandem Borilum ex seruis Botaniatæ missum excipiunt, quem celeriter ipse subsequitur. Genitus est sub ipso imperatore in Byzantio puer, in fronte habens oculum, & crura caprina, ut Zonaras testatur.

NICEPHORVS BOTANIATES

NICEPHORVS Botaniates cognomento, haud dubiè nobilissimus (nam à Nicephoro Phoca imperatore stemma deduxit eximio genere) facilè in socordis principis inuidiam, imperium sibi asseruit, Michaële reiecto. Ac palatium ingressus, magna tertia feria à Patriarcha coronatur imperiali diademate: primùm præstito omnibus cõgiario, debita publicè dissoluẽs præter modum honorificè, decoctionem illorum munificè ac propè diuinitus lucratus, adhuc Bryennio per Occidentem tyrannidem retinẽte. Cui per legatos Cęsaris dignitatem (si tyrannide abscedat) pollicetur, ac eius collegis omnibus dignitates, quas adepti fuerãt. Sed is imperij cupidus ac durus, secundam ac tertiam legationẽ accepit indecenter, et inhonoratos à se dimittebat. Vt igitur nihil

nihil se pacificè expedire cognouit Imperator, in bellũ cõsensit. Constitũens q̃ nobilissimum Alexium Comnenum, ac magistrum domesticum, Romanis co pijs præpositum, contra Bryennijũ emittit. Qui illi in regione (quæ Calabrya à loco multis pulchris q̃ scaturiginibus defluo dicitur) occurrens, facilè illius po titus est exercitu. Et alijs quidem cedentibus, alijs uerò cadentibus, desolatum cepit tyrannum, ac miserũ oculis priuauit, cæcumq̃ in urbem regiam induxit. Ita Bryennio sua cessit rebellio. Insurrexêre uerò cõtra Imperatorem & Barangi, interficere eum meditantes. Illis uerò altera Rom. manu opposita, in supplicationem conuertuntur, ut ueniam supplices acciperent. Nicephorus Basilacius Protoproëdrus factus, Bryennij apud Dyrachium successor, cupiditatem imperij & ipse nutriebat, collecto q̃ milite ad Thessaliam redijt: ubi cognito quòd Botaniates rerum esset potitus, illi quidẽ seruiliter scripsit, clàm uerò defectionẽ moliebatur, & in auxilium Patzinacas accersijt. Qua de re factus certior Botaniates, Chrysabulon & benignam ipsi mittit epistolam, indicantem non facile fieri posse quæ tentaret, & nobilissimi simul dignitatem offerentem: hic uerò immotus permansit. Vnde & cõtra ipsum Alexius Comnenus mittitur, augustali honore decoratus. Qui iuxta Thessalonicen cum eo prælijũ committit, quo Basilacianos in fugã uertit. Ipsum uerò in arcem Thessalonicensem fugere cõpulit, è qua uiuũ expugnatione surripuit, ac oculos regio iussu eruit. Alij quoq̃ contra hunc Imperatorem moliebantur. Qui uerò cum Bryẽnio & Basilacio senserunt, arma posuerunt. Contra Turcos uerò Orientem deuastantes, mittit cum iusto exercitu Constantinum prioris Augusti Constantini Ducæ filium, sui exercitus ducem. Qui Chrysopolim transiens, ilico res nouas molitur, estq̃ ab exercitu, quem copiosum secum habebat, mox Imperator salutatus. Imperator uerò id accipiens, partem militum donis, partem magistratuum dignationibus corrupit, alios alia re donauit. Itaq̃ facilè persuasit eis, ut captus ab ipsis Constantinus Imperatori traderetur: qui eum tonsum in insulam relegauit, ac sacerdotem inungi fecit. Cùm uerò Imperator & senij grauitate & naturali mollicie non usq̃ adeò gerendis esset aptus negocijs, Metropolitę Sides rerum publicarum cõmisit gubernacula. Duo autẽ serui Imperatoris Boridus & Germanus, pro nutu suo omnia agebãt, faciebantq̃ quę illis uidebantur, Imperatorem & dominum suum exosum facientes passim omnibus, arrogantioresq̃ sese & audaciores æquo exhibentes. Nicephorus autem Logothetes ad Ruselium profectus (ut diximus) in uinculis ab eo asseruatur. Sed subitò mortuus Ruselius, suspicionem præbuit quasi à Logothete ueneno esset interemptus. Vnde ab ipsius Ruselij subditis, Botaniati est traditus, & ab eo in insulam unam adiacentiũ urbi regiæ est relegatus. Eius uerò ministri timentes, si in Imperatoris ueniret conspectum, ne omnes detonderet, suggerũt Imperatori Logothetẽ magnam habere uim pecuniarum, quam regio fisco inferri oporteat. Ob id Strabo Romanus mittitur, magnus Heteriarches tum factus, interrogaturus, ubi nam pecunias deposuerit. Sed qui circa Imperatorem conuersabantur, præsentiam Logothetis auersati, suadent Strabo Romano occidere omnino hominẽ, eius industriam ueriti. Cùm igitur insulam hic attigisset, qua exul degebat, tormentis hominem adeò immodicè ac quæstionibus extendit, ut in supplicio expiraret, promittentem scriptis sese omnia manifestaturum, ut tormenta euitaret: sed nimium afflictus, perijt. Alexius uerò & Isacius Comneni fratres, immodicè ab Imperatore & honorabantur & amabantur, adeò ut eos palàm imperij successores appellaret. Inde imperatorij ministri plurimùm ipsis inuidebant. In primis uerò duo dicti serui, Borilus & Germanus, qui apud Imperatorem pluribus bonis uiris calumnias struebant, multosq̃ ceu tyrannidis affectatores deferebant, benignum erga eos animum subuertentes. Quod ubi illi resciuerunt, nequid paterentur aduersi, siue, ut fama erat multorum, imperij cupidi, communicatis quibus confidebant, consilijs, urbem egrediuntur. Ca-

ptaq; Hadrianopoli, ad sese omnem exercitum conuerterunt. Ac mox Alexius Imperator salutatur, Isacio maiori natu fratri prælatus. Siue quòd illi magis fauebant milites ceu bellicosiori, siue quòd studio & promissionibus erant ab eo suisq; corrupti: nequaquam tamen fratre Isacio indignante. Sic Alexius Imperator dictus, pergit ad Regiam urbem, apparatq; expugnationem. Botaniates uerò imposuit muro custodes. Erant uerò iuxta turrim quãdam haud longè à porta quæ Charsij appellatur, custodes Nemitzi. Est autem gens Nemitzorum Celtica. Hi clàm cum Comnenianis agunt de urbis proditione. Mane igitur in quinta feria magnæ hebdomadis salutiferæ passionis Redẽptoris nostri, Comneniani in conspectu turris à Nemitzis custoditæ, exteriori muro ex composito appropinquant. Custodes uerò in accedentes iaculabantur, prohibebantq; prorsus accedere. Vbi uerò sub turrim Nemitzorum uenerunt, cùm nequirent nec exterioribus resistere, nec cum internis dimicare, desuper in eos iacula torquentes, dimiserunt impetum: oppugnantes uerò muros, statim scalis in muros ascendere, portisq; securibus reclusis, apertum tribuerunt coniuratis ingressum. Quod ubi uiderunt interna tuentes mœnia homines mobiles ac mixticij, plericq; etiam rei bellicæ prorsus expertes, ex agris collecti, plebeiæq; multitudinis, alij aliò abierunt: quidam cum periculo in fugam sese præcipitarunt, propter prohibẽtium raritatem. Et interius uallum cepêre Comneniani, eiusq; portis simili modo effractis, urbem ubicq; peruiam fecêre, ilico'inuadentes eam, ad rerum direptionem cõuertuntur. Commixta multitudo Thracum, Macedonum, Romanorum & Barbarorum gregatim collecta, nõ aliter quàm hostes erga cognatos & gentiles se gesserunt: processit'que malum ad multam sanguinis profusionem. Virgines item Deo dicatæ, impiè pollutæ sunt, ac fœminæ maritis iunctę per uim iniuriam sunt passæ, sacris templis ornatu suo spoliatis. Nec enim à sacris abstinuêre calicibus, sed & illos immundi ac sceleratí homines unà cum sacris phialis, immaculato ac uenerando ministerio plenis, diripuerunt, sacris in terram effusis. Quicunque uerò senatores occurrerunt, mulis detractos spoliarunt. Sacerdotes sacris exuerunt uestibus, seminudos peditesq; dimiserunt. Tota hæc die fiebant, & usq; ad bouem, malum grassauit, populare scilicet & publicum. Iam quidam ad Philadelphium & ultrà procurrerant. Comneni uerò omnibus in prædam redactis, soli cum primoribus uiris relicti erant: & usque ad Taurum progressi, ulterius progredi non audebant, tantum aberant à iusto exercitu. Quòd si tum quidam superuenissent, facilè cepissent, uinctosq; Botaniati adduxissent. Sed ita uisum est Deo, quòd ista considerare tum non uacauit. Inde igitur edoctus Botaniates de Comnenorum ingressu, ilico regia decessit, proiectis nescio quò purpureis calciamentis: abiẽsq; in mansionem siue monasterium, Periblesticus ille post Romanum Argyropolum Imperatorem, secundus fuit possessor: tondet comam, stolamq; induit, uili panno à monachis uestitus. Inde tempus aliquod superstes, hominem exuit, istic sepultus. Imperio deturbatus, anno tertio postquam imperare cœperat, in templo Sophiæ (ut aliqui scribunt) captus ac uita donatus: sed ea conditione, ut monachum ageret. Comneni uerò, nemine illis occurrente, in regiam proficiscuntur sine periculo, ingredientes & planè & leuiter. Cæterùm priusquam imperio deturbaretur, mortua illi uxore, multæ uirgines offerebantur: & ante alias Imperatoris Ducæ filia Zoë. Ipse uerò magis cupiebat Imperatricem Eudociam, siue Mariam Alanam antecessoris uxorem. Aduocat itaque Eudociam, quæ non renuebat. Sed prohibitus est Imperator hoc facere à monachis quibusdam. Ducit igitur imperatricem Mariam, nihilominus incestum committens. Siue quòd Eudociam reduxisset (adulterium enim erat & impudens facinus) quapropter qui eos benedixerat à sacris est prohibitus. Siquidem Michaël antecessor capillos tonsus decreto synodico Metropolites Ephesi efficitur. Quò quum semel iuisset, rediit, ac in mansione Ma-

ne Manuelis uitam egit. Postquam uerò Botaniates imperio decidit, moriens idem Michaël multum precanti Mariæ iam & ipsi Monachæ ueniam dedit, quam ex remissione est consequuta. Mortuus est & sub hoc Imperatore Aemilianus, cui Nicephorus Maurus cognomine substitutus est. Tradunt quidam, Nicephorum Imperatorem à Gregorio Septimo, Pontifice maximo excommunicatum, quòd Michaëlem regno deturbasset, ac alienum inuasisset imperium. Robertoq; Guiscardo curam dedisse Michaëlem restituendi. Sed quum iuxta Dyrrachium positis castris obsidio fieret, classe Venetorum adiutus Nicephorus, etiam Dalmatiam inuadendam cogitauit. Hæc ex Zonara atq; alijs accepimus.

ALEXIVS COMNENVS.

ALEXIVS Comnenus, quem aliqui Mega dicunt, alijs Nouellosimus cognominatur, filius fuit Isacij Comneni Imperatoris, cuius magna familia fuit: de qua in primis narrandum ante quam res gestas Imperatoris exequemur. Mater Comnenorum ac sorores ex mansione siue monasterio Caniclei post Botaniaten ad palatium mox traductæ sunt, ex templo Dei uerbi sapientiæ, quod Sophiæ dicunt, ad quod in illa tempestate confugerant, defectionem Comnenis molientibus. Nec enim aliud quippiam aduersi passæ sunt. Sed uix pedes in regno firmauerunt, statim abrogationem gestorũ à Botaniate decernunt, ac breui syllaba litera ου multa ab eo constituta & facta deleuerunt, Lacones imitati: de quibus Ausonius cecinit:

Litera sola fuit qua respondere Lacones.

Alexius itaq; regium diadema impositum accepit. Secundus honor Isacio tribuitur, fratri maiori natu, nouo ipsi nomine impositio Sebastocrator, quod Cæsaris nomen superaret. At mater eorum insignia non suscepit, quòd monachico habitu esset induta: sed nec appellationes nec acclamationes, sola regni nomine contenta. Omnem porrò negociorum administrationem gubernauit ipsa. Erant autem alij duo fratres iuniores ætate, Adrianus scilicet quem Prothosebasten cognominauit, ac magnum Domesticum constituit: & Nicephorus qui Sebastes est dictus, Drangariusq; classis constitutus. Habebant uerò affines & sororios Melissenum Nicephorum & Michaëlem Paroniten. Paroniten itaque maioris sororis maritum, quem plurimùm mater amabat ac honorabat, Panhyper Sebaston nominarunt: hanc quoq; dignitatem nouam & insolitam excogitantes. Melliſenum uerò defectionem & ipsum contra Botaniaten in Oriente cogitantem eiq; adhuc innixum, honorarunt Cæsarem, Thessalonicenq; illi habitandam tradiderunt, cum ingenti pecuniæ distributione, & illi & alijs sibi genere iunctis, tali fortunæ subiectis, facta: addito honorum ac dignitatum ueluti aceruo quodam. Sed prouentibus regijs, imò publicis hoc pacto distributis, regius fiscus exhaustus attenuabatur: & Imperator pecuniarum indigus, eas ad dignitates pertinentes ab origine, in annuas solutiones euacuauit, diuitias' que senatorias attraxit. Coronauit autem & coniugem Irenen, Augustamq; appellauit. Hæc erat neptis Cæsaris Iohannis Ducæ. Maria uerò Alana prior Imperatrix, cum filio Constantino, quem Michaëli Ducę in Porphyra genuerat, et pariter infantulum adhuc coronauerat, talaribusq; purpureis induerat, ex regia pergit in Manganorum palatium: ubi & ipsa mansionem struxerat, & Botaniates cum aurea inscriptione, illic sanè degebat cum filio, utens imperatorio famulitio. Nam puer regijs adhuc erat amictus insignibus, & salutabatur ab Imperatore, ac aureas literas cum eo subsignabat. Post aliquod tempus mater nigris induitur uestibus per monachos, uolẽs quidem. Puerq; purpureis exuitur talaribus, solitq; Cõneno appellatio simul & imperij

administratio relinquitur. Cùm autem Augusta Imperatori filiolam genuisset, quæ à nomine materteræ Anna dicta est, despondet eam Constantino Mariæ Alanæ filio. Hoc uerò ante spõsalia uita egresso, alium illi sponsum delegit maiorem natu filium Bryẽnij: quem scripsimus affectasse tyrannidem, eaq; gratia captum & priuatũ oculis. Huic igitur filiam iam nubilem, illum Panhyper Sebaston ordinauit. Nascit dehinc Imperatori filius, quẽ in magno templo sacro dignatum baptismate, pater etiam diademate exornat. Geniti sunt & ei alij filioli duo, Andronicus & Isacius: ac filiæ tres, Maria, Eudocia & Theodora. Mariæ illius Theodori Gabræ Augusti & martyris filium, cõiunxit. Sed postea ea sponsione soluta, ut uisum est illi, priorem dimisit, & alium eidem filię sponsum Catacalon Nicephori Phordæ filium collocauit. Eudociæ uerò lasiti Constantini puerum cõiunxit. Qui ea uxore sua, nõ ut Imperatoris filia est usus, sed male cum ea uixit. Ad ipsam quoq; Imperatricem socrum suam sæpe eam pepulit. Quę indignata filiam ægrotantem statim tondet, ipsumq; lasitum de regia ejicit. Theodoræ autem filiæ iuniori adolescentem pater coniunxit, fortuna exímia, genere uerò non perinde celebri. At mater Imperatoris susceptũ semel imperij gubernaculum diu retinuit. Vnde facta omnia ad uexationem subditorũ,
229 illi uni ab omnibus adscribebantur. Grauabatur em Imperator, utpote qui solo penè imperij nomine fungeretur: sed tamen uenerabatur matrem. Vbi uerò accepit illa ablatum iri sibi imperium, recusauit. Sed postquam intellexit gratuari filium, uerita ne ui sibi illata ac inuita uideretur fecisse cessionem, permittit omnia filio Imperatori. Ac egresso palatio, Pantepapti mansionẽ abs se extructam habitandam ingreditur. Vbi annis aliquot honorificè ac regiè morata, senio grauata è uita migrauit. Sebastocrator uerò Isacius unũ annũ aut plus paululum matri superstes & ipse carnis exoluit debitum: tonsus capillos ac à monachis indutus, ubi uitam sibi deficere cognouit. Decedit uerò à multis liberis & mater, non totum annum superstes marito. Frater itaq; Alexius accepto imperio, mares quidem fœminis, fœmellas uiris coniungit: amoreq; ac beneficentia nepotes ex fratre prosequitur. Erga uxorem uerò suam ab initio parum amicè affectus, utpote qui eam nõ admodum diligebat, re uenerea corruptus, officia thalami negligenter persoluens. Ob id Augusta zelotypiæ iaculis acta, molestabatur. Sed cùm ignita amoris iacula hebetasset, totus amore in Augustã cõuersus, ab ea diuelli amplius non potuit. Sed sera in Imperatricem affectio non admodũ diu durauit, sed tantisper dum corpus Imperatoris ualeret rectè. Nam mox pedes ille dolere cœpit, & articulis laborare, adeò ut ingredi non posset, sed lectica sola uteretur. Ideo Augusta imperare cœpit, omnẽq; potestatẽ ac regni administrationẽ sibi usurpauit: adhibito Imperatoris cõsensu, filiumq; Imperatorẽ sibi subijciens. Quod plerisq; indignũ uisum est, Principis scilicet filiũ Vngrorum filiã uxorẽ iam sortitum, ex eaq; aliquot liberorum parentẽ, mulieri subijci. Timebat em iam filius non modò de imperij, sed etiã uitę iactura, quòd mater maiori natu filię, ergaq; Bryenniũ per eam ipsius generum multum afficiebatur. Ideo cognatos cõueniens, aliosq; qui iurisiurandi sacramento ei erãt astricti ac obnoxij, deplorabat apud quenq; clàm matris insolentiam. Hi uerò bono animo esse iusserunt, pollicẽtes se ei præstituros quæ cuperet: neminẽ scilicet sese accepturos post patrem Imperatorẽ quàm ipsum: idq; nouo iuramento firmabant. Quæ cùm agnosceret regina, plurimùm filio succẽsuit, accessum ad sese modis omnibus prohibens: speculatores illi undecũq;, nequid noui attentaret, submisit. Sed nõ cessauit ad se omnes quos potuit illicere, partim per se, partim per suos. Aderat illi iunior natu fratrum: sed Andronicus palàm aduersabatur. Iam enim & illi uiri facti, uxoribus erant iuncti: Andronicus Sebastocrator, Isacius uerò & Bryennius Cæsares. Phordenus uerò per secundam filiam gener Panhypersebastos. Satis hæc de familia, nunc ad reliquam narrationem pergamus. Comneno itaque nuper imperium ingresso, nunciatur Robertus

bertus Francus Epidamnum pergere, uir rei bellicæ peritissimus. Statim igitur & Imperator illi cum exercitu occurrit: ac ubi iuxta Dyrachium est uentum, congressus cum hostibus uincitur ac turpiter fugit, multis illic cadentibus, non gregariorum solum militum, sed & præstantium uirorum & ex regio sanguine ducentium origenem: omnis que apparatus ab hostibus interceptus est. Imperator igitur uictus rediit Byzantium. Franci uerò uictoria inflati, illico per omnia excurrunt, capiuntq; oppida multa, inter quæ & Castoria & Larissa expugnantur. Sperabant autem (ut fit) in ea animi elatione & regina urbium sese potituros. Verùm Imperator denuò egressus è Castoria, militare præsidium à Francis impositum expellit, Roberto occurrit, stratagemmate usus. Nam fratri Adriano insigne imperij apposuit adiuncto illi exercitu, præcipiens contra Robertum consistere. Quod si ille pugnã adoriretur, terga uerteret, ac statim fugam simularet: ipse uerò ductis per auia & amfractus militibus, in uallum Francorum irruit, castra & quæcunque in eis fuerant diripiens, cædem multam fecit. Robertus id ignorans, contra falsum Imperatorem Adrianum pugnabat. Qui laxatis frenis (ut iussus erat à fratre) cum omni exercitu fugam ingreditur. Exultat itaq; Francus magis, ac instat parum bellicosè, cùm illi nunciatur ualli expugnatio, amissioq; rerum quæ illic reductæ fuerant, eum clade. Statim igitur & animum & manum remisit, ac abiens fugæ se credit. Imperator Constantinopolim rediens, arrogantissimè se gessit. Multos enim ex militaribus tribunis, multos insuper indigenas, plerosq; etiã ordinis senatorij ut conscios cepit, accusatos ipsi insidias locasse, cùm reuera immeritos suis bonis spoliaret. Quieuit interim Roberti impetus. Mox aliunde Romano imperio hostes exurgunt. Turci enim Orientem aggrediuntur, pleraque subigentes urbes & insulas. Zachas enim Turcus cum electis quibusdam militibus ad omnẽ militiam pronis, paruis nauigijs in Chium insulam allatus, eam cepit. In quam ilico traduxerunt classem, qua & Lesbon cepêre, ac Samon Rhodonq; subegêre: alias insuper pleraque insulas. Adueniente tamen Romana classe cum triremibus, rursus expelluntur. At insula Creta, & simul Cyprus defectionem molitæ sunt: quarum Creta capta, manum Imperatori opposuit: Cyprus uerò se componebat. Sed non admodum multũ post tempus sub iugum Roman. redierunt. Inde Imperator expensarum indigus, modos insolitos comparandę pecuniæ inueniebat: iniquos scilicet creditores contra quosdam induxens, qui suas illis res auferrẽt, quũ eis nihil deberetur. Inde apographi ubiq; in agris ac territorijs diuersis litigantes, possessionibus abigebant. Sed et nouationes nominum excogitauit plurimas & iniquissimas. Alijq; super alios uiolẽtiæ & iniuriarum modi in homines excogitati, inducebantur. Sacra quoq; ex templis sunt detracta. Hic Imperator prẽterea prẽter suos antecessores adulterato numismate, æreum exhibuit, quo in expensas imperij utebatur. Tributa uerò in auro exigebat probissimo. Alicubi uerò & per alios aureos, sed semiaureos, sed & æreos nummos expendebat. Vnde ære indigens plurimo, obulos quoque in numisma transcudit. Tum quædam ærea publica opera conflauit, ac in stateres (nummi hoc genus est) effigiauit, ut sic dicam. Nouas quoq; decimas dehinc cepit. Inter hæc ferè tempora, factus est Patzinarum motus, ex suis sedibus in Romanorum terras demigrantium, totamque Thraciam simul & Macedoniam uastantium. Contra quos Imperator expeditionem faciens, turpiter militum arrogantia uincitur. Sed denuò contra ipsos egressus, humiliato exercitu, diuino totum negocium exponens arbitrio, ac fortunæ lanci hostibus congreditur. Qui ne impetum quidem ferentes, arma humi proijciunt, ac fletu Romanos in misericordiam prouocant. Multa igitur Scytharum pars perijt, reliqui capiuntur ac sub uinculis in seruitutem seipsos ut mancipia tradentes, custodiuntur. Tum ab Imperatore ualidiores ac fortiores Scythæ cum uxoribus ac liberis in Moglenorum agrum imponuntur. Mansuetiorq;

hinc factus populus, per successiones in multos ac longiores annos durauit, dictus Patzinacæ Moglentię, proprium habitantes locum, in quem collati fuerant. Multæ & magnæ Imperatori sunt locatæ insidiæ. Duo autem in primis uiri Vmpertopolus Francus, & Ariebes Armenus, ambo ex primoribus ac tribunis militaribus, comprehensi sunt. Qui omnes reos, conscios ac participes detexerunt. Quorum bona publicata sunt, & principes factionis in triumphum infamem ducti, ac in exilium hinc acti sunt. Tum Manichæorum factio ab exercitu depellitur, scelerate usq; in id tempus functa militia. Vetus enim lex Manichæos militare prohibebat. Mox nouas insidias Imperatori Diogenis Imperatoris filius Nicephorus, qui & ipse in Porphyra genitus fuerat, con-
231 flauerat. Vir quidem fortitudine inuictus, sed sententiæ habitu ac animi nobilitate minimè respondens robori corporis. Is quidem negocium composuit. Sed cùm rem deferret, captus & quæstionum tormentis adactus, ut cõiuratos indicaret, in fine oculis priuatur, ac postridie tollitur è medio. Sed sub id tẽpus terræmotus horribilis in die diui Nicolai factus est, quo multæ ædes publicæ, priuatę, sacræq; corruerunt. Porticus quoq;, per quã urbis uię contegebantur, multiq; hac ruina obruti interierunt. Post hæc Francorum natio ex Occidente cõmota, ad regiam urbem tendit, in Orientẽ penetratura. Quorum motum diuina quædam prodigia portenderunt. Locustarum enim infinita multitudo nebulæ instar uolando, solem penè obscurabat, perq; regiam urbem uolans, in Oriente quieuit, ut et superius annotauimus in Henrico. Subsequuti Frãci Bythiniam penetrantes, ad Niceã à Turcis habitatam peruenerunt, cum pernicie incolarum multa, undiq; omnia euastantes. Dehinc iuxta Oruntem sitam
232 Antiochiam cum labore & multa cæde capiunt, & Hierosolymorum urbem magnis certaminibus expugnant. Emersit per hæc tempora hæresis abominabilis Bogomilorum: cuius preco fuit, & Magnus magister ac potior apud eos ipsius discipulis Basilius quidam nomine, professiõe medicus: habitu quidem monachi tectus, ipsum uerò reuera indutus Satanam. Hic annis penè quindecim dogma huius erroris didicit: duobus uerò & quinquaginta docens, omnẽ penè orbẽ sua pernicie repleuit. Paschæ ad magnam urbem profectus, in ipso scelere, ueritatis ille hostis capitur. Vbi enim illius impietatem accepit Imperator, simulauit fidẽ se habere in suum cacodæmona, & magistrũ uocabat, ac saluatorem errantium animarũ. Tandem multis alijs uerborum lenocinijs scelestum illum persuasit, ut uirus illud malitiæ suæ euomeret. Vbi itaq; intra retia beluam adduxit, publicata est nebulonis doctrina, ac dogmata eius cõdemnata sunt. Tum publico decreto homo igni traditus est, in theatro hippelasias, id est equitationis. Rursus altera rebellio surrexit contra Imperatorem, quam filius item Imperatoris Diogenis concitauit. Qui Camanorum multitudine sibi associata, in Thraciæ fines uenit, eamq; terrã populatus, persuadet quibusdam urbanis, ut susciperet & imperiali salutatione honoraretur. Veniens aũt paulo pòst in quoddam Thraciæ oppidũ, ab incolis qui illi acclamabãt, deceptus est: quandoquidẽ postquam est ingressus, capitur, oculisq; orbatur: ac per hoc inchoata tyrannis soluta est. Quicunq; uerò Comanorum superfuerunt, in suas ędes redière. Paulo pòst aliud contra Imperatorẽ oritur malum insidiarum, cuius rei caput & coryphæus erat Michael Anemas. Conscij uerò plerique primas in militia partes obtinuerunt. Sed priusquam operi manus est adhibita, cognoscuntur comprehenduntur q;. Coniuratiq; barba ac capillis, non nouacula, sed psylotro sunt nudati. Anemas uerò intacta barba ac capite, oculis priuat. Sed illis pœna miserabiliter ab oculis triumphantibus, mandatũ regium superuenit, Anematen supplicio liberans, ac ei oculorum effossionem indulgens. Sublati igitur è medio, alius aliò in exilium condemnant. Sub id tẽpus Latinus in Oriente uagantibus, quib. Roberti (cuius paulo antè meminimus) filius Boëmundus præerat, qui Imperatori ut cum suis liberè proficisci posset, seruitutem promiserat,

miſerat, icto fœdere ac iuramento firmato, magna etiam accepta pecunia, hic uerſus Antiochiam Cœloſyrię profectus eſt, eaq; oppugnatione capta, non ſo lùm concordiã prætergreſſus eſt & pacta, ſed pleraſq; urbes contra Romanos accipere eſt meditatus. Rediturus uerò ex Oriente in Occaſum, ueritus ne in tranſitu à Romanis præſidibus teneretur, captiuusq; ac uinctus abduceretur, ueluti pactorũ tranſgreſſor, huiuſcemodi cõminiſcitur dolũ. Mentitur ſeipſum mortuũ, & capſa ſe abdens, pręcipit famulis uti ſe mortuum prędicarent. Sicq; funus illius domũ perferetur, ac ſic deliteſcens in terras ſuas euaſit: poſtea contra Imperatorem multa loquutus, multos gentiliũ ſuorum contra Romanos in arma incitauit. Quibus ipſe dux factus in Epidamnũ pergit, multumq; enixus eſt eam diripere urbem. Longa uerò in expugnatione multo tempore fruſtrà abſumpto, dum ciues moleſtat, nec minus ab ipſis uexatur, deſperauit de Dyrachij oppugnatione. Ad alias urbes progreſſus, pariter nihil effecit. Vnde legatos Imperatori mittit congreſſum poſtulans: qui cùm Theſſalonicę tũ eſſet, inde pergens iuxta Coloniam Europæ caſtra locauit. Inde Barbarum conuenit, pacta ac fœdera componit, bellumq; cum Boëmundo ſolutũ eſt. Modico temporis interuallo interiecto, Imperator ægrotare cœpit. Et cùm eius morbus indies inualeſceret, adeò ut deficere uideretur, ſalutari Saluatoris noſtri imagine eſt relatus. Diuinum enim peplum in Chalce, quod ad faciem Chriſti appoſitum accepimus, ad lectũ in quo iacebat, expaſſum eſt, ipſius corpus eo eſt inuolutum. Vnde morbi uehementia ſtatim remiſſa eſt. Ipſe uerò commotus, reſurrexit, & exclamans aquã ad manus abluendas poſtulat, cibum ſumpſit, ac cõualuit, morbusq; deſijt. Sed cùm parũ conſtans uiſa eſſet hæc ualetudinis recuperatio, ut populũ uana ſuſpicione liberaret, eques in forum deſcẽdit. Paulo poſt, fama nõ modò in populo, ſed & qui circa Imperatorẽ etiam degebãt, exoritur, magno ſabbato illius anni Imperatorem moriturum. Quæ res animum quoq; Imperatoris cõcuſſit, cùm nec ęgrotaret, nec quippiã haberet in corpore. Inſtante uerò die dicta, arguebat uanus rumor, malorumq; expectatio tota fruſtrata eſt. Nec multo pòſt Imperator Byzantio egreditur, ducto ſecũ mulierum quoq; contubernio: idq; hyemis tempore. Et caſtrametatur iuxta Thraciam Cherſoneſum, ubi hyemẽ tranſegit. Nec æſtate hinc exceſſit, quoad reginam morbus corripuit. Præmittitur igitur Auguſta triremi regia, Imperatore adhuc illic ſubſiſtente, & militares ordines recenſente. Vbi nunciatur Imperatrix regiã ingreſſa, Imperator Megalopolim peruenit, rerumq; & negociorum adminiſtratione functus, ſæpè cauſis audiendis præſedit, ſupplicantium libellos audijt, ac decretis ſubſcripſit. Cùm interea Imperatrix cõualeſceret, autumno iam uergente in finem, Byzantio curſus digreditur, cum ipſo Imperatrix & gynæceum, iuxtáque fines Papicij conſiſtit, dum hyems finiretur. Vere nouo Philippopolim petit, totamq; illic æſtatem cum bona parte autumni egit: more ſuo diſputans cum Manichęis, quos uulgò Paulitianos uocant (plures enim huius factionis in ea regione habitabant, quum eos illic Iohan. Zimiſces Imperator ex Oriente traductos collocaſſet) quibus colloquutus, plurimos ad fidem orthodoxam reduxit. Vere penè medio redijt in palatium, Imperatrice tum multum potente. Quæ per Bryennium generum in Regia omnia gubernabat: ob id illum omnes accedebant, eius que arbitrio omnia iudicabantur, ipſo regio more leges præſcribente. Vir enim erat literis addictus. Coniunx quoque ipſius nihilo ſecius: niſi quòd eum longè literarum eruditione antecelleret, linguaq; prorſus erat Attica, animoq; ad contẽplationes excelſas acutiſſimo: quæ ipſi partim natura, partim ſedulo ſtudio erant acquiſita. Plus enim quàm uir, & addicta & aſſueta erat literis. Sic Cæſare res gerente, omnium linguis uir celebrabatur: quæ Imperatoris filium multum perturbabãt, ſed tamen tolerabat. Sub id tempus nũciatur Imperatori, Turcorum cõſcribi exercitum, qui Romanos fines eſſet populaturus. Cùm igitur ob dolores pedũ contra hoſtes

ſtes ſumere expeditionem non poſſet, legionem ſuorum militum emittit duce Camitze. Euſtathio præpoſito, uiro ex primoribus militarium ordinum inſigni. Qui in non modicam hoſtium partem incidens, cùm manus cum illis conſeruiſſet, uictus capitur, exercitus pars cecidit, pars fuga ſalutē inuenit. Quod ubi Imperator accepit, detineri amplius non potuit, quin egrederetur. Turcis tamen nunquam occurrit. Quandoquidem Imperatoris contra ſe expeditionem intelligentes, laxatis frenis equorum diffugiunt. Inter quos & Camitzes magnis promiſſionibus cuſtodes corrumpens, ſeſe hinc proripuit, atq; ad Imperatorem cum cuſtodibus uenit. Quos Imperator muneribus ſuſcepit, ac pecuniis donauit, rediitq; Byzantium. Non multo pòſt contra eoſdem Barbaros exiit Imperator, abiitq; Philomellium. Quam urbem plenam inuenit armatis, ob res precioſas illic depoſitas, recedente exercitu reliquo, qui expeditionem Imperatoris pertimeſcebat. Idcirco urbs citra negociū capitur, unà cum propugnaculis ac ſpeluncis, quæ refugia indigenæ habebant. Omnes autem incolas Imperator tranſmigrare iuſſit. Qui hoc illi commodum adminiſtrarunt. Iuuenes ac ualidos iter facere iuſſit pedibus. Quibus uerò ſenectus pedes ad ambulandum grauabat, iumenta præbuit. Sed qui morbis aut doloribus ægra habebant corpora, aut nimia annoſitate, hos ſcutis longis impoſuit, iuniores ferre iuſſit, qui ualidiores ac oneri ferundo aptiores habebantur. Ipſe inter hos obambulans, ſi quem ſiti aut fame laborantem inuenit, quoad fieri potuit, iuuabat ægrum. Cùm ſibi hac clementia ac pietate omnium conciliaſſet fauorem, Turci in Occidentem nauigarunt, principem ſuum dicentes pacem ac fœdus cum Romanis facturum, quod nec Imperatori iniucundum fuit. Ab Oriente igitur profectus quidam Barbarorum princeps, non Satrapa, ſed Sultanus, ac equo inſidens, cùm Imperatori occurriſſet, à longè equo deſiliens, ac pedes eum accedens, adorationem peregit, conditiones que pacis fecit & accepit. Donatus que ipſe & ſui multis pecuniis, ad ſuas ſedes rediit, Imperatore ad palatium ſuum reuerſo. Vbi malum pedum tantum auctum eſt, ut maiorem æui partem lecto incubaret: Regina uerò imperaret, quæ ſibi imperium proprium parare moliebatur. Cui filius ſeſe opponere affectanti matri non puduit. Aegrotante uerò patre uehementius, in magnum palatium, quod ad ſolis ortum eſt, defertur, accerſitis ad ſeſe Aſclepiadeis medicis. Qui cùm diu multumq; inter ſe diſſiderent, nec omnibus una eſſet ſententia, tandem ferro curandum eſſe omnes conſentiunt. Sed aër palatij illius non ſatis commodus uiſus eſt medicis. Quam ob rem Imperator in palatium Manganorum delatus eſt. Siue hoc caſu ſiue fato euenerit impellente eum illic mori & animam efflare. Ita enim uaticinio quodā de eo ſcriptum eſt, uſtum ferro illic caſurum: quod & euenit. Nam neq; cauteriſatio, neq; aëris mutatio aliquid profecit, ſemper in peius paulatim urgente malo: licet medici ipſum de uita deſperare prohiberent. Quinimo monachi quidam uaticinabantur, non eum antè moriturum, quàm Hieroſolymas profectus, Saluatoris noſtri Chriſti Ieſu ſepulchrum adoraret, ibiq; diadema deponeret. Quibus fidem habuit, cùm tamen finis illi inſtaret: quod deceptus ille non cognouit, citius cœleſtem & ſupernam (ut ſic dixerim) Hieroſolymam aſſequutus, quàm Domini ſepulchrum. Imperatrix itaque, cùm denſum ac dure ſpiraret, ad ſe filias accerſiuit. Sed cùm die cadente Imperatoris filio patrem deceſſiſſe nunciaretur, domum ingreſſus, ubi moribundus iacebat, decedentem minimè lugebat, cognoſcens quòd ſtatim moreretur. Egreſſus conſcenſo equo cum iis qui ſecum erant è Manganis exiit, cui multi adiungebantur. Vix uerò Manganorum murum exierat, occurrunt Abaſgi, & puellæ ex Abaſgia allatæ, maiorumq; Cæſaris filiorum deſponſatæ. Inde coniuncti & obuiantes lætis uocibus acclamarunt, ac eum ceu Imperatorem adorarunt. Tum aiunt reginam morienti Imperatori magno cum dolore nūciaſſe filij diſceſſum. Ipſum uerò nihil ad hæc loquutum: ſiue quòd nollet, ſiue

siue quòd non posset. Extendisse uerò in altum manus nescio an imprecatus si lio bonum aut malum. Quanquam alij id negent, tanquam moribundo impossibile & iamiam expiranti. Cęterùm regina subinde filium abijsse inclamanteac querente, sibi uiuenti imperium ablaturum, paululum subrisisse scribunt. Siue ut derideret loquentes, quasi iam moriens, & ad terram supernam transiens, de imperio esse solicitus deberet: siue quòd animi sui affectum super hoc quod factũ esset, ostenderet. Quia ex animi sui sententia ingressum in regiam filius fecit, accepto etiam à patre annulo. Multi igitur & militarium magistratuum & ordinis senatorij cum cognatis nouum Imperatorem accesserunt. Sed cùm ad maius tenderet palatium, Barangi in excubijs uiam obsidebant, neminem ad regiam admittentes. Quibus nuncius missus est, qui rogaret, qua gratia Imperatori ingressum in regiam præcluderent. Neminem illo uiuente admissuros se asserebant: sed nuncio affirmante & iuramento asseuerante, regem iam uita functum, cedentes illi, Imperatori dederunt in regiam aditum. Mittit & ad ecclesiam, significans mortuum Imperatorem, simul petens, ut Imperator salutaretur: quod & factum est, iussu mandatoq; Patriarchæ, quem nuper præsens ecclesiæ præposuit, honorificéque in thronum collocauit: nepotem scilicet præsulis Calcedonensis ex numero diaconorum, innutritum literis externis ac nostris, successorẽ Nicolai patriarchæ, qui per annos xxvij ecclesiam gubernarat: & cùm plenus annorum decederet, Alexius Imperator eius funeream pompam magnificè honorauit. Fuerant autem sub hoc Imperatore patriarchæ, primùm diuinus ille Cosmas, uir magnæ abstinentiæ. Qui cùm de emendatione desperaret, accepto famulo abijt in heremum, assiduis orationibus intentus. Et licet sæpius ab Imperatore reuocaretur, non redijt: cùm quinque annis nouemq; mensibus Deo populũ pauisset. Cui substituit eunuchum quendam monachum, cognominatum Eustratium, nec eruditum, nec in negocijs uersatum, simplicem hominem, et quieti et angulo magis aptum. Qui cùm tribus annis præfedisset, deponitur, causa nõ satis cognita. Fitq; patriarcha monachus, Graticus nomine Nicolaus: in exercitijs uitam agens, nec ab eruditione literarum alienus, non tamen admodum præstans. Cæterùm Imperator iam à clero uniuersoq; populo salutatus, palatium ingressus cum matre cognatisq; ac ipso Bryennio sororio cõsultat. Nam adhuc eos timebat, suspicatus & ipsos res nouas molituros. Pater uerò ipsius tota die adhuc uiuebat, ęgrè ac duriter moriens, in noctis principio defecit, cùm annos ætatis uixisset septuaginta: imperasset uerò annis triginta septem, & menses quatuor, ac aliquot dies. Anno sexies millesimo sexingentesimo uicesimosexto, fœliciter gesto imperio: sed fine non perinde beato. Relictus est enim ab omnibus penè ministris, adeò ut qui ultimum illi lauacrum ministrarent, deessent, nec regio ornatu illum decorarent. Elatus est igitur non ut Imperatorem decuit, potissimùm filio Imperatore successore, quẽ tali honore dignatus erat, ut iam nemo ignoret, in rebus humanis nihil stabile, firmum, fidum aut solidũ esse: uerùm omnia infida, inconstantia & mutabilia. Cæterùm hic Alexius uir erat nec arrogans, nec fastuosus, nec animo præceps. Sed nec ingenti tenebatur pecuniæ cupiditate. Quãtum em̃ alijs impertiri aut distribuere uoluit, tantũ amabat. Ideo thesauris aut cõgregandis aut defodiendis, non magnopere studuit. Vnde mortuo eo, non multa à quæstoribus inuenta sunt. Orphanis multum & senibus afficebatur. Ob id orphanotrophiũ & gerocomium extrui fecit, additis multis possessionibus ac impensis, magnamq; senum ac ęgrorum uim imposuit. Sed et monachorum, monialiumq; habitationes ædificauit. Musæum item literarum extruxit, ubi orphani à præceptoribus instituebantur: quibus magistros addidit ac pędagogos, cibi alimoniã, sumptus, & necessaria tam docẽtibus quàm discentibus pro liberalitate subministrauit: licet literas nõ ut decebat talẽ principem, fouit, tametsi decenter honoraret professores. In misericordiam pronus, ad supplicia

plicia non præceps, moribus moderatus, in victu lautus, non profusus, nec uino victus: prorsusq; fauit ijs qui uitam in uirtute exigerent, quibus & honores effusè est largitus. Iis uerò qui circa se degebant, indulsit nimium, adeò ut quandoq; abessent, quũ minimè deceret, absente scilicet Imperatrice. Illa enim præsente, frequentiores diligentioresq; erant. Nam seuerius ac magis regiè cum illis agebat ipsa, parum sedulos uehementius puniens. Et quanquam ijs moribus esset decoratus, nihilominus in ijs quæ ad Imperatorem spectant, uisus est plerunq; negligens. In iusticiæ scilicet administrãdæ cura, ac subditorum prouidentia, & ueterum morum in Repub. conseruatione. Cognatis & ministris quibusdam (totis ut aiunt quadrigis) publicã largitus est pecuniam, pinguesq; census annuos, adeò ut amplissimis locupletaret diuitijs, & ministeria illis pararet reges magis quàm priuatos decentia. Qui domos possidebant magnitudine urbibus pares, nec magnificẽtia palatijs inferiores. Reliquis uerò generosis non similẽ exhibuit fauorem. Multa temporibus huius Imperatoris facta sunt incendia, in diuersis urbis partibus, multaq; ignis depastus est ac diruit. Spirauit uerò eodem quoq; imperante & uentus uehemens & uiolentus tempore uerno: per quem cùm multæ aliæ contigêre ruinæ, tum colossus quoq; rotunda ac maxima suffultus columna, in palatio situs, corruit, multosq;, qui tum fortè aderant, contriuit in foro deambulãtes. Erat uerò imago magnitudine quidem ingenti, gratia uerò & pulchritudine admirabili: quę cadens confracta, & in multas diruta est partes. Ferunt Constantinũ Maximum hanc statuam æneam Apollinis mirandæ magnitudinis ex Troade Constantinopolim transtulisse, dum urbẽ dedicaret, suppositio eius titulo, & ablato numinis capite. Quæ postea sub hoc Alexio uiolentia uentorum cecidit, quòd tanta moles in altitudine consistere non posset diutius. Imber quoq; uehementissimus alio tempore decidit, in ipso Petri ac Pauli apostolorum principum festo die. Qui in manifesto omnium conspectu cœptus, domos multas aquarũ impetu diruit, animaliumq; alueis oppletis, nihil eorum species à mari differebat, homines ac iumenta interimens. Hæc ex Zonara: qui historiæ suæ finem hoc loco imponit. Nunc ad Germanos reuertamur Cæsares more nostro, postquam de Græcis abundè scripsimus.

HENRICVS IVNIOR V. ROMANORVM IMP. AVG.

HENRICVS Quintus iunior cognomento, dux Franconiæ, filius Henrici IIII, & Berthæ Marchionissę Italię. Vir bellicosissimus & audax, qui multa indigna fecit, & breui totum imperium sibi subiecit, ac iugum omnibus imposuit. Genitorem suum Henricum, ut superius scripsimus, impiè persequutus, Dieboldo Marchione, Berengario comite, & Othone quodam consanguineo persuadẽtibus. Moguntiaci factus rex Rom. cùm illic omnes penè Germanorum principes, solo duce Saxonię magno, qui ob ualetudinem uenire nequiuerat, excepto, patri Henrico persuasissent, ut ad cauendum tumultum, quo posset periclitari, filio Regalia imperij, crucem, lanceam, sceptrum, ac coronam traderet. Sic igitur ab uniuersis regni principibus, accepto iuramenti sacramẽto, est in regem electus: ac ab Apostolicis legatis (qui tum aderãt) per manus impositionem confirmatus: defuncto patre, Coloniam obsidione cinxit, quòd patrem fouerat, & pactione accepta, ad deditionem coëgit. Tum contra Ropertum Flandrensium comitem exercitum educit, non sine graui exercitus sui dispendio. Pacto enim pacis utrinque magis simulato, quàm composito, re infecta redijt. Sed Moguntię tandem in gratiam itum est. Dehinc Pannoniam ingressus cum copijs, ut Alnium Hungarorum regem ad

sese

sese confugientem, & opē implorantem, à fratre scilicet Colomanno eiectum, restitueret, re infœliciter gesta rediit, omnia itinera hostibus occupantibus: licet longa obsidione castrum Posoniense frustrà molestaret. Pòst Poloniam ingressus, tributum diu negatum, exegit uiolenter. Et quum Praga Boëmiæ metropolis, ab hostibus capta nunciaretur, mox missis ducibus cum exercitu urbem liberat. Cogitat interim Henricus rex Italiam ingredi, & Imperialem cum benedictione assumere coronam, & simul discordiam inter sacerdotium & regnum tollere, quæ à Gregorio septimo excitata, per successores Victorem & Vrbanum aucta, usque in Paschalem deriuata, uniuerso orbi Christiano erat scandalo: facta super hac re Ratisbonæ cum principibus deliberatione. Accessit ad hæc quorundam interpretatio sideris cometes, qui in mense Iulio apparuit, radios ad Austrum dirigens. E quo portendi Regis in Italiam expeditionem suspicabantur. Ex totius itaque regni uisceribus congregat exercitum, ad triginta milia equitum electorum: exceptis plerisque, qui sua sponte confluxerant, liberalitate Regis in dandis stipendijs allecti, & qui Italiam uidere desiderauēre. Pars igitur exercitus per montem Iouis, pars per Tridentinam uallem alpes superauerat, quum iuxta Padum castrametatus esset, singuli milites ante papiliones ignem succendunt, & pulcherrimum in castris spectaculum, antea non uisum, Italis exhibent. Inde Pontremulo expugnato, Aritio deleto, Nouaria concremata, quæ iter remorabantur, Tusciam penetrauit: & tandem in urbem nō sine ingenti difficultate peruenit. A summo Pōtifice & à clero & Pon. Romano in urbe Leonina honorificentissimè exceptus. Sed quum triumphalis pompa transisset, & de priuilegijs confirmandis, ac discordia, quæ iam multos annos durauit, ac plerosque in præcipitium egit, mentio fieret, ingens oritur tumultus. Romanis tota nocte in exercitum Regis desæuientibus, adeò ut Regem ipsum excitaret. Qui impigrè suis subueniens, fortissimi militis, & optimi ducis officium exequutus est. Edita enim insigni strage, multi in Tyberim præcipitati, multi ferro ceciderunt. Discordiæ fomes erat talis. Trecentis iam & amplius annis à Carolo Magno, sub sexaginta tribus Pontificibus licuit episcopales dignitates & abbatias Regi per annulum & uirgam conferre: quod iam authoritate, cōsuetudine, & priuilegijs uetustissimis, per tot annos erat firmatū. Pòst uerò Pontifices sanxerunt ecclesiasticam dignitatem uel inuestituram à laicò minimè conferri posse: excommunicabantur quoque qui sic erant inuestiti. Ob hanc causam Rex Romam profectus, post salutationem atq; ingressum templi, quum iurium suorum confirmationem à Pontifice peteret, recusantem Pontificem cum Cardinalibus capit, & Vdalrico Aquilegiensi Patriarchę custodiendum tradit. Consilio Adalberti Lotharingi Cancellarij, pòst Moguntinensis præsulis: qui tamen in indignationem Regis maximā tandem 233
uenit, tormentisq; affectus, condignum supplicium luit. Orta seditione, ad Sotractis montem Rex secedit, ducto secum Pontifice: quem honestè tractauit. Compositis autem aduersariorum multis negocijs, cùm Pascha in castris celebrasset, postremò à ciuibus est reuocatus: reconciliatio quoq; inter Regem & Pontificem facta. Qui quidem Pontifex octaua Paschæ, lecto euangelio, astante omni plebe, Henricum coram Principibus in Imperatorem ac Augustum coronat, & priuilegium de inuestitura episcoporum ac abbatum, tam per annulum quàm per uirgam tradit. Ita tamen, ut post inuestituram cōsecrationem ab episcopo, ad quē pertinuerit, suscipiant, sic inuestiti à Rege aut Imperatore. Dum itaq; in celebratione Missæ, quā Greci Liturgiā uocant, Pontifex diuinū Christi corpus cōsecrasset, particulā manu sua Imperatori ijs uerbis dedit: Domine Imperator, *HOC CORPVS DOMINI NATVM EX MARIA VIRGINE, PASSVM IN CRVCE PRO NOBIS, SICVT SANCTA ET APOSTOLICA TENET ECCLESIA, DAMVS TIBI IN CONFIRMATIONEM VERAE PACIS INTER ME ET TE.* Idibus Aprilibus hæc confirmatio

corroborata est, in ditione quarta, Anno salutis, millesimo centesimo undecimo. Pòst Imperator largitus Pontifici & episcopis incredibilia munera, transactis paucis diebus, per Longobardiam in Germaniam est reuersus fœliciter. Cui omnes gẽtes occurrunt, & ob metum ad imperium & uoluntatem suam, se inclinarunt. Tantus enim tum terror Principes omnes inuaserat, ut ei rebellare uel nullus auderet, uel non sine iactura rebellans, gratiam summopere desideraret. Veniens itaq; Spiram, Principes ac Episcopos multos conuocat. Patri (cuius corpus quinquennio sepultura caruit) parentat, anniuersariumq; deuotis orationibus concelebrat, ac pijs exequijs adornat. Et tandem iuxta maiores suos in templum eius corpus collocat, in marmoreum sepulchrum. Interea Paschalis Pontifex concilio apud Lateranum habito, omnia Henrico promissa reuocat, se coactum in hæc descendisse affirmat, praulegium non priuilegium appellat: anathemate (ut quidam tradunt) Cæsarem percutit (grandi fulmine) & excommunicat. Alij uerò scribunt, coactum Paschalem hæc fecisse, & æmulos Cæsaris non potuisse ad quem moliebantur exitum, negocium deducere: nihilominus latè hoc malum serpserat, adeò ut quosdam etiam quos nemo crediderat, inficeret. Nam & Adalbertus designatus Moguntinẽsis præsul, sine cuius consilio Imperator nihil penitus egerat, secundus à Rege, cum quibusdam alijs Principibus conspirauerat. Et idcirco re cognita, custodiæ tradit̃r, in qua arctissimè triennio conseruatur. Liberatus tandem, quum Imperator Moguntiæ conuentum Principum celebraret, obsessus à Moguntinis, uix datis obsidibus, ab urbe secedit. Sed Adalbertus mox se apostolico legato iungit Coloniæ, quò episcopi & optimates plerique conuenerant, ut Imperatorem anathemate ferirent: quod grauiter Cęsar tulit. Sed ob Saxonum rebellionem, contra quos in expeditionem profectus est, ut de eis pœnas sumeret, in Italiam proficisci non potuit. Sed cùm à se deficerent indies Archiepiscopi & Episcopi multi, regnumq; Germanum iterum scinderetur, ac res nouæ undiq; orirentur, superueniunt nuncij ex Italia, qui inclytæ Mathildis obitum denunciant, eiusq; terras amplissimas hæreditario iure ad se spectare declarant, atq; ad eas capessendas ac possidendas Cæsarem inuitant. His atq; alijs caulis motus Imperator, unà cum Regina ac tota domo in Italiam se contulit. Circa Padum subsistens, legatos ad Pontificem pro componenda discordia iterum inter regnum ac sacerdotium mittit. Inter quos primas partes abbas Cluniacẽsis (Pontificis ut aiunt consanguineus) tenuit: qui fideliter Principis sui mandata exequutus, sollicitabat Pontificem, ne excommunicatione Cęsarem à se coronatum ac confirmatum priuilegijs molestaret, & antiquam discordiam innouaret. Qui à se negat Cæsarem excommunicatum, sed à potioribus Ecclesiæ membris, sine quorum consilio nihil se posse asserit. Adijcit importunas Moguntini præsulis sollicitationes, qui literis assiduis ipsum contra Cæsarem impellat. Fiunt interim Imperatore absente in Germania tumultus, latrocinia, depræ-
dationes, incendia, agrorum deuastationes, homicidia pro cuiusque arbitrio, potissimùm in agro Vuirtziburgensi, quum ducatum Orientalis Franciæ præsuli abstulisset, & Conrado sororis suæ filio contulisset. Nec minus sæuiebant latrones in agro Moguntino, qui Episcopi suggestu, omnia deprædabantur ac spoliabant quæ Cæsaris essent: ciuitates populabantur, oppida uastabãt, uillas incendijs destruebant, fiebant cædes impunè. Cuique fas erat rapere & perdere quæ uoluit. Subsequuta sunt crudelissima mox prodigia. Terræmotus qui urbes subuertebat, tonitrua terribilia, cum grandinibus & fulgure: quibus iumenta, homines, oppida & agri perdebantur. Maxima in primis mala sensit Lotharingiæ urbs Leodium: quibus cladibus Henricus molestabatur. Et cùm se Pontifici conciliare studeret Paschali, mox is è uita excessit. Cui Ioannes Caietanus succedit, Gelasius Secundus dictus, unanimi cõsensu electus. Sed cùm electioni huic non interfuisset Imperator, audita Paschalis morte ad urbem properat.

properat. Et quum se Gelasius ab eius communione subtraheret, suasu multorum & fauore Romanorum, Burdinum Hispanum Bracharensem archiepiscopum, Antipapam creat, quem Mauritium uocãt. Sic schisma quod emortuum sperabatur, crudeliter reuixit. Electo enim Gelasio, quum ille cathedra potiretur, Capuam secessit cum suis, ac Cæsarem illic cum suo Idolo (sic enim appellabat suum Pontificem) damnauit. Hinc à Campania Burgundiam petijt, alpes transgrediens. Remis indicit concilium, dehinc Viennam uenit Synodum congregans. Qua transacta, post paucos dies uitam obijt, in monasterio Cluniacensi sepultus. In cuius locum Archiepiscopus Viennensis Guido, Stephani Burgundionũ Comitis germanus sufficitur: Calixtus est uocatus. Qui concilium Remis ab antecessore suo indictum, proximo Octobri cõcelebrat. Sed quum Imperator intellexisset à Gelasio pontifice dum uiueret, missos legatos & in Coloniam & Saxoniam, qui eius excommunicationem propalarent, atq; ob id congregatos esse Principes in Vuirtzeburgensi ciuitate (quæ Herbipolis dicitur) qui eum deponerent imperio absentem, efferatus animo, in Italia sũis copijs cum Regina relictis, insperatus se Germaniæ reddidit. Aduersariorum suorum oppida, uillas, agros euastans, & uindictam ab æmulis suis capiens, quoad Principes eum conuenerunt, rogantes, ut cum Calixto Pontifice electo, tractatus concordiæ super inuestitura Episcoporum fieret, ac reconciliatio regni ac sacerdotij. Quum in id consensisset Imperator, Pontifex Italiam petijt, Imperator Saxoniam: uterque ut se de hoste suo uindicaret. Calixtus Burdinum exilio mulctauit, & tonsum monachum reddidit, quòd Sutrij latrocinia exercuit. Henricus Imperator Adalbertum, qui totam Saxoniam commouit, cum Moguntia destruere cogitauit. Sed optimates interceſſêre, & res est fœliciter composita. Sed & inter Imperatorem Henricum & Pontificem per legatos & oratores, quum uterque iam esset pertæsus discordiæ, concordatum est, Hostiensi Episcopo cooperante: ita ut Imperator inuestituram omnem per annulum & baculum dimitteret, & concederet in omnibus Ecclesijs fieri electionem & liberam consecrationem: ac regalia ablata siqua haberet restitueret, aut ut restituerentur procuraret. Pontifex rursus cõcessit electionem Episcoporum & abbatum in præsentia Imperatoris fieri sine uiolentia, ita ut electus regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Concordia hæc est facta Vuormaciæ nono kalend. Octobris, Anno *M. C X X II.* Paulo pòst Imperator Babenbergæ conuocatis cæteris Principibus & proceribus imperij, omnes alias quoq; differentias sustulit. Sed quum sequenti anno Traiecti esset Imperator, tumultus excitatus est, quem plerique suspicabantur ab antistite subornatum in pernicie Imperatoris. Captus Antistes pecunia est mulctatus. Dehinc Imperator mouit exercitum per Saxoniam in Hollandiam, ubi sibi rebelles subegit, & in unionem reduxit. Sororem Lotharij Ducis compescuit, quæ bellum mouebat, & noua moliebatur, ob insolẽtiam Lotharij fratris. Sed dum res illa pacatur, Imperator per Saxoniam in Galliam mouet exercitum contra Ludouicum regem, ut socero suo Henrico Regi Angliæ opem ferat, pro possessione Nortmanniæ prouinciæ adipiscenda: sed ob rebellionem Vuormaciensium reuocatur. Qui post obsidionem, urbanos quoq; grandi ære mulctauit: atque ijs nares, illis oculos atque aures mutilat. Tandem patris exemplum ante oculos ponẽs, undiq; se cum Principibus & proceribus componit, & concordiam inijt. Nam & ualidissima fames, & crudelissima mortalitas adeò in hominesdesæuijt, ut credatur tertia pars hominum interijsse, & uix affuisse homines qui cadauera sepelirent. Nam & Calixtus põtifex obijt. Cui succesſit Lambertus Hostiensis episcopus, Honorius Secundus dictus. Vdalricus Eistatensis, Ruoggerius Herbipolensis episcopus, Arnulphus Comes, aliaq; immensa nobilium multitudo. Sed uulgi tanta lues ex fame ac peste fuit, ut nemo satis possit explicare. Quas calamitates multa prodigia signabant. Henricus autem

Imperator dum Rheni regiones ambulabat, in Traiecto inferiore Pentecostē celebraturus, morbo Aracunculi (qui sibi erat natiuus) molestari cœpit, quem diu celauerat. Tandem ab eo superatus, extrema uitæ adesse sentiens, uocatis ad se primatibus ac regina, de regni statu multa cōsultauit. Coronam cæteraq; regalia ad proximum Principum conuentum conseruanda in firmissimum castellum Harmstein collocauit, accepto Christi sacramentorum uiatico, diem clausit extremum decimo kalend. Iunij, anno salutis millesimo centesimo uigesimoquarto: regni uigesimo, Imperij decimoquarto. Cuius corpus regio more Spiram delatum est, ac iuxta patrem, auum & proauum in templo diuæ uirginis sepultum honorificentissimè. Princeps non admodum laudandus, utpote qui in primis sub prætextu religionis patrem excommunicatum imperio priuauit. Sed pòst in honore confirmatus, mores mutauit. Ac post iniurias Pontifici illatas, semper seipso inferior fuit. Acri ingenio, fortis & audax: in prælijs infortunatus. Nimis auarus, & qui pecunias colligeret quum liberis careret. De quo quidā tradunt, quòd Cluniaci factus sit monachus, post peregrinationem longam quam fecit, quum se mortuum simulasset, ut suorum præsentiam fugeret. Sed fabulosa sunt hæc. Licet repertus sit monachus quidam huic assimilis, qui se Imperatorem Henricum mentiretur.

Habuit autem uxorem Mechtildem, Hērici Anglorūm regis filiam, ex qua nullam suscepit prolem. Quæ uidua facta, nupsit pòst Gamfredo Comiti Andeganensi: ex qua Henricum primò ducem Nortmanniæ, pòst regem Angliæ genuit. Tradunt aliqui, cùm Imperator cum Mathilde uxore nuptias Moguntię in amplissima Principum frequentia celebraret regio apparatu, uenisse Lotharium Saxonū ducem, qui post eum imperauit, pedibus nudis, sago tectum, ante pedes Cæsaris prouolutum, coram omnibus ueniam petijsse, quòd rebellis illi fuerit. Quam quum concessisset, mox sunt aliæ ortę conspirationes. Hæc ex Sicardo, Vincentio, Ottone, Abbate Vrspergense excerpsimus. De quo hoc tetrastichon subscripsimus:

Qui crudelis erat patri, quem sustulit omni
Imperio, & uitam præcipitare facit.
Henricus Quintus funestum transigit æuum,
Assiduis bellis, perpetuisq; notis.

LOTHARIVS CAESAR.

LOTHARIVS filius fuit Gebhardi comitis in Suepplēburg, & domini in Arnspurg, ac Heiduuigis Burgrauiæ Norinbergensis, quæ filia erat Conradi Marchionis Brandeburgensis ac Gertrudis. Dux Saxoniæ creatus ab Henrico V. Imperatore post obitum ducis Saxoniæ ultimi Magni, qui bello captus in carcere obijt. Dehinc in Regem Romanorum Moguntiæ, ubi conuentus erat Principum & optimatum, post obitum Henrici imperatoris, à Moguntino (cuius hoc officium est) congregatus, designatur. Suasu in primis Archiepiscopi Moguntini Alberti, qui odio Fridericum Ducem Sueuię, qui à multis petebatur in Regem, persequutus, effecit ut Lotharius inuitus ac penè coactus in Regem crearetur, Apostolico legato presente et approbante, ac Friderico Archipręsule Coloniense benedictionem conferente: cum acclamatione uniuersæ plebis, quæ hunc præ cæteris dilexit. Id factum referunt in annum salutis M. CXXVI. Idibus Septemb. Erant enim quatuor tū competitores, Fridericus Sueuorum Dux, Conradus Imperatoris ex sorore nepos, & frater Leopoldus Orientalis Marchio, quem hodie Sanctum uenerāmur, & Carolus Flandriæ Comes. Sed omnibus Lotharius præfertur, & ui ad regnū trahitur: uir industrius ac prudens, religiosus, diuitijs et uictorijs potens.

Erat

Erat enim strenuus belli ductor, in armis ac consilio prouidus, hostibus terribilis, iusticiæ tenax & mirus amator. Vbi imperij assumpsit habenas, Henrici imperatoris progeniem persequi cœpit, à qua olim & ipse persequutus fuit: tum de crebræ lites sunt ortæ. Nam Fridericus & Conradus duces, ex sorore Henrici imperatoris nepotes, rebelles fiunt Regi, decemque penè annis imperium quiescere nõ sinunt. Quod latissimè Otto Frisingensis describit in historia Friderici Cæsaris. Appellat Georgius Merula in sua historia de uicecomitum antiquitatibus, ignarus familiæ Germanorum, hos Duces fratres Scophios, ineptè nimium, quum fuerint Comites ab initio de Sotuffen, quod uocabulum ignorauit Italus. Nanque Henricus Quartus Senior Imperator filiam habuit Agnetem, quam cuidam Friderico nobili de Stouffen matrimonio iũxit. Cùm autem Rodulphus Sueuorum Dux in bello periret, qui sibi regnum uendicauerat (ut superius scripsimus) dictus Henricus Senior Ducatum Sueuiæ Friderico genero suo contulit. Qui pòst duos filios genuit, Fridericum, qui patri in ducatu Sueuiæ successit, dictus à nonnullis Monoculus, & Conradum. Cui Iunior Henricus Imperator v. tanquam nepoti ex sorore tradidit ducatũ Franconiæ, quem ob rebellionem Antistiti Herbipolensi abstulit. Penes hos mortuo auunculo suo Iuniore Henrico v, imperialia insignia remanserunt. Ideoq; plerique Principes Cunradum duxerunt eligendum Regem, qui pòst Lotharium sine filijs mortuo successit. Sed, ut diximus, Lotharius omnibus est prælatus: ideo natę sunt simultates. Ob quas rebelliones Honorius Pontifex ambos fratres anathemate ferit. Sed nihilominus (ut quidam tradunt) Cõradus suffragante fratre Friderico alijsq; coniuratoribus, Regis sibi titulum usurpat: & Italiam ingressus, Modoeciæ (ubi sedes olim erat regni Italici) ab Archiepiscopo Mediolanensi Anshelmo, qui paulo pòst deponitur alio surrogato, in Regem coronatur: Romam etiam petiturus, nisi impensæ deficerent. Sed suis penè omnibus amissis paulo pòst ignominiosè in patriam rediit. Frater enim Vuelphonis ultimi, Henricus Bauarorũ Dux, & gener Lotharij imperatoris, opem auxiliumq; tulit socero contra Fridericum & Conradum fratres. Habuit enim filiam Lotharij Gertrudim uxorem, cui pòst socer Ducatum etiam Saxoniæ contulit. Ideo omnibus alijs intermissis, licet controuersiam cum quodam Friderico Ratisponensis Ecclesiæ aduocato haberet, socero festinauit suppetias ferre. Nam tum Lotharius Spiram, quæ Conrado & Friderico Ducibus fauebat, obsederat. Habuit sexingentos & amplius electos milites ultra Rhenum, ut impetus & irruptiones Friderici arcerent. Nihilominus Fridericus dux strenuus nocte quadam in castra irruit, quem Henricus Bauarorum dux gener Imperatoris in fugam compulit, & fugientem persequutus est. Qui uicissim arces quasdam igne & ferro euastauit, & in Bauaria grauissima bella excitauit. Nam & Boëmi magna manu Bauariam ingressi, usque ad Danubium cuncta ferro & flammis euertunt. A quibus magnam stragem passus est Imperator, amissis quingentis & quadraginta militibus. Paulo pòst tamen Zobeslao Boëmiæ Duci conciliatus, filium è fonte baptismatis leuauit. Et quum in quadam domo conuenissent priuata, ex ruina multi sunt uulnerati, multi læsi letaliter, ut memorant Annales Boëmici. Sed Moguntinus præsul Spirenses in gratiam Imperatoris reduxit. Et diuus Bernardus Abbas Clareuallensis, fratres Fridericum & Conradum Duces Imperatori Lothario conciliauit. Nascitur interea nouum in urbe schisma ex electione duorum Pontificum. Nam electo Gregorio, qui se Innocentium secundum appellat, contradicit Pseudopontifex Petrus Leonis Anacletus uocitatus. Qui ob familiæ suæ fortitudinem, Romæ apud sanctum Petrum mansit. Innocentius autem urbe egressus, in Gallias proficiscitur: primò Remis, dehinc Pisis concilijs celebratis, in papatu confirmatur. Pòst Leodium profectus, Lotharium imperatorem ad defensioem Ecclesiæ inuitat, ab eoq; auxilium petit contra Pseudopontificem ac suos adiu-

tores. Qui nihil moratus, coacto exercitu satis medio cri (propter discordiam enim regni, & quòd plerisque contemptui erat, non licuit magnas educere copias) Pontificem reducit, ac cum paucis strenuissimè pugnat, & sedi Barionæ restituit. Vnde & ab eo in æde saluatoris, quæ Constantiniana dicitur (nam basilica tum Petri ubi Imperatores coronari consueuerant occupata non patuit) coronatus, Imperatoris & Augusti nomen adeptus est. Post consecrationem petiturus Germaniam iterum, prius Pontificem rogare cœpit, ut inuestituras Episcoporum, quas Imperatores multo tempore ante se habuerunt, restitueret. Super qua re turbatus Pontifex, petitionem Principis exaudire non potuit: utpote in re pro qua toties certatum, & tot mala facta fuerant. Mœstus ob id, cœpit de reditu Imperatoris in Italiam, siquid noui accideret, desperare. Cõsilio tamen Abbatis Clareuallensis Bernardi, qui cum Imperatore Romam uenerat, re bene cõposita, cum securitate discessit: peragrataq; Gallia uniuersa, ac
234 composita Germania, Saxoniam petijt. Polonorum Ducem tributarium fecit, Pomeranos ac Rugos subijcit, Regem quoque Daniæ ut ensem sibi sub corona deferret, ad decorem imperialis dignitatis impulit. A Rege quoque Hungarorum multa ac magnifica munera accepit. Tum rebus omnibus compositis, iterum Italiam cum maximis copijs est ingressus. In qua expeditione Henricus Dux mille quingentos electissimos equites duxit, & in citeriore Italia multa castella expugnauit, quę in beneficium ab Imperatore susceperit. Pòst Cremonenses subiugauit, Papienses, Bononienses, Taurinos deuicit, ac omnes has regiones in formam prouinciæ redegit. Superato dehinc Apennino, Anconam Spoletum'que in deditionem accepit. Tum rectà in Rogerium Siciliæ Regem, qui Ecclesiæ bona diripuit, aciem uertit, & in Apulia & in Campania nobilissimas urbes cum munitissimis castellis deuicit, atque expugnauit. Rogerium eiecit, grauissima strage edita, contemptis aureis quæ obtulerat muneribus. Reginaldo Comiti, uiro forti Apuliæ ducatum præbuit, quem quidam corruptè Ranonem uocant. Tantaq; in Italia fecisse fertur, consensu omnium scribentium, ut à Carolo Magno nullus ex Francorum Regibus sibi conferri possit. Rediens dehinc per Tridentinam uallem, Veronę morbo correptus, humili quadam casa inter Enum & Lycum, anno tertiodecimo regni sui, imperij septimo, mortem obijt. Corpus exenteratum inde per Augustam & Orientalem Franciam in Saxoniam delatum, in monasterio suo Luttere, quod ipse extruxerat, honorificè sepelitur, cum plumbeis laminis, quibus res à se gestę continebantur ne perirent. Regalia Henricus Noricorum Dux, gener eius accepit custodienda. Erat imperium ad pristinam uenturum dignitatem, si Imperator in tam cita morte non fuisset interceptus.

Habuit uxorem Richisam, filiam Henrici Pinguis comitis in Northeim de Saxonia, & Gertrudis Marchionissæ Saxoniæ. Ex qua Lotharium filium suscepit, qui iuuenis decessit: & Gertrudim filiam, quam in uxorem Imperator dedit Henrico Ducí Bauarorum cognomento Superbo, fratri Vuelffonis. Cuius genealogiam Abbas Vrspergensis in suis Annalibus latè describit, ob inclytam & nobilissimam familiam. Cùm hic Henricus ex filia Cęsaris filium genuisset Henricum iuniorem, cognomine Leonem Superbum, quia ipse uirili caruit prole, generum Saxoniæ Ducem creauit. Et hinc filius eius Henricus Iunior, Saxoniæ Dux, & Bauariæ ac Rheni Palatinus fit. Hęc Gertrudis post mariti obitum nupsit Henrico Primo Austrię Duci, cui cognomen Iachsummergot, qui monasterium ad Scotos Viennæ (ubi sepultus est) à fundamentis extruxit. Habuit hic Lotharius Imperator duas etiam sorores, Gerdrudim, quæ Florentio Hollandiæ comiti nupsit, & post illius mortem ex Ruperto Comite Flandriæ Philippum & Ruduuercum Comites peperit. Odam alteram sororem, Sigiberto Comiti Bauariæ uxorem collocauit. Sub hoc Lothario, anno eius regni secundo, salutis uerò nostræ M. CXXVII. Ingens illud Franconię

cœno-

cœnobium Ciſtertienſis ordinis Eboracum condi cœptum eſt, quo corda epi
ſcoporum Herbipolenſium ſepeliuntur: multiq; ibidem nobiliſſimi duces &
comites quieſcunt. Mos enim in hunc uſq; diem ſeruatur, cùm antiſtes Herbi-
polenſis moritur, ut corpus eius exenteretur: inteſtina in monaſterio ad S. Iaco
bum apud Scotos in ſuburbio ſepeliant: cor uerò ipſum in amplo uitro in qua
driga ducatur, quatuor equis Eboracum. Reliquum cadauer in maiore Eccle
ſia diuo Kiliano dicata condatur honorificè, cum inſigni pompa funebri. Eſt
autem conditum hoc nobile cœnobium à duobus fratribus nobilibus, Berno-
ne & Richuuino, qui caſtrum ſuum Eborchum latronum olim domicilium, di
uo Bernardo dicarunt, ut domus fieret orationis, ſtrenuè multis Principibus
coadiuuantibus. Potiſſimùm uerò annitente Conrado III Roman. Rege, &
Gertrude coniuge, priuſquã regalem adepti ſunt dignitatem. Eſt enim in cho-
ro eius monaſterij ſepulta cum hoc epitaphio: *HIC IACET REGINA GERTRVDIS VXOR QVONDAM CONRADI REGIS ROM. HVIVS COENOBII FVNDATORIS, TRANSLATA IN HANC TVMBAM A VENERABILI ABBATE NICOLAO, ANNO M. CLXIX. V. kALEND. MAII.* Inteſtina Conradi Babenbergæ ſepul
ta iacent. Nondum enim perfectum erat hoc cœnobium. Hic etiam ſepultus
iacet Fridericus dux Sueuorum, Conradi regis filius: qui ex urbe cùm Romæ
moreretur huc delatus eſt. Qui pluribus donarijs hoc nobile cœnobium locu-
pletauit, ut epicedia indicant, patria lingua ſcripta. Item & huius frater Henri-
cus, qui Vuelfonem ducem fratrem Henrici Superbi, quem Rogerius Siciliæ
rex contra Conradum Cæſarem patrem pecunia conduxerat, deuicit: futurus
ni morte immatura præuentus eſſet Imperator, hic ſepelitur: ac multi præterea
alij comites. Amor me patriæ coẽgit longius digredi, quòd in ſolo patrio loca
tum, uniuerſæ eſt Germaniæ quàm notiſſimum. Et quod parens meus ac fami
lia mea ſemper habita fuit in honore apud hos uenerãdos patres. Ex Schuuein
furt enim ſæpè cum genitore puer penè illuc ſeceſſi, quæ urbs nunc imperialis
eſt: olim Ottonis ducis de Schuueinfurt, qui pòſt dux Sueuorum fuit, hæredi-
taria. Qui ſub III Henrico imperatore degebat. Pòſt Cæſari Romano ceſſit
libera facta. Sunt enim in ripa Meni fluminis pleraq; oppida, quæ à uado ani-
malium & hominum ſibi nomina uſurpant. Vt à leporibus Haſenfurt, à tau-
ris Ochſenfurt, à porcis Schuueinfurt, & nobile illud emporium Germaniæ
in Meno, ubi Franci Orientales & Occidentales imò tota Germania conue-
nit, Francofurt, ſitum eſt. Sed iam ſatis. Ad hiſtoriam reuertamur, præmiſſo
prius tetraſticho:

Raptus ad imperium uirtute Lotharius, egit
Hoſtes ut pareant undiq; Principibus.
Pontifice electo qui ſedem uiq; doloq;
Occupat, electum ritè dat Italiæ.

CONRADVS TERTIVS.

CONRADVS III filius Friderici ducis Sueuiæ de Hohẽſtou
phen, & Agnetis filiæ Henrici *IIII* Cæſaris, mortuo Lothario
ſine filijs, Confluentiæ oppido, ubi Moſella Rhenum influit, à
principibus imperij in Rom. Regem eligitur, præſente Theo
derico cardinale legato apoſtolico et Pon. Ro. aſſenſum pro-
mittente. Propter enim Henricum Bauarum, qui & dignitate
potentiaq; præualuit, & regalia apud ſe per uim tenuit, ne diſſidium machina-
retur, Moguntiæ conuentus principũ inductus, aliò eſt translatus. Ob id mox
ad Palatium Aquis ductus, corona à Cardinale eſt inſignitus, atq; in ſedem Ca
roli collocatus. Quandoquidẽ Colonienſes, ad quem ius hoc ſpectabat, uix ſa

eris initiatus, pallio caruit. Ob id Saxones primùm, & qui electioni nõ interfuerant, ac Henricus Bauariæ dux, cognomẽto Superbus, indignantes rebellant: regemq; illegitimè electũ calumniantur. Quocirca nouus principum conuentus Babenbergæ indicitur. In quo quum totius imperij nobilitas adesset, comparuerunt & omnes Saxones cum uidua Imperatrice Rixa, qui se ultrò Conrado regi subdidêre, in gratiamq; regis recepti sunt. Henricus aũt dux Bauariæ gener Lotharij, ob uxorem pariter & Saxoniæ dux, regalia apud se seruãs, aberat summa contumacia, quia regnum summis uiribus affectabat: quòd gener esset Lotharij, & quod crucem, lanceam, cum corona regia secũ detineret, regi contrarius. Ab uniuersis igitur principibus iubetur Ratisbonæ deferre regalia, in festo S. Petri ac Pauli, quæ coactus quidem reddidit, multis illectus promissis: sed regis gratiam non emeruit. Nam paulo pòst dies Augustæ conditur, quo multo cum milite uenit, & super Lycum eregione ciuitatis castra metatus est. Triduo per internuncios tractatum est, sed frustrà. Nam rex nullo pacto ducem in gratiam recipere dignabatur, nisi quibusdam, quæ à Lotharío receperat ac possederat, redditis. Re itaque infecta, negocium solutum est. Rex autẽ insidias metuens, nequid moliretur, peracta cœna, cubitum se ire simulans, paucis acceptis militibus, urbem ingressus est, reliquis militibus in magno discrimine relictis. Vbi Herbipolim peruenit, accersitis principibus, horũ iudicio dux proscribitur, ac dein in palatio Goslarienſi ducatus ei abiudicatur: dux regis discessu accepto, paucis comitatus in Saxoniam properat. Cæterùm rex ducatum Saxoniæ Alberto Marchioni consobrino eiusdem ducis, Bauariæ autẽ ducatum Luitpoldo iuniori diui Leopoldi Marchionis filio tradidit. Henricus Saxoniã ingressus, miserias ac calamitates amicis suis conquestus, ad rebellandum & regi & Alberto excitatur denuò: breui Albertũ castris exuit, ac terras egredi compulit, ut regem pro auxilio cogeretur adire. Luitpoldus aũt licet baronum plurimorum ac nobilium consensu, primùm Ratisbonam suæ ditioni, dehinc alia loca subdidisset, dũ congregatis copijs superiores Bauariæ partes usq; ad Lycum tendit progredi, multis è suis amissis, celeriter reuertit. Henricus in Saxonia omnibus ritè ordinatis, cùm Bauariã redire statuit morbo correptus, diem clausit extremum: in monasterio Luther iuxta socerum sepultus. Scribunt quidã ex animi mœrore miserabiliter mortuũ, quòd ex amicis & nobilibus omnibus quos amauerat quatuor tantũ habuerit quibus cõfidere potuit, quũ alij omnes à se defecissent, qui paulo antè à Dania usque in Siciliam, hoc est à mari ad mare longè lateq; imperitabat. Saxones aũt amore filioli, quẽ paruulum reliquerat, ac moribundus eis cõmendauerat, iterum rebellant. Tum Vuelffo dux frater Henrici Superbi, ducatum Bauariæ iure hæreditario ad se pertinere testatus, quandoquidẽ iusticiam posse à rege se adipisci desperauit, ad rebellionem se parat. Et Luipoldum, qui arcẽ quandam Valeiam obsidebat, sperãs iam demortuo Henrico se ducatu potiri, cęsis ac captis multis eius militibus, in fugã uertit turpiter & ignominiosè. Conradumq; regem, qui arcem Vuinsperg obsedit, aggressus, dicto citius ab eo fugatur, edita insigni suorum strage. Non multo pòst mortẽ obijt Luipoldus. Cui in Marchia frater suus successit Henricus. Sed rex in Saxoniam progressus, ac se cum Saxonibus cõponens, uiduam Henrici ducis Gerdrudim filiam Lotharij Imperatoris in uxorem dicto Marchioni Hẽrico (ut suprà etiam scripsimus) unà cum ducatu Bauariæ dedit. Vnde maximæ discordiæ natæ sunt. Nam Vuelffo qui hunc ducatũ ad se pertinere arbitratus est, extemplò armata manu in Henrici conspectu terras illas ingreditur, omnibus undiq; euastatis. Henricus itaq; ira succensus & animo commotus, conscripto exercitu, regiones Baronum & nobilium Vuelphoni adhærentium ferro ac flamma populatur. Quibus dum suppetias Vuelpho ferre parat, audito regis aduẽtu, cessit, permisitq; regem ac Henricum undiq; grassari & finitima depopulari. Sub id tempus mortuus est

Reginal-

Reginaldus, quem Lotharius Siciliæ præfecit. Rogerius autem eiectus, recuperata Sicilia principatum Apuliæ ac Calabriæ occupauit, expulso Roberto Capuano, qui ad Chunradum supplex uenerat. Tum Innocẽtium bello cepit, factaq; dehinc cum eo pace quali quali, coëgit, ut ab eo in regem coronaretur, primusq; ex Normannorum genere regis sibi nomen usurpauit. Traiecit dehinc in Aphricam, ac Thunetis regem sibi tributarium fecit, capuloq; ensis sui inscripsit superbè:

Appulus & Calaber, Siculus mihi seruit & Apher.

Audiens idcirco Rogerius fluctuationes Germaniæ, & quę inter regem & Vuelphonem agebantur dissidia, timuit ne ijs sedatis Conradus Italiam ingrederetur, ac ea quæ olim Lotharius contra se fecerat, innouaret. Vuelffo non precatur ne regem sollicitare bello cesset, promittit illi quotannis mille marcas, adhibito iuramenti sacramento, ut bellum continuet. Rex pariter Hungariæ Conradum metuens, Vuelphonem sollicitat grandi pecunia illi promissa, quam quotannis soluere spondet, ne rex arma in exteros uertat. Vuelffo igitur ijs promissis animatus, tot tempestates nunc in Bauaria, nunc in Sueuia, nunc in Rheno commouet, ut rex exterorum armorũ oblitus, satis sua haberet tueri ac defendere. Erant tum in Italia propter absentiam regis maximæ lites. Nam Veneti cum Rauennatibus, Veronenses cum Vicentinis, Batani & Taruisenses dissidebant, Florentini cum Lucensibus & Senensibus pugnabant. In urbe quoq; Romani ciues tumultum contra pontificem suscitabant. Quam ob rem pontifex supplicibus literis patrocinium regis Conradi petijt. Ea tempestate diuus Bernardus Clareualensis abbas iussu Eugenij pontificis Galliam peragrabat, ac sua prædicatione omnem populũ mouebat, ut Hierosolymitanam assumeret contra infideles expeditionem. Ludouicus itaq; Francorum rex, & literis pontificis admonitus, & captę à Turcis Mesopotamiæ zelo accẽsus, crucis signo sibi affixo, cũ principibus regni et innumerabili multitudine transmarinam peregrinationem aggreditur. Tum Conradus rex à Bernardo Francofordię cruce pariter insignitus, cum Christianis principibus Lotharingię, Flandriæ, Frisiæ, Alemanniæ, cum Marchionibus Austriæ, Othone Frisingense antistite, & Henrico fratribus (& quod mirandum) cum Vuelphone duce, nondum bello sedato, quem rex commilitonẽ suum sępè appellabat, Hierosolymitanã assumunt expeditionem. Anno salutis nostræ millesimo, centesimo quadragesimo septimo, mense Maio egressi per Hungariam & Græciam, immensas ducunt copias. Quæ magna ex parte, aut inedia, aut aëris intemperãtia, aut Sarracenorum armis, aut Græcorum dolis interceptę sunt. Tradunt enim autores, farinam calce gypsoq; fuisse contaminatã, ac ob id plerosq; interijsse. In hoc tã laborioso itinere, cõmilitoni suo Vuelphoni sępissimè in necessitate subueniebat, ac de omnibus quę à regio fisco Constantinopolitani Imperatoris sibi offerebantur, partẽ illi tradebat. Sunt qui scribunt Conradum regem traiecto prosperè Bosphoro, cùm inconsultè Iconium Lycaoniæ urbem expugnare niteretur, deficientibus uictualibus, consumptisq; terrę germinibus, quum exercitus fame esset afflictus, ab Manuele Imperatore Constãtinopolitano infidijs esse petitum, & à Turcis stragẽ accepisse. Ac negocio infecto, clade suorum consternatum, Asia relicta, domum per Thraciã abijsse. Alij uerò tradunt Conradum, Ludouicum, & Balduinum reges iunctis copijs Damascum obsedisse, sed frustratos. Balduinum Hierosolymam, Conradum & Ludouicum Europam repedasse. Certissimum tamen est quod Frisingensis præsul scribit, qui huic expeditioni interfuit, Conradum circa festum Paschę cum magna populi iocunditate Hierosolymam intrasse, & dies hic aliquot loca sancta religiosè uisitasse. Vuelpho interim infirmitate captus, de salute desperãs, ad reditum se parat, traiectoq; mari conualescens, Siciliam attigit, à Rogerio perhumaniter cum uniuersa familia acceptus, ac muneribus egregijs ad rebellandum regi

iterum

iterum incitatus: quod & re præstitit. Nam proximo uere, nouo milite conscripto regis terras inuadit ac populatur, castrum quoddam obsidens, cui nomen patria lingua est Flochberg. Quod dum expugnare incautè conatur, à militibus regis circumuentus, cùm manus conseruntur, ignominiosè est in fugã uersus: paucis cæsis, multis uerò captis. Et sic bellum inter ipsum & regem finitum est. Nam Fridericus dux Sueuiæ, qui paulo pòst imperauit, fratruelis regis & filius sororis Vuelphonis, sese interposuit mediatorem. Et captiuos reddi, & regem securum de cętero esse prouida deliberatione confirmauit. Rex accepta pace, redditus nonnullos Vuelphoni assignat cum uilla quadam. Et dum iter parat ad urbem, ut imperialem sumat cum benedictione coronam, accipit ab Eugenio pontifice literas, quibus ei de aduentu congratulatur. Deinde Arnoldum cancellarium suum Colonienſem inuestit episcopum. Ac tum in Conflu entia Hispaniæ regis oratores, & summi põtificis cardinales duos Octauianũ ac Iordanem, qui eum ut Romam properet, non alibi accepturus imperij coronam, admonerẽt, absoluit. Compositisq; in Gallia ac Germania rebus, dum apparet quæ Italicæ expeditioni necessaria uidentur, non sine quorundam ex Italia medicorum Rogerij Siculi suspicione moritur Babenbergæ, ubi curiam generalem celebrat, decimoquinto kalendas Martij. Anno salutis millesimo, centensimo quinquagesimosecundo. Eius intestina iuxta Henrici imperatoris sepulchrum illic sunt sepulta. Corpus dehinc cum coniuge in Eboracũ cœnobium est translatũ, quod alij Loracense monasteriũ uocant. Relictis regalibus duci Friderico, cui unicum filiolum commendarat, rogans ut illi ducatum Sueuiæ cùm adolesceret, concederet. Ob clarissima autẽ facinora, Fridericum successorem suum dignissimè adiudicans.

Habuit autem uxorem Gerdrudim filiam Comitis de Sultzpach Bauaram: è qua duos suscepit filios, Henricum, quem ante profectionem suam in terram sanctam penè puerum Aquisgrani principum auxilio in regni consortem elegit, sed ante patris reditum mortuus est. Ac Fredericum Sueuiæ ducem, qui in obsidione urbis sub Friderico primo Imperatore ex aëris infectione cum alijs principibus mortuus est. Hæc ex Sicardo, Othone, abbate Vrspergensi, alijsq; nõnullis excerpsimus. Circunferuntur rhythmi, sed parum Latini, de laudibus huius Conradi principis strenuissimi & clementissimi, quos apponere superse dimus, contenti hoc nostro tetrasticho.

Tertius inuitis multis Chunradus adeptus
Imperium, extorquet regia sceptra citò.
Lites post multas, Solymæ defendere terras
Dum parat, infecta re redit in patriam.

Reuertamur nunc ad Constantinopolitanos Cæsares, patrem & filium ex Comnenorum domo, atque eos omnes qui ex hac familia fuerint, narrabimus ordine, redituri ad Fridericum nostrum Germaniæ decus, principem integerrimum, & suam familiam omnem de Hohenstouphen.

CALOIOANNES CAESAR

CALOIOANNES, qui alijs Carloianes corruptè nimirum appellat, filius fuit Alexij Imperatoris, qui patri in imperium successit. Vir opulentus & uictoriosus, à bonitate nomẽ sortitus. Hic ubi imperiũ adeptus est, suos omnes dignitatibus ornat, in Isaciũ fratrem propensissimus, quẽ incredibili charitate dilexit, uarijs expeditionibus in Asiã usus, Turcos Persasq; aliquot prælijs uicit, urbesq; illis non paucas ademit, Latinorum militum fortem fidelemq; operam semper expertus. Sed infesto animo in Gallos fuit, qui in Asiam

Asiam transmisere, oderatq; omnes eorum successus. Vt igitur Venetos, qui cum illis socia arma iunxerant, à gerendarum rerum cursu auerteret, res Venetas uexare moliebatur. Dux Venetus commotus, Rhodum insulam adortus cepit: dehinc Samum, Lesbon, Andrum, & alia Graij imperij loca hostiliter opprimit. Misit in primis Legatos ad Paschalem pontificem, qui Preneste degebat, qua de re haud satis constat: dehinc ad Innocentium pontificem. Post fama impulsus, quòd Apulia, Calabria, totaq; Italia Lotharius Imperator Rogerium Siciliæ regem eiecisset, legatos misit, qui illi de uictoria gratulabãtur (Rogerium enim odio prosequebatur) & confœderationem more maiorum facerent, ac aliquam regij sanguinis puellam pro filio in coniugẽ postularent. Cùm autem legatio ad Innocentium pontificem, Græcum quendam philosophum haberet sanè acutum, is ostentandi ingenij gratia, Romanæ ecclesiæ uiros arguebat haud religiosè facere: qui cùm semel in Niceno cõcilio declaratum esset Spiritum sanctum à patre duntaxat procedere, ipsi à Patre & Filio dicerẽt. Cui Petrus Diaconus cardinalis acutissimi ingenij occurrens: Si, inquit, Romani damnandi sunt, qui addiderunt S. S. à filio quoq; procedere, multò iustius tui Græci accusandi sunt, qui id fieri à solo patre dicunt, quum eodem conuentu disertè pronunciatum esset, à patre procedere, et non à solo patre, ut uos ineptè asseritis. Ille tempestiuo Diaconi concursu sic elusus, obticuit. Iniit hic Imperator & fœdus amicitiæ cum rege Romanorum Conrado post Lotharij obitum. Nam filio suo Manueli sororẽ reginæ Gerdrudis desponsauit, ut paulò inferius latius scribemus. Vendiderat Raymundus Antiochenus princeps huic prouinciã cum urbe pro ingenti pecunia, quam ut acciperet Syriã ingressus maximo exercitu, à Gabulẽsi episcopo est prohibitus, quòd à Latinis possideretur hęc urbs nomine Romani pontificis & Imperatoris. Elusum se uidẽs, totam depopulat prouinciam: heremitis etiam, quorum ingens illic copia est, è cellulis eiectis sæuissimè, nomini suo non satisfaciens, quum bonus alioqui passim uocaretur. Erat hic Raymundus omnibus Christi hostibus formidabilis. Tandem à Turcis sub Manuele Imperatore occisus, multis suorum cæsis & captis, eius caput Turci circumferentes, omnia ferè castra & urbes quæ sui iuris erant, occupant, præter Antiochiam: quam Balduinus Hierosolymorũ rex tutatur: contra eos in Syriam egressus: eisq; profligatis, in redeundo Sarracenorum circa Damascum munitionem capit, & Damascenos in triennium tributarios facit. Sed hæc aliquanto pòst acta sunt. Rexit hic Orientis imperium annis quinq; & uiginti, ac menses octo: quibus multa præclara bella in Oriente contra Barbaros gessit. Vnde uictorias reduxit, memorabili exitu uitam finiens. Dum enim in uenatione arcum uehementius intendit, telo intoxicato à se ipso, quod in aprum dirigebatur per manũ sinistram traiecto, cùm nulla remedia opem ferre possent, moritur: natu minori Manueli sceptrum relinquẽs, cùm Isacium ut minus idoneum ad imperandum reiecisset: captis antè nonnullis Turcorum præsidijs. Cùm post Zonaram nullum habuerim Græcum autorem, ex uarijs colligere coactus sum annalibus. Qui post me Græcos inueniet autores, addat & subscribat quæ sibi uidebuntur.

MANVEL CAESAR.

MANVEL qui à multis Hemmanuel appellatur, à quibusdam filius dicitur Caloioannis, cui in imperio successit. Alij ignobilem ab uxore Alexij contra uoluntatẽ Senatus in cõiugem simul & imperium assumptum scribunt. Sunt item qui Alexij filium dicant, ut Scilax Græcus autor. Tanta est Græcarum historiarum uarietas, & incerta apud Latinos cognitio. Nihilominus quę passim de eo scribunt, referre animus est: quisquis ueriora inueniet, adijciat. Inuenio Manuelem humili loco ortum, Tryphonem uocatũ à pueris.

Qui

Qui primoribus ciuitatis muliebri consilio interfectis, imperium sit assequutus, hoc pacto: Alexij principis uxor consuetudine Tryphonis utebatur, & ideo mortuo marito conabatur fœmineo astu imperiũ adultero astruere. Cùm enim fœminæ auspicijs tantum imperium administrari non posset, principes eam ad nouum hortabantur connubium, ut scilicet ex omni procerum nobilitate quem sibi uellet, in maritũ legeret. Vocato ad se isto exoleto adultero nefarium aperit consilium: Est (inquit) mihi in animo, ne nouo matrimonio locata, fructu nostræ consuetudinis carcam, te, si uir uerè sis, ad imperij fastigium promouere. Sed tu intellige qua id ratione confici possit. Audio te multos familiæ tuę uiros habere in agris omnino agentes: hos omnes tectis armis in urbem densis itineribus, diuersoq; tempore inducas uolo. Inde cùm tempus aderit, in parte ædium ad cædem esse paratos oportebit. Tum proceribus imperij uocatis, stipulari ab eis incipiam, uelint iubeantq; me nubere cui uelim, sint ne cui nupsero pro Græciæ Imperatore habituri. Si id se facturos (quod nõ dubito) dixerint, tum ego te & meum coniugem & Imperatorem salutabo, in tua uerba cogam iurare omnes. Quod si facere recusabunt tum hominibus tuæ factionis ad unũ trucidandos obijciam. Probat ferox & amans iuuenis mulieris consilium, atq; hominibus (ut inter eos conuenerat) comparatis, auersati principes tam sordidas nuptias, ad unum omnes ferro cæsi sunt. Atq; ita eo die abijs qui ex Constantino procreati erant, desitum est in Græcia imperitari. Ethomo humili loco natus, mulierisq; uiduæ ob immoderatam libidinem consilio, cæsa omni per occasionem nobilitate, ad fastigium tanti imperij peruenit. Ferunt tum occupato in hunc modũ imperio Manuelem in diuinorũ carminum libellum incidisse: quem dum fortè euolueret, exhorruit uehemẽter fatidicum carmen, quo significabatur fore quandoq;, ut ex Hadria uenirent, qui Byzantium occuparent, & reliqua eius regionis. Quæ omnia quum obscuris uerborum inuolucris operta iacerent, coniectoribus diuinationumq; peritis hominibus adhibitis, inter omnes constitit eos Venetos esse, Hadriatici sinus accolas. Inde odiũ in Venetos concepit. Cùm igitur fœdus cum Siciliæ rege percussisset, aut occultè illi in matrimonium filia data (ut quidam scribunt) aut spe nouę affinitatis prętensa, ut alij, suborta inter eos discordia, Venetos in hunc sollicitauit. Qui auxilia negãtes, pacem sancitam cum rege causati sunt. Et ob id negociatores suos ex omni Græcia reuocarunt. Quibus tamen omnes merces ablatę & pecunię omnes in publicũ sunt redactę. Dehinc Græcus Imperator Spalatru, Tragurium, Ragusiumq; Venetis ademit. Quę paulo pòst à Venetis pręparata ingenti classe sunt recuperata, Tragurio funditus euerso, parteq; muri in Ragusio cum turri, in qua Imperatoris insignia fuerãt, deiecta. Dehinc Anconitanos à Venetorum societate alienauit. Vnde mare infestum reddebatur. Audiens interim Conradum regem Romanorum, & Ludouicum regẽ Francorum expeditionem Hierosolymitanam meditari, Oratores Cõrado quemadmodum & Caloioannes, cum maximis muneribus mittit, fœdus amicitiæ rogabat, quod à Caroli Magni temporibus fuit obseruatum, ut ambo Imperatores pro diuersis opportunitatibus confœderationem inirent. Simul etiam confœderationem affinitate petit roborari, ut Rogerium utriusque imperij inuasorem, compescere facilius possit. Eius enim nuncios, quos & Rogerius pro pace miserat, detinuit carcere mancipatos. Ob id Rogerius iratus, misso nauali exercitu, Corinthum spoliauit, cum multis urbibus ac castellis Græcię, ablata diuersi generis paludamentorum & uestis preciosæ multitudine, cum auri & argenti immensa copia. Cepit & Curfolium insulam, in cuius portu fortè extruxit pręsidium. Cęterùm Conradus rex, misso Herbipolensi episcopo Embricone uiro prudẽtissimo & literato, Gerdrudis uxoris sororem sponsam Manueli Imperatori misit, fœdusq; innouauit literis confirmatorijs: quarum exemplar inuenies in Historia Friderici Primi apud Ottonem Frisingensem

sem antistitem. At postquã nostri traiecto mari in alia terra constiterunt, odio cœpit & inuidia successus eorum uir sceleratus & Græco ingenio fraudulentus persequi. Nam cùm rex Conradus ingẽtem bellatorum exercitum per Bosphorũ suasu Manuelis ad hostes traduceret, cõmeatusq; sufficiẽtes polliceretur, facinus cmõentus detestabile gypsum contusum in farinæ speciẽ triticeis immiscuit commeatibus: aliqui calcem scribunt, utrumq; pernicioſum est humanis corporibus, ad castraq; regis misit. Quo cibo breui magna militum con sumpta est multitudo, coactusq; est rex retrocedere. Sed reuocatus ab Imperatore Græcorum nauibus eius Hierosolymam perlatus. Scribit antistes Frisingensis Conradum dum à Hierosolyma remearet (nam & huic expeditioni interfuit præsul ille) Manuelem regiæ urbis principem in Achaiæ & Thessaliæ finibus adisse: & è longa uia fatigatum, laboribus fractum atq; morbo correptum, aliquot diebus quieuisse. Simili fraude fertur Ludouicum Francorũ regem, qui etiam Hierosolymitanæ expeditioni intererat, decepisse. Persuadet enim per deserta Syriæ loca copias ductare. Vbi inopia rerum omnium adeò affectus est inedia longa exercitus, & Turcorũ assultu fatigatus, ut fame nimia cruciatus, coactus sit equorum asinorumq; carnibus uesci, ac re infecta per Seleuciam Antiochiam petere. Palestinam tandem delatus cum multo labore & damno, multis fame morboq; mortuis. Vnde Manuelis nomen Francis odiosissimum tum erat, qui Christianis tam exitiale ac pestiferũ consilium dederat. Ob id Rogerius Siciliæ rex indignatus, bellum illi indixit, indictum fortiter gessit, uastata omni ora Græciæ: & tandem per suos duces in Byzantium impetum fecit, quo adeò ingenti classe exercitum traduxit, ut suburbia igne & flamma consumeret, in Imperatoriam domum regiosq; hortos, sagittas argenteas aureasq; mitteret, ac omnia finitima loca incendio deuastaret. Sic è manibus Barbarorum incolumem Ludouicum consanguineum eripuit, ut in Franciam fœlicior rediret. Tam atroci iniuria Manuelem continuò afficit, ut de eius penè imperio actum esset. Prælium cum Turcis funestissimum gessit, in quo penè captus est. Licet aliqui scribãt eum captum, cùm Ciliciam fraude occupasset: Turcus enim cum eo congressus, simulata fuga cum toto exercitu, in angustias quasdam & arctissimas montium fauces, positis custodijs, Imperatorem deducit: partim cesis copijs, partim captis, ipse quoq; captus dimittitur Cilicia restituta Turcis. Eodem tempore cùm in Antiochia cõtra Turcos exercitum haberet Caniclinus de seruis palatij, qui fortè nostris Cancellarius dicitur, acceptis tribus audacissimis iuuenibus Imperatori necem struebat, dispositis copijs ut palatium et urbem occuparent. Index primo Imperatrici, tandẽ Imperatori occultum scelus detegit. Cõprehensis itaq; sicarijs, ductori primũ oculi effossi, lingua gutturi trãsmissa, miserabilis mors obtigit. De alijs cõdigna sunt accepta supplicia. Venetis etiã nõ minus infestus uir facinorosus, Stephanum Pannoniæ regem contra eos excitat, eorumq; legatum Henricum Dandalum contra ius gentium, liberius fortè loquutum, uiolat, & candenti lamina oculis admota excæcat. Negociatores quos simulata pace euocarat, uno die comprehendit. Ex quo Venetum armis pressus, tandem promissa bonorum restitutione, æquis pensionibus pacem impetrat. Sed malus animus quiescere nequit, cum Astrologię peritissimus haberetur, multosq; sibi & uitæ & imperij annos sponderet, totiusq; Orientis imperium animo agitaret. Alexandro *III* Pont. Max. Fridericum primum Imperatorem sese traditurũ in manus suas promittit, si ei utrunq; imperium gubernandũ concedat sua autoritate, magnasq; copias ei pollicetur, missis crebris legatis, immensa promissa pecunia. Ad hęc ob tulit se cum omni Ecclesia Orientali, uelle Pontificem Romanum orbis Christiani caput recognoscere. Erat tum mortuus rex Siciliæ quod & ipse regnum concupiuit. Et Fridericus in Italia cum magno exercitu Longobardos sollicitauit. Pontifex rem exploratius indagandam censens, legatos Constantinopo

lim misit. Friderico autem Imperatori è contrario legatos mittit, ut auxilium contra Hungaros subministret, fortunatissimum sibi & fœlicissimum pollicitus matrimonium. Demum Fridericũ Italicis auxilijs exercuit, rectæ fidei dogmata perturbare per insaniam adortus, nõ prius abstinuit ab incœpto, quàm oẽs sibi aduersantes uidit. Vir in omni uitæ suæ cursu malicios us, post xxxvij principatus annos, monasticam uitam secutus, morbo periit: cùm annos uixisset sexaginta, Alexio paruulo filio relicto, quem moriens Andronico Comneno commendarat.

Habuit aũt tres uxores, unam Germanam Conradi Imperatoris uxoris so-
235 rorẽ, alteram Cõstantiam olim Boëmundi uxorem. Boëmundus enim tertius frater puellæ factus est princeps, uitrico suo Raynaldo in carcere manente. Dicitur & habuisse sororem Raymundi principis Antiochiæ. Sed an hæc eadem sit, & error nominis Boëmundi & Raymundi rẽ uariauerit, posteris discutiendum relinquo. Duas habuisse planè cõpertum est. De tertia (quia Græcos autores non uidi) ambigo. Sed ut domum suum ampliaret, misit insuper legatos regi Francorum Ludouico, ut filiam suam filio suo Alexio daret uxorẽ: quod annuit. Et cùm sponsa duceretur ex Francia in Græciam ad coniugium filij Imperatoris, prima nocte in cœnobio S. Benedicti supra Ligerim ex incuria familiarium, hospitium igne concremauit: quod futuri mali omen interpretabantur. Licet Manuel eadem ferè tempestate & Solimannum Iconio fugaret, & uictoria potitus eius milites captiuos abduceret, ac insigni triumpho lætaretur, ablata magna portione sanctæ crucis. Cùm autem filiam suam ex priore coniuge natam, Ramerio filio Guilielmi principis Montisferrati despõdisset uxorem, renuit filia, & se nulli nupturam iuramento asseruit, nisi regi. Quod cùm Imperatori esset relatum, laudans filiæ ingenium, die quadã se cum altera uxore, Alexium iuniorem cùm regis Francorum filia sponsa, tum filium Marchionis Montisferrati generũ cum sua filia fecit coronari, dato ei principatu Thessalonicensi, ubi secunda sedes erat post Constantinopolitanam. Id quod à multis seculis nemo audiuit, nemo uidit, nemo legit, uno die tam insignem fieri triumphum ac coronationẽ. Hæc passim ex diuersis excerpsimus. Ex quibus est Scilax, Demetrius Cyzicenus, & alij Græci autores, qui Cæsares scripserunt: addant alij alia.

ALEXIVS CAESAR.

HIc Alexius filius fuit Manuelis imperatoris ex sorore Raymundi principis Antiochiæ. Cui desponsata fuit filia Francorum regis, quæ nomine suo Agnes uocitabat: & uno die cum patre coronatus, patri puer penè in imperio successit. Administratio tamen imperij Andronico Comneno, ob ætatem Alexij minorem, est commissa: & ob regiam prosapiam Comneni è qua oriundus erat Andronicus. Nam consobrinus Manuelis habebatur, & ideo curator est datus Alexio, pro quo aliquot annos imperium administrauit. Cùm uerò Alexius imperij habenas per se administraret, multorum insidijs est fatigatus. Andronicum autem maximè infestum habuit, uirum callidum & impium. Qui in primis indignatus Alexio quod Francorum regis filiam uxorem duxisset, multosq; ex Latinis haberet familiares, quos Andronicus uir Græcus odio habuit. Inuitauit itaque Soldanum ut Iconium occuparet, Latinis iam oppletũ. Qui nihil tale suspicati, cùm à Sarracenis obruerẽtur improuisi, magna exorta strage, licet Franci multi occiderentur, uictoriam tamen sunt assequuti, & pax inter utrosque firmata est. Non destitit tamen Andronicus uir facinorosus & regnandi cupidus, domesticorum externorumq; opibus fretus, Alexium persequi. Et cùm primum tutorem egisset, dehinc participem imperij, præter iurisiurandi fidem, Dominici etiam corporis & sanguinis

nis hauſtu ſacratiorem, Alexium quindecim tantum annos natum clàm interfecit, ſaccoq; incluſum in mare abiicit, cùm tres annos à patris morte rerum potitus eſſet. Scribunt quidam Alexium animi recreandi cauſa paruo nauigio uectum, in mare ab Andronico crudeliter eſſe præcipitatum, necari iuſſum capite abſciſſo, reliquum cadauer in mare proiecisſe. Addunt quidam & matrem & ſororem Alexij ſimul de medio ſuſtuliſſe, ac tam crudeli parricidio imperio eſſe potitum. Sic miſer Alexius tandem uitam ſimul cum imperio amiſit.

ANDRONICVS COMNENVS.

ANDRONICVS Comnenus ſanguine iunctus Manueli Imperatori, & ideò Alexij tutor datus, deſciuerat olim ab Imperatore, cùm aliquot loca iniuſtè occupaſſet. Sed cùm eiuſdem eſſet familię, tandem in gratiam reuerſus eſt. Alij ob inceſtum cum ſorore perpetratum, extremum à Manuele timuiſſe ſupplicium, ad Turcos in Aſiam ſeſe contuliſſe tradunt. Sunt qui narrant ipſum Byzantij res nouas molitum, iuſſu Manuelis cuſtodiæ datum. Inde cùm iam meliorem de ſe ſpem daret, Ponticæ oræ ab eo præfectum. Vtcunq; ſit ex Ponto accerſitus uir callidiſſimus ac ſæuus, curator Alexio datus, cùm regnãdi libidine ſuſtuliſſet Alexium, imperio potitus, uertit crudelitatem in Alexij amicos fautoresq;, quos multos ſecum habuit, ac quorũ uirtus ſuſpecta ſibi erat & formidanda: his partim occiſis, partim in exilium miſſis, diſs ſeſe & hominibus reddidit infeſtum. Arrepta enim tyrannide, præcepit primogenito, ut uxorem Imperatoris Alexij Agnetem ſororẽ regis Francorum Philippi & filiam Ludouici, in coniugem duceret, ac ſibi imperij dignitatem uſurparet. Quod cùm ob honeſtatem recuſaſſet, in uincula coniecit filium maiorem natu, minorem uerò ſecum coronauit, & ipſe inceſtas nuptias cũ uxore Alexij celebrauit. Deſæuijt aũt & in ciues & in peregrinos paſſim, potiſſimũ uerò in Latinos. Et cùm Conſtantinopoli eſſet Ioannes cardinalis, ab Alexandro pontifice Manueli miſſus ad ſuas preces, qui Græcos ad unionẽ Ro. Eccleſiæ reducere niteretur, ab Andronico eſt captus, & canis illi alligatus, cuius cauda os implicuit, ac tractus per urbem, & tandẽ in foueam præcipitatus ac cõbuſtus. Viri aũt religioſi pietate moti, oſſa ſepelierunt. Cùm itaq; ob ſęuitiam inſitam omnibus eſſet inuiſus, Guilielmus Siciliæ rex Alexij mortem ulturus, bellum Andronico intulit: captis multis Græciæ Thraciæq; ciuitatibus: Byzantio tandem exercitum admouit. Andronicus quia ſciebat ſe principatum crudeliter quæſitum, crudelius adminiſtraſſe, omniaq; diuina ac humana polluiſſe, ob nefanda ſcelera, & pupilli innocentis mortem, neminem ſibi amicum fore credebat. Cùm ergo undiq; premeretur, prælio uictus, præter omnium ſuamq; opinionem, tandẽ ab Iſaatio Angelo imperio deiectus, ignominioſiſſima morte atrociter necatur. Altero enim occulo effoſſo, aſinæ præpoſterè impoſitus (aliqui camelo ſcribunt) capite alliorum reſte præcincto loco diadematis, cauda manibus pro ſceptro alligata, per urbẽ circumuectus, uulgi turbæq; tumultu lacer periit. Vtpote in quem pueri, puellæ, uiriq; fœminis immixti, præter probra ac contumelias, in faciem lutum ac fœdiſſima quęq; congerunt. Tandẽ laqueo ſuſpenſus, uncis & harpagonibus à mulieribus fruſtillatim eſt concerptus ac dilaniatus. Hinc & à quibuſdam particulæ corporis in cõtumeliam ſunt comeſtæ. Inuenio in quibuſdam Annalibus, hunc ſtipiti alligatũ quaſi metam ſagittarijs propoſitum, in quem paſſim omnes tela ac ſagittas ob immenſa ſua flagitia iaculati ſunt. Hæc fuit Andronici crudelis, atrox & ignominioſa mors. Aliqui eius imperio ſeptem annos, alij quatuor adſcribunt. Veriores tradunt eum biennio tantum rebus præfuiſſe. Nec enim ſæui ac crudeles tyranni poſſunt diu regnis potiri.

ISAATIVS ANGELVS.

ISAATIVS Angelus è gente Comnena, qui Angeli uocabantur cognomine (nam reliqua Comnenorũ ſtirps iam ſublata erat) uir iuſtiſſimus & æqui ſeruantiſſimus, Chriſtiani nominis amiciſſimus, è Peloponneſo eſt accerſitus ad imperium ab amicis, & ſumma rerũ præter ſpem potitus. Huic enim uni ex imperatoria ſtirpe ſæuitia Andronici pepercerat. Inuenio tamen ab Andronico cùm eſſet Byzantij obſeſſus, ad ſe accerſitum, uenire recuſaſſe: & ob id Principis iram ueritum, in publicum repentè prodijſſe, ciuiumq; fide implorata tumultum ſuſcitaſſe, quo imperium Andronico abrogatum, magno conſenſu Iſaatio eſt delatum. Ingenti enim populi multitudine ſtipatus, ubi mutilatum membris, uitã in acerbis cruciatibus finire Andronicum uidit, imperium aſſumpſit, & prudenter ſe ſub initia geſſit. Cum Guilelmo Siciliæ rege pacem componit (fuit enim Latinorum amãtiſſimus) tum claſſem ad recipiendam Cyprum fruſtrà comparauit. Bellum etiam cum Myſis (qui & Vualachi dicuntur) Petro & Aſane fratribus, defectionis autoribus, infœliciter geſſit. Varias interim multorum tyrannides oppreſſit. Et cùm Fridericus Primus Romanorũ Imperator in Norico caſtro cum Germaniæ principibus de expeditione in Syriam cõſultaret, oratores ab Imperatore hoc ſuſcipit, quibus ei commeatuum copiam atq; itineris ſecuritatem cum omni auxilio promittit. Profecturus itaq; Fridericus per Hungariam, Bulgariam & Thraciam, cùm apud Conſtantinopolim deſediſſet, magnificè excepit. Sed ſuſpectus uidebatur Græco Imperatori exercitus Cæſaris Romani, cuius potentatum diu antè formidauit. Vt igitur Boſphorum quàm celerrimè tranſiret, ſuadere incipit. Cæſar aũt Romanus Græco ingenio non ſatis confiſus, pacem concordiamq; & fidem antè promiſſam, denuò repetit: acceptisq; electis obſidibus, mare traijcit. Cæterùm cùm fratrem ſuum Alexium minorem natu (cui adeò ille ſemper indulſerat, ut præter nomen imperij quod penes ſe eſſe uoluit, cum eo ex æquo uiueret) à Turcis captum maximo ære redemiſſet, dolo ab eo ingratiſſimo homine circumuentus eſt, perq; ſummum ſcelus oculis priuatus, in cuſtodiam tandem coniectus eſt. Vbi tam diu in carcere eſt detentus, donec filius Alexius, qui auxilium Francorum atq; Venetorum implorans ac gemebũdus petijt, patrẽ lachrymis obtinuit. Sed carcere poſt longam captiuitatẽ eductus, morbo ex aëris inſolentia contracto, nõ diu uixit. Cuius filiam Erinam Philippus Romanorum rex uxorem duxit, ut paulo pòſt docebimus.

ALEXIVS ANGELVS.

ALEXIVS Angelus frater minor natu Iſaatij Imperatoris, uir impijſſimus & ſceleratiſſimus, per ſummam erga fratrem ingratitudinem ac parricidium, imperiũ eſt adeptus: aſcitis potentioribus, quos donis ac muneribus corrupit. Cùm enim Iſaatius eum indulgentiſſimè tractaret, eiq; omnem imperij adminiſtrationem concederet, ſolo imperatorio carẽs nomine, non potuit uir peſsimo ingenio, hac contentus uiuere gloria. Sed præter hanc pietatem, cùm à Turcis magna pecuniæ ui, & ingenti precio redemptus eſſet, dolo fratrem captum excæcatumq; carceri mancipauit. Non tamẽ contentus hoc malo, nepotẽ Alexium iuniorem Iſaatij filium, annos agentem duodecim, pari cruciatu aut capere aut perdere, niſi fuga ſalutem quæſiſſet, ſummo ſtudio enixus, extorrem fecit. Sed mox grauis ultio affuit. Nam puer hic paruo procerum comitatu (ut quidam ſcribunt) in Germaniam ad ſororem Erinam Philippi Romanorum regis coniugem delatus eſt, opibus & armis adiutus rediit & reſtitu-

restitutus est. Venerat enim ante eum quidam Græcus, qui fraude circumuenire reginam conatus ambiẽdo imperium, captus & custodię datus, interuentu reginæ liberatur. Sed in Græciam festinans dum imperium sibi uendicare nititur, strangulatum Græci suffocant. Alij uerò tradunt, hunc puerum Dalmatiam delatum, ibi fortè inuenisse nobilissimos Francorũ proceres, Balduinum comitem Flandrẽsem, Ludouicum comitem Blesensem, Bonifacium Marchionem de Monteferrato, aliosq; fortes ac strenuos Principes. Qui pacto cum Venetis fœdere, in Asiam trajcere meditabantur. Hos precibus, lachrymis, promissionibusq; maximis mouit, paciscendo triginta milia marcarum auri, ac commeatuum copiam, si imperio aut solus, aut cum patre, si uiueret, qui carcere detinebatur, eorum auxilio restitueretur. Principes tam insigni casu moti, parata classe Byzantiũ uersus nauigant. Interim Cretenses se suaq; Alexio donant. Constantinopoli appropinquantes iuxta Peram (quæ olim Galatha dicebatur) Alexius fratricida, conscius tanti belli apparatus, cathenam utriq; lateri densissimã pro præsidijs tetendit. Cretensium uerò consilio effracta, Constãtinopolis ferro flammaq; expugnata capitur. Fratricida Alexius nocte concubina apud Irenam filiam uirginem monialem ingentem defossum relinquẽs thesaurum, aufugit. Isaatius carcere liberatur. Alexius puer maximi populi fauore Cæsar acclamatur: ac post subitam patris mortem, Francorum Venetorumq; armis præualentibus, Imperator est dictus.

ALEXIVS IVNIOR.

PATRE Isaatio è carcere liberato, qui filij promissa rata facit, & Alexio fratricida fugato, Alexius iunior imperium est assequutus. Qui cùm promissa quæ pater rata fecerat, patre mortuo adimplere satageret, prima noctis uigilia orta seditione, conuicijs puer Imperator, licet ingenio senex lacessitur, ac penè obruitur. Sed supra ætatem promptissimo consilio, facilè tumultum sedat. Erat inter alia in fœdere sanciendo diserte cautum, ut patriarcha Cõstantinopolitanus Romano pontifici tanquam maiori subesset, & damna Francis Venetisq; à Manuele illatis compensaret. Mittit itaque Imperator ob maximum uitæ suæ discrimen quod imminebat ad Christianorum principum castra, ut cum auxilijs Bonifacius Marchio in urbẽ ueniat, & promissa accipiat. Sed priusquam suppetias accepit, uix mẽse uno post restitutionẽ suam exacto, à Murzyphlo quodam ignobili, quem tum ad summum dignitatis gradum euexerat pater, ac Patricium Protoueστiariumq; creauerat, & cui ut tutori, res suas omnes uitamq; concredebat, fraude innocenter necatur. In gremio enim nutrita serpens, tempus pro nanciscendo imperio pulchrum existimans ac pro emittendo ueneno aptum, prodito Græcis consilio qui in eius odium subleuare hunc incipiunt, tumultum excitat, quem subdolus excogitauit: ac puerum Imperatorem in interiora abscondit. Concionabundus seditioso urbi facilè persuadet, præsentem rerum statum uiro, non puero indigere: multa in Venetos, multa in Frãcos Latinosq; omnes, quos Græcanico nomini infestos asseruit, perorans. Tantumq; effecit (ut fit in tumultu) ut pars eum gubernatorem, pars Imperatorem inconditis acclamationibus uocaret. Vnde mox in palatium frequenti militũ caterua descendens, Alexium puerũ ueneno bis exhibito occidere aggreditur. Sed cùm nihil proficeret, manu propria gutture elisso, impijssimus necauit, ac laqueo se confecisse apud populum insimulat. Tyrannus hinc se hostibus frustrà opponens, amissa tandẽ urbe Constantinopoli, nocte media cum uxore & pellicibus ac thesauro clàm aufugit. Sed non multo pòst in Peloponneso captus, & Constantinopolim retractus, per summam ignominiam & cruciatus moritur. Excæcatus enim de eminentissimo loco præcipitatur, ac per urbem tractus frustratim discerpitur. Sic malè partum im-

perium cum uita simul ignominiosè sceleratissimus Mursyphlus amittit. Vrbs Francis Venetisq; dedita, cum omni exercitus multitudine est ab illis possessa, ac omnium rerum præda cum uiribus ac locis maritimis æquè est diuisa. Res deinde imperij ad Francos est trãslata. E quibus Balduinus primus est Græcorum Imperator creatus. De quibus deinceps ordine scribam, si prius Fridericum Primum, Henricum Sextum filium, Philippum denique & hunc Friderici filium enarrauero.

FRIDERICVS PRIMVS.

FRIDERICVS I, uulgò Barbarussa, à Latinis Aenobarbus à rubea barba cognominatus, filius fuit Friderici ducis Sueuorum, fratris Cõradi regis, & Iudithæ primę uxoris Henrici Nigri, Noricorũ ducis filiæ. Princeps manu ingenioq; strenuus. Cui ingentes animi & corporis uirtutes inerant, robur & agilitas par: armis exercitatus, armorũq; peritissimus, ingenio ac memoria pollens, ac ualidus consilio: periculorum cõtemptor animus. Quoties semel alicubi loquebatur etiam mediocri, eius post longa interualla recordabatur. Statura procera, & corpore cõpacto: facie eleganti, sed capillo & barba ruffa. Affabilis & mansuetus, superbis solis infestus: liberalitatis egregiæ, & multarum rerum peritia nemini secundus. Conrado pijssimo rege defuncto Francofordiæ rex ab uniuersis Germaniæ principibus unanimi consensu designatur, ac potissimùm ex delegatione patrui sui. Nam Vuelffo auũculus eius, quia frater Iudithæ matris, & alij Germanię principes arcta consanguinitate eum contingebant. Simultas enim principum, quæ tum inter duas præcipuas familias, Henricorum & Vuelffonum uersabatur, quarum altera Imperatores, altera magnos produxerat Duces, sublata erat: totumq; germen nobilitatis in hunc transfusum comparuit. Ex adolescentiæ primæ egregijs facinoribus, maxima fuit in uiro illo spes conficiendę pacis, tam in Geamania q̃ Italia. Id enim ex nominis sui interpretatione ariolabantur. Credebant nanq; per eum totum imperiũ sine dispendio habiturũ tranquillitatem: & ipsum sua fortitudine Italiam rebellem reformaturum. Viginti enim annis archiepiscopi & principes ob schisma, rerum suarum dispendium patiebãtur. Pessimo enim exemplo iam pridem pontificiæ cum Imperatoribus contentiones inoleuerunt, quum pontifices Imperatoriam maiestatem, quam illi suo suffragio ratam facerent, contemptam penè habent. Et Romani principes ambitionem in sacerdote præposteram, æquo animo ferre non possunt. Vnde omnium malorum fons & origo nascitur. Hinc perpetui certaminis semina nata sunt: & ob id ex Germania septies in Italos rebelles exercitũ duxit Imperator Fridericus. Electus itaq; rex, mox Aquisgrani ab Arnoldo Coloniense archiepiscopo coronatur, in sedemq; Caroli collocatur. Quod mox per legatos Eugenio Pont. Max. significatur. Dehinc tribus primis annis pacem inter Germanię principes ob ducatum Bauarię & Saxonię, multo admirãdoq; labore componit. Erat enim Hen
236 ricus iunior de Saxonia fratruelis Vuelphonis, filius auunculi sui. Henricus uerò de Austria, Luipoldi filius, frater patris sui. Quippe auia ipsius, cùm in Sueuia duos genuisset filios, Conradum scilicet Rom. regem, & Fridericum ducem, marito mortuo Marchioni Austrię Luipoldo nupsit: ex quo peperit Luipoldũ, qui pro ducatu Norico primus certamen iniit. Sed immatura morte pręuentus, Henrico fratri id exequendum certamẽ reliquit. Peperit & Conradum Salisburgensem, & Othonem Frisingensem antistites. Fridericus itaq;
237 rex, hoc ingenio discordiam dissoluit, ut Henricus de Saxonia ducatum Bauarię reciperet, quẽ & pater & auus possederant: licet Conradus rex patrem ducatu ob rebellionem deturbasset. Henricus uerò de Austria, quum prius esset Marchio,

Marchio, ducem eum creauit, quædam illi ex Bauaria adijciens. Si quis super hac re priuilegia, quibus ducatus est Austrię ornatus, & à Friderico II corroboratus scire desiderauerit, is adeat librum tertium Thomæ de Haselbach Annalium. Sic litem, quę in Germania tum potissima erat, diremit. Vuelphoni aũt auunculo suo, contulit in beneficium pro emerẽdo fauore Marchiam Tuscię, ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, & totam terrã Mathildis Comitissæ. Conrado autem fratri ex alia matre, contulit Palatinatum Rheni. In Saxoniæ ciuitate Martinopoli, regem Danorũ cum suo consanguineo componit, Magdeburgensiq; ecclesiæ pastorem collocat: usus priuilegio, quod sub Henrico quinto impetratum erat, ut scilicet principis esset inuestituram dare præsuli, si in electione diuersæ orirentur partes. Nec fore consecrandum priusquam regalia per sceptrum susciperet. Quanquam autem diu reluctaretur Pontifex, ultrò citroq; missis legatis, obtinuit tamen princeps propositum. Ac reuersus in Bauariã, suos ab Eugenio iterũ recipit missos Oratores, ac in diui Emerani monasterio Ratisbonæ, coronationis suæ approbationẽ à Pontifice acceptat. Fertur paulo antè in Gallia Traiectensium contumaciam mulctasse. Interim Apuliæ exules à Rogerio electi, supplices auxiliũ à rege petunt. Quocirca Manueli Greco Imperatori legatos mittit, contra Guilielmum Siculum, qui Rogerio patri successerat, inuasorem utriusq; imperij debellãdum. Ac paulo pòst ut maiorum sequeretur uestigia, rebus Germaniæ pacatis, Italiam aggredi parat, ut illic quoq; discordias tollat. In campo Lyci fluminis iuxta Augustam exercitum colligit, Italiam ingressurus. Tridentinã uallem penetrans, iuxta Veronam castra metatur. Morabantur enim Veronenses Cęsaris iter, nullumq; ius in eos competere cõtumaciter asserebant, priusquam imperialem haberet coronam, nisi ingentem traderet pecuniam. Fridericus iram dissimulans, pecuniam debitam se daturum promittit: illæso exercitu Veronam ingreditur, per milites locis sacris ablata, restituit. Nobiliores ac insigniores ciues, qui ab eo pecuniã recipiãt in itinere (nam magnam summam in itinere expectabat) postulat. Sunt ei ex insignioribus dati tredecim cum alijs nobilibus, quos paulo pòst soluta pecunia suspendit. Posteris in exemplum, ut suos principes uenerari discãt, & debita obsequia illis exhibeant. Dehinc circa Padũ haud longè à Placentia officium regis Romani exercet, præcipiens cunctis principibus, feudum ab imperio habentibus, ut Cæsari excubias faciant: negligentes uerò damnentur. Vltra progressus, ob maximas finitimorum querelas, Mediolanum obsidet: munitiones & castra eorum expugnat, atq; incendio consumit. Astam diruit, Derthonam multum rebellem incendit & solo æquat. Papiæ triumphat, ac ferrea corona insignitur. Dein transcenso Apennino, & peragrata Tuscia, urbẽ adijt. Circa Viterbium obuiam accipit Hadrianum põtificem cum cardinalibus, de Pont. Rom. conquerentes, qui senatoriam dignitatem, & equestrem ordinem reducere satagebant. Mox aderant ciuium Rom. oratores, qui Cæsari fastu plenam dixerunt orationẽ. Qua commotus Cæsar, prudentissimè illis respondit: &, ut ueteri adagio dicitur, Clauum clauo trusit. Præmissis igitur militibus qui urbem ac ædẽ S. Petri munitam seruarent, Romam ingreditur, læta comitante caterua. Honorificeq; susceptus, imperij coronã cum benedictiõe quarto kal. Iulij, anno regni sui quarto accipit ab Adriano IIII. Senatores id egre ferentes, seditionem in urbe mouent maximam, qua multi ex militibus Imperatoris obruuntur. Consules enim parum cum Pontifice concordes, suspectum habebãt Imperatorẽ. Et plebs Romana inconsultis cõsulibus eruptione facta per pontem Traiani, Germanos in Vaticano obseruatos multis interfectis spoliarunt. Pontifex tum erat in Palatio. Imperator autem castra in pratis Neronianis, quæ prope muros habebat, adijt, corona insignitus, equo phalerato, nobilium maxima sequente multitudine. Arma igitur arripiunt, ferocem populum cædunt, ex uaticano in urbem retrudunt. Cuius pars in Tyberim mersa,

pars fauciata, sexingenti penè capti. Quos tamen Imperator, pontificis lenitus precibus, incolumes reddidit. In hunc modum dignum pro tanta seditione mercedem Romani accipiunt. Relicta urbe, Imperator ob aëris infectionem transcẽdens Apenninum, inopinatas passus incursiones, Spoletum applicuit, flammaq; ac ferro euastauit, & funditus euertit: paruulis ac mulieribus tantum parci iussit. Pòst tota Italia peragrata, Longobardos multis rebellionibus perdomuit. Per Veronensem agrum remeat in Germaniam, ubi in itineribus angustis, quæ Veronensibus clausuræ Volerni dicuntur, locatas quingentorum militum insidias, & pontem quendam dolo fabrefactaum, astu superauit. Corrupit enim nummis ac promissionibus rusticos, qui in deuia loca, uix hominibus permeabilia, milites suos perducerent. Vbi insidiatores reperti, qui lapidibus exercitum Imperatoris erant obruituri. Quos è montibus eiectos cecidit, & in fugam uertit, eorumq; insidias cautè fregit, sexingentos captos, diris supplicijs affecit. In Germaniam reuersus, cùm Arnoldus Moguntinus archiepiscopus, & Hermannus Palatinus totum penè Rheni tractum inter se dissidentes essent populati, alter acerrimè est ab Imperatore lege patria & probrosa punitus (coactus humeris canem uiuum ferre) alter ob senium ueniam meruit. Sublatis ob id discordijs, Pater patriæ est appellatus. Celebrans dehinc nuptias cum Ducissa Burgundiæ, in Poloniam diuertit. Poloni enim obedientię iugum excusserant, ac consuetum tributum dare recusabãt. Eiecerunt & regno Bolizlaum, qui filiam Leopoldi Marchionis Austriæ Gerdrudim uxorem habuit. Misertus itaque exulis & uxoris suæ, ut eum ducatui restitueret, cum exercitu Poloniam ingreditur, cui cùm resistere nõ possent, fuga salutem quærunt. Et sua ipsi oppida concremant, ne ab hostibus occupentur. Sed undique terra deuastata, Cæsar tandem duce Boëmiæ Labezlao interueniente, ueniam dedit hac lege, ut pro satisfactione *ccc* armatos milites obsides daret, quos secum cõtra Mediolanenses duceret. Iurauit insuper Polonus dare Imperatori duo milia marcarum auri, Imperatrici xx marcas auri, principibus mille: curiæ cc marcas argẽti. Qui uocatus ad curiam nõ uenerat. Pollicitus insuper fidelitatem, dato fratre Casimiro obside, cum alijs nobilibus. Sed nec uenit ad dictam diem, nec ad expeditionẽ Italicam, ut promiserat. Ducem dehinc Boëmiæ Labezlaum Imperator Fridericus anno salutis M. clviij regio diademate insigniuit, quòd tanta promitteret auxilia, unà cum Pragense episcopo Daniele. Quum Magdeburgæ principibus inenarrabilẽ Mediolanẽsium superbiam conquestus foret, unanimi uoto eam urbem conterendam proclamabant. Ad hæc accessit maxima principum contra Adrianũ Pon. Max. indignatio, qui & huic bellum indicere suadebãt, quòd duos cardinales legatos Imperatori, cùm esset Byzantij in Burgundia miserat, qui fastuosam & plenam contumeliæ orationem dixerunt: qua pontifex imperium se Rom. ac regnũ Italicum regibus Rom. donare superbissimè iactitabat. Quod animos principũ in iram commouit. Sed Imperatoris irã mox missis alijs legatis, Adrianus mitigauit. Nouo tamen collecto exercitu ex Francis, Saxonibus, Burgũdionibus, Sueuis, Baioarijs, Boëmis, Polonis, Hungaris, Carentanis, alijsq; Celticæ ac Germanię nationibus, qui centum milium armatorũ superauit, in Italiam contendit, Mediolanumq; obsidet, ac mox subiugat, toto Italiæ regno occupato. Placentinam tam quam seditiosam ciuitatẽ punit. Cremonenses enim & Papienses Imperatori fideliter adhærebant. Sicut Mediolanensibus Comani & Laudenses parebant. Cùm autem sint superbissimi Mediolanenses, uicinas subigebant ciuitates: & contra edictum Imperatoris Derthonam, ab ipso dirutam instaurarunt, ad imperij contemptum. Papiam atque Nouariam populati sunt. Ob id Imperator cum copijs suis, atque auxiliaribus Cremonensibus, Papiensibus, ac Nouarienſibus, Mediolanenses aggreditur, ac cum ijs manus conserit: dehinc cæsos ac profligatos in fugam uertit, suburbia incendit, tum obsidet, ac po-

ac postremò expugnat. Fuissent tum ad unum cæsi omnes, nisi supplices ad regem Boëmiæ, ducem Luipoldum Austriæ, Colonienſem ac Babenbergenſem episcopos: ac Othonem Palatinum confugissent, quorum precibus illis donata est uita. Portabant enim nudos enses super colla & sanctæ Crucis insignia, quibus iram Imperatoris lenibant. Facto igitur triumpho, cuncta Longobardia ditioni cessit Imperatoris. Acceptis dehinc obsidibus, leges & iura illis constituit, iudices dedit, ac pacem sub banno firmauit, peragratis omnibus urbibus Longobardorum: dehinc in Burgundiam est profectus. Quod ubi Mediolanenses acceperunt, abiecto iugo, iterum rebellare Imperatori incipiunt: leges ab eo conditas, & iura aspernati. Laudam urbem deijciunt, castra ac munitiones à Cæsare factas destruũt, occisis militibus in præsidio locatis. Tum Imperator præmisso fratre suo Conrado Palatino Rheni, cum Bertholdo duce Zaringiæ, & Roberto comite Basileæ, qui Cremonensibus contra Cremenses suppetias tulerant, ac Cremam obsederant. Imperator subsequutus cum rege Boëmiæ, ac duce Austriæ, Bauorum duce, ac exercitu Beatricis Reginæ coniugis suæ, segetes Mediolanensium iam maturas partim succidit, partim equorum pedibus contriuit: arbores & uites excidit, totum Mediolanẽsium agrum populatur: uillas & oppida funditus euertit. Facta est tum ingens contra Imperatorem conspiratio, in qua & maxima pars cardinalium erat, & Siciliæ rex Guilielmus. Donata que est immensa pecunia Adriano pontifici, ut Imperatorem anathemate feriret. Nihilominus Imperator Cremæ obsidionem non soluit, priusquam deiecta arce, cogerentur omnes oppidani cum pueris ac uxoribus egridi urbe, omni præda militibus relicta: trecentis Mediolanensium tum captis, & sexingentis ferè occisis, Vuelffus Tusciam accepit, in comitatus eum partitus septem. Iusticiam subditis administrauit. Ob id & Pisanis & Lucensibus ac Spoletanis charus fuit, & ab eis honorificè acceptus. Dehinc filio iuniori Vuelphoni totam terræ ditionem committens, per tridentinam uallem ad propria concessit. Adrianus interim Romanus pontifex, dum Anagniæ Imperatorem Fridericum sine ulla causa excommunicare nititur, fonte quodam aquam hauriens, muscam bibit, & sine ullo medici officio mortem subit. Romæ dehinc duo pontifices eliguntur, Octauianus, qui Victor est dictus, & Rolandus Cancellarius, quem Alexandrum Tertium uocant. Fridericus imperator turbatus, utrumque Papiam uocat, ut addisceret, cui'nam foret obtemperandum. Victori aduenienti obedientia est exhibita per uniuersam penè Germaniam, qui in Pontificia dignitate remansit. Alexander hunc est anathemate execratus. Sequenti æstate Imperator ingenti exercitu Mediolanensium agrum tertiò euastauit: nam contemnere Imperatorem non cessarunt. Ferentibusq; suppetias Friderico Conradi Regis filio, duce Boëmorum Regis filio, Pragense episcopo Daniele, Rainaldo Colonienſi archiepiscopo & cancellario, Mediolanum funditus euertitur. Ciues diuisi pro numero portarũ, patrium solum relinquere coguntur, & in exilium abire. Multi qui authores defectionis fuerant, securi percussi, ac cum omni stirpe sunt deleti, bonaq; eorum publicata. Plebei cum militibus Imperatoris coacti sunt destruere muros & turres ciuitatis. Factaq; est urbs tota desolata, ut bestiæ & feræ non homines incolerent. Tum reliqui Longobardorum, Placẽtini & Brixienses idem facere coacti, sese prorsus Imperatori dediderunt. Postquam autem Vuelpho senior Hierosolymam perrexisset, relicto iuniore in Italia cum Friderico imperatore, quum Reinaldus Colonienſis, & Christianus Moguntinus archiepiscopus suis copijs Romam oppugnarẽt, quibus cum manus conseruerunt. Vbi nouem milia Romanorum cæsa ferun tur. Ac cùm Imperator iam urbem obsideret, ferroq; ac flamma urgeret, sæuissima pestilentia orta, exercitum inuasit, & episcopos Conlonien. qui autor mali fuerat, Spirensem, Ratisbonensem, Pragensem, Verdunensem, ac Leodiensem; 238

sem:tum duces,Fridericum Conradi Rom. regis filium, Vuelphonem iuniorem,cum multis comitibus ac baronibus absorpsit.Imperator in Tuscia præsidia locauit,& urbes sibi quasdam uendicauit, cùm interim Alexander põtifex iam per Franciam,iam per Angliam,iam per Hispaniam cunctos principes in Imperatorem incitaret,quòd Octauianum(qui Victor dicebaꝫ)foueret.Quo tamẽ mortuo,& Guido,& post eum Ioannes successerunt in pontificatu,adeò ut schisma magis magisq; duraret.Omnes enim hos in pontificia dignitate seruauit,& suos milites dignitate extulit, duces Spoletanos, Marchiones Anconitanos,& Principes Rauennę eos creans,cùm Germaniã iam tum repeteret. Paucis interiectis annis, Mediolanenses pristinã renouantes perfidiã, omnes Longobardorum ciuitates conuocarunt: eiectisq; quos Imperator impositit iudicibus, quibusdã etiam suspensis, accepta occasione à schismate, quòd Alexander Imperatorem ferebatur excommunicasse, spretis iuramentis Imperatori rebellant. Et Alexandriam urbem olim destructam extruunt. Ad quos puniendos,cùm Imperator in Italiam concessisset, Henricus Superbus cognomine Leo,dux Saxoniæ,in suam confisus potentiã, & factionem Alexandri pontificis,ab exercitu Imperatoris discessit,eumq; impulit,ut sine uictoria prælium cum hostibus frustrà committeret. Vnde postea in Germania ciuilia pene bella cum hoc Henrico gesta sunt.Quippe & dignitate electionis imperialis(Elector enim erat)& ducatibus priuatur. Ducatus enim Noricus Othoni Palatino de Vuitilinspach donaꝫ,Saxoniæ uerò ducatus & electionis dignitas Bernhardo de Anhalt confertur. Qui ambo adiuti à consanguineis & ducibus, in suis dignitatibus seruati sunt, ac meritas pœnas Henricus luit. Tradunt enim quidam Fridericũ imperatorem, cùm hac tempestate prælium cum Mediolanensibus inijsset atrocissimum,ac manu sua multos confodisset,occiso signifero cum aquila,eius equum confossum cecidisse,& interfectum creditum. Ob id Imperatricem(quæ Comi erat relicta) uestem mutata uirum luxisse, & missis Oratoribus,cadauer sepultura decorandũ petijsse. Qui tamen quinto die prius Papiæ Imperatorio habitu per urbem incedere uisus est uiuere: quod cùm populus resciisset,magna fuit in Germanos, maior in Papiẽses & Comanos clades cõmissa.Ob id omnes cum Pontifice reconciliationes fieri petierunt. Cæterùm æstuante bellis tota Italia, cùm ex diutino errore Alexander III Venetias confugisset,& fauore Guilielmi Siculi multorum sibi animos conciliasset, adeò ut & Ioannes Sirmiẽsis abbas ex Pannonia electus Pontifex, & Calixtus dictus,ultrò ad pedes Alexandri se prouolueret:pax etiam inter Imperatorem & Alexandrum sancita est, quam semper optauit. Et Guilielmo regi Siciliæ, quindecim uerò socijs ciuitatibus,in sex annos pacem Imperator dedit:suntq; ex diutina discordia amicissimi facti ambo.Tum inter Imperatorem & Longobardos pacta sunt quædam,ad quæ sunt obstricti hodie quoq;,quæ in desuetudinem abierunt.Cùm interim Saladinus Babylonicus terram sanctam ingressus,Hierosolymam,Tiberiadem,Cæsaream,aliasq; urbes depopulatus,principes Christianos eiecisset:& ut quidam scribũt, xxx milia hominum sustulisset, Imperator Fridericus cruce Christi insignitus,Hierosolymitanam sumit expeditionem, magnoq; cum exercitu Hungariam & Bulgariam penetrat,in Licaonia castra metatus.Philomelum atq;Iconium urbes diripuit,circumiectamq; regionem depopulatus est. Cùm autem in Armenia ob æstum caumaq; mitigandum,sudoris abluendi causa,flumini se credidisset,quod incolę Serram uocant,uorticibus rapidi fluminis in omniũ conspectu est absorptus,quarto Idus Iunij,Salutis anno post millesimum centesimum nonagesimo, imperij trigesimoseptimo.Cuius corpus Fridericus filius dux Sueuiæ,in Tyro honorifice sepelijt. Qui patris accipiens exercitũ strenuissimus princeps,à paterna nõ degenerauit uirtute.Sed per Armeniã duxit, ut Acon obsideret, quã aliqui Ptolomaida putãt,in confinibus Armenię & Syriæ,haud longè ab Antiochia.Sed

uel

uel aëris intemperie ac peste, uel ciborum insuetorũ usu, Fridericus mox diem suum obijt cum multis clarissimis principibus, qui in eius exercitu fuerant. Reliqua pars exercitus est postea fame confecta.

Habuit autem Fridericus Imperator duas uxores, primam Adilam Marchi 239
onis Theobaldi de Vohburg in Bauaria filiam, cum qua iudicio Constantiensis ecclesiæ ob sanguinis propinquitatem coactus est diuortium celebrare. Quam pòst Dietho de Rauenspurg uxorẽ accepit. Missis dehinc legatis Constantinopolitano Imperatori, ut aliquam è regio stemmate uxorem afferrent: cùm moram longam traherent, accepit Beatricem de genere Burgundionum
10 nobilissimam, filiam Reginaldi comitis Byzontini unicam, ex filia Simonis ducis Lotaringiæ genitã, cum amplissima dote. Perq; hoc matrimonium Burgundiam & Prouinciam sortitus est, diu ab imperio alienatas. Regio apparatu in Herbipoli, ubi conuentus Principum erat maximus, nuptias celebrauit. Ex qua quinque genuit filios, Henricum primogenitum, quem designauit regem Rom. Cui desponsauit Constantiam filiam Rogerij regis Siciliæ, quam Guilielmus patruus in sua potestate habebat. Secundum Fridericum ducem Sueuiæ, cui filiam regis Hungariæ desponsauit: sed cùm in expeditione Hierosolymitana peste periret, non traduxit. Tertium Othonem, comitem Burgundiæ & Byzontij Palatinũ, qui matris suæ terras possedit. Dehinc Contra
20 dum qui in demortui fratris Friderici locum dux Sueuiæ creatus est. Et postremò Philippũ Tusciæ & Sueuię ducem, qui fratri Henrico successit in imperio. Duas insuper ex eadem genuit filias, Sophiam uxorem Marchionis Saxoniæ, & Beatricem abbatissam in Quitelburg. Multa sciens & uolens præterij fabulosa: quæ si quis adijcere uoluerit, liberum sit. Ego Othonis Frisingensis Annales sequutus sum. Qui non contentus Chronica scribere, peculiares libros de gestis Friderici, ob rerum magnitudinem aggressus, quos Radeuuinus prę
30 politus, cùm imperfecti ab Othone ob mortem relinquerentur, suppleuit, qui circumferuntur impressi. Quatuor ex fide syncera scripti, utpote ab illis qui ijs omnibus interfuerunt. Excerpsi quoq; nonnihil ex Annalibus abbatis Vrspergensis. Scripsere & de hoc Friderico quidam Thadeus de Roma carmine, qui Mediolanensi obsidioni interfuit, & Ligur Guntherus. Cuius poëma & si non redoleat Virgilianam maiestatem, tamen ut tempora ferebant, non est usquequaque contemnendum. Iohannes præterea Cremonensis sacerdos, & Theodericus Nyem Apostolicus scriptor, multa de clarissimo illo Imperatore tradiderunt. Merula autem in historia uicecomitum hunc insignem principem Barbarum appellat, sicut & alios Germanos reges, pietate & clementia insignes. Fortè quòd patriam suam solo æquauerit. Sed nimirũ mordacis erat ingenij & facundiæ caninæ, utpote qui in omnes eruditos suæ ætatis etiam desæuit, Philelphum, Dantem, Petrarcham, Galeotum, Domitium, Vallam, Po
40 litianum, Vitellium, Beroaldum, ac alios doctissimos quosque. Et cùm ignoraret Friderici Imperatoris res gestas, tamen ut Blondum aut Platinam sequutus, fœdè quandoque labitur: & familiam claram Stouffen Scophiam, nostræ linguæ & rerum nostrarum ignarus, turpiter cognominat. Et Fœdericum Cæs. à fœdere deducit, cùm sit patriũ nomen & gentile, quod Latinum ethymon respuit. Fridericus patria lingua pacis diuitem signat, quasi dicas pacificus. Sicut sunt omnia nostratia, quæ suam habent etymologiam. Vuolfgangus Leonhardus, Bernardus ab animalibus & robore deducta, quibus minimè conuenit Romana interpretatio. Inter omnes enim linguas, quibus peculiariter hodie homines utuntur, Germana omnium est breuior, & ob id du
50 rior exteris nationibus. Conformis autem multum, & in articulis & in flexionibus Græcanicæ linguæ. Quod si quis paulò diligentius id expendat, inueniet tam nomina, quàm uerba Germanica, sint modò simplicia non deriuata, primogenia in singulari & natiua, esse monosyllaba. Verbi gratia,

haupt/

haupt/ aug/naß/ ohr/hals/ hand/bauch/ hertz/ knei/ beyn/ füß/ fingr/ muta em cũ liquida syllabã nõ facit,& de uerbis, Jß/trinck/geh/stehe/lauff/ schlaff/ ac alia infinita. Immò & propria, & composita plurium syllabarum, quoad fieri potest, ad unam syllabam gentiliter reducunt Germani. Iohannes tetrasyllabum ad unam ducunt Hans. Fridericus, Fritz. Conradus, Cunz. Heinricus Heinz. Sed nescio quo pacto ex historia digressus ad Grãmaticam repsi. Parce lector, admonere uolui, ut quod cuicp patriæ aut linguæ peculiare esset, suo nitori relinqueremus. Quæruntur eruditissimi pleraqp esse in Græcanica lingua, quæ nullam uenerẽ acceptare uelint in Romano eloquio. Multa sunt item apud Germanos, quæ uix latinè reddi possunt ut intelligãtur. Relinquamus igitur Germanis sua uocabula, & dicamus Chunradus & non Conradus, Fridericus & non Fœdericus. Sed de his satis: claudamus tetrastícho de more, nobilem hunc Fridericum Cæsarem:

Pacat Germanos Fridericus, pacis abundans,
Bellis feruentem pacat & Italiam.
Dum cruce signatus Christi quò terreat hostes,
Armeniam penetrat, flumine mersus obit.

HENRICVS SEXTVS.

HENRICVS Sextus, qui id nomen inter Imperatores obtinuit, filius fuit Friderici Primi Imperatoris ac Beatricis comitissæ Burgundiæ patre uiuente Romanorum rex designatus, ac cõsensu Germanię principum Aquisgrani corona insignitus. Princeps facundus & prudens, statura mediocri, facie decora et macilẽta, corpore tenui, sed animo imperterrito, et hostibus formidãdo. Venationi & aucupio, quibus se plurimũ oblectabat, admodum intentus. Cùm defuncto patre imperium sumeret moderandũ, príncipio Colonienses & quidã Burgũdiæ comites huic resistebant. Sed episcopo Leodiensi interfecto, mox rebellio quieuit. Colonienses qp gratiam non absque tamen satisfactione inierunt. Sequenti anno ut maiorum uestigijs innixus imperiale assequeretur diadema, rebus Germaniæ compositis, Italiam ingreditur. Scribunt aliqui, eum à Celestino III Pont. Max. uocatum, quod ea ratione factum iudico. Quum enim Guilielmus Rex Siciliæ priori esset anno Panormi defunctus sine legitimo hærede, regnumqp ob id Siciliæ ad ecclesiam deuolutum putarent, magnates adulterinum sibi regem constituunt Tancretum, Rogerio regi Nortmanno ex concubina genitum: uirum socordem, quem Guilielmus, dum uiueret, nec fratrem spuriũ appellare, nec ullo dignari honore uoluit. Indignatus igitur nothum regno Siciliæ potiri, Cæsarem Henricum Ro-
240 mam uocat, & ut regnum Siciliæ citra ultraqp Pharum arripiat, seruato sibi censu, cum terris quibusdam ecclesiastici iuris, adhortatur. Et ut iure id assequi posset, offert illi uxorem Constantiam Guilielmi Siciliæ regis filiam, ad quam iure hæreditario regnum hoc spectare uidebatur. Hæc uirgo tum monialis erat sacris addicta, Panormi in monasterio S. Claræ degens: ne, ut quidam Ioachimus uates præcinuit, prolem ferret, quæ Siciliæ regnum desolaret. Dispensatione itaqp Apostolica è monasterio liberatur, & matrimonio Hẽrico postridie coronationis suæ XV Aprilis, quę erat altera paschæ, copulatur uxor. Ipse Imperator & Augustus acclamatur, diademate & benedictione imperiali insignitur. Erat tũ Tusculũ Romanis aduersũm, qui grauissima damna sæpè à Tusculanis perpessi fuerant. Hi audientes Cęsaris aduentum, auxilium eius contra Romanos postulantes sese dediderũt. Sed Imperator accepto diademate, Celestino Tusculũ reddidit, qui Romanis illud inconsultè tradidit: à quibus ciues crudeliter trucidati & mactati sunt: ñ pedibus, illi manibus mutilati: tum oppido etiam

do etiam diruto ac solo æquato, ut uestigia uix appareant. Saxa ad memoriam conseruandam destructæ urbis, in cliuo Capitolino posuerunt. Pro qua re Imperator à plerisq; est grauiter accusatus. Sed id prius Pontifici quàm coronã susciperet, promittere coactus est, & ut fidem solueret Pontifici, egit. Tum Imperator cum uxore Constantia ac ingẽti exercitu Apuliam ingressus, Neapolim munitissimam urbem obsedit: quam tribus mensibus frustrà obsidione cinxit, pestilentia in exercitum grassante. Re itaq; infecta, Alemanniam petijt, relictis quibusdam ducibus, qui hostes expugnarent. Sed cùm in Germaniam duceretur uxor Imperatoris Constantia, apud Cumas à latronibus inhonestè est tractata, & à Salernitanis capta. Pro qua re tandem puniti sunt, & debitas luerunt pœnas. Nam sub id tempus Richardus Angliæ rex ex Hierosolyma soluens, quòd accepisset Francorum regem Normanniam uexare, & Iohãnem fratrem ad regnum Angliæ aspirare, in itinere à Duce Austriæ captus ac multo auro redemptus: quo (ut aliqui tradunt) noua ciuitas est muro munita. Ego Viennam Austriæ muro cinctam credo. Nam statuæ quædam lapideæ in exteriore muro locatæ hodie cernuntur, quæ Regem captum & Ducem repræsentant. Vidi insuper elogia uetera illic scripta, quæ iactura temporis interciderunt, nimirum hæc testantia, in ripa Danubij haud longè à turri quæ uulgò Rubea dicitur. Reperi Annales uetustissimos, quibus scriptum erat regem Angliæ à Duce Austriæ Leopoldo & Hadmaro II, domino de Chuenring captum in uilla Erpuerch, prope Viennam Austriæ: qui custodiæ traditus est & seruatus in arce Tyrenstein, quoad est redemptus: Anno salutis M. CC XII. quod inciderit in priores annos Friderici II, qui connumerantur annis Ottonis, adeò ut sit in paucis annis differentia. Cæterùm hic Rex Angliæ traditus est tandem imperatori, qui eum, quòd turpi conditione in Hierosolyma pacem cum Saladino Turca fecisset, centum milibus marcarum auri punijt. Quibus nouas copias instruxit, et illis Apuliam debellauit. Salernum armata manu expugnauit, Calabriam deuicit, omnem Siciliam subegit: & paruo negocio Neapoli capta, citra & ultra Phaorum regnum accepit: eorum fidei & subiectioni non confisus, potentiores regni obsides accepit: Archiepiscopũ Salernitanum cum duobus Germanis fratribus, qui insignes habebantur Comites, & Margaritum quendam Archipiratam ac alios regni proceres. Haud multo pòst cùm in Sicilia quidam rebellassent, grauibus supplicijs mulctauit, quibusdam occisis, quibusdam uerò luminibus priuatis, quibusdam excoriatis, nonnullis stipite affixis terræ: aliquibus qui regium aspirabant nomen, igneis coronis redimitis. Ac ne deinceps (ut est infidum genus hominum in exteros) Siculi denuò iugum excuterẽt, multa in regno præsidia locauit. Marquardum suum dapiferum Ducem Rauennæ creauit, ac Marchiam Anconæ concessit. Theobaldo Apuliam tradidit. Fratri autem Philippo Ethruriam cum terris Mathildæ regendam dedit. Et cùm Irenen Imperatoris Græcorum filiam in palatio Panormitano filio Tancredi desponsatam reperisset, Philippo fratri uxorem dedit. Tradunt illic ingentem Northmãnorum thesaurum quoq; repertum, quem in Germaniam transmisit. Cùm autem Celestinus Pontifex Imperatorem hortaretur, ut Hierosolymam proficisceretur contra Saracenos ac Turcos debellandos, ac terram sanctam recuperandam, neque id impetrare posset, Imperator cum ingentibus copijs destinauit illuc Principes Chunradum Moguntinum Archiepiscopum, Chunradum Herbipolẽsem, suum Cancellarium, Henricum Ducem Saxoniæ, Luipoldum Ducem Austriæ, N. Ducem Brabantiæ, Hermannum Landgrauium Thuringiæ, Episcopos Patauiensem, Ratisponensem, & Halberstatensem, cum multis comitibus ac Baronibus. Qui per Hungariam ac Thraciam in Asiam transiêre, & Ptolomaidam peruenerunt, iusseruntq; inducias cum Saracenis in eam diem seruatas rumpi. Berytum à Turcis derelictum Christiani impleuerunt munieruntq;, Ioppen perdiderunt, & Berytum deser-

tum Turcis reddíderunt. Poſt paucos menſes morte Imperatoris audíta, cum ignominia reuerſi ſunt. Henricus enim imperator interim conſenſit, ut frater Conradus Sueuorum Dux, cum Bertholdo Zaringię Duce bellum moueret. Sed quum mortem obíſſet, in adulterio, ut ferunt, deprehenſus, homo alioquin libidini deditus, fratri Philippo Sueuiæ Ducatum contulit: qui Italia relicta cum uxore Germaniam adíit. Ferunt tum Ottacaro Boëmorum Regi regium diadema impoſuiſſe. Cùm autem in Auguſta multi Germaniæ Principes conueníſſent, per amícos egit, ut penè omnes Fridericum filium quadrimum ac penè in cunis uagientem Regem aſſumerent, idq; literis & iuramento firmarent. Cum uxore deínceps & filio Sicíliam ingreſſus, quum uenationi indulgeret, ac in menſe Auguſto in quodam nemore (ubi erāt frigidiſſimi fontes) calorem lenire, cùm maximè æſtuaret, uellet, in terram noctu ſtratus, ex frigore cœpit infirmari. Iuſſit igitur ſe Meſſanam transferri, ubi grauiter ægrotare cœpit diarrhoea correptus cum ſumma cordis contritione, ut Chriſtianum decet Príncipem. Obíit anno imperij octauo, ſuperſtite hærede unico Friderico filio: quem Philippo fratri cum Sicíliæ regni adminiſtratione, ac inſignibus imperialibus commendauit. Sunt qui Innocentio III, Pont. max. ſucceſſori Celeſtini, uxorem & filium commendaſſe ſcribunt. Arbitrati ſunt præterea nonnulli eum ueneno ab uxore exhibito ſublatum, quòd nepotes ac propinquos, nobiliores q; obſides ſibi datos & magnam proſapiæ partem cruciatibus torſiſſet. Sed familiares qui in cubículo ſeruierunt quàm fideliſſimè id pernegant. Eſt autem Panormi honorificentiſſimè ſepultus: Anno uirginei partus nonageſimo octauo ſupra milleſimum centeſimū cùm regnare cœpiſſet M. C X C I.

Habuit autem uxorem Conſtantiam, Guilielmi Secūdi Regis Sicíliæ & Apuliæ filiam. Quæ, ut paulo antè meminimus, ne filium progigneret regni deſtructorem, ut in fatis eſſe quídam ariolabantur, in monaſterium diuæ Claræ erat intruſa Panormi: ſed à Celeſtino Pontifice ſoluta, Henrico imperatori penè anus deſpondetur. Quæ præter omnium opinionem cùm eſſet annoſa, concepit. Et quum pariendi tempus aduentaret, ob ſuſpicionem amouendam, palàm in tentoríjs in pratis Panormi multis utríuſq; ſexus aſtantibus, decrepita parturit infantem, cui poſt Fridericus II, nomen fuit. Quanquam aliqui ſcribāt Rogerium Fridericum appellatum, ut duplici nomine maternum paternumq; auum, unde progenitus erat, teſtaretur. Peperit dehinc etiam filiam Mariā, quę Conrado Duci Boëmiæ ac Marchioni Morauiæ nupſit. Hæc ex diuerſis annalibus excerpſimus, & hoc tetraſticho claudimus:

Imperio adiecit Siculos Henricus utroſq;
Sextus, Sueuorum candida progenies.
Dum monacham ſacris uxorem ducit ab aris
Pontificis iuſſu, quæ cito gignit anus.

PHILIPPVS CAESAR.

PHILIPPVS Sueuiæ & Etruriæ Dux, filius fuit Friderici Primi imperatoris & Beatricis. Princeps manſuetus, mitis, facūdus, & ſatis liberalis: corpore imbecillo, decora facie & uirili, capillo flauo: ſtatura mediocri, non craſſa. Et ob id ſatis ſtrenuus, ſi habuiſſet quibus fidere potuiſſet. Cùm ad fratrem Henricum in Sicíliam (neſcio ob quam in Germania diſſenſionem) properaret, ad montem Flaſconis haud longè à Viterbio ueniens, fratris morte audíta, in Alemanniam feſtinat, quòd orta ſeditione illic Germani malè tractabātur, & cum periculo iter mutare uidebatur, ac laborioſè redire. Tum etiā ne Príncipes hæreditatem ſibi & fratrueli auferrent, immēmores præſtiti iuramenti.

menti. Festinabundus itaq; Rhenum transiens, ad castrum Hagenouiam peruenit. Vbi à plerisq; Principibus salutatus, multorum sibi fauorem conciliat: & Argentinensis præsul Chunradus auxilium pro assequendo imperio pollicetur. Habuit enim secum imperialia insignia Philippus, ob quæ ne fratruelis suus in sua periclitaretur hæreditate, licet paruulus existeret, haud facilè è manibus imperium dilabi permisit. Sed multi illi erant aduersi. Pars enim electorum Ottonem Ducem Saxoniæ elegit, pars Philippum ab Henrico per regalia institutum, conseruandum censuit. Rex Franciæ Philippo fauebat, Ottoni Rex Angliæ. Innocentius autem III Pont. max. Philippo contrarius, omnibus uiribus conabatur illi imperium eripere: multa confingens & in fratrem Henricum, & Fridericum patrẽ, Imperatores defunctos. Ad hæc Principibus clàm literas inuectiuas, mendacijs plenas, quibus infestum cunctis redderet Philippum, misit, calumniatus eum diris execratum à Celestino. Et ut pium Principem cunctis redderet inuisum, Sutrinum Episcopum legatum destinauit, qui obsides ex Apulia, quondam Henrico fratri datos repeteret. Quos Philippus sine mora, ne ullam inobedientiæ occasionem præberet, reddidit. Simul etiam ab Antistite Sutrino, si quam incurrisset inscius excommunicationem, absolutionem submissè rogauit: quam & liberè concessit. Pontifex autem hunc ob id exilio damnauit, & obsides Romanis exoculatos ostentabat, ut omniũ odium in Philippum moueret: sanctè deierans, sese pontificiam potius amissurum dignitatem, quàm Philippo regium diadema permissurum. Pius profecto & sanctus Pontifex, qui omni odio caruit, & Christiana charitate filios suos dilexit. Christianum & Euangelicum subditis præbens exemplum, ut discamus nos mutuò exemplo Christi, qui uerus amor est, amare. Sed quò magis æstuabat rancore & ira in pium Principem, eò magis se submissius gerebat Philippus, obedientissimum in singulis sese ostẽtans: plurimorumq; & Principum & magnatum fauorem omnibus uiribus acquirere conatus. Ducem Saxoniæ Bernardum, Marchionem Misnę, & alios plerosq; Principes sibi conciliauit. Insuper Archiepiscopos Magdeburgẽsem & Bremensem in sui fauorem attraxit. Non potuit tamen efficere, quin suggestione Pontificis Innocẽtis, qui nomen à contrario habuit, eò discordia Principum procederet, ut in Colonienſi Principum conuentu (nam in Andernaco electio per suos oratores fuit impedita, ubi etiam congregati fuerant Principes pro Rege creando) primum Ducem Bertholdum de Zaringen Regem designarent, uirum & pecuniosum, & auarum, & sceleratum. Qui tamen paulo post in gratiam Philippi est receptus, abdicata regali dignitate, cum de impensis diffideret, datis etiam obsidibus. Philippus itaque insolentiam quorundam animaduertens, conuocatis Germaniæ Principibus, in oppido Mylhausen à Sueuis, Saxonibus, Bauaris, Boëmis, & Principibus quàm pluribus Rheni in Regem Rom. eligitur. Vnde tantæ sunt ortæ discordiæ, ut plericq; religiosi Principes (qui Philippo coràm adulabantur) in eius famam ignominiosè machinarentur: ut Colonienſis & Argentinensis Episcopi. A quibus per oratores est Otto Dux, uir audax & temerarius accersitus, & quod Richardus Rex Angliæ auunculus eius esset, potens ideo & bellicosus creditus, Rex Romanorum electus, & ab Adulpho Colonienſi Archipræsule (licet Philippus prior sedem regni Aquisgranum occupasset) cum suis Principibus in sedem regni locatus, ac corona insignitus: Colonienſibus magnum auxilium cum alijs Ottoni præbentibus. Quid faceret clementissimus Princeps Philippus? Accepto prudentissimo suorum consilio (nam officiales imperij & curia ingens imperialis stabat cum Philippo) hostium uires paulatim atterere bellis, & qui sibi uiciniores essent subiugare decreuit. Ingenti itaq; exercitu initio Alsatiam populatur, urbes et oppida subuertit funditus: Argentinæ suburbia incendijs deformat & euastat, agrosq; ciuium crudeliter depopulatur. Qui sese mox Philippo dedunt, ac suum Antistitem cogunt, ut

cum Rege gratiam ineat, eiq́ue urbem aperiunt. Dehinc urbes Rheni aggreditur, ubi bella æstuabant. Otto enim Spiram usq; peruenit cum exercitu, sed turpiter regredi coactus, circa Mosellam est fusus cum exercitu ac fugatus. Postea aggressus Herimannum Thoringiæ Landgrauium (rectè is Comes palatij uocaret) qui cùm nuper ex Syria redijsset & Philippo adhæreret, ilico mente mutata, cœpit illi aduersari, quòd filius amitæ suæ esset. Sperans ius imperij ad se quandoq; posse deuolui. Et cùm crebro (ut erat dolosus) mansuetũ Principem decepisset, Thoringiam cœpit oppugnare, magna parte terræ euastata. Auxilium itaq; regis Boëmiæ Odoacris supplex petijt. Qui cùm illi suppetias ferret, Philippus, priusquam Boëmi unirentur exercitui, illis obuiam prodijt suis copijs. A quibus Boëmi territi, in fugam sunt uersi. Hermannus se uiribus aduertens destitutum, pedibus Philippi prouolutus, ueniam meruit, ac deinde Regi seruauit. Hostibus illis fœliciter attritis biennio, Colonienses aggreditur maximo exercitu: agrisq; populatis & ferro destructis, Coloniam obsidione cingit undiq;, omnemq; eis commeatum, tam in terra quàm aqua intercipit, naues submergit, currus destruit ac capit, suburbia incendit, fameq; ac inedia ad deditionem cõpellit. Sunt tandem urbes, oppida & munitiones Rheni, partim armis, partim promissionibus in gratiam Regis receptæ. Nussia capta, Adulphus Episcopus Colonienſis tandem gratiam Principis adeptus, Aquisgrani regem coronauit Philippum. Qui ob hanc causam à Pontifice fuit depositus, Brunone substituto, qui Bunnæ præpositus fuerat: Tantũ erat Pontificis in hunc Cæsarem odium. Qui non contentus hac iniuria, aliam quoq; in Philippum superadiecit. Cunradus enim Moguntinus Archiepiscopus ex Syria reuersus, Philippo quoq; ob Pontificem Innocẽtium, quem sciebat illi contrarium, non fauit. Et cùm breui decessisset, Leopoldus quoq; Vuormatiensis Episcopus in defuncti locum electus esset à maiore eligentium numero, quòd Philippo adhæreret, à Pontifice est improbatus. Et cùm tres alij unũ ex se creassent Seufridum, quòd hic Philippum persequeretur, à summo & sancto Pontifice probatur hæc sancta electio, ut de electione & electi potestate lib. i. Decret. patet c. Bonæ memoriæ Moguntinensi Archiepiscopo. Quæ omnia Pontifex ex charitate diuina in benignissimum Principem patrauit. Licet neque Bruno Colonienſis, neq; Seufridus Moguntinus Archiepiscopi à Papa creati & approbati, uiuente Philippo administrationem assequuti sint. Cùm itaq; cæteri principes diuturnis fatigati dissidijs, ac bellis assiduis attriti, iam languerẽt, nec Philippo multum aduersarentur, solus restabat pontifex placãdus. Quem mira etiam arte deuicit Cæsar, ut tandem odium graue deponeret, desponsare enim promisit Philippus per oratores suos filiam suam filio fratris sui Richardi Comitis Tusciæ & Marchiæ Anconitanæ. E quibus quidem nuptijs Innocentius religiosus pontifex, lucro rem metiens, sperabat Tusciam, Spoletum & Marchiam Anconitanam in potestatem nepotis sui uenturas. In cõcordiam cum Philippo descendit: missis duobus Cardinalibus legatis, qui Othonem etiam Philippo conciliarent. Quæ quidem conciliatio facta est pariter cum filia Beatrice Philippi, quæ Ottoni desponsata est, addita Apostolica dispensatione ob consanguinitatem. Sic res est composita, & omne bellum sedatum, præterquam in Saxonia, ubi adhuc quidam rebelles pauci erant castigandi. Contra quos cùm exercitum educeret, uenit Babenbergam. Illic paululum genio indulgens, animum relaxare studuit, ac cum familiaribus pro tuenda sanitate uenas quasdam aperire. Cùm itaq; cum paucis in cubiculo degeret ocio intentus, proh execrandum facinus Otho Palatinus de Vuitilspach, sceleratus ac nephandus homicida, ueluti amicus Cæsaris cubiculũ ingreditur, nemine id prohibente. Et uibrato gladio in caput regis, uena secatur capitis letali uulnere. Ac dum Rex uerba facere illi incipit, moribundus labitur. Henricus autem dapifer de Vualpurg dum exclamat, & hostium cubiculi claudere nititur, in maxillam,

xillam graue uulnus, ſed non letale accipit. Parricida ad Eggibertum epiſcopū & Marchionem fratrem, conſcios forte execrandi ſceleris currit: A quibus eſt tutatus. Sed & illi rei cōputati ſunt, cum nephandiſſimo homicida. Qui tamen nō diu de tanto ſcelere lætatus paruo interuallo interiecto, ab Henrico de Caladin Mareſcalco, haud longe à Ratisbona in uindictam Domini ſui eſt crudeliter iugulatus. Ne autem te lateat lector, quur tantum flagitium in tam benignum Principem facinoroſus iſte Palatinus patrarit, ſcias illi olim fuiſſe filiam deſponſatam à Philippo. Sed cùm Otho familiarem quendam ducis Bauariæ, citra omnē cauſam occidiſſet turpiter, coram Principibus homicidij reus, perfidia eſt notatus. Ob quam rem Cæſar homini perfido filiam dare deinceps recuſauit. Hac re furore percitus, homicidium homicidio auxit, & ſic pium Regem ſuſtulit: qui x kal. Iulij eſt occiſus, Anno ſalutiferi partus M.CCVIII. Imperij ſui nono. Primùm Babenbergæ ſepultus: Sed demum à Friderico II Imperatore ſuo fratruele Spiram translatus, cum ſuis progenitoribus humatus eſt, Epiſcopo Henrico approbante.

Habuit autem uxorem Irenen, quam quidam Erinam corruptè, alij Mariam corruptius uocant, Alexij imperatoris Conſtantinopolitani ſororē, quam ſibi frater Henricus matrimonio copularat, repertā in palatio Panormitano Tancredi filio deſponſatam, ut paulo antè ſcripſimus. Ex qua nullū filium, ſed quatuor ſuſcepit filias. Kunegundim ſcilicet, quam Venceslao Regi Boëmiæ deſponſauit. Alteram Ethiſam, quam filio Ducis Brabantiæ primùm dedit: ſed cùm eam repudiaret, Regi Hiſpaniæ data eſt uxor. Tertiam filio Richardi Comitis Tuſciæ, fratris Innocentij Papæ: ob quam reconciliatio facta eſt. Quartā Beatricem uxorem dedit Othoni imperatori ſucceſſori, dum componerētur: nullam tamen ſortitus eſt ex ea prolem. Vxor autem Philippi audita ſæuiſſima mariti nece, præ dolore exanimata cecidit, atq; aborſum fecit in arce quadam, quo deducta erat: breuiq; diem ultimum clauſit, in monaſterio Loricenſi honeſtiſſimè ſepulta. Hæc ex Vrſpergēſi Abbate, & alijs annalibus excerpſimus. Nunc tetraſtichon ſubiungamus:

Naſcitur Imperij primum Duce ſchiſma Philippo,
Qui Regem ſe armis reddit & ingenio.
Iram Pontificis, mulcet conſorte nepotis,
Dum ſecuit uenas, concidit enſe miſer.

OTHO QVARTVS.

OTHO IIII, uel ſi Primum numeres, V inter Imperatores, filius erat primogenitus Henrici iunioris Superbi, Leo cognominati, Ducis Bauariæ & Saxoniæ, ex familia Vuelphonum, & Mechtildis ſecundæ cōiugis, ſororis Richardi regis Angliæ, qui Cor leonis dictus eſt uulgò. Et ante hanc Mechtildim Clementiam prius habuit uxorem, quam repudiare ob cōſanguinitatem eſt coactus. Nobiliſſima itaque ſtirpe progenitus, paternum genus in Saxoniam & Sueuiam, maternum in Angliam referebat. Temerarius et imprudens princeps, ſtatura procerus, atq; ob id ſuperbus & audax. Viribus Richardi auunculi plurimum confiſus, omnes præ ſe cōtempſit, paruoq; idcirco tempore in imperio durauit. Cùm enim eſſet ſuggeſtione Pontificis Innocentij tertij aduerſus Philippum excitus, & à Principibus ex Anglia euocatus Francofordiam, conſenſum principum obtinuit, ut in Regem Romanorum eligeretur, Colonienſi & Argentinenſi Epiſcopis annitentibus. Spirenſis autem antiſtes, habens in ſua poteſtate coronam, crucem & lanceam, inſignia regalia, tanquam Imperialis aulæ Cancellarius, penitus reddere recuſauit, niſi in officio confirmaretur. Ob id perdurauit in eo quoad uiueret: & à Colonienſi epi-

scopo est corona Aquisgrani insignitus. Dehinc Rheno peragrato, Sueuiã ingressus, prædonibus terrorem inculsit: cum religiosis multa simulauit, principibus & Baronibus inhonestissima quęq; obiecit, Augustę multa superbè in eos criminatus. Quibus sibi popularem conciliauit fauorem, & à religiosis tanquã iusticiæ administrator est laudatus, quum esset superbissimus dominator. Occupatis autem multis Alemãniæ oppidis, coẽgit insignem exercitum, quo Romam perrexit coronandus. Et pridie kal. Octob. diadema imperiale accepit in basilica S. Petri, relicto exercitu ante urbẽ, ne tumultus in urbe oriretur: quanquam ne sic quidem obmittebatur: cum quidam qui spectandæ urbis gratia (inter quos & Augustensis fuerat præsul) à ciuibus Rom. derisi, pòst uulnerati, demum interempti essent. Vnde haud parua seditio exorta est. Inde relicto exercitu, cum paucis in Italia mansit, depositis imperialibus insignibus Mediolani, ut ciuium sibi fauorem cõquireret. Inde hostili manu Tusciam, Marchiam Anconitanam, totamq; Romandiolam, patrimonium S. Petri (ut aiunt) contra datam fidem inuasit. Iuramentum insuper quod summo Pont. de reformanda pace cum Philippo rege Franciæ, & Friderico rege Siciliæ præstitit, ne ecclesia perturbaretur, prorsus cõtempsit. Cùm Apuliam & Capuæ principatũ, cum palatia hostiliter inuaderet, urbesq; multas Siciliæ in suam redigeret potestatem, eriperetq; Friderico II, nihil tãtis de motibus suspicante, à Pontifice est admonitus adhortatusq;, ut regna ecclesiæ feudataria capta redderet. Quæ usqueadeò spreuit, ut peiora indies molitus, undiq; terras latrocinijs infestaret. Ob id anathemate percussus, Imperio deturbatur: Principesq; sacramenti religione, qua illi obligabantur, absoluuntur. Quinimò sub anathematis interminatione Põtifex prohibet, ne quis eum Imperatorem aut habeat aut nominet. Quamobrem Alemanniæ principes paulatim ab eius imperio ac obedientia se subtrahunt, facti certiores de eius priuatione. Moxq; Philippus Francorum Rex, imperij electoribus, Moguntino, Colonienſi, ac Treuerensi, Regiq; Boëmiæ, ac alijs principibus suadet, Fridericum Siciliæ regem, uigesimum tum annum agentem (cui etiam in cunis fidem dederãt, futurum eum Imperatorem) fore eligendum in Romanorũ regem. Omnibus enim uiribus Philippus Francorum rex Othonem potẽtatu deijci conabatur strenuè, quòd pacem cum eo assumere nullis rationibus persuaderi poterat. Otho enim auunculũ suum Angliæ regem (erat enim Iohannis regis ex sorore nepos) ulcisci conatus, quod Nortmanniam prouinciam ei eripuisset, omnem (ut fertur prouerbio) mouit lapidem. Sed cæsus est à Philippo, ac turpiter fusus ac fugatus, ut Vincentius Gallus latissimè trigesimoprimo historiarum scribit, amissis duobus milibus militum, & captis duobus comitibus, Flandriæ & Poloniæ. Missi sunt itaq; insignes Oratores, qui Fridericum uix multis precibus ad Imperium sumendum induxerunt. Nam & uxor & proceres insigniores Regni Siciliæ, uehementer dissuadebant, ne Germaniam ingrederetur. Sed Fridericus relictis domi uxore & filio paruulo Henrico, primùm Romam uenit, acceptoq; Pontificis consilio, per Papiam Tridentinam penetrat uallem. Delatus in Rhetiam Curiensem Constantiam adijt. Interea Otho cùm frustra Lantgrauium Thoringiæ, tanquam sibi rebellem bello persequeretur, audito Friderici aduentu, illi occurrere, ut eum deprehenderet, ac interficeret, statuit. Sed Fridericus auxilio procerum Basileam peruenit, & dehinc ab episcopo Argentinensi quingentis militibus bellicosis securè ad oppida Rheni est perductus. Otho eregione Rheni ad Brisacum uenit, ut illi iter interciperet. Sed cùm sui uxores ciuium & filias constuprarent, orto tumultu, & ipse & sui oppido est deturbatus, amissis plurimis nobilibus. Turpiter igitur coactus deserere iter incœptum, in Saxoniam abijt inglorius. Mœroreq; confectus, dysenteria corripitur. Absolutus ab excommunicatione moritur, regalia relinquens Henrico Rheni Palatino, Friderico assignanda. Nam Fridericus interim Aquisgrani Rex fuit nominatus

tus & unctus, Anno Christi Millesimo, ducentesimo decimonono coronatus, quum Otho anno priori decimooctauo moreretur: Imperij quarto, sepultus in Braunsuuig.

Habuit autem duas uxores, primam Mariam filiam Ducis Brabãtiæ, quam repudiauit ob consanguinitatem. Alteram, Beatricem filiam Philippi Cæsaris: quam ideo accepit, ut hæreditario quasi iure Imperium possideret quæ etiam sine liberis decessit. Sic ob superbiam Otho imperio simul & omni posteritate priuatur. Hæc ex Abbate Vrspergensi & alijs. Nunc tetrastichon subijciemus:

Expulit è regno funesta superbia Othonem,
Qui proceres claros spreuerat atq; pares.
Pontificiq; datam seruare fidem furibundus
Respuit, emeritam pertulit ergo fugam.

Redibo nunc iterum ad Græcos Imperatores, & uno contextu, qui ex Gallico sanguine fuerant, ordine recensebo. Quos sexaginta ferè annos regnasse, postquam Byzantium captum est, traditur. Nam post Alexium Iuniorẽ à Murzypho turpiter occisum, & gutture manu propria elisum, res ad Frãcos translata est. Cùm enim Murzyphus tumultu sedato, copias quas ex urbe contrahere potuit, in Francos (qui castra propè habebant) eduxisset, repulsus magna ui, urbs est oppugnata sexagintaocto diebus, & tandem capta: cùm nauium cauæ altiores muris è propugnaculis, ciues deturbarent, tyranno cum liberis fugato. Primusq; è sanguine Francorum eligitur Balduinus. Quo ordine id sit factum, iamiam explicabo.

BALDVINVS FLANDRENSIS COMES.

BALDVINVS Flandrensis Comes, qui cum alijs Principibus uenerat in Asiam, concordi xv uirorum consensu, Imperator Constantinopolitanus eligitur. Anno redemptionis humanę secundo supra millesimum ducentesimum. Conuenerant enim Franciæ proceres cum Venetis, ut Flandrensis exercitus & diui Pauli Comitis, quinos darent uiros, totidem Marchionis Montisferratensis & Allobrogum Ducis exercitus. Veneti quoq; quinos, quibus Imperatoris & Patriarchæ Constantinopolitani eligendi potestas plenè concessa esset. Hac conditione, ut si Imperator ex Francis crearetur, Veneti darẽt Antistitem, ne penes unam gentem utræq; essent dignitates. Balduinus itaq; ex Francis summa concordia Imperator, & Thomas Maurocenus ex Venetis Antistes urbis designantur. Qui statim ad Romanum Pontificem profectus Innocentium III, pro confirmatione obtinenda (nam Constantinopolitana tum ecclesia Romano Pontifici subijciebatur) eum dignitatis suæ autorem fecit. Moxq; reuersus celeberrimo gentium cõuentu, Balduinum imperij corona insigniuit & inunxit: allatis Imperatorijs insignibus ac ornamentis, quibus autoritate apostolica coronabatur. Cessit itaq; armis Francicis Venetisq;, quicquid olim sub Isacij Imperio fuerat. Egressi enim proceres ad dominia occupanda, intra annum omnia recepêre, Adrianopoli excepta. In quam plures Græci odio Latini nominis sese receperant, quam solam Imperator nõ possedit. Nam Theodorus Lascaris Alexij profugi et adulterini Imperatoris, qui cognomẽto Angelus fratricida dictus est à nobis superius, gener dotis nomine, Imperij titulos à socero accepit. Huic ex uxore mascula proles nulla, fœmina tantum Irene filia fuit, quam Iohanni Diplobatazio in matrimonium iunxit, Imperiumq; per manus tradidit. Hic itaque Theodorus copiarum ductor, se illis Imperatorem gesserat: ratus aptissimam inuadendi imperij occasionem

inde sibi accessuram. Sed Bonifacius Monteferratensis, & Henricus Imperatoris frater, congregatis militibus, relicto Imperatore Byzantij, Adrianopolim obsidione cingunt, essetq; oppidum expugnatum: at morte Balduini imperatoris (qui uix circumacto uno imperij anno obijt) audita, soluta obsidione ad urbem pro nouo eligendo Imperatore festinant, ne nouus suboriat tumultus, & intestinum dissidium. Facta enim prius erat partitio, nequid huiusmodi oriretur mali. Quarta pars captorum oppidorum Venetis assignata erat, quæ insulas continebat Aegæi maris, Cretã, Euboeam, & alias minores. Sed Cretam insulam Bonifacius Marchio dono Alexij tenebat. Hunc Balduinus Thessaliæ regem declarauit, ut Venetis Cretam precio redimendã daret hortatus, quòd & factum est. Recepit Thomas Maurocenus Patriarcha Constantinopolitanus, dum Romam rediret, cum quatuor triremibus Venetorum Ragusium urbem, quæ à Venetis desciuerat: & Dyrachium à Græcis imperatoribus desertum, instaurauit muniuitq;. Tradunt aliqui in Adrianopolitana obsidione Imperatorem, qui Byzantij relictus erat, raptum & abductum ab hostibus, in insulas præcipitatum, in uinculis expirasse. Eoque defuncto, Græciam annos septem Imperatore caruisse. Alij ferunt in defuncti locum continuò Henricum fratrem imperatorem substitutum, de quo nunc loquemur.

HENRICVS FLANDRENSIS.

HENRICVS Flandrensis Comes, frater Balduini imperatoris, summa concordia successor in Imperio fratri declarat. Fiuntq; ab uniuerso populo acclamationes, accepto diademate atque inunctione. Is cum Bonifacio Marchione inchoatã Adrianopoli obsidionem continuauit, continuaturus donec hostes se dederent. Nam tum ex Lascari familia Imperator titulotenus regnabat. Sed à Græcis in auxilium cum magnis copijs accersiti & sollicitati Vualachi, gens olim Romana ultra Danubij ripam sita, Bulgaris citerioribusq; uicina aduenêre Adrianopolim cum Bulgaris, eam urbem conseruaturi, ne in potestatem Latinorũ ueniat. Sed quum per ea tempora Soldanus Iconij Saracenus ad Sateliam delatus, Græcam Europæ urbem, ex qua Christiani sæpè in Asiam traiecerant, eam ui captam diripuisset, spoliasset q;, trucidatis omnibus in ea incolis, Henricus cum Vualachis pace firmata, & ducis eorum filia in uxorem ducta, obsidionem soluere operęprecium ratus, Constantinopolim urbem munire decreuit. Admotoq; exercitu in urbem, eaq; undique bene munita, in Thessaliam est profectus: ac Gulielmũ filium Bonifacij regẽ Thessaliæ declarat. Fuit Imperator hic Christianæ pietatis obseruantissimus. Vnde cũ summo Pontifici (qui tum curabat pleraq; urbes ex infidelium manibus eripere) sese adiutorem præbuisset, accepit Byzantij legatum, ut Græcos omnes subigeret, ad Romanæ ecclesiæ ritum suscipiendum. Id cùm attentaret Imperator, ingens oritur seditio. Græcis incondita uoce clamantibus: officium esse Imperatoris tractare arma non curare sacra: satis superq; à se datum, quòd suam passi essent ecclesiam Romano ritui subiectam denunciari. Id sub Balduino factum plericq; tradũt, & nos superius annotauimus. Henricus itaq; relictis cum sua pertinacia Græcis, ad imperij constitutionem reuertitur: domi foris q; prudenter, quæ ad rerum suarum securitatem pertinent, ordinat atq; disponit. Veteres socios omni officio affectatur atq; colligit: nouos nouis beneficijs cõparat atq; emeretur, omnia imperij in maius aucturus, nisi intẽpestiua morte esset interceptus: moriens imperij anno undecimo. Iolantam filiam Petro Antisiodorensi nuptam reliquit hæredem, quum nulla masculaproles supereſſet.

Petrus

PETRVS ANTISIODORENSIS.

PETRVS Antisiodorensis Comes, Henrico Flandrense Imperatore defuncto, uxorio iure innixus, quum nulla mascula proles extaret, omnium consensu Imperator Constantinopolitanus eligit. Electusq; paulo post cum uxore Iole, quæ quibusdam Iolauta dicitur, Romam profectus, ab Honorio Pontifice (qui Ameryco ciue Romano genitus, Innocētio successit) ad diui Laurentij fanum extra muros imperij insignia accepit, qui utrunq; imperiali diademate decoros reddidit. Est tum Ioannes Cardinalis de Columna legatus declaratus, ad Asiæ res reformandas, cum copijs ab Innocentio excitatis. Cùm itaque Imperator post nonum coronationis diem, cum supremi ordinis antistite & uxore urbem relinqueret, Brundusium Venetis nauibus delatus, in Dalmatiam uenit: Iolen uxorem Constātinopolim, Cardinalem in Pannoniam præmisit, ad arma in Turcos comparanda. Ipse Dyrachiū petijt, quod Theodorus Lascaris (qui se Græcorum Imperatorem gerebat, suosq; progenitores in Emanuelem referebat) dolo captum, ueteri Græcorum iuri retinere annitebatur, & armis & litigij contentionibus. Quod Petrus Venetis promiserat sese recuperaturum, si à Constantinopoli Italiam delatus, eodem reduceretur, Theodorus autem Lascaris Epyrotas (nam Epyrum tum obtinebat) paulo antè urbem à Venetis muro instauratam, præsidio munierat. Eam itaq; expeditionem, ut uxorio liberatus impedimento, ac Cardinalis respectu commodius exequeretur, obsidio ac expugnatio inchoatur, sed frustra. Nā & urbs diu ante à Venetis muro erat munita (ut paulo antè scripsimus) & ex Epeiro copioso milite firmoq; præsidio defensata. Desperans igitur Imperator urbis expugnationem, Macedoniæ urbes mediterraneas inuisendi desiderio exardescit. Soluta obsidione, & accepta à Theodoro fidei publicę securitate, etiam literis corroborata, terra iter facere constituit. Ad nemorosa Thessaliæ loca (quæ tempe uocant) tetendit: quumq; ad saltus ascēdisset, in montium syluis, instructas à Theodoro Duce insidias incidit, & abductus, in teterrimū est conjectus carcerem, in uinculisq; biennio asseruatus. Tradunt dehinc Theodorū pacis assimulatum studium, ex hoste factum hospitem, Imperatorem uidelicet comiter inuitatum, medio conuiuio obtruncasse, contra ius hospitalitatis, fœdus prius ictum, ac literis cōfirmatum. Morte Imperatoris audita, Iacobus Tepulus Byzantij prætor, cum Theodoro Epeirota in quinq; annos, cum Turcis biennium fœdus percussit: cernēs Gallicas uires in Græcia semifractas. Fertur autem Iole prudenter imperium interim administrasse, donec Robertus filius ex Gallijs accerseretur Imperator.

ROBERTVS ANTISIODORENSIS.

ROBERTVS Comes Antisiodorensis, filius Petri imperatoris & Ioles, per Pannoniam & Mysiam Constantinopolim uenit ad paternæ captiuitatis nuncium, errabundus diuersis itineribus, siue aliunde post patris interitum accersitus, ac confestim Imperator salutatur. Is fertur Veneti nominis adeò studiosus extitisse, ut Ducem eorum Marinū Michaëlem Byzantij prætorem, Imperij collegam, nō sine honoris præfatione semper appellaret, quum Gallorū opes in Græcia remitterētur, & imperij pondus multum à Venetis iuuaretur. Ob id multa utilia simul egerunt, & in ea concordia libēter ac studiosè permanserunt. Sed perbreuè fuit illius Imperiū, par quoq; sors cū suis progenitoribus: quibus haud sanè diu fortuna arriserat. In maximum enim famæ & nominis periculum ex coniugio incidit, ac inuidiā unius ex purpuratis suis sensit, quum

quum sese alioqui optimè gereret. Virginem enim insignis formæ Græcã, nobili ortam progenie, ac diuitis matronę filiam, sibi despondit uxorẽ: haud ignarus prius eam uni purpuratorum proceri Burgundo, qui ordines in Latinorũ ductabat exercitu, à matre puellæ esse desponsatam. Prior itaq; sponsus contumeliæ impatiens, ira atq; furore accensus, impotens animi, amicos, clientes, domesticos commilitones, atq; suæ factionis homines coëgit: noctuq; facto impetu, in regiam irrupit, puellæ palatium effractis cubiculi foribus ingressus est: dehonestatamq; naribus puellam cecidit. Genitricem, quæ noui connubij autor erat ac conciliatrix, ui domo abstractam, in mare præcipitat. Nec est ausus Imperator ad iniuriam mutire quidẽ, Latinis omnibus iniusticiam eius & Burgundionis audaciam pari indignatione contumaciaq; damnãtibus. Quam ulturus iniuriam Robertus, dum Romam contendit pro impetrando diademate à Pontifice, cui id dedecus domesticamq; iniuriam conqueritur. Cùm uerò inde Byzãtium reuertitur in Achaia morbo decessit, Balduino filio admodum puero relicto: re interim Veneto prætori demandata. Quanquam sint qui scribant, dum illa contingerent, Robertum domi non fuisse. Alioqui ea minimè passus, uitæ periculum subijsset: licet peropportunè Imperatoris mors sit breui subsequuta, formidantibus cunctis, ne Burgundionis audaciam, neglectamq; à Latinis ultionem, una eademq; aliquando plecteret castigatio.

BALDVINVS CAESAR.

BALDVINVS secundus Roberti filius, ex alia, ut quibusdam placet, cõiuge, quàm quæ naribus truncis deformata erat. Licet ab alijs frater Roberti tradatur, quod mihi uerisimile non est, quòd puer admodum, inhabilis imperij habenas tractare uisus, tutore uidebatur egere. Exagonarum igitur Imperator ad mare Ponticum, Venetis curantibus, filiã obtulit uxorem: fore pollicitus, ut Romanæ imperium, terram omnem, insulasq;, Lascaris filio pulso, in generi ipsius sui redigeret potestatem. Latini uerò proceres, ueriti ne Balduinum imperatorem additæ soceri uires, in ulciscenda Roberti iniuria facerent audentiorem, ætatem adolescentis causati, imperij administrationi inhabilem, coniugioq; ineptum: præsertim quod à potentissimo inuictissimoq; socero offerretur. Rursus alij, & quorum sententia uicit, Ioannem Brennium Regem Hierosolymitanum socerum coadiutorem dare, qui imperium titulotenus gereret, consuluerunt. Est itaq; accersitus Ioãnes, ac suadente Gregorio Pontifice Constantinopolim delatus, eiusq; filia Martha Balduino est despon sata. Constitutumq; est post soceri mortem, imperium genero permittendũ. Ioãnes itaq; quàm primum imperium adijt, nihil putauit utilius, quàm illum in Gallias mittere, auxilia imploraturũ. Imperator Exagonarum ut uidit se contemptum, repulsam hanc ægerrimè tulit. Et quod sæpius antea rogatus abnegauerat, eandem filiam Theodori Lascaris senioris filio Ioanni despondet uxorẽ. Iuncti hinc affinitate Græci imperatores, pellendis Latinis non minus arma quàm animos iunxerunt, imperiumq; Orientis, & mari & terra pressum atque sollicitatum est. Quare & Imperator, & Veneti, & Latini multa perdidêre. Cæterùm aliquot interiectis annis, mortuo Iohãne Brennio Constãtinopolitano imperatore, Balduinus ex decreto imperium suscepit. Ob id Iohãnes Lascaris apud Adrianopolim imperator, cui per manus imperium Theodorus iunior tradiderat, & alter Ioannes Exagonarum imperator ad mare Ponticũ, Latinos Græcia pellere nitebantur atq; eijcere. Partim diuisis, partim cõiunctis copijs. Nam Adrianopolis, Smyrna, Satalia, maximæ urbes occupabantur ab eis: simul & Aegæũ pelagus cum Rhodo & adiacentibus insulis. Per quod tempus cùm rebellassent Raguſei, à Venetis in amicitiam & cõfœderationem recepti sunt.

sunt. Quanquam autem sæpius Veneti conceptam irritarent audaciam, nõ po terant tamen usquequaq; Latinorum debilitatem adeò iuuare, quin Constantinopolis multa bellorum acerbitate premeretur. Balduinus itaq; multo bello rum onere grauatus, cùm aliter pecuniam à mercatoribus consequi nequiret, plumbum ædibus publicis & basilicarum culminibus detractum uendidit: & filium Philippum insontem, ob accepti æris mutuum Venetis obsidem dedit, ut opem afferrent, quam solam poterant. Ad hæc adiecit preciosissima pignora, lanceam, qua saluator uulneratus, spõgiam qua potatus fuerat, cum magna sanctæ crucis parte. Quæ post Ludouicus Francorum rex Balduino assentien te à Venetis redemit; atq; in Franciam deduxit. Veneti missa uigintiquinque triremium classe, urbem obsidione liberarunt. Sed durante bello, cùm Balduinus & cæteri Latini optima quæq; amississent, & iam de retinenda Constantinopoli desperarent, omnium templorum donarijs ablatis, ingẽtem exercitum ad Bosphori fauces obijcit. Ipse Imperator cum Raymundo Tholosano Comite in Italiam est delatus. Et initio ad Fridericum Cæsarem, qui tum Parmam ce perat, uenit: multorum captiuorum liberationem obtinuit. Dehinc Romam petens, magno honore exceptus est. Sed cùm nusquã auxilia inueniret, Theodori mors cognita, spem Balduino iniecit, omnia recuperandi amissa. Relique rat autem Theodorus Michaelem Palæologum filijs tutorem. Vnde ea res fidem Balduino & Venetis futuræ pacis, si tutoris nomine contentus esset, fecerat. Sed homo uehementi spiritu, non solum Balduini opes fregit, sed & fundi tus euertit. Nam ab initio Guilielmum Achaiæ Principem uictum prælio ac captum uinxit. Et inde ferocior factus, Balduinum, qui Pontici maris angustias, ut hostem procul à portu arceret, occluserat terra, cum omni copiarum parte, in eam redegit desperationem, ut ob inopiam omnium rerum, ne lacessitus quidem crederet urbem posse diutius à se teneri: prodita igitur urbs uacua Palæologo. Balduinus nocturna trepidatione excitus, cum Pantaleone, Iustiniano Patriarcha, rapta supellectile, ad Euripum sese proripuit: profugus naui in Euboeam est delatus. Ita dum externam uim formidat, à domestica opprimitur. Interim Græci dum fugisse Imperatorem intelligunt, pristinum imperij statum recuperant: quem Franci annos iam circiter sexaginta possederant. A Balduino Primo, quo numerabatur annus Christi *M.CC.* usque ad eum quo numerabatur annus *M.CCLX.* Quasi fato euenisset, ut quemadmodum à Balduino auspicia regni cœperant, sic in Balduino cõciderent. Fertur autem Balduinus cum Ioanne socero annis penè uiginti imperio præfuisse. Hæc ex diuersis Annalibus excerpsimus, quandoquidem nullum Græcum in manibus autorem habere potuimus. Quibus erit Græca supellex, ij locupletẽt pœnum illum & addant quæ desunt.

Priusquam nunc cæteros exequamur Cæsares Byzantinos, & Palæologos recenseamus, redeundum est ad Occidentales imperatores. Et scribendus erit Fridericus *II* cum sua familia & interregno.

FRIDERICVS SECVNDVS.

FRIDERICVS huius nominis Secundus, filius Henrici *VI* Imperatoris, & Constantiæ reginæ monialis. Vtriusq; Siciliæ & Hierosolymæ rex, Sardiniæ & Italiæ dominus, Dux Sueuiæ, Princeps strenuus, fortis, magnificus, liberalis: multarũ linguarum peritus, ac simul eruditus, Latinam, Græcã, Saracenicam, Gallicã & Germanicam linguas optimè callens. Quicquid enim occi nactus fuerat, id lectioni librorũ suffurabatur. Libros multos ex Græco & ex Arabico Latinos fieri curauit, inter quos & Aristotelis uolumina fuerant, & multa medicorum. In regem Romanorum adulescens adhuc Francofurti

241 furti elígit, post annos tres à morte Philippi: Ottone *IIII* ab imperio deiecto, uigesimum tum agens annum. Licet id prius etiam literis Principes patri promisissent. Dehinc consecratur Aquisgrani, ac diademate (Innocentio *III* instigante) redimitur. Pauloque pòst cùm Norinbergæ Principes imperij haberet congregatos, ab Henrico Palatino Rheni regalia accipit, sibi ab Ottone decreto concredita, dum morti appropinquaret. Romam deinceps cum Ludouico Bauariæ Duce, alijsq; Principibus & nobilibus profectus, ab Honorio *III*, imperialem coronam cum nomine Augusti accipit. Anno humanæ reparationis *M. CC XX.* conferens multa uicissim Italiæ prædia cum donis plurimis Ecclesię, ut Pontificis mercaretur fauorem, maiores suos imitatus. Qui etiam decepti, non putabant aliter sese imperialem posse assequi dignitatem nisi muneribus & uotis. Ob id etiam crucem ad Hierosolymitanam expeditionem uoto suscipit, si prius imperij res componat: quas & in Tuscia & Longobardia ordinare statuerat, insignibus imperij in Alemanniam transmissis, quæ Eberhardo dapifero in Vualpurg cõcredidit. Filium autem Henricum octennem Cunrado de Tanne pincernæ, nutriendum commisit. Qui pòst Rex creatus, consors imperij cum patre fuit. Imperator à Beronensibus in itinere est indignè acceptus. Quam ignominiã interiectis aliquot annis ulturus, iniecto igne urbem incendio deformauit, studiumq; illinc generale in Patauium trãstulit. In Tuscia quoque Comites Matthæũ & Thomam rebelles (qui castra ac munitiones quasdam Apuliæ occupauerant) eiecit, omnibusq; bonis priuauit. Qui Romam fugientes sedis Apostolicæ implorarunt subsidium. Quod ægreferre Imperator iam cœperat, indignatus quod publicos hostes ac inimicos suos, Apostolica sedes immeritò foueret. Nec erat leuis odij causa imperatoris in pontificẽ. Vnde etiam prima inimicitiarum fomenta inter utrunq; exorta sunt. Quãuis quidam Italici scriptores prodant Fridericum imperarorem, defuncta matre Constantia, quæ eum in officio tenebat nec labi sinebat, in Pontifices tres: Honorium *III*, Gregorium *IX*, & Innocentium *IIII*, summis uiribus debacchatũ, Romam matrem, quæ eum educauerat, non honorasse, sed tanquam nouercam dilaniasse. Sed ipsi Pont. Rom. adulatores uolunt omnia licere Pontifici, acutrumq; possidere gladium, omnesq; Imperatores seruos esse Romani Antistitis. Interea Imperator in Sicilia, Calabria & Apulia, rebelles subiugauit, et ditioni suæ uiriliter adiecit. Saracenos deuicit & expulit, dum Principes Alemãniæ cum templarijs & exercitu Christiano Damiatam urbem Aethiopiæ multo sudore expugnatam atq; biennio occupatam, fœdè amittunt, conantes nouam excitare cõtra impios Turcos urbem, Ludouico Bauarorum Duce autore. Et dum eam extruunt, ab aquis quę in cataractis & aggeribus, à Soldano per multos dies ui retinebantur emissis, penè omnes absorpti, turpissima cõditione coacti sunt relinquere urbem, & terras magno labore partas. Imperator autẽ magis magisq; odium in se Pontificis animaduertens, consilio Principum Henricum filium regem Romanorum creatum, Aquisgrani curat diademate insigniri, cum coniuge Margarita, Leopoldi Ducis Austriæ filia. Cui Ludouicum Bauarorũ Ducem ab expeditione iam reuersum, curatorẽ tam in priuatis quàm in publicis in Alemannia præficit. Ipse Cremonæ solennem curiam indicit, ad se uocans uniuersos Alemanniæ & imperij Principes. Sed Pontificis Cardinaliumq; suggestu, & Longobardorum rebellione Italiã intrare uetiti, re infecta summa cum indignatione in Apuliã reuertitur. Moritur Honorius, succeditq; in defuncti locũ Hugolinus Hostiensis Episcopus, Gregorius *IX* dictus. Qui homo superbus ac temerarius, omnia sibi licere putãs, ob causas friuolas & uanas, nullo iuris seruato ordine, Fridericum imperatorem diris ac anathemate ferit. Quod Principibus imperij cõquestus imperator, literis innocentiã suam & omnis uitæ suæ cursum latissimè explicauit. Non enim aliam causam habuit Pontifex, quàm quòd uotum peregrinationis Hierosolymitanæ (quod nõ po-

terat

terat multis rebus ostentantibus) adhuc non soluisset. Licet enim Aquis crucē acceptasset, res tamen imperij adeò tum confusæ fuerant, quòd nequibat maturare iter in Asiam. Stipendia tamen militibus liberalissimè largitus est, & septingentos externos, trecentos de suis aluit, & omnia necessaria præbuit. Ob id nullam amissionis urbis Damiatę causam habuit. Cùm enim iam iturus erat, aduersa correptus ualetudine, inuitus manere cogebatur. Magna nanq; crucesignatorum multitudine (quæ Hierosolymam properabat) ad maritima loca adueniente, subitò à peste & aëris insueti alteratione correpti, patiũtur plurimas incommoditates: multi enim Principes & nobiles miserrimè pereunt. Inter quos Seufridus Augustensis episcopus, Ludouicus maritus S. Elizabeth, Langrauius Thuringiæ & innumeri alij. Imperator quoq; traiecturus mare, cùm ægrotare inciperet, coactus est redire in terram, qui ualetudinarius ex mari Brundusium appulit. Italici scriptores se ægrotum finxisse scribũt, ut supellectilē Landgrauij raperet. Non potuit ob id cauere quin Gregorius eum iniquè excõmunicaret: non modò non auditum, sed neq; conuictum, neq; conuentum. Licet enim per nuncios honestissimos honestas offerentes excusationes, sese excusaret, submisseq; ueniã, si deliquisset imprudens, peteret: noluit tamen illos neq; admittere præsentię suæ, neque audire in conspectu concilij. O integritas Romani Pontificis. Non erat Pontificibus satis, dum eis infans & puer penè Fridericus, & à patre Henrico & Constantia matre commendaretur, regnum paternum magnum pati detrimentum, & pupillarem hæreditatem in multas scindi partes: sed præter hæc incommoda interim Otto coronatus Cæsar fit, non sine eius ignominia: ac Fridericus in maximis corporis sui periculis constitutus, præsentem habuit timere mortem. Ad hæc ut facilius terram sanctam recuperaret, suasu Honorij pontificis, reginam Hierosolymitanam duxit uxorem: ob quę Imperator certè erat uenerandus, non molestandus. Sed odium Pontificis tam graue fuit, ut nullis posset medelis curari. Obortæ igitur in uniuerso orbe Christiano maximę turbę, ac grauissima dissidia. Põtifex quotidie fulmen anathematis iaculatur: Imperator Principibus id cõqueritur, et nobilissimos quosque, in primis autem insignes illos de Frangepanibus ex urbe ad se accersit, uasallos imperij creat, multisq; priuilegijs & immunitatibus honorat. Deturbatur ex urbe Pontifex, expugnantur Italiæ ciuitates multæ. Pontifex Ioannem Hierosolymitanum Regem excitat, & Comites Tusciæ Thomam ac Matthæum, aliosq; insignes è Longobardia proceres (multa illis subministrata pecunia) ut Cæsarem lacesserent. Rauennæ itaq; Imperator conuentus diem Principibus iterum indixit. Sed Veronenses ac Mediolanenses non modò Principibus iter interceperant, sed et crucesignatos deprędabantur, spoliabantq; omni uiatico. Idq; iussu Romani pontificis, qui prius ad Hierosolymitanam expeditionem omnes Christianos principes per Cunradum Portuẽsem episcopum, Cardinalem & legatum per Germaniam, non modò adhortabatur, sed & efflagitabat. Imperator nihilominus, defuncta sibi in puerperio coniuge, liber matrimonio, Hierosolymitanam expeditionem iam diu meditatam, ut & uotum exolueret, & Pontificem deliniret, maturat: traiectoq; mari Cyprum peruenit. Dehinc Accon applicuit, honorificè quidẽ ab hospitalarijs Teutonicis S. Mariæ, à Genuensibus & Pisanis exceptus, & nonnullis alijs militibus, qui eius stipendio militabant. A templarijs uerò multa perpessus iniqua: Veneti enim uacillabant. Dum Imperator ob fidem Christi multo sudore ac labore cum Soldano de pace agit, uicarius Christi (ut sese uocat) captata occasione ob absentiam Imperatoris, totam Apuliam cum ingenti exercitu in ditionem suam subigit. Crucesignatos qui transfretare cupiũt, prohibet: imò & ab Apulia & Longobardia reijcit, multaq; portentosa, Pontifice & uicario Christi indigna facit. Dum Imperator oues Christi, ne à lupo discerpantur, ense suo tutatur ac defendit, Pontifex radit, deglubit & deuorat saginatas: hoc est em̃ uerè pascere oues

iuxta doctrinam Christi. Imperator pius nihil tale suspicatus, ciuitatem Hierosolymam, Nazareth, Ioppen, cum adiacentibus oppidis ac uillis, à Soldano Babylonico recepit: cum illo quoq; inducias decẽnales paciscitur. Vrbẽ sanctam restaurat, multisq; ædificijs & hanc & alias urbes adornat. Diemq; glorioſiſſimæ resurrectionis Domini, regio more diademate ornatus, summa cum hilaritate, cum Principibus multis festiuè simul & religioſè celebrat: ac Pontificem literis certiorem de omnibus actis reddit, congratulationem ab eo expectans, & gaudium publicum Christianorum. Pontifex superbissimus, contemptis ac abiectis literis, famam spargit Imperatorem suum diem obijsse, quò facilius alii quot Apuliæ urbes, quæ adhuc in fide steterant, ad se flecteret. Reuersos autem Alemannos, Gallosq;, ac alios milites, ne uerum dicerent, truculentissimè sine causa occidi fecit. Cognita hac fraude Imperator cũ ingentibus copijs in Apuliam reuertitur, Pontificis expellit exercitum, terras suas sibi ablatas nullo labore recuperat. Longobardi & Tusci nouam cum Pontifice ineunt conspirationem contra Imperatorem: qui iterum anathemate execratur, quòd cum Soldano Imperator fœdus pepegisset: non enim tum aliam habuit causam benignus Christi uicarius. At Imperator tanquam fortis athleta omnia fortiter ob amorem Christi patiens: licet nuncios Pontificis intercepisset cum literis ad Soldanum, quibus hunc rogabat, ne terram sanctam Cæsari redderet, quemadmodum rumore incerto intellexisset. O scrinium pectoris sanctum. Omnia dissimulat cum omni obedientia, cum iusticiæ exhibitione, si quid deliquerit, absolutionẽ petit. Accersitis Alemanniæ Principibus, Patriarcha Aquileiense Bertholdo, Salisburgense archiepiscopo Eberhardo, Ratisponense Seufrido, Augustense Siboto, Austriæ duce Leopoldo, Ottone Meraniæ, & Carinthiæ Bernardo ducibus, & alijs quibusdam, quibus res commissa est, ut pium Cæsarem cum Põtifice superbissimo componerent, Imperatore tum Capua agente. Sed re infecta discesserunt, inq; sequentem annum negocium est dilatum: acres in concordiam uenit, potissimùm adnitente Leopoldo duce Austriæ, qui post pacem factam obijt. Imperator absolutus à Pontifice, simulata amicitia conuitio accipitur. Italici scriptores tradunt, Imperatorem emisse absolutionem à Pontifice per magistrum militiæ Teutonicæ, centum uiginti milibus uncijs in ærarium Ecclesiæ relatis. Quod si uerum est, carus est mercator, cùm gratis acceperit claues soluendi à Christo, nullis datis nummis Christo. Reuersus in Apuliã Imperator cum filio, Fridericum Leopoldi filium, Austriæ & Styriæ ducẽ, qui ob rebellionem proscriptus erat, cupiebat reducere, et cum eo pacem tractare. Sed quum ille intractabilis esset, & Imperator usq; Viennam Austriæ progressus, rebellem ducatu spoliare conaretur, facta est tandem concordia per eius sororem Margaritam, quæ filio Cæsaris Henrico data est uxor. Interim Romani Viterbienses ferro flammisq; adorti sunt, cùm in apertam rebellionem Pont. Rom. desciuisset. Ob id Pontifex Romã petere non ausus, Imperatorẽ denuò quòd in Germaniam iuisset, anathemate ferit, ueritus ne id quod interea machinatus erat, exploraret: quod & factum est. Nam cùm Imperator in Germaniam ueniret, emendaturus quosdam Henrici primogeniti errores, intellexit à Principibus coràm, missos à Põtifice nuncios, qui mandassent eius nomine, ne ullum de Friderici filijs, deq; eius domo Regem eligerent. Cùm ita se haberi lubrio intelligeret à Pontifice, licet illi per suos nuncios in Germaniam itineris causam significasset, irarum plenus Italiam ingreditur, hostibusq; Pontificis se iungit (quanq; prius Encium filium ex concubina, quem Sardiniæ Regẽ declarauerat, in fœdus pacis obsidem obtulisset) multas Italiæ urbes, multas Vmbriæ, multas Ethruriæ expugnauit, Longobardos rebelles compescuit, Veronam in suam ditionẽ cepit, in Mantuano agro duo oppida incendit, obsidionẽ Mantuanis minatus. Vincentiam per uim cepit, flammis euastauit. Paduanum agrum populatus, totamq; Longobardiam quasi euertit, pluribus cladibus afflictis

flictis Mediolanensibus. Viterbium, Fauenciam, Perusium, Cremonam deuicit. In Brixanos ducens Clarummontem direptum incendit. Mediolanensium præsidem in uinculis diu tenuit, ac in Apuliam misit, ubi trucidatus est. Ob id iterum excõmunicatur Imperator à Gregorio, qui cum Venetis aduersus Fridericum ea causa fœdera percussit. Sed Cęsar factus certior, Petrum de Vineis uirum eruditissimum, & magistrum epistolarum, iussit Patauij in die resurrectionis gloriosæ Domini nostri Iesu Christi dicere sermonem de anathemate, & de Romana Ecclesia, innocentiam suam pluribus ostendens. Tradit Albericus Imperatorem indignabundum Pontifici hæc inter cætera scripsisse:

Roma diu titubans, longis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Cui Pontifex ita rescripsit:

Niteris incassum nauem submergere Petri,
Fluctuat, ast nunquam desinet esse ratis.

Fridericus.

Fata uolunt, stellæq; docent, auiumq; uolatus,
Quòd Fridericus ego, malleus orbis ero.

Papa.

Fata uolunt, scriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi uita breuis, pœna perennis erit.

Imperator dehinc ingentem prædam è terris Venetorum abegit. Secedens deinde Lucam, Pisas adijt, ac Ethruriæ urbes diuisas reperit: quarum aliquæ Põtifici, aliquæ sibi fauebant. Auditumq; est tum primùm nomen Guelforum & Gibelinorum: è quibus Gibelini Imperatori, Guelphi Pontifici adhærebant. E qua factione multa subsequuta sunt in plurima secula mala. Diuersa est autem opinio scribentium de huius factionis ordine. Bartholus de Saxoferrato iureconsultus peculiarem libellum edidit. Nicolaus Siculus Panormitanus abbas in enodatione decretalis, Pisanis & Lucanis ciuibus, de restit. spol. à Bartholo dissentit. Blondus ac eius coëtaneus Platyna sub hoc Friderico Secundo natam hanc factionem apud Pistorienses, à duobus fratribus Germanis, cùm Germanica sint nomina Guelphi & Gibel, locupletissimè commemorant. Georgius Merula longissimè ex Liuio ab Ethruria hanc prodijsse factionem somniat. Neoterici quidam à duabus insignibus Germaniæ familijs, quæ sub Henrico Quinto potentissimæ fuerant, deducunt originem huius factionis. Quarum una Henricorum erat de Gueiblingen, altera Guelphorum de Altdorff: altera Imperatores producere solita, altera magnos duces. Putantes hinc nomina corruptè quidem Gibelinos Guelfosq; deducta. Sed licet hæ familiæ pluribus annis inter se dissiderent, tamen defuncto Conrado III (ut superius etiam scripsimus) per matrimonium hæ duæ familiæ unitæ sunt, è quo natus fuit Fridericus Primus: qui electus est Imperator tanquam pacificus Princeps (quod in secundo libro rerum à Friderico Primo gestarum copiosè enarrat Otto Frisingensis pręsul) ut omnem tolleret differentiam duarum familiarum, acres omnis in concordiam ueniret: nihilq; amplius in Germania de hoc dissidio auditũ est, postquam Fridericus Primus imperij habenas tractauit. Quomodo igitur ex ijs duabus familijs oriri hęc factio potuit non uideo, quum primùm sub Friderico Secundo Guelphi & Gibelini nominati sunt. Verisimileq; est à Germanis quibusdam fratribus inter sese dissidentibus, quorum alter partes sectatus est Imperatoris, alter Pontificis, hanc factionem ortam: in Italia pręsertim, omnium factionum matre, ubi semper sunt & fuerunt factiones Columnensium & Vrsinorum, Bentiuolorum & Maluitiorum, Carrariorum & N. Medices & Pacis. Cancellarij & Panzatici, albi & nigri Turriani, Vicecomites, Stelliferi & Psitaci, & mille factionum genera: ob id quidam Guelphos quasi gerentes fidem, Gibelinos ueluti gerentes bellum interpretati sunt. Cæ-

terùm (ut ad seriem historiæ reuertamur) quũ iam potior pars ciuitatum Italiæ Imperatori adhæreret, ac Romani propè omnes ad Cæsarem deficerent, Pontifex supplicationes instituit, ac capita Apostolorum circumferri iussit. Habitaq; in basilica S. Petri oratione commisertrionum plena, populum cruce signauit, tanquam aduersus infideles pugnaturum, quem cõtra Fridericum magnas copias ad urbis mœnia ducentem, eduxit. Indignatus Imperator contra se dari crucem, captiuorum (quos strage facta cepit) capita qui sic signati essent quadrifariam scindi iussit. Vrbeq; tandem relicta, Beneuentum urbem cepit. Hinc in Picentes exercitum educens, Asculanum uastauit agrum. Dehinc Templariorum bona ubique diripuit. Saracenorum opera strenuè usus in bello. Obidem quam præstiterunt, eis urbem dedit multis immunitatibus dotatam. Occupata tandem Rauenna, Pontifex Lateranum indixit concilium. Sed par pari referens Imperator, iter adeò intercluſit, ut uenire pauci possent, multis etiam captis. Mortuo Gregorio pontifice, quum Celestinus decem & octo sederet tantum dies, uno & uiginti mensibus sedes uacat, quòd Cardinalibus iter non satis tutum uideretur ad urbem. Tum Fridericus Fauenciam fame oppressam diripuit, ac Bononiam studio priuauit, quod Paduam trãstulit, Parmamq; obsedit. Interim Innocentius Tertius pontifex creatur, olim Friderico amicus. Sed in dignitate papali capitalis est factus hostis. Nam in Lugduno concilium celebrans, Fridericum & citari iussit, & ipse cõcionabundus citauit. Quanquam Tadæus Suessanus iureconsultus insignis, Cæsaris legatus, tempus ueniendi opportunum precaretur. Ira itaque succensus Romanus pontifex, Imperatorem anathemate notat atque execratur, multa indigna fingens, contra Christum esse loquutum Cæsarem. Quæ tanquam falsissima & planè conficta in quadam epistola diluit Fridericus ad uniuersos prelatos, cuius exemplar reperies libro primo Epistolarum Petri de Vineis, epistola trigesimasecunda. Erat enim hoc concilium in odium Imperatoris coactum, in quo eum imperiali dignitate priuat, à iuramento fidelitatis principes absoluit, atque ut alium eligant, adhortatur, multas afferens causas: periurium scilicet, sacrilegium, clericorum captiuitatem, & id genus plurima scelera. De quibus sese Imperator quàm honestissimè perpurgauit. Effecit tamen, ut principes Henricum Landgrauium Thuringiæ, dehinc Comitem Hollandiæ Guilielmum eligerent. At Fridericus ea intelligens, Parmæ obsidionem soluit, Lugdunumq; properat, tot & tales secum educẽs, ut togatum agmen par exercitui uideretur, multisq; seculis à nemine usum. Quum Taurinum uenisset, accepit Henricum filium, quem rebus Italiæ præfecerat, Parmæq; in obsidione manere iusserat, in Brixianos (suadentibus Cremonensibus) duxisse. Et per eius absentiam extorres patriæ Parmenses, superatis prælio conciuibus suis, apud Tarum fluuium urbem inuasisse, magnamq; cladem fecisse. Ob id mutato consilio retrocessit, ac undique ex Apulia Siciliaq; accersitis copijs, cum sexaginta millibus armatorum Parmam obsedit. In quam nuper multa auxilia cõuenerant: quam funditus statuit delere, & in loco castrorum aliam condere. Prospero successu ab initio res cœpta est, fossa uallumq; in modum urbis deducta, urbs Victoria est dicta. Victorini nummi percussi, basilica in honorem Victoris martyris extructa. Duobus annis bellum atrox, uariumq; fuit. Victoriæ urbi conditæ, omnia ea affuêre, quæ nulli unquam Principes habuerint, nulla postea ciuitas simul uiderit. Vestis uaria & preciosa, animantes ferę, cicuresq; diuersi generis, Elephantes, Dromedarij, Pantheræ, Pardi, Vrsi albi, Leones, Lynces, Bubonesq; barbati, quos ex Aphrica, Asia & Aegypto legati Friderico adduxerant: hominũ portentosæ formæ, & in ijs Saracenicus miles, illi in primis acceptus. Tanta præterea incolarum frequentia, commercijs etiam multarum gentium aucta, ut nihil ad amplissimæ urbis formam deesset. Quum autem Fridericus Parmæ obsidionem continuans, paulò atrocius in captos desæuiret hostes, quos ex balistis

maioribus

maioribus nonnunquam in urbem iacularetur, egressus (ut fit) in summa despe
ratione urbanus populus, cum incluso apostolico legato, factaq; irruptione in
Victoriam urbem, nonnihil aduersi passus est: quod ipsemet literis suis fatetur.
Sed non usq; adeò fusus ac castris exutus, ut Italici scriptores produnt: qui om
nes eius res gestas summo studio eleuant, ut pontifici adulentur. Eius quidem
ciues in Victoria stragem passi sunt, & miles dissipatus: sed breui reparato exer
citu, Placentiam euertit, misso Hencio rege Fauentiam. Ipse pòst in Ethruriam
concessit, quæ tota illi parebat. Quum interim Encius filius à Bononiensibus
prælio superatus, cum maiori exercitus parte captus est. Non cessauit tamen
odium pontificis in Cæsarem, quem perdere noctes diesq; cogitat: detectaq;
est coniuratio Theobaldi, Francisci, Guilelmi de sancto Seuerino, & Pandul-
phi de Fasanollis, qui autorem pontificem confessi sunt, ut Petrus de Vineis li-
bro epistolarum secundo, decima epistola, item & uigesima testatur. Non po-
tuit tamen cauere postremò, quin ubi in Apuliam redierat, ueneno periret: An
no imperij trigesimoseptimo, ætatis uerò quinquagesimoseptimo, ea die qua 243
olim Imperator erat designatus. Cùm eñ in Apulia apud Florenzolam ex ac-
cepto ueneno grauiter laboraret, ac tandem medicorum diligentissima opera
exlõga conualescere ægritudine inciperet, à Manfredo adolescente spurio, ex
concubina eius nobili, ori iniecto puluino suffocatus est. Siue ab hostibus aut 244
pontifice corruptus id fecerat, siue quia Siciliæ regnum aspiraret, de quo paulo
pòst plura. Sed alij Florenzolæ illum tradunt sepultum, alij Panormi, quod ue-
risimilius est, alij Tarenti: tam occultè est mortuus. Sic periit nobilissimus Prin-
ceps, cui inerant egregiæ corporis animiq; uirtutes. Auo enim similis, militaris
laudis appetentissimus fuit. Corpus laborum patientissimum, plurimùm auda
ciæ ad subeunda pericula, non minus tamen consilij inter ipsa discrimina: nullo
unquam labore fatigatus, nullis casibus uictus. Singularis munificentiæ, lin-
guarum peritus. Vnde & constitutiones multas edidit, quæ extant. Multos li-
bros tam ex Græca quàm Hebræa lingua transferri iussit, in diuersis disciplinis,
quos recensere longum esset. Gregorij Nyssení opus de natura hominis à Bur
gundione hortatu Friderici Cæsaris tralatum, nuper Stabius meus reperit. Has
præclaras uirtutes contaminarunt ac obscurarunt etiam quædam uitia. Sæui-
tia scilicet hominis, & libido immensa, quæ præter gentis morem concubinas
multas & scorta aluit. Licet multa alia uitia Italici scriptores, ut Pontificum gra
tiam inirent, illi attribuant. Conqueruntur hi sæpe, ut Blondus & ei contempo
raneus Platyna scriptorum penuriam. Sed dedignati sunt Germanorum lege-
re Annales, qui cum illis Romanam elegantiam non præstiterint, reiecerunt,
ac sæpe mendacia pro ueritate asseruerunt, in multis lapsi. Aliqui uerò nationi
Germanicæ infensi, omnes Principes Germanorum Barbaros appellarunt: ut
Georgius Ille Merula Vicecomitum scriptor, homo ad maledicendum natus.
Qui nihil aliud unquam quàm oblatrare didicit, inuerecundus scriptor, in Ger
manos præsertim. A quibus tamen hodie insignis nobilitas effluxit, & in Gal-
los, & in Hispanos, & Italos: qui penè omnes suum nobilitatis stemma in Ger-
manos referunt, quasi in germen nobilitatis. Non sunt itaq; audiendi uitupero
nes illi. Homines magni magnas habent uirtutes uitijs commixtas. Nemo tam
purus, quin aliquo scelere sordescat. Sed uniuersam nationem cõtaminare, im-
pium est & crudele. Non uerebor itaq; uersus quosdam, licet parum elegantes
ac concinnos, subscribere, qui eius sepulchro feruntur inscripti:

SI PROBITAS, SENSVS, VIRTVTVM GRATIA, CENSVS,
NOBILITAS ORTI, POSSENT OBSISTERE MORTI,
NON FORET EXTINCTVS FRIDERICVS QVI IACET INTVS.

Addam unum quod penè excidisset. Hic enim Fridericus II Imperator, do-
mum Austriæ mirum in modum auxit, extulit, atq; exornauit. Austriam cor ac
clypeum sacri Romani Imperij appellitans: quasi scilicet fatale esset Fridericis

Imperatoribus, Austriæ Principes efferre, è cuius domo multi prodituri erant olim Imperatores, duoq; pòst Friderici Cæsares, quos scribemus suo ordine. Fridericus enim primus Imperator, Henricum diui Leopoldi filium ex Marchione Ducem creauit, nouisq; armis ac insignibus (quæ hodie cernũtur) con decorauit, cùm prius Marchia Orientalis à Romana legione Alaudarum, quæ iuxta ripas Danubij incursiones Herulorum, Quadorum & Marcomãnorum arcebat, alaudis uteretur pro insignibus suis. Quod in uetustissimis Annalibus
245 sine authoris nomine legi ac deprehendi. Licet quidam contendant, Leopoldum Henrici prędicti filium, cognomine Virtuosum, arma ac noua Austrię insignia adeptum, cùm strenuè apud Damascum pugnasset. Nam in Hierosolymitana expeditione cum Imperatore fuerat, & rediens magnam S. Crucis particulam secum attulit, quam monasterio S. Crucis donauit, à patruo suo fundato. Cùm paulo pòst, ipse post patris obitum fundaret in Austria insigne illud in campo Liliorũ monasterium. Sed eius genitor Henricus cognomento lagsamergot, à uerbo quod semper in ore habuit, ita me Deus amet, dictus, cœnobium illud insigne Scotorum Viennæ fundauit, donarijs auxit & locupletauit, illicq; sepultus hodie cernitur. Hic autem Fridericus II Imperator, Fridericum Austriæ ducem, cognomento Bellicosum, magis extulit, eumq; Archiducem creauit, cum insignibus regijs. Nam pileo ducali adiecit sertũ pinnitum (ut nostri loquuntur) ab antiquis corona rostrata appellata: quam superne diadema regium, semicirculus aureus cum insigni crucis cingit. Solaq; Austria Archiducatu claresc it. Cuius priuilegium, immunitates ac libertates, Petrus de Vineis Imperatoris magister epistolarũ, uigesimasexta epistola sexti libri ubertim explicat. Cæterùm ut reuertamur eò unde digressi sumus.

Habuit hic Fridericus sex uxores: primam Constantiam, reginam Arragoniæ, ex qua genuit Henricum ducem Sueuię, & Regem Romanorum, de quo mox plura: & Iordannem, qui puer obijt. Alteram Iolen, Iohannis Comitis
246 Brennæ, & Regis Hierosolymitani filiam, quam ei pater in Europam cum cæteris Christianis principibus reuersus, in matrimonium desponderat: cùm Romæ ab Honorio persuasus, acceptis muneribus Pisas se contulisset, ac ius quod in regno Hierosolymitano sibi competebat, dotis nomine donasset. Vnde perpetuus hæreditario iure titulus eius regni ad posteros peruenit, ut Reges Neapolitani, Hierosolymitani quoque appellentur Reges. Ex hac Conradum progenuit Romanorum Regem, qui matri fuit superstes, quæ breui uixit. De quo mox & suo loco scribemus. Tertia uxor Agnes fuit, filia Othonis Meraniæ Ducis. Quæ repudiata, Vdalrico duci Carinthiæ nupsit. Quarta Rutina dicta, filia Othonis comitis de Vuolffertzhausen in Bauaria. Quinta fuit Isabella filia Ludouici Ducis Bauariæ, qui in Khelheym oppido cæsus fuit. Sextam ferunt habuisse Mechtildim, Iohannis Regis Angliæ filiam, quam Pontificis dispensatione (quandoquidem affinitatis gradus aliàs obstabat) accepit. E quibus filias quidem, sed nullos filios procreauit, Agnetem scilicet uxorem Conradi Thuringiæ Landgrauij, Constantiam Ludouici Hassiæ Landgrauij. Manfredum autem spurium ex concubina Blanca Marchionissa Montisferrati genuit, Principem Tarentinum, & Regem Siciliæ designatum: qui patrem suffocasse fertur, cùm Conradum ex Iole genitum, hęredem à patre institutum accepisset: licet Neapolitanos diu uexaret, eius imperium detractantes, quoad Conradus urbis muros euerterat. Est tamen pòst in bello occisus, quamuis prius ueneno Conradum auferret. Est & ex ea concubina genitus Encius, ab alijs Hencius appellatus, quod idem est in Germanica lingua cum Henrico, qui uulgò Heinz dicitur, Rex Sardiniæ à patre institutus, Longobardorum Dux, & generalis per Italiam sacri imperij legatus: Cui omnem Italiam commendarat pater. Sed à Bononiensibus captus, in uinculis est mortuus. Orto enim inter Mutinenses & Bononienses bello, Fridericus Imperator filium

filium Henricum Mutinẽsibus suppetias iubet ferre. Qui initio apud diui Ambrosij pontem certamine, à Bononiensibus capitur, nullaq; re ut dimittatur, impetrat, quum pater minis, precibus ac precio instaret. Non potuit enim filium tanto auro redimere, quantum ad Bononiæ mœnia circulo aureo cingenda satis esset. Sic captiuus uigintiduos annos, menses nouem, dies sedecim tenetur, aliturq; regio more publica Bononiẽsium impensa. Defunctus magnificentissimè ac pientissimè funeratus, tumulatur in diui Dominici templo, mar- 247
more aurato, hac inscriptione:

VIATOR QVISQVIS ES SISTE GRADVM,
ET QVOD SCRIPTVM EST PERLEGE.
VBI PERLEGERIS, PENSITA: HOMO IS
CVIVS CAVSA SCRIPTVM EST, FIERI ROGAT.

Præterea simulachrum hoc in perpetuum monumentum ex hoste & captiuo S. P. B. Anno salutis *M. CCLXXII. II*, Idus Martij. Hoc uolebam ut scires, abi & uale. Totam autem Romandiolam maximis affecit calamitatibus antequam caperetur. Pleroscp etiam Cardinales in uincula coniecit, dum patrẽ pontifex tã iniquè persequeretur. Fertur prẽterea adhuc alius fuisse filius naturalis Friderico admodum charus, ex filia principis Antiochiæ concubina 248
genitus, Tuscorum rex creatus, qui Florentiæ decessit. Hæc ex uarijs & fide dignis Germanorum Annalibus excerpsimus: quos dum Blondus, Platina, Sabellicus, & id genus hominũ, delicatioris stomachi, quòd non Romanã sapiãt elegantiã contemnunt, sæpenumero fœdè labuntur, & multa scitu digna prætereunt, & scriptorũ penuriam queruntur. Res gestas Imperatorum Germanorum nemo fidelius scribere poterat, cũ Germanus homo, qui & uidit & audiuit quæ gerebantur, sicut Italus Italici Imperatoris. Ob id non contemnendus est perspicacissimus ille iureconsultus Petrus de Vineis, Friderici Imperatoris magister epistolarum. Qui præter alia ingenij sui monumenta, sex epistolarum libros à se scriptos reliquit, quibus Friderici res gestæ uerè designantur. Licet Innocentius pontifex Romanus Apologeticos libros contra hunc scripserit, ut Cæsarem aduersarium suum omnibus reddat odiosissimum. Sed quis hic discernatur? Aequalis æqualem delectat, ut prouerbio dicitur: Et suum cuique pulchrum uidetur. Nos tetrastichon, ut claudamus riuos, subiungemus:

Iras Pontificum Fridericus hic alter aperto
Pectore discussit, callidus ingenio.
Italiæ socias armis sibi uendicat urbes,
Langbardorum urbes diripuit penitus.

INTERREGNVM.

ENumerabimus hinc Cęsares & Reges Romanorum, et qui sub Friderico consortes Imperij fuerãt, & qui post eius obitum sunt à Principibus quidem electi, sed Imperatorum dignitatem non assequuti: quidam etiam in eius odium (dum uiueret) creati. Post mortuum enim Fridericum Secundum, ab anno Virginei partus, milleſimo, ducenteſimo quinquageſimoprimo, usque ad milleſimum ducentenſeſimum ſeptuageſimumtertium, Rodulphus rex eligitur, uigintiduobus penè annis imperium legitimo caruit Rege: licet multi interim sint designati, quos ob res memoratu dignas, non grauabor etiam nunc subiungere.

HENRICVS CAESAR

HIC Henricus filius erat Friderici Secũdi Imperatoris, ex Constantia prima coniuge. Qui patre uiuente penè puer decennis consensu Principum, potissimum annitente Othone Herbipolense (cuius tutelæ tum erat commendatus) Romanorum rex elígitur: suffragante etiam Conrado de Tanne nutritore suo, qui principibus omnibus imperij erat admodum acceptus, & Aquisgrani coronatur. Videns enim genitor pontificũ fallacias, omnes adhibuit uirium suarum conatus, ut se uiuo filius Rex designaretur. Cui cùm parum adolescéret, Austriæ ducis filiam in matrimonium collocat, quę et in Reginam Rom. cõsecrata fuit. Sed cùm Pontificijs diris genitor Fridericus execraretur, ipse quoq; à Pontifice corruptus, conspiratione cum Longobardis contra patrem fecerat, & exercitum in Bauariam contra Ottonem ducem, patre inuito duxerat. Ob id à patre in Apuliam uocatus, custodiæ datus, maceratus est in uinculis, cùm pater iam annis uiginti regnasset. Mortuus pòst miserábiliter, cùm octo annis regno præfuisset. Quem pater dehinc flebiliter luxit, ut Petrus de Vineis scribit.

Habuit autem uxorem Margaritam filiam Leopoldi ducis Austriæ, dicti Glorioſi. Cum qua tam insignes maxima principum frequẽtia nuptias Norinbergæ celebrauit, ut ob ingentem hominum pressuram plerique homines opprimerentur. Ex hac genuit Hẽricus gemellos, Fridericum & Henricũ. Qui duodecimum agentes annum, à Manfredo Friderici filio ueneno sunt occisi, ne Siciliæ regnum illi auferrent. Nam cùm post obitum Friderici, Innocentius pontifex cognatum quendam suum in Siciliam atq; Apuliam misisset, occisus est à Manfredo, qui Conradi (ut pòst scribemus) testamentum suppressit, consciis quibusq; ueneno sublatis. Et cùm Pontifex duos ingentes exercitus denuò in Siciliam dirigeret cum sexaginta milibus militũ, fusi fugatiq; sunt à Manfredo. Qua re Pontifex uindictę auidus contristatus, cùm se ulcisci nequiret, ex indignatione mortuus est. Sed pòst Clemens IIII Pontifex Carolum Andegauensem comitem, consobrinum & generum regis Franciæ Ludouici, capitaneum super exercitu Romano constituẽs, innumeras illi copias tribuit. Cui Manfredus dum occurreret fortiter, ancipiti marte multum diuq; pugnatum est, cæsis ex utraq; parte multis. Tandem resumptis uirbus, Carolus Mãfredum strauit, proditum (ut quidam tradunt) à suis, ac tandem ab eo occisus. Qui omnem Siciliam, Calabriam, Apuliam, & quas regiones Manfredus prius tenuit, occupauit. Margaritta aũt uxor Henrici regis, marito & filijs superstes ac fratribus, Ottacaro filio regis Boëmiæ nupsit. Nam ad eam quasi unicã hæredem Austria omnis erat deuoluta. Fridericus enim frater, cùm post prælium quo Boëmos strauerat, & ducem Carinthię cum ducẽtis & triginta militibus cepisset, ab Vngaris Austriã uastantibus, haud longè à Leytta fluuio est cæsus: licet uictoriam sui referrent. Et Hermannus Badensis Marchio, qui Henrici ducis de Medlico illius Friderici Germani filiam uxorẽ duxerat, Austriæ dux factus, haud diu superstes fuit: adeò ut hæreditas omnis Austriæ in hanc unicam Margarittam, quæ sola & ultima fuit in hoc stemmate ducum Austriæ, recideret. Cùm itaq; Ottacaro nupsisset, in eius odium Hungari uniuersam Austriã rapinis et incendijs deuastarunt, maxima edita strage, qua centum millia hominum ferũtur occisa: qui partim cruce affixi, partim sagittis crudeliter iaculati, partim ense cæsi, partim ædibus inclusi igne absumpti sunt. Nulla enim fœditate Hungari abstinuerunt, ut sæuitiæ suæ satisfacerẽt. Nec sexui ulli pepercerunt, prostitutis & uirginibus & uiduis ac coniugibus. Magisq; sæuierunt cùm mortẽ patris Ottacari acceperunt. Qui coactus cum Hungaris pacem facere, illis Styriam concessit, ab eo subiugatam. Quam cùm breui recuperaret, alia strages iuxta Marchram

chiam fluuium facta est, in qua Ottacarus superior fuit, multis tamen de suis amissis. Sed quum Ottacarus nullam ex Margaritta coniuge sobolem accipe ret, orto inter eos dissidio, ea repudiata, Belæ regis Hungariæ neptem Chunigundam, filiam Rossuslai Bulgariæ ducis, uxorem accipit: fingens dispensationem à Romano pontifice factam, quem multis muneribus pro diuortio faciundo sollicitauit. Vbi autem Margarittam in oppidum Austriæ Krembs collocasset, exercitum in Bauariam eduxit, & dehinc ueneno Margarittam sustulit: unde post multa subsequuta sunt bella. Et Austria tandem ad familiam nostrorum principum, comitum de Habspurg, qui usque nunc has terras moderantur, fœliciter deuoluta est, ut in Rhudolpho scribemus.

CHVNRADVS CAESAR.

HVNRADVS Friderici II imperatoris filius, ex Iole regina Hierosolymitana, rex Siciliæ & Hierusalem ex hæreditate, dux Sueuiæ ob familiam Hohenstauffen, patre adhuc uiuente in Romanũ regem designatur. Clemẽtissimus princeps, & morum elegantia ac facilitate insignis. Contra hũc & patrem suũ Fridericum II Henricus Landgrauius Thuringiæ & Hassie, suggestu pontificis, qui diris eum deuouit, à principibus rex eligitur. Chunradus itaque cum grandi exercitu Rhenum adit, Francofordiam obsessurus. 249
Sed ante urbem ab Henrico Chunradus fugatus, in Bauariam concessit, natalem Domini Ratisbonę in monasterio diui Emerani celebrans. Cęterùm quia arces episcopi Ratisbonẽsis Alberti de Portingau & suorũ familiarum incendijs euastauerat, multaq; incommoda intulerat, conspiratio contra eum facta est. Cùm enim altera die Innocentiũ cum quatuor tantum ministris in cubicu lo dormire crederetur Chunradus de Hohenfels, cum coniuratoribus ac complicibus, media nocte rupto cubibulo ingressus, tres captiuos ipse & cõplices sui abduxerunt. Et cùm unus fortè qui sextus numero esset, superueniret, una cum cæteris duobus occisus est. Inter quos putabat rex quoq; iugulatus. Qui tamen sub sella latitans, euasit mortis periculum, non sine summa industria & fortuna. Qui omnem suspitionem in abbatem coniecit. Sed episcopus armata manu rei euentũ ante urbem expectabat. Rex Chunradus periculo liberatus, abbatis agros ac possessiones diripuit, & flãmis deuastauit. Nec sæuire in proximos cessauit, donec mors Frederici manifestaretur. Tum festinabundus collectis copijs maturat in Italiam, occupaturus regnum Siciliæ, quod iure hæreditario ad se spectabat. Apuliã igitur primùm potenter arripuit, Innocẽtio Perusij commorante, nec prohibere ualente. Neapolim octauo mense obsessam euertit, Capuamq; expugnauit, muro solo æquato, Aquinum incendit. Et cùm duobus quasi annis, quibus tota est potitus Trinacria, post patris obitũ regnasset, à Manfredo fratre spurio, qui principatũ Apuliæ ui arripuit, ueneno est extinctus. Verebatur enim Manfredus ne regnorum potẽtatusq; omnis successio huic uni deferretur eo excluso, quod iam filium genuerat Chunradinum, quem testamento quoq; omnium regnorum hæredẽ constituit, datis ex Germania tutoribus. Patricidio igitur fratricidium adiunxit, & hũc ueneno tollit: qui honorificè Neapoli est sepultus, anno humanæ reparationis Millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto. De cuius obitu Germani, Apuli, Lõgobardi, præter hos qui pontifici adhærebant, maximo consternati sunt dolore. Mortuo itaque Chunrado rege. Innocentius pontifex fines regni Siciliæ ingressus, Neapolim obtinuit, cum spe obtinendi totum Siciliæ regnum. Sed frustrà eò consilia tetendit: quia ut suprà scripsimus, bis cum Manfredo manus cõseruit, semper sexaginta milia uirum in exercitu habens, qui fusi sunt ac fugati. Et tandem insperatò mortem oppetijt cum inani spe sua.

Habuit

Habuit autem Chunradus uxorem Elizabetham, Ottonis ducis Bauariæ filiam, ex qua Chunradum filium genuit, quem reliquit post se hæredē regnorum utriusq; Sicilię & Hierosolymę: qui tum cū matre paruulus in Bauaria degebat sub morte patris. Sed hæc uidua, soror Ludouici & Henrici ducum Bauariæ, pòst nupsit Meinhardo comiti Goriciæ. At Conradinus cùm adolesceret forma egregia, in Italiam accersitur ab ijs, qui contra Guelfos assiduum bellum gerebant. Gibelinos enim domiturus Carolus prouinciæ comes, Ludouici Francorum regis consobrinus: uel, ut alij tradunt, frater, in Ethruriam uenit. Cui Vrbanus Quartus Siciliæ regnum tradidit, ea lege, ut duorum regnorum titulo contentus, ab imperij petitione abstineret. Hoc autem regnum Manfredus Conradi nomine strenuè tutabatur. Non enim ignorabat uir acerrimi ingenij, sibi spurio pro se agenti, populos nullatenus parituros. Ideo bonis uerbis in Conradi nepotis fide ac potestate continere multorum operam posuit. A Longobardis itaque ac Apulis toties inuitatus Conradinus, Italiam ingressus à plerisq; ciuitatibus benignè susceptus, Romam ingreditur. Ab Henrico regis Castellę fratre, qui tunc urbis senatorem agebat, cum omni nobilitate honorificentissimè pro Cæsarea dignitate exceptus est, magnis cum acclamationibus, ueluti Imperator in Capitolium ductus: pontifice Clemente IIII tunc Viterbij agente. Qui uaticinatus, adolescentem Conradinum dixit tanquam uictimam ad cædem duci. Pisani igitur in regnum Siciliæ ipsum ducturi festinant. Ab urbe itaq; profectus, Lucensium agros depopulatur atq; euastat, ac cōtra Carolum proficiscitur, qui iam Manfredum debellauerat. Dehinc apud Beneuentum dubio marte tres horas pugnatum est. Sed uictoria Carolo cessit. Dum fugæ consulit Conradinus, Asturam peruenit, cum Friderico duce Austriæ, filio Hermanni quondam Marchionis de Baden, & ducis Austriæ. Ignoti ambo, habitu seruorum fugientes, Agasonisq; cuculione tecti, per deuia latitarunt: sed à quodam comite Casertano post octauū diem proditi. Huius enim uxorem formosissimam Conradinus adamabat, & ut ea potiretur, uirum sub honoris specie ablegauerat. Qui re intellecta ac scelere deprehenso, Carolo pollicetur sese exercitum ac Imperatorem proditurum. Quod ubi factum est, Conradinus captus, securi percutitur, cum duce Austriæ in Neapoli: Illicq; ad Carmelitas sepeliuntur. Anno salutis supra M. cc, lxvij. Carolus aūt uictoria potitus, totū regnum recuperat, & Romam reuersus, senatorium munus administrat. Nam Henricus regis Castellæ frater à Carolo captus, in carcere obijt. Arago cardinalis scribit adolescentes Conradinum & ducem Austrię habitu sordido ad piscatorem ex prælio delatos, ingenti promissa mercede ac precibus euicisse, ut piscatoria scapha in Senēsis Pisaniq; agri littora eos deduceret. Cùm aūt Conradinus pecunia careret, annulum in pignus dedit piscatori: quem uicinis ostendens, cùm de adolescentibus liberali facie & obsoleto uestitu incautius loqueretur, infœlices adolescentes prodidit. Alij uerò tradunt, uirum quendam pecunia corruptum hos prodidisse. Sic Conradinus ultimus de familia comitum de Hohenstauffen, ac Fridericus dux Austriæ ultimus de familia Leopoldi, dies suos clauserunt. Quasi in fato esset duos insignes Germaniæ familias uno die simul interire.

HENRICVS CAESAR

QVVM in odium Friderici II imperatoris, pontifex electores ac Germaniæ principes crebris adhortatus esset literis, ne Fridericum iam anathemate notatum Imperatorem obseruarēt, néue ex eius sobole regem sibi crearent, quum iam eius filium Chunradū delegissent: cōueniunt Herbipoli Mogūtinus, Colonensis, Treuirensis, Argentinensis, Metensis & Spirensis episcopi cum nonnullis alijs principibus, & Henricum Landgrauium Thuringiæ &

giæ & Hassiæ, fratrem Ludouici Landgrauij, mariti S. Elizabethæ, regem Romanorum deligunt. Qui mox de more multis annis obseruato, curiam principibus Francofurt indicit. Quò cùm & Conradus cum exercitu armato uenisset, magnas afferens copias, ut hunc interciperet conuentum, fusus, fugatusq; est, passus ingentem suorum stragem. Indignatus itaque, Sueuos proditionis accusabat. Qui ira moti sese ab eo alienarunt, conspirationemq; fecerunt, sentientes cum Henrico. Argentinensis insuper episcopus, munitiones & castra quæ Fridericus nuper & filius possederant, euertit & expugnauit. Chunradus uidens se imparem suo aduersario, spe auxilij Bauariæ ducis filiam coniugem accipit, sed frustrà, quia Sueui undique eum persequebantur, et oppugnabant. Henricus itaque ui imperium seruans, Vlmam quæ partes sequebatur Chunradi, obsedit. Sed ob defectum commeatus & ingens frigus, ab expugnatione destitit. Et cùm obsidionem solueret, sagitta iaculatus, letale accepit uulnus. Qui eodem anno quo electus Rex erat, perijt. Licet dysenteria aliqui scribant eum domi perijsse tandem in Thuringia. Habuit hic uxorem Elizabetham Ducissam de Praunsuueig, quæ sterilis fuit. Ambo in Isennacho oppido Thuringiæ sepulti.

GVILELMVS CAESAR.

HENRICO Landgrauio Rege defuncto, Pontifex communi cardinalium assensu, Petrum de Cappadocia cognomine Aurea statua, cardinalem S. Gregorij in Germaniã ad electores principes misit: strenuè præcipiens, ut denuò regem Romanum contra Fridericum II & Conradum filium eligant. Qui in oppido Vuaringen conuenientes, Guilelmum Hollandiæ comitem quidem potentem (multa enim possederat) sed iuuenem imberbem uix uiginti annos natum, eligunt regem Rom. Fuit autem hic Guilelmus filius Florentij IIII eius nominis, & Mechtildis filiæ Henrici ducis Brabantiæ, amitæ diuæ Elizabethæ. Hic autem Florentius regis pater, natus fuit de Guilelmo primo eius nominis, ex Adelheida filia comitis Gelriæ. Sed Rex noster octennis patrem amisit, ab Ottone Traiectense antistite tutore liberaliter educatus, cum fratre Florentio. Adolescens factus eleganti corpore & candido, sed cum pillo nigro: & qui plus arma diligeret quàm effœminatorum quorundam ornamenta, fœliciter gubernauit Hollandiam, Selandiã & Frisiam paternas prouincias, à tutore prius administratas. Dehinc Aquisgrani in præsentia electorum & antistitum, Monasterienſis, Mindenſis, Leodienſis, Traiectenſis, qui Regem comitabantur, coronatur. Rediens Coloniam lautissimum instituit principibus conuiuium. In quo (ut fertur) quod admirandum est, mirabili opera Alberti Magni philosophi, arbores media hyeme efflouerunt, & herbæ germinabant (si uerum est quod scriptores eius ætatis, & qui se uidisse cõmemorant, tradunt) ob quod factum fratribus sui ordinis in Traiecto prædium ingens cum redditibus dicitur donasse, atq; monasterium construxisse. Mansit deinde aliquot mẽses in Traiecto, regale struens palatium. Antistitem suum tutorem multis priuilegijs exornat. Conuenerunt dehinc principes Germaniæ, Gerhardus Moguntinus, Conradus Colonienſis, Arnoldus Treuerenſis, Iacobus Metenſis, abbas Fuldenſis, Ludouicus Palatinus Rheni, dux Bauariæ, cum uigintiquinque comitibus nobilioribus. Ac insigniores Germaniæ urbes, Moguntia, Colonia, Vuormacia, Spira, Argentina, Basilea, Friburgum, Brisacum, Columbaria, Seleſtadium, Haganouia, Vueissenburgum, Vuimpina, Heidelberga, Oppenhaym, Francofurt, Fridberg, Geylhausen, Marburgum, Mulhausen, Asciburgium, Pingia, Bunna, Andernacum, Nussia & Aquisgranum, cum alijs sexaginta urbibus & oppidis. In hoc itaque conuentu tractatum est de generali pace, quam omnes principes & ciuitates iurarunt;

iurarunt, Capitaneósq; fœderis crearunt: qui mox arces & castra in quibus latrocinia exercebantur, euastabant & solo æquabant, raptores occidebant. Thelonea iniusta, quibus homines grauabantur, amouebant, ac pulcherrima pax in uniuersa penè Germania per nouem continuos annos (totidem enim hic rexerat) efflorebat. Nec enim ullus princeps est repertus, qui hæc sancta pacis fœdera uel uerbo uiolaret. Fridericus aũt Imperator cùm post quadriennium quàm hic eligeretur moreretur, mors eius adeò dubia est credita, ut plerique magno ære uadem promitterent uiuere Fridericum. Sed postquam manifestata fuit, Innocentius pontifex Lugduni Guilelmum astantibus multis præsulibus confirmat, ac dehinc mox in Italiam reuertitur: octo enim annis Lugduni manserat. Guilelmus autem rex in Flandriam concessit, pugnaturus cum Margaritta Comitissa Flandriæ, de qua & mox triumphauit. Nam cùm Iohannes de Auenis comes Hannonię Guilelmi consobrinus (Adalheidam enim regis sororem habuit uxorem) ad cõgratulandum regi occurreret in Hollandia, ac ibi aliquantisper commoraretur, Guido comes Flandriæ ratione matris Margarittæ, frater Iohannis comitis Hannoniæ, Hannoniam interim magna parte occupat, eijcere eundẽ penitus cogitans. Guilelmus indignatus coacto exercitu Guidonem repulit, Iohannem restituit, contra Flandrensium spem & uoluntatem. Indignata Margaritta, Selandiam meditatur regi eripere, quum in Brabantia cum duce Hẽrico auunculo esset Guilelmus rex, coactis multis magnisq; copijs. Id intelligens Henricus Brabantiæ dux, & regẽ & Margaritram Antuuerpiam accersit, concordiam acturus. Sed mulier uindictæ auida, dum de pace tractatur, clàm copias mittit qui Selandiam occupent, quam Florentius frater Guilelmi tutabatur. Sed, ut prouerbio Græco dicitur, Neoptelemica uindicta, in eandem incidit foueam, & malum quod alijs machinabaẽ, passa est insana mulier. Flandrenses enim qui insperatò irruperant, partim cæsi, partim submersi sunt. Guido comes sagitta ictus iuxta genu, nunquam conualuit. Quinquaginta millia captorum, totidem mortuorũ numerati sunt. Capti omnibus uestibus in derisionem spoliati, in ignominiam sunt in Flandriã trãsmissi (noluit enim in sanguinem crudelius sæuire) qui frondibus tecti, propriã temeritatẽ iustè confessi, in patriam redierunt. Rex de tanta uictoria lætatus, & huic Comitissæ & cæteris hostibus terrorem iniecit. Cum Frisonibus enim diuturnum quoq; bellum gessit: quum Germaniæ ciuitates sua uterentur pace, & à Capitaneis defenderentẽ, nec illis regia defensione opus foret. Debellata itaq; Frisia atq; subacta, quum iuxta quandam ciuitatem miro opere exornatũ reperisset sepulchrum, ac cuius nam id esset quæreret: Ciues respondent, neminem hactenus illic sepultum, sed quodam occulto fato id reseruari cuidam Romanorum regi. Cùm ergo rex uictor terram egrederetur, à quibusdam fugitiuis secus uiam in harundineto latitantibus, cuspidibus transfigitur. Equitabat eñ rex Guilelmus cum paucis, diuerticulum quærens ut securius exercitum reduceret: delatus in glaciem cecidit. Frisones qui latitabant, erumpunt, & priusq; regi subueniretur, cæsus partim, partim in galea suffocatus perijt. Frisones deinceps conuocatis finitimis, Hollandinos expellunt ac trucidant. Sic ab indigenis iuxta uaticinium præfato tumulo, anno regni sui nono, Rex imponitur ac sepelitur. Sed filius eius Florentius Quintus eius nominis, post uigintiseptẽ annos ossa patris ex Frisia deduxit in Selandiam in Mittelburgum, ac monasterio monialium Præmonstratensis ordinis à filia eius Richarde fundato & censibus aucto, inseruit. Anno Christi, millesimo ducentesimo octogesimosecundo, cùm occisus esset, millesimo ducentesimo quinquagesimoquinto. Vbi & eius uxor Elizabeth sepulta iacet. Habuit enim uxorem Elizabetham filiam Ottonis, qui primus dux in Pruunsiueig & Luneburg à Friderico secũdo fuit creatus. Ex qua filium progenuit Florentium, qui Beatricem filiam Guidonis comitis Flandriæ pòst uxorẽ accepit, ac quinq; ex ea filios, Theodericum, Florentium,

rentium, Guilelmum, Ottonem & Iohannem genuit, cum tribus filiabus, Beatrice, Mechtilde, & Margaritta regina Angliæ. Sed præter hunc filium Guilelmus progenuit & filiam Beatricem uxorem scilicet Ferdinandi III. eius nominis, Regis Castellę & Legionis, matrē Alphonsi X eius nominis, Regis Rom. de quo mox scribemus. Cęterùm is Guilelmus fratrem habuit Florentinū principem Drosshardum Hollandiæ & Selandiæ (sic enim locum tenentem appellant) & tres sorores, Adalheidam uxorem Iohannis de Auenis Comitis Hannoniæ, ut suprà scripsimus, Mechtildem Comitissam de Henneburg, quæ uno partu miraculosē & supra fidem, trecentos quinquaginta pueros enixa est: qui ab episcopo Traiectensi Ottone auunculo eius in pelui baptizati, & pòst mortui sunt. Ac tertiam sororem Richardim, quæ fundauit monasterium monialium Præmonstratensis ordinis, patria Kungsfeld dictum, quod Latinè Regius campus dici potest. Ex diuersis Annalibus hæc excerpsimus.

RICHARDVS CAESAR. ALPHONSVS CAESAR.

POST Guilelmi regis obitum, Principes imperij sæpe cōuenēre, antequam in electione unius Regis coire poterant: partim quòd muneribus & donis, partim odio & rancone corrupti dissentiebant. Quibusdam Hermannum Comitem de Henneberg, quibusdam Ottonem Brandenburgēsem Marchionem cōmendantibus. Indicta est tandem dies octaua Epiphaniæ, anni millesimi ducentesimi quinquagesimiseptimi, Francofordiæ conueniendi. Qua tandem congregati Principes, & inter se diuisi, duos elegerunt. Nam Eberhardus Moguntinus, qui magno pōdere argenti accepto è carcere erat liberatus, & Conradus Colonienſis, qui prius Ottonem fouerat, ac Ludouicus Rheni Palatinus cum fratre Henrico Bauariæ Duce Richardū elegerunt. Alij uerò Principes impellente Treuerensi, qui nixus literis ac authoritate Regis Boëmiæ Ottacari, Ducem Saxonię Adolphū, monebat & Marchionem Brandeburgensem, qui Petrum Garsiam Marrochitanum Archidiaconum procuratorem habebant, Alphonsum regem Castellæ elegerunt. Quem Adolphus Comes de Vualdeck summis uiribus huic Richardo obiecit cōpetitorem, qui & electioni consensit, amicorum precibus persuasus, & armis largitionibusq; ambiendo imperium quærebat. Sed Richardus ingenti pecuniarum aceruo uisus est imperium emere. Quem Principes die Ascensionis Domini Aquisgranum perducunt ex Anglia, & in solium collocant, inungunt ac coronant, præsentibus Moguntino, Colonienſe, ac Leodiense præsulibus. Habuit tum Philippus de Falchensteyn regalia, quę apud eum Guilelmus deposuit: ea tradidit Richardo. Vnde insolentior factus, pleraſq; Rheni urbes, deiecta pace quę sub Guilelmo rege fuerat facta, in suam deditionem coēgit. Treuerensem Episcopum cùm flectere non posset, eius prouincias igne & ferro uastauit. Poppardiam obsedit & expugnauit, pacem ciuibus promittens. Iurarūt & in uerba eius Moguntini, immemores prioris confœderationis. Francofordiam & Oppenhaym, inito pacto ne arx ibi reędificaretur, occupauit: curātibus Episcopis Moguntino & Argentinensi. Vuormacienses & Spirenses, intercedentibus etiam eorū Episcopis, subiugare nequiuit, donec Episcopis urbium singulis argenti marcas mille persolueret. Hoc enim arbitrio decernebant, Moguntinus Archipræsul, Emicho Comes de Leiningen, Chunradus hirsutus Comes, Chūradus Sylvester Vicedominus in Rudesheym, Vuernerus de Banlandia, & Templariorum magister: qui partes ciuitatum fouebant. Regis aūt nomine erat, Gualterus, Belfredus, Baltrauius Marescalci fratres. Dehinc re pacata, Vuormacien sibus priuilegia confirmat, accepto fidelitatis iuramento. Erant tum undique

O bella,

bella, quæ totum Imperium ultrò citroq; dilaniabant. Dum Vuormaciam denuò accedit, pacem uniuersalem instituens, ab Argentinensibus est receptus, à Basilienſibus uerò repulsus, quia quod alijs daret, amplius nõ habuit. Ita à nonnullis destituitur, qui prius eum fouerant. Interea etiam Ottacarus contra Regem Hungariæ arma mouebat, ac cõtra Ducem Sueuiæ. Conradinus in Italia (ut scripsimus) lites exciuit: nec Gallia immunis erat à bellis. Richardus Anglia am repetit. Sed cùm pro fratre suo Henrico Anglorum rege incautius Londinum obsidet, capitur in mẽse Iunio: ac liberatus iterum, in obsidione nescio cuius ciuitatis, iaculo est occisus, cùm annis regnasset sex. Fuit autem Richardus Cornubiæ Comes, filius Iohannis regis Anglorũ, & Elizabethæ Comitis Angolisini in Aquitania, frater Henrici *III* eius nominis Anglorum regis, cognomento dictus Cor Leonis. Cuius uxor Sancya, Raymundi Comitis Prouincię filia, Thomæ Comitis Sabaudiæ, & Beatricis uxoris, quę Comitissa erat Gebennum, neptis. Ex qua Richardus genuit duos filios, Henricum & Edmondum Comites Cornubiæ. Henricus à Guidone Montisferrati, Viterbij dum esset intentus rei diuinę, in templo ante aram est crudeliter occisus. Sancya Richardi uxor, & eius fratris Henrici Anglorum regis uxor Aleonora, Margaritta dui Ludouici regis Francię uxor, ac Beatrix Caroli Siciliæ regis uxor fratris Ludouici, quatuor sorores, filiæ Raymundi Comitis Prouinciæ, quatuor habuerunt maritos Reges (quod rarò accidit) totius orbis maiores.

ALPHONSVS DECIMVS.

ALPHONSVS huius nominis *x*, trigesimus octauus Rex Castellæ & Legionis, filius fuit Ferdinandi *III*, & Beatricis filiæ Guilelmi regis Romanorum primę uxoris, nam & Iohannam filiam Comitis de Pontis Ferdinandus alteram habuit uxorem ex utraq; utriusque sexus sobolem. Is Alphonsus dissentientibus Principibus (ut paulo antè meminimus) ab electoribus absens electus est Rex Romanorum, eodem anno quo Richardus *M. CC LVII*, pridie kalend. April. Missi itaq; ad eũ Burgis episcopi, Spirensis & Constantiensis, ac Abbas S. Galli, electionem Regi iuramento præstito ratificabant. Habuit autem in fauore suo Reges Francorũ & Nauarræ, Brabantinum Ducem, Comitissam Flandrensem. Et in Germania præter supradictos Antistites, Vuormacienſem quoq;. Stabant & à parte sua urbes Vuormacia & Spira, donec à rege Richardo subiugabantur: quo mortuo, amisit Alphonsus Ferdinandum de Lacerda, filium primogenitum. Cuius dolore prostratus, quum undiq; bella & in Germania & Italia æstuare uideret, Gregorium *x*, à Lugdunensi reuertentem concilio & Italiam petentem, adijt; eum redarguens, quòd nullam sui habuisset in electione rationem. Qui cùm perperam factam electionem diceret, mirum in modum laudans Comitem Habsburgensem Rhodulphum, qui ab uniuersis principibus Germaniæ commendabatur, & quem Regem Roman. designabãt, illi persuasit, ut Imperatori nouo designato cederet, moderationemq; imperij spõte abdicaret. Quandoquidem in Germaniã profectus, omni spe destituebatur. Auxit dolorẽ mors primogeniti filij. Assentiẽs itaq; ut Rodulphus Comes Habspurgensis rex eligeretur, cõcessit in Hispaniam. Sed à filio Sanctio, qui in eius absentia regnũ occupauerat, prohibitus, Hispalim uenit: & ex animi mœrore cõtabescens, flebiliter decessit. Sed cùm iam moriturus esset, cor suum euiscerare iussit, & ad Murciam (quæ ciuitas nunq; ab eo defecit) deferri strenuè præcepit, & sepeliri in Ecclesia diuæ Virginis Mariæ ab eo extructa iussit: ciuitatẽ multis exornãs priuilegijs. Cui in signum fidelitatis singularis, septẽ coronas pro insignibus cõtulit. Sic miserè mortuus est Princeps, excelsi & magni animi, ad grãdia natus, & qui omnia, quoad fieri posset, sibi usurparet. Erat autem clarus in siderali scientia, ad quã natura inclinabatur,

nabatur,& qua se plurimùm oblectabat: adeò ut etiã uulgò Astrologus uocaretur. Circunferuntur tabulę & Astrologicę considerationes eius nomine,studiosis admodum gratę. Fuit insuper in condendis legibus deditissimus. Romanos enim imitatus,qui ex Grecorum decem tabulis leges sibi quasdam delegerant,ingentia populorum & gentium de legibus uolumina, decę rebus in uniuerso orbe gestis,euoluit. Ac septem libros pro æquitatis moderatione, quos Partitas uocant, salubriter compilauit,ut & hominibus & diuino cultui necessaria singulis innotescerent. Vniuersi præterea orbis historiam, quam Generalem Hispani uocant,per sapientes scribi curauit. Laudari à rebus magnificè gestis maximè appetebat,citra tamen adulationes assentatorias. Inuidus tamẽ rebus claris, quas assequi nequibat: liberalis & munificus. Et ideo ob sagax eius ingenium toti orbi erat quàm cõmendatissimus. Sed elati,superbię animi,plurima sibi arrogauit, in eam incidens amentiam, ut stultè ac imprudenter diceret,se nonnulla melius ordinatiusę disposuisse, si à principio creationis humanæ Dei consilio interfuisset. Quæ cùm fortè iuuenili calore protulisset, & somniorum oraculis, & apertis prodigijs commonitus,resipuit: & abiecta feritate, benignitatem induens, de erroribus pœnituit. Sed neę in armis erat non egregiè exercitatus: utpote qui regnum Murciæ à Carthagine noua ad Chinchillã a Sarracenis recuperauit, Christianisę populosissimam reddidit. Vrbem hanc ualde dilexit, quandoquidem in aduersitatibus sibi fidelissimè astitit. In qua & cor suum sepeliri iussit, ut paulo antè scripsimus. Sed antea ob arrogãtiam cùm sese non nosceret, & priusquam humaniorem uitam indueret, in bello infœlix, infortunatusę sæpe strages passus est, & calamitates. Nam Rex Granatæ munitus auxilio Maurorum ex Aphrica, rupto fœdere, quod cum Alphonso pepigerat, plurima castra regni Murciæ occupauit, & oppida Bethicæ, Vuandaliæ, Algarbiæ multa recuperauit. Regnumę Portugalliæ (quod tributo regibus Castellæ obnoxium erat) liberum reddidit. Ob quæ maxima scandala perpessus est Alphonsus: sed omnem paulo pòst ignominiæ maculam deleuit. Ingressus enim ualida manu Portugalliæ regnum, militibus præcepit, ne pauperes (qui plerunę in bello sunt innocentissimi) ulla in re aut læderẽt, aut tormentis (ut fit) crudeliter afficerent. Quandoquidem, ut ille ait:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Cùm itaque ex Portugallensibus nobilioribus trecenti captiui Regi essent adducti, ea est usus in illos humanitate, ut ad castra ipsorũ ipsemet incolumes deduceret. Quo beneficio commoti maiores Regni, Regem Portugallensem induxerunt, ut cum Alphonso clementissimo rege pacem firmaret. Fuit autem insignis liberalitatis & mirabilis munificentiæ: præterquam enim quòd plurimos ditauit, & in altum euexit, quum nuptias primogeniti filij Ferdinandi celebraret, omnes primores Francorum, Angliæ, Hispaniæ & Castellæ regnicolas, cum omni nobilitate conuocauit: tantoę apparatu, rerumę omnium affluentia instituit cõuiuia, ut Metelli, Cleopatrę, Antonij, Caliguleę et Vitellij splendidissimas & lõgè pretiosissimas superare cœnas usus sit. Nam ultra hos splendidos apparatus, nobiliorum nemo non liberalitatem Regis pulcherrimis donis expertus est, humilisę conditionis homines, ut Annales Hispanię habent, non sunt fraudati Regis liberalitate.

Habuit autem uxorem Violantam Iacobi Regis Arragonum filiam, quam plurimùm dilexit. Sed cùm prolem ex ea nullam susciperet, repudiare eam cogitans, Christianam puellam forma conspicuam, Daciæ Regis filiam, in matrimonium per Oratores postulauit. Quæ dum in itinere maximo cum comitatu nobilium adduceretur, & iam Hispalim applicuisset, præter omnium spem repentè Regina Violanta grauida apparuit. Rubore perfusus Rex, quo pacto leuitatem suam tegeret, diu multumę sollicitus cogitat. Neę enim pudicitiam huius attentare, quam tantopere adoptasset, uoluit. Interim frater Regis Phi-

lippus abbas Vallis ſolidæ, & de Caueis rubeis, ac electus eccleſiæ Hiſpalenſis præſul, deiecto ſacerdotio, obtulit ſe futurũ maritum Chriſtianæ. Quę res cùm admodum grata Alphonſo eſſet, in dotem Alnam, & Valdecornea, & alia caſtra ac dominia contulit. Sic hac cura abſolutus, ex Violanta chariſſima coniuge inclytam genuit Berenguelam filiam, poſtea dominam de Guadalfaiare: de hinc primogenitum Ferdinandum de Lacerda: cui contulit in matrimonium Glaucam filiam diui Ludouici regis Franciæ, de quorum nuptijs iam ſcripſimus. Qui patre uiuente mortuus eſt, & magnam mortis occaſionem patri attulit. Genuit & Sanctium IIII eius nominis, Regem Caſtellæ & Legionis: cui Maria uxor infantis Alphonſi de Molina, qui fuit frater Ferdinandi tertij eius nominis Regis Caſtellæ, deſpondetur. Erat tertius filius Alphonſi Iohannes, uir ſtrenuus, & armorum peritus: qui plurima bella contra Mauros geſſit, oppida ac caſtra ex faucibus infidelium eripuit. Huic datur uxor Margaritta, filia magnifici Montisferrati Marchionis, è qua duos filios genuit. Feruntur & alij duo filij Alphonſi ex Violanta, Iacobus & Petrus, ac filia Leonora: quam attentauit Nunnius uxorem ducere, cùm Regi conſilium dediſſet, ut Iohannem dominũ Viſcayæ occideret, quòd regi recalcitrabat. Sed & ex cõcubina quadam Beatricẽ filiam genuit, quã Alphõſo III eius nominis regi Portugalliæ in uxorem collocat: matrem Dionyſij regis Portugalliæ, Algarbiæ regnum in dotem conferens, cum caſtris & oppidis. Ob quam rem Reges Portugallię ex eo tempore ſe Algarbij Reges ſcribunt. Habuit præterea Alphonſus is præter Philippum iam dictum, fratrem quoq; Henricum. Qui cùm Regem de more non honoraret, neque manus Gentilicia conſuetudine oſcularetur, in exilium abiens, Romam peruenit, ac nobilioribus quibuſdam fauentibus, ſenator Romanus factus eſt. Et Conradino filio Conradi regis Romanorum, ac nepoti Friderici Secundi adhærens, cõtra Carolum comitem Prouinciæ & Andegauiæ, regem Siciliæ, fratrem diui Ludouici profectus, ſuperatus eſt & deuictus. Hæc ex diuerſis Annalibus excerpſimus.

CVSPINIANVS AD LECTOREM.

FInito interregno quod ab anno Virginei partus milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimoprimo, quo Fridericus Secundus Imperator obijt, ad annũ milleſimum, ducenteſimum, ſeptuageſimumtertium, quo Rudolphus Romanorum rex eligitur, deductum eſt, uenirent iam ſcribendi Græci Imperatores: & in primis Michaël Paleologus, qui annis circitèr quadraginta rerum eſt habenas moderatus. Sed quia eodem penè tempore duæ inſignes Græcorum domus Laſcarorum & Paleologorum commixtę: altera occidit, altera caput extulit, & rerum potita eſt annis centum & nonagintaſex circiter, ac tandem penitus Imperium amiſit: omnes uno ordine ad illum annum, quo Græcorum Imperium deſijt, ſcribere animo concepi: Germanorum ſerie quadam legitimos Imperatores ad Fridericum III uſq; ſcribentes, exorſi iam à Rodulpho.

RODVLPHVS CAESAR.

VM poſt Fridericum II, & Pontificum odia, puritàs electionis fermento auaricię ac fœditate munerũ corruptè omnia ſurſum deorſumq; uerteret atq; deturparet, Principes imperij in Franconefurt conuenientes, anno humanę reparationis milleſimo, ducenteſimo ſeptuageſimotertio, kalen. Octob. unanimi conſenſu in Rom. regem cõcorditer eligunt Rudolphum comitem Habſpurgenſem: maximè annitente Moguntino epiſcopo, quẽ olim Romam proficiſcentẽ in itinere comitatus, duxerat ac reduxerat incolumem. Vices igitur illi reddens, ſtrenuitatem ac Comitis prudentiã Principibus inſi-

nuauit.

nauit. Præsertim cùm Meinhardus comes Tyrolis ac Goricię, tres totius Germanię athletas Principibus commendasset, pluribusq; extulisset laudibus, à rebus strenuè gestis. Ducem scilicet Carentanię Bernhardum, Albertum seniorem Tyrolis & Goricię Comitem, & Rudolphũ Comitem de Habspurg. Qui omnibus prelatus est, quòd sanguinis claritati morũ honestas accederet, cum ætate matura: in qua & armorum strenuitas, & ingenij uires florerent. Accessit ad hęc, quòd Gregorius pontifex audiens cõgregatos esse imperij Principes, & petijt & mandauit, ut syncerę puræq; electioni intenderent: ac non tam ecclesię quàm imperio prouiderẽt, cùm iam Imperium tot annis scissum ruinam minaretur. Pluribus eñ annis (ut scripsimus) legitimo caruit moderatore. Principes itaq; uniuersi in hunc Rhodulphum pari uoto consenserunt. Nam & sub Friderico II Imperatore (qui eum sacro fertur leuasse lauachro) tam strenuè res sibi cõmissas obibat, ut ei tota nobilitas Cæsaris, cùm ipsum adiret, assurgeret. Cumq; ab omnibus obseruaretur, potissimùm tamen ab Astrologo Imperatoris uenerabatur. Quem cùm olim rogaret Imperator, cur tantum honoris Rodulpho Comiti pauperi impenderet, respondet: Imperatorem futurum uideo Rodulphum, cùm proles tua deficiet: eiusq; nomen lõgè lateq; decantabitur, qui iam humilis plerisq; apparet. Fuit insuper magister curię Ottacari regis Bohemiæ, qui hanc electionẽ summis uiribus impedire nitebatur: quandoquidem & ipse ad imperium aspirabat, & Brandenburgẽsem Marchionem muneribus corruperat: plericq; enim Principes ex muneribus ac donis iam ditati erãt. Sed nihil profecit, quin ei regalis dignitas cederet. Cùm autem eligeretur Rudolphus, in obsidione erat Basileæ cum magno exercitu. Basilienses eñ ciues duas habebant inter se factiones, Stelliferorum & Psitacorum. Cumq; Stelliferi urbe essent electi, reducere eos Rodulphus satagebat. Idcirco neque electioni interfuit, neq; de se eligendo unquam cogitauit: sed electus, per Burgrauium accersitur. Cui initio neq; satis credidit, neq; facilè cõsensit: uenit tamen, & Aquisgranum ductus, coronatur solitis ceremonijs. Vbi & duas filias nobiles ducibus electoribus in uxores, cooperante Moguntino Archipræsule, collocat. Sed cùm iuramentum à Principibus exigeret, quidam absentiam quorundam causati, recusarũt. Tum arrepto crucis signo dixisse fertur: Ecce signum, in quo saluatus est mundus, hoc sceptri loco utemur. Moti hac re Principes, crucẽ exosculati, fidelitatis iuramentum præstiterunt: auxilia contra rebelles, & qui Imperij loca uiolenter sibi usurparent, promittentes. Gregorius Decimus id accipiens, electionem hanc approbauit, promittens imperialem consecrationem, potissimùm quòd regem audiebat in Hierosolymitanam expeditionem inclinatum. Erat princeps non minus manu strenuus quàm ingenio sagax, ac prudens, famaq; conspicuus. Non ignauus, quemadmodum insanus Merula (Germanorum Imperatorum hostis capitalis quidem, sed ficulneus) cum suo Poëta deblaterat. Priusquam enim rex fieret, iusto bello Brysgayam, Ergayam, Turgayam, & magnam partem Sabaudiæ, minorisq; Burgundiæ subiugauit. Non patiuntur hæc regionum nomina, ut latinè enunciẽtur. Quandoquidem gaw uulgò rus interpretari potest, sicut aw insula. Vnde dici uulgò audiuimus quatuor rura esse in Sueuia, Allgaw/Walgaw/Ergaw/Suntgaw. Sicut quatuor campi nominantur in Austria, Marchfeld/Tulnerfeld/Steinfeld/Gensfeld prope Krembs. Hæc pro cognitione terrarum nostrarum inserere duximus, ne nostrates patriæ suæ regiones ignorarent. Nunc ad institutum reuertamur. In Alsatia fortissima castra ac oppida Mulẽberg, Greczingen, Durlach, & Sueuiam cis Rhenum, quæ Marchionis de Baden erat, expugnauit, cognatumq; suum Comitem de Kyburg deuicit. Suprą Baden oppidum cum castro Morsperg ac Vuintertur subiugauit. Argentinam obsedit, Bernam tributariam fecit, Comites de Tockenburg, Monteforti, Helfenstein, Vuirtenberg: Item Barones de Regensberg & Griesperg, ac de Clingen sub iugũ misit, ter-

ras eorum deuastans. Tandemq; eos qui contra eum coniurassent ita frenauit, ut Regem adorarent, agnoscerentq;. Vsus etiam contra suos hostes nonnunquam clementia. Cùm enim cum Abbate S. Galli durum gereret bellum, illiq; accreuissent interim duo ingẽtia bella alia, paucis comitatus & inermis, in monasterium S. Galli sponte (dum abbas cœnaret) uenit, mensęq; assedit: inter cœnandum illi conciliatus, adeò ut ei auxilia contra hostes suos polliceretur. Obsedit Bysuntinam urbem altæ Burgundiæ: nam dux rebellis, Gallorum fretus
252 auxilio, sese regi opposuit. Sed facta irruptione, compulit ducem ut Basileam se conferret cum baronibus ac nobilibus suis, concordiamq; iniret, præstita fi-
253 delitate ac iuramento Vasalli imperij facti. Priusq; autem Rodulphus ex montibus in eorum exercitum irrumperet, cum satrapis inito consilio de finiendo mane conflictu, ex militibus quidam Regi: Etiamsi Rex uicerimus (inquit) unde nobis ueniet commeatus? cui Rodulphus: Inanem geris curam, respondit, ô miles: si uicerimus, eorum uictualibus uescemur: si uincẽt nos, si nobiles sunt, captiuis uictum sine dubio præstabunt. Basileã ter obsidione cinxit, ac episcopum Henricum cõsanguineum, Comitem de nouo castro castigauit. Traiecit in equis Rhenum more Turcorum, dum antistitem, qui in Brisaco latebat, capere meditaretur. Vnde locum illum incolæ uadum Habspurgensem appellant. Est enim castrum illud Habspurg in exordio montium, ubi montis Iouis & alpium Iuliarum circa Lemanũ lacum altitudo conspicitur, situm. A quo Comites illi nomen suum sortiti sunt. Perdomitis itaq; Sueuorum regulis, quibuscum multa gessit bella, Boëmię regem debellaturus, qui Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, uacante imperio, sibi usurpauit, Margaritta uxore ducta, quam tamen repudiauerat (de qua suprà scripsimus) rex conuentũ Principum generalem Norinbergæ indicit: quò omnes Germanię Principes cõuenerant, præter Ottacarum Boëmiæ regem, qui ad se Henricum Bauarię inferioris ducem (inito speciali fœdere) attraxerat. Conspirauit eñ cum Ottacaro, & in subsidium munitiones superioris Austriæ, Vuelsam, Stiriam, Lyncium q; occupauit, Rom. regi sese opponens. Ambo enim rebelles, neq; ad Norinbergam (ubi primus erat Principum conuentus) neque ad Herbipolim ubi iterum coibant Principes, neq; ad Augustam, ubi tertiò Rodulphus Principes habuit congregatos, regi obtemperaturi uenerant, etiam uocati. Olomucensis antistes Bruno, solus à Boëmiæ rege missus, facti excusationem inanem attulit. Ob id Boëmiæ rex ab uniuersis Principibus contumax iudicatus, & præterea iure decretum est, omnes Austriæ terras uacantes, ad Imperium esse deuolutas. Missus itaq; Burgrauius Norinbergensis, qui terras iure perditas repeteret, ipse cum immenso exercitu subsequutus, Austriam ingressus est cum Moguntino, Colonien si, Herbipolensi, Ratisponensi, Patauiensi episcopis: Ludouico Comite Palatino Rheni, innumerisq; nobilibus Rheni, Sueuiæ, Franconiæ & Alsatiæ. Quod intelligens Ottacarus, conuocatis Austriæ ac Stiriæ nobilibus, noua ab illis iuramenta exegit, simulq; filios illorum accepit obsides, quos in Boëmiam ablegauit. Rex occupatis multis oppidis ac castris, Viennam obsedit, uineasq; excidium interminatus, ciues compulit ut sese dederent: intromissus, Viennensium priuilegia confirmat. Idem Stirij ac Carinthij (obedientiam promittentes) faciunt: quòd exosus esset omnibus Ottacarus. Moguntinus, Salispurgensis & Frisingensis antistites cum Palatino, concordiam inter duos Reges tractaturi, Ottacarum Viennam accersiunt, cum eoq; in hanc formam paciscuntur. Vt relictis terris Austriæ, Stiriæ, ac alijs quas Rodulphus iam occupauerat cis Danubium, Ottacarus cõtentus esset possidere partem illam transdanubianam ad Morauiam uergentem, quæ Marchiæ campus appellatur. Feudũ deinceps de regno Boëmię à rege Rodulpho acciperet. Filios, insuper Baronum, quos prius obsides acceperat, liberos emitteret: literis quoque ac iuramento concordiam ratificaret. Consensit Ottacarus in omnia: unũ rogauit sibi condonari,

condonari, ne scilicet in publico feudum accipere cogeretur. Erat enim superbissimus, & uerebatur poplite flexo illum adorare, qui olim ei seruierat ut magister curiæ suæ. Annuit rex, ut sub tentorio aut papilione id fieret. Erat autem id tentorium mira arte factum adeò ingeniosè, quòd uno tractu in quatuor partes dissolui poterat. Dum itaq; flexis genibus accipit uexillum à rege, ut fieri solet, quidam fune rapto tentorium dissoluit, ut ab omnibus palàm uideretur regem de more adorare. Id cùm uxori eius Kunegundi, quam uiuenti Margaritæ superduxerat impius (ut suprà scripsimus) & à qua terras Austriæ iniquè possederat ea repudiata, innotuisset, uenienti marito acerbissimis illusit uerbis, quasi perpetuam sibi immississet maculam. Vah (inquit) qui potentissimus es Rex, coram seruo olim uno sordido tam splendidè ornatus ceruicem submittis, eumq; adoras palàm cunctis uidentibus? Emasculatus es, neque testiculos paternos, ut puto, habebis, indignus regia corona. Armis potius erat decernendum, quàm in fœdus tam humile descẽdendum. Verbis huiusmodi ardentissimis increpatum Regem compulit, ut pacem abijceret, concordiam frangeret, ac neglecto honore suo uiolatisq; literis suis, bellum Regi Rodulpho indiceret: contra iusiurandum oblatum, contraq; nobilium sententias, qui eum trahere ab hac sententia frustrà conabantur. Collectis itaque copijs, ex Polonia, Pomerania, Saxonia, Slesia, Misna, Turingia, Boëmia & Morauia fortissimum exercitum in Austriam ducit, in Marchiæ campo castrametatus, haud longè à Cisterstorff. Rodulphus qui iam fœdus cum Ladislao Hungariæ rege inierat, auxilia ab eo petit. Qui missis quadringẽtis equitibus cùm Boëmorũ explorarent exercitum, ducentos abduxerunt captiuos, cum centum occisorum capitibus, fœlix futuri prælij auspiciũ regi offerentes. Consueuerat aũt rex Rodulphus semper sexta feria, quæ dies est Veneris, passioni Christi dicatus, cum hoste manus conserere: nam S. crucem religiosissimè uenerabatur. Votum itaque Deo fecit, si uictoria potiretur, sese in honorem S. crucis nouum fundaturum atq; extructurum cœnobium. Ordinatis itaq; aciebus cum Sueuis, Stirijs, Carinthijs, Hungarijs et Cumanis, Ottacarum aggreditur: primumq; castris exuit, dein in fugam uertit, postremò à Stirio quodam nobili, cui rex fratrẽ prius iniquè decollauerat, inter confertissimas acies est miserabiliter occisus, ac omnibus rebus spoliatus, nudus in Laha oppidũ Austriæ delatus, ubi expirauit: anno nostræ salutis millesimo ducentesimo septuagesimonono. Sunt in exercitu Ottacari quatuordecim millia uirorum desiderati, præter captiuos. Rex uotum soluit uictoria potitus, ac in Tulna Austriæ oppido cœnobium monialium (quod hodie durat) extrui in honorem S. crucis fecit, donarijsq; ac censibus dotauit: anno Christi M. cclxxx. Dehinc facta strage, potẽti manu Boëmiã ingressus, omnia igne & ferro deuastauit, quoad principum interpositione res in concordiam uenit, ductu Brunonis Olomucensis antistitis uiri prudẽtissimi & integerrimi. Qui Boëmorũ & Morauorum innocentiam allegans, eò rem deduxit, quòd filiam Rodulphi Gutã (quæ Latinè dicitur Bonitas) miræ pulchritudinis Vẽceslaus filius Ottacari duceret uxorem: qui tum in tutela erat Ottonis Marchionis Brandeburgen. auunculi sui. Vicissimq; filiam Ottacari Agnetem Rodulphus Sueuiæ dux Rodulphi regis filius duceret uxorem. Tabulis nuptijs pax firmata est, & Austriæ ducatus, quem Ottacarus xxiiij annis iniustè possederat, Alberto filio Rodulphi qui patris successor in imperio fuerat, cessit. Nam postea Augustę filijs Austriam in feudum coram Germaniæ principibus cõtulit. Eo pacto Austria cũ cęteris prouincijs ad comites de Habspurg est deuoluta. Relicta uidua Ottacari, Zebiscum Boëmum nobilẽ duxit maritum, eiq; thesauros multos condonauit. Venceslaus rex Rodulphi cõsilio, matre defuncta, hunc captum securi percussit ac omnia castra bonaq; ablata recuperauit. Deuictis Boëmis Rodulphus in Heluetios mouet, qui comiti Subaudiæ subdebant: quos nullo labore subegit. Erat eo tẽ

pore quidam Pseudofridericus, qui multas ad se urbes pellexit, in Vueczeslaria copias habens. Erant enim qui Fridericum Imperatorem nullo pacto mortuum crederẽt, sed uiuere suspicabãtur: Nussiæ itaq; captum, Rodulphus igne occidit. Columbarienses qui eum fouerant, quatuor millibus marcarũ argenti mulctati sunt, alioqui expugnati, omnes fuissent trucidati. Comitẽ Burgũdiæ, quem semel prius deuicit, iam iterum rebellem subegit, de eoq; triumphauit. Circa Moretum tamen ab equo deiectus, armatus lacum insiluit, & miro corporis robore euasit. Cùm enim procerus esset, palis innixus adhæsit: ab Hartmanno de Vualdek eductus, Friburgum defertur, auxilioq; soceri Bernardi de Hohenberg, collectis militibus ex omni Sueuia, amissa recuperauit, Moretum ac Paternacum expugnauit & deuicit. Cùm bellicosus itaq; Princeps ac strenuus, clementia & pietate insignis, multa egregia facinora, per uniuersam Germaniam feciſſet, in quatuordecim cõflictibus semper uictor (unde etiã Victorioſi cognomen meruerat) Italiam intrare internis implicitus negocijs non potuit. Quæsitus aũt à Principibus, cur non Romam pro imperiali corona peteret: ut erat facetus, talem ijs apologum reddidit: Quondam, inquit, omnes feræ à rege animantium in altum quendam montem, specubus & antris concauum accersebantur. Venerant cicures, uenerant feræ pleræq; omnes. Salax uulpes antro quidem proxima, sed priusquam ingrederetur montis profunditatem, aliarum animantium reditum præstolabatur. Cùm autem paucissimæ egrederentur: Neque ego, inquit, ingrediar, fortè in illarum numero, quæ intus manent connumerarer, non harum quæ egrediuntur. Innuere uolens, plures quidem Cæsares Italiam ingredi, sed paucos cum suo & patriæ commodo fœliciter redire. Mansit ergo in Germania, ab Alpibus ad Balthicum mare, pacata omnia cum iustitia reddens. Licet ab Adriano Pontifice uocaretur, admoneretur q; uoti sub Gregorio facti, tamen id soluere non potuit. Sed uicarium imperij in Ethruria cõstituit Luchinum Maphæum uicecomitem, Romandiolam que & Rauennatem Exarchatum Pontifici & Ecclesiæ concessit, quòd modico tributo sub Imperatore liberè degebãt, multasq; auri libras per Henricum Basilienſem Episcopum in Italiam misit Pisanis. A Bononiensibus uero, Florentinis, Genuensibus, Lucensibusq; pro libertate (sed in grauem Roman. imperij iacturam) grandem congessit pecuniam. Italici scriptores tradunt (sed perperam & falsò) Nicolaum Tertium Pontificem Max. Vicariatum Ethruriæ Rudolpho, quòd terram sanctam non ingrederetur, abstulisse. Qui certè non fuisset passus hanc sibi fieri contumeliam, qui princeps erat suæ ætate bellicosissimus. Sed id profectò, omnes atteſtantur, quòd ab omnibus pecuniam recepit libertate concessa, & imperij fideles pronunciauit. Quam rem Honorius Quartus Pontifex, uti infamem, sibi tamen & Italiæ non inutilem, non magis probauit quàm prohibuit. Auariciæ itaque notatus studio, à plerisque reprehenditur, in cæteris laudatissimus: omnium tamẽ facetissimus. Rarò enim sine scommate, dum non iustitiæ præsideret, aliquid loquebatur aut tractabat. Adeò ut etiam Albertus Argentinensis Annalium scriptor, qui per hæc tempora floruit, libellum de eius facetijs condiderit, è quo locos aliquot annotare libet. Duo insignes oratores quondam regem in arduo negocio adierunt, citam cupientes expeditionem, alter barba cana & capillo nigro, alter uerò capillo cano & barba nigra. Quibus rex, dicta sua legatione, respondit: non prius uos absoluam, nisi rationem diuersitatis barbæ & capillorum reddatis. Hi accepta deliberatione, altero die Regem adeuntes: Ego, inquit, primus, canam habeo barbam, quia omnis mea cura fuit, ut ori satisfacerem & gulæ, de nulla alia re cogitans. Idcirco caput mansit cum suis capillis nigris, & mentum uestitum est barba cana. Alter, inquit, ô Rex, capilli mei simul cùm egressus sum uterum matris meæ creuerũt, sed post uigintiquatuor annos primum erupit barba, quę est capillis multò iunior: cùm hanc ętatem assequetur

barba

barba quam capilli habent, eundem colorem sortietur cum capillis: ideo nigra est barba, cùm cani sunt capilli. Rex laudans responsa oratorum cum relatione bona remisit honestè expeditos. Itẽ cùm rex corpus haberet procerũ & faciem regiam, naso aquilino, qui iusto maior. In decliui semita, obuium quendam habuit dicaculum, qui regis facetias nouit & suam clementiam. Cùm itaq; prę tereundo, ex angusta semita regi cedere à satellitibus crebrò iussus nollet, rogatus cur non cederet: Regius, inquit, nasus uiam implet, præterire non possum. Subridens Rex, flexo in aliud latus naso manu sua: Vade, inquit, mi fili, nasum torqueam meum ne te impediat. Senio confectus hectica febre corripiebatur: ob id solebat Baronum ac nobilium Principumq; uxores, filias & puellulas, sæpè ad conuiuium uocare, & maritis etiam præsentibus eas exosculari, dicens: se non posse præsentius inuenire remedium, quo corpus suum uegetius redderet, quàm animas uirginum dulces, & suaueolentes spiritus ex ore puellarum haurire: quo sæpius usque adeò principes, qui eum unicè dilexerant, in risum commouit, ut uxores suas illi adducerent, ut spiritus inde exugeret. Quas citra omnem inhonestatem alias honorificè tractauit. In castris nonnunquam ut milites ipsum æmularentur antequã rex fieret, uestes consuebat, utq; frugalitati studerẽt adhortabatur, ne omnia prodigerent. Non esse indignum causatus, artificis assumere prouinciã si artifex deesset. Cùm autem sentiret uires corporis sui imminui, Principes imperij Francofurt conuocat, ut filium suum Albertum Regem designarent. Illis autem recusantibus, Argentinam concessit. Quibus antiquisq; familiaribus qui olim sub eo militauerant, quasi nunquã reuersurus ualedixit. Erfordiamq; deinde uenit, hic letaliter egrotare cœpit. Festinabundus itaq; cum suo confessore, quem semper circumduxit religiosus princeps, ad Spiram iter maturauit tanquam ad sepulchrum, iocatus sibi esse properandum, ut reges illic conueniret. Sed antequam urbem attingeret, in Germersheym diem suum obijt xvij kalen. Augusti. Anno ætatis suę septuagesimotertio. Anno uerò Christi millesimo ducentesimo nonagesimoprimo. Imperij autem decimooctauo. Spiræ honestissimè sepultus regio funere, imperialibus conditorijs. Fuit autem Rodulphus filius Alberti Secundi eius nominis, comitis Habspurgensis, Landgrauij Alsatiæ, & præfecti Argentinensis, ex Heiduuiga Comitissa de Kyburg, filia Hermanni comitis senioris. Natus anno Virginei partus *M. CC XVIII*, quinto Kalend. Maij, Othone Quarto uita functo. Quo die Bertholdus Dux Zeringensis ultimus è uiuis excessit. Fridericus autem Secundus imperator Rodulphum lustralibus undis extulit expiatum, anno regni sui sexto. A quo post puericiam enutritus spem bonam moribus ingenuis omnibus dedit, indolis futuræ specimẽ egregium. Vir factus, uirtutes omnis generis eruperunt, specie decora quę regem deceat, forma quadrata, capite haud magno, crinibus raris, naso aquilino, omnibus huius familiæ peculiari indice, cibi potusq; temperantia miranda. Vnde prudentia, solertia non triuialis secuta: cultum diuinum mirum habuit. Obijt circa annum Christi M. ccxci.

Habuit autem duas uxores, Annam scilicet Comitissam de Hohenberg in Sueuia. Ex qua septem suscepit filios totidemq; filias. Rodulphũ, qui puer duo decimo anno moriebatur. Hartmannum Secundum, qui post patris interitum cœnobium monialiũ Tulnę perfecit, illic sepultus. Fridericum etiam illic sepultum. Rodulphum II, quem pater ducem Sueuię creabat, Agnetemq; Ottacari filiam ei collocabat uxorem. Ex quibus natus est Ioannes, qui patruum suum Albertum Roman. Regem occidit, ut inferius scribemus. Quintus Rodulphi filius Albertus Primus dux Austriæ Rom. Rex. Sextus Hartmannus II, cui filia regis Angliæ desponsata, quam non cognouit. Quoniam decimooctauo anno ętatis in Rheno prope oppidum Rhinauu submersus est, & Basileę cum matre Anna sepultus. Septimus erat Carolus in puericia mortuus, Basileæ sepul-

sepultus. Habuit & septem filias ex eadem uxore, Eufemiam primogenitam monialem Tulnæ. II, Gutã Venceslao Boëmorum regi desponsatã. III, Mechtildim Ludouico Palatino Rheni copulatã, genitricem Rhodulphi Palatini et Ludouici IIII imperatoris. Qui tamen ante hãc aliam habuit prius uxorẽ, Mariam ducis Brabantiæ filiam. Nam senior hic Ludouicus tres fertur habuisse uxores, ut in Ludouico IIII latius scribemus. Quartam Agnetem Alberto duci Saxoniæ desponsatam. V Catharinam Hermanno Marchioni Brandeburgensi commendatam, cùm prius ducem Vratislauiæ habuisset sponsum, qui ante ætatem obijt. VI Annam Ottoni Bauariæ duci coniunctam. VII Clementiam Carolo Martello Siciliæ & Apuliæ regi, Neapolitano locatam. Hanc sobolem, unde plures maximi principes & reges prodiêre, Rodolphus ex prima habuit uxore Anna. Secunda uerò uxor Agnes fuit iuuencula filia Ducis Burgundiæ, neptis regis Franciæ. Quam in senectute recepit, & nullam ex ea prolem progenuit. Ideo post mortem regis in Burgundiam redijt. Hanc cùm esset uenustissima, Fridericus comes de Leiningen, antistes Spirensis è carpento tollens, cùm uiolenter deoscularetur, Regi conquesta, bilem illi mouit mediocrem: quandoquidem & ipse sæpè Principum uxores osculabatur. Sed ut reginæ satisfaceret, nobilem quendam præsuli hæc referenda præmisit, ut aliud sibi pacificale quæreret deosculandum, id soli sibi emptum. Episcopus Regis iram tenens, patriam reliquit, & usque ad mortem Regis in exilio delituit. Hæc ex Annalibus Austriæ diuersis, atque ex magistro Alberto Argentinense congessimus.

Sed uide ô lector, quemadmodum ex hoc Rodulpho comite Habspurgensi Austriæ domus nobilissima, ab anno Virginei partus, millesimo ducentesimo septuagesimotertio, quo electus Roman. Rex fuit, in præsentem millesimum quingentesimum uicesimum, quo Carolus Quintus Romanorum rex, mense Octobri inunctus, coronatus & in solium Magni Caroli positus, per nouẽ generationes creuerit, aucta sit & propagata. Vt interim ex ea, uelut equo Troiano, innumeri prodierint Principes ac gloriosissimi Duces. Cæsares autem septem, de quibus omnibus, Iohannes Stabius diui Maximiliani historicus & Ecclesiæ Viennensis Decanus nobilissimam & pulcherrimam propagationis & genealogiæ arborem depinxit, quæ impressa circumfertur, quanquam & nos quondam scripserimus, ab eo præuenti. Sed iam tetrastichon subijciemus:

Austriacam sobolem fundauit ritè Rodulphus,
Germine fœlici & semine prolifico.
Bisq; nouem imperij rexit fœliciter annos,
Et quater ac decies prælia uictor obit.

ADOLPHVS CAESAR.

SEXTO mense post Rodulphi obitum, Adolphus comes de Nassauu Francofordiæ rex Roman. unanimi principum consensu, sed miro astu eligitur: adiuuante eius cõsanguineo Geraco Moguntino archiepiscopo, quem Colonienſis rogabat, ut eligeretur: putabat enim sic resarcire iacturã, quam Adolphus nomine suo perpessus erat. Paulo antè Albertus comes de Hohenloch cum Venceslao Boëmorũ rege fuerat precatus, ut Albertũ Austriæ ducem, cuius sororem rex habuit coniugem, & qui cæteris uidebat cunctis præferendus, utpote omnium habilior, regem Romanum crearet. Quod cùm recusaret, indignabundus comes: Etiam contra uoluntatem, inquit, tuam rex erit Albertus. Noluit idcirco præsens electioni interesse rex, sed oratores misit cum mandato, ut excepto Austriæ duce, quem uellent eligerent. Contendebant

tendebant tum pro dandis suffragijs duo Marchiones Brandeburgenses, Ioannes cognomine Saguta, & Otto Longus antistites, ut hos etiam deciperent (nam regis Boëmiæ certum iam habebant suffragium) Ottoni in primis blandiuntur, ad se ius suffragandi pertinere dictitantes, non ad patruum. Quibus flexus blandimentis, suffragium suum Gerlaco antistiti Moguntino committit: qui iam duo certa habuit uota. Cùm uerò interrogasset Saxonum dux Gerlacum, quem nam ipse eligeret: Maior, inquit, pars in ducem de Braunsuueig inclinat: sciebat enim hũc sibi infestum. Iratus Saxonum dux: Meum, ait, suffragium tibi Moguntine liberè offero, quem spero ducem Austriæ electurum. Verùm si is non placebit, quicunq; idoneus uidebitur eligatur, præter Braunsuuicensem. Sic tria assequutus erat uota Moguntinus. Pari arte Ludouicum Rheni Palatinum circumuenit, quem regi Boëmorum Venceslao contrarium sciebat. Is cùm Austriæ ducem eligeret, Boëmiæ regem mentitur à cæteris electum. Quo dolo impetrat à Palatino antistes, ut ei munus eligendi concrederet: modò Boëmorum rex non assequatur electionem. Superat Treuerensis archiepiscopus. Qui cùm Austriæ ducem plurimùm amaret, eumq; libenter regem designasset, rogatus à Moguntino qui ei ducem Geldriæ capitalem suum hostem proponebat eligendum: Non eligatur, inquit, Geldrensis dux, sed quicunque alius tibi acceptus, modò hic patiatur repulsam. Sic miro astu omnium Principum uota assequutus, consanguineum suum comitem de Nassauu Adolphum, Regem Romanum electum denũciat ac proclamat. Stupefacti Principes, quia pauper erat, amicorum tamen auxilio adiutus, suscipit imperium gubernandum. Aquisgrani quoque coronatur à Seufrido Coloniense archiepiscopo cum uxore Imagina, miro totius prouinciæ gaudio. Vir alioqui militari disciplina satis egregiè exercitatus & strenuus. Pleraque enim fortitudinis suæ indicia iamdudum exhibuit. Priusquam enim eligeretur in Regem, quinque excellentissimos in apparatu signorum ducis Brabantiæ satrapas prostrauit. Sed captus ipse, Duci offertur. Et rogatus quis esset: Comes sum, inquit, Nassouiæ, rerum dominus non magnarum. Et rursus ad Ducem: Heus tu quis es? Sum, inquit, Dux Brabantiæ, quem bello persequutus es assiduò, ac cui quinque Duces strenuissimos occidisti. At Adolphus: Miror, inquit, quomodo ensem meum euaseris, quem in te acui, quémque præ omnibus occidere animus gestiebat. Dux Brabantiæ audiens liberam hominis uocem, è captiuitate liberum dimisit: muneribusq; honoratum, in familiaritatem suam accepit. Promisit etiam seruire tanquam stipendiarius miles. Eduardo regi Angliæ, dum contra Philippum Franciæ Regem in Vasconia bellum gereret, quod contra regiam erat dignitatem (iam enim erat inunctus & coronatus Rex) mercede conductus, opitulabatur. Ob id Albertus dux Austriæ dicere solebat: Si Romanorum Rex stipendiarius est Anglorum, cum nullo dedecore ego stipendiarius ero Regis Francorum. Cæterum promissa Regi Anglorum Adolphus non præstitit. Accepit enim centum millia marcarum argenti à Rege Angliæ, ut inter Duces diuideret exercitus, & copias adduceret: quæ in usum suum conuertit Adolphus, ac Marchionatum Misnæ hac pecunia comparauit à Marchione Misnensi, nepote olim Friderici Imperatoris Secundi ex filia, quem uendidit in odium proprij filij. Idcirco neque Duces neq; milites adducere potuit, fidemq; promissam fefellit. Quod sanè in magnam imperij indignitatem cessit. Cùm autem Albertus Dux Austriæ feudum suarum terrarum accepisset ab Adolpho, petijt filiam suam Adolphus in uxorem filio suo dari, quod recusauit. Quandoquidem ab eo prius erat in suffragijs impeditus, ut scripsimus. Idcirco illi indignatus, cœpit eum persequi odio, exercitumq; in Columbarienses, qui in partibus Alberti stabãt, mouet. Oppidoq; expugnato, urbisq; prętore Vualthero capto, Anshelmum de Rapolsteyn, Baronem munitionibus ac castris suis exuit, traditis Henrico fratri

fratri eius: nam Anshelmus uix mortem euasit. Dehinc Alsatiæ urbes auxilio Colonien sis præsulis sibi rebelles compescuit. Nitebatur enim Albertum Ducatu eijcere: multosq; ideo uicarios Alsatiæ constituit, comites scilicet Phyretarum ultra Rhenum, Hermannumq; de Gerolczek, qui undiq; Alsatiã deuastabant, ut uires Alberti debilitaret. Sed frustrà: nam Albertus forti animo restitit. Et iam prouinciales paulatim odium in Adolphum conceperant, ob quod est imperio paulo pòst deturbatus. Misit autem in Tusciam Ioannẽ de Gabilone imperij uicarium, exemplo Rodulphi, quem Bonifacius Octauus benignè susce pit. Cùm uerò audiret Adolphus terras Thuringię & Misnę sibi rebelles, comparatis copijs easdem intrauit. Hostiliterq; debacchatus, biennio penè illic manens, eiectis Friderici II Imperatoris nepotibus, Fribergam oppidum Misnæ ui cepit. Sed castrum eiusdem oppidi, suffossis clanculum muris ac subinde ruituris, subitò impetu expugnauit: captis xl nobilioribus, quos securi percuti iussit: tantoq; terrore incolas affecit, ut Marchionem Misnæ (quasi sola ciuitas cum arce restaret) in deditionem compelleret, pacemq; postulare cogeret. Ferebatur enim Marchio Episcopum & sacerdotes iniuria multa affeciſſe, eisq; cõtra ius fasq; census abalienasse ac diripuisse. Cùm aũt à Theteman no Marchione Thuringiæ principatum duobus millibus marcarum argenti emisset, & ob id captis oppidis ac castris, quæcũq; bello acquisiuerat, abduxisset, tandem perditis laboribus & impensis, retrocessit. Nam filius Marchionis Fridericus, eiecto principe, tandem omnia recuperauit. Adolphus princeps inquietus, à rege Francię regnum Arelatense cũ alijs prouincijs repetiuit, quas imperij esse aiebat. Petijt & spineam coronam Domini, quam rex Franciæ habebat. Multos itaque nobiles commouit contra regem, in primisq; comitem Flandriæ & de Bare, cum quibusdam alijs, qui regi Franciæ prius adhæserant. Quos tamen maximo coacto exercitu facilè superauit, comitemq; Flandrię captiuum abduxit, totamq; Flandriam sub ditionem suam mancipauit. Sed insolentes nimis Franci, iram Flandrorum irritantes, mox occiduntur. Quocirca indignatus rex Franciæ, omnibus uiribus suis, totaq; regni sui uirtute adunata, Flandriam petit. Inuenio apud authores, qui ex fide tradunt, in hoc exercitu triginta milia ludæorũ extitisse, quos rex primùm exponere cogitabat. Sed enormis exercitus, uictoriã Flandrensibus comparauit. Nam ex Frãcię primatibus sex milia uirũm sunt desiderati. Denuò rex Franciæ nouis copijs cùm Flandriam peteret, ob odium regis Angliæ, cuius filiam comes uxorem habuit, obsidens Gandauum, aliasq; potentes urbes oppugnans, Adolphus rex illi suppetias ferre molitus, exercitum cogit. Sed impeditus, nullum militem afferre potuit. Principes enim Germaniæ eum ceu indignum à culmine imperialis dignitatis deijcere iam laborabant. Coniurabant & in eum Chunradus Argentinensis præsul, domini de Lichtenstein, de Oxenstein, Landgrauij de Freiburg, de Prugk cũ alijs multis principibus. Tota enim Germania bello æstuabat. Præterea Gerlacus Moguntinus archipręsul eius consanguineus, cuius solius opera Romanorum rex prius erat creatus (ut scripsimus) inutilem imperio palàm asserebat. Principes enim imperij neglexit, indignos extulit, publicè adulteria patrauit: uirgines, moniales, uiduas ui construpauit, fidem & literis & sigillo roboratam uiolauit, & id genus multa scelera admisit. Ob id Pragæ, dum Moguntinus regem coronaret, Alberto duce Austriæ, duobus Marchionibus Brandeburgensibus, duce Saxoniæ præsentibus, imperium ei abrogare decernunt, multa de Adolphi ineptijs colloquuti. Egram oppidum locum constituentes, quo & ipsi & cæteri Principes conueniant. Adolphus certior factus, & Moguntinum impedit, & cæteris uiam intercipit. Conueniunt nihilominus in oppido Chadaio, Albertum Austriæ ducem dignissimum dijudicantes. Quem multis precibus sollicitãt, ut imperium assumat, quisq; opem suam pollicitus. At Albertus noluit, nisi legittimè imperium assumere. Conue

nerunt

nerunt itaque Principes in Moguntia, ibiq; abrogato Adolpho imperio, Albertum elegerunt, fidelitatisq; iuramenta præstiterunt, multis auxilijs promissis, ut Adolphum sterneret. Albertus igitur collecto exercitu Australiũ, Hungarorum, Bohemorum, per Bauariam Moguntiam peruenit. Ac uiribus Moguntini, Argentinensis, Constantiensisq; Episcoporum, ac quorundam nobilium robustior factus, circum Friburgum ab Argentinensibus undecim milia militum, ab Episcopo mille trecentos accepit, rectaq; exercitum in Adolphum mouet. Qui auxilio fretus Othonis Bauariæ Ducis, Rodulphi Comitis Palatini, & quarundam Imperialium ciuitatum, Franckofordiæ, Spiræ, Vuormaciæ & aliarum, Alberto imprudenter & sine ordine occurrit. Vbi in agro Spirensi, qui uulgò Hasenphuel cognominatur, utraque acies stetit, crudele fit prælium. Est sex horis acriter & continuè pugnatum, utrinque multis occisis, multis ab equis deturbatis, cadaueribus aceruatim in aggeris modum erectis. Cumque diu ancipiti Marte pugnatum esset, Adolphus qui cum suo exercitu aduersos Solis habuit radios, uisum hebetantes, grauissimè concussus, equo est deiectus. Sed quum restitueretur equo, casu Albertus superuenit: à quo circa oculum ense traiectus, in collo quoq; letale suscepit uulnus. Minimè sui compos, galeam capitis sibi deponere iubet: incautus hostibus expositus interficitur, quia sine ordine in aciem descenderat. Multi nobiles capiuntur, inter quos Adolphi regis filius cum sexaginta Comitibus & Baronibus erat. Bauarię Duces Heidelbergam sese recipiunt. Otho enim tribus uulneribus sauciatus, uix mortem euasit: reliqui fuga sibi consuluêre. Multi calore & aëris suffocatione periêre. Inter quos Otho de Ochsenstein capitaneus Ducis, & Dominus de Eysenburg capitaneus Regis præcipui cogniti sunt. Rex honorificè sepultus apud monasterium, cui nomen Rosarum uallis. Sed post concordiam Principum exhumatus, Spiram est delatus. Vbi hodie amborum mortuorum corpora, Adolphi & Alberti, qui maximè inter se, dum uiuerent, dissidebant, uix palmo iam dissident. Imperauit autem annis octo.

Habuit uxorem nobilissimam Imaginam, nobilissimi uiri de Limpurg filiam. Ex qua tres filios genuit, Adolphum primogenitum, cui Regis Bohemiæ filiam desponsauit: sed ante nuptias moriuntur. Aliorum filiorum nomina hactenus non inueni. Sed alteri filiam Henrici Burgrauij de Norinberg, alteri filiam Rodulphi Palatini coniuges datas reperio in Annalibus. Filiam etiam genuit Mechtildim, quam Rodulpho Rheni Palatino copulauit. Qui tres ex ea filios genuit, Adolphum, Rudolphum & Rupertum. Sunt qui scribũt omnes coniuratores regis mala morte periisse, quasi quodam fato. Comes enim Albertus de Hagerloch occisus. Otto de Ochsenstein suffocatus. Episcopus Moguntinus subitanea morte in sella apoplexi tactus. Episcopus Argentinus Alauio ministro suo ante Friburgum ense traiectus. Comes de Leiningen frenetide correptus, Albertus à duce Iohanne ense transfossus, ut mox patebit. Ex diuersis enim Annalibus & magistro Alberto Argentinensi hęc excerpsimus. Et nunc de more nostro tetrastichon subijcimus:

Astu cognati in regnum surrepsit Adolphus,
Austriacis nixus insidias ducibus.
Sed dum bella parat, uitijs dum deprauat æuum,
Octo annis regnans, concidit ense miser.

ALBERTVS CAESAR

ALBERTVS filius Rodulphi Cæsaris, Ducis Austriæ, & Annæ Comitissę in Hohenberg, post occisum Adolphum Cęsarem, iterum ab Electoribus imperij Franckfurt eligitur in Regem Romanorum. Priorem enim electionem illegitimam reputabat, ob Treuerensis Præsulis & Palatini absentiam, qui comitijs imperialibus non interfuerant, & quòd Adolphus adhuc uixerat. Ne itaq; ut arreptum imperium quisque cauillaretur, priorem de se factam electionẽ Principibus resignauit, & denuò electus Aquisgrani à Vuickuuoldo Colonięsi archiepiscopo, festo diui Iacobi Apostoli, anno Christi millesimo ducẽtesimo nonagesimo octauo coronatus, & in solio Magni Caroli locatus. Vbi tanta hominum fuit multitudo ac pressura, ut Saxonię Dux opprimeretur, relinquens sororem Alberti uiduam. Paulo pòst in mẽse Nouembri, habitus Principum conuentus Norinbergę. Vbi astantibus Treuerensi, Moguntino, Ratisbonẽsi, Patauiensi, Frisingẽsi episcopis ac rege Bohemiæ, duce Bauarię, Palatino Rheni, duce Carinthię, à Colonięnsi archipręsule Elizabeth eius uxor est coronata: ex Austria per Sueuiam à Salisburgensi Episcopo aliisq; Principibus ac baronibus illuc deducta. Quę mirum in modum laborauit
257 Bauarię Ducem Othonem, qui Comitem de Hagerloch auunculum Alberti Ducis Austriæ occiderat, reconciliari suo marito Alberto regi. Fertur ingens multitudo hominum in hoc conuentu fuisse, adeò ut sex milia militum externorum dicantur numerati. Quanquam reges Danorum, Noruegiæ & Suecię, Marchio Brandeburgensis cum alijs Septentrionis Principibus, per idem fermè tempus in Rostocensi oppido conuenissent, suas res tractaturi. Insignia de hinc Imperij, lanceam Domini cum corona & ense Caroli, magno studio conquisiuit, ac in suam potestatem redegit, Ducatum autem Austriæ filio suo Rodulpho administrandum commisit. Cui pòst paulo, cùm conuenisset Albertus rex Romanorum cum rege Franciæ Philippo, eius sororem Blancam uxorem dedit: quod Moguntinensi & Colonięnsi Episcopis displicuit: qui eas ob nuptias regi Alberto dehinc inuisi ac rebelles fuerant. Quos tamen breui obedientes reddidit, uastatis eorum terris, coactisq; ut grauissimas theloneorũ exactiones amouerent. Elizabeth autem post conuentũ Principum cum filio Rodulpho, eiusq; uxore Blanca in Austriam concessit: licet iter Rodulphus Palatinus impedire conaretur. Interim Albertus Rex cum Conrado Argentinensi
258 Episcopo, Theobaldum Phyretarum Comitem aggressus, castra ac munitiones ipsius diripuit, deuastauitq;. Cui ob potentiã cùm resistere nequiret, ingeniosè, duas habens filias, Sophiam Vdalrico Comiti de Vuirtenberg, alteram baroni de Ochsenstein in uxores contradidit. Per quos nullo labore fauorem regis assequutus est. Anno regni secundo, cùm Albertus à Bonifacio Octauo electionis suæ approbationem per Oratores peteret, quę tamen Imperatoriæ maiestati nullam iuris necessitatem imponit, indignabundus recusat, electionemq; uerbis iniuriarũ plenis, & nullam & friuolam asserit, omnia improbans: Albertumq; homicidam appellitãs, ense accinctus & coronatus, in publicum prodijt, inquiens: Ego sum Cæsar & Pontifex. Voluit puto imitari ueteres Augustos Romanos, qui etiam summi Põtifices fuerant: sed nil mirũ, cùm omnia sibi arrogent. Orta est aũt & mox inter ipsum Pontificem & Philippum Franciæ regem grauissima discordia, qui nolebat ipsum dominum suum agnoscere, legatis omnibus eius contemptis, futurum concilium appellans. Ob id mutato clypeo (ut dicitur prouerbio) Imperatorem Albertum approbauit, & eundem de regno Franciæ per literas inuestiuit, rege Franciæ excommunicato in publico consistorio, maxima hominum frequentia, insignem habens orationẽ (quę extat) sic exorsus: Refulsit sol qui erat sub nubilo &c̃. Exposuit deinde

id Gene-

id Geneseos primo: Creauit Deus luminaria magna, de Imperatore intelligendum, qui bonis ut Sol, malis ut Luna præest, tanquam monarcha totius mundi. Multa in Gallicanam superbiam cum criminatione perorans, multas laudes in Imperatorem congerens, qui ex nobilissimo sanguine Rodulphi descendisset. Suscipiens uerba Pontificis Cancellarius regis, qui inter cæteros oratores uerbà fecit: In omni re (inquit) causa effectum antecedit, quem finis concomitatur. Sic Deum cœlum sequitur, quod inferiora gubernat. Et tu beatissime pater causa mouens es, Imperator exequens, finis est pax uniuersi. Leua igitur manum tuam, & aquila eleuabitur & exequetur motus tuos. Placuerunt hæ assentationes mirum in modum Pontifici, ac mox scisitatur, si cum rege Franciæ Cæsar confœderationem habeat. Quam tum nullam esse asseruit: quare absoluit eum à quibuscunque præstitis iuramentis ex sua plenaria (sicut ipse inquit) potestate, à nemine sibi concessa. Sed Cæsar iam cum Rege affinitatem contraxerat, priusquam Oratores redirent. Alijs' que intentus negocijs, intestinum bellum inter Vuernherum Patauiensem antistitem & ciues suos, quod grauissimum futurum erat, sedauit & concordiam fecit, priusquam contra Bauariæ Ducem Othonem proficisceretur. Qui post defunctam uxorem suam, sororem Alberti, Styriam populaturus cum Salisburgensis Episcopi auxilio exercitum ductabat. Quidam enim Barones Duci Alberto rebellabant. Sed frustrà, electus enim est. Sed dum à quibusdam primatibus Hungariæ in Regem postularetur, captus, & ad Bulgarorum, Rutenorum' que loca incognita ductus à Teutonicis, in Prussia cognitus tandem, in patriam est Otho saluus reductus: sed id aliquantulum pòst. Quum enim eo anno Andreas Hungariæ Rex mortem obijsset, Marescalcus Austriæ castrum in monte sancti Martini cepit, ac Budam profectus, Reginam relictam uiduam Alberti filiam, Viennam reduxit. Tum duo sunt reges Hungariæ designati, Carolus hæres Siciliæ à Pontifice Bonifacio missus, & Venceslaus Septimus Regis Bohemiæ filius à primoribus regni electus: ambo ex duabus sororibus nati. Sed dum Carolus ab Vngaris spem regni adipiscendi suscipit, Venceslaus Sextus Bohemiæ rex Senior, insignia regalia ab Vungaris pro filio adquirit. Sed ob aëris intemperiem egredi coactus, negocio infecto abit, iubente Alberto Cæsare, & filio Rodulpho Austriæ Duce, Morauiam rapinis & prædis euastante. Dum autem Carolus Znoymæ oppido Morauiæ cum quibusdam Hungaris & Cumanis finitima quæque loca popularetur, Albertus id audiens magno exercitu Bohemiam ingreditur, ante Cuthnam castrametatus, putans sibi regem occursurum. Sed sæuitia hyemis appropinquante, discessit in Austriam. At uere nouo copias congregans, ut Bohemiam ingrederetur, Sueuiam petit. Dum exercitus instruitur, Venceslaus Senior moritur. Venceslaus Iunior filius regalia regni Hungariæ habens, Bohemiæ paterno regno contentus, Othoni Bauariæ Duci ea resignat, ac cum Alberto Rege Romanorum, auunculo suo concordiam iniit: reddita ei terra Misnensi, quam ei pater denegauerat, & Marchionibus qui illi suppetias ferebant, concesserat. Otho clàm Hungariam ingressus, se pro Rege gerebat, quibusdam ipsum iuuantibus. Et quòd à Duce Austriæ impediretur, cædibus & spolijs Austriam dehonestabat. Paulo pòst captus, sed liberatus, ut suprà scripsimus, titulotenus Regem agebat. Interim Venceslaus Iunior Septimus eius nominis, in Olomucio Morauiæ oppido orta seditione, occiditur, & Rodulphus Dux Austriæ à Baronibus Rex eligitur. 259
Qui accepta regina Elizabeth relicta Vuenceslai Sexti uidua in uxorem (nam Bianca regina Franciæ iam obierat mortem) Ducatum Austriæ fratri suo Friderico concessit, approbante hæc omnia Alberto rege. Sed uix Rodulphus uestigia in Bohemiæ regno fixit, primo anno subitò moritur, occisus fraudulenter in lecto nocte, ut creditur. At Henricus Carinthiæ Dux auunculus eius, quòd gener esset Venceslai Sexti, regnum occupat, Alberto rege ipsum impugnante.

gnante. Conuenerat enim Albertus cum Baronibus Boëmiæ, quòd singulos filios suos, uno decedente sine hęrede, semper in regem assumerent alium. Sed quum tota æstate magno exercitu in Bohemia nihil effecisset, in Austriam, deinc in Sueuiam reuersus, nouas copias cogit, ut Bohemiam infestet. Sed morte præuentus, expeditionem hanc exequi non potuit, ut mox scribemus. Nam antea, quòd penè excidit, contra Ducem Brabantiæ pugnans, auxilia à Comite Iuliacensi, & de Marchia in prouincia Cleuensi ac ciuibus Colonien sibus accepit. Quo tempore rex Francorum contra Flandrenses in Tornaco bellum gerens, amisit florem suæ militiæ astu Flandrensium, qui cuniculis & subterraneis fossis excauatis, insidias locarunt, ac milites incautos obruerunt. Fertur Regina Franciæ huius crudelissimi belli fuisse author. In quo tot Duces, tot Comites, tot Barones occubuerunt, quod memoria hominum tunc non tenebat. Siquidem per quinquennium hoc bellum durans, trecenta & amplius millia nobilissimorum & fortissimorum de regno Franciæ abstulerat. Gessit autem & Albertus ante id tempus graue contra Chunradum Salisburgensem antistitem bellum, quòd Othoni Bauariæ Duci Styriam ingressuro, opem ferebat, & quòd Ducis Carinthiæ filium captiuum abduxerat: ob cuius tamen liberationem pax per Henricum Ratisbonensem præsulem & Ludouicum Bauariæ Ducem facta. Quæ haud diu durauit: quoniam Albertus Rastat oppidum obsedit. Sed ob uictus penuriam obsidionem soluens, quoniam Otho magnum adduxerat exercitum, incendio undiq; Salisburgenses terras deuastat. Antistes uicissim Alberto, salis fabricam haud longè ab oppido Gmunden, Halis est loco uocabulum, à sale ut plerisque alijs, ubi sal coquitur, destrui curauit. Nam grauem iacturam salis sui patiebātur propter copiam salis quam dux Austriæ habuit. Fertur autem quòd Elizabeth regina mineram illius salis & fabricam construi fecit. Idcirco cùm uinci Albertus nequiret, oblatum est illi uenenum. Quod ut eijcerent medici omnem nauantes operam, Ducem inuerterunt, machina ad hoc ingeniosè fabrefacta, ut continuò uomeret, non tamen suffocaretur. Excluſum est itaque uenenum per os, per nares, per oculos: uisq; eius tanta fuit, ut alterum sibi oculum corrumperet. Vnde sæpe Monoculus rex dictus est, Princeps fortissimus & bellicosissimus, qui duodecies collata acie dimicauit, semper uictor, à scriptoribus ob id Albertus Triumphator cognominatus. Postremò cùm Albertus ingentem coëgisset exercitum, ex tribus armatorum millibus equitum, & quinquaginta millium peditum, Boëmiam ingressurus contra Ducem Carinthiæ, qui se regem Bohemię gerebat, miseranda morte est à Duce Iohanne (quem regis frater Rodulphus ex Ottacari filia genuerat) ac suis complicibus crudeliter in hunc modum occisus est. Ioannes Dux Austrię, dum esset iuuenis & prodigus, Albertus eius bona tutoribus commisit, iuuenem apud se honesta conditione tenuit. Qui quum prauo seductus iniquorum consilio, quasi Dux esset sine terra, crebrò patrimonium suum maternum peteret: quod illi negabatur, cum tribus alijs coniurationem inijt, qui curam custodiendi corporis regij habebant, quibus semper rex uitam suam concredidit: hi erant Rudolphus de Vuart, Vualtherus de Escenbach, & Vlricus de Palm. Hi quatuor semper cum duce Iohanne latus regis stipabant, tanquam omnium chariſſimi & fidelissimi. Octauo autem kalend. Maij, anno Christi milleſimo, trecenteſimo octauo, cùm rex filios suos cum duce Iohanne ac nonnullis baronibus in mensa habuisset, hilaris & lætus omnes roseis sertis redimiuit. Quatuor illi coniuratores cibum capere non poterant, necem meditantes regis: erat enim illo die traiecturus Rhenū (ut sperabat) petiturus Reinfeldum. Mensa itaq; remota, equum petiuit, ut nauim conscenderet. Ablegatis omnibus alijs ministris, hos solum quatuor detinuit: cōscenso rex equo, Rudolphus de Vuart: Quādiu (inquit) istud cadauer equitare permittemus? frenūq; equi apprehendens, cùm inter eundum de more clementissimus rex loqueret,

Dux

Dux Iohannes pugione collum regis primus ferit, Vlricus faciem & caput per medium secat, cæteri nihil tale suspicantem regem, ensibus transfodiunt, inter Rusam Arulamq; Heluetiorum flumina, haud longè à Rheno. Vbi postea monasterium sanctimonialium ordinis Minorum S. Clarę cõstruitur. Nomen est loco regius campus impositus. Occisores fuga in Friburgũ dilapsi, sed dolo eluſi, castrũ relinquunt. Vlricus de Palma Basileę in domo Conuersarum latitans, obijt. Castro eius obsesso per Leopoldum Ducem Austriæ, qui cum fratribus omne patrimonium diuisit, prętер Moraviam quam imperio subiecit: ex eo oppugnato, quinquaginta sunt decollati. Munitionibus uerò Vualtheri destructis, ipse pastorem agens, post annos trigintaquinq; sese manifestat moriturus. Rodulphus de Vuart cum famulo post longam occultationem Romã pro assequenda uenia petens, à Theobaldo Comite de Blomont capitur, & Leopoldo traditur. A quo famulus rota cruciatur: Rodulphus post multas inanes excusationes, caudæ equi alligatur: & ad supplicium ductus, fractis rota membris, crudelissimè necatur. Ioannes dux, nepos regis, profugus per syluas & ferarum latibula, tandem in Italiam uenit. Postremò ad Henricũ Imperatorem, successorem Alberti, in Tuscia Pisis per papam missus, in habitu fratrum heremitarum perpetuis carceribus est condemnatus. Sic omnes illi parricidæ diris discerpti supplicijs, aspiciente regina (quæ unicè maritum dilexerat, & sanguinem parricidarum pedibus calcauerat in uindictam) debita sua præmia tulerũt. Sic mortuus est pientissimus Princeps Albertus, cùm annis decẽ regnasset, prudentia, sagacitate & clementia nulli secundus. Munificus in benemeritos, scelerũ uindex acerrimus. Inter Germanię Principes ueluti fulgentissimũ sidus eluceſcẽs. Tria potissimùm genera deamabat ac uenerabatur. Pudicitia fœminas claras & illustres: clerũ deuotũ & religiosum: ac milites strenuos & fortes. Bilingues graui odio persequebatur, lasciuorum cõtubernia euitauit, coniugali castitate insignis: quandoquidem uxorẽ unicè dilexit. Patientia utebatur erga inimicos summa, non præceps in uindictam, iniurias facilè obliuiscebatur.

Habuit unicam uxorem Elizabetham, filiam Meinhardi Comitis Tyrolis et Goriciæ, ac Ducis Carinthiæ Conradini sororem ex matre: fœminam illustrissimam, magni & acuti ingenij, quę salis minerã & usum faciendi inuenit in Hallis prope Gmunden, in superiori Austria. Omnibusq; monasterijs cum sale in Austria prouidit, non ingrata Dei dono. Quæ monasterium in loco occisionis regis mariti sui extruxit: sed ab Agnete filia, Hungariæ regina, est locupletatum & perfectum. In quo primùm sepultus fuit Albertus: sed demum post aliquot annos, Spiram est translatus, & cum patre sepultus. Hæc peperit xxi liberos: quorum undecim iustã assequuti sunt ætatem, cęteri in puericia mortui. E quibus septem in cœnobio Tulnensi uirginum sepulti iacẽt. Ipsa Elizabeth in sua fundatione Kongsfeld sepelit. Insigniores liberi hi fuerunt. Primogenitus Rodulphus cognomento Mitis. Cui Blanca Francorum regis Philippi Tertij filia copulatur, Viennę apud fratres minores sepulta, sine liberis decedens: tandem Bohemię Rex factus, relictam Vuenceslai regis Bohemiæ uiduam duxit. Sed breui lætatus est imperio, ut scripsimus. Fridericus secundo genitus, elegans Dux, cognomento Pulcher. Qui postea Cæsar Romanorum fuit, ut narrabimus. Huic uxor erat Elizabetha, Iacobi regis Arragonum filia, quæ Viennæ apud minores sepulta iacet, unicam relinquens filiam, quæ Comiti Goriciæ copulata fuit tandem coniunx. Hunc cùm super se regnare quidam barones Austriæ & ciues Viennenses nollent, trucidati sunt crudelissimè. Tertius filius erat Leopoldus cognomine Gloria militum. Cui Catharina Comitis Sabaudię filia, soror uxoris Henrici Imperatoris, datur uxor. Quę duas reliquit filias, quarum altera Duci de Schueinicz, altera domino de Kussi in Francia locantur uxores. Filius quartus, Henricus Placidus dictus, consortem Elizabeth habuit, Comitis de Virnberg in Efflia filiam, quæ sine liberis decessit. Quintus filius

dictus Albertus II, Dux Austriæ cognomẽto Sapiens: qui prouincias post patris obitum diu rexit. Sed cùm manibus & pedibus æger esset atq; contractus, primùm Patauiensis Canonicus & subdiaconus, fratres omnes in ætate supergressus, assensu Pontificis duxit uxorem Iohannã Vdalrici ultimi Comitis Phyretarum in Sungauu de claro Burgundionũ sanguine unicam filiam: à qua Phyretarum Comitatus Austriæ accessit. Hic castrũ Berchtolsdorff condidit, quatuorq; genuit nobilissimos Principes: Rodulphum IIII, qui primus sese Archiducem Austriæ, priuilegio Friderici II Imperatoris usus, scripsit. Et qui Comitatum Tyrolis Austriæ adijciens, præposituram S. Stephani in Vienna Austrię cum Canonicis fundauit locupletissimè, si seruare donata Canonici imprudentes sciuissent. Qui habitu mutato quem illis instituit, Principem adeò irritarũt, ut & census datos & fundationem mutaret. Hic cum Catharina coniuge filia Caroli IIII Imperatoris in choro templi S. Stephani sepulti hodie cernuntur: licet Mediolani sit mortuus. Genuit dehinc secundũ filium Fridericum, qui in adolescentia moritur. Et pòst Albertum III cognominatum cum Trica, Astronomiæ studiosum. Qui generale studium à fratre Rodulpho inceptum erexit, ac castrum Laxenburg extruxit, cum Beatrice Norinbergensium Burgrauia uxore: quæ Albertum IIII peperit, literatorum singularem patronum, Viennæ sepultum. Quartus autem Alberti filius Leopoldus, Militiæ decus cognominatus: Dominium Veltkirch Austrię adiecit, cum Comitatu Hohenberg in Sueuia, & cum Tergesto ac Treuisana Marchia: ab Heluetijs prope Sempach oppidum occisus, in monasterio Kongsfeld sepultus: relictis ex uxore Virida Barnabouis Mediolanensis Principis filia, quatuor liberis. Guilielmo qui curialis, Leopoldo qui ambitiosus, Ernesto qui ferreus, ac Friderico qui magnificus uulgò dicuntur. Hi nominati quatuor Principes filij erant Alberti Contracti, qui Alberti Primi Regis Romanorum quintus erat filius. Sextus filius Alberti regis, Otho Iocundus cognominabatur. Cui uxor Elizabetha ducissa Bauariæ, Fridericum atq; Leopoldum filios progenuit. Quinq; item inuenio filias Alberti principales dignitates assequutas. Elizabetham scilicet, quæ Theo-
262 dori Ducis Lotharingiæ uxor fuit, eiq; tres liberos peperit. II Annã, quæ Hermanni Marchionis Brandeburgensis uxor primùm, post eius obitũ nupsit Duci Vratislauiæ, quæ ex utroq; filios & filias genuit. III. Gutam, quæ uxor extitit Ludouici Comitis de Oeting, in Rhetia, generãs ex ea filium Ludouicum.
263 Qui cùm Ludouici Bauari electi Regis Rom. familiaris esset, postea cum Ducibus Austrię est ab eo persequutus. Sed ante hanc prius habuit uxorem is Co-
264 mes Ludouicus, sororem Comitis de Vuirtenberg, ex qua filium & filiam progenuit. IIII. Catharinam Henrico Septimo desponsatam. Post cuius obitum Carolo Calabrię duci uxor locatur. V. Agnetem cuidam Romano de Columna desponsatam, dehinc Andreæ Tertio Veneto Mauroceno, Hungariæ Regi traditam. Quæ monasterium Regij Campi locupletauit & perfecit. Hi undecim liberi cum maximo honore domum Austriæ illustrarunt, alij in puericia mortui sunt. Excerpsimus illa ex diuersis Annalibus, & ex Alberto Argẽtinensi pleraq;, qui genealogiam Ducum Austriæ in suis Annalibus fideliter exequitur, de quo mutuati pleraq; sumus. Nunc tetrastichon nostrum subijciamus:

Concidit Albertus miseranda cæde nepotis,
Imperium qui uix per duo lustra tenet.
Bissenos uictor conflictus hostibus edit,
Occidit à proprio sanguine progenitis.

Henricus

HENRICVS SEPTIMVS.

HENRICVS eius nominis septimus (nam illi in interregno creati, haud connumerantur Regibus in Cęsarum catalogo) filius fuit Henrici Comitis de Lutzelburg, & Beatricis Comitissæ Hannoniæ. Qui quidem Henricus pater regis ante uillam Vuuringen, haud longè à Colonia à Duce Brabātiæ & Comite de Monte, qui hodie dux est, occiditur, cum duobus fratribus Comitibus de Lutzelburg: tres relinquens filios, Henricum hunc Cæsarem, Vualtramum Comitem strenuissimum, & Balduinum Treuerensem præsulem. Fuit hic Henricus singulari integritate, armis quidem strenuus, sed religione præcipuus. De quo Italici scriptores etiam hæc produnt. Paternę huic opes haud magnæ sanè erant, sed iusticia prudentiáque, tum rerum gestarum gloria, quàm natalibus aut gentili regno illustrior. Licet Blondus ei nunc auariciam, nunc stulticiam, nunc fatuitatem obiiciat, ut est odium Italorum in Germanos. Qui tamē ea fuit animi tranquillitate dotatus, ut nulla unquā prosperitate efferretur, nulla deiiceretur aduersitate, quanquam plures quotidie experiretur aduersitates: adeò ut sub eo, nisi præcipiti morte præuentus esset, sperabatur sedata Alemanniæ discordia, & Italicarum factionum compositio, & terræ sanctę recuperatio. Maximam itaq; passa est Christianitas iacturam in nece illius nobilissimi Imperatoris, & simul religiosissimi. Quod palàm coram omnibus Principibus, Petrus Moguntinus Archiepiscopus alta uoce proclamauit: In quingentis antè, inquit, & amplius annis, nullius mors principis mundo periculosior fuit. Circumferuntur uersus non admodum concinni, qui lamentabilem eius mortem conqueruntur. Cæterùm, ut ordine singula pandamus, hic Henricus Comes Lutzelburgensis, Alberto occiso, Francofurt electus fuit Rex Rom. à Principibus imperij, Balduino archiepiscopo Treuerēsi eius fratre plurimū suffragante, prima Nouembris, anno liberationis nostræ octauo & trecentesimo supra millesimum. In quem usq; annum, à morte Friderici ij, res Italicę plurimùm turbatę. Nam superiores Reges Rodulphus, Adulphus & Albertus ab Italia abstinuerunt. Omnes penè Italiæ urbes imperio parere solitæ, excusso iugo, tyrannis potius subesse cœperunt. Sic Verona Scaligeros, Mantua Passerinos, Padua Carrarienses patiebantur. Gibelini & Guelfi totā Italiam discindebant. Electus itaq; Henricus prima Nouembris, Aquisgrani coronatur ab Henrico archiepiscopo Colonienſi. Epiphaniarū festo ascendens Rhenum, haud longè à Spira, Eberhardum Vuirtenbergensem comitem obuium habuit cum ducētis equis, multa inaniter loquentem & superbè. Qui tyrannidis & rebellionis accusatus, frigidè se purgās, cum indignatione à rege discessit. Ob id paulo pòst à Conrado de Vuinsberg regis præside, cùm Imperator in Italia esset, adeò est fractus ac debilitatus, ut ex octuaginta oppidis, castellis & munitionibus, uix tres remanerent. Quinimo ab Hessone, Marchioneq; Badēsi captus, in turri latuit usq; ad Imperatoris mortem. Mirum enim in modum exosam habuit superbiā, eamq; quoad licuit, semper detestabatur. Venerant ad eum Spirę Argentinenses ciues, priuilegiorum suorum confirmationem petentes, ac se missos à dominis Argentinensibus longo uerborū ambitu narrantes: quos derisit nulla eos responsione dignatus, donec se submitterent, ac se non dominos, sed ciues Argentinenses testarentur. Conuenerāt pręterea Principes et ciuitates, qui fidelitatē ac iuramenta pręstarent. Inter quos erat etiam Fridericus dux Austriæ, Alberti regis occisi filius, inuestiturā Ducatus petens ac feudum: quem Barones & ciues Viennenses odio persequebantur, ac in eum conspirabant, ne illis dominaretur. Missis nunciis regem orabant, ne illi Ducatum Austrię cōcederet. Cum eo itaq; Hēricus post multos tractatus, si fortè posset Alberti liberos ab Austria remouere, habito cōcilio, rex quinq; ob

Auſtriæ Ducatum occiſos, recenſuit Friderico. Cui Fridericus: ſit ille qui carere eo mauult, ſextus. Dehinc feudum ab eo accepit, & ius quod habuit in regno Bohemiæ cum fratribus, Regi donauit. Qui pòſt filium ſuum Iohannem, ut ſcribemus, Regem fecit. Petijt inſuper ut ducentos equites galeatos ſecum ultra alpes mitteret, quod factum eſt. Fridericus Auſtriam reuerſus, Baronibus caſtra & munitiones diripuit & ſolo æquauit. Viennẽſes ciues oculis, naribus, manibus, pedibus detruncauit, equis adalligatos diſcerpſit, rotis fregit, enſe ac laqueo obedientes reddidit, coëgitq; ut ſe dominũ ſuum, ac Principem agnoſcerent. Dehinc fratrem Leopoldum Ducem Auſtriæ, ut cum Imperatore alpes tranſeat, cum militibus ordinat. Cùm autem Henricus Spiræ uidiſſet Regum & Imperatorum monumenta, doluit anteceſſores ſuos Adolphum & Albertum in loco occiſionis eſſe ſepultos. Iuſsit itaque eos effodi atque illuc deferri. Delato itaq; corpore Regis Alberti naue, Rex obuiam ad Rhenum uſque pergit. Filiam Alberti Reginam Hungarię quæ funus comitabatur, honorificè ſub brachijs in urbem uſq; traduxit. Corpusq; Alberti in ſepulchrũ uxoris Friderici Imperatoris collocauit. Adolphi autem corpus (quod eodem die eſt pariter allatum) in Friderici Imperatoris filiæ monumento ſepeliri iuſſit. Sic duos occiſos Reges uno die regia pompa honorificè & piè actis funebribus ſepeliuit, iuſtaq; perſoluit, clementiſſimus & potentiſſimus Rex. Dehinc ad filij nuptias animum intendit, ut res domeſticas quæ mediocres ac perinde infirmæ erant, aliqua affinitate muniret & latius proferret, priuſquam Italiam ingrederetur, maiori ex parte iam pacata Germania. Erat ei primogenitus Iohannes uix ephebus ac annos pubertatis ingreſſus, cui deſponſauit Elizabetham puellam grandiuſculam & proceræ ſtaturæ, Venceslai ſenioris filij Ottacari, olim Regis Bohemiæ filiam, neptem Rodulphi Regis Roman. Quæ Spiram honeſto comitatu adducta. Quæ quia annos uiginti ſuperaret, & corpore grandior eſſet quàm ſperabatur, ob fornicationis ſuſpicionem, diu nuptiæ eius ſunt dilatæ. Puella innocens, morę impatiens, ubi hanc falſam intelligit ſuſpicionem, denudato corpore interiori ueſte Regem adijt, ſtola unica tecta. Virginitatem meam, inquit, ô Rex aſpectu corporis mei & examine honeſtarum approbabo matronarum, nec hinc pedem mouebo, niſi ſiniſtram de me ſuſpicionem abijcias, accerſitisq; matronis meam integritatem quam falſò uiolatam ſuſpicaris, ſynceram inuenias. Timore perculſus Rex, inducere Reginam uirginem non potuit ut abiret, plurimùm ſeſe excuſans de concepta in ſe ſuſpicione. Coactus itaque mittere pro matronis & obſtetricibus, reperta eſt illæſa & inuiolata uirgo. Maturatæ igitur ſunt nuptiæ & ſolenniter celebratæ. Quas tamen pauliſper Moguntinus & Colonienſis antiſtites ob ſuperbiam interturbarunt. Vterque enim dextræ Principis aſſidere contendebat. Sed rixa illa ſedata, & nuptijs finitis, ex Francis Orientalibus & Bauaris cogitur exercitus, qui Iohannem filium Henrici Regis cum regina in Boëmiam (quæ dos eius erat) traducat. Henricus enim Carinthiæ Dux, filius Meinhardi Comitis Tyrolis & Ducis Carinthię, cùm ſororem Venceslai Iunioris,
265 Annam uxorem haberet, regnum Bohemię tum occupauit, ſed à Baronibus deriſui habitus. Iohannes hic filius Henrici Regis eligitur (abeunte Henrico duce in ſuam Carinthiam) & cum regina Pragę, à Petro Moguntino archiepiſcopo (ad quem ius coronationis ſpectat) coronatur cum ſua coniuge, pridie nonas Frebruarij, anno ſaluationis noſtrę undecimo, poſt milleſimum trecenteſimum. Erat aũt is Moguntinus pręſul quondam Petrus de Treueri num cupatus, medicinę profeſſor eminentiſſimus, in quodam diſſidio Stelliferorum & Pſitacorum (fortuna ſic uolente) in epiſcopum Baſilienſem, dehinc ob eius ingenium ac mirabilem induſtriam in archiepiſcopũ Moguntinum delectus, ac per ſedẽ apoſtolicã ſub Alberto Ro. rege promotus. Qui pòſt in amorem & gratiã Henrici regis inſinuatus, illi debita & multa pręſtitit obſequia, et

obid

ob id ab eo haud uulgariter amatus. Cùm interea Germaniæ res Henricus rex componeret, oratores misit Henrico Carinthiæ duci, qui ob ablatum Boëmiæ regnum irascebatur, ut ipsum placarent. Dehinc ad Auinionem ad Clementem V Pontificem episcopos duos, & tres Comites oratores dirigit, qui coronam imperialem, Imperatorisq; nomen & titulũ petant. Nam & Pontifex diu à Roma aberat. Promittit pontifex Cæsari imperialem coronam, si infra biennium in urbem ueniat. Feruebant enim discordiæ per populos, ac uetera intestinaq; uulnera grauiora indies renouabantur, quæ absq; Cæsaris præsentia sanari non poterant. Venerant itaque ad regem Matthæus Mediolani, & Theobaldus Brixiæ magnates, cum plurimis Longobardis, sollicitantes Regem ut Italiam ingrederetur, eamq; à tyrannis liberaret. Quos benignè Rex amplexus, donatos dimisit, & Theobaldũ militari cingulo insigniorem reddidit, breui se subsequuturum pollicitus. Patriam itaq; Lucelburgam accedẽs, cum amicis & terræ illius primoribus de copijs ac auxilijs sibi præstandis, cum uxore & fratribus suis, Balduino Treuerensi ac Vualtramo Comite consultat. Qui unà omnes secum iter arripientes, per terram comitis Sabaudiæ, qui sororem reginę uxorem habuit, Longobardiam ingrediuntur. Ingressi cum eo Leopoldus Austriæ, & Rodulphus Bauariæ Duces, archiepiscopus Treuerẽsis, Leodiensis, Basiliensis, Tridentinus, qui magister erat epistolarum, & plures alij antistites. Comes Sabaudiæ, Comes Flandriæ cum multis alijs comitibus, Baronibus, militibus & stipendiarijs Principum & ciuitatum Germaniæ. Transgressis itaque alpibus, primò Taurinum delati sunt. Taurini Regi populariter obuiam facti, & se & urbem Regis arbitrio permisere. Dehinc hastæ honorificè pariter acceptus ut eorum dominus, etsi fœdere se in fidem & tutelam Roberto regi permisissent. Vnde cùm de eorum fide dubitaret, primores ciuium secum Mediolanum perduxit. Nicolaum Senensem ijs præfecit, qui nouis legibus populum astringat, & peregrino præsidio arces & castella Hastensium præmuniat. Cæsar Mediolanum dehinc pergit. Postquam controuersias primorum ex Longobardis composuerat Hastę, exercitumq; suum subsequẽtem expectauerat, à Guidone de turri Capitaneo Arredis perhumaniter susceptus est: licet prius signa & imagines imperij deiecisset. Nam eum citò obiturum sperabat. Is inter Guelfos dominium ciuitatis habuit, cùm Matthæus Vicecomes altera ex parte ad regimen urbis aspiraret. Tametsi inops & exul paulò antè erat, congressusq; hominum præ pudore fugeret. Nam citra Benaci ripas, solus errare & retia texere, atq; piscari solebat. Singulis autem Lombardiæ urbibus uicarios dedit, quos receperunt, fidemq; Cæsari promiserunt. Cùm autem rex ab utriusq; factionum capitibus urbem recepisset in suam potestatem, Leopoldo Duci Austriæ cum Germanis cohortibus præsidium urbis curandum imposuit, Pisanorum tum legati aderant, qui ingentẽ uim auri secum detulerant, Henricoq; donauerant. Prosequebatur præterea ingens Italicorum procerum multitudo, obedienter quæcunq; is imperasset faciens, dedititios se Cęsaris profitentes, & munera & ad uictum necessaria affatim exhibentes. Erant Cęsaris subinde uidendi perquam cupidi. Sexaginta etenim penè annos designati ad imperium Reges, Italiam non uiderant. Ipse uerò Cęsar moram illic faciens, ab archiepiscopo Mediolanensi, coronã ferream accepit, quę Modœcię ab alijs Imperatoribus accipi consueuit. Nobiliores Gibelinorum & Guelforum totius Italię conuocat, summis uiribus attentans eos in concordiam reducere. Sed post magnam deliberationem, illis respondentibus impossibile fore, infecta re singulos remisit. Guido aũt Turrianus ęgreferens moram Cęsaris in urbe, de eius traditione atq; interitu, anxiè secũ cogitat. Matthęum Vicecomitẽ Cęsaris demeruisse gratiã atq; in patriam reductũ dolet. Maximę lites & intestina bella inter ciues suscitantur. Suę factionis profugos ad se pellicit: uidit enim nobiliores ciuium Cæsari opes suas sponte afferre, imperatáq; face-

facere: ad hæc muneris loco Henrico quinquaginta millia aurẽorum, reginæ decem millia pollicerí. Turrianus igitur proditionem Cæsaris diu meditatam, tandem ad exitum deducere parat. Quendam enim de zodomia condemnatum, ad supplicij locum educere decernit ad concremandũ, sperans maximam Germanorum militum partem ad spectaculum progredi. Tum clausis portis regem in palatio desertum, sperat facilè mactandum. Hoc fortè cõsilium dum Turrianus cum quibusdam factionis suæ in domo capesceret, adolescens quidam qui non curabatur, hoc audiens, Matthęo pandit Vicecomiti. Qui dispositis clàm armatis, seditionem hanc dissimulanter expectat, regiq; omnia aperit. Suborto tumultu, fratres Theutonici ordinis sanctæ Mariæ, qui etiam officij gratia Cæsarem comitabantur, primi irruentes in palatium regis, coniuratores uiriliter repellunt, palatiumq; defensantes, portam aperiunt urbis, qua occlusus Leopoldus Dux Austriæ ducentis cum armatis iacuit: magno labore obstacula remouentes, ictusq; lapidum ac lancearum sustinentes, ad Cæsarem properant. Matthæus quoque cum suis quos habuit occultatus erupit, obuiosq; quosque trucidant, nemini parcunt. Turrianus cùm iam consilium proditum suspicaretur, fuga elapsus cum suis euasit. Domus eius solo æquata, bona direpta, trucidati obuij quique. Tùm primùm Guelphis Cæsar cœpit esse inuisus, Gibelinisq; adhærere, cùm prius factionem illam (quæ totam occupauit Italiam) delere pro uirili elaboraret. In exilium igitur acti Turriani, Matthæo autem Vicecomiti cura Mediolanensis urbis demandatur. Vuernherus etiam Comes de Hohenberg relictus à Rege in Lombardia, incredibiles habuit uictorias. Venerant tum ad Cæsarem omnes ciuitates Pedemontanæ, præter Brixiam, opes in sumptus & militaria promittentes auxilia. Brixienses, Papienses & Placentini, Turrianis fauebant. Verùm illis fugatis domo & patria, Henricus uniuersæ Italię formidolosus esse cœpit. Cremonenses igit cùm animũ Cæsaris cognouissẽt, laqueos ferẽtes in collis, ac manus cãcellatim strin gentes, in humum procumbebant, gratiam petentes. Quos Cæsar in deditionem suscepit, accepta etiam pecuniaria mulcta, quę cẽtum millia aureorum superauit. Bellici enim tumultus omnem pecuniam Cæsaris deuorabant. Redacta igitur in deditionẽ Cremona, Laudenses & qui Cremam possederant, missis clauibus Henrico, se & sua in ius ac arbitrium Cæsaris subiecerunt. Brixiani in rebellione contumaces perseuerabant: quos Theobaldus Brussatus, qui Spiræ militari parazonio à Cæsare donatus, eiusq; beneficio in patriam receptus erat ab exilio, ad defectionẽ sollicitabat, in rebellioneq; detinuit. Longa igitur obsidione Brixiam premens, fame, ferro, flammisq; tandem perdomuit. Exim menso eĩ exercitu, qui tria penè miliaria occuparat, & ex captorũ cæsorumq; cadaueribus sæuissima suborta pestilentia undiq; grassabatur. Vualtramus aũt frater Cæsaris, dum inermis incautius hostes usq; ad urbis portas persequitur, iaculo uulneratus letaliter, ac Veronam perductus, cùm medicorum ope curari non posset, moritur, honorificè sepultus. Morte fratris Cęsar exacerbatus, se per portas urbis nõ intraturum iurat, sed cõplanata fossa, dissectisq; mœnibus, Cùm aũt Theobaldus in monte, qui Brixię imminet, cũ paucis militibus quotidie Cęsaris castra specularetur, tandẽ capta rupe & obsessa, milites occidunt ac spoliantur. Inter cadauera Theobaldus, qui se mortuũ simulabat, ut hostium manus elaberetur, repertus, Cæsari est allatus. Quẽ acerbissimis uerbis, ut proditorem incessit, illumq; diligentissimè curari iussit, ne morte supplicio eriperetur, sed ut diutius affligeretur. Crudelissima dehinc eiusdem audta sunt flagitia: quæ in propinquos, in generũ sæuissimus latro patrauerat. Sed cùm octo diebus corpus esset firmatum medicinis (uulnus enim letale habuit) equo alligatur perfidus, per exercitum raptatur, in quatuor dein partes dissectus. Tum ex aduerso urbis, perticæ longiores defixæ sunt, in quarum fastigio caput, pedes, & manus deligantur. Brixiani etiam quatuor capti, bobus alligati, dila-

ti, dilacerantur. Oppidani luctuosum cernẽtes spectaculum, quinquaginta ciues partis Cæsarianæ, quos captos habebant, in mœnibus urbis in Cæsaris contemptũ, ac Theobaldi uindictam, suspendunt. Per hos dies legati tres Cardinales, quos Pontifex legitimæ coronationis gratia Cæsari mittebat, Nicolaus Hostiensis episcopus, Lucas de Fliſco, Genuensis, & Arnoldus Sabinensis, Brixiam uersus, ad Cęsarem pergunt. Hi obsessorũ cladem miserti, quia inedia plurimi conficiebantur. Alij minus malum iram Cæsaris putantes, cum loris (quæ è collis dependebant) ueniã petentes, miserabiliter trucidabantur. Deditionem urbis paciscuntur. Sexaginta millia aureorum nummũ Cæsari dependent, sexagintaq; ciues nobiliores obsides, qui Romã usq; officij gratia regem prosequantur, deligit. Deinde muros subrui, & ad solum æquari iussit: ac demolita porta, urbem post sextũ deditionis diem ingressus est. Si prodigia cognoscere quæ tum euenerunt in Italia uolueris, Franciscum Petrarchã adito, qui te omnia edocebit, libro rerũ memorandarum quarto. Genuam dehinc circa hyemem cum apparatu regio ingreditur tribus penè mensibus sęuitiã hyemis tolerans. Vbi etiam uxorem charissimam & matronam nobilissimam cum magna iactura sua amisit. Dehinc Pisas ueniẽs, inæstimato gaudio à ciuibus susceptus est. Vbi paulo pòst (nam duos illic menses commoratus) Ioannem ducem Austriæ occisorem Alberti, clàm de Pontifice uenientem cepit, Pisanisq; commisit. Qui in uinculis postea mortuus est. Noluit enim tantum scelus esse inultum, neq; uoluit uirum delicta confitentem grauiterq; pœnitentem, sine misericordia trucidare, sed medium elegit, ut in carcere pœnas lueret scelerum. Ad urbem dehinc properat Henricus, præmissis quibusdam nobilioribus, quibus Ludouicus Sabaudiensis præfuit, ut motus sedarent, quos sciuit à Roberto Apuliæ rege, qui Vrsinos sibi asciuerat, esse suscitatos: nam Cæsarem impedire conabatur, qui Gibelino nomini erat infestissimus. Etsi hunc rogasset, ut coronationi suæ interesset, quo illustrior sua præsentia redderetur, Robertus tamen multa causatus, fratrem Ioannem cum equitatu misit, qui largiendo, pollicẽdo Vrsinos ad se pellexit. Columnẽses autem uetus & potens familia, Cæsari adhærens, multas pugnas contra Vrsinos in urbe fecerunt. Rex igitur urbem ingressus, miserabiles cædes & cruentas pugnas in plateis (quæ sanguine erant fœdatæ) conspexit. Quandoquidem tribus pene mensibus Columnienſis & Vrsinus adiuncto externo præsidio, atrocissimè decertarunt. Moliebantur em aduersarij ne in æde diui Petri coronaret. Romani pro Cæsare in aciẽ progressi, capitolium inuadunt, campum Floræ occupant, & ad Adriani molem, quæ nunc arx Sancti Angeli appellatur, perueniunt. Differentibus igitur Cardinalibus coronationẽ Cæsaris (nam & unus ex ijs obijt, & interceptæ Pontificis literę, coronationem differendam significarunt: licet alij scribant Clementem literis mandasse, ut in Lateranensi templo solennis coronatio fieret, neq; deamplitudine Cęsarei nominis quicq; inde diminueretur) indignatus Stephanus de Columna, cum multitudine Romanorũ tantum deterruit Cardinales, ut kalend. Augusti Sancti Petri uinculorum celebri die, in æde Sancti Ioannis Lateranensis, Henrico imperij insignia conferrẽt. Qui unctionem solennemq; titulum sortitus, Imperator & semper Augustus est uocatus. Cęsar urbẽ relinquẽs, Tibur emigrat, relicto in urbe Hugone de Buchek comite, cum trecentis equitibus, qui cum Stephano uiriliter Guelfos ex urbe S. Petri, quam Cæsar adire nequiuit, eiecit, & crebrò manus cũ aduersarijs conseruit. Ad Aetruriæ igitur amicas urbes regredi instituit, ac protinus per fines Sabinorũ, Vmbrorũ, & Perusinorũ, Aretium peruenit, incredibili honore susceptus. Hinc ad Florentiam tẽdit: quibus legatos miserat, priusquam Italiã intrasset, ut depositio ciuili odio exules reciperent, sese propediẽ cum magno Germanorũ exercitu affuturum: quibus adeò superbè responderũt, ut Dantes uates haud illepidus (quẽ etiam inter Gibelinos exilio mulctarũt) Florentinos cęcos haud ab re appellauerit.

Nam

Nam Florentini Cęsareis oratoribus responderunt, imprudenter agere sapientem Principem, qui Barbaros in Italiã duceret, quam deberet à Barbaris tueri. Obsidione igitur hanc & inopia rerum macerare maluit, q̃ oppugnare locatis castris. Nam agri undiq; adeò populati fuerant, ut nihil inde commeatus haberi posset, omnesq; aditus obsessi, per quos frumenta comportabantur. Sic mœnibus inclusos, fame debellare cogitauit. Florentini se Roberto subijciunt. Imperator igitur Pisas petijt (Pisanos enim præ ceteris insigniter amabat) Robertum illuc, quasi cum eo lege acturus, uenire iubet. Is aũt & suspectum locum, & inhabilem iudicem causatus, Imperatorem contemnit. Qui eum hostem imperij decernit, ac lęsæ maiestatis reum denũciat, ac proinde tanquam rebellem Campano atq; Apulo regno priuat. Quam sententiã Clemens post interitum Cæsaris improbauit. Cęsariq; mortuo, periurium impinxit, multasq; constitutiones quas neq; ausus est publicare, fecit. Floruit enim per hæc tempora Clemens V, & curiam Rom. in Gallias transtulit. Vbi per septuaginta annos ferè mansit. Hæc autẽ in Clementinis de sententia & re iudicata disputantur c. Pastoralis. Nec hac reuocatione contentus Pontifex, sed ut Rom. Pont. augeret potestatem, decreuit ut designati in Germania Cæsares, quamuis Ro. regis appellationẽ sortirentur, tamen à summo sacerdote Imperij iura & nomen acciperent. Adiecit insuper, ut mortuo Imperatore, per omne interregni tempus Italicarũ urbium, quæ Cęsari stipendiariæ sunt, arbitriũ & potestas penes Ro. Pon. 266 foret. Sed ad Cæsarem nostrũ redeamus. Hic post condemnatum Ropertum, Florentinos pariter honoribus & omni dignitate mulctat, eisq; potestatẽ reddendi iura adimit. Vnde Imperator ut hunc deijceret, Friderici Siciliæ regis filio, filiam suam in uxorem despondet, Apuliamq; promittit. Ex Germania nouas copias nouumq; exercitũ aduocat. Venerat in hoc exercitu mater Imperatoris cum filia Siculo desponsata. Afferebatur & Catharina Alberti Ro. regis filia soror Austriæ ducum Imperatori nuptura. Id enim suaserant proceres & omnes Principes Cæsari, ne desertus & sine prole ulteriori moreretur. Quibus tandem post querelas assensit in hanc mœstus Imperator, ne suis esset omnino contrarius, misso Gurcẽse præsule, qui sponsam afferret. Sed allata ad Rhenum cum clementissimo apparatu, lugubrem accipiens nuncium de Cæsaris interitu, penè sibi ipsi mortem conscisset, maximis eiulatibus cum matre sua Elizabeth regina, quę filiam comitabat, se macerauit. Quanquã pòst, Friderico fratre duce Austriæ procurante, Carolo Calabriæ ducí, Roberti Sicilię regis filio desponsata, cũ honorifico comitatu in Prouinciam secedit. Nullã tamen ex eo prolem generauit. Pręmisit insuper Cęsar comitẽ de Blanckenberg in urbem, qui apud S. Petrum domicilium pararet. Interea Cęsar Sicilienſi & Ligustica classe maritimas urbes, quę Roberti ditionis erãt, populat. Fridericus terrestribus copijs Calabros prædatur. Ipse Senensium terras ferro igneq; deuastauit: captos laqueo in arboribus suspẽdi fecit. Instabat beatissimę Virginis dies, quo in cœlum ab angelis assumpta est, quo solitus erat Cęsar omnibus intermissis negocijs, rebus diuinis uacare. Ea erat enim religione, ut sępè totas noctes ante imaginem Crucifixi (quã semper secum circumferebat) orauerit quàm deuotissimè, & peccata defleuerit q̃ amarissimè. Solitus sacram Eucharistiam aliquando cottidie, aliquando summis festis accipere. Ob quam rem festinã mortem incurrebat. Mane itaq; post peracta solennia, cùm de more sacrosanctam Eucharistiã in mystico pane acciperet à fratre ordinis prędicatorũ Bernhardo nomine, ilico incœpit ægrotare. Ferebatur eũ maledictus iste monachus sub unguibus uenenũ habuisse, quo & hostiam & calicẽ infecerat, moxq; dehinc abijt. Inualescẽte morbo, Cæsari consulunt proceres, ut Pisas reducat. Quibus respõdit se in seruitio Dei esse, nec aliò profecturũ. Itaq; Bonouentum deferi, ubi animam Deo reddidit. Anno imperij eius quinto, Christi, tredecimo supra millesimũ trecentesimum, cum ineffabili luctu ac lamẽtatione: Pisasq; delatus, hono-

honorificè est sepultus. In eius sepulchro hæc legitur inscriptio: *HOC IN SARCOPHAGO HENRICI OLIM LVZELBVRGENSIS COMITIS, ET POST VII HVIVS NOMINIS ROM. IMP. OSSA CONTINENTVR: QVAE II POST EIVS FATVM, ANNO VIDELICET M.CCCXV. DIE VERO KALEN. SEXTII. PISIS TRANSLATA, SVMMO CVM HONORE AC FVNERE HOC IN PHANO AD HVNC VSQVE DIEM COLLOCATA PERMANSERE.*

Ricardus negat eum ueneno fratris prædicatoris periisse, sed ardentissima febre correptũ, sexta die uitam finisse, atq; corpus eius tanquam uenenati ob repletionem cõparuisse: Ioannis filij eius Boëmorum regis, ac Baldeuini Treuerensis archiepiscopi fratris sui testimonijs, ut ipse asserit, qui inquisitionem super hac re fecerint. Cõstat tamen hunc Balduinum post mortem fratris non sine grauibus laboribus cum maxima lamentatione ad sedem suam redijsse, gestaq; fratris sui Cæsaris artificiosissimè in aula Treuerensi pingi fecisse. Addit alius scriptor hũc Bernardum sexagenarium fuisse, & Gibelini nominis studiosum, à Montisfeltri dominis in familiarem Henrici amicitiam insinuatum, atq; ob id insontem fuisse. Qui uerò Henricum Romam sequuti sunt, atque singula in formam ephemeridis conscripserunt, hunc monachum à Florentinis subornatum asserunt. Quibus communis Annalium assertio accedit, auctorem Ptolomeum Lucensem afferens, qui per illa penè tempora floruit.

Habuit autem uxorem Henricus Margaritam Ducis Brabantiæ filiam nobilissimam matronam, rei diuinæ apprimè studiosam. Quæ sacerdotes liberalitate & munificentia fouebat, egenos & mendicos datis alimentis sustentabat. Tam enim se humilem submisit, ut cùm Mediolani esset, die quo cœna nostri Saluatoris religiosè celebratur, ipsa pauperibus pedes sua manu lauit, uestimẽtaq; liberaliter distribuit, multorum astantium oculos in fletum & lachrymas impulit. Præterea aulæ proceres, & qui à Rege honores & dignitates expetebãt, iuuare solebat. Si quos abalienatos & infensos Cæsaribus agnoscebat, eos bona spe aut beneficio & interim liberali opera uiro conciliabat. Virum Romam sequuta est. Sed Genuam ueniens, mortua in æde Minorum fratrũ sepulta, ut petebat: Hostiensi iusta faciente, qui tunc cum Cæsare erat. Inconsolabiliter mortem huius Imperator deplanxit, nec ullam unquam uoluit consolationẽ recipere. Genuit ex ea plures liberos: In primis Ioannẽ Comitem de Lutzelburg, regem Boëmiæ. Et tres filias: Beatricem quæ Carolo regi Hungariæ nupsit. Quæ uno tantum anno secum uiuens, in partu mortua est. Alteram Mariam, quæ Carolo Pulchro Franciæ regi desponsata, pariter in partu (ut soror sua) animam exhalauit. Tertiam filiam accepit in coniugem Rudolphus Palatinus Rheni, ex qua Agnes nascitur, uxor dehinc Caroli *IIII* Cæsaris, ut infrà dicemus. Catharina uerò Alberti Rom. Regis filia, desponsata quidem fuit Henrico Cæsari, sed thorum non est ingressa, ut diximus. Ob cuius mortem etiam diutissimè se macerauit. Ex diuersis Annalibus, & Alberto Argentinense nonnulla excerpsimus. Georgius Merula uicecomitũ scriptor septimo & octauo libris, ingressum Henrici in Italiam, graphicè describit. Nullo autem honoris titulo tantum Principem dignatur, quàm ut ipsum Barbarum appellitet sua petulanti lingua. Blondus item non syncerè admodum ei stulticiam obijcit. Platyna in uita Clementis V, multa etiam de hoc Imperatore. Sed tetrastichon nunc subijciamus:

Italicas penetrans Henricus Septimus oras,
Guelfis infestus tolleret ut Latio,
Concidit à monacho qui mystica liba ministrans;
Pro uita mortem, toxica sæua dedit.

DE DIVISIONE IMPERII OB DVOS COMPETITORES FACTA, PER FRIDERICVM Austriæ, & Ludouicum Bauariæ Duces consobrinos: quæ in annum penè nonum est protracta.

MORTEM Imperatoris Henrici subsecutum est interregnum, quod annuo penè spacio & amplius durat. Vacabat enim à morte Henrici Imperium mensibus tredecim, & dies aliquot. Nam post Virginis partum, anno quartodecimo post millesimum, trecentesimum, die quo celeberrimi diui Lucæ Euangelistæ solennitas peragitur, electio utriusq; Francofurt indicta est: quæ & difficilis & periculosa fuit, utpote quę inter duos competitores consobrinos suborta est. Fridericus enim Austriæ Dux, filius Alberti ducis Austriæ, & Romanorum regis, Ludouicus uerò Mechtildis filius, filiæ Rudolphi Romanorum regis erat. Periculosum itaq; fuit alterutrum uel cõtemnere, uel alteri præferre. Quanquam si electio integra mansisset, non largitionibus corrupta, & dolis inuersa, penes Fridericum Austriæ Ducem stetisset concors & parte maxima. Id quod apertissimè & serie quadam explicabo. Cùm enim Fridericus Austrię strenuissimus Princeps, ne à maiorum nobilitate degeneraret, & patris & auí uestigijs innixus, pro regno adipiscendo elaborabat, cõtrarios quos non sperabat, reperit. Petrum Moguntinum Præsulem, quem Albertus rex pater ex Basilienſi ad hanc extulerat dignitatem, Balduinum item Treuerensem Antistitem, Henrici Septimi Imperatoris defuncti fratrem. Cui Ioannes Boëmiæ rex, Henrici quoq; filius adhæsit, hi se Friderico opponunt. Fridericus itaq; consobrinos suos adiens, Rudolphum & Ludouicum Iuniorem fratres Duces Bauariæ Palatinosq; Rheni, operam suam ijs pollicetur. At illi tanto negocio se impares asserunt, Friderico operam suam promittũt, seq; illi obligant. Fauit Vualdemarus Marchio Brandeburgẽsis Friderico quoq;, & item Saxoniæ Dux senior Albertus. Omnes enim hij unà cũ uxore regis Boëmiæ, Rudolphi Regis olim nepotes erant. Præterea cùm Saxoniæ Dux Senior iam à Pontifice designatus esset Patauiensis Præsul, literas has apostolicas (quibus sibi prouisum erat) acceptare recusat: renuncians literis, ne electionis munus amitteret. Quanquam aliqui hunc causabãtur indignum, quòd Henricum Lucelburgensem prius elegisset, elegendiq; munus nunc Iuniori Saxoniæ Duci fratri competere assererent. Qui fratrem quoq; inhabilem affirmauit, quòd sacris esset initiatus. Et ob id ille Friderico contrarius extitit, Ludouicoq; suffragia sua contulit. Ad hęc Henricus de Virnburg, Præsul Colonienſis, Friderico fauebat. Quoniam filia fratris Comitis de Virnburg, Henrico Duci Austriæ fratri Friderici, in uxorem paulo antè data fuit. Cùm ergo comitiorum dies aduenisset, Principes quoque non omnes in Francofort conuenirent, sed alij per procuratores, alij per literas sua uota explicarent. Ecce immensum militis cuiusdã alioqui strenui, Nicolai cognomine de Boock, dolum & facinus animaduersione dignum. Hunc Vualdemarus Marchio Brandeburgensis cum literis diplomate munitis ac corroboratis, Principum congregationi nuncium misit, cùm ipse aut uenire nollet, aut non posset, Fridericum regem suo suffragio cõstituens. Miles is quòd nihil se sperabat à Friderico consequuturũ, simul etiam quòd plurium animos in Ludouicum cerneret inclinatos, abrasa membrana, expuncto q; nomine Friderici, Ludouicum substituit contra domini sui uoluntatem, literis adulteratis. Ob quod etiam scelus Vualdemarus Marchio, postquam intellexit electionem in aliam partem inclinatã proditione legati sui, mitem redeuntem, uinculis alligatũ, custodiæ demandat, inediaq; conficit. Quotidie enim delicatissimos cibos, quibus hũc cupidè nouit uesci, sibi apponi iussit: adhibitis militibus, qui hos uorarent, eo spectante & ligato, donec is fame periret.

periret. Alij scribunt binas literas militem à Marchione pari sigillo munitas accepisse: quarum unæ rasæ extiterant, quas fidei suæ commendauit, ut illis uteretur pro occasione. Qui fracta fide, cùm Ludouicum delegisset per literas contra Domini uoluntatem, animumq; Domini prodidisset, has tandem proditionis pœnas luisse. Fit ergo à Principibus electio. Colonien sis Episcopus Fridericum elegit Austriæ Ducem. Huic accedit Rudolfus Bauariæ Dux & Rheni Palatinus, fidem promissam seruans, nec fratrem suum Ludouicum eligẽs. Ob cuius dehinc odium etiam exulare coactus. Dux item Saxoniæ Senior in Fridericum cõsentit. Si Marchio iam præsens fuisset, absq; hæsitatione Fridericus plura suffragia sortitus, tantum præualuisset: quamuis & sic numero superior esset, antecelleretq; Bauariæ Ducem Ludouicum. Qui etiam sibi (ut superius scripsimus) operam suam strenuè pollicitus erat. In suijpsius tamen electione promissionem factam, seruandam minimè arbitrabatur. Ob id inductus miles, literas Marchionis protulit, quæ in Ludouicum uertebãtur. Cui Moguntinus & Treuerensis antistites consenserant, & item Boëmus. Nemini igitur dubiũ, quin Austriæ Dux legitimè electus fuerit per plura, honestioraq; suffragia. Ludouicus autem, ut se cunctis monstraret ritè electũ, à singulis Principibus literas petijt, quas undiq; populis ostendit. Substitit interim dum electio fieret Friderici exercitus in oppido Saxenhausen, quod eregionè Franckfordiæ ultra Menum iacet. Cui Moguntinus uictum cõmeatumq; subtraxit. Nam haud longè à Moguntia, Treuerensis, Moguntini & Boëmi exercitus aberãt, finem negocij utrobiq; expectantes. Dum ergo ij electionem alterius improbarent, quisq; assertores suos habebat, electionem nũc ex absentia quorundam, nunc ex inhabilium electorum uotis improbantes. Discordia hæc armis erat sedanda. Mox igitur Ludouicus Aquisgrani, in loco quidem quo debuit à Moguntino, astante Treuerensi episcopo, corona est insignitus. Fridericus pariter Bunnæ à Colonien si Præsule (cuius certè est primam Imperij coronã dare) sed non in loco quo debuit, coronatus est. Sic igitur diuisum imperium, diuisas fecit urbes & ciuitates. Sic quoq; diuisi sunt populi. Alij enim huic fauebant, alij alteri consentiebant. Pontifex Iohannes XXII, ut est eorum ingenium uafrum, & qui ludibrio habent Germanos Principes, utrisq; literis suis blandiens, Reges eos uocauit, ac dilectionis filios, dum inter se digladiarẽtur. Ludouico postea capitaliter infensus (ut patebit) quum solus regnaret. Germani autem qui dissimulare nesciunt, palàm aut aduersabantur illi, aut uenerabantur alium, in uerba q; huius iurabant. Inferiores autem Rheni ciuitates usq; ad urbem, cui Sels uulgare nomen est, Ludouico adhęserunt. Selsa uerò cum superioribus Regni ciuitatibus Friderico, exceptis Berna & Solodoro, quæ neutrum curabãt. Sed mox & illę à Leopoldo Duce, fratre Regis coactę sunt Fridericum agnoscere dominum. Qui quanta amore fratris sui peregerit, inferius dicemus, cùm singulorum uitas particularius (ut instituimus) enarrabimus. Primùm itaq; de Friderico hæc in Annalibus nostris inuenimus.

FRIDERICVS PVLCHER.

FRidericus igitur Dux Austriæ, cognomine Pulcher, filius Alberti Primi eius nominis Ducis Austriæ & regis Romanorũ, ac Elizabeth Ducissæ Carinthiæ, Comitissæ Tyrolis. Vir elegans & statura procerus: cuius forma digna Principe extitit, largus & liberalis erga omneis, & ob id omnibus pergratus. Post patris Alberti occisionem, cum fratre suo Leopoldo occisores inuestigans sollicitè, homicidas puniuit. Sed mansuetudine sibi innata plurimùm iram fratris Leopoldi (qui in suspectos etiam paternæ necis crudeliter desæuijt) pro uirili temperauit. Atq; ideo Henricum Luzelburgensem Im

peratorem ſolicitare non deſijt, quem ad Salisburgam uſq; cum mille quingentis ſequebatur equitibus, donec definitiua ſententia occiſores omnes, in primisq; Iohannem maieſtatis læſæ reum declararet, eosq; proſcriberet, bonaque publicaret. Feudum dehinc ab eodem Imperatore conſequutus Auſtrię & Stiriæ, bonorumq; Ducis Iohannis, in Sueuia munitiones eorum, quos conſcios paternæ necis deprehenderat, diruit, ſoloq; æquauit, atque eos partim captos profligauit, partim occidit, partim in exilium egit. Cum Cæſare Henrico tantum effecit, ut pater ſuus Albertus atq; Adolphus exhumati, Spiram cum cæteris Regibus ſepelirentur, ut ſuperius in Henrico VII docuimus. Interea quidam Barones Auſtriæ de familia Pottendorff & Eytzing ſeditiones moliti, rebellionem contra Duces Auſtriæ ſuſcitaſſent, niſi fuiſſent à dominis de Vualſee oppreſſi. Qui rapinas eorum caſtigantes, noua tributa illorum deiecerunt, ereptis caſtellis, quæ Ducibus Auſtrię contra fidē eripuerant, occupauerantq; iniuſtè, ab eiſdem coacti ſunt cedere cum ignominia. Sed & ciues quoſdā Viennenſes Monopolium contra Rempub. inſtituentes ac in abſentia Principis Rempub. Auſtriæ pro arbitrio dilacerantes, ita compeſcuit, ut aliquos luminibus, aliquos uita priuaret. Quendam uerò ciuem Iohannem Stadlauuer equi cauda tractum, rota in multorum timorem diſſecuit. Conſcij metu territi uoluntarium ſibi exilium elegerunt, dum præter omnem ſpem Viennam eſſet reuerſus. Geſſit interea contra Duces Bauarię plurima bella. Nam et agros depopulatur, caſtra & urbes igne ferroque deuaſtat & obſidione uallat. Tum etiam Scherdingam occupauerat. Auxilia tum ſubmiſit Duci Auſtrię Conradus Salisburgēſis Antiſtes: quibus multis calamitatibus Bauarorum terras, multisq; cladibus affecit. Poſtea (ut ſuperius ſcripſimus) Romanorum rex electus, ac Bunnæ diademate inſignitus eſt. Cum quo Ioannes XXII Pont. & fratribus ſuis clàm concordiam iniit, ſemper ipſum contra Ludouicū exhortatus, quem odio habuit. Licet & hunc regem Romanum filium dilectum ſuis literis appellaret. Maxima hinc & multa per uniuerſum imperium orta ſunt mala & bella. Nam Leopoldus Dux Auſtrię, frater Friderici, uir ſtrenuus, cordatus, & miles imperterritus (cui Gloria militum cognomētum erat) fratris iniuriam iniquo ferens animo, cum grādi exercitu iuxta Spiram Ludouicū perſequitur, eumq; in tantum urgebat, ut fuga elapſus in quoddā cœmiterium ludęorum ſeſe occuleret. Valles autem Spirenſium hoſtium ferro igneq; populatus, ad Auguſtam peruenit. Lycum fluuium tranſiens, Bauaros deuaſtare non ceſſauit, oppidumq; Landſperg flāmis abſumpſit. Conſtituit tum Fridericus Baſileæ genio ſuo operam dare, curiamq; nobilium indixit celebrem & magnā: caruit enim tum uxore. Miſſis itaque oratoribus Abbate S. Lamperti in Carinthia, Rodulpho de Liechtenſteyn, Henrico de Vualſee Baronibus ad Iacobum Arragoniæ regem, filiam Elizabeth, forma inſignem & moribus egregijs ornatam, uxorem petijt. Quæ in ſomnijs priuſquam aduenirent oratores, uiſa eſt uidere Fridericum Principem ſpectatiſſimum & elegantiſſimum: atq; ideo facilè conſenſit, atq; hilariter cum honeſtiſſimo comitatu per Archiepiſcopum de Geruada in Hiſpania adducta eſt ad Fridericum Baſileam. Fortè eodem tempore allata eſt Leopoldo Catharina Sabaudię Comitis filia, pulcherrima adoleſcentula. Cum maxima igitur celebritate nuptiæ duorum fratrum illic exactę ſunt, cum omnibus militaribus exercitijs, haſtiludijs & torneamentis (ut uulgo loquimur) in maxima nobilium frequentia, qui undiq; confluxerant. Finitis nuptijs, Lepoldus uolēs fratri ualles Suiciæ (quę de iure ſunt imperij) ſubiugare, coacto exercitu, præmiſit Ottonem Comitem de Strasberg. Sed re infecta rediens, populos intactos dimiſit. Hic Leopoldus primus inter Auſtriæ Duces fuit, qui Suitenſes populos, ſiue Heluetios nominare placeat (Leopontios alij uocant) armis aggreſſus eſt. Celebrauit paulo pòſt idem Leopoldus curiam in Baden, magna cum nobilium frequentia. Vbi Gutam ſororem Ludouico Se-

niori

niori de Oetingen cõiunxit in matrimonium. Pòst Fridericus cum magnis co
piis Sueuiam ingressus, iuxta Esselingam Ludouicum ad arma prouocauit. A-
quantibus enim in Necaro fluuio militibus equos, uelitari primùm pugna, tan
dem iusto bello tantam utrinq; ediderunt stragẽ, ut sanguine multo Necarum
fluuium cruentum redderent. Sed dubio marte postquã pugnatum est, discesse-
re: quibusdam occisis, quibusdam captis. Inter quos & Vuernherus Comes
de Hohenberg capitur. Intelligens hoc Leopoldus, nouo cum exercitu Spirã
descendit, hostium domos, uillas, agros deuastans. Cumq́ue audisset Ludoui-
cum Bauarum cum grandi equitatu aduentantẽ, Treuerensis, Boẽmi, Mogun
tiniq; auxilia ferentem, quatuorq; millibus electorum militũ ferocientem, nun
cios & ipse Comiti Vdalrico Phyretarum, & Iohanni Argentinensi Antistiti
pro auxiliaribus mittit. Qui mox dicto audientes, ingentibus comparatis co-
piis, iuxta Bruscam Alsatiæ fluuium (qui Alsam per nobilem Argentinam ab
Occidente uersus Orientem ducit) consedẽre, donec undiq; Leopoldo copia
militum afflueret. Argentinenses quoq; diuisi, pars Friderico, pars Ludouico
adhæsit. Et cùm paulo antè Fridericũ recepissent, Ludouicum in trãsitu etiam
regio more susceperunt. Erat tum Fridericus in Austria, militum delectum fa-
ciens, decimamq; bonorum omniũ partem ab omni populo cleroq; accipiẽs:
assensu Pontificis Romani qui eum plurimum amabat, ut aduersarium debel
laret. Sed factus certior de fratris exercitu, festinat ad Rhenũ cum copiis suis.
Et penè per errorem in exercitũ Ludouici irruisset, quem Leopoldi putabat.
Admonitus tamen per aliam uiam ad fratrem Leopoldum peruenit. Mutuoq;
se complexi, gauisi sunt & milites & exercitus omnis. Stabant acies in planicie
ad pugnam paratæ. Iussit enim Leopoldus equos abducere milites, calcariaq;
ponere, & ut pedites pugnare. Misit autem Ludouicus exploratorem in exer-
citum Ducum Austriæ, inanem ratus pugnam si Fridericus abesset. Si enim,
inquit, uicero Leopoldum, quid lucri accedet? Viuit Fridericus, quo cum mi-
hi res transigenda est. Adductus explorator Friderico hæc uerba à Rege acce
pit. Dic, inquit, consobrino meo, paratum astare exercitum. Hunc diem nobis
datũ, qui litem dirimet. Penes quem uictoria stabit, is Rex esto. Nec plura mo-
ratus, classica iubet succinere. Ardent milites feruentq;, eductis gladiis manus
conferere appetunt. Intellecto strategemate, Ludouicus fugit, in Bauariamq;
se recepit. Subsequuti Australes multos fuga elapsos partim trucidant, partim 267
capiũt. Interiectis dehinc aliquot annis, Fridericus iterum ab Austria cum ma-
gnis copiis in Bauariam uenit. Ad quem Leopoldus de Sueuia cum octingen
tis equitibus properauit. Ludouicus igitur, ne fratres exercitus coniungerent,
festinat cõtra Fridericum. Leopoldus interea circa Monacum Isaram fluuium
transiens, Ludouici exercitum (quod ille minimè sperabat) subsequitur, pe-
neq́ue in medio duorum fratrum captus foret. Sed hoc intelligens, munitio-
nibus se concredidit. Conuenientes igitur fratres gauisi mirabantur toties si-
bi elabi hostem. Dehinc mensibus tribus penè superiorem deuastarunt Baua-
riam igne ac ferro. Ludouicus igitur suorum cladem miseratus, mori etiam de-
stinauit, aut hostem uincere. A Iohanne igitur Boẽmiæ, Baldeuino Treueren-
si, atq; Henrico Duce Bauariæ inferioris, ac undiq; mille quingentos fortitus
equites, cum triginta peditum millibus exercitum instituit. Ipse ne agnosce-
retur uictus, mori non dubitans si uinceretur, uestes non regis, sed militares
induit. Afferebant auxilia quoq; Fridericus Burgrauius Nornbergensis, duo
de Oetingen, Vuilhelmus de Monteforti, cum multis baronibus ac nobilibus.
Fridericus aũt Rex cum fratre Henrico, qui paulo antè ex Italia redierat (nam
in fauorem Pontificis Brixiã aliquandiu possederat) in regio habitu cum duo-
bus millibus & ducentis equitibus & quatuor millibus Hungarorum sagitta-
riorum à rege Carolo sibi missis, in superiorem Bauariam accedit. Submisit &
in inferiorem Bauariam copias, quas ex Stirijs & Boẽmis contraxerat. Et quas

Fridericus Salisburgenſis, Albertus Saxoniæ Dux, Patauienſis, & Theoderi-
cus Laurentius Antiſtites ſubminiſtrarunt. Leopoldus autem frater, ex Sue-
uia, Alſatia, & Rheno, octingentos electos equites afferebat. Sed dum Vuil-
helmi Comitis de Monteforti, qui partes Ludouici ſequebatur, munitiones et
caſtra deuaſtat, tardè nimis ueniens, frater periclitatur. Dum enim nuncios ul-
trò citroq; fratri mittit, Ludouicus hos intercipit, nec ſinit fratres exercitus cõ
iungere. Caſtrametatus itaq; uterque Regis exercitus haud longè à Muldorff.
Fridericus ſanè haud longè ab arce Dornberg in agro Salisburgenſi. Sed mo-
ræ impatiens, exercitum in pratum latiſſimum educit. Cui pòſt nomen à capti
uitate datum patria lingua Vehuuiſen. Cupidus erat belli Rex, ſagittariiſq; Au
ſtrales Bauaros tantum moleſtabant, ut terga uerterent. Suadebant ideo ple-
rique Friderico, ut fratrem Leopoldum præſtolaretur, aut ei obuiam proce-
deret. Sed Fridericus uir animo infracto, ſolum uerſus hoſtem tendebat, con-
ſilium ſuorum non ſequutus. Aciem ordinat, quingentos armatos equites præ
locans. Dehinc uexillum cum octingentis equitibus ſubmiſit. Poſtremò ipſe
cum noningentis ſubſequitur militibus. Concurrunt acies acriter, pugnant
Auſtrales: Fridericus præcipuè qui robuſtiſſimus & ſtrenuiſſimus inter om-
nes miles habebatur & erat. Quinquaginta amplius ſua manu milites confo-
268 diſſe eo prælio fertur. Victoria Friderico ceſſit. At Bauari equites qui ſe fugæ
commiſerant, reuocantur: equisq; dimiſſis, pedites prælium renouant. Super-
uenit nouis cum militibus Burgrauius, qui clamore magno Auſtrales ſagit-
tarios in fugam uertit. Poſt laborem enim feſſi milites, hunc exercitum Leo-
poldi credebant, reſpirantes paululum, uexillo decepti adulterino. Obruti igi-
tur inſperatò Auſtrales, occluduntur ueluti ſepto: multis ex illis captis, inter
quos Henricus Dux Auſtriæ Friderici frater fuerat. Vexillum Auſtriæ arripi-
unt, in aliam partem exercitus irrumpunt: qui minimè hoſtes eſſe arbitraban-
tur, ſed ſuos. In fugam igitur uerſi milites, Fridericum deſerunt. Qui equo deie
ctus ab Armigero, cuius nam eſſet quæſitus, Burgrauij ſe familiarẽ eſſe reſpon
dit. Iube, inquit, dominum tuum ut ad me ueniat. Qui illico præſens coràm aſti
tit, cui enſem ſuũ porrexit: Tuus, inquit, ſum captus, uitæ parcas uelim. Qui fi-
de data, hãc integram promiſit, Ludouicoq; regem Fridericũ adduxit. Quem
cuſtodiæ haud magnificæ deputauit. Moxq; campum dereliquit, timens ne
Leopoldus ſubſequens, fratres ulciſceretur. Qui Leopoldus aduerſam fortu-
nam fratrum audiens, indoluit uehementer: admiratus eſt tamen, quòd in ſtra-
ge tanta occiſus non eſſet.

Eſt autem tam inſignis clades facta, Anno liberationis humanæ uigeſimo-
quarto, poſt milleſimum trecenteſimum, penultima Septembris, quo beati Mi
chaëlis feſtus dies peragitur. Quo die ante annos quinquaginta unum, Rodol
phus de Habſpurg, auctor illius nobiliſſimi ſtemmatis, in regem Romanum
fuit electus. Vnde quidam falsò augurabãtur, tunc domum Auſtriæ ruituram,
quæ hodie propagata uſq; in Occidentem, ramos ſuos per uniuerſam penè Eu
ropam diſperſit.

Henricus itaque Auſtriæ Dux captus, ac Boëmo traditus, perſuaſione re-
gum Franciæ & Vngariæ, reſtitutis quibuſdam munitionibus Morauiæ, quas
Auſtrales occupauerant, ante fratrem ſuum liberatur. In ijs erat Znoyma, Co-
ſtel, Laa & Vueitra: quę etiam partim Boëmo pro nouem millibus marcarum
impignoratæ ſunt. Fridericus uerò cum dominis de Vualſee alijsq; nobilibus
multis, in quadam munitiſſima arce, cui ominoſum nomen Trauſnitz, grauiſſi-
269 mè tenebatur dura in cuſtodia. Leopoldus interim nulla re affici poterat, ut læ
titiæ ſignum aliquod oſtenderet: ſed ſubtriſtis & mœſtus de fratris aduerſitate,
etſi ſæpe nobilibus immixtus, ab omnibus recrearetur. Ciuitates autem Alſa-
tiæ, Columbaria, Sleſtadium, Ehenheym, Rosheym, Hagenauu, quæ Frideri-
co prius adhæſerant, immutatæ nutabant, in partem Ludouici flectentes. Mar

chio

chio autem Badẽsis perseuerat. Tametsi enim ab Eberhardo, Greyner cognomine, de Vuirtenberg molestaretur acriter, nullo tamen labore et has & obsessas quasdam parua manu liberauit, sæpius Bauaros persequutus: quos in fugã egit, ad conflictumq; concitauit: quanquàm minimè comparerent, eiusq; cõspectum semper formidarẽt. Inuenio in Annalibus nostris rem ridiculã, quam Leopoldus ob fraternũ amorem molitus est. De fratris enim liberatione dies noctesq; sollicitè nimis cogitans, necromanticum adijt, qui exorcisationibus nouit dæmonas aduocare. Viso itaq; sub habitu uiatoris dæmone, hunc rogat si Fridericum è uinculis queat liberare. Promittit ille, si obsequi uelit. Territus autem nocturna uisione Fridericus, neq; assentire uolens, res in nihilum redacta est. Vix scribi potest quanto sudore Leopoldus pro fratris liberatione enixissimè laborauit, maximam pecuniarum quantitatem, ac preciosissima quęq; pollicendo. Quinimò & Pontificem maximum, & regem Franciæ, ut pro eo intercederent, facilè induxit. Sed nihil profuit: neq; enim precibus neq; muneribus flecti potuit. Leopoldus itaq; fœdus cum Pontifice atq; rege Franciæ fecit contra Ludouicum, multa in eius pernicie tractantes. Qui sacris paulo pòst interdictus atque execratus per Pontificem fuit. Leopoldus has publicare ac promulgare in urbibus ubiq; in odiũ Ludouici permisit. Insuper sæpius Apostolici nuncij cum Principibus de Franco in Imperatorem eligendo; præsente Leopoldo consultarunt. Bertholdus autem de Buchecke cõmendator Theutonicorũ, frater Moguntini præsulis Matthię (qui Petro defuncto successerat) ob preces Roberti regis, cui Hugo prædicatorũ etiam frater annis aliquot inseruierat solus impediuit restititq;. Omnes autem Alsatiæ urbes, quæ prius ad Ludouicum defecerant, reuersę sunt, ob fidem erga Fridericũ, in fauorem Leopoldi. Nec quicquam offuit Ludouicus, qui tunc Burgouiam obsedit, nũc alia oppida sollicitauit. Cùm autem crebri Principum conuentus fierent, sępissimè tamen frustrà conuenerunt, de Friderici liberatione tractantes. Nam Leopoldus initio insignia imperialia Ludouico reddere noluit, amore tamẽ fratris impulsus reddidit tandem: & si de fide Ludouici palàm testaretur, quam & minimè Ludouicus seruauit. Licet Annales uiderim, quibus traditur Ludouicum è captiuitate liberasse Fridericum, sine omni fideiussoria cautione, sine pecunia, quòd per ipsum speraret & gratiam summi Pontificis, & Leopoldi fratris fauorem sese assequuturum, & ideo ambos Reges unitos. Tum Ludouicus Friderico terram Brandeburgensem fertur commendasse, ne Leopoldus frater eam deuastaret, cum eius filius Ludouicus esset obsessus. Sed Leopoldus quoad uixit, Ludouico molestus esse non desijt. Quanquam ob maximos labores, diu uiuere non potuit. Tantum enim exhauriebat, ut nimia uigilia, postquam ab expeditione Spirensi redierat (undique enim agros eorum incendio depopulatus iã fuerat) mente captus, uitã apoplexi tactus finiuerit. Dehinc in Kongsfeld cum coniuge sepultus: cuius mortem tota militia, in primisq; Pontifex Iohannes acerbissimè deplanxit. Obijt autem anno nostræ salutis uicesimosexto, post millesimum trecentesimum. Quem eius coniunx dehinc quarto anno secuta est, duodecima Iunij. Henricus autem frater anno uno. Cùm autem triennio in custodijs maceratus esset Fridericus, tandem persuasione Prioris cuiusdam Cartusiensis, Ludouicus Fridericum, remotis omnibus arbitris, liberat. Præmissis quibusdam conditionibus iureiurando, ac dehinc literis corroboratis, ut quidam ferunt. Expressum in his fuit, ut uterque quoad uiueret, regio uteretur titulo: Fridericus autem Italiam non accederet, sed hanc liberam Ludouico permitteret. Neque ius aliquod peteret à Pont. pro hac assequenda. Quod inuiolabiliter obseruauit: Etiamsi Iohannes XXII, Clemensq; VI Pont. crebrò illum in Italiam pro imperiali assequenda corona euocarent. Richardus multas alias, & quidem enormes tradit factas pro concordia pacíscenda conditiones, Quanquàm & ipse promissionibus illis minimè ligatum

asserat Fridericũ regem. Reductus igitur in Austriam Fridericus, cum magno exercitu Viennam uenit: demissa barba horridus, & squalore obsitus, qui pulchritudine & corporis elegantia alios omnes suæ ætatis Principes superabat: cum magna lætitia ab uniuerso populo susceptus, qui deliberatione domini gaudebat. Rex autem Hungariæ Carolus & Iohannes Boëmiæ, unà cum Duce Austriæ Ottone, fratre Friderici, ægre ferentes Fridericum se Regem appellare, conspirationem ineunt, Austriam rapinis & incendijs deuastant. Munitiones Veldsperg, Robenspurg, Vlrichskirchen Egenburgamq; expugnant. Otto dehinc monasterium Nouimontis in Austria extruit, & Annam filiam regis Boëmię uxorem ducit: quia prima Elizabeth paulo antè erat mortua. Congregato in Sueuia exercitu, terrorem Ludouico Bauaro incutit, qui ei insignes ciuitates oppignorat. Sed reuocatus à fratre Alberto, licet libẽter Boëmiam occupasset, à suis deceptus, passus est cladem, & paulo pòst mortem obijt: relicta omni Austria, Styria, ac Carinthia, quæ Ducibus Austriæ à Ludouico erat cõcessa, contra Boëmiæ regem Ioannem, Alberto fratri (corporis quidem debilis, sed animi prudentissimi) dicto Cõtracto. Hic autem Fridericus ob perpessas aduersitates, paulatim incepit contabescere, paucosq; annos post liberationem uiuere. Fertur enim quod nobilis quædam mulier cui maritus erat nomine Fridericus (miles alioqui non impiger) quem ut indesinenter Rex amaret, poculum amatorium insscio Regi offert: quo exhausto, uiribus primùm cœpit deficere, dehinc inualescente morbo, corpus computruit. Tandem dysenteria resolutus, animam exhalauit in arce Austriæ, cui Gutenstain nomen est, Anno salutis trigesimo post millesimum trecentesimũ, tredecima Ianuarij, regia pompa in monasterio Mauuerbachio Cartusiensis ordinis Austriæ, quod ipse fundauit, honorificè sepultus. Nobilissimam autem habuit coniugem Elizabeth, Iacobi Arragonum regis filiam, quæ eum unicè amauit, magnæ religionis. Tantum enim in amore mariti flagrauit pudicissima hæc matrona, ut nihil intermitteret quod in salutem uiri sperabat. Peregrinationibus, ieiunijs, abstinentijs se adeò castigauit, ut oculos penè uisumq; amitteret: flẽs die noctuq; ob captum maritum, donec liberaretur. Ex qua genuit Fridericum filiũ, qui paucis annis uiuens, mortuus est, & in monasterio Kongsfeld sepultus. Duas insuper procreauit filias, Annam scilicet, quæ primùm regi Polonię deinde Ludouico Romano, filio Ludouici Quarti Cæsaris, Ducis Bauariæ nupsit: post cuius interitum, Iohãnem Comitem Goriciæ maritum accepit. Quo etiam defuncto, Viennam uenit, apud sanctam Claram sacro uelo (ut uiduas decet) ornata, Abbatissam egit, illic sepulta. Altera filia nomen matris referebat Elizabeth, Iohanni Boëmiæ regi desponsata. Sed antequam fœminam ageret mortua, in Mauorbacensi cœnobio cum patre est sepulta. Relicta autem Friderici uidua Elizabeth, Viennæ est apud fratres Minores sepulta marmoreo sepulchro, haud longè à Blana Rodulphi regis Boëmiæ coniuge.

Habuit autem ante hanc Fridericus Isabellam Reinoldi Comitis Geldriæ filiam sibi desponsatam. Sed ob patris proditionem, eam non traduxit: sed postea Elizabeth prædictã accepit. Fuit autem hic Reinoldus primus eius nominis, paulo pòst Dux creatus à Ludouico Cæsare in conuentu Principum Francofordię, Anno salutis M.ccc xxxix. Et licet Annales quos habemus antiquissimos, & præterea magister Albertus Argentinensis hæc de Friderico & Ludouico Imperatore, ut scripta sunt, tradiderunt, tamen nuper affinis meus Guilelmus Putschius regis Ferdinandi à secretis, uir antiquitatis studiosus, in archiuis Ducum Austriæ, in Comitatu Tyrolis Insprugk, dum antiquas literas & diplomata Ducum Austriæ reuiseret, inuenit literas sub sigillo regum Friderici & Ludouici, quibus se fratres unitos appellant. In prioribus, datas Monaci quinta feria ante natiuitatis Mariæ. Anno Christi M.ccc xxv. Regni sui xi. In posterioribus Ludouicus Rex fatetur ob pacem communis Christianitatis, se

se libere concessisse regi Friderico consobrino & imperio suo cessisse, etiam si Papa confirmare sine electorum consensu nō uelit. Quarum data sunt Vlmæ, Anno Christi M. ccc xxvi. feria tertia, xij die. xij anno imperij, quarū tenorem 272
patria lingua de uerbo ad uerbum in Annalibus nostris Austriæ scriptū lector candide inuenies.

LVDOVICVS CAESAR.

FRidérici competitorem scripsimus fuisse Ludouicum, de quo nunc pro uirili singula sunt discutienda. Is Ludouicus filius fuit Senioris Ludouici, & Mechtildis filiæ Rodulphi de Habspurg Comitis, Romanorū regis. Sed hic Senior Ludouicus (ut illud interim non omittamus) natus ex Ottone utriusque Bauariæ Duce, & Agnete Henrici Saxonis & Palatini filia, quæ Palatinatum Rheni Ottoni attulit, resedit in Monaco: & in odium Augustensium condidit arcem & oppidum Fridpergam. Tres habuit coniuges, Mariam Brabantinam, diuæ Elizabeth consanguineam: quam occidi iussit, ob falsam suspicionem cum milite quodam: in Vuerdea in Cęsareo monasterio ordinis sancti Benedicti sepulta. Ob id mirandā habuit & horrendam nocturnam 273
uisionem, qua una nocte totus factus est canus. Et inde pœnitētia ductus, mo- 274
nasterium in Bauaria supra Amram, quod Principis campus, patria lingua Fürstenfeld dicitur, extruxit, & donarijs ac censibus locupletauit. Fuit Anna Conradi Ducis Glogonensis in Slesia altera eius cōiunx, ex qua etiam Ludouicum quendam filium genuit. Cui Elizabeth Vngariæ regis filia despōsata erat. Sed Norinbergæ in quadam hastarum concursione (hastiludium nostri uocāt) lancea perfossus interijt. Sed tertia uxor Mechtildis Romanorum Regis filia fuit, ex qua plures liberos Senior Ludouicus peperit. Rudolphum scilicet primogenitum, Palatinum Rheni, qui Mechtildim Adolphi de Nassauu Regis Ro- 275
manorum filiam uxorem habuit, & liberos plures progenuit. Qui tamen in electione Imperatoris Fridericum Austriæ Ducem, non fratrem Ludouicum elegit. Quam ob rem à fratre expulsus, in Anglia exulauit, ibiq; mortuus est: tres filios relinquens, Rudolphum, Rupertum Rufum, et Adolfum Palatinos Rheni, & filiam unam Mechtildim Comitissam in Spanheym. Et secundo genitum Ludouicum hunc præsentem, Iuniorem cognomine *IIII*, eius nominis Imperatorem, Friderici competitorem. Mechtildimq; filiam dehinc tertio peperit, uxorem Othonis Ducis de Lunenburg, & Annam filiam quarto uxorem Rudolfi Ducis Saxoniæ Alberti filij. Quandamq; tertiam filiam, cuius ignoro nomen: quæ monialis Vlmæ facta, illic decumbit. Sed ad Ludouicum Iuniorem nostrum redeamus. Hic uix septennis, patrem amisit. Vbi adoleuit, humanissimus Princeps cunctis amabilis uisus est, omnibus se humanum exhibuit obuiosq; quosque salutabat ac alloquebatur. Vnde maximum sibi fauorem contraxit. Nulla deinceps intumuit prosperitate. Prouidus & sagax, & in periculis animo infracto. Literis caruit, unde maximam iacturam passus est: etsi alioqui haud imprudens esset. Electus igitur Rex in discordia (ut abundè superius enarrauimus) multas & grauissimas lites cum Friderico gessit. Sed cùm Principum conuentum haberet olim Norinbergæ, Vualdmaro tunc Marchione Brandenburgensi sine liberis atq; hæredibus defuncto, in eius locum Regali usus auctoritate, Ludouicum filium suum substituit, Ducatum sibi posterisq; possidendum dedit. Sed post patris interitum, Marcomannorum conspiratione, atq; Rodulfi Saxonię Ducis suasu, Marchionatu eijcitur, modico tractu cis Oderam retento. Hic uerò Ludouicus Brandeburgensis Marchio, Cæsaris filius, Margaritam habuit uxorem, filiam Henrici regis Boëmiæ, Ducis Carinthiæ, ac Comitis Tyrolis: neptem uerò Meinhardi Ducis Carinthiæ, ex Anna Venceslai Boëmiæ Regis filia. Hęc Margaritta ob os deforme et ingēs, uulgò 276 277

Maul-

Maulſtath cognominata, Meinhardum ex Ludouico filium, Ducem ſuperioris Bauariæ & Carinthiæ, Comitemque Tyrolis peperit. Qui abſq; prole inde obijt. Quo pacto autem hanc duxerit, paulò altius eſt repetendum. Primùm enim habuit is Ludouicus Marchio Cæſaris primogenitus filiam regis Daciæ coniugem, quæ ſine liberis deceſſit. Tum Iohannes Henricus filius regis Boëmorum, Morauiæ Marchio, Comes factus Tyrolis ex uxore Margaritta præfata, in magnum diſſidium cum uxore uenit. Cùm enim impotens in coitu censeretur, uxoremq; plurimùm moleſtaret, eamq; nunc mordendo mammillas, nunc laniando comas ſemifatuam redderet: mulier inſcia quid ageret, conſilio procerum, Barones ſuos Ludouico Cæſari mittit nuncios, ab eo petens, ut filium ſuum ſibi maritum concedat, Carinthiam ad ſe iure hereditario deuolutam, in dotem ſpondet. Eijcit interea Boëmum è Comitatu, cum quo annos octo condormiuerat. Ludouicus Cæſar promiſſioni fauit, filium aduocat, qui inſuetum facinus exhorret. Nam conſanguinei in tertio gradu uxorem traducere, ritu Eccleſiaſtico, nondum diuortio ſeparatam, nõ uxorem ſed mœcham computat. Pater id iuſtum eſſe cauſatur, utpote qui ſibi prius fidem fregerit. Boëmiæ enim Rex cùm inueſtituram à Cæſare peteret, nunquam ſe à Principe diſceſſurum iureiurando promiſit, quod minimè præſtitit. Idcirco exacerbatus Cæſar, filium uel inuitum ut hoc excipiat matrimonium, compellit. Perſuaſus filius à patre tandem multorum fretus auxilio conſilioq;, uxorem abripit, diuortium ſolenniter facit, matrimonium legale cum donatione perficit. Anno igitur à partu Virginis milleſimo, trecenteſimo quadrageſimoſecundo, decima Februarij, Imperator Ludouicus in Meranum conceſſit cum duobus filijs, Stephano duce Bauariæ, & Ludouico Marchione Brandeburgenſi. Quos ſequebantur duo Duces de Dekh, Epiſcopus Friſingenſis, qui obijt in monte Iouis. Item Epiſcopi Ratiſponenſis ac Auguſtenſis. Præterea duo Comites de Schuartzenberg, unus de Vuirtenberg, Goriciæ, Vuerdenberg, Kirchperg, Katzenelenpogen cum alijs multis baronibus ac nobilibus, nuptiasque inter Ludouicum & Margarittam ſolenniter celebrant. Imperator quoq; ijs perfectis, inſignibus ac ueſtimentis Cæſareis ornatus, cõtulit filio Ludouico & Margarittæ Ducatum Carinthiæ, & Comitatum Tyrolis, Ducibus prædictis aſtantibus, Iohanne Henrico antiquo marito eiecto, atq; latitãte apud Patriarcham Aquilegienſem. Hinc lites & ſimultates inter Cæſarem & Boëmum ſuborium tur, de quibus inferius multa. Ludouicus (ut reuertamur eò, unde digreſſi ſumus) poſt plura ac maxima prælia, victor tandem, poſtquam Fridericus ſuccubuerat, nomen & titulum Imperatorium inuito Pontifice uſurpat. Nam & aduerſus hunc fratres quoſdam Minores quos Pontifex iam condemnauerat hæreticos, atque execratos diris imprecationibus proſcripſerat, defenſandos improuidus Ludouicus ſuſceperat. Extant apud Richardum copiæ apoſtolicarum bullarum, Imperatoriſq; Ludouici appellationis formulæ, de hac inani cõtentione & friuola. Ludouicus enim poſt mortem Leopoldi ducis Auſtriæ, neminem timuit. Profectus in Galliam à pleriſq; ſuſcipitur honorificè, per multa loca in triennium uſq; progreſſus. Ob id Pontifex ægreferens Ludouici temeritatem, ipſum hæreticum palàm aſſerens, Fridericum regem adhortatur, ut quando penes Pontificem gratificandi regni utri, uelit poteſtas ſit, nullumque ius electus habeat, in Italiam aduerſus Vicecomites deſcendat. Fridericus autem, & ſi fratrem Henricum iam cum copijs Brixiam miſiſſet, ſuorum procerum conſilio eum reuocat, ferroq; decerni rem ſtatuit. Ludouicus igitur poſt tractatum cum Friderico initum, regno ad ſe deuoluto, ſeſe ad Italiæ accingit ingreſſum, ingentibusque copijs Longobardiam fœliciter attingit. Primò Tridentum, dehinc magnis Gibelinorum precibus, Mediolanum petijt, ardentibus tũ inteſtini belli factionibus. Italiæ ciuitatibus ſingulis uicarios Imperatorio nomine impoſuit, Vicecomitibus itaq; Mediolani dominiũ permittit. Erat

tum

tum (ut aliqui tradunt) Matthæus defunctus, superstitibus quinq; liberis, Galeatio, Iohanne, Marco, Luca & Stephano. Administrat tum Remp. Mediolanensium ueluti Senior Galeatius. Nam & ipse frater Marcus singulari eloquẽtia, urbanitate & magnificentia, præstabãt. Qui uenientem Ludouicum honorificè accepit, maximis amplissimisq; muneribus affecit. Sed cùm à Vicecomitibus prohiberetur, ne à populo Mediolanensi pecuniam exugeret, ambo carceribus sunt intrusi, & uigintiquatuor ciuibus Reipub. administratio est commissa. Licet paulo pòst indulgentia Cæsaris emissi, primùm exules, tandem paternum recuperarint regnum. Estq; Imperator ferreo tũc diademate, more ueterum, in æde diui Ambrosij, à Iohanne Archiepiscopo Mediolanensium cum Margarita uxore sua, die Pentecostes insignitus. Etsi alij Modoeciæ id factum 278
scribant, & à Guidone Petramala Episcopo coronatum, postquam iterum per Tridentinam uallem cum exercitu in Italiam ueniisset. Cęterùm Mediolani existens Ludouicus, Oratores Auinionem mittit ad Pont. qui petant ut Imperialia insignia more maiorum sibi benignè cõferat, licet antea infensissimus grauiter de Pontificis cõquestus esset iniuria. Pontifex recusat, oratores ignominio sè repellit. Quinimo citat, ut nostri dicunt, peremptoriè Cæsarẽ, ut Auinionem ueniat, & statutis ecclesiæ se subijciat. Ludouicus indignationem considerans Pontificis, coronari dissimulans, iterum Pont. rogat ut prius. Pernegat iterum Pontifex, uicecomitesq; in odium Ludouici excommunicatione percutit. Ludouicus interim in Italia ingenti coacta pecunia, multis ascitis Italorum Regulis, cum magnis copijs Romam profectus est, accepto secum Galeatio cum uigintiquatuor nobilioribus ciuibus Mediolanensibus quasi obsidibus. Mediolano autem interim Vuilhelmum Comitem de Monteforti præfecit. Qui locu los suos replens, Imperij iura paruifecit. Ludouicus honorificè est ab uniuerso Po. Rom. susceptus. Dehinc die kal. Iunij nona à senatoribus urbis, qui uicarij Imperatoris uocabantur, Stephano Columna & Nicolao Sarra (hi duo enim Vicarij Imperatoris urbi Rom. pręerant) coronatus cum coniuge in æde S. Petri, omni nobilitate astante, & acclamante Patricium & Augustum Rom. Imperatorem Ludouicum. Sunt qui in æde Laterani iussu cleriq; populiq; ab altero horum facto, in absentia alterius magna hominum frequentia coronatum scribant. Sæpius enim Romani Senatores Pontificem requirebant, ut urbem inuiseret, antiquam Pontificũ sedem, Romanoq; regi Imperialia insignia cum apostolica benedictione conferret. Alioquin ipsi pro antiquis iuribus, se suaq; uellent tueri. Ad hæc Põtifex Ludouicum læsæ maiestatis reum ac hæreticum incusabat. Ob id Imperator consilio procerum ac Romanorum, Petrum Corbarienſem, Reatinum professorem minorem, uirum ad res gerendas aptissimum, & haud imprudentem, summum Pontificem creat, Nicolaumq; Quintum appellat. Qui mox creatis Cardinalibus & Episcopis, Iohannem Pontificem dignitate papali deijcit: simulacroq; eius fabrefacto, ignominiosè palàm afficitur Ioannes. Illud enim per nouum Pontificem & Cardinales astante Cæsare & Pontifice Romano concremabatur. Superfluum omnino iudico repetere, quos motus Guelfæ & Gibelinæ factiones in Italia undiq; excitarunt, & quæ Carolus Franciæ, & Robertus Apuliæ Reges cum Pontifice tractarunt. Id tibi Platina, Blondus, Sabellicus, & Merula in decimo libro uicecomitum, qui omnes res Italicas studiosissimè & latissimè scriptitarunt, facilè significabunt. Hoc prætermittere non ausim, quòd Ludouicus cum Rege Siciliæ tantum egit, ut nisi Cæsar tardasset in urbe, Ropertum ex Apulia facilè eiecisset: qui tum Cæsarem formidans, statuit terram illam relinquere. Interea Iohannes Pontifex durissimos processus contra Ludouicum publicat, imperiali eum deijciens dignitate, regnoq; priuans, excommunicatione crudelissima, tanquã Rom. ecclesiæ rebellem & hæresiarcham, acerbissimè condemnans. Cõtrà Ludouicus hæreticum Papam denunciat, concilium & ecclesiam catholicam appellans,

pellans,urbem Italiamq; relinquere iam decreuit(multo enim iam tempore in Italia manserat) proditionem enim ac uenenū,non arma extimescebat: dicens Germanorū Cæsares multos ueneno, paucos ense ex Italia ab actos. Delatus ad castellum,in quo olim Conradinus percussus securi, obijt, funditus hos deleuit,demolitis muris ac portis omnibus, Germaniam summa cum animi hilaritate repetit, receptusq; est multo cum fauore ac lætitia. Mortui sunt interim Leopoldus,Henricus,& Fridericus Austrię Duces.Quàm dirę autem execrationes à Pontifice in Minores fratres, & contra ab eisdem regestæ in huncinitiriæ,siquis & hoc quoq; scire desiderat, Sicardum adeat. Sed mortuo Iohanne Pontifice,succedit Benedictus Duodecimus. Qui Ludouici Cæsaris innouat execrationes,omniq; regio honore spoliat, & Ducatu Bauariæ sententijs priuat.Conuocat ob id Cæsar Principes in Francofurt, omnes electores, Duces, Episcopos,Comites, nobiliores quoscunque, ac humanæ diuinæq; sapientiæ doctissimos quosq;. Itaque coram omnibus totius Romani imperij proceribus congregatis, multa nobilissima protulit consilia, ac acclamatione publica ac solenni,nouas confirmationes antiquis legibus addens,easq; corroborans; ut scilicet electores imperij,& nemo alius,Regem Romanorum eligāt. Cuiq; plura accedant Principum suffragia, is etiam in discordia uerus censeatur electus,siue Rex,siue Imperator.Nam in essentia idem,licet nomina credantur diuersa. Idemq; possit citra apostolicæ sedis confirmationem Imperij iura & exercere & administrare. Debeat quoque mox idem post Principum insinuationem à Pontifice inungi,si legitimè sit electus, nisi horrendo aliquo scelere atq; manifestario palàm sit commaculatus. Quòd si recuset Pontifex, à catholico possit quocunq; Antistite proclamari Imperator ac Augustus, qui prius post electionem statim uerus fuit Imperator designatus.Cùm inunctiones istæ, solennitates quædam sint aduenticiæ,à Pontificibus adinuentæ, nomina nō res concedentes:in signum defensionis ac unionis Ecclesiæ Imperijque Romani. Non enim fidelitatis iuramentum Pontifici tribuit Imperator, sed obsequij ac fidei defensionis.Quandoquidem hoc iuramentum nullam maioritatem operatur in temporalibus. Præterea falsissimum esse protulit per uacationem Imperij,ius ad Papam deuolui. Idq; esse contra sacri Imperij libertatem, dignitatem,iura,ac libertates. Longa enim & approbata consuetudine, inconcussa à maiorum ordinatione hactenus obseruata, uacante imperio ius administrandi Imperij iura,feuda conferendi,& negocia cætera disponendi, Palatino Rheni debetur. Non obstante Clementina, Pastoralis. Hæc atque alia multa in hanc formam pro imperio firmando promulgauit.Dehinc in personæ suæ excusationem coram Regibus, Principibus, & nobilibus omnibus rationem fidei suæ clarissimè reddidit,planeque confessus est se Christianum hominem articulos fidei integrè credere. Cùm uerò catholicam nominasset Ecclesiā, diutius hic immoratus, multis quæ sibi summa cum iniuria illata irrogataque essent, perorauit: nil tamen omittens, quæ Imperialem concernerent maiestatem. Reinoldum Comitem primum eius nominis Gelriæ Ducem, Vuilhelmum Comitem Iuliacensem Marchionem creauit,dehinc in Ducem Montensem & Ducem Iuliacēsem.Quæ omnia acta sunt anno M.CCC.XXXIX. Cùm applausu totius nobilitatis auditus,tandem cum ingenti exercitu in Monacū regreditur. Subortæ sunt interim inter Pontificem Benedictū Regemque Franciæ simultates. Nihil enim rex Franciæ putabat Pontificem sibi negare posse: Itaque ab eo petijt,ut filium primogenitum regem Viennæ crearet,se uerò uicarium Italiæ. Et pro recuperanda Hierosolyma daret decimā decimæ, per decenniū ab uniuersa Christianitate.Tertius Pontifex tantis petitionibus, Ludouico Cæsari cogitauit adhærere. Factus certior Imperator,ilico Oratores mittit,Comites duos de Oetingen,Marquardum de Randek, Babenbergensem prepositum, Vdalricum Principis prothonotarium iureperitissimum,

qui

qui absolutionem Imperatori à Pōtifice impetrarent, tametsi prius literis id sæ perogasset debita cum obseruātia. Oratores Cæsaris auditi: qui luculentissima oratione in Cardinalium publico cōuentu, absolutionē pro Cæsare petebant. A Pontifice sunt mirum in modum laudati, qui congratulabatur & Germaniæ & Ludouico, multa in utriusq; laudem paulò altius cōmemorans. Plurima etiam de tyrannide, cui Italia tum subiecta erat, plurima de desolatione Armenię, Syriæq; eloquebatur. Absolutionē Oratoribus promisit. Sed ecce intercepta est per duos episcopos Oratores regis Franciæ, Robertiq; Apuliæ, qui grauissimè inuecti in Ludouicum, Pontificem hęretici protectorem ignominiosè appellabant. Rursus Pontifex Cæsarem defensans, eius innocentiam constanter perpurgauit: nihil tamen effecit Pontifex. nam redditus Cardinalium rex Francię occupās, omnes à Pōtifice Cæsareq; auertit. Ad hęc accessit aliud malum. Ioannes Bohemiæ rex (qui paulo antè haud magna cum gloria, nō secutus patris Henrici Septimi uestigia, ex Italia uenerat) eiusq; gener Henricus Bauarię dux, factione regum Hungarię & Polonię, & quorundam aliorum principum confisi, literas Cardinalibus scripserunt, de nouo rege Romanorum eligendo, principes fore concordes. Quod in primis Cardinales retraxit, ne in absolutionem consentirent. Sic re infecta, reuersi sunt oratores Cæsaris. Interea Carolus Hungarorum rex, filius fratris Roberti, Austriam ingressus (nam Austriæ Principes, Albertus Sapiens, & Otho Iocundus Lodouico tum fauebant) aliquot diebus uastare terram molitur. Rex item Boëmiæ cum Poloniæ rege ac genero suo Bauariæ duce, superiorem Bauariam, terram Ludouici, hostiliter inuadebant. Ludouicus igit exercitu cum septē millibus electorum militum, Henrici Ducis Bauariam inferiorem ita euastabat, ut regem Hungariæ ex Austria cogeret abire. Nam Austriæ duces exercitus suos coniunxerunt cum Ludouico. Quòd nisi fessi milites, qui pluribus iā mēsibus omnia populabantur, quietem postulassent, de Bohemia actum foret. Quinimo oppida Imperialia quàm plurima quæ Bohemus occupauerat, ut Keisersperg, Turinckheim, Munster, Clastrum, Blickersperg, Ludouicus facilè recuperarat. Id Benedictus pōtifex summa cum lętitia audiēs, sæpe Cardinalibus obiecit suas, quas à Bohemo receperant literas, Ludouicum extollens, qui hostibus suis resisteret fortiter: & iniurias nō propulsaret modò, sed uim hostibus q; bellicosissimus princeps inferret intrepidè. Præterea, ut animum Cęsaris prætentaret, antistitem Magalensem misit qui mores principis ad unguem exploraret. Lites simul inter Balduinum Treuerensem, qui episcopatum uiolenter Moguntinum tenuit, & Henricum de Virnburg composuit: qui confirmatus archiepiscopus Moguntinus, Imperatori firmiter semper adhæsit. Rex etiam Bohemiæ uidens se nihil proficere, & si iam diu cum rege Hungarorum aduersus Cęsarem, Ludouicumq; Marchionem cum ualida manu conflixisset, pacem petit, homagium (ut uocant nostri) præstat. Ab Austriæ ducibus ob ducatum Carinthiæ pecuniam accepit, & concordia subsequuta est inter Austriæ ducem, Vngarum & Boemum. Quantum autem Benedictus Pontifex pro absolutione Imperatoris enitebatur, tantum reges Franciæ & Apulię cum omnibus penè Cardinalibus renitebantur, Legatisq; Imperatoris contumelias inferre non erubuerunt. Minabatur enim rex Francię Pontifici crudelissima quęq;, si Bauarū absolueret. Quod Imperatorem haud parū cruciabat, ultionem atq; uindictā in animo suo sollicitè indies cogitans: quę se ultrò pulchrè offerebat. Eduardus enim rex Anglię potentissimus, uerū se regni Francię hęredem causatus, cōtra Philippum regē, duces Flandriæ ac Brabantię, cū Comitibus Hollandię, Gelrię, Iuliacensi, Montium & finitimas gētes cōmouet, quibus omnibus Philippus exosus erat ac permolestus. Sed nisi ab Imperatore iuberentur, honestam non habuêre occasionem. Rex itaq; Anglię Imperatorē summo cum honore adijt, qui in Rheni oppido Rēs tū degebat, homagiumq; præstitit, seq; fœdere eidē colligauit. Imperator

uiciſſim regem Angliæ generalem uicariũ, & per Germaniã & Teutoniam creauit: literas ſcribẽs regi Francię, quẽ Philippum de Valeſio nuncupauit, quòd ab occupatione terrarum imperij deſiſteret, ac fideli imperij Eduardo regi Angliæ principi ſuo ſuper querelis reſponderet, iuſticiamq; coram ſe principe acciperet, ne feuda quæ teneret ab imperio, ſi non agnoſceret, ut rex Angliæ, cogeretur Eduardo cum principibus imperij (iuſticia ſic exigente) aſſiſtere. Cùm autem cõtemneret Francus Imperatoris literas, principes inferioris Germanię moniti, fœdere regi Angliæ ſunt deuincti. Qua de re Benedictus pontifex plurimùm lętabatur. Dedit autem Anglus Imperatori Ludouico octoginta milia aureorum, duplum offerens, ſi cum eo Franciam debellaturus, hoſtili exercitu ſubintraret. Quod & promiſit: licet Imperator, cùm pecuniam in tempore Anglus non miſiſſet, uenire recuſaret. Qua autem cauſa Eduardus regnum Franciæ iure hæreditatis ſibi ceſſurum contenderet, ſi uolueris lector clarius intellígere, Sicardũ in Ludouico Bauaro legito, & Robertum Gaguinum, libro octauo Cõpendij regũ Francorum. Clariſſimè autem magiſter Albertus Argentinenſis in ſuis Chronicis cauſam docet, qui mihi uidetur ueriſſimè rẽ exequutus & ſimpliciter. Noluí hiſtoriam hanc, ne in immenſum opus creſceret, altius rèpetere, contentus rem digito ſignaſſe. Eduardus itaq; rex Anglię, ilico Franciam ſe ingredi ſimulans, regem Franciæ impulit, ut triginta millibus equitum tribus penè menſibus cum maximis & inutilibus impẽſis aduentum eius in finibus Flandriam uerſus, expectaret fruſtrà. Verùm ſequenti anno cùm rex Angliæ cum duodecim millibus, Franco nil tale ſuſpicãte, Franciam ingreſſus per quadraginta penè miliaria in circuitu igne & ferro regnum crudeliter deuaſtaret, Pariſios uſq; uagatus, prędente Ludouico Marchione Brandeburgenſi, Imperatoris filio, multarum urbiũ mœnia demolitus eſt. Et niſi cõmeatus inopia obſtitiſſet, omnem fuiſſet depopulatus terram. Tertio anno iterũ collectis uiribus, Tornacum obſedit, rege Francorum non audẽte hoſtem laceſſere, donec Hannoniæ Comitis mater monialis, & Philippi regis ſoror, ſocrus Principis Ludouici, de caſtris in caſtra ſæpiuſculè ueniens, inducias componeret inter Francum & Anglum. Vnde Benedictus Pontifex de rege Francorum crebrò dicere ſolebat: Iſte pacem noluit, & elongabitur ab eo. Sed Vafer Francus nouas artes effingens, Imperatrici, filiæ ſororis ſuæ, quam Dominam Alemannię, non ſine magno honore, appellauit, literas mittit, quibus ſupplicibus uerbis precatur, ut inter Imperatorem & ipſum concordiã fabricet. Crebriſq; miſſis ultrò citroq; Oratoribus, res eò deducta eſt, ut pacem perpetuam firmarẽt, Francusq; Imperatori concordiam cum ſede Apoſtolica firmandam non promitteret modò, ſed iuraret. Vnde & mox per uniuerſam Franciã Imperator eſt nominatus, cum ſumma honoris præfatione. Reuocatusq; eſt à uicariatu imperij, Rex Angliæ, in publico parlamento. Sępius itaq; miſſi Oratores Cęſaris & Regis Francię ad Pontificem pro reformatione diſcordiæ, re infecta redierũt: uarijs occaſionibus dilato negotio, adeò ut Francus crederetur quod noluiſſet ſimulaſſe ſe uelle, Põtifex uerò quod uoluiſſet ſimulaſſe ſe nolle. Hanc eñ confœderationem nouam Põtifex ægrè tulit. Interea Imperator omnia hęc uidẽs, Principes electores conuocat in uilla Rens ſuper Rhenum. Qui preſtitis iuramentis, imperij iura ſe ſeruaturos compromittebant unanimi cõſenſu. Vir eñ erat comis, perbenignus ac liberalis, affabilitateq; ſua facilè Principes in obſequio ſuo continebat promptiores. Deinde in Francofurt decretum quoddam publicatur, proceſſus quondam Iohannis pontificis nullos fuiſſe. Nec decuiſſe Pontificem talia contra Imperatorem attentare, cùm eorum iuriſdictiones ſint diſtinctę. Inter hæc Benedictus Pontifex mortẽ obijt, & Clemens Sextus, Rothomagenſis prius archiepiſcopus, cathedram aſcendit. Homo mulierum, honoris ac potẽtię cupidiſſimus, ab anteceſſoris moribus lõgè alienus. Qui cùm ſimularet etiam reformationem cum Cęſare, inſtante Franco, quem quotidie

Cæſar

Cæsar literis sollicitauit, nescio quo demone instigatus literas Latinas & Alemanicas scriptas foribus templorum affixit. Quibus grauissimarum pœnarum comminatus supplicium, nisi infra triduum Deo & Ecclesię satisfaceret, & ab occupatione iurium imperij desisteret. Triduo autem illo acto, cùm proclamati iussisset, si quis nomine Imperatoris adesset, maximaq; esset expectatio grauioris alicuius supplicij, Imperatorem Pontifex contumacem declarauit. Francus autem hoc impediuit, ab Imperatore iterum atq; iterum literis admonitus. Constabat enim Imperatori, Papam nihil unquam agere quod Franco displiceret, si modò id intelligeret. Cùm itaq; Imperator causas scisciteretur impedimenti quò minus reconciliaretur Ecclesiæ, cùm paratus foret omnia sibi iniuncta pro uirili facere, pontifex respondit quòd non eo pacto quo deceret gratiam peteret: Oratoribusq; formulam mandati seu procuratoribus exhibuit turpissimam, rigidissimamq;, quam ne captus uilissimus quisq; de se daret. In qua dabatur potestas Humberto Delphini auunculo principis, itẽ Augustensi Babenbergensiq; præpositis, & magistro Vlrico cancellario suo, in solidum confitendi omnes errores ac hæreses, item resignandi imperium, nec resumendi nisi fieret ex gratia Papæ, & se & filios suos, bona & statum suum in manus & uoluntatem Papę ponendi. O immẽsa crudelitas. Est ne illud pascere oues Christi, an deglubere ac deuorare potius? Sed bonus Imperator quid faceret? Qui iram summi Dei cùm pertimesceret, libenter Ecclesiæ se conciliaret. Procuratorium illud siue mandatum, sigillo quidem nõ corroborans tantum, sed & seruaturum se omnia iuramento affirmauit. De quo Põtifex cum collegio uehementer mirabatur. Articulos tamen Oratoribus dedit Pontifex, quos Imperator Principibus ac Electoribus primùm in Francofordia ostendit, ubi etiam ciuitates omnes Imperij erant congregatæ, quos & hic & in Rens, ubi secundo congregabatur imperium, in perniciem & imperij destructionem conceptos omnes reijciebant, atq; detestabantur: promittentes Imperatori et assistentiam & firmum auxilium, seq; missuros nunciũ qui Pontificem rogaret, ut ab ijs desisteret friuolis articulis, & in læsionem imperij excogitatis. Erat in hac congregatione Ioannes Rex Boëmiæ, & Carolus filius, Marchio Morauię, multa contra Imperatorem lamentantes. Paulo antè enim Henricus dux Bauariæ, gener Iohannis Bohemi obijt, filium relinquens paruulum. Quo mortuo, totam eius terram, inferiorem scilicet Bauariam, Imperator occupauit: uiduę partem relinquens unde uiueret: quod & Boëmus & Australes ægro ferebãt animo. Nam filij duo Ottonis quondam Austriæ ducis, qui fuerant filij sororis Henrici Bauariæ ducis, ad hanc etiam terram aspirabant. Et Rex Craçouię, qui relictã etiam uiuẽte marito adamauit, cum patre Boëmo in Bauariam profectus ut eam duceret, ægram reperit. Qua paulo pòst mortua, priusquam eam alloqueretur, Imperator terram illi relictam pariter occupauit. Cùm ergo multa Boëmus in Imperatorem obiectasset, nec concordari possent, cum insigni animi rancore & dissidio abierunt. Interea Oratores Principum ad Pontificem ueniunt, articulorum rigorem in perniciem imperij cõceptum declarantes: nec aliud agentes aut petentes, discedunt. Quod Pontificem ita exasperauit, ut mox cum Boëmo & filio, ac Treuerensi eorum patruo, exterminium Imperatoris ac liberorum suorum meditaretur. Anno igitur humanę liberationis quadragesimosexto, supra millesimum trecentesimum, Pontifex in cœna Domini Ludouicum imperatorem crudelissimè execratur, Iohannis Põtificis processus durissimos innouans, hæreticum ac schismaticum declarans, ac penitus maledicens. Principes electores admonuit, ut idoneum eligerent Imperatorem, expresso certo tempore, ne Ecclesia diutius aduocato careret: alioqui sedes Apostolica sollicitè super hac re cogitatura esset. Ad hæc deposuit Henricum de Virnburg archiepiscopum Moguntinum, quòd Imperatori adhæreret: suffecitq; Gerlacum, Gerlaci Comitis de Nassauu filium, nepotem quondam Adolphi Romanorũ

Regis. Iohannes Rex Bohemiæ, ac Carolus filius tum Romæ agentes, id moliebantur ac procurabant. Carolus autem ante patrem Romæ existens, impetrauit ut Pragensis in Archiepiscopum erigeretur, & à Moguntini iurisdictione absolueretur, simulq; ius coronandi Regẽ Bohemię, quod Moguntini erat, in Pragensem transferretur. Omnia hæc in odium Moguntini Episcopi, & Imperatoris facta quis ambigat? Ob id Moguntinus ille nouus Archiepiscopus, ut suo fungeretur officio, simulq; Põtificis expleret uoluntatem, ad uillã Rens super Rheno, Principes pro nouo deligendo Rege conuocat. Cõueniunt Balduinus de Lucelburg Treuerensis, Vualramus de Iuliaco Colonienſis Archiepiscopi, cum Moguntino præfato, Rodulphus Dux Saxoniæ, & Ioannes Rex Bohemię. Qui imperium uacare asserentes, Carolum Regem Rom. statuunt: quem Clemens paulo pòst in publico consistorio approbauit. Qui cùm ad coronationem festinaret per Colonienſem dandam, qui unà cum Saxonię duce, multa pecunia corruptus erat, Aquenses firmiter restiterunt ac impedierunt: similiter Imperatrix obstitit, ne Aquisgranũ ueniret Carolus. Quæ tunc in Hollandia existens, occiso à Frisonibus Vuilhelmo Hollandiæ Comite, qui liberis caruit, ueluti senior inter duas alias sorores, quarum una Regina Anglię, altera Comitissa Iuliacensis, hæreditatem cum filio suo Vuilhelmo, quem Comes de Katzenelnpogen iussu Imperatoris attulerat, adijt: nam unanimi cõsensu, populus hanc cum filio suscepit. Ferebat etiam suppetias Imperatrici Francus, nõ amore Cæsaris, sed quòd terras per Anglum occupari uerebatur. Nam hic Vasconiam tum deuicerat, Britãniam subegerat, Pictauiam occupauerat. Et Normandiã iam ingressus, cuncta igne ferroq; depopulabatur. Vnde Francus Bohemum cum filio ac Alemannis pro auxilio deprecatur, magnamq; pollicetur pecuniam. Quam Iohannem Regem Bohemum quidam affirmant accepisse, & pro coronatione filij erogasse: alij uerò nihil dedisse Regẽ cõtendunt. Cùm igitur Francus subsequeretur exercitũ Angli, qui in sylua delituit, exercitu suo cum sagittarijs, ac quadrigis, ac curribus benè munito, in insidias decidit: stragemq; immensam passus, summa cum ignominia aufugit, uiginti milibus Gallorum occisis & prostratis. Inter quos Rex Boẽmiæ Iohannes cæcutiens (nam à medicis excæcabatur, qui eũ ex toxico aliàs liberare nequibant) Rodulphus Dux Lotharingiæ, Comes Flandriæ, Comes Blesensis, nepos Franci, Comes de Salinis, & multi alij insignes & electi milites, quos enumerare superfluũ censeo. Carolus autem ex cõflictu cum armis imperialibus aufugit turpissimè. Anglus uerò post stragem, hostium cadauera contemplatus, cùm Ioannem Bohemum cerneret prostratũ: Alius certè, inquit, lectus deceret Bohemiæ Regem. Tum in Lucelburg fecit eum regalibus cum exequijs deportari. Alemannos miseratus, dixit: Hi in mortem, Franco sollicitante (qui nihil largitur) festinãter pergunt, quos ego & diligo & obseruo, largirerq; lubẽs multa. Post uictoriam dehinc urbem maritimã cum nobilissimo portu (cui nomen Calis) obsedit undecim mensibus, & tandem ui cepit. Ob id Francus Regem Scotorum sollicitauit, ut Angliam hostiliter inuaderet: quo ingresso, cum omni sua gente est occisus. Interim Ludouicus Imperator cum Ludouico & Stephano filijs, Comitatum Tyrolis ingressus, à Tridento per Episcopum, qui à Bohemo erat seductus, prohibitus est. Intelligẽsq; nouam Regis Rom. factã electionem, de Treuerensi mirabatur & Saxoniæ duce. Sueuiam itaq; ingreditur, Comitum, baronum, nobiliumq; animos exploraturus: quos omnes reperit integros. Conuocatis igitur Principibus Spiram, ac ciuitatibus imperialibus, nullus est inuẽtus, qui uel electionem Caroli approbaret, uel processus Pontificis curaret, omnes sese in fide permansuros affirmantes. Reuertitur tum Imperatrix, Vuilhelmo filio in Hollandia relicto: cum eminentissimis Regis Anglię Oratoribus, confœderationem nouam cum Imperatore petentibus. Hi maxima cum solennitate in Francofurt recepti atq; auditi sunt, Cum quibus remittuntur Robertus dux

Bauariæ

Bauariæ filius fratris Imperatoris, Vuolfranus de Nellẽburg, magiſter ordinis Teutonicorum per Alemanniam, & Iodocus Comes de Oetingen. Hic filius autem Imperatoris Ludouicus Marchio, cùm primùm in Pruſſiam contra gentiles profectus eſſet, audiens Boëmum Comitatum Tyrolis inuaſiſſe, dicto citius aduenit, eumq; eiecit, & ad Tridentum uſq; fugere cõpulit: Epiſcopumq; Curiẽſem cum multis nobilibus cepit, edita inſigni ſtrage. Stephanus uerò collectis multis nobilibus, Sueuiam ingreſſus, Baronum decem & octo qui ſimul coniurarunt, & in Carolum conſenſerunt, conſilium diſſipauit: eorumq; urbes ac caſtra cum munitionibus cepit atq; deiecit. Venerat tunc Iohanna Duciſſa Auſtriæ ex Alſatia, reditura in Auſtriam, Imperatorem uiſitans, honorificentiſſimè eſt recepta. Qua abeunte, cùm Ludouicus Burgrauiam Norinbergẽſem (quam amabat) adiret, hilaris & lætus in cõuiuio exiſtens, puncturas iuxta cor ſentiens, ueneni ſuſpicio occurrebat. Ob id illico ſurgẽs de more, ut uomitu uenenum eiiceret: ſæpius enim uenenum hauriens, ſic ſeſe curabat. Exiliit itaque de menſa, uomitum petens: & cùm nequiret, uenationem (ut motu atq; labore corpus calefaceret atq; roboraret) ingreſſus, urſum ingentem offendit. Quem cùm impetu quõdã uiriliter peteret, de equo præcipitatur, corpusq; graui colliſione conquaſſatur. Deſtitutus igitur omnibus uiribus ac ſenſibus, cùm reſipuiſſet, eleuatis in cœlum oculis cum maximo ſingultu Deum rogat ut animæ ſuæ miſereatur, & peccatis ignoſcat: pulcherrima ac deuotiſſima oratione præmiſſa. Dein moritur v Idus Octob. Anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quadrageſimoſeptimo, Imperij ſui xxxiij. minus octo diebus. In Monaco apud beatam uirginẽ imperiali faſtu honorificè ſepultus. Habuit uxores duas, quarum Beatrix prima filia ducis Poloniæ: ex qua genuit Ludouicum ducem ſuperioris Bauariæ, & Marchionem Brandeburgenſem, ac Stephanum fibulatum, ducem ſuperioris & inferioris Bauariæ. Altera uxor Margarita nomine, filia Vuil 279
helmi, Tertij eius nominis Comitis Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæ & domini Friſiæ: ſoror Vuilhelmi *IIII* eius nominis Comitis Hollandiæ &c̃. Qui cùm ſine prole obijſſet, hæres fuit & domina terrarum, ut ſuperius patuit. Hæc cum marito Romam profecta, in Imperatricem eſt coronata. Et filium Romæ peperit Ludouicum cognomine Romanum, ducem Bauariæ inferioris, & Marchionem Brandeburgenſem, qui abſq; liberis deceſſit. Peperit & Ottonem Bauariæ Ducem & Marchionem Brandeburgenſem: cui etiam nulli fuerunt liberi. Sed ante illos genuit Vuilhelmum Seniorem, & Albertum Seniorem Duces inferioris Bauariæ, dominos in Straubing, Comites Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæ & dominos Friſiæ. Elizabeth ſoror eorum uxor erat Comitis Vdalrici de Vuirtenberg. Qui genuerunt Eberhardum Pacificum, Comitem de Vuirtenberg. Inuenio etiam quandam filiam Ludouici *IIII*, quæ Iohanni duci inferioris Bauariæ fuit deſponſata: qui morte præuentus eam non duxit. Poſt mortem Ludouici relicta uidua, priuignos cõcordauit. Diſcordantibus autem Rodulpho & Roberto Palatinis Rheni, patruelibus cum filijs Imperatoris, quòd & in inferiori Bauaria ſibi ius eſſe aſſereret, data & promiſſa certa pecunia, diſſenſio huiuſmodi ſublata eſt. De hoc libuit illud ſubnectere tetraſtichon:

Bella nouem geſsit Ludouicus dura per annos,
Sanguine cum iuncto competitore ſuo.
Pontifices diris hunc deuouere, ſed illos
Agnoſcit dominos non fore poſſe ſuos.

CAROLVS QVARTVS.

230 CAROLVS huius nominis IIII, qui in baptismate dictus est Venceslaus, in confirmatione pòst à rege Franciæ Carolo, apud quem pueritiæ rudimenta exegit, Carolus appellatus est. Filius fuit Iohannis Bohemiæ regis ex altera eius uxore Elizabeth, Venceslai Senioris filia. Cuius genealogia sic se habet.

IOHANNES FILIVS HENRICI VII, HABVIT TRES VXORES.

Prima Elizabeth Friderici Pulchri, regis Ro. & Ducis Austriæ filia, desponsata quidem, sed non traducta: uirgo obijt.

Secunda Elizabeth filia Venceslai Senioris, quæ ei peperit quatuor filios & totidem filias.

Tertia Beatrix filia Ludouici II Ducis Borbonij, quæ ei peperit,

Quatuor filij.

Venceslaũ primogenitũ, Iohannem comitem Lucelburgensem.

Carolus Quartus Imperator.

Venceslaus Dux Brabantiæ & comes Lucelburgensis.

Iohannes Henricus comes Lucelburgensis, & Marchio Morauiæ.

Primislaus qui in pueritia obijt.

Hic habuit quatuor uxores.

Margarittam Maultasch Carinthię Ducissam diuortio separatam.

Margarittam ducissam Opauiæ, quæ ei peperit.

Margarittam Alberti ducis Austriæ filiã uiduã.

Quarta fuit filia domini de Vualsee.

Iodocũ Marchionem Morauiæ regem Romanorũ.

Sobeslaũ Morauiæ Marchionẽ,

Quatuor filiæ, scilicet Ioannis filij Henrici Septimi.

Margaritta uxor Henrici superioris Bauarię.

Gutta uxor Ioannis de Valesijs regis Franciæ.

Duæ gemellæ.

Elizabeth quæ in pueritia mortua est.

Anna Ottonis Austriæ Ducis uxor.

Fuit

FVit ergo Carolus rex Bohemiæ, nepos ex filio quõdam Henrici de Lucelburg Imperatoris, pronepos ex filia & nepte Rodulphi de Habspurg Romanorum regis, proneposq; Ioannis ducis Brabantiæ, sororius Philippi regis Franciæ, cuiusq; Philippi primogenitus Ioannes dux Normãdiæ, ipsius Caroli est sororius. Ipse etiam Carolus socer Caroli regis Vngariæ, socerq; Rodulphi ducis Austriæ, & Alberti Tertij eius fratris, qui Elizabeth sororem Catharinæ uxoris Rodulphi coniugem habuit. Nam duo fratres duabus nupserunt sororibus: quanquam ambę erant steriles. Sic ergo se habet genealogia Caroli. Qui in oppido Rhenano Rens nomine, Ludouico uiuẽte in Romanorum regem electus fuit per Balduinũ archiepiscopum Treuerensem, Comitem de Lucelburg, germanũ aui sui Imperatoris Henrici, per Vualramum Coloniẽsem, per Gerlacum Moguntinũ archiepiscopos, & per Rodulphũ Saxonię ducem. Maximę aũt & multę pecuniæ sunt Electoribus Principibus elargitæ, ut Ludouico forent rebelles: cuius potentia ac prudentia formidolosa erat Boëmis. Dehinc in Bunna à Coloniẽsi episcopo est coronatus, cùm Aquenses illi penitus resisterent. A quo tum Colonienſis, Treuerensis, Moguntinus, Monasteriẽsis, Leodiensis, Metensis & Virudunensis archiepiscopi & episcopi de regalibus suis sunt inuestiti. Vnde & si Clemens hanc electionẽ approbasset (nam in Ludouici dedecus atq; oppressionem, & quòd literis ac multarum linguarũ peritia ornatus esset, Carolum Cęsarem declarauit) principes tamen imperij multi inhabilẽ constantissimè asseruerunt. Quod scilicet nulla causa necessaria urgente, & alio Imperatore uiuente, ob nullius Reip. cõmodum, sed ob priuatã cupiditatem & per symoniam ac largitionem facta esset. Rodulphus em̃ Saxoniæ dux, ob hãc electionem & suffragium suũ duo milia marcarum argenti puri ferebatur accepisse muneri. Colonienſis antistes octo milia marcarũ argenti. Moguntinus autem Gerlacus ideo Episcopatũ accepit, cùm alter Henricus, uidelicet de Virnberg propterea fuerat electus per sedem Apostolicam, quòd Ludouico adhæreret. Licet illi nunq; quoad uixerat cesserit, Gerlaco apud patrẽ latitante. Prętera improbabãt electionem, quòd neq; in loco debito (hoc est in Francfurt) electus, nec Aquisgrani, ubi decuit, coronatus fuit, iuxta morem & statuta imperij: nec apertè, sed latenter: nec tempore conuenienti, hoc est, uacante imperio, sed dolosè & uiuente Ludouico: nec debito seruato processu iuris & æquitatis. Quoniam Palatinus Rheni Electores tum habuit conuocare, non Moguntinus. Ob id defuncto Ludouico, Comes Palatinus Rheni, Principes ad eligendum ex officio suo conuocat. Non uenientibus autẽ prædictis quatuor, Henricus de Virnberg uerus Moguntinus præsul, Ludouicus Marchio Brandeburgensis, & Rodulphus de Bauaria Comes Palatinus, annuente fratre suo Roberto, & Ericus dux Saxoniæ, strenuissimum militẽ Guntherum Comitem de Schuuartzẽberg in campis Francfordiæ in regem Romanorum eligunt, solennitate decenti: aliis cõparere uel non audentibus uel dissimulantibus. Sed cùm (ut infrà patebit) ueneno Guntherus usq; adeò læderetur, ut de uita dubitaret, Carolo regnum resignat, Regemq; salutat, & paulo pòst moritur. Nam Carolus astutè in concordiam cum Palatino uenit, cuius filiam uxorẽ duxit. Et hinc eius suffragium consequutus, Archiepiscopum etiã Moguntinum Henricum de Virnberg in sui fauorẽ traxit, pollicitus ei uires, auxilia quæ posset. Cùm autem Sueuiam ac Alsatiam nouus rex ingressus fuisset, ad sollicitandum & animos nobilium, & auertendum à Ludouico, nihilq; consequutus foret, latenter Boëmiam ingreditur. Vbi benignè susceptus, breui ingẽtem comparauit exercitum, cum quo Tridtẽum perrexit ad recuperandum Tyrolis comitatum, licet parum profecerit: quandoquidem Ludouicus Marchio firmiter restitit. Reuersus igitur in Boëmiam, nouũ coëgit exercitum, ac mox cum magno equitatu in Bauariã uenit, animo inuadendi terras Ludouici Imperatoris. Intellecta autẽ eius morte, Ratisponã perrexit: ubi tanquam rex electus honorifice

281

282

rificè est susceptus. Dehinc magnas faciens et immensas promissiones Burgra uio Norinbergensi, Norinbergæ pariter regia pompa est susceptus. Comites insuper de Vuirtenberg, Eberhardus & Vdalricus, cùm ad Ludouicum Marchionem nuncios misissent, ad regem Carolum reuersi, & se & dominos suos ei submiserunt. Duo præterea fratres de Hohenloe, quorum unus Episcopus Herbipolensis, alter Babenbergensis erat, regi Carolo se addixerunt. Hinc Argentinenses subsecuti, & paulo pòst Basilienses, post impetratam absolutionem excommunicationis, cum pleriscp alijs Alsatię ciuitatibus. Henricus prę terea de Virnberg cum Gerlaco Comite de Nassau ambo Moguntini episcopi concordati, fecerũt alias ciuitates in iurisdictionem regis se submittere. Descendens itaque ab Basilea in Spiram, sub quibusdam intromissus est conditionibus. Pòst in Vuormaciam, & tandem Moguntiam honorificè ubicp receptus. Ibi tamen diebus quibusdam existens, accepit haud iocundos rumores: proceres uidelicet & Secretarios Ludouici Marchionis Brandeburgensis, Palatini Rheni, Henrici ducis Saxoniæ, & Henrici archiepiscopi Moguntini depositi, tanquam quatuor electores principes, anno Christi quadragesimooctauo supra millesimum, trecentesimum post Epiphaniæ solennitatem, in Edoardum Angliæ regem consensisse, tanquam in Romanum regem concordi uoce, sub castro Loëstain eregione uillæ Rens. Fecit hic rumor (quandoquidem literæ Principum publicè legebantur) per Germaniam insignem turbam. Francofordiam igitur petiturus Carolus, unncium accepit, ciues de sui receptione dubios esse. Mutato igitur itinere, Vuormaciam uersus tendit, ac deinde Spiram. Postmodũ Sueuiam ingressus, ut urbiũ iuramenta acceptaret. Priusquam autem Vlmam ueniret, Rotenburgæ (ubi Comites de Hohenberg curiam nobilium habuerunt, & Ludis militaribus, quos hastiludia & torneamenta nostri hodie uocitant, concertarunt) clàm Carolus sub alienis armis in congressione decertauit. Vlmæ aũt à uigintiquatuor oppidis, sub certis pactis est receptus. Cùm autem Norinbergam contẽderet, ut Boëmiam reuerteretur, primùm ob insidias Marchionis Brandeburgẽsis impeditus, coactus est retrocedere. Tandem per aliam uiam in Boëmiam est reuersus. Constantia aũt et Thuregum & quædam adiacentia ijs oppida, ipsum recipere recusarunt. Misit itacp ex Boëmia nouas copias, quę terram Roberti Ducis Bauariæ ac Palatini popularetur, igne ferrocp deuastarent. Ipse Comites de Vuirtenberg & Burgrauium partim soluit de promissis. Alios autem plures qui eum Boëmiam uscp comitabantur, & pluribus mensibus grauiter expectabant, minimè expediuit: quia soluendo non erat, uxore & Iohanne fratre eius resistentibus. Verebantur ẽm ne per huiusmodi erogationes Boëmiam destrueret. Quoniam pecuniam insignem, quæ nouo regi debetur, simul collectam, illi ipsi nouerant, quibus ingentia promissa fecerat. Vnde subortæ illi sunt grauissimę inimicitiæ. Ob id iterum Henricus Moguntinus præsul, Ludouicus Marchio Brandeburgensis, Robertus Palatinus (cui in hoc & alij duo consenserant) & Ericus dux Saxoniæ, cui ius eligendi ex successione patris sui cõpetere dicebatur (licet Rudolphus Carolum elegisset, quòd quędam dominia, quibus principatus annexus erat, haberet) Edoardum regem Angliæ, cui prius oblata erat electio, literis ac oratoribus inuitant ad suscipiendum regnũ & Imperium Ro. moramcp ac dilationem suam incusant. Edoardus aũt cùm bella, quæ cum Franco habebat, allegaret, aliacp plurima obstantia recenseret, promisso aliàs suo auxilio Principibus, electionem cum multa gratiarum actione recusauit. Principes ergo uocarunt Fridericum Marchionem Misnensem abnepotem Friderici Imperatoris, qui ex filia gener Ludouici Imperatoris defuncti erat, persuadentcp, ut Imperatricem uxorẽ ducere, et de regno se intromittere enitatur. Marchio autem Misnensis habita deliberatione, quia se cernebat impotẽtem (nã & arretica uexabat, licet iuuenis esset) abiecto Principum cõsilio, & à Carolo accepit decẽ millia

millia marcarum, dehinc feudorum inueſtiturã, & iuramentum præſtitit fidelitatis. Hoc tamen excepit, ne unquam contra filios Ludouici auxilia præſtare cogeretur: idẽ Albertus Dux Auſtriæ fecit. Qui licet duobus filijs, Rodulpho & Alberto duas Caroli filias in uxores deſponderet, magnamq; amicitiam inirent, excepit tamen Dux Auſtrię liberos Ludouici Imperatoris defuncti, quibus nollet unquam eſſe cõtrarius, cùm in uita huic fuiſſet colligatus, oppidoq; Norinberg, eiectis potentioribus fautoribus Caroli (nam populus ſe in eum 283
conſenſiſſe pernegabat) Marchionẽ Brandeburgenſem acceptauit. Dux itaq; Albertus ſummis uiribus moliebatur inter Regem atque Marchionem concordiam. Vocauit itaque Carolum Regem in Patauiam, alioſq; multos principes. Quò etiam marchio Brandeburgenſis cum duobus milibus equitum uenerat. Sed cùm de concordia tractaretur, increbruit fama Boëmum uelut Regem Romanorum, procurantibus Duce Brabantiæ, antiſtite Treuerenſi, & Comite Iuliacenſi, terras Hollandiæ & Selandiæ quas Vuilhelmus filius Ludouici Imperatoris tenebat, filijs Regis Angliæ Iuliacenſis contuliſſe, magnamq; factam eſſe inter Anglum & Boëmum amicitiam. Quod Marchio intelligens, publicè Boëmum regem Romanum non eſſe proclamauit, irritamq; eſſe, & nullam electionem illius aſſeruit. Inſuper Imperialia ſigna, aquilas ſcilicet, quę hoſpitio Bohemi affixa erant, deijci per familiares ſuos iuſſit. Sicq; re 284
infecta omnes à Patauia diſceſſerunt. Obijt tum uxor Caroli, regis Franciæ (cui Blanca erat nomen) ſoror. Effinxit interea Rudolphus Dux Saxoniæ (Bohemo fortaſſe urgente) dolum inauditum. Nam ſimilem quendam inueniens Vualdemaro Marchioni Brandeburgenſi defuncto, à quo Ludouicus Marchionatum ſortitus erat (quoniam ſine liberis Vualdemarus deceſſerat) ut ſuperius ſcripſimus. Hic Rudolpho auctore dixit, ſe olim cauſa pœnitentiæ abijſſe, mortuumq; ſe ſimulaſſe, multaq; ſigna corporis ſui oſtẽdit, populumq; fatuum eò perduxit, ut Ludouico luxuriam uxoris & filiarum obijcerent, liberosq; ſuos illegitimos indignosq; tanto principatu clamarent. Obid multas ciuitates Marchiæ perdidit, quas Boëmus cum maximo exercitu occupauit. Sed Marchio etiam collectis copijs Marchiam ingreſſus, Francofordiam ſe recepit, à Carolo ibi obſeſſus. Cùm itaq; Carolus uxore careret, unicã filiam Rudolphi Palatini ex matre de Carinthia, duxit uxorem. Quoniam ipſi duo, Carolus & Rudolphus, quõdam Rodulphi regis fuerant pronepotes, ipſeq; Rodulphus & quondam uxor eius mater ſponſę ſimiliter fuerunt eiuſdem Rodulphi regis pronepotes. Sperauit autem rex per hoc matrimonium concordiam aſſequi Principum imperij. Moritur interim Lucas de Mediolano occupator Longobardiæ, quem alij ſcriptores Luchinum nominant. Frater eius Iohannes archiepiſcopus Mediolanenſis dominium ui arripit, cum multis alijs urbibus ac potentatibus. Inde nuncij ad Marchionem uenientes, ad Comitatum Tyrolis aduocant. Quò cùm peruenijſſet, Tridentum & alia oppida quæ Boëmus eripuerat, in ſuam ſibi uendicat ditionẽ. Tridentinus autem intruſus præſul, clero & populo inuiſus, ignominioſè receſſit. Curienſis aũt antiſtes, quem olim captum Ludouicus Marchio carceri mancipauit, poſt liberationem, inter Marchionem & Margarittam uxorem diuortium ex commiſſione Clemẽtis Sexti Pontificis ob maleficium celebrat. Maximæ igitur quotidie ſuborie-
bantur inter regem & Marchionem diſcordiæ. Quas coram Pontifice ſummo uterque decidendas cogitauit. Sed cùm Mediolanenſis antiſtes Pontificem certiorem redderet de nouo Principum in Carolum conſenſu, res in ambiguo ſuſpenſa manſit. Romanus autem frater Ludouici in terra Brandeburgenſi conflictum cum hoſtibus faciens, tanquam miles ſtrenuiſſimè pugnans, triumphauit, captis pluribus, & multis occiſis: & ſi aliqui Marchionem infeſtare non ceſſarent. Rex autem cum uxore Anna Aquiſgranum uerſus tendens, præ multitudine flagellatorum qui tum ſuborti, totum mundum peruagabantur,

bantur,illic ire nequibat. In Bunna Aquensibus omnia priuilegia corrobora-
uit,& noua adiecit. Anna uerò Regina à Vuilhelmo Colonienſi archipræſule
Aquiſgrani unctionem accepit.Hinc Spiram reuerſus,multis cõuocatis Prin-
cipibus,de pace generali per imperium cœpit tractare: tametſi parum profice
ret.Nam & Metenſes noluerunt eum regem agnoſcere,& pleræq; aliæ urbes,
de quibus conquerebatur. Sed cùm impenſis careret, ad Bohemiam feſtina-
uit,relinquens imperium impacatum,Norinbergæ ſub gratia eſt receptus per
magnam largitionem,& quodam mirabili aſtu. Nam ciuibus clàm omnia ar-
ma ſunt ablata. Quandoquidem Marchio aſſiſtentiam eis pollicebatur. Dum
hæc fierent, tumultum etiam in Sueuia ſuſcitauit Comes de Vuirtenberg, E-
berhardus, Duces Bauariæ & Comites de Oetingen contra ſe ſuſcitans. Sed
ſedatus eſt furor uulgi per Rodulphum Ducem Bauariæ, qui Carolo ualdè fa
miliaris, uicarius Regis dicebatur. Hic in Brandeburg, plurimùm pro pace la
borauit. Vnde Rex Carolus & Ludouicus Marchio tandem poſt multas ma-
ximaſq; lites (nam & in Germania & Boëmia undiq; erant diſcordiæ) Norin
bergæ conueniunt ad concordiam firmam fixamq; ineundam. Habeo aucto-
res qui ſcribunt eos conueniſſe in Iſenaco, & in cœnobio prædicatorum ſolos
horis pluſquam ſex colloquutos, concordiam & amicitiam concluſiſſe. Nam
& Ludouicus poſt Carolum incedens, ut regem ſemper uenerabatur: & inſi-
gnia imperialia, quæ pater ſuus habuerat,tranſmiſit. Carolus uiciſſim Ludo-
uicum de principatu Brandeburgenſi, Bauariæ & Carinthiæ feudalia dando,
condecorauit, Marchionemq; fictum (de quo paulo antè) banno imperiali
execratus eſt. Ludouicus autem cum fratre Romano Marchione cum mille
quingentis equitibus Marchiam ingreditur. Cui etiam Rex Daciæ trecentos
miſit, & quingentos equites. Marchioq; Miſnenſis filius ſororis Marchionis
per annum integrum ſuppetias ferebat, donec iterũ Marchiam omnem acqui
reret. Sicq; omnis tumultus inter regem Carolum & Ludouicum Marchio-
nem ſublatus eſt. Facileq; admiſit Carolus, ut Ludouicus Margarittam Carin
thiæ ducis filiam, quam fratri ſuo eripuerat, ut in Ludouico Quarto ſcripſi-
mus,uxorẽ quietiſſimè haberet:licet Curiẽſis epiſcopus diuortiũ(ut diximus)
moliretur. Vnde cùm poſtea Carolus Romã cuperet ire pro imperiali aſſequen-
da corona(nam hunc Veneti ſociiſq; de Italia populi in Italiã euocabãt,ut copi
as è Germania educeret, extãtq; aliquot inſignes Frãciſci Petrarchæ epiſtolæ,
quibus Carolum inuitat, ut Romam ueniat, & imperij libertatem à ſeruitute
uindicet)miſſis legatis nobilibus, à Ludouico petit Carolus, ut ſibi cũ exerci-
tu ſuo liceat per terras ſuas proficiſci. Qui ſi & primùm inſidias ſubuereba-
tur, tandẽ tamen nõ modò quod petebat Rex annuit, ſed auxilium ſuũ & ſeſe
pollicetur itineris comitem. Carolus itaque cum Duce Bauariæ Ludouico in
Italiam ueniens, Paduæ ſubſtitit, copias expectaturus. Cùm paulo pòſt Io-
hannes Mediolanenſis archiantiſtes moreretur,qui nepotibus ex Luchino fra
tre,Barnabæ & Galeacio dominatus ubique in Italia ſaluos reliquit.Dehinc ſe
Carolus Mantuam contulit,uiſurus ſi qua in domina tum uicecomitum moue
rentur. Diuturnamq; hic moram trahens, Lombardos belli ſocios cum uice-
comitibus concordes effecit, ad ſolam ipſe anhelans coronationem. Media-
lanum igitur delatus, ferrea eſt inſignitus corona de ueteri more. Dehinc Ro
mam ueniens,à Romanis eſt regia pompa ſuſceptus, factioſis depreſſis. Et in
die Paſchæ à Cardinali Hoſtienſi uel (ut alij ſcribunt) à duobus Cardinalibus
conſenſu Pontificis Innocentij Sexti, in Imperatorem & Auguſtum conſecra
tus, ijs adiectis conditionibus, ne Romæ, néue in Italia diutius moreretur.
Paucos inde illic moratus dies, quaſi uenaturus elapſus ex urbe, Romanos
(qui priuilegiorum ſuorum innouationem petebant)fruſtratus,Mediolanum
peruenit, Longobardis in ſuam poteſtatem redactis,ac Gibelinis iam pridem
Florentia exulantibus, in antiquum ſuum locum reſtitutis. Vicecomitibus

perpe-

perpetuum imperij uicariatum aurea bulla confirmauit, omnia ubique concedens, è quibus pecuniam abradere potuit. Sunt qui scribunt anno milleſimo, trecenteſimo ſexageſimooctauo Carolum iterum Romam cum uxore ac filijs ueniſſe, cumq; Vrbano pontifice, expeditis propter quæ uenerat, tertio menſe redijſſe: ſed noſtri Annales de prima profectione ſcribunt. Tum in ciuitate Metenſi maximum principum habuit conuentum. In quo præter electores & totius imperij Principes, cõuenerant Tuſculanus Cardinalis de Francia, Delphinus Dux Viennæ primogenitus Iohannis Regis Franciæ, & archiepiſcopi Senonenſis & Rothomagenſis, qui tum Cardinalis creabatur Impe- 285
ratore præſente. Item Dux Britanniæ & Comes Pictauiæ, cum multis baronibus. In qua congregatione Vuilhelmus Marchio Iuliacenſis ab Imperatore creatus eſt Dux. Et Imperatoris frater Venceslaus Comes Lucelburgenſis factus eſt Dux primus. Et Comes Barenſis factus eſt Marchio. Fertur etiam Auinionem profectus regio apparatu ad Vrbanum Quintum Pontificem Maximum, & ab ipſo quàm honeſtiſsimè acceptus, multósque dies quàm familiariſsimè cum Pontifice conuerſatus. Rhenum dehinc relinquens, per Sueuiam ibat, ibiq; Comitem Vuirtenbergenſem (qui magna intumeſcebat ſuperbia) bellicoſo apparatu ad deditionem impulit atque ſubegit. Dehinc iuſſu Pontificis pernicioſam & ſuperſtitioſam Flagellatorum ſectam, quæ iam totam penè Alemanniam penetrabat, armata manu, cum aliorum Principum auxilio, mactauit & eiecit. Boëmiam deinde reuerſus, multa bona patriæ intulit. Nam & imperialia inſignia, lanceã, clauos, partem crucis, quæ à Ludouico receperat, Pragam detulit: cùm Ludouicus illa uel Norinbergam, uel Franckfordiam deferri per cautionem præſtitam poſtulaſſet. Pragam præterea mœnibus extendit, duploq; maiorem extruxit. Nam nouam ciuitatem muro, Viſſegradum propugnaculis cinxit, pontemq; inundationibus ruiturum reſtauratit, Eccleſiamq; Pragenſem à Moguntino eximens, in Metropolitanam erigi impetrauit à Clemente VI. Dehinc ab Vrbano quinto archiepiſcopum Pragenſem legatum natum creari procurauit. Cuius legationi Ratisbonenſis, Babenbergenſis, Miſnenſis, Olomurenſis & Litomislienſis Eccleſias, epiſcopos, clerum & populum ſubiugauit. Deinde Pragenſe templum diui Venceslai magnifico & miro opere ædificare cœpit, primo iacto lapide. Pòſt generale ſtudium inſtituit, artiumq; profeſſoribus ſtipẽdia, libertates, domos inſignes, magnificè largitus eſt & liberaliter, ac per Innocentium Sextum corroborauit. Multa inſuper collegia canonicorum ac monaſteria Pragæ fundauit & erexit. Ac in Ingelheym oppido Rhenano, Moguntinenſis diœceſis, Canonicorum regulariũ inſtituit collegium, ad quod ſoli recipiuntur Bohemi, quod hodie extat. Vir profectò religioſus, & qui in linguis quinq; erat expeditiſſimus: nam Italicam, Gallicam, Alemannicam, Boëmicam, & Latinam callebat. Et ut patriam dilataret, Marchionatum Brandeburgenſem & Luſatiæ, item Ducatum Sleſiæ, Bauariæ, Mulberg, & aduocatorum terram, cum multis alijs dominijs, pro regno Bohemiæ obtinuit, partim emptione ac precio, partim bello & alijs artibus. Fratri ſuo Henrico Iohanni Morauiam poſſidendam dedit, ut iuri ſuo, quod in Bohemiam habebat, crederet. Ferunt id factum anno Chriſti milleſimo, trecenteſimo quadrageſimonono, quando Iohannem & Albertum fratres dominos Magnopolenſes Duces creauit, qui uulgò hodie de Mackelburg dicuntur, cùm antè Principes Vandalorum nominarentur. Et ut filijs etiam conſuleret, multum diúque apud electores Principes, adiuuante Pontifice cum Cardinalibus, nixus eſt, ut filium ſuum Venceslaum Regem Romanorum conſtitueret. Poſt multa, anno imperij ſui trigeſimoſecundo, anno uerò ſalutis milleſimo, trecenteſimo ſeptuageſimoſexto, conſenſum Principum aſſequutus eſt, qui Venceslaum quindecim natum annos, poſt feſtum Pentecoſtes in Regem Romanorum elegerunt. Qui eodem anno à

Fride-

Friderico Colonienſi epiſcopo Aquiſgrani, Carolo & Principibus cæteris præſentibus, coronatus. Iohannam filiam Alberti comitis Hollandiæ, Hanno-niæ & Selandiæ, ac ducis Bauariæ duxit uxorem: & comitem de Monte creauit Ducē. Altero dehinc anno, cùm iam imperaſſet trigintatribus annis Carolus, in caſtro Pragenſi ualetudine aduerſa correptus, obijt. Anno noſtræ ſalutis milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimooctauo, uiceſimoſeptimo Martij, il-
286 licq; in monte diui Venceslai cum Imperatore exequijs ac lamētatione ingenti, honorificè ſepultus. Imperator equidem clarus, niſi maiorem regni ſui Boēmici, quàm imperij habuiſſet rationem. Nam dum filium ſibi ſucceſſorē parat, magnis pollicitationibus ac largitionibus electores corrumpit. Quas cùm exoluere nequiret, publica uectigalia illis oppignerauit, ac Romanorum imperium ad hanc calamitatem, in qua hodie adhuc eſt, deduxit. Quandoquidē electores imperij ea ſibi retinent, quæ Imperatoris ſunt, atq; ideo ſe Romanum imperium attollere atq; lacertos mouere uix poteſt. Nam tum Principes Imperatorem iureiurando coēgerant, ne pignora reuocaret.

Habuit autem Carolus uxores quatuor, Elizabet prima Ducíſſa Stetinenſis, quæ prolem habuiſſe fertur. Altera Agnes fuit filia Rodulphi Junioris, Rheni Palatini, filij Rodulphi Senioris, ſterilis & infœcunda. Tertia Blanca erat comitiſſa Valeſij in Francia, filia Caroli comitis Valeſij, & ſoror Philippi de Va-
287 leſijs, pòſt regis Franciæ. Quam Carolus rex Francorum tanquam amitinam ſuam, Carolo Boëmo tum Marchioni Morauiæ exiſtenti, uix ſeptennem deſponſauit. Anna quarta uxor Caroli fuit, quam alij Ioannam uocant: ſic enim in quibuſdam Annalibus inuenio. Cæterùm ordo coniugum mihi uidetur ex ſupputatione temporum peruerſus atque ineptus. Quippe anno redemptionis uigeſimotertio, ſupra milleſimum trecenteſimum Carolus miſſus fuit in Franciam, Carolo regi Francorum, ac deinde ſequenti anno Blanca regis Franciæ conſanguinea ſeptennis ab eo ſibi deſponſata. Quæ tandem quadrageſimonono anno, poſt mille trecentos obijt. Trigeſimo autem nono anno poſt milleſimum trecenteſimum primogenita Caroli Margaritta naſcitur. Prima igitur mihi uxor fuiſſe uidetur Blanca. Anna uerò quam quidam ſcriptores Iohannam appellant, mater Venceslai ac Sigiſmundi Regum, ſecunda fuit uxor: quam eodem anno duxit, hoc eſt, quadrageſimonono, quo Blanca mortua eſt, cùm priori anno quadrageſimooctauo cum coniuge coronatus eſſet in regem Boëmiæ. Tum enim paulo pòſt cum fratre Iohanne Henrico tractatum fecit, ut iuri cederet, quod in Boëmia habuit, ac Marchionatum Morauiæ acciperet, quod & factum eſt. Cæterùm an Agnes filia Palatini (ut ſuſpicor) tertia fuerit, & Elizabeth Steninenſis quarta, non ſatis liquet. Hoc certum eſt, huius Elizabeth ſororem nomine Margarittam, primam fuiſſe uxorem Ernesti, ducis Auſtrię, patris Friderici Tertij: Ob id ea fertur relicta Caroli, anno nonageſimo ſecundo, poſt milleſimum trecenteſimum obijſſe. Plures autem habuit filias, incertum ex quibus uxoribus. Catharina enim Rudolpho Quarto, primo archiduci Auſtriæ ac comiti Tyrolis nupta, ſine liberis cum marito Viennæ, in templo diui Stephani ſepulta iacet. Elizabeth item filia Caroli, Alber-
288 to tertio eius nominis, duci Auſtriæ, fratri Rudolphi deſponſatur, qui etiam ſine filijs mortui ſunt. Margaritta pariter filia Caroli, Ludouico regi Hungariæ & Poloniæ datur uxor: quæ ſimiliter nullam progenuit prolem. Sed & alia Elizabeth inuenitur filia Caroli, quæ uxor ceſſit Iohanni Galeatio Duci Mediolanenſi. E quibus Valentina filia nata eſt, uxor Caroli Franciæ regis. Margaritta item altera (quæ quibuſdam quinta Caroli filia dicitur) uxor data fuit Iohanni Burgauio Norinbergenſi. Qui ex ea filiam procreauit Elizabeth, quæ collocata matrimonio fuit Eberhardo Seniori, Comiti Vuirtenbergenſi. Inuenio & tertiam Margarittam filiam Caroli, quæ Marchioni Brandeburgenſi in antiqua Marchia coniunx data fuit. Anna filia Caroli, Otho-

ni du-

ni duci Bauariæ ac Marchioni Brandeburgensi filio Ludouici Quarti Cęsaris uxor data: sed hi nihil pepererunt. Helena quoq; filia Caroli locata est consors regi Angliæ. Tot ego liberos Caroli inuenio in Bohemicis Annalibus, si non mendis sunt deprauati. Te obsecro lector si inueneris & alios, nō graueris eos subiungere aut subscribere. Cui hoc tetrastichon adscribimus:

Anglum, Misnensem, Thoringum Boëmus in orbis
Imperio, Quartus Carolus exuperat.
Principibus nam multa dedit, potiusq; coëmit
Inde magis patriæ, quàm studet imperio.

GVNTHERVS COMES DE SCHVVARCENBVRG, REX ROMANORVM ELECTVS, competitor Caroli Quarti Bohemi.

PLVRES fuisse, qui in Caroli odium fuerant ad imperium uocati, superius annotauimus. Nam & Edouardus Anglorum rex, et Fridericus Marchio Misnensis, et Ludouicus Marchio Brandeburgensis, sæpissimè citati, assumere illud recusarunt. Guntherus autem de Schuuartzenberg, seu de Nigro mōte, Thuringiæ comes, uir robustus, strenuus, & qui bello plurimùm ualebat, præclaraq; multa gessit sub Ludouico Imperatore: Henrici Moguntini antistitis olim familiaris, in cōflictibus multis uictor gloriosus, atq; ex ijs haud parū ditatus, annos natus quadraginta quinq;, à Principibus electoribus Carolo contrarijs, diu multumq; sollicitatus ut imperiū assumat, crebrò recusauit. Tandem ijs conditionibus annuit, si Principes imperij in Francofurt per sententiam decernerent, uacare imperium. Maiorq; pars conueniret, qui se ius eligendi habere assererent. Sese paratū esse, amore Dei immortalis pericula quæq; pro imperio subire, ut tyrannis & seruitute imperiū liberaret. Noluit aūt per simoniam ac largitiones quicquā facere. Congregatis igitur principibus in campis Francofordiæ, conuenerunt Henricus de Virnburg archipræsul Moguntinus, Ludouicus Marchio Brandeburgensis, Rodulphus dux Bauariæ Palatinus Rheni consentiente fratre suo Ruperto, & capto tum Roberto fratruele eorum, & Ericus dux Saxoniæ, cui etiam ius eligendi competebat tanq; filio fratris Senioris Rodulphi ducis Saxonię, qui Carolum elegerat, 289
unanimi consensu Guntherum comitem de Schuuarcēberg regē Romanum eligunt die purificationis Mariæ, anno millesimo trecentesimo quadragesimo nono: eundemq; regem pronunciant & declarant, præstitis iuramentis ac debito exhibitō officio: datis insuper sentētijs uacare imperium, maioremq; principum electorum partem congregatam esse. Aliqui enim, uel non ausi comparere, latuerunt, uel uenire dissimularunt. Electus itaq; Guntherus, cùm iam Francofordiam introire tanquam Romanorum rex uellet, à ciuibus est prohibitus. Mos enim est ciuibus (quam quidem consuetudinem pro lege habent) ut neminem Regem in urbem suam intromittant, cui sit æmulus imperij aut aduersarius regni, nisi prius aliquot mensibus urbs obsessa uim patiatur, aduersariusq; aut æmulus regni interim aut manus cum illo conserat, aut diuisioni fauens, nec tamen aggredi ausus, ad Rhenum se transtulit, Treuerensem ac Coloniensem archiepiscopos alloquuturus: Leodiensemq; antistitem, & ducem Brabantiæ pro subsidio inuocans, à ciuitatibus quoque auxilia quærens, in uil lam Castel eregione Moguntiæ, præscripto die exercitū adesse iubet. Quo die Guntherus rex electus, uel ut potentiam Caroli minimè pertimesceret, uel ut

eius subsidia contemnere uideretur, in derisionem militares ludos ac congressiones hastarum concursionesq; (torneamentum à nostris dicitur) indixit. Vbi magna conueniens militū ac nobilium multitudo, dies plures non sine ingenti lætitia peregerunt. Cùm igitur uiribus nequiret Carolus uirum bellicosum ac fortem aggredi, dolo tentauit, ac primum mirabili eum astu circumuenire. Nam Rodulphi Palatini (qui Guntherum elegerat) ut in sui fauorem attraheret, unicam filiam in uxorem expetiuit atque duxit. Sed creuit indies potentia Guntheri, quæ Carolum impediuit ne quid moliretur. Alia itaq; ingressus uia, Principes Spiram conuocat. Hos quoq; adhortatur ut Gunthero scribant, ut ipse quoq; ueniat, tractatusq; fiat quo rixæ istæ ac diuisiones sedentur. Venerunt tum Spiram Treuerensis, Gerlacus Moguntinus, Comesq; de Vuirtenberg cum multis nobilibus ac ciuitatum imperialium Oratoribus, Gũtherum expectantes, cùm in propinquo esset; sed frustrà. Nam Frideburg castrum obsedit, & cùm castrenses rebellarent, mox expugnauit atq; deuicit. In principio itaq; Maij Carolus Spiram exiens cum exercitu, petentibus Spirensibus, castrum cui nomen erat noua Curia, funditus deiecit, ac terræ æquauit. Reuerso Gunthero in Francofurt leuiter cœpit ægrotare. Erat tum ibi insignis medicus magister Fridancus, comitibus de Nassauu antiqua iunctus familiaritate. Qui cum Gunthero potionem, quam mirum in modum & laudauit & expedire asseruit, porrigeret, Guntherus prægustare medicum iussit. Qui etsi inuitus faceret, gustauit tamen, reliquũ Guntherus ebibit. Medicus statim faciem mutãs in colore, in terram prostratus decidit, ac tertio die moritur. Guntherus uomitu quantum potuit uenenum eiecit, sed non usquequaq;. Reliquiæ enim corpus regis inflabant, inutilemq; ad arma reddebant tractanda. Ferebatur autem famulus medici, iussu Caroli uenenum potioni miscuisse. Nam uiribus uir ille insignis & armis, deijci non potuit. Conuocauit autem Carolus exercitum in Moguntiam. Moguntini enim in odium Henrici archiepiscopi, qui eos læserat, & Francofordiensium, à quibus rex Carolus abstulerat nundinas, easq; Moguntinis tradiderat, Regem supplices orant, ut oppidum Altamuillam ab episcopo super Rheno constructum, deijciat ac expugnet. Quod Guntherus intelligẽs, etsi infirmus esset, ac tractandis armis inutilis, se cum gente sua apud Henricũ episcopum in Altamuillam reposuit. Transeunte autem Carolo Rhenum, ducenti equites Guntheri cum impetu Carolum in fugam uertunt. Et nisi Vuirtenbergensis comitis equites celeriter subsequuti fuissent, actum erat de Carolo. Quam ob rem Carolus ex ijs plures equites, quos uulgò auratos milites dicimus, creauit. Marchio autem Brandeburgensis sine exercitu ueniens, pro concordia tractanda, multa cum Carolo, plura etiam cum Gunthero colloquutus est. Qui ambo eum arbitrũ constituentes, huiusmodi acceptarũt cõcordiam: quòd Carolum Guntherus regem salutaret, seq; regno abdicaret. Vicissim Carolus Gunthero, suisq; hęredibus uigintiduo millia marcarum argenti daret in mense proximo, ac duo Thuringiæ oppida imperialia pro uita sua. Guntherus indignatus super huiusmodi concordia, inualidum tum se uidens & letaliter ęgrum, inuitus consensit tandem, multa de perfidia principum Bauarorum conquestus, ac publicè lamentatus. Dum ergo hæc summa infra mensem congeritur atq; Gunthero offertur, Guntherus sexto mense imperij moritur Francofurt, ac regio apparatu à ciuibus regioq; monumento sepelitur in diui Bartholomæi æde. Quibus mox Carolus coactus est dare uiginti millia marcarum argenti, quæ à Iudæis extorta sunt, omniaq; eorum priuilegia confirmare, & ablatas nundinas restituere.

VEN-

VENCESLAVS CAESAR.

VENCESLAVS filius Caroli Quarti regis Bohemiæ, & Rom. Imperatoris, ac Iohannæ: in Romanorum Regem eligitur, Carolo patre sollicitante, annos natus quindecim. Anno salutis nostræ septuagesimosexto, supra millesimũ trecẽtesimum. Die Basilidis & sociorum, hoc est, duodecima Iunij: quãquam alij septuagesimumseptimum scribant. Duobus enim annis tantum Carolus superuixit, ut habent Annales Bohemici, non octo, ut cęteri. 290
Est autem electus in oppido Rens, Carolo patre præsente tanquam rege Bohemiæ, per Ludouicum de Misna prouisum Moguntinum, Fridericum Coloniensem, & Cunonem Treuerensem archiepiscopos, per Rudbertum Rheni Palatinum Bauariæ Ducem, per Venceslaum Ducem Saxoniæ, & Sigismundum Marchionem Brandeburgensem fratrem suum. Et altera die Francofurt in æde diui Bartholomæi rex Romanorum per electores est declaratus. Sexta dehinc die Iulij, Aquisgrani per Fridericum Coloniensem præsulem coronatus, cum Iohanna prima eius coniuge, filia Alberti Ducis Bauariæ ac Comitis Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæ, omnibus electoribus spectantibus, ac præsente genitore Carolo, Venceslao Duce Brabantiæ, qui frater Caroli Imperatoris erat, Ioannam Ducissam Brabantiæ relictam Vuilhelmi Quarti Comitis Hollandiæ uxorem habuit. Fuit etiam tum præsens socer Venceslai regis Albertus Comes Hollandię & Dux Bauariæ, ac Ioannes archiepiscopus Pragensis, qui paulo pòst Cardinalis factus est. Fuit autem Venceslaus tam corpore quàm animo deformis atque ineptus. Corpore quidem distortus, animo effœminato ac segni. Degenerans à patre atque auo, nihil unquam memoria dignum, aut cogitauit aut fecit. Norinbergæ natus, anno redemptionis millesimo trecentesimo sexagesimoprimo, Septembris uicesimooctauo die: matrem suam partu interficiens, & baptisma primo ingressu fœdans ac coinquinans: ut prouerbium inde fieret, futurum malum uirum, quia puer baptisma fœdasset. Quod & re ipsa cùm adoleuisset comprobauit. Non solum enim sacramẽtum baptismatis, sed uniuersam Christianam religionem coinquinari homo ociosus, somno Veneriq; deditus passus est. Inusta equidem est nostrę religioni macula cicatricosa, sub eo Sardanapalo & stulto rege, cum hæresi Hussitarum in Bohemia, quæ hodie durat, necdum sanari potest. Etsi multi præstantes ingenio uiri hanc curare summis uiribus nixi sunt, non tamen potuerunt: ita radices longè lateq; transfudit hæc insania. Cùm enim hic insanus Venceslaus esset à pueritia in Bohemiæ ac Romanorum regem sublimatus, statim luxui deditus, ac desidia corruptus, uoluptates omnes sequebatur, uentri tandem studuit. Maiorem curam uini ac gulæ habens quàm regni. In utramuis enim aurem securus dormiens, errores qui suboriebantur minimè emendauit, laboresq; omnes fugiebat: nesciens difficilius nihil esse, quàm benè regnare. Quod olim Diocletianus dicere solebat. Cùm igitur multa fierent undique in Bohemia scandala atque enormia facinora, & nunc miseri Iudæi (qui omnibus sunt subiecti tempestatibus, præsertim si ditati parumper sunt) populari tumultu spoliarentur sine causa omnibúsque bonis priuarentur, nunc uiri insontes sine noxa exquisitis nouis cruciatibus plecterentur: fertur nonnullos manu sua ludibrij causa peremisse: nullum namque scelus intentatum reliquit. Nam & molitoris cuiusdam coniugem (cui Sophia nomen erat) ad insaniam usque deperibat, licet uxorem haberet immensæ pulchritudinis. Nimia igitur usus tyrannide, tandem à Baronibus regni captus, quatuor mensibus & diebus septem custodiæ est traditus, donec per fratrem suum Iohannem Marchionem, Ducem Lusatiæ, & Procopium Morauiæ Marchionem liberaretur, non sine Rei publ. ingenti iactura. Hi enim cùm pacem reformarent, nihilo est factus me-

lior. Cùm ergò tyrannide, socordia, luxu omnia fœdaret, prouinciales conque
sti Sigismundo fratri, qui tum rex erat Hungarorum, iterum est à fratre suo Si-
gismundo captus. Et ut securius custodiretur, Alberto Duci Austriæ traditus.
Qui Viennæ in magnificè constructis ædibus, Danubio adiacentibus, quibus
etiam hodie nomen est Praga (quòd Pragensium hic rex fuisset captus) custo-
diendum præcepit. Sed cùm negligenter custodiretur, fuga elapsus, regnum re
petijt, rursusq; eo potitur. Neq; uitam emendans, neq; mores mutans, iterum
in antiquam transijt syluam. Vino, uentri, Veneri, dies noctesq; inseruiens. Et
ueluti porcus Epicuri, domi tanquam in stabulo clausus ac saginatus, neq; re-
gni negocia solerter ordinauit, neq; Ecclesiæ schisma extirpauit, neq; imperij
coronam acceptare curauit. Ab electoribus imperij igitur crebrò admonitus,
cùm nil curaret, imperio est deturbatus: primumq; Fridericus Saxonię dux suf
fectus. Quò mortuo Rupertus Palatinus, rex est Romanorũ declaratus. Ven-
ceslaus domi torpens inglorius, non solùm illaudatam egit senectutem (nam
annis propè sexaginta uixit, si modò scortari, inebriari, crapulari est uiuere) sed
etiam Hussitarum perfidiæ occasionẽ & incendium dedit. Licet autem abun-
dè Aeneas lib. ij Bohemiæ historiæ originem huius insaniæ recensuit, breuiter
tamen (ne ab instituto meo digrediar) paucula repetam: ut Principes cordi ac-
cipiant, quantum mali accrescat, si fomitem mali non ab initio (ut debẽt) extin
guant. Non ab re ille dixit: Principijs obsta, serò medicina paratur. Sic autem
originem habuit perfida ista Hæresis. Erant in schola Pragensi insigniores, ac
penes quos regimen fuit, Alemanni, ex uniuersa qui illuc confluxerant Ger-
mania: quod mirum in modum Bohemos molestauit, qui omnem operam po
suerunt, ut Theutones supplantarent atq; expellerent. Duplici igitur uia illos
aggrediuntur. Primùm enim quidam ex Boëmis Ioannis Vuickleffi ex Anglia
attulerant libros de uniuersalibus realibus. Quos cùm Ioannes Hus, qui cæte-
ris & ingenio, & eloquentia præstabat, lectitasset, peregrinis oblectatus opini
onibus, cum cohorte sua Theutonicos (quò eos abigeret) Vuicklefitarum ue-
neno imbutus, die noctuq; uexare laborauit. Quod cùm Germani eruditione
muniti repellerent, minimeq; curarent, ad alias artes Boëmi confugiunt, Ven-
ceslaumq; regem socordissimum & uino inebriatum adeunt, noua priuilegia,
nouasq; libertates petentes, Parisiense gymnasium citantes, et à quibus et quo
pacto gubernetur, multis uerbis narrãte Ioanne Hus, qui cæteris erat eloquen
tior, copiosissimè explicantes, ne exteri tantam habeãt inter Boëmos eminen-
tiam. Concessit igitur fatuus & improuidus Rex Boëmis priuilegium, ut sin-
guli duo haberent in omni re facienda suffragia, exteri unicum tantum. Quare
omnis dignitas atq; magistratus scholasticorum cessit Bohemis, exteriq; priua
bantur. Quoties enim aut rector gymnasij, ac Decanus aliquis eligendus erat,
pluralitate uotorum Boëmorum, qui bina semper ferebant suffragia, Aleman-
ni superabantur. Commoti igitur Theutones scholastici atq; professores, Pra-
gam uno die quinq; millia relinquêre, ac Lipsensem palæstram hinc et exêre, ut
Bohemi sua gubernatione liberi essent. Quot autem subsequutæ sint calamita
tes, quot quantæq; strages, enarrabilisq; humani sanguinis profusio, dum Si-
gismundus frater Hungariæ rex, toties inuocatus non uenit, superfluũ est enar
rare: cùm Aeneas Syluius copiosissimè hanc rem sit prosequutus. Et nos quæ-
dam inferius in Sigismundo dicemus. Dehinc cùm iam & Ioannes Hus in con
cilio Constantiensi cum Hieronymo combustus esset, & passim per totam Bo
hemiam quotidie malum ex malo crescceret, Venceslaus cùm uideret nouos
indies fieri tumultus, nouasq; cogregationes, sibi iam timere cœpit: ueritus ne
aut in se arma conuerterent, aut regno dejicerent. Sed omnem eius timorem
facundus quidam sacerdos (Coranda huic nomen erat) longa oratione apud
291 plebem sedauit: comprobans multis rationibus, prodesse illis ipsis regem ebri
um atq; inertem habere, qui eos non perturbaret, nec perturbare alios sineret.

Sic

Sic ergo factus est Rex iners, inertissimus, & ad quæq; mala emendanda tepidissimus. Dignus profectò, qui non diadema in capite, sed laqueum in collo gestaret. Nec inter Reges, uel Romanos, uel Bohemos, sed inter histriones ac potius porcos enumerãdus. Cùm uerò quotidie hęreticorum insania augmentaretur, ac magis magisq; inualesceret, non cõtenti monasteria Christianorum in urbe Pragensi insigniora demoliri, ac sacramentum Dominici corporis per urbem circumferre, populoq; dementi ac sanguinario quotidie ostentare: sed Regem Venceslaum adeunt, ut sibi maiores ampliores q; ædes pro cultu diuino largiatur, orantes. Qui cùm populum in sequentem diem suspendisset, animo futuras turbas ac uenturas calamitates cogitans, primò in arcem Vissegradensem, deinde in castellum nouum à se constructum, Conratum uulgò appellatum, fuga se proripuit: fratris Sigismundi auxilium præstolaturus. Ibi cùm audiuisset Consultum Pragensium horribilem occisionem, ac è prætorio crudelem præcipitationem, in iram commotus à Pincerna, qui se hoc præsciuisse aiebat, pugione hunc nisi è manibus suis ereptus ui fuisset, interficere sordidissimus rex non erubuisset. Ex ira igitur in apoplexiam incidit: ac paralysi decem & octo laborans diebus, ueluti porcus in uolutabro animam exhalauit, anno ætatis suæ, quinquagesimoseptimo, cùm regnasset quinq; & quinquaginta annos in Bohemia: In imperio autem uiginti. Anno autẽ Christi, millesimo quadringentesimo decimonono. Mos est apud Boëmos corpora regum aromatibus condita, per urbis sacraria circumferre diebus aliquot, ac ab amicis conclamari, priusq; sepeliantur. Quod regina Sophia ob frequentes hęreticorum tumultus facere quidem ausa non fuit. Delatum est igitur cadauer Venceslai primùm in ædem sancti Viti, & pòst ad aulam regiam, ibiq; sepultum monumento, quod sibi uiuus construi fecerat. Dehinc cùm hæretici monasterium euerterent, & sepulchra uiolarent, Venceslaus clàm à quodam effossus, sedata sedi tione, regio more est sepultus: Regina interim in Vissegradensi arce sedente anxia, ac Sigismundum sæpissimè uocante frustrà, quia Turcos inuadere diu antè cogitauit. Fuit autem hæc Sophia altera Venceslai regis uxor, filia Iohannis Ducis Bauariæ de Monaco, & soror Ernesti ducis Bauariæ. Mulier forma insigni, ac corpore ualde eleganti, sed nõ admodum religiosa: quia fertur Hussitarum perfidia commaculata fuisse. Postea anno salutis, millesimo quadringentesimo uicesimooctauo, in Posonio oppido Hungariæ, in æde sancti Martini sepulta. Sterilis tamen erat, & nullam genuit ex Venceslao prolem. Sicut nec prima uxor Iohanna, Alberti Senioris Ducis Bauariæ & Hollandiæ Comitis filia: quę pariter infœcunda, nihil potuit generare ex hoc teterrimo monstro: fatis fortasse ita uolẽtibus. Quandoquidem si prolem protulisset uirilem, fortè uniuersa Christiana periclitata fuisset religio: licet Annales Polonorum tradant Eufemiam filiam fuisse Venceslai regis Bohemiæ, quam Vladislao secundo regi Poloniæ quidam desponsare conabantur, sed ex qua fuerit uxore incertum est. De hoc libuit sequens scribere tetrastichon:

Venceslaus iners Epicuri de grege porcus,
A patrio penitus sanguine degenerat.
Imperium tenuit, regnum fœdauit auitum,
Attonitus tandem ceu fera fœta cadit.

IODOCVS BARBATVS, MARCHIO Brandeburgensis & Morauiæ, Rex Rom.

IODOCVS filius fuit Iohannis Henrici, Marchionis Morauiæ, fratris Caroli Quarti Cæsaris, ex Margaritta altera eius uxore. Habuit enim hic Iohannes Henricus pater Iodoci quatuor uxores. Margarittam scilicet Ducissam Carinthiæ, & Comitissam Tyrolis: quæ cognomine Maultasch dicta, diuortio ab
292 eo separata, Marchioni Brandeburgensi nupsit, ut in Ludouico scripsimus. Altera autem uxor Iohannis Margaritta Ducissa Opauiæ fuit, in confinibus Sleſiæ & Morauiæ. Ex qua genuit tres filios, Iodocum hunc regem Rom. Procopium uirum strenuum & bellicosum, qui in oppido Znoyma à Sigismundo rege & Alberto ac Ernesto Ducibus Austriæ obsessus, se uiriliter defendit. In monasterio Cartusiensium prope Brunnam, quod & pater fundauit, sepultus. Et Sobeslaum Marchionem Morauiæ. Sed ij tres fratres nullam de se prolem reliquerunt. Tertia similiter dicta Margaritta, Alberti II Ducis Austriæ filia, relicta Meinhardi Ducis Bauariæ & Carinthiæ, Comitis Tyrolis: quæ nullam sobolem produxit. Vltima uerò Iohannis Henrici uxor, filia fuit domini de Vualsee in Austria, ex qua nullos liberos sustulit. Hunc enim Ioannem Henricum Carolus (ut superius scripsimus) Morauiæ & Brandeburgensem Marchionem creauit, cùm cederet iuri quod in regno habuit Boëmico. Dehinc eius filius is Iodocus in Marchionatu successit. Post cuius mortẽ eius consobrinus Sigismundus Hungariæ & Boëmiæ rex, factus est Marchio Brandeburgensis. Qui hunc Marchionatum Friderico Burgrauio Norinbergensi, qui uxorem duxit Elizabetham Bauariæ Ducissam, uendidit, Marchionemq; creauit, anno Virginei partus millesimo, quadringentesimo sextodecimo. Hic pater fuit Alberti Marchiõis, cuius progenies hodie adhuc Brandeburgensem gubernat Marchionatum. Iodocus aũt hic Marchio Brandeburgensis, Barbatus est dictus, quòd barbam nutriuerat, qua sola se uirum ostentabat, cùm nullas alias animi haberet uirtutes. Homo alioqui inutilis, & qui ueritatem non amabat: promittens quæ neq; præstare poterat, neq; si posset, seruare uoluit. Grandia intempestiuè loquutus, fidem mercatoribus & ore & literas promissam, minimè seruans. Quos sæpius cùm tueri deberet, spoliabat ac cõquerentes deridebat. Hunc tradunt quidã ante Rupertum in regem Romanum electum, Venceslaoq; deiecto suffectum. Quem cùm salutatum olim tanquã patruelem uenisset, essetq; in penitiorẽ ædium partem à Venceslao ductus, mirari se dixit, cur electores ipsum imperio indicta causa deiecissẽt: quia nisi è familia mea talem mihi successorẽ designassent, silerẽ minimè. Territus Iodocus, ad regis procidit genua, periculum uitæ timens: senex enim erat. Quem bono iubet esse animo. Pone (inquit) metum nepos, imperium nõ tantopere amo, ut inuitus deponã. Norinbergenses à iuramento absolui, qui me optimi uini Rhenensis curribus quatuor donarũt. Imperium tibi mandatum, opibus & armis regni mei tuebere. Nec eũ ius sanguinis uiolare illud suadet. Tum donatũ à se nepotem hilarem dimisit. Sunt alij qui scribunt post mortem Ruperti, mense Septembri in Franckfurt Principes electores cõuenisse ad nouum eligendum Regem, ac tandem uigesima die hunc Iodocum in æde diui Bartholomæi regem proclamasse. Virum quidem prouectioris ætatis, qui annum excesserat nonagesimũ. Rex Boëmiæ & dux Saxoniæ, ad electionẽ uenire recusarunt. Sigismundus aũt Hungariæ rex, qui suffragiũ Marchionis Brandeburgensis habuit, per Burgrauium Norinbergensem uotum suum cum potestate sui nominis eligendi misit. Moguntinus aũt & Colonienſis hanc conditionem electo regi adiecerunt, ut Ioannem XXIII Ro. Pontificem sequeretur, cæteris reclamantibus, qui Gregorio adhærebant. Ob quã rem interrupta electio

ctio diu stetit. Erant tũ eñ duo summi Pontifices, Gregorius scilicet, sub cuius obedientia Rupertus cum liberis suis omnibus quoad uixit degebat, schismati nullo pacto consentire uolens: cùm Principes Oratores mitterent Pisas, ubi conuentus erat quorundam Cardinalium, censentium tam Gregorium quàm Benedictum deponendũ. Alter erat Ioannes XXIII, quem Mogũtinus & Colonienſis sequebanẽ. Non est igitur Iodocus coronatus, quoniã sex menses nõ exegit in imperio suo, Brunno oppido Morauiæ mortuus, et in monasterio S. Thomæ cum patre suo, qui id construxerat, sepultus. De quo nihil memoratu dignum afferre possumus, Galbæ Seni comparandus: qui septuagesimotertio ætatis anno Imperium adeptus, septem mensibus gubernauit. Nisi quòd hic iuuentutem habuit laudabiliorem senecta. Abstulit enim Procopio fratri minori natu paternam hæreditatem Znoymam cum cæteris adiacentibus oppidis, adiunctis sibi multis latronibus atque ære alieno oppressis, qui per Morauiam atq; Austriam longè maximas agebant prædas, terras populando finitimas. Qua causa motus Albertus Quartus Austriæ Dux, cum ingẽtibus copijs tam diu Znoymam urbem obsedit, donec Sigismundus rex Hungarorum aduentaret. Qui cùm ambo pocula hausissent ueneno infecta, Rex in pedes suspensus, ope medicorum euasit. Albertus dysenteria fatigatus, obsidionem soluẽs, in Nauuburgo claustrali mortuus, Viennam est delatus. Atq; ibi cũ patre, cum Beatrice matre, atq; Iohanna coniuge sepultus iacet. Sic impuniti latrones & ipsorum dux Iodocus, longè lateq; grassabantur.

Habuit autem uxorem Reginam Hungariæ, ex qua nullam prolem genuit.

RVPERTVS BAVARIAE DVX, Palatinus Rheni, Rex Romanorum.

RVPERTVS, siue ut alij, Rueprechtus, quodualet pacis turbatorem, ab Italis Robertus, Bauariæ dux, & Rheni Palatinus, cognomento Paruus dictus, filius fuit Ruperti Adolphi, qui dicebatur cognomine Tenax, & Beatricis uxoris suæ, filiæ Fridrici regis Siciliæ, ac nepos Adolphi Palatini, qui filius erat Rodulphi Senioris ducis Bauariæ, fratris Ludouici IIII Cæsaris, ut scripsimus. Qui tres reliquit filios, Rupertum Ruffum, Rudolphum Iuniorem, & hunc Adolphum, cuius nepos noster Rupertus erat: alij enim duo fratres nihil genuerunt. Hic cùm socordiam atq; ignauiã Venceslai Boëmi, to- 294
ties moniti atq; adhortati uideret inemendabilem, cùm cottidie magis inualescere sordidissimi regis ingluuies uentris, & uita luxui dedita obscurareẽ, suborirenturq; undiq; scãdala, & domi (id est) in imperio, & foris, hoc est, in Italia. Nam Venceslaus neglecto imperio, coronam contempsit Cæsaream, benedictionẽ spreuit: accepta pecunia, Galeatium ducẽ Mediolani perpetuum creauit. Qui autor deinde fuit totã Italiam lacessendi ac in bella mouendi. Romæ insuper schismata Pontificum & Cardinalium nascebantur. Quæ omnia Rupertus Palatinus, ut nascenti occurreret calamitati, cùm cordi reciperet, ex officio suo imperij Principes ad publica conuocat comitia. Nondum enim aurea bulla Caroli firmata erat, qua hodie electores in conuocãdis principibus utuntur, qua Moguntinus, defuncto Cæsare pro nouo substituendo, imperij proceres accersit. Iam aũt diu antè tractatus ac deliberationes plures inter se habuerant, diuersisq; ac mutuis literis imperij res diligentius discutiebãt. Tandẽ conueniunt Franckfort, mense Maio, anno humanæ liberationis millesimo, quadringentesimo, ut imperij negocijs accuratius prouideãt, nouumq; regẽ de ueteri more iuxta statuta ac consuetudinẽ eligant. Est itaq; rex designatus Fridericus dux Braunsuuicẽsis, Princeps bellicosus ac prudẽs, filius Magni Iunioris ducis in Braunsuuig ac Lunenburg, & Catharinæ eius uxoris, filiæ Vualdemari, ultimi Marchionis Brandeburgensis, ex antiqua familia Marchionũ Brandeburgensium.

Habuit hic Fridericus uxorem Annam, filiam Venceslai Ducis Saxoniæ, de antiqua familia Saxonum, ex castro Leonis. Ex qua duas genuit filias, Annam
295 scilicet, quæ Friderico Seniori Duci Austriæ, Comiti Tyrolis data fuit altera uxor, mater Sigismundi Archiducis Austriæ, Vuolfgangi, Margarittæ & Heiduuigis. Mulier omniũ suæ ętatis religiosissima, cum liberis omnibus in Stams sepulta. Alteram uerò filiam Elizabetham, quę comiti Gunthero de Schuuartzenberg in Thoringia copulata, plureis ei liberos peperit. Fridericus itaq; Princeps omnino dignus qui imperij habenas tractaret: sed cui cum Moguntino antistite ueteres inimicitiæ erant. Dum itaq; reuertitur domum Fridericus per Hassiam, reuersurus ad coronationem, haud longè à Frislaria in insidias à Moguntino subornatas, improuidè incidit, & à Comite de Vualdeck iussu Moguntini, impiè est occisus. Quod homicidium per uniuersam Germaniam magnum exciuit tumultum. Ferunt incolæ (siue fabula sit, siue res gesta) hanc ob rem repertum ante fores templi Moguntini, lapidem cum maiusculis inscriptum literis: *VERTE ET INVENIES*. Quem homo quidam curiosus, lectis his uerbis: Thezaurum abditum ratus, noctu euertit, & alio latere eodem saxo scriptum reperit: *MOGVNTIA AB ANTIQVO NEQVAM*. Effossa terra frustrà, nullo reperto thezauro. Mox ob has insidias Friderico illatas, cauillum hoc quidam sculptum circumtulerunt, licet alij alias afferant fabulas. Circumferuntur rythmi uulgares, non admodum latini ac elegantes, sed ueritatem exprimentes, ac syllabis quibusdam nomen Friderici notantes, eius sepulchro inscripti. Qualescunq; tamen sint, cùm Romanos non puduit aliquando Ethruscorum & Oscorum inserere nomina, subiunxi. Quandoquidem tempora his in terris non aliam ferebant elegantiam.

Regula non ficta, nequam Moguntia dicta,
Germen Pilati nunc denuò uiuificati,
Sicut dum uixit, iterum Christum crucifixit:
Namq; Ducem strauit Fridericum, qui quasi Dauid,
Braunschuuich protexit, gentemq; suam benè rexit,
Transtulit ad Christum, Respublica dicitur istum,
Pro qua perrexit Franckfurt, heu tunc sibi texit.
Traditio uestem, quem mortis postea testem,
Nequiter inflixit, prope Fritzlar uulnera fixit,
Heu heu heu mille, miles ualidissimus ille,
Cernitur ipse fuga, qui sæpius ardua iuga
Belli contriuit, spes est quòd in æthere uiuit.
Nunc iacet in crypta: de quo sunt talia scripta,
FRE. fremit in mundo: *DE.* deprimit alta profundo.
RI. rigidum flectit: *CVS.* cuspide mucroq; plectit,
Viuat ut in cœlis, Dux inclytus ille fidelis,
Optet ei quisquis, qui scriptis condolet istis.

Ita mortem optimi Principis defleuerunt uersificatores isti: qui meliora proculdubiò præstitissent, si nouissent. Sed diu multúmque ob mortem illius tumultuatum est in Germania, & aliquandiu cessatum ab electione, donec principes Bopardię conuenientes, Venceslao imperio deturbato, Rupertum hunc Ducem Bauariæ atque Palatinum, uirum armis exercitatissimum, ingenijq; acerrimi, ac insignem iustitiæ cultorem, statura alioqui paruum, Regem declarant ac instituunt, Bonifacio nono summo Pontifice consentiente ac approbante. Cùm igitur Aquisgranum pro sumenda corona proficiscceretur, ciues obstiterunt, non sibi licere ut in Rupertum consentiant asserentes: causati sese nondum à iuramento Venceslao præstito absolutos. Idcirco ne electio frustraretur, Fridericus Colonienſis archiepiscopus, Coloniæ Rupertum regio diademate insigniuit. Sunt eam ob rem Aquenses præda, incendijs depopulati, ac

ti, ac mirum in modum uexati. Quemadmodum Moguntinos ferro ac igne euastauit, ut etiam hodie cernantur ruinæ. Henricus Friderici electi & occisi Regis frater, qui omnes arces, ut fratrem ulciſceretur, oppigneraúit, collecto inſigni exercitu, in terras irrupit, ac paſſim multos ſtrauit. Habuit enim Friderícus tres fratres, Othonẽ Hyldesheymenſem præſulem, & Bernardum, qui uenationi & libidini inſeruiebat, & hunc Henricum armis inſignem Principem. Cęterùm Rupertus reuerſus domum, accuratè imperij negocia cœpit tractanda, anno ſecundo poſt milleſimum, quadringenteſimum. Pontificis fauorem intelligens, Romam profecturus pro imperiali corona, exercitum coëgit, ac intra alpes ſubſtitit, Venetis (ut quídam tradunt) iter prohibentibus. Alij uerò ab incepto deſiſtere coactum ſcribunt à Iohanne Galeatio Duce Mediolani, quem confirmare in Ducatu recuſauit. Cùm autem Bonifacius Pontifex magno illum proſequeretur amore, ne impenſæ deficerent, Ruperto conceſſit à clero totius Germaniæ decimas exigere. Quod cùm tres archiepiſcopi, Moguntinus, Colonienſis, ac Treuerenſis recuſarent, imperium quod ſub Bohemis langueſcere cœpit, paulatim deficiebat apertè. Nam tota Italia à tyrannis uexabatur undique, qui imperij urbes ſubigebant, coarctabantq; ne imperio ſubeſſent. Ac ſic Italici Reguli potentia ac uiribus aucti, Romanis Regibus ingreſſum Italiæ intercludebant. Illi enim ſibi Veronam, hi Patauiam atque Teruiſium ſubijciebant, quę urbes ſunt imperij, non Venetorũ. Nec ijs contenti, ad Forum Iulij uſq; & ad Hiſtriam perrexerunt Veneti, multasq; maris inſulas ac maritimas urbes ſuo ſubiecerunt Imperio, partem Orientis imperij cum Patriarchatu Aquilegienſi per fas ac nefas occupãtes. Florentini Piſas ſibi uindicarunt, longè lateq; finitimas urbes ſubegerunt. Nec Genuenſes ab alienis abſtinuerunt, ſed paſſim obuia quæq; occuparunt. Quantum uerò in urbe ſit trepidatum, nunc ob ſenatores, nunc ob tribunos, quibus poteſtas erat gubernandi Po. Rom. nunc ob Pontifices, qui aliquando Auinionem præferebant urbi Romanæ. Et partim Gallici, partim Italici Pontifices eligebantur, non ſine ingenti Po. Rom. tumultu, ſuperuacuum eſt altius repetere, cùm id abundè Italici ſcriptores Blondus, Platyna, & Sabellicus prodant. Cùm autem Florentini ante omnes à Vicecomitibus undique laceſſerentur, ingenti promiſſa pecunia Rupertum Romanũ Regem in Italiam accerſiuêre, hac adiecta conditione, ut quàm primùm Italiam attingeret, exercitu ſuo Galeatium regno ſuo deturbaret. Inceſſit libido Regi Italiam ingrediundi, ut hac ſcilicet occaſione Romam facilius proficiſci poſſet. Sed infortunatus Rex, fortunam habuit aduerſam. In fine enim autumni, tempore ſcilicet ad arma tractanda inepto, per agrum Brixianum ad lacum progreſſus Benacum, terras uicecomitum attigit, ut à Florentinis promiſſas acceptaret pecunias. Quæ partim ſolutæ ſunt, partim differebantur, cum copijs Florentinorum non nimis bello exercitatis. Ideoq; cõgreſſus cum uicecomiti, ſuccubuit, fugaq; ſaluti conſuluit. Tridentum perueniens, è Venetis iterum eſt uocatus, Patauiumq; delatus. Nam tum Colonien. pręſul, & Leopoldus Auſtriæ dux, cum copijs quas in Cæſaris adduxerant fauorem, domum redierunt. Oratores Florentinorum cum maximo apparatu Venetijs reperit, & pecunias & copias multo uerborum ſplẽdore promittentes. Quas cùm uideret multo minores promiſſo, menſe uno altercatione abſumpto, re infecta, in Germaniam per alpes cum equitatu reuerſus, res Imperij cum diligentia tractauit, de Italia nihil amplius ſollicitus, eam permiſit ſuis uulneribus ſe conficere. Licet honorificentiſſimè eſſet à Venetis acceptus donatusq;. Sed cùm enarrata ſua clade Pontifici, Venetis, ac Florentinis, ſurdis fabulam occineret, Germaniam petijt, ut ſcripſimus. Albertus monachus qui uitas Pontificũ à Gregorio undecimo ad ſua tempora continuauit, tradit Rupertum Regem Romanorum, anno Virginei partus milleſimo, quadringenteſimo nono, conuentum habuiſſe Principum in Francko-

furt,

furt. Quò conueniſſe ferunt duos Cardinales, unum à Gregorio Pontifice, alterum à cardinalium collegio miſſos: altercantes coram principibus atq; inter ſe diſſidentes. Cardinalis Pontificis ſeſe obtulit, ut rex locũ deſignaret pro concilio futuro Vtinam Aquilegienſis diœceſis, ac tempus: modò Cardinales illuc ſeſe uenturos promitterent. Rurſus alter Cardinalis non cõſentiens, archiepiſcopos & principes in ſuam traxit ſententiam, Rex Pontificis Cardinali aſſenſit. Nam & priori anno octauo ſupra milleſimum quadringenteſimũ, Piſanum fuit celebratum concilium. Quod ex gymnaſio Viennenſi Franciſcus de Retza, & Petrus Deckinger inſignes theologi, publico nomine adierũt. Dum rex & illis intentus, & cæteris imperij rebus diligenter inuigilat (nam rex Poloniæ paulo antè unà cũ Vuitoldo Lituaniæ Duce, infœliciter in Pruſſia cum militibus Teutonicis pugnantes, magnam hominum amiſerãt multitudinem) poſt pleraq; in imperio honorificè geſta, inſperatò diẽ ſuum obijt, decimo imperij anno, in Oppẽheym oppido, & Heydelbergæ in ęde S. Spiritus regio apparatu ſepelitur. Cuius monumento hoc inciſum legitur eulogium: *RVDPERTVS DVX BAVARIAE, COMES RHENI PALATINVS, ROM. REX, IVSTVS, PACIS ET RELIGIONIS AMATOR, DIGNVS DEO VISVS, QVI PRO IVSTICIA PATERETVR, HVIVS SACRAE AEDIS ET COLLEGII INSTITVTOR, HIC CVM CASTISSIMA CONIVGE ELIZABETA NORICI MONTIS BVRGRAVIA QVIESCIT: VITA FVNCTVS, ANNO CHRISTI, M. CCCCX. KALEND. IVNII XV.*

296 Duas autem habuit uxores. Primæ nomen, genus, ac familiam hactenus inuenire (licet de illa haud negligenter percontatus fuerim) non potui. Ex quata men genuit Rupertum cognomine Pipan, Palatinum. Qui cum Ioanne duce Burgundiæ captus à Turcis tempore Sigiſmundi, poſt liberationem, ſine uxore ac liberis Ambergæ moritur, ac hic ſepelitur. Alteram habuit coniugem Elizabetam filiam Burgrauij Norinbergenſis, ẽ qua quinq; ſuſtulit liberos, Fridericum, qui mortem patris præceſſit, ſuperſtites, Ludouicũ dictum cœcum, Stephanum Comitem de Veldentz, Iohannem ducem Bauariæ, dominum de Nouoforo, de Amberga appellatum, & Othonem ducem Bauariæ, cognomi natum Moſpacher, dominũ in Sinſzhaym & Nouoforo. Genuit & filias treis, Elizabetam, quæ Friderico Seniori Auſtriæ duci nupſit, quæ filiam Elizabetam peperit, in iuuentute mortuam. Habuit aũt hic Fridericus (ut ſuprà ſcripſimus) aliam quoq; uxorem, Annam Duciſſam Braunſuuicenſem, matrem Sigiſmundi Archiducis Auſtrię. Secunda filia Agnes dicta eſt uxor Adolphi comitis Cleuiæ, & hinc Ducis: quæ nullos reliquit liberos. Tertia Margaritta Iohanni Duci Lotharingiæ nupſit, quæ fuit Caroli Marcelli, Ducis Lotharingię mater. Habuit præterea inſignes duas ſorores, hic Rupertus Romanorũ rex, Annam Duciſſam de Monte, & Elizabetham Morauiæ Marchioniſſam. Fuit autem Rupertus Rufus Palatinus, noſtri Ruperti regis aui frater, fundator ſtudij Haidelbergenſis. E quo multi & inſignes docti prodiêre uiri. Multis aũt annis bonas literas illic eloquentiſſimus & doctiſſimus, utriuſq; linguæ uir nunquam ſatis laudatus, Rudolphus Agricola docuit. Cuius multa extant ingenij monumenta, quę impreſſa circumferuntur. Sed addamus noſtrũ tetraſtichon.

Italiam Rupertus adit Rex ſæpè uocatus,
Pollicitis credens, falſus ubiq; redit.
Conficiant (inquit) proprio ſe uulnere iniqui,
Fœdus ſi nullum, nulla fides q; ualet.

SIGIS-

SIGISMVNDVS DVX LVTZELBVRGENSIS REX BOEMIAE AC VNGARIAE, MARCHIO Brandeburgensis & Morauiæ, Rom. Imp.

SIGISMVNDVS filius Caroli IIII Imperatoris ex Iohanna coniuge, ab ineunte ætate fratrem Venceslaum, indole, uirtutum decore ac eruditione superabat. Adeò ut illud poëtæ: fratrum quoque gratia rara est, uerum dici possit. Creuitq; indies mirum in modum in principem strenuum, & ad fortissima quęq; peragenda prõptissimum. Facilè æquaturus Carolos & Othones, si ad pacis artes (quibus excelluit) parem belli fœlicitatem addidisset. Nam & maiestate regia, quam in procero ostentabat corpore & liberalitate ac munificentia, quam multarum linguarum peritia insigniorem reddidit, omnes facilè suæ ætatis reges antecellebat. Quibus effecit ut Ludouicus Hungarorum rex, cui unica erat filia Maria, ultima proles diui Stephani Regis, hunc sibi optaret generum, eiq; eam despõderet puero penè. Sed priusquam adolesceret, Ludouicus diem suum obijt. At Hungarici proceres Carolum Siciliæ regem, filium Andreæ regis ac Ludouici ex fratre nepotem ex regno Neapolitano, cui imperabat, Iohanna cum uiro expulsa, euocabãt. Qui honorificè susceptus ab initio, quum se securum arbitraretur, populiq; fauore coronam regiam sortiretur, regina odium dissimulante tandẽ uenenato pharmaco misere perijt. Elizabeth autem uxor Ludouici, mater Mariæ à Ioanne Horuuathio Bano clàm aquis submersa, moritur. Garsensis autem Palatinus autor necis Caroli, securi percutitur: interim Sigismundus uigesimo ætatis anno accedente, cum exercitu in regnum uenit, in Albáque Regali diademate regio insignitus, nuptias celebrat. Ac mox cùm regni negocia tractaret, Iohannem Horuuathium Banum captum, equóque tractum & forcipibus descerptum, in quaternas dissecat partes. Dehinc duos ac triginta regulos, quòd regiæ puellæ essent aduersati, & Carolum in regnum ea inscia induxissent, securi percussit. Quorum monumenta hodie cernuntur ad Carmelitas Budæ. Ob quod facinus, cùm mortua esset illi uxor Regina, tanta est illi gentis (alioqui crudelis) conflata inuidia, tamq; inexpiabile odium, ut captus necandusq; magis quàm asseruandus, fœminæ uiduæ nobilis, cuius maritum interfecerat, in custodiam sit traditus, donec reguli de eius supplicio consultarent. Alioqui erant plerique in medio Senatu, eum, ut olim Iulium, discerpturi nisi pauci eius amici id prohibuissent. Actum erat de uita Sigismundi, nisi maiestate oris & blanda oratione, ac singulari qua pollebat faciunda, uiduæ, quæ mater erat duorum filiorum ex nobili familia de Gara, persuasisset, satius esse & sibi & liberis suis se liberum dimitti, quàm mactandum impijs præbere aduersarijs. Cùm filios posset eò euehere, ut semper eius lateri adhærentes, primas in regno obtinerent partes. Elapsus igitur custodia, habitu simplici ac rustico ad Hermannum Comitem Ciliæ noctu uenit. Cuius ut sibi conciliaret fauorem, unam ex tribus maiorem natu filiam (Barbaram nomine) uxorem eligit magno cum stupore parentum, qui se primùm irrideri putabant. Alteram uerò filio maiori natu uiduæ, quæ eum seruauerat, cui paternum nomen Nicon Garius despondet, Palatinumq; regni creat. Minor autem natu Ioannes archiepiscopus Strigonienſis, primas regni ab eo designatur. Sic honoribus & opibus auctis uiduæ filijs, ex Morauia ingentem adducit exercitum, armisq; sibi uendicat regnum. Stephanum Vuauiodam suæ captiuitatis autorem, trucidat: de alijs quoque supplicium sumit proditoribus. Cùm annos quatuor & uiginti natus Hungariæ regnum administrasset, decimo penè bellum aggressus grauissimum (quia iam Turci magnæ Europæ sese insinuauerant) Gallicis etiam auxilijs accinctus, dum imparatius imprudentiusq; in paratos hostes impetu ruit, iuxta urbem quæ Græcis Nicopolis dicitur, Francis nullo ordine bellum adorientibus, nec

297

298

sequen-

ſequentem exercitum expectantibus, infœliciter ab Amurate Turcorum prin
cipe graui prelio uictus, caſtris exuitur: innumeris Chriſtianis partim cęſis, par
tim captis. E quibus quidam ſunt luminibus, quidam teſticulis priuati, cæte-
ris turpiſſima fuga terga dantibus. Qua ſtrage Ioannes Burgundiæ dux, frater
Catharinæ, quæ uxor Leopoldi ducis Auſtriæ fuit, à Turcis captus cum mul-
tis proceribus Sueuiæ, Bauariæ & Auſtriæ. Buda regia urbs Hungariæ, præ ti
more fugientium ſuis ciuibus deſolata. Sigiſmundus parua nauicula Byzan-
tium delatus, mox Venetæ claſſis occurſu (cui Thomas Mocenicus, qui Mi-
chaëli Steno ſucceſſit, præerat) incolumis de fuga euaſit. Hæc ignominioſa cla
des diſcordia ducum euenit, effecitq; ut uictor hoſtis Hadrianopolim ſe reci- 10
peret. Sic itaq; Sigiſmundus ad gerenda bella infortunatus habitus, & ſi nec
animus deeſſet nec induſtria, Hungarorũ iterum incidit odium, qui ob calami
toſum Nicopolitanæ expeditionis infœlicem exitum eum perſequebantur.
Interim ſub ſomniculoſo rege Venceslao Huſſitarum oritur ſecta. Et cùm ſæ-
pius uocaretur ab archiepiſcopo Pragenſi, bello Turcorũ occupatus, diu ad-
uentum ſuum differt. Interim imperij principes crebrò conuenientes, Vencel
lum tanquam ineptum, imperio deturbant: ſuffectis alijs principibus, nunc
Iodoco Marchione, nunc Friderico, nunc Ruperto. Sed hoc defuncto, Sigiſ-
mundum concorditer (ſuaſu ut aliqui tradunt Iohannis XXIII Pont. qui ele 20
ctores rogaſſe fertur) Romanorum regem denunciant ac inſtituunt. Ad hunc
igitur electum Cæſarem, Iohannes Pontifex Maximus comitem de Nola
cum inſigni duorum cardinalium legatione mittit, ut aptam aliquam Germa-
niæ urbem pro concilio futuro deſignaret: ob Eccleſiæ ſciſma, cùm tres Ponti-
ficatus gloria ſeſe adorandos præberent: ob Gallicum faſtum, & Italicum tu-
multum, quibus Chriſtiana plebs labefactabatur. Cùm enim olim Vrbanum
VI Itali ſequerẽtur, Galli & Hiſpani Clementem, Petrus Luna ſe Benedictum
XIII, Angelus Carrarius Venetus ſe Gregorium XII, Baltaſar Coſſa ſe Iohan-
nem XXII, Pontifices crearunt. Iohannes autem prius Bononienſis cardina- 30
lis, cùm ob uitam parum pudicam Bononia eſſet eiectus, Romam ueniens, à
Ladislao Apuliæ rege ab urbe fugatur. Cui Romani ueluti Imperatori accla-
mabant, eiq; obedientiã prompti offerebant. Qui muros urbis demolitur, ca-
ſtra pro tuitione conſtruxit, arce n S. Angeli obſidet, tum capit atq; ſpoliat, ſed
breui rex & puella quædam toxico moriuntur. Latitabant tum Ioannes Bono
niæ, incertus quò ſe uerteret. Sed Sigiſmundum audiens electum, rogat ut
urbem pro concilio aſſigner. Eſt itaq; Conſtantia urbs Germaniæ inſignis, Ita-
lis, Gallis & Germanis apta, & uictualibus admodũ abundans, à Cæſare deſi-
gnata pro futuro concilio. Ad quam omnis populus Chriſtianus citatus eſt.
Egit dehinc facinus Auguſto digniſſimum, quod nulla unquam ętas obliuiſca
tur. Peragratis enim uniuerſæ penè Europæ prouincijs, toto triennio, omnes 40
Principes, reges ac põtifices adit, quo ſchiſma Chriſtiano nomini calamitoſiſſi
mum regum & uniuerſæ Chriſtianitatis principes & oratores, ingens homi-
num tolleretur, & concilium Conſtantiæ fieret omnes obteſtatus, ut per ſe uel
ſuos oratores conuenirent, cũ pleno (ut aiunt) mandato. Veniunt itaq; impe-
ratoris Trapezuntini, aliorumq; catholicorũ numeris confluit, qui nonaginta
nouem millia excedere uiſus eſt. Venerat & Ioannes pontifex: cui cùm grauiſ-
ſima eſſent obiecta ſcelera, ueritus nequid in ſe decerneretur grauius, mutato
habitu, clàm aufugit: primùm in oppidum Friderici ducis Auſtriæ Schafthau-
ſen, qui ob hunc multa mala cum fratre ſuo Erneſto perpeſſus eſt. Dehinc Fri-
burgum, ſi poſſet Burgundię ducem attingere. Sed captus tandem in habitu
militari lorica indutus, concilioq; oſtẽſus qualis nam eſſet Pontifex, in Augea 50
299 maiori peninſula, haud longè à Conſtantia, cuſtodię traditur, atque Pontifica-
tu abrogatur: dehinc Ludouico Bauarię duci ſeruandus mittitur, qui Heidel-
bergę triennio munitiſſima illum arce cuſtodiri iuſsit. Poſt Gregorius XII,

per

per legatum suum Mantuæ se Pontificatu abdicat, paulo q̃ pòst moritur. Superat Petrus Luna, qui se Benedictum XIII cognominabat. Is se magistratu abdicare recusat: licet enim ab Oratoribus regum Francię, Anglię, Scotiæ, Nauarræ, Arragonum, Castellæ, Legionis, Portugalliæ & Algarbiæ admonitus esset, qui omnes suę obedientię se subtrahebant, à Sigismundo persuasi, pertinacissimè tamen renitebatur. Ob id parato simulachro, uestibus & ornamentis ordine spoliato, non sine magna nominis sui cõtumelia summo sacerdotio dejicitur. Sed quid moror in negocijs concilij explicandis, quum sit ingens opus de actis concilij Constantiensis editum, quod impressum circumfertur, deq̃ rebus Bohemicis extet Aeneæ historia Bohemica, quæ longè lateq̃ rem explicat. Dehinc omnium Cardinalium, totiusq̃ concilij assensu, cum magna totius populi lętitia electus est Pontifex Martinus Quintus, cùm iam productũ esset concilium ad annum Christi millesimum quadringentesimum decimumseptimum, annis quoq̃ durasset penè quatuor, compositis iam Principum Ecclesiasticorum & secularium discordijs. Vt aũt mores corrupti uniuersi orbis Christiani emendandi commodiori & tempore & loco castigarẽtur, decretum fuit, ut à fine concilij Constantiensis ad quinquennium usque denuò concilium celebraretur. Vtq̃ à quinquennali in septenniũ aliud transferretur, ab hoc in decennium. Ita ut singulis quibusq̃ decem annis concilium haberetur generale, in loco idoneo: estq̃ Papia urbs pro primo, Basilea pro secundo concilio designata. Itaq̃ consensu Imperatoris, anno salutis millesimo, quadringentesimo, decimooctauo dissolutum est concilium, Pontifice in Italiam ad componendos urbis tumultus proficiscente, Cæsare uerò in Bohemiam, ad sedandas Husitarum insanas corruptelas. Creauit autem Sigismundus in hoc concilio Adolfum secundum eius nominis Comitem Ducem Cleuensem, Hermannum Ciliæ baronem socerum suum Comitem, Amedeum Comitem Ducem Sabaudię, Fridericum Burgrauiũ Norinbergensem Marchionem Brandeburgẽsem, Ericum uerò paulo antè Venceslai primi filium, Ducem Saxoniæ in Leuenburg & Vuittenburg, ob aliquos excessus rebellionis ac inobedientię priuauit electoratu. Idq̃ ius Cæsarem eligendi ac Ducatũ Saxoniæ Marchioni Misnẽsi Friderico cõtulit: cuius prosapia etiã hodie hoc iure utitur. Cęterùm cùm iam Sigismundus sæpius uocaretur literis, & à fratre Venceslao qui morti appropinquabat, & à Sophia uidua, Vẽceslao defuncto, antea Turcos inuadere, qui prius castris eum exuerant, ulciscq̃ illatam stragẽ cogitat. Bohemiam interim desertam relinquens, & Hungariam nõ defensam: satius esse ratus legatos mittere, qui regni gubernationem cum ciuitate Pragensi constitutis inducijs acciperent. Quod cùm factum esset, reddita arce Vissegradensi, quam occupabãt cum alijs locis, & ciues Pragenses Oratores suos Sigismundo mittere decernunt. Non multo pòst Sigismundus Brunnam uenit, spem magnam Christianis suo aduentu afferens: sed nescio quo iniquo fato Vratislauiam diuertit, nõ Pragam, ut sperabatur. Qua re desperantes de salute Christianos fecit, ac pertinaces schismaticos: qui iam palàm Sigismundũ Dalmaticę linguę hostẽ criminabantur, cui non esset cura alia quàm regni perdendi. Qui iam Ioannem Husum cum Hieronymo in concilio perdere laborasset: Marchionatumq̃ Brandeburgensem à corona Bohemiæ alienando perdidisset. Conuocatis tamen Slesiæ Ducibus, Sigismundus Bohemiam ingressus, Græcium & Cuthnam hostili exercitu petit. Præfecto arcis Pragensis, ab schismaticis obsesso, suppetias fert, ignę obsidionem dissoluens. Accersitis deinde ex Imperio auxilijs, à Saxoniæ Duce, Brandeburgensi Marchione, & genero suo Alberto Duce Austriæ, breui obsessa ciuitas expugnata est. Ipse dehinc à Conrado Vuestphalo archiepiscopo Pragensi, cerimonijs solennibus (ut Bohemiæ regem decet) diademate est insignitus, anno humanę salutis uigesimo pòst mille quadringentos, quum triginta quatuor annis iam regno Hungariæ præfuisset. Sigismundus dehinc

Cuthnam profectus, dimissa obsidione, cùm Zischa hæreticorum dux, omnes interea sacras ædes Pragę crudeli deijciendas suaderet impetu, soli Deo dicti-tans sacranda esse templa, in ædes sacras mox ueluti furibundus leo, per Bohemiam undiq; ignem facesq; conijciens. Succurrit Sigismundus Vissegradensi arci, sed frustrà: nam ex Hungaris Morauisq; proceribus quos adduxit, deside-rati sunt quàm plurimi. Accesserũt interea ex Germania nouæ copię, quas Moguntinus & Colonienſis Archiepiscopi, Comes Palatinus Rheni, Saxonię duces, Marchio Brandeburgẽsis & alij ex Germania Põtifices submiserunt. Nam & tum Martinus Pontifex pręsidia mox & crucem aduersus Thaberitas, nouam hæreticorum sectam, ac contra inualescentem quotidie pestem nominatim sumendam decreuerat: Vintonienſem Cardinalem Anglũ in Germaniam mittens. Sed infœlici Marte pugnatum est, quanquam tres essent exercitus ex uniuerso penè Germanorum Principum delectu. Quando quidẽ multi ex nostris in fugam fœdam uersi, multi occisi, multi in glacie dissoluta pondere absorpti sunt. Debacchabantur enim longè lateq; ueluti rabidi canes schismatici, cęco ipsorum duce Zischa maximas ductante copias, & suorum & externorum. Victoriaq; insolentiores facti, finitimas assiduis incursionibus populantur terras: nunc Misnam, nunc Austriam inuadentes. Et Zischa defuncto, etiam post pauidam nostrorum fugam, Franconiam euastassent, nisi placati nummis abire spõte cœpissent. Sigismundus tum Morauiam, ne laceraretur penitus, quia nobiles quidam Hussitarum ueneno infecti erant, Alberto Austriæ Duci genero suo dono dedit, ut tutore ac defensore non careret. Quanquam Magnus Procopius, qui Morauiã lacessebat, magnam cladem Marchioni Misnẽsi, ac Landgrauio Thoringię inferret. Norinbergæ tum Iuliano Cæsarino Cardinale altero superueniente, Sigismundus noua Principum auxilia cogit. Huic secundæ expeditioni Fridericus Marchio Brandeburgensis datus est dux belli, cum Iuliano Cardinali. Quos sequebantur Albertus et Christophorus Bauarię, Fridericus Saxonię Duces, Iohannes & Albertus Brandeburgenses filij Capitanei. Tum Herbipolenſis, Babenbergenſis, Eistetenſis episcopi, cum societate Sueuorum, & auxilijs Moguntini, Treuerenſis & Colonienſis archiepiscoporum, supra quadraginta millia equitum, pręter pedites qui pauciores erãt, Albertus item Austrię Dux copias suas agebat. Sed omnes iterum insolitus pauor metusq; fœdissimus incessit, abiectisq; armis fuga salutẽ quęrunt. Quanquã Cardinalis atq; Duces multis suasionibus trepidum militem à fuga reuocare summis uiribus anniterentur: manente interim Norinbergę Sigismundo. Transierat autem concilium Papię: quod peste dissolutum, ex sententia Pontificis Senas fuit translatum: quod pariter prudentia Martini Pontificis, ne nouam calamitatem, schismatis & discordiæ semina Petrus de Luna adhuc superstes excitaret, dissoluebatur. Accedente tempore concilij Basilienſis, quod Iulianus Cardinalis perfecta in Bohemiam legatione, iussu Pontificis inchoabat, anno Christi millesimo quadringentesimo tricesimoprimo. Ad quod uocati Bohemi uenerunt cum trecentis equitibus. Principes autem huius legationis erant, Vuilhelmus Costa insignis sacrilegus, Procopius Holi magnus scelerum et ingeniosus artifex, Thaboritarumq; sacerdos, Ioannes Rochezana hęreticorum Apostolus, imò Deus: Nicolaus Galecus Thaboritarũ Pontifex, & Petrus Anglicus patrię desertor, Sophista captiosissimus. Cum quibus dum Iulianus Cardinalis, tanquam mansuetissimus pater errantes reducere conatus, multis egisset, audita' que essent ipsorum errata, quibus excęcati uerum neque agnoscere, neque conuicti rationibus, quinquaginta penè diebus, herbam porrigere uoluerunt: quum neque amicis tractatibus, qui per Oratores à concilio missi fiebant, assentire uellent, ciuilibus bellis subitò inter se coortis, hæretici confecti sunt: contemptæ' que religionis pœnas dederunt, Maianardo duce atque auspice. Augebatur tum indies Basilienſe concilium, confluentibus eò Hispanię, Galliæ,

Galliæ, Germaniæ, Pannoniæq; Principibus. Quod Martino tunc defuncto, Eugenius Quartus Pont. max. literis patentibus (quas nostri bullas uocant) non confirmauit modò, sed & celebrare præcipit. Erat hic annus Christi millesimus quadringentesimus tricesimusprimus, regnorum Cæsaris Hungariæ, Dalmatiæ, ac Croaciæ quadragesimusquintus, Romanorum uigesimussecundus. Tum Sigismundus animum adiecit Italiam petendi, ac coronam imperialem cum benedictione assequendi: quod & literis quibusdam regni Bohemiæ primoribus significauit, ut intelligerent id Bohemorum nationi in maximam honestatem cessurum, quò feruentius eum tanquam naturalem dominum susciperent. Aestuabat bello ea tempestate tota Italia: Florentini que ac Veneti contra Philippum Mariæ Vicecomitem, Mediolani Ducem, & mari & terra copias agebant. Intelligens ergo Philippus Cæsaris aduentum, magnis pollicitationibus ad se pellicit, ut eum inimicissimum Venetis faceret. Sigismundus itaque magnas copias ex Germania adducens, Mediolanum peruenerat: à Nicolao Piccinnino, omnibusq; quotquot aderant apud Philippum nobilibus, summa pompa deductus. Nec Philippi potentia opibusq; fretus: utpote qui neque ad salutandum uenire, neque intra arcem cum exiguo etiam comitatu admittere dignatus est. Accepta de more Imperatorio, ferrea corona, sexta kalend. Ianuarij die, Parmam Francisco Sphortia comitante profectus, reliquum hyemis consumpsit. Sequenti uere in Ethruriam concedens, Lucam se contulit. Quod Florentini uidentes ob Philippum Sigismundo infesti, Lucensium agros Cæsare spectante populati sunt. Iterq; libenter Cæsari intercepissent: sed tamen impedire non poterant, quin Senas cum copijs suis traijceret. Hic sex mensibus moratus, quoniam pontificem intelligebat sibi contrarium, dum placaretur. Itali enim, ac Veneti in primis, cum Florentinis Pōtifici persuadebant Basilienſe concilium esse dissoluendum, ac in Italiam transferendum: ut & urbes Italiæ ex pecunijs ditarentur, & Italia ab alienis non subiugaretur. Obid enim uenisse Cæsarem, ut se Italiæ dominum faceret. Missis igitur Oratoribus, ciuibus Senensibus (ut quidam scribit) alij uerò, quod uerisimilius iudico, Caspare Slichio cancellario, & Laurentio Hungariæ mareschalco, equestris ordinis præstantissimis uiris, Cæsar cum Pontifice fœdus init: peracta concordia Romam profectus, à Pontifice ac Cardinalibus populoq; Romano perbenignè susceptus est, & ad diem undecimum kalend. Iuniarum ad scalas basilicæ diui Petri deductus, & solennissimis cerimonijs corona Cæsarea donatus, die ipso Pentecostes. Ascitisq; in equestrem ordinem multis Italis Germanisq; in Adriani ponte, ut mos est Imperatorum, abiens cum bona Eugenij gratia, per Tudertes & Perusinos Ariminum peruenit. Inde Ferrariam atq; Mantuam diuertens, Ioannem Franciscum Mantuæ dominum Marchionem creauit. Eius filio Ludouico, filiam Ioannis Marchionis Brandeburgensis Electoris Imperij, uxorem despondet. Italiam relinquens, Basileam, ubi concilium erat, peruenit, maximo populo effuso humanissimè receptus. Cæterùm Eugenius concilium Basilienſe à se prius confirmatum tollere annixus, & literis Apostolicis reuocat, & Ferrariam traducit: consensu suorum, quos secum habuit, Cardinalium. Sed Imperator cum Principibus qui tum Basileæ erant, Præsidesq; concilij, non modò literas Pontificis cōtempserunt, sed eum bis terq; adhortati sunt, ut cum cardinalibus suis eò proficiscatur, quò Martinus antecessor futurum id denunciauerit. Quod nisi fecerit, ut præuaricatorem & contumacem abijcere summo sacerdotio uelint, atque omni dignitate exuere. Inuenio in Annalibus Alberti Monachi (qui tum uixit) Eugenium Pontificem Imperatori Sigismundo (fortè priusquam coronatus esset) de hoc concilio scripsisse: reprehendisse quoq; loci & temporis ineptitudinem, tempus scilicet septennij præterijsse, indignissimumq; esse, Boēmos supremo anathemate execratos ac cōdemnatos, Basileam conuenire. Satius esse, transferendum in Italiam concilium, quò Im-

perator Palęologus ſe uenturum promiſerat. Sigiſmundum autẽ idem refert Pontifici reſcripſiſſe elegantiſſime, ut ab inſania iſta ceſſet, ne periclitetur: incertum eſſe ſi Græci reduci poſſint. Nullum autem eſſe conuenientiorem locum ad ſananda noua uulnera Bohemorum, quæ adhuc recentia ſunt, quàm Baſileam. Eſſeq; diſcordias Epiſcoporũ Madeburgenſis, Patauienſis, Babenbergenſis, cum ſuis ciuitatibus, quæ nullibi melius curari poſſint ac ſedari, quàm Baſileæ. Eſt dehinc Eugenius ter citatus, ac de contumacia accuſatus. Atq; niſi diſſolutionem concilij à ſe factam reuocet, ab adminiſtratione tandem ſuſpenſus. Incertus quid faceret, iterum concilium confirmat, ac eidem ſeſe ſubijcit: quam quam poſtea denuò reuocauerit. Quam ob rem poſt aliquot annos fuit depoſitus. Sed Imperator Sigiſmundus ab initio cùm rediret, ſedato quantum potuit patrum diſſidio, quod cum Eugenio erat, cõcilium derelinquens, Vlmam uenit, in Bohemiam Oratores præmittens, qui aduentum ſui denuncient. Vix Imperator Ratiſponam attigerat, quum proceres magno numero adſunt, Regemq; ſalutant, ac de omnibus rebus actis certiorem faciunt, & ut regnum tutò ingrediatur cohortantur. Per Danubium dehinc uectus, Budam peruenit. Ordinatisq; ibi rebus, Iglariam pòſt cum Bohemis, qui concilio interfuerant, & legatis concilij ſe contulit. Conuenientibus que de articulis ac punctis, de quibus in concilio tractatum erat, erecta in foro ſede, ac Sigiſmundo pro tribunali ſedente, circumſtante Oratorum corona, Iohannes Rochezana cum alijs quatuor presbyteris, nomine totius cleri obedientiam Romanæ Eccleſię iurauit. Suntq; ab anathemate Eccleſiaſticis que cenſuris per legatos cõcilij altera die abſoluti. Sigiſmundus itaq; noſtræ redemptionis anno ſexto & trigeſimo ſupra M. CCCC. Pragam in uigilia diui Bartholomęi, tanquã Imperator & Rex Boëmiæ cum Barbara Imperatrice eſt ingreſſus, uniuerſo regno exultãte, ſummisq; ac maximis eſt honoribus exceptus: obuijs & nobilibus & plebeis, certatim de obſequio Regi præſtando cõtendentibus. Sunt poſtea Eccleſiaſtici ritus & ſacerdotales dignitates iterum reductę, altaribus ornamenta reddita, noua templis donaria data. Noluit Imperator pollutas intrare ædes, ſed templum diui Iacobi fratrum Minorum reſtitui iuſſit, ſacerdotibusq; ex fiſco regio (quia reddĭtus deerant) hebdomatim commeatus diſtribui. Cõgratulabantur Sigiſmundo uniuerſæ Chriſtianitatis principes, Eugeniusq; Pont. aureã roſam lætitiæ indicem miſit, Reſtituiſſet omnia ſi diutius uixiſſet Imperator. Qui cùm ex ſenectute quotidie debilitaretur, atq; pedibus laboraret (nam lxx iam attigerat annum, qui natus ferebatur anno liberationis humanæ milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo, & mortem oppetijſſe trigeſimo ſeptimo, poſt milleſimum quadringenteſimum) priuſquã moreretur, Barbara imperatrix de regno ſollicita, ad ſe clàm Bohemię cõuocat regulos: ijſq; multis ſermonibus perſuadet, ad cauẽdas turbas poſt mortuum Cæſarem futuras, eam eſſe quietis uiam, ſi ſe uiduam Poloniæ Rex ducat uxorem. Pollicentur operã Imperatrici Boëmi proceres. Quæ iã anus, filię unicę oblita, nouas nuptias meditatur. Nõ ignorauit autem Imperator furentis libidine fœminæ conſilia. Cùm iam ſibi moriendum intelligeret, ex Bohemia in Morauiam amore uiſendæ filiæ ſe uehi iuſſit, Bohemię non ſatis cõfiſus ob incertam fidem. Znoymam uenit Imperator, ſubſecuta Imperatrix carceri traditur. Vocatis ad ſe utriuſq; regni primoribus, illos rogat atq; obteſtatur, ſi ſe ſuosq; ac regna ſalua eſſe uelint, Albertum Auſtriæ Ducem generum ſuum, uirtute, nobilitate, animi præſtantia, omnium ea tempeſtate excellentiſſimum ſucceſſorem ſuum nominent atq; eligant. Hanc eſſe ſupremam eius uoluntatem, ut illam expleant ac corroborent. Annuêre Barones, & Hungari & Boemi qui aderant, Albertumq; Regem ſalutant. Ordinatis dehinc Oratoribus, qui poſt mortem Bohemis ultimam ſuam uoluntatem, quam coram iuſſit proceribus aperire, patefacerent, inter manus amicorum ueluti lucerna oleo deficiente, extinguitur, non ſine maximo aſtantium planctu,

planctu, nona Decembris, milleſimo quadringenteſimo triceſimoſeptimo anno, imperij ſui uiceſimoſeptimo, regni Hungariæ quinquageſimoprimo, Bohemiæ decimoſeptimo. Corpus dehinc regio cultu in curru, quo etiam capta ferebatur Imperatrix, Varadinum delatum, ac honorificè eſt ſepultum. Vbi hij uerſus leguntur ſepulchro eius inſculpti:

CAESAR ET IMPERIVM TVVS EN EGO ROMA SACRATVM,
REXI NON ENSE, SED PIETATIS OPE.
PONTIFICEM SVMMVM FECI, SPRETIS TRIBVS, VNVM,
LVSTRAVI MVNDVM SCHISMA NEGANDO MALVM.

Ita autem auxit opibus hoc templum, ut cõtinuatis diebus ac noctibus, ſem 300
per laudes Deo immortali perſonent cleri ac ſacerdotes. Fuit autem Sigiſmundus Princeps humaniſſimus, procerę ac inſignis ſaturę, pulchra facie, crinibus criſpis, barba prolixa: quam in fauorem Hungarorum (quibus olim à lõgis barbis Longobardorum nomen erat) nutriuit: liberalis ac munificus. Cui incredibile pietatis ac religionis augendæ ſtudiũ fuit. Facetiſſimus & ingenioſiſſimus Princeps. De cuius uita ac facetijs liber hiſtoriarum inſignis & grandis adhuc extat in Alſatia apud D. de Plumeneck, innumeras cõtinens & iucundiſſimas hiſtorias ac facetias, quas egit Sigiſmundus in iuuentute cum Argentinẽſibus mulieribus, quæ eius ſemper gaudebant ſocietate, alijsq; illuſtribus fœminis, quibus cum familiariter & honeſtè ſemper conuixit. Paſſim autem id de eo ſcribitur, cùm in concilio Conſtantienſi, lapſu fortè linguæ, alioqui diſertus ac facundus, multarumq; linguarum peritus, à Grammaticæ regulis deerraſſet, ſciſmaq; maſculino non neutro genere (ut Grãmatici docent) protuliſſet, eſſe tum à Placentino correptum Cardinale. Cui mox ex tempore dixit: Placẽtine, Placentine, ſi omnibus placeres, minimè nobis places, qui minoris nos autoritatis quàm Priſcianum Grammaticum, quem offendiſſe me aſſeris, exiſtimas. Maximo omnium qui aderant cachinno ſuſcepta eſt Cęſaris peccati commiſſi excuſatio. Multarum enim linguarum ſcientia (ut ſcripſimus) claruit, & linguam Latinam obſeruauit. Ob id doctos homines in primis fouit, & amplis dignitatibus honeſtauit: ſępius accuſans Germanos Principes, qui literas odiſſent Latinas. A quibus quandoq; reprehenſus eſt, quòd doctos homines foueret, ſed humiles familia: Ego (inquit) illos obſeruo, quos natura alios anteſtare facilè uoluit. Natura enim docti præſtant ignaris & idiotis. Illud ſilentio præterire non debeo. Fuerant Cæſari ex Hungaria allata quadraginta millia nummũm aureorum. Quæ ubi noctu aduentante, in quos conuerteret uſus, ſollicitè uſque ad ſomni deſtitutionem cogitaret, cubicularios ocyus iubet Conſiliarios omnes ac militum Duces ad ſe uocare. Qui dicto audientes, ne quid aduerſi Imperatori accidiſſet, maturè aduolant, ac repentè quid conſilij poſcat, exquirunt. Cęſar aperta archa: Ecce (inquit) crudeliſſimi hi hoſtes ac carnifices (numos oſtendens) ſomnum mihi eripuerunt: accipite, ac inter uos diuidite, ut mihi tranquillè dormire liceat. Diſtributa itaque pecunia inter eos, cùm exirent uiri à conſilijs: Recedit iam (ait) à me tortor ille, qui me flagellauit, ſecurius iam quieſcam. Sed in immenſum creſceret opus ſi omnia de Sigiſmundo afferre cuperem: quæ longè plura ſunt quàm hic libellus capiat. Pleræq; etiam eius facetiæ, quas Germanica lingua protulit, ſi Latinè enuncientur, nullam penitus habent uenerem, neq; gratiam: tametſi lingua gentili non ſine maximo cachinno uel audiri uel recitari poſſint.

Duas autem habuit uxores: primam Mariam Ludouici regis Hungariæ & Poloniæ filiam. Ex qua nullam quidem prolem, ſed regnum conſequutus eſt Hungarię. Alteram Barbaram Hermanni Comitis Cilię filiam: ex qua unicam filiam Elizabeth genuit, uxorem Alberti Ducis Auſtriæ, Regis Romanorum, Hungariæ & Boemiæ. Fuit autem Barbara fœmina immenſę libidinis, & procacitatis inuerecundæ, quę ſæpius uiros peteret quàm peteretur. Sæpiſſimè in

adulterio à Sigismundo deprehensa: Sed adulter adulteræ ignouit, quia et ipse crebro alienos uiolauit thoros, matrimoniaq; aliena tentare nullius rei duxit. Pari forma libidinem inexhaustã amplexabatur Barbara, nihil de castitate sentiens ac pudicitia. Vitam omnem censuit inanem, quę non coitu, luxu, ac libidine contereretur. Nulla enim alia causa uitam sibi expetendam asserit, nisi ut uoluptati corporis sui inseruiret. De uirginibus sanctis fabulas esse dixit. Ob id Messalinæ Claudij quàm simillima, de qua Satyricus cecinit:

Et lassata uiris, nondum satiata recessit,
Ac resupina iacens, multorum absorbuit ictus.

Deest enim hic uersiculus in plerisq; luuenalis exemplaribus, qui in uetustissimo codice nuper scriptus à me legebatur. Sed fortè ob pudorem expunctus. Nihil omisit procaciss ima mulier, quo uoluptatẽ explere intelligebat, animam cum corpore interituram iudicans. Atq; ob id stulti hominis esse, frustrà se macerare & ieiunijs & orationibus. Quod cùm passim reprehenderet in omnibus, maximè tamen in puellulis ac uirginibus suis, quæ sibi quotidianum præstabant obsequium, coarguebat, parui faciens religionem Christianam. Postquam igitur Alberto in Regem Hungariæ atq; Bohemiæ electo, libertati redditur, dimissis quæ possidebat in Hungaria inexpugnabilibus penè castris, duodecim millia aureorum, quoad uiuat, singulis annis ei constituuntur. Degebat tum postea in Græcio Reginæ dotali oppido Bohemiæ, magna ex parte uoluptuosissimam ducens uitam. Quotiescunq; enim uirum aliquem aut robustum aut libidini aptum cõtemplabatur, mox accersiri curauit: eoq; tam diu usa, quoad uix cruribus incedere posset. Inuenio olim, cùm uidua esset, religiosum quendam sacerdotem adijsse Imperatricem, admonuisseq;, ut amore futuræ patriæ pudicam ageret uitam, atq; nunc maximè cùm uidua esset, exemplo turturis. Quandoquidem uiduato compare, turtur solitariam & mœstam agit uitam. Respondisse ilico uiduam Imperatricem: Si pater religiose exemplũ mihi afferre ex auibus cupis, cur nõ mihi passeres affers, quarum cupidius uitã sequerer quàm turturum, cùm illæ semper lętæ atq; hilares cantant, hæ tristes ac mœstę semper silent atq; mœrent. Cùm ergo in luxu ueluti sus in uolutabro dies penè omnes transegisset, atq; inter greges exoletorum, adulterorum, concubinorumq; cõsenuisset, nec dum uoluptatibus se expleret, peste infecta, (nam lues pestifera tunc Bohemiam populabatur, cùm Bohemi Ladislaum regẽ nuper genitũ à Friderico exposcebant) in Gręcio moritur, atq; à Boëmis Pragam defertur, regioq; funere in sepulchrum Regũ condítur: atq; à Boëmis sacerdotibus (quibus omnia licẽt) ecclesiasticis cerimonijs est honorata. Indigna profectò cuius cadauer ullo debeat dignari honore, quæ sine omni honore uixit. Ex diuersis Annalibus hæc excerpsimus, & hoc tetrastichon subiungimus:

Sceptra Sigismundus felicia gessit in orbe,
Dum timet Ecclesiæ, ne labefacta ruat.
Religione pius, Venus huic contraria, bello
Infortunatus, omnia nemo potest.

ALBERTVS DVX AVSTRIAE, MARCHIO MORAVIAE, REX HVNGARIAE, Bohemiæ & Romanorum.

ALBERTVS Quintus eius nominis Dux Austriæ, secundus autem Rex Romanorum: filius Alberti Quarti, & Iohannæ filiæ Ducis Bauarię Alberti senioris, Comitis Hollādię, Selandiæ, & Hannoniæ fuit. Cæterùm Albertus Quartus Princeps erat elegantissimi corporis, facie uirili, barba nigra, moribus integerrimis, ac multis animi uirtutibus ornatus: in primisq; religioni Christianæ in tantum deditus, ut non erubesceret publicè in ædibus sanctorum

ctorum cum sacerdotibus & psallere & cantare, solennia q̃ sacra quàm deuotissimè concelebrare. Quod impij et scelerati homines sibi uitio uertebant, asserentes eum monachum, nõ bonum principem esse. Conuersabatur enim quotidie cum doctis ac religiosis uiris, quibus cum familiarissimè degebat. Præterea architectus ingeniosissimus, utpote qui dolare, tornare ac alia id genus manibus facere, siquando suppetebat ocium, mirum in modum gestiebat. Tandem in obsidione Znoymæ, cùm Marchionem Iodocum Morauiæ obsideret cum Sigismundo rege Hungariæ, accepto letali poculo, dysenteria in mortem resolutus, relicto hoc Alberto Quinto filio, uix decem annis nato. Qui quum inhabilis esset ad gubernandam relictam Austriam, primùm Dux Leopoldus patris frater, dehinc Ernestus tutores dantur: non sine maxima iactura prouinciæ. Multæ enim & maximæ calamitates subsequutæ sunt, dum fratres inter se digladiantur pro tutela iunioris Alberti. Ob quam rem non modò Austria lacerata atq̃ scissa, sed Vienna deuastata penè & desolata est. Primores namque ciuium dum student alteri fratrum, plebs uerò alterum sequitur germanum, in duas diuisa urbs partes, magna clade afflicta est: multi securi percussi, multi spoliati & trucidati: donec Albertus pubertatẽ egressus, tutelã abiecit suasu domini Reinperti de Vualsee. Leopoldus quoq̃ dux Austriæ tutor ex fistula pedis mortẽ oppetijt. Reductus igitur in possessionem Ducatus, anno Christi decimo supra millesimum, quadringentesimum: sexta lunij, effusa omni Viennensi hominũ multitudine, nobilium ac ignobilium, summa lętitia principem suum excipiente. Qui iam è durissima seruitute ac tyrannide duorum fratrũ contendentium, ac magnis periculis liberati, suum uerum dominum et principẽ agnoscebant. Quis enim duobus fratribus contendentibus saluus esse potest? Studium quoq̃ generale Viennense obuiam procedens, polita oratione, Principem suum salutauit, seseq̃ illius tutelæ commendauit. Qui, ut pater suos filios, omnes doctos ardentissimè amauit. Erat tum Ernestus Dux Viennæ in fratris Leopoldi exequijs (qui Viennæ ad sanctum Stephanum cum fratre & maioribus suis sepultus iacet) cum fratre Friderico, patre Archiducis Sigismundi Austriæ, qui ægerrimè ferebant se excluſos: multa in proceres ac nobiliores Austriæ clàm machinantes. Qui tamen nihil curabant principum insolentiam, sed Alberto duci fideliter omnia subministrabant: consiliũ constituẽtes, & curiam summa prouidentia ordinantes. Andreas plebanus Garsensis, olim eius præceptor, & patris sui epistolarum magister, qui in discordia Principum Patauiense adijt studium, reuocatus, in antiquum restituitur officium. Hic nobile cœnobium (quod adhuc extat) Canonicorum regularium diuæ Dorotheæ uirginis extruxit, ac redditibus locupletauit, Rege Alberto auxiliante. Reliquit igitur Ernestus Dux Viennam, non sine animi cruciatu, Hierosolymam mox petiturus, Alberto iam quintumdecimum annum agente. Qui iam tener adolescens grandibus oculis, ac flaua cæsarie adeò cœpit adolescere, ut iusta sua ætate, omnes homines proceritate facilè superaret. In qua quidem statura eius procera, fuit neruosum & ualidum corpus, facies uirilis, more gentis, barba superiori labro extẽsa. Auctus igitur breui & diuitijs et honoribus, iustissimè imperauit. Rarò enim ueste splẽdida utebatur, sed baltheum gessit auro grauem. Nec unquam ensis lateri suo defuit. Austriam, qui prius diu multumq̃ lacessita, & latronibus & bellis intestinis fuit uexata, pacauit, ac singula restituit: scelerum acerrimus uindex, summum adhibuit studium, ut pax undique per Austriam inclaresceret. Despondit tum Alberto Duci unicam quam habuit filiam, octo natam annis, Elizabetham Sigismundus Hungarorum Rex, procurante Reinperto de Vualsee: quod consanguineis quibusdam displicebat. Hanc post millesimum, quadringentesimum uicesimum secundum Viennæ in uxorem traduxit, matrimoniumq̃ multa solennitate consummauit. Nam & Vladislaus Polonorum Rex & Lituaniæ Dux, crebrò unicam filiam uxo-

rem Alberto obtulit: quam facetijs abnuit, iniuriam patrui Vuilhelmi obstare causatus. Cùm autem paulo pòst consilium Basiliẽse celebraretur, Fridericusq; Austrię Dux ob Ioannem uigesimumtertiũ Pontificem deiectum & fugacem, incommoda nonnulla cum fratre pertulisset, Hussitarum tum furente ac debachante longè lateq; uecordia, Ernestus, Fridericus, & Albertus confœderati sunt, anno humanæ liberationis millesimo quadringẽtesimo decimoseptimo. Ob id Albertus cum Cardinale misso à Pontifice, qui Electores imperij ad extinguendam uesanam hæreticorum rabiem cohortatus, octoginta penè millia exuscitauit. His terga dantibus, Morauiam penetrauit, & Polonię fines attigit. Dehinc uerò cũ Sigismundo socero Pragam obsedit. Ad quam etiam forti exercitu accessit Ernestus, Dux Austriæ. Verùm postq; Albertus nuptias cum Elizabetha perfecit, Morauiæq; insigniores urbes quandoq; dotis nomine suscepit, uirus Boëmorum tum primùm erupit. Qui fines Austriæ inuadentes, Retzam urbem expugnant atque incendunt. Iohannem Comitem de Hardeck captum abducunt, ac Pragæ in carceribus iugulant. Zuetiam pariter deinceps inuadunt, prædasq; multas abigunt. Albertus tanquam inuictus athleta Morauiam defensat. Et iterum fugiẽte maximo imperij exercitu, solus cum copijs suis perstitit, seq; de hostibus ense ulciscitur. Cùm uerò prædones quidam duce Sockol per Austriam palantes, ac uagabundi oberrarent, ab Austriacis captis, laqueis, igne, ferroq; mox absorpti sunt. Defuncto autem aliquot interiectis annis Sigismundo Imperatore, Albertus (ut suprà patuit) persuasione soceri, à proceribus regni Vngariæ unanimi consensu rex est salutatus. Et cùm iusta socero persoluisset in Varadmo, Kalen. Ianuarij unà cum cõiuge Elizabeth in sella regali, applausu uniuersi populi fœliciter est coronatus, cũ summa solennitate ac procerum consensu, anno nostræ redemptionis millesimo, quadringentesimo tricesimo octauo: cùm iam ingens & inauditus esset Budæ excitatus inter Germanos & Hungaros tumultus, quo multi trucidati occubuerant. Missi tum erant oratores ad Boëmiæ regnicolas, inter quos Caspar Slichus primus erat. Homo uersatilis ingenij, & ad omnia accommodati, facundiæ singularis, trium Cæsarum magister epistolarum: qui Sigismundi recitato publicè testamento, regnum deuolutum ad Albertum Austriæ ducem pluribus ex causis elegantissimè persuadet. Quòd ultima uoluntas Sigismundi, qua singulari iudicio, Albertus ex nobilissimo Ducum Austriæ stemmate potens, uicinus Bohemis & amicus foret, & gener Sigismundi dignus successor designatus, minimè infringenda, sed seruanda esset. Quia Elizabeth ex familia Regum, Iohannis, Caroli, Venceslai, Sigismundi, paterna non esset priuanda hæreditate. Quod uetus adhuc extaret inter Bohemiæ reges & Austriæ Principes fœdus, procerum consensu, & imperiali autoritate iamdudum corroboratum. Quo caueretur, deficiente in altera domo masculo hærede, ex altera fore regem postulandum, hoc fœdere regnum esse ad Albertum delatum. Ad hæc, cùm iam ab Hungaris receptus esset rex, pariter Bohemis cupidè esse suscipiendum. Assensêre protinus Bohemiæ proceres, eumq; Regem designatum: paucis, qui prius cum Barbara Regem Polonię Casimirum accersendum putabant reclamantibus. Quos paulo pòst Rex in castro Pragensi, diademate anno eodem, tertio Kalen. Iunij insignitus, cum copijs aggressus, nullo labore deuicit, Polonosq; è regno deturbauit. Thaboritas quoq; fudit ac fugauit. Vratislauiam totamq; Slesiam in manus suas recipiens, ab hostibus qui agros populabantur, securam reddidit, Christophoro Bauariæ Duce, pòst Daciæ rege, Alberto marchione Brandeburgensi, ac Friderico Saxonum duce auxiliantibus. Quem Fridericum, dum Boëmi ex insidijs adorti, in fugam uertere conantur, fugati, & castris exuti, pœnas dedêre maximas. Vacabat tum etiã Romani imperij solium, propter Sigismundi interitum. Ob id electores imperij de more Francofordiam eodem anno in quadragesima coëuntes, cõcordi omnium uoto,

uoto, nemine discrepante, Albertum Romanorum Regem eligunt. Non erat autem illi integrum rem Romanam acceptare, cùm antea Hungaris id promisisset: qui Sigismundum aiebant sua absentia, dum Italiam Germaniamq; peragrasset, haud parum Hungariæ obfuisse. Absentia enim Principis multa patriæ infert incommoda, atque adeò noxia. Missi igitur Oratores cum legatis Pontificis & concilij cum decreto electionis. Præterea suasionibus Ducum Austriæ, Friderici Senioris Comitis Tyrolis, patris Sigismundi, & nepotum Friderici Iunioris, pòst Cæsaris, & Alberti eius germani, uictis Hungaris, ac precibus prælatorum nobilium, ciuium, ac studij generalis Viennensis delinitis, inuitus tandem consensit: fortè animo instabilitatem uolucris fortunæ considerans. Quæ quò plura largitur, eò celerius eadem & rapidissimè aufert, non sine tremendo horrendoq; strepitu. Hæc nanq; Principi tam abundè pleno copiæ cornu arrisit, ut cùm uno eodemq; anno, immò paucis penè mensibus, ex Duce Austriæ Dux Lucelburgensis, Morauiæ Marchio, rex Romanorum, Hungarorum et Boëmorum crearetur, duobusq; tantum annis in summo rerum fastigio gubernaret. Dum itaq; Boëmiam pacasset, Vlricum comitem Cilię illic reliquit. Qui cùm regnum affectare uisus esset, hoc reuocato, regnum Mainardo & Vlrico Rosensi commisit. Ipse Austriam concessit, ac Cellas beatissimæ uirginis Mariæ, ut uotum exolueret, petijt. Viennam rediens, hic paucis moratus diebus, literas à regina uxore ac magnatibus regni accipit, ut Hungariam petat, nisi uelit totam Turcis relinquere occupandam. Suadebant regi qui fideliores erāt, ne falso rumori de Turcorum aduentu crederet, néue aperto se periculo committeret. Si tamẽ Hungariam uellet inuisere, ne ultra Posonium Budam ue progrederetur incautus. Verebatur etiam rex, ne regina regno eijceretur, si non maturaret iter, si Turci regno uim ullam inferrent. Quandoquidem magnus de Turcis increbuit rumor, & cottidie magis inualescebat. Fortè tum etiam Despotus Seruiæ, quam Rasciam uocamus, cum sacerdotibus et nobilibus in Hungariam profugerat, Turcorum impetum metuens, relicto domi filio, qui castellum Scenderouiam in Danubij ripa situm, & à Turcis obsessum, tueretur. Quo expugnato, Despoti filiũ, licet eius sororem in uxorem duxisset, crudelissimus affinis excæcauit, atque domum abijt. Albertus itaque rex Viennam relinquens, cum curribus falcatis, bombardis, cæterisq; bellicis machinis pluribusq; impedimentis militaribus Hungariam intrauit, festinans ad Sindronium: & tandem ad paludes quasdam, ubi pauci latitabant. Intelligens autem abijsse Turcum, atq; Schenderouiam expugnatam, copijsq; dissolutis, Budam redijt. Calore autem feruentis Augusti insolito uexatus, dum sedare æstum peponibus elaborabat, in solutionem uentris incidit, & dysenteria fatigatur. Cumq; sese moriturum intelligeret, Viennam dulcissimam inclamitans patriam, spem habuit unicam, illic tantum sanitatem recuperandi. Prętergressus Strigonium, cùm inualescere morbum sentiret, Christiano ritu prouisus, sacramentisq; armatus ecclesiasticis, edito testamento, sexto Kalen. Novembris, anno trigesimonono supra millesimum quadringentesimum, in uilla Longa haud lõgè à Strigonio, Princeps liberalissimus ac religiosissimus obijt: cùm annum unum & menses nouem, diesq; uigintiocto imperasset: atque in Alba regali sumptuosissimè sepultus. Fertur autem priusquam moreretur, multa dixisse in eos, qui causa mortis suæ extiterant. Quibus non maledictionem, sed ueniam imprecatus, exemplo Saluatoris, qui in morte pro inimicis orauit.

Habuit uerò uxorem Elizabetam Sigismundi Imperatoris filiam. Ex qua duas filias reliquit superstites, Annam quam Duci Vuilhelmo Saxonię, dum adhuc uiueret, desponderat. Alteram uerò Elizabeth minorem natu, quę Casimiro Polonię regi nupsit postea. Grauida tamen relicta uidua, cùm ex Hungaria Posonium uersus discederet, tempore partus accelerante, in castello Comarum

rum, octauo kalẽdas Martij, quadrageſimo anno poſt milleſimũ quadringen teſimum peperit poſthumum, Ladislaum filium. Fores cubiculi patulas Palatino Rheni, qui tum caſtrum poſſidebat; cuſtodiente contra pudorem fœmineum, ne ſuppoſitícius partus Hungaros falleret. Erat preterea Elizabetha teſtamento regis Alberti quàm honeſtiſſimè prouiſa, adiecta etiam cõditione, ſi maſculum pareret. Hungari priuſquã foret enixa regina, quæ nondum trigeſimum exceſſerat annũ, uehementiſſimè inſtabant, ut Vladislaum regem Poloniæ adoleſcentem, maritum et regẽ Hungariæ ſimul acceptaret. Miniſq; ac terrore inuitã compulerũt, ſi ſe ſuoſq; ſaluos uelit, ut literis ac ſigillis illud ipſum promitteret. Quas tamen poſt partum miſſis oratoribus ad Cracouiam, reuocauit: adepta libertate metuq; ſoluta. Boëmi interea poſt Alberti mortem deno uo Rege ſolliciti, comitia Pragę celebrarunt. Quæ tamen Procopius de Rabenſtein, ne Ladislao nuper genito obeſſent, prorogat. Nihilominus tamen hunc infantulum regẽ aſpernantur. Albertum Bauariæ ducem regem poſtulant. Qui regnum hoc recuſauit, ſuaſione Friderici regis Romanorum electi. Quem Bohemi primùm, ut tutorio nomine regnũ accipiat, dehinc ut ſeipſum regem faciat, cohortantur. Vtrunq; Fridericus pernegans, ſe in Germaniam coronæ ſuſcipiendæ gratia profecturum cauſabatur. Surripuerat regina, Alberto uiuente, coronam diui Stephani regis ſacroſanctam, qua Hungariæ reges coronantur: dum theſaurum regni, diuitemq; regum ſupellectilem in arce Viſſegradenſi, haud longè à Strigonio, quibuſdam baronibus ad eam rem ſelectis præſentibus, recognoſcit, Gregorio Palotio Strigonum Pontifice defuncto, qui cuſtos theſauri erat, cæteriſq; omnibus obſignatis, hanc anui clàm cuſtodiendam tradens, ſecum detulit. Cumq; inſidias multiformes ſibi paratas aufugiſſet, nato filio, & per Archiepiſcopum Strigonenſem Dionyſium lauachro baptiſmatis abluto, paulo pòſt in crepundijs uagienti, coronam hanc iuſſit in Alba regali imponi, cùm nondum quatuor exegiſſet menſes. Alberto
301 Duce Auſtriæ, & Vldalrico Comite Ciliæ, Matthia Veſprimienſi, Benedicto Laurienſi Epiſcopis, ac quibuſdam baronibus & nobilibus præſentibus: ad Poſoniumq; cum ſalute reductus eſt. Quod obſidione cingunt Hungari, qui infantulo regi aduerſabantur, multa ciuibus incommoda inferentes. Affuit & Vladislaus magnus Dux Lituaniæ, frater regis Caſimiri è Polonia, nuper in Hungariam accerſitus. Qui anno regni quarto in bello aduerſus Turcos, iuxta Varnam cum octo millibus fuſus ac proſtratus, ac infeliciter pugnans, obtruncatus eſt. Cuius caput & dextra cum armis, Turcorũ Cæſari loco muneris miſſa ſunt à ſatellitibus. Sed obſidionem ſoluere Hungari, hyemis aſperitate ſunt coacti: quæ homines cum iumentis plurimis abſorpſit ac deleuit. Mortuo Vladislao Polonorum rege, iam incipiunt Hungari Ladislaum regem nominare, & electum à Friderico Duce Auſtriæ, cui iam alendus tanquam tutori quinq; natus annos, cõcreditus erat, ut coronaretur, repetere: cùm iam Iohannẽ Huniadis regni gubernatorem in conuentu ſuo delegiſſent. Quibus Fridericus reſpõdit, electione nulla opus eſſe, cùm rex illis natus eſſet, neq; coronatione ulla, qui iamdudum ſemel foret diademate ritu patrio inſignitus: puerum tutore indigere, qui teneram curaret infantiam. Expectandam eſſe ætatem regno habilem. Interim habenas regni ab illis ipſis qui hoc præſtare poſſent, eſſe adminiſtrandas. Elizabeth enim, uel Hungarorum perfidiam timens, uel Fridericum ducendi maritum ſpem habens, in nouam ciuitatem Auſtriæ cum Ladislao filio ab corona regia & reliqua ſupellectile iamdudum confugerat: quo cum annis undecim in tutela manſit. Subortæ ſunt deinceps inter Hungaros & Fridericum Auſtriæ Ducem, ac regem Romanorum lites, quæ annis circiter duodecim calamitoſam fecerunt Auſtriam. De quibus Annales Auſtriæ, quos Thomas de Haſelbach à ſe ſcriptos reliquit, latiſſimè diſſerunt. Cùm interim multę turbę eſſent ob hunc Regem excitę in Auſtria; nunc per

Vlricum

Vlricum Comitem Ciliæ, nunc per Vlricum Eytzingerum: essetq; sublatus à Friderico tutore Ladislaus Rex, primoq; in Austriam, dehinc in Hungariam deductus. Vbi Comes Ciliæ à Ladislao filio Iohannis Huniadis (qui pater fuit Matthiæ Regis, tyrannideq; Hungariã diu oppressit) in Alba regali mille con fossus uulneribus interijt. Ladislaus Huniadisq; securi percussus, & Matthias captus: in Austriam rex reuertitur. Cumq; iam proceres regnorum Ladislao Regi potentissimo coniugem tradendam diu consultassent, tandem oratores missi in Franciam, quorũ Princeps Vdalricus Patauiensis antistes, ducentos candidissimos duxit equos. Numerus autem aliorum equitum, qui in legatione fuerunt excessit septingentos, cum quadrigis inauratis ac regio apparatu. Qui Carolum Francorum Regem pro filia Magdalena in uxorem Ladislao Regi Bohemiæ atque Hungariæ orabant. Sed priusquam reuertuntur Oratores, rex Ladislaus Pragæ, ubi futuræ erant nuptiæ cum mirabili pompa celebrandę, ueneno (ut ferè omnes attestantur) quandoquidem maculę nigrę atq; alia uenení accepti signa apparuêre, in fata concessit: cum maximo procerum mœrore atq; planctu. Verebantur enim hęretici, si Principũ totius imperij tantus eò conueníret numerus, qui ad nuptias uocati potentissimè erant uenturi, actum de se esse. Id morte innocentissimi & nobilissimi regis duxerunt præueniendum. Qui præceptis Ecclesiasticis sacramentis, anno ætatis decimooctauo mortuus est, in ipso flore iuuentutis atq; gloriæ culmine. Anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimoseptimo, undecimo Kalen. Decemb. cum proauo suo Carolo Imperatore Pragę, in ęde sancti Viti sepultus: intermissa per urbem circũuectione, quæ patrio ritu fieri solet, ut suprà scripsimus, cuihoc tetrastichon damus: 302

Affuit Alberto fortuna celerrima Quintõ,
Quæ posuit capiti mox diadema triplex.
Defuncto socero, duo regna paterna recepit
Coniugis, imperium tertia sceptra dedit.

FRIDERICVS TERTIVS, DVX AVstriæ, Romanorum Imperator.

FRIDERICVS eius nominis tertius (nam qui competitor Ludouici Quarti fuit, Cęsarum catalogo à multis non inseritur) dux Austrię nõ in Forchem natus, ut delirat Antonius Sabellicus in Chrysippeis suis commẽtarijs, quos Aeneadas inscribit, deceptus quòd hic fratrem habuit Albertũ cognominem Marchioni Brandeburgensi, qui Theutonicus dictus fuit Achilles, sed non frater Cęsaris, qui Prodigi nomen dum uiueret habuit, non Achillis. Fridericus enim Marchio Brandeburgensis, quem Sigismundus Imperator inter charos habuit amicos, quatuor habuit filios, Ioannem Fridericum, Albertum, & alterum Fridericum. Sed condonemus Italo hanc ignorantiam, qui res Germanorũ parum intellexit, quiq; magis elegãtiæ uerborum studuit, q̃ rebus ipsis, quibus et ueritas patescit: quę tamen in primis historiam scribendi cordi esse debet. Ob id C. Caligula narrante Suetonio, Liuium carpebat ut uerbosum, historiarumq; negligentem, utpote qui supressit triumphos Romuli habitos & partos uictoria Tuscorũ. Paululumq; abfuit, quin & statuas & scripta eius ab omnibus bibliothecis amoueret. Antoninus item Cęsar in Itinerario scribit, Liuiũ inuidisse pręclaris gestis Volturnę & ideo, ab eo carpit. Nam aliud est eloqui, aliud rectè narrare historias & origines. Sed redeamus ad rem propositam. Fuit hic Fridericus filius Ernesti Ducis, ex secunda uxore Cimburga. Duas enim habuit uxores Dux Ernestus, Margarittam scilicet filiam Ducis Stetinensis. Qua defuncta dum curam Cęsaris Sigismundi splendidissimo apparatu inuiseret Budę, mox in Cracouiam concessit habitu mutato, ut Cimburgam ducissam Massouiæ Alexij (Polonis Semonitus dicitur) filiam

liam contemplaretur, & uxorem duceret, multis hoc improbantibus ob iniuriam fratri Guilhelmo Duci Austriæ in ablatione regni cum uxore à Polonorum rege irrogatam. Nam cùm rex Polonorum mortuus unicam reliquisset filiam Heduuigam, quam Guilhelmus dux Austriæ in matrimonium reciperet, regnoq; præfectus esset, Polonis displicuit Rex Theutonicus, Vladislaumq; Lituaniæ Ducem, Vitoldi fratrem, Idola colentem, et hominem gentilem, euo cauêre. Qui coniugem & regnũ simul cum baptismate suscipere nõ recusauit, electo Guilhelmo Duce Austriæ. Ob quam iniuriam quidam ægro ferebant animo Ernestum ad Poloniam proficisci. Sed mox cognitus, & causa aduentus intellecta, Rex Cimburgam Ernesto copulat, nuptiasq; solennes instituit. E qua Ernestus Archidux Austriæ hunc Fridericum genuit, anno salutis millesimo quadringentesimo decimoquinto. Dehinc Albertum fratrem Friderici, & quos mors in pueritia absorpsit, Ernestum, Rodulphum & Leopoldum, & filias Annam & Alexandram uirgines, in infantia mortuas: dehinc Margaritam, quæ Friderico Duci Saxoniæ plures liberos protulit, & Catharinam quæ Carolo Marchioni Badensi nupsit, pariter filios plures generans. Fuit autem Cimburga mater Friderici, mulier religiosissima, & supra muliebrẽ sexum fortis, quæ digito sæpè auelanam & iuglandem fregit, ac clauum parieti impegit. Cultui diuino deditissima. Quæ ieiunijs & orationibus corpus maceraret, ac loca sancta religiosissimè sæpè inuiseret. Ob id uidua existens cùm Cellas Mariæ in Austria peteret, in cœnobio Campi liliorum ægrotare incipiẽs, ilico moritur, & hic sepelitur, anno uigesimonono, post millesimum quadringentesimum. Cùm anno uigesimoquarto Ernestus Dux mortuus esset, qui in Runa monasterio sepultus iacet. Fridericus igitur ab adolescentia benè educatus, in religione Christiana usque adeò creuit, ut & terram sanctam cùm adoleuisset, nullis territus minis ac maris tempestatibus, inuiseret: & monasteria plurima extrueret, censibusq; annuis ac redditibus prouideret. Cùm in iuuentute esset Principibus Austriæ traditus, cum eis tranquillitate summa uixit. Ob id tutor Regis Ladislai, tanquam proximior consanguineus atq; senior Ducatus Austriæ exhibitus. Ferunt Elizabetham ad Fridericum detulisse filiũ & coronam, sub spe, si fortè se uxorem duceret: ob quod & Hungari, & Australes plerique indignati sunt. Fuit autem Alberto Quinto eius nominis, patri Ladislai quam familiarissimus: adeò ut cùm Romanorum rex eligeretur, electionemq; aspernaret, Friderici illius consanguinei sui, qui uehementissimè instabat, deuictus tandem precibus, in electionem assensit. Quo deinceps mortuo, Australes se Friderico commiserunt ea lege, ut si prægnans regina masculum pareret, tutor eius esset: si fœminam, terræ dominus. Francofordiæ deinceps post Alberti obitum est ab Electoribus imperij concorditer, circiter Kalend. Ianuarij, anno quadragesimo, post millesimum quadringentesimum in Romanum Regem declaratus: dehinc Aquisgrani mense Augusto à Theodorico Colonienſi archiantistite coronatus, præsente Ludouico S. Ceciliæ Cardinali, ac sacri concilij Basilienſis legato, electionem ac Regis coronationem nomine uniuersalis Ecclesiæ approbante ac confirmante. Restitit tamen Leodiensis præsul, qui Cardinalem è ciuitate fugauit. Qui coactus extra muros urbis aduentum præsulis Coloniẽsis operiri, qui hanc turbam sedauit, quæ ob schisma Ecclesiæ originem habuit. Colonienſis enim Theodericus, ac Treuerensis Iacobus Archiepiscopi, sacro concilio adhærebant, & ob id Pontificali dignitate priuabantur ab Eugenio, quos tamen postea mutata sententia ad pristinos reduxit honores, cùm Fridericus per Oratores obedientiam fecisset. Alij uerò Eugenio studebant, qui concilio repugnabat: quanquam binis prius patentibus literis cõfirmasset, & ante Pontificatum se concilio adhæsurum iurasset. Dum aũt Fridericus coronam regni Teutonici apud Aquensem ciuitatem peteret, Vlricus Comes Ciliæ, & Albertus Imperatoris frater, coniunctis uiribus Laba-

bus Labacum insigne Carniolę oppidum, ex flumine cui adiacet dictum, obsidione cinxere, diuq; machinis omnis generis oppugnauere. Sed à Friderici militibus non sine clade repulsi, & castris exuti, diuitem supellectilem perdidere. Fridericus autem susceptą corona rediit in Austriã, multos perpessus labores, ingentesq; difficultates: partim ob tutelam regis Ladislai, partim ob paternæ hæreditatis cum fratre diuisionem. Nam milites qui sub Alberto meruerant, cùm stipendio se fraudatos dicerent, prouinciam latrocinijs ac incendijs uastauere. Eorum uexatio septuaginta millib. aureis à Friderico est redempta, cùm Boemi excursiones in Austriam facerent. Adhæc Iohannes Hunniadis cũ frustra à Friderico coronam regni Hungariæ repeteret, cum duodecim millibus equitum Austriam ingressus, omnem agrum inter Viennam & Stiriæ montes diripuit atq; incendit. Multis igitur tractatibus habitis per principes qui concordiæ studuerunt, incesit libido tandem regi Friderico Romam petendi, ducendiq; coniugem. Ad utrumq; oratores destinat, qui iter in Italiam Pontificisq; animum pertentant, ac sponsæ formam ætatemq; contemplentur. Reliquit tunc Eduardus Portugalliæ rex tres natas, forma præstantes, & annis nubiles. Quarum maior natu annis sedecim, & circiter, Leonora, cæteras, Catharinam scilicet & Iohannam, forma ac corporis elegantia antecellebat. Hanc Cæsar expetens, & fratris regis Portugalliæ puellæq; consensum, & Alphonsi Arragonum regis puellæ auunculi, benignam uoluntatem facilè assecutus est. Tametsi eandem Francorũ Delphinus Ludouicus, Caroli Septimi regis filius pariter peteret. Sed aspernata hunc, & Imperatoriam animo concipiens maiestatem, in hunc Fridericum Cæsarem mentem flectit. Summa igitur cura per oratores sponsalia apud regem Arragonum Alphonsum contrahit, oratoresq; Alphonso Portugalliæ regi, Leonoræ fratri mittit, ut Leonoram per mare in Telamonis deferant portũ. Qui ab Alphonso cum fratre suo Fernando & patruo Henrico infante honorificè excepti, omnia desiderata impetrant. Ipse Fridericus per Italiam, Arragonum regis ac summi Pontificis consilio, prudentissimè rebus Austriæ ordinatis, ac assumpto secũ rege Ladislao, iter ingreditur, 303
Anno Christi millesimo quadringẽtesimo quinquagesimo primo. Iussiq; sunt qui comites itineris futuri erant, & quibus uiritim stipendia pollicitus est, ut Bohemi & Australes in Austria, Hungari ac Bauari in Carinthia, Sueui, Rhenenses, Francones & Saxones, in Ferraria conuenirent. Quàm grauia autẽ moliti sint Prouinciales aduersus Cæsarem absentem (nam & Australes ante eius iter in Italiam, Ladislaum ad paternam hæreditatem à Friderico euocabant, quibus negatus est) si quis scire desiderat, historiam Austriæ de Friderici gestis Syluij Aeneæ legat, quæ nondum edita, paucis est cognita: quartum item librum Thomæ Haselpach Theologi, de rebus Austriæ. Qui Australium partes secutus, ubiq; in Fridericum inuehitur indignè, immemor suæ professionis & honestatis. Mihi temperandum est, ne insons inexpiabile odium incidã. Satis est indicasse, fides penes autorem sit. Fridericus itaque per dominia Venetorum cum ingenti exercitu ueniens, perbenignè est susceptus, atque liberalissimè cum toto exercitu, per omnes eorum terras commeatibus prouisus. Dehinc per Ferrariam atq; Florentiam Senas concedens, Leonoram dilectissimã 304
suam sponsam ab immensis ereptam maris periculis, ex Pisano uenientem portu, iucundissimo amplexatus est aspectu. Cum qua uersus urbẽ tendens, ad No 305
nas Martias summo mane ex Sutrio Romã applicuit. Cui omnis effusa obuiã nobilitas, Columnensium, Vrsinorum, totiusq; cleri sacer Apostolicus senatus: maxima ab his est susceptus honorificẽtia, quæ paucis Cæsaribus diu antè exhibita fuit, postquàm scilicet Cæsarea maiestas minui cœpit, atq; attenuata uilescere: Quandoquidem priscis seculis, non Cardinales modò, uerùm summos Pontifices obuiam processisse Cæsaribus legimus. Vsq; Sutrium Pontifex Romanus Friderico Primo obuiam uenit: sed ubi Apostolicæ sedis indies potestas

auctior facta est, minor Cęsaribus exhibitus est honor: ut uicissitudo omnium rerum exigit. Mos est ut Cæsares coronandi, priusquam urbem ingrediantur, noctem unam in castris atq; tentoriis agant. siue ut Pōtifici dies cedat ad prouidendum, ne Cæsare ingrediente tumultus fiat: siue ut Cæsares urbis statum explorantes, tutius ingrediantur: siue ut aliqua consuetudine antiqua id introductum est, quæ nunc pro lege habetur. Mansit ergo Fridericus cum Imperatrice ante urbem, paucis ingredientibus. Proxima die, octaua Martij scilicet, Cæsar inter legatos Italiæ, Imperatrix mirifico ornata cultu, Ladislaus Hungarię atque Bohemiæ rex speciosissimus, splendidissimo equitum ac armatorum comitatu omnium nationum referto, urbem ingrediuntur, Alberto germano Cæsaris ac militiæ ductore præcedente. Ad gradus basilicæ S. Petri progressi, à Nicolao Quinto Pontifice maximo perbenignè sunt suscepti. Dehinc multa colloquentes, de uario rerum statu, postremò Cæsar de rebus Australibus Pontificem certiorem fecit. Tum Idibus Martijs Cæsare rogante, rex Longobardorum ferrea corona à Pontifice est redimitus atque creatus, quum tyrannus iam Mediolanum contra ius & fas occupasset, & pestilens aer tabifica lue Mediolanensem depasceret agrum. Dehinc intra missarum solennia, per manus Pontificis decimosexto Martij, Leonora Friderico est desponsata. Sequenti die cum maxima solennitate Fridericus inunctus Imperator, Augustusq; acclamatus, benedictionem Apostolicam cum Leonora Imperatrice accepit. In pontem dehinc profectus Tibridis, Albertū fratrem, ac trecentos alios nobiles militari honore insigniuit. Dehinc cum coniuge Neapolim diuertit ad regem Alphonsum, ubi humanissimè exceptus, usq; post Paschę solennia honorificentissimè ac liberalissimè cum uniuerso exercitu tractabatur. Nuptiasq; maxima solennitate peragit. Quibus perfectis, Imperatricem Venetias mittit, ipse Romam reuertitur ad Ladislaū regem: quem illic interim reliquerat, ne tumultus aliquis fieret. quia Siciliæ rex, Hungariæ quoq; se regem scribit. Sed Ladislaus interim quorundam conspiratione ac consilio fugam meditatus, non sine magna Cæsaris ignominia aufugisset, nisi Aeneas episcopus Senensis per Pontificem admonitus, illud impediuisset. Quem post se relinquens Cæsar, præcepit ut cum Cardinalibus & Pontifice de rebus Christianitatis ordinandis, latius disputaret: ageretq; pro passagio, hoc est, militari expeditione numerosissima à Romano pontifice indicta, pro reatuum omnium absolutione cōtra impios Turcos faciundo. Cæsar autem Florentiam ueniens, legatos Australiū & Hungarorum repperit, qui ui & dolis regem Ladislaum eripere conabantur, quos non audiuit. Ferrariam profectus, Borsium Estensem Marchionem, Ducem creauit Mutinæ & Rhegij, in multorum Italiæ totius oratorum cōspectu, cum maxima solennitate. Qui paulo pòst Ferrariensis à Paulo pontifice Dux primus creatus est. Inde nauigio per Padum Venetias delatus est. Incredibile penè est, quot, quantos ue honores Senatus populus que Venetus Cæsari atque Imperatrici, ac regi Ladislao exhibuerint, quos ludos ac spectacula in mari foris, & domi in urbe Venetiarum fecerint. Vbertim enim omnibus Cæsaris familiaribus sumptus de publico præstiti, Imperator & Imperatrix liberaliter & munificè donati, totus exercitus Cæsaris honestissimè exceptus. Nihil que non summa cum maiestate peractum est, adeò ut Venetos exinde summa semper amoris & beneuolentiæ significatione dilexerit. Deflexit hinc iter Cæsar per alpes in Germaniam. Cuius ubi attigit metas, turbidissima aeris facies, turbulentas res Austriæ præsagiebat. Nam & legati Australium à Pontifice iam reuersi, papam criminabantur: & Cardinalium cœtum Ladislao inuisum, Cæsari affectum prædicabant. Cogere igitur exercitum, & prælio Cæsarem aggredi decernunt Australes. Quum uerò nerui belli (hoc est, pecuniæ) deessent, ex Ludouico Bauariæ Duce, qui sorore Margarita patris Ladislai natus erat, mutuum petere (impignorata Austriæ parte) non

non uerentur. Et ut in partes suas traheretur, misso ad ipsum oratore Iohanne Comite de Schaunburg, quem ferunt ingeniose à quodam consiliario Ducis il lusum, cum literæ legationis legerentur: En, inquit, generosus hic Comes, quē olim inter Cæsaris primum uidebam consiliarium, factum uideo nuncium Eytzingeri uilis hominis, quem terra nostra uelut inutilem ab se repulit. Sed non cessabant Australes, Morauos & Boemos & Hungaros in suas partes asciscere, ut uim Cæsari inferrent. Qui in nouam ciuitatem cum Imperatrice & rege Ladislao delatus, primorib. Stiriæ præcepit, ut coacto exercitu, se suaq; tueantur: uideantq; ne quid detrimenti per Hungaros aut Cilienses patiantur, præstoq; sint si in Austriam uocentur. Interea Albertus frater Cæsaris in Sueuiam pergit, ut cum sorore Mechtilde Friderici Comitis Palatini, quam uxorem ante Italiæ ingressum duxerat, matrimonium cōsummaret: simulq; fratri, si opus esset, milites ex ijs adduceret regionibus. Paucis pòst diebus, Albertus & Ludouicus Bauariæ Duces, & cum his Albertus Marchio Brandeburgensis, cui cognomen Achilles Theutonicus fuit, oratores Cæsari mittunt, ut congratulentur de aduentu coronationeq; susceptа, simulq; excusent, cur non Romam profecti sint, bellumq; Australiū detestentur, concordiæ se Duces (si placeret) offerentes. Quibus Cæsar gratias egit, omniaq; quæ gesta sint paulo longius edisserit, belliq; Australium temerarij enarrat seriem. Concordiam, si nihil habitura sit turpitudinis, non renuit. Habuit tum Cæsar quatuor millia equitum, peditumq; non minorem numerum in armis. Expectabat à Georgio Bogiebratio gubernatore regni Bohemiæ non paruum militum numerum cum Australes & nummis & militibus carerent. Quòd si illis nondum paratis in campum descendisset, Eytzingerus capitaneus & factionis dux, ac Comes Ciliæ pessum iuissent, inconstansq; multitudo sine rectore nutans, à proposito discessisset. Quoniam, ut Poeta ait,

Scinditur incertum studia in contraria uulgus.

Cum igitur Eytzingerus castellum (cui Ort cognomen est) expugnasset, Rudingerus uerò de Starenberg Capitaneus Cæsaris, cū suo exercitu tantam formidinem Viennensibus incussisset, ut omnes suas diuitias terra obruerent: 306
nihilq; inde subsequutum, quod stultitiæ Viennensium præmia digna contribueret, qui prius Cęsarem animosum & fortem ducem formidabant, in cornua erecti, contemnere cœperunt magis. Suboriuntur mox bella, cædes, incendia, strages, rapinæ. Hic Cæsarem uastant, illic Australes diripiuntur. Omnia bello æstuant, nusquam quies, horrida & miserabilis Austriæ facies. Fratres cōtra fratres, propinqui contra consanguineos arma gerunt. Noua ciuitas (in qua Cæsar Fridericus erat cum delecto milite, & ad pugnandum impigro) ab Australibus obsidetur. Qui copias habuerunt externas octingentorum peditum, & ducentorum equitum, quas ex Bohemia Henricus filius Vlrici de Rosis adduxerat. Ex alijs autem & internis auxilijs Australium, habuerunt in summa coniuratores isti circiter duodecim millia, equitum quatuor millia, præter illos qui quotidie affluebant. Habuerunt in hac obsidione Viennenses quatuor millia militū, & ingentes quasdam bombardas, cum multo bellico apparatu. Sæpius conditiones pacis per oratores principum Saxoniæ & Marchionis suprascriptos tentatę. Superuenerant pòst paulo Sigismundus archiepiscopus Salisburgensis, Iohannes Frisingensis, & Fridericus Ratisponēsis episcopi, de pace tractaturi. Qui unà cum oratoribus Ludouici Ducis Bauariæ, Alberti Marchionis & Burggrauij Norinbergensis, sæpius frustra conuenientes, tandem Friderico furenti populo cedens, & necessitati præsenti inseruiens, Ladislaū regem pupillum adhuc tenerū, in manus Comitis Ciliæ Vlrici ea lege tradidit, ut conuocatis utriusque partis principibus, consanguineis ac amicis, de tutela atque prouinciarum administratione Viennæ certo die definiretur. Ladislaus itaque summa populorum alacritate apud Viennenses exceptus est, decima Septembris,

bris, anno quinquagesimo secundo post mille quadringentos. Cuncta deinde ex uoluntate Comitis Cilienſis adminiſtrans, qui ei arcem Viennenſem mox poſsidendam tradidit. Venerunt itaq; in proximo Nouembri Viennnam Duces ad cõſtitutum diem, de rebus omnibus tractaturi, & pro pace Auſtrię componẽda, Ludouicus Dux Bauariæ, Vuilhelmus Dux Saxoniæ, Albertus Brandeburgenſis, Carolus Badenſis, Marchiones. Ex Boemia, item & Vngaria barones multi. Friderici quoq; Imperatoris legati, multum diuq; de iure tutelæ, deq; datis ſub fidem iuramentis diſceptantes. Sed cum uictor leges & omnia contemneret iuramenta, Auſtralesq; neq; literis neq; ſigillis fidem datam abnegare uererentur, apud quos dictum indictum fuit, rebus infectis diſceſſum eſt. Nimia igitur licentia omnia agebant. Nam & Ladislaus, etſi rex eſſet Hungariæ, in Auſtria tamen Viennæ, quod cõtra maieſtatem Rom. imperij fuit, in alto ſuggeſto iuxta Carmelitarum ædes Ioannem Huniadis Comitẽ Biſtricenſem creans, abſq; Hungarorum cõſilio ad principatus honorem euexit. Vnde plures pòſt in Hungaria ſubſecutæ ſunt calamitates. Non poſſum me continere, quin indignum facinus hoc loco Prouincialium in medium afferam. Accuſarunt clam Auſtrales Imperatorem coram ſummo pontifice Romæ, cum coronaretur, multaq; conficta obiecerunt crimina. Quæ quum Fridericus diſueret, peteretq; ut ſub anathematis crimine Prouinciales ipſum in ſua tutela permitterent, conſenſit facilè maximus Pontifex: excõmunicationisq; pœnam, ſi aliter facerent, interminatus eſt. Auſtrales quid facerent anxij, ad ſcholam Viennenſem ſeſe recipiũt, quæ arma rebellibus facilè ſubminiſtrauit. Singulares opiniones, quæ cerebroſis inſunt capitibus, affert. Nam enutriti in cathedris à puerítia, elati magis q; docti plerũq; euadũt. Ob id Aeneas Pius in hanc ita ſcripſit formã: Docta Viennenſis ſchola indoctã ſententiam protulit: quæ per appellationem ad futurũ concilium interponendam, ſuſpendi poſſe Rom. præſulis mandata reſcripſit. O ingrata filia ſedis Apoſtolicæ, quę filios nouitatum cupidos, matri rebelles, ac magiſtros erroris non erubeſcit. Coegit me hæc ſcribere (quãquam & illius ſim gymnaſij alumnus) Thomas Haſelpach, inuerecundus theologus, auctor profectò huius ſtolidæ ſententiæ, ut reor: qui in ſuo quarto hiſtoriarum Auſtralium libro, Fridericum criminatur illud mandatum Apoſtolicum ſurrepticiè, omiſſa ueritate, & ſuggeſta falſitate, à maximo Pont. cõtra ius & fas impetrauiſſe. O maligne theologe, qui tuum principẽ falſò accuſas ac criminaris, à quo euectus es ad ſublimia: qui tamen in cathedra ſcribarum doces, non eſſe maledicendum principi. Nec enim amore ueritatis (quæ potiſsimũ in conſcribenda hiſtoria debet cunctis præferri) ſed adulator uoluiſti multis complacere rebellibus, & furioſis arma præbere, ſicut palàm prædicando dicere nõ erubuiſti. At ne nugæ illæ quas ſcripſerat, redarguerentur, teſtamento cauit aſtuta uulpecula, ne uiuentibus ijs principibus noſtris (putabat enim interiturũ Maximilianũ, priuſquam de ſe prolem gigneret ullam) amici librum publicarent. En honeſtatem theologicam. Quid meruit Fridericus, cum & rex & Cæſar multis te dotauit priuilegijs, quæ uidi, & hodie extant. Fecit te unum à conſilijs: credebat tibi ſecreta, ut ea inuerteres, & falſò omnia perſcriberes. Sed neque ijs contentus hic ſacer theologus, Pium etiam ſummũ Pontificẽ, quòd Fridericum à temeritate Prouincialium tutari literis nitebatur, incuſat peruerſo iudicio, ac criminatur, futurumq; concilĩ indicta cauſa appellat: homo cerebroſus, ac honoris cupidiſsimus. Cum tamen præter uanam hominum æſtimationem, quã adulando his rebellibus contraxerat, nihil habuerit ſolidæ literaturæ. Garrulus alioquin ſophiſta, duos & uiginti annos in primo Eſaię capite legens publicè, necdum finiens in ſtudio generali Viennenſi. Eſt iterum atq; iterũ tentata cum Imperatore concordia, & per præfatos principes & Albertum fratrẽ ſuum, ac Vlricum Eytzingerum. Qui Comitem Ciliæ iam eiecerat, & quendã baronem de Plonckenſteyn, unà cũ epiſcopo Varadienſe: ſed poſtea per prouinciales

uinciales interrupta. Qui eò dementiæ uenerant, ut non erubescerent, absente Cæsare, Imperatricem puerperam in Noua ciuitate flamma, incendijs, atq; expugnatione terrere. Concessit tum Ladislaus Pragã, pro suscipiendo regni diademate. Imperator uerò Francofordiam Imperij principes uocauit, ut Germanorũ intestina sopirentur bella. Nam Turcus Mahometes iam elatus ob recentẽ uictoriã, insultabat undiq;, & superbiebat. Deinceps cum in Hũgaria Comes Vlricus (qui è re sua æstimauit, Imperatorẽ & regem & Austrię principes unanimes esse non debere) obtruncatus esset: & anno pòst quinquagesimo septimo supra mille quadringentos, Ladislaus Pragæ mortuus esset, nouæ subortæ sunt calamitates Austriæ. Quum oratores Imperatoris, Friderico tanquam primogenito & seniori Austriæ principi, prouinciæ administrationẽ dandam censerent: Albertus frater Imperatoris contrà sibi & patrueli Sigismundo hæreditatem diuidendam, ob æqualem cõsanguinitatis lineam exposceret: cum tamẽ principatus diuidi lege nõ debeat, ut ratio feudorũ ostendit. Cum uerò iam fratres concordati forẽt, trans Danubium latrones iuxta Morauæ fluminis ripam (quod alij Marcham uocant) confederunt, in Austriam excursiones facientes, Duce archiprædone Laduuencko: Albertus hos cæpit, & quingentos ac quinquaginta captiuos abduxit Viennam: octuaginta cruce sustulit, pleroscp; securi percussit, alios fame inediaq; confecit. E' qua re inter Australes Albertus magnum & nomen & fauorẽ sortitus est. Qui paulo pòst etiam Vlricum Eytzingerum in carceribus macerari iussit: & Sigismundũ ex Athesi uenientem contra Imperatorem secum conspirare persuasit, ut Austriam sibi, inuito etiam Imperatore, subigerent. Erat accersitus Viennam Ludouicus Bauariæ Dux, qui cum Prouincialibus fraternas lites in hanc formam diremit, ut Imperator Austriam sub Anaso triennio regeret, præter Viennam. Albertus Austriam supra Anasum cum Stirensi oppido: & quòd Viennenses his tribus principibus fidelitatis sacramentũ præstarent. Postridie arx consensu Prouincialium in tres partes diuisa: duas accepere Albertus & Sigismundus, reliquã Imperator. Quinquagesimo igitur octauo anno supra mille quadringentos, Fridericus regimen Austriæ auspicatur, triennij sui initium faciens. Et item Albertus Ducatũ suum orditur: dum Osualdus & Stephanus ob Eytzingeri fratris captiuitatem, magnum contra Albertum Ducem ductitant exercitum: qui Austriam spolijs & præda populantur, cunctaq; flammis & incendio deuastant, accurrentibus undique ex Boemia atq; Morauia, Duce Georgio Bogiebratio, latronibus Austriæ hostibus ac inimicis: quos partim fusos fugatosq; aqua absorpsit, partim capti carceribus sunt condemnati. Interea Imperator Brunnæ Georgio Bogiebratio regalia dedit, tanquam Boemiæ regi, Marchioni Morauiæ ac Lusatiæ, & Duci Lucelburgiæ & Slesiæ, seniorem q; Georgij filium Comitem Glocensem creauit. Illud à plerisq; nõ immeritò reprehendebatur, quòd Imperator regem humili natum origine contra maiestatem Cæsaream sequeretur, & regnũ Bohemiæ à domo Australium abalienasset: cum tamẽ ueteri inscriptione concordatũ esset, si uel rex Bohemiæ, uel archidux Austriæ sine mascula prole decederet, ad alterum prouincię deuoluerentur. Renuit tamen Imperator oblatum regnum Bohemiæ, cum ultrò ad ipsum uenissent proceres, illud ipsum offerentes. Pariter Morauiæ ciues Olomuntzenses, Brunnenses, Iglauienses, Morauię Marchionatũ cum prompta paratáq; obedientia Imperatori offerebant. Quæ omnia Cæsar acceptare recusauit. Vix scribi potest, quantum Prouinciales Imperatorem molestare dies noctesq; cogitarunt, cum plerique se regi Boemiæ addixerũt. Fronauuer aũt quidam, uniuersam Austriam igne & ferro coactam, sibi tributa dare impulit. In primis tamẽ Vlricus Eytzingerus, qui præter innumera scelera, quę in principem dominũ suum machinatus est, & factionib. alijs persuasit, aspirare etiam ad principatus Austrię honorem, publicè inter pocula testatus est: qui tamen peste iaculatus, interijt in Schretental. Sigismundus tum

Austriæ archidux, præside Nicolao de Cusa Cardinale procurãte, anathematis iaculo ferit. qui unà cũ Alberto fratre Cæsaris, cũ Eluetijs (quos Suitẽses seculũ nostrũ uocat) tum pacẽ pepigit. Albertus aũt descendens ad Lyntziũ, Prouinciales in suas partes deducit: ac pleriscp oppidis Austrię subactis, coacto magno exercitu cõtra fratrẽ Imperatorẽ Viennã obsedit. quẽ Bessarion Cardinalis, qui Viennę tunc erat, obsidionẽ soluere hortabat, ac arma in Turcos arripiẽda suadebat. At is amore patrię, quę lacessita passim omnib. exponeretur latronibus, se contra fratrẽ lites agere causatus, nihili fecit Cardinalis admonitiones, & studij Viennensis persuasiones: à quo item oratores missi, uerba fecerũt Alberto. Dissolutus est exercitus tum ingens, interuentu oratorum Imperatoris & regis Boemię, Albertuscp cum copijs suis Austriã reliquit. Hungari item domũ repedarunt. Sed nõ defuerunt, qui inter Imperatorẽ & Ducẽ Albertũ fratres discordiam ampliorẽ quotidie sererent. Multi sunt ciuiũ ac procerũ facti conuentus. Viennæ quoqp plebes impetũ in nobiliores ciues faciens, quos Cõsules uocamus, pleroscp in carceres deijciunt, uimcp illis faciunt. Albertus habet qui eum sequunt plures. Fridericus Imp. misso exercitu, Viennã accedit. sed ob paratas insidias urbẽ non ingreditur: quia seditione ciues inter se furibundi æstuant, licet pacis (cuius semper fuit studiosus) cõditiones afferret. quas Albertus frater ære oppressus alieno, recusat: animoscp ciuiũ stimulat, ut fratris imperiũ exuãt, iugũ abijciant: quod & factũ est, dum immemores iuramenti, fidem principi datã abnegant, & Imperatorẽ ac Imperatricẽ cum filio in arce obsident, machinisqp bellicis infestant & perturbant. Multi aũt ex ciuibus Viennensibus securi percussi, multi obtrũcati, in exilium multi sunt acti. Omnia namcp furore plena ac rabie flagrabant, donec Albertus fato functus interijt: qui anno Christi sexagesimotertio supra millesimum quadringentesimum, anno uerò ætatis quadragesimo quinto, dum familiarissimos suos à se repulisset, ueneno dicitur tentatus expirasse: sepultuscp in principum crypta Viennæ, in ęde diui Stephani decumbit. Credo Deum opt. max. mortem Ducis Alberti, ut fraternæ lites, quibus tot hominũ millia periere, totacp penè prouincia desolabatur, dirimerentur, sua diuina ordinasse serie: non ueneno factum, ut plericp inuerecundo ore clamitabant. Post Alberti obitum tota Austria iure hæreditario ad Imperatorem deuoluta est. Nam Sigismundus archidux Austriæ liberè cessit, Imperatoricp administrationẽ prouinciæ tanquam seniori detulit. Nam Cęsaris auxilio ab anathematis execratiõe, qua diu ob captum Nicolaũ de Cusa Cardinalem uexabatur, iam liber erat atcp absolutus. Vocatus est etiam Fridericus defuncto Ladislao in regnum Hungariæ, designatuscp rex à potentioribus ac nobilioribus, quòd sacram coronã regni in manibus haberet, & nobilissimo sanguine creatus esset Dux, & præterea Imperator Romanus. Auditi sunt oratores in Noua ciuitate, quinquagesimonono anno, in media quadragesima. Nam Matthias factione quorundã designatus rex, quòd humili esset prosapia, & homo nouus, contemptibilis, ac tanto regno indignus uisus est multis, in quo principes maximi & Cæsares olim claruissent. Ob id etiam ab Hungaris molestata est Austria, quos Matthias Huniadis contra Cæsarem submiserat. Nec tamen coronam assequi, quæ penes Fridericũ manserat, erepto sibi pupillo, potuit, donec inita concordia, sexto sui regni anno à Cæsare coronã octuaginta millibus aureorũ redimeret. Tum inter utroscp pax firmata est, & diademate regio Matthias insignitus. Qui pòst cum auxilio Cæsaris & Australiũ iuxta Tirnam haud lõgè, quorundã latronũ (qui se fratres nominabant) speluncas & fossata diruit, ipsoscp partim furca & laqueis, partim carceribus cõfecit: iterũ tum cum Cęsare Matthias in arma descendit, cùm Georgio Bogiebratio Boemorũ rege, à Pio ac Paulo põtificibus hæresi damnato, ac regio honore priuato, Matthias à Paulo põtifice suffectus esset. Potissimũ aũt Friderico infensus erat, ob negatã filiam Chunegundim, quam sibi uxorem rogabat. Sed paulo pòst mortuo Georgio rege, quum

Vladislaus

Vladislaus filius regis Polonorum Casimiri & Elisabeth filiæ Alberti regis, de quo paulo antè scripsimus, rex designaretur Bohemorũ, Viennam ueniens, à Friderico susceþit regalia. Quod Matthias ægrè tulit, sibi regnũ Bohemiæ deberi causatus: ob id Cæsari bellũ indixit, multaq; Austriæ loca deuastauit, pluribusq; annis nunc hanc, nunc illam obsidione urbem cinxit. Donec res concordata in Gmundia sub Anaso, per duos summi Pont. legatos, Hungariam repedauit. Negauit aũt Fridericus, unquam uel uerbo uel literis Matthię factam regni Bohemiæ consequendi ullam spem, seq; literis (quarũ ego uidi exemplar) corã regnicolis expurgauit. Cur enim huic regalia promitteret Matthiæ, cùm Vladislaus à regnicolis Bohemiæ legitimè esset rex designatus? Nam & Fridericus hoc regnum assumere recusauit, quanquam ueteri fœdere, quod Bohemi & principes Austriæ pepigerunt, certissimus esset rex. Cæterùm recusauit ob multas causas, quas hoc loco recensere superfluum est. Vladislaus aũt regnum feliciter adeptus Boemorũ, cùm per factiones quorũdam procerum, suggestu Matthiæ eiici expectaretur, Matthia rege fatis concedente, anno nonagesimo supra millesimum quadringentesimũ, Hungarię quoq; regnũ assecutus est. Sic pientissimus ille rex, non modò insidias Matthiæ effugit, sed solium eius occupauit: licet & Maximilianus ad hoc regnum aspiraret, quod dubio procul esset assecutus, si non quorundã subditorũ esset neglectus peruicacia: quod alicubi est scribendũ apertius. Fuit aũt hic Vladislaus Casimiri Polonorũ regis filius, ex Elisabetha Alberti V regis Rom. filia, rarissimæ pudicitię fœmina progenitus, quę regis triplicis filia, soror Ladislai regis, uxor Casimiri regis, mater regũ IIII Vladislai, Ioannis, Alberti, Alexandri, Sigismundi, & Friderici Cardinalis ac Casimiri in sanctorum numero relati. Longè superat felicitate illam, quam Plinius filiam, uxorem & matrem regis fuisse commemorat, Lampedo dicta. Sed redeo ad Fridericum Cęsarem. Cui corpus erat egregium, species Imperatore digna, animus sedatus ac tranquillus, ingenium perspicax, memoria tenacior, religionis ardens zelus. Qui ob religionem, dũ principem adhuc ageret, Romam profectus, traiecit in Hierosolymam, ut terrã sanctam inuiseret. Et rex Rom. declaratus, schisma quod inter Eugenium ac Felicẽ, Sabaudię prius ducẽ Amedeum, ortũ erat, sustulit. Hortanteq; Aenea Syluio, qui tũ magister epistolarũ fuit, cõcilium Basiliense dissoluit. Quantę aũt strages tum à Delphino Basilienſib. illatæ sint, Annales Alsatici indicant. Præterea uoti reus, sub Paulo II Romam uenit, anno salutis 69. post 1400. honorificentissimè exceptus, ac regio munere donatus. Cum interim in prouincijs Stiriæ ab Andrea Paumkircher, cui commendauerat terras, quiq; ad Matthiam regem defecit, maximam passus esset iacturam. Conuocauit præterea principes Ratisponam, ut delectũ in Turcos agerent. Sed parum profecit: quia Fridericum Palatinũ Rheni contrarium habuit, qui alios duces à fauore Cæsaris alienauit. Ingens profectò erat amor pacis Friderico, bella undiq; quoad licuit detestatus. Ad Nussiã ergo profectus, quã Carolus Burgundionũ dux, eius martis fulmen expugnare, & Renatũ Lotharingię ducẽ uincere cupiebat, bellũ crudele extinxit, furorem sedauit, & hostẽ Carolum socerũ filio Maximiliano reddidit. Per inferiorẽ dehinc Germaniam uagatus, totũ imperium circuibat, pacem ubiq; principib. persuasit: filium ex Brugensiũ custodia liberauit, septuagesimum tertium tũ annum agens, maximis coactis copijs, sacrilegas ac sceleratas manus puniens, Flandria undiq; uastata. Et cum paci undiq; studeret, uix tandem in extrema potuit eam ætate consequi: utpote qui in uniuerso humano genere nullos æquè habuit exosos, ac legionares illos stipendiarios, quibus toto uitæ curriculo fuit implicitus atq; molestatus. Nã & Matthias rex Hungarorũ, annis penè continuis 16. Austriã lacessiuit, urbesq; pleraſq; ac castella expugnauit, ac ui obtinuit: quas tamẽ sine labore Maximilianus Cęsar paulo pòst, defuncto Matthia recuperauit. Et cum reliquiæ nonnũllæ stipendiariorũ, seu latronũ potius, qui se nigros

uocabant milites (uulgò nigra legio dicta) supereſſent, Auſtriam laceſſentes ex quibuſdam ſuis tabernis, coacto exercitu hos cepit: atq; paucis ferro extinctis, noningentos furca ſuſpendit, nonnullis traditis baronibus ijs quorum agros uaſtauerant: totamq; Auſtriam dehinc pacatam reddidit. Deficientem etiam ab imperio Ratiſponam reſtituit. Cum iam ingraueſcentem ætatem aſpiceret, filium Maximilianum conſortem imperij aſciuit clementiſsimus Imperator, regemq; Rom. declarari fecit. Quęcunq; uerò ſub Friderico geſta ſunt in uniuerſis penè regnis, Aeneas Syluius expreſsit in libro, cui fecit inſcriptionem Europam. Fuit autem uirtutum amantiſsimus, ſingulares q; uirtutes in quouis homine admirabatur, præmijſq; æquabat. Hortulis plurimùm oblectabatur, herbarumq; cognitionem ſummam habuit, ut medicos ſuæ ætatis facilè ſuperaret omnes in fruticum notitia. Latinè libenter loquebatur: licet poeticā atq; oratoriā non plurimi faceret. Iuriſperitos mediocriter dilexit, quòd iuris æquitatem diceret ab ijs inuerti, iuſticiamq; fœdari: ob id librum de Vſibus Feudorum nouū fieri iuſsit, qui extat apud Pyladem meum Gabrielem Eubolium Iureconſ. peritiſsimum. In quo rubricas omnes in antiquis confuſas, in pulchram ſeriē miro ordine reduxit, de feudisq; plenè tractauit. Id opus Beſſarione Cardinale atq; Angelo Reatino approbantib. Antonius de ueteri prato Bononiē ſis Iureconſ. cōgeſsit, Friderico pręcipiēte. In primis tamen gēmas, quas ſummo ſtudio conquiſiuit & collegit, plurimùm amabat. In gerendis rebus tardiorē ac remiſsiorē quidā accuſant plerique, ac tenacem: quia anteceſſores Sigiſmundus & Albertus fuerunt prodigaliſsimi, & Albertus frater decoctor paternæ hæreditatis. Sed ſicut quærendi æris fuit ſtudioſus, ita eiuſdē retinendi non fuit attētus. In uictu mediocris & penè abſtemius, adeò ut nullū magis horreret uitiū, quàm ebrietatem. Bibit tamē uinum, ſed dilutū. Singulariq; amore abſtemios proſequebatur: ſępiusq; Leonoræ coniugi per Aeneam dicere conſueuit, quæ pariter uini non appetens fuit, malle ſterilem ſobriam, quàm temulentā ac fœcundā uxorē. In paterna enim domo prius Leonora uinū non guſtauit: ſed ſuaſu medicorum in Germania bibere ob ſterilitatem coacta, nō niſi leuiſsimo & aqua perdomito utebatur. Cæſariq; reſpondit, in hoc ſe paritura ſponte: quòd ſi autem uinum iuberetur ingurgitare, aut mortem eligere, mortem malle: tam horrebat à natura copiam uini. Ex ætate igitur ac labore tandē, fluxuq; ueteri, in tibia gangrenā ulcus acquiſiuit, uel ἐρπετὸν ἐσθιομένου. Nā pede illo ſæpiſsimè clauſtra foresq; ac portas omnes fregit ac diſiecit. Cum itaq; quatuor mēſibus continuis acutiſsimo torqueretur dolore, medicis ſalutem, diuturnioremq; uitam promittentibus, tibia ferro deponitur. Inſtabat dies qui omnium Chriſtianorum uoto beatiſsimæ uirgini Mariæ celebrandus eſt, quam religioſius ſemper Fridericus conſueuerat uenerari. Ab omni ergo imprudenter cibo abſtinens, octo melones comedit, quibus quatuor occubuerunt Cæſares: aquamq; bibēs, in ſtomachi incidit laborem. Qui calore deſtitutus, & frigore deficiens, reſoluit aluum Cæſari. Quod ubi ſentiret, acceptis iuxta Chriſtianorum inſtituta Eccleſiæ ſacramentis, deuotiſsimè animam Deo commendauit: pacata iam uniuerſa Germania, ac ſingulis principibus ſumma in tranquillitate degentibus. Quod pulchro diſticho & extemporaneo Paulus Amalthæus, qui tum Viennæ bonas literas profitebatur, expreſsit:

Aſtra pius Cæſar pacato aſcendit ab orbe:
Talis uita fuit, qualis & interitus.

In Lyntzio autem diem obijt, decimanona Auguſti, anno ſalutis 93. ſupra mille quadringentos: ætatis uerò anno 78. Imperauit annis 53. menſibus quatuor, ac diebus quatuor. Auguſtum Cæſarem in ætate tribus annis ſuperans, à quo in regimine tribus annis erat ſuperatus. Auguſtus enim quinquagintaſex annos rexit, mortuus ſeptuageſimo quinto. Exenteratum corpus (nam inteſtina in Lyntzio ſepeliuntur) maxima pompa Viennam per Danubium delatum,

delatum, tota urbe obuiam effusa, honestissimè exceptum, in ædem diui Stephani defertur, ac in crypta Principum reseruatur, donec sepulchrum, quod 20. annis cum uiueret, à se inchoatum erat, perficeretur. De quo quia res est posteritate omni dignissima, quædam paulo altius mihi sunt repetenda. Est illud è marmore uario, porphyretico ac candido mixto faberrimè factũ, ab ingeniosissimis architectis, statuarijs, ac sculptoribus, qui neq; Praxiteli, neq; Phidiæ, neq; Alcameni, neq; Scopæ herbam porrigerent: neque alijs quoscunq; uetustas commendat, cederent. Nam hi singuli singulis imaginibus nomen sibi peperere. hi opus hoc insigne, innumeris refertum imaginibus, & uiuis, ut ita dicam, signis, omnibus gentibus, nationibus & populis, qui ad nos usq; commigrarunt, admirandum & antea non uisum mausolæum extruxerunt: tanta arte, ut cum uetustissimo quoq; opere facilè possit certare. Nam ut sileam nobilium artificum ingeniosissimam artem, qua Cæsaris uiuam imaginem, cœnobia & noua monasteria à Cæsare fundata & hic sculpta, cum multarum Austriæ prouinciarum insignibus ac armis exornata, ita singula expresserunt, ut sine admiratione hoc monumentum possit contemplari nemo: hoc nemo satis pro rei dignitate admirabitur, quòd nobilissimũ illud marmor, longis è regionibus aduectum, uarium, partim candidum, partim rubeum, ex infinitis portionibus agglutinatis ingeniosè ac mirè politum, tantam molem reddat usque adeò insignem, ut plerique docti uiri hanc molem stupidi penè aspicientes, ex tempore pulcherrima ediderint epitaphia. Hieronymus enim Nagorolus Comes Vicentinus sic scripsit:

Vnde tot annorum labor hic operosus? & unde
Tot cælata uno marmora iuncta loco?
Quis tegitur tantis opibus? superare quis ausus
Mausoli, Hadriani, pyramidumq; decus?
Austrius hectorea Fridericus origine Cæsar,
Parte sui sacer hic deteriore iacet.
Nam meliore adijt sibi debita sidera, & orbis
Vix famam herois summaq; gesta capit.
Magnanimus, pius, armipotens, Augustus honori
Erexit patrio Maxmilianus opus.

Helianus item Ludouicus Francorum regis orator, cum quo inter cæteros comes fuimus in Hungariam ad Vladislaum regem, Cæsaris Maximiliani & Ludouici Christianissimi regis res acturi, cũ Domino Achille de Crassis, Pontificis summi legato, dum Viennæ Cæsareum cõspexisset sepulchrũ, sic cecinit:

Hæc Mausolæo moles æquata sepulchro
Fridrici magni Cæsaris ossa tegit.
Qui Romanum orbem placidè sanctèq; quietus
Circiter undenas rexit olympiadas.
Largus opes & templa dedit, secla aurea fecit,
Hinc inter diuos astraq; celsa micat.
Post domitos hostes, post prælia maxima, postquam
Accessit titulis Bætica terra suis.
Filius Augustus referens bonitate parentem:
Dedaleum posuit Maxmilianus opus.
Amborum pietas manet, æternumq; manebit,
Pyramis hæc quando saxaq; puluis erunt.

Cimbriacus item poeta nostri seculi haud contemnendus, raræ eruditionis ac doctrinæ, non potuit se continere, quin celebraret sepulchrum elegantissimo carmine:

En hæc Cæsarei moles spectanda sepulchri,
Quæ teget inuicti Cæsaris ossa mei.

Aequat

Aequat pyramides, æquat sibi laude colossos,
Aequat Mausoli nobile regis opus.
Non is cippus erat, quo magnus decubat Hector,
Talis in incerto non fuit urna rogo.
Vix ego crediderim Dictæa rupe sepulchrum
Gnosiaci quondam tale fuisse Iouis.
Sed ne Cimbriacum credas maiora locutum,
Tu cœlum inspicias, artificumq; manus.
Quo magni uiuunt Friderici Cæsaris ora,
Sustinet excisum Sinnade marmor opus.
Et circumpositi spirant ex ordine patres,
Quos coluit Cæsar cum pietate uiros.
Vt nunc Cæsareos mirentur ab hoste triumphos,
Post uerò in superos accomitentur iter.
Cæsaris effigiem uideas ex marmore ductam.
Quid ue ferant sacri singula membra ducis.
Candida quos hilarat risu concordia uultus,
Horrescunt Daci Pannoniiq; truces.
Et quicunq; uagi mirantur cornua Rheni,
Et quos occiduis abluit æquor aquis.
Hoc caput immensi cognoscunt sidera mundi.
Quale sub arctois non fuit ante polis.
Quam bene conueniunt humeris uictoribus arma,
Abiecta hoc pectus ægide Pallas habet.
His & fulminei manibus data gloria Martis,
Inuictum hoc nunquam terruit hasta latus.
Hæ plantæ Domini sanctum tetigere sepulchrum,
Et bis Tarpeij templa superba Iouis.
Bella iuuent alios, & sæuæ Gorgonis arma,
Cæsaris ast propius sit pietatis amor:
Quando Pelæos æquauit marte triumphos,
Et prisca insignem relligione Numam.
Elysijs alius uiuat nouus incola campis.
Ignea si noster sidera Cæsar habet.

Maximilianus uerò Cæsar pientissimus filius, imperfectum hoc opus à patre, summa cura annis penè duobus de triginta elaborare & perfici curauit: erogatis plus quadraginta millibus aureis nummis. Licet Fridericus priusquam moreretur, supremam sepulchri tecturam in uita sua perfeciſſet. Anno dehinc Christi 1513. Calend. Nouemb. cùm staret hæc moles, corpus Friderici è crypta Principum Austriæ, quæ in æde S. Stephani, in hoc est sepulchro translatum, summa cum honorificentia, præsentibus Antistite Viennensi, uniuersoq; clero & proceribus Austriæ, procurante quæstore Laurentio Sauurerio. Ego autem funebrem orationem dixi. Licet anno 1494. septima Decemb. in eodem templo Maximilianus Cæsar iusta persoluisset patri, omnibus imperij Principibus & oratoribus regum ac pontificum coràm astantibus, summa cum celebritate Bernardo Pergerio præfecto Viennensi tum funebrem dicente. Sunt autem duæ æneæ tabulæ deauratæ à Maximiliano in id sepulchrum locatæ, quibus continentur anni uitæ & gubernationis Friderici, cum titulis regnorum & prouinciarum, aurei argenteiq; nummi, uultum Cæsaris referentes. Habuit autem Fridericus uxorem Leonoram, filiam Edouardi regis Portugalliæ, ut suprà scripsimus, & Iohānæ reginæ. Ex qua tres peperit filios: Christophorum scilicet primogenitum, qui in infantia decessit: Maximilianum, qui sacro Romano imperio triginta annis præfuit, habenasq; orbis moderatus est feliciter.

Et Iohan-

Et Iohannem, qui item in pueritia obijt. Genuit & duas filias: Helenam, quæ pueritiæ annos non egressa, cum matre Leonora Imperatrice, ac duobus fratribus, Christophoro atq; Iohanne in Noua ciuitate Austrię, in monasterio nouo Cistercienſium ſanctæ Trinitatis ſepulta. Kunegundis altera fuit filia: quam astu patre ignorante, Albertus Bauariæ dux ſibi uxorem copulauit, tresq; ex ea filios, Vuilhelmum, Ludouicum & Ernestum progenuit: & filias quinq;, Sidoniam, quæ Ludouico ſeniori filio Philippi Rheni Palatini deſponſata, ut ſponſa obijt. Qui in locum defunctæ, ſororem filiam alterã Sibyllam duxit. Sed Sabinam tertiam filiam Vdalricus dux Vuirtenbergenſis uxorẽ accepit: qui mente captus, dum in omnes ſuos graui furore debacchatus eſſet, eiectus è prouincia, exulat. Vxor autem cum filijs ab eo diſceſsit, mœrore conſumpta. Suſanna quarta filia uirgo obijt. Sed tamen Suſanna quinta & ultima nata filia, Caſimiro Brandeburgenſi Marchioni deſponſata eſt. Eſt autem Leonora Imperatrix mortua, anno ſalutis 1467. tertia Septemb. cũ nata eſſet 1437. octauo Septẽbris. Trigeſimo igitur ætatis anno mortem oppetijt. Contulit profectò Fridericus Imperator omnibus penè Germaniæ principibus regalia, quod paucis accidit Cæſaribus: quandoquidem diu imperauit. Sed hac donatus ſingulari uirtute, ac diuina propemodum, quòd mortuus eſt in ſumma pace ac tranquillitate totius Germaniæ atq; uniuerſorum principum. Quod elegantiſsimè expreſsit C. Paulus Amaltheus, in Epicedio quod Cæſari ſcripſit, dum Viennæ profiteretur. Id quia elegans eſt, & à præceptore meo chariſsimo conſcriptum, dignum duxi ſubſcribere, ſi prius tetraſtichon appoſuero:

Auguſto propior Fridericus Tertius, orbem
Quinquaginta annis rexerat, atq; tribus.
Sed tribus hic uita Auguſtum ſuperauerat, æuo
Longior hic, ille eſt ditior imperio.

C. PAVLI AMALTHEI POETAE LAVREATI EPICEDIVM, in obitu Friderici Rom. Imperatoris, ad Maximilianum Regem inuictiſsimum, Imperatorem deſignatum.

Vnde mihi Cæſar lugubri in carmine Numen
Sollicitem? neq; enim Pimpleam impellere rupem
Fas erit, aut molli Bacchum deducere Nyſa.

& quæ ſequuntur. Non enim integrum carmen in archetypo deſcriptum eſt.

Lectori Cuſpinianus.

Poſtquam enarraui Occidentis Imperatores, qui ex Francis imperitabant annos circiter ſexaginta, donec in Germania finitum eſt interregnum, continua ſerie à primo Rodulpho, Auſtriacæ domus fundatore & principe, progreſſus ſum ad Fridericum III Auſtriæ præſtantiſsimum ducem, & domus propagatorem, obmiſsis Orientis Imperatoribus. Quos nunc ad ultimum uſque & VIII Conſtantinum, ſub quo totum corruit Orientis imperium, recenſebo. Narraturus dehinc Turcorum tyrannos, qui in id imperium (Chriſtianis principibus dormitantibus) ſurrepſerunt. Cæterùm, ut id recto ordine præſtemus, repetendum eſt quod ſuperius annotauimus, Imperatorem Alexium Angelum fratricidam, Theodoro Laſcari filiam deſpõdiſſe, dotiſq; nomine imperij titulos genero tribuiſſe. Huic cum maſcula proles ex uxore nulla foret, ſed fœmina tantùm ſrenæ filia, quam Ioanni Diplobatazio in matrimonium iunxit, imperium illi per manus tradidit. Cui poſtea Theodorus filius ſucceſsit, ex quo Ioannes. Quem cum Michael Palæologus puerum adhuc interfeciſſet, ipſe ſibi & poſteris, per ſummum ſcelus imperium uendicauit. De quo nunc uerba faciemus.

MICHAEL

MICHAEL PALAEOLOGVS, ORIENTIS IMPERATOR.

MICHAEL Palæologus uir ingentis ſpiritus, & copiarum Dux, ſub Theodoro Laſcari Græcorum Imperatore (cui affinitate coniunctus erat) imperium per ſummum nephas arripuit, cùm illum fiduciariæ tutelæ pertæderet. Nã teſtamento filijs Theodori tutor datus, tanquam uir in armis ſtrenuus, quo adminiſtratore ſcilicet dũ uiueret, ac duce utebatur. Vel, ut alij tradũt, ui ad ſe recepta tutela, quum Gregorius Imiſolus tutor à Theodoro relictus eſſet, ſacris operatus, à Palæologo interficitur. Sed pari iniuria pueros etiã ſuſtulit, imperium ui occupans, expulſis eiectiſq; Latinis. Multa enim in Latinos aggreſſus eſt, quæ Laſcaris penè decrepitus intẽtata reliquerat. Guilhelmũ enim Achaiæ & Bithyniæ principẽ regno deturbauit, captiuumq; Adrianopolim perduxit, atq; in uincula coniecit, quoad Maluaſiæ caſtrum munitiſsimum Palæologo traderet, quo carcere eſt liberatus. Qua uictoria elatus, confeſtim Balduinum adoritur. Cuius copijs cùm aduẽtarent, aufugit, ut ſuperius ſcripſimus, ad Pontici maris anguſtias: ad quas omne robur copiarum, nullo relicto urbis præſidio, miſerat. Hinc Graij quidam uetuſta origine Græci, Gallici nominis pertæſi, per fidos nuncios cum Palæologo agunt, ut certa noctis hora cum copijs urbem ſine ulla cæde recipiat: quod factum eſt, cæſis uigilibus, ac ducentibus proditoribus, Anno poſtquam à Venetis Franciſq; capta eſt octauo & quinquageſimo: licet alij ſexageſimotertio ſcribãt. Balduinus uerò Imperator & Panthaleon, Iuſtinianus Patriarcha, repentè cum ſuis omnibus (capta ſupellectile) ad Euripum profugerunt. Palæologus urbe potitus, pueros fidei ſuæ commiſſos iugulat, imperiumq; ſibi uendicat. Byzantio capto, cum Venetis diu acre bellum geſsit. Nam illis fœderatus erat Guilielmus Princeps: à quibus Michaele duce ac claſsis præfecto, & pòſt Giliberto Dãdalo nouæ claſsis præfecto, facilè eſſet imperio deturbatus, niſi Genuenſes obſtitiſſent. Quorum ſuppetijs adiutus, in imperio durauit, & quibus ob meritum Peram ciuitatem donauit. Dehinc concilio Lugdunenſi (inducijs initis) à Gregorio pontifice decimo indicto, Palæologus tanquam Græcorum Imperator interfuit, Romano pontifici gratificaturus. Eoq; concilio tertiodecimo Græci adducti ſunt in ſententiam Romanæ eccleſiæ, Palæologi autoritatem ſequuti: altaq; uoce coram toto concilio ſymbolum Niceni cõcilij decantarunt. Quo teſtati ſunt, à ſuo ueteri errore ſe recedere, & orthodoxæ eccleſiæ ſe conformare. Super qua re etiã decretalis promulgata eſt, Fideli ac deuota profeſsione fatemur: in ſexto decretalium. Iohannes enim uigeſimusprimus pontifex Max. Palæologum admonuit, niſi ſeruaret promiſſam unionem, Carolo regi, qui dominium aliquod in Achaia habebat, & alioqui ad imperium aſpirabat, Siciliæ regnum datum iri. Martinus autem quartus, cùm iterum iam Græci à promiſsione facta recederent, eos unà cum Imperatore ſuo anathemate percuſsit, Carolo rege inſtante. Atq; ideo Imperator Græcus cum Petro Arragonum rege belli pacisq; ſocietatem iniit: qui communi impenſa claſſem armauit. Cuius cauſam cum Pontifex per legatum quæreret, reſpondit Petrus, interiorem tunicam ſe laceraturũ,
307 ſi cordis ſui cogitationum conſciam eſſe ſuſpicaretur. Ac mox in Aphricam duxit exercitum, uſq; ad Ioppen littora populatus. Palæologus autem tantã Græcanicæ gentis contraxit inuidiam, ut ei uita functo nec iuſta perſoluerent, nec ſepulchrum aut ſepulturæ locum concederent, à ſacerdotibus Græcis Calloge ris more maiorum conceſſum, quòd à patriæ ritu deſciuiſſet. Fertur autem regnaſſe annis quadraginta quinq;. In quo quidem Palæologo, duæ clariſsimæ domus Conſtantinopolitanæ, Laſcarorum uidelicet & Palæologorum, commixtæ, altera occidit, altera caput extulit. Nam, ut autor eſt Acropolites, Alexius

xius Murzyphus cognomento, filiam Annam Theodoro Lascari locauit. Fugatusq; deinde (ut diximus) à Francis una cum coniuge Euphrosina & genero fuit. Theodorus itaq; tres tantùm filias ex Anna secum abductas, uix à Nicenis impetrauit, ut intra mœnia solas reciperẽt, cùm ei portas clausissent. Ipse manu qua poterat collecta, extemplò Hadrianopolim capit, Græcumq; imperium iure soceri hæreditario sibi arripuit: filiasq; Mariam regi Pœonum, Irenem Andronico Lascari Despoto: quo mortuo, Ioanni Batazæ cognominato, è gente item Lascarorum ducum, locauit (paulo antè Ioannem Diplobatazium nominauimus, ex Annalibus alijs) hic apud Zacynthum imperij titulum extra patriam annos tenuit triginta tres. Huic filius Theodorus Lascaris nomẽ aui materni referens fuit: quem Ioannes è uita discedens, Michaeli Palæologo cõmendauit. Hic autem illius dux & administrator diu fuit. Tãdem cùm esset moritu rus Theodorus Hadrianopoli, duos alios quoq; puerulos huic, & imperium tutorio nomine gubernandum commendauit. Quod occisis pupillis per summum nefas rapuit (ut diximus) ac posteris usq; ad Constantinum octauum & ultimum ex ea domo, ad annum uidelicet millesimum, quadringentesimum, quinquagesimumtertium, per manus tradidit. Quæ familia ex urbe Viterbio dicitur ab initio genus duxisse. Mansit itaq; huic familiæ Imperium Græcorum annis circiter cẽtum nonagintaquatuor, donec in manus Turcorũ Mahumeti Othomanni tradidit potius, q̃ prolabi permisit, ut cõtinua serie enarrabimus.

ANDRONICVS SENIOR, ET MICHAEL FILIVS ORIENTIS *Imperatores.*

ANDRONICVS Palæologus senior filius Michaelis, ex tribu maribus natu maximus, post patris obitum imperare incipit. Qui cùm mortuum patrem à Calogeris sacerdotib. & monachis eius gentis uidisset sepultura prohibitum, quòd Occidentalib. in concilio Lugdunensi catholicis consensisset, rursus ad Græcanicam sectam reuertitur: unionẽ in paternæ iniuriæ uindictam conseruaturus, ac libenter ecclesiæ Latinæ ob eam contumeliam adhæsurus, si Rom. pontificis auxilia tũc parata habuisset: quod postea facere & abnuit, & recusauit. Huic Guilelmus Montisferrati Marchio, Ioannis filius, Violantidẽ filiam uxorẽ dedit, è qua plures sustulit liberos. Quorũ unũ Theodorũ scilicet, testamẽto Ioannis sine uirilis stirpis aut fœmineæ liberis decedentis, pater Andronicus in Italiã misit, ut Marchionatũ susciperet. Id enim cõsensu procerũ, qui legati Constantinopolim uenerãt missi, factũ est. Sed clàm etiã subornati à Mõteferrato nũcij, Imperatori affirmãt, Ioannis uxorẽ grauidã post uiri obitũ aliquid in utero ferre, qui legitimus successor futurus sit, ac proinde filiũ domi retineat. Dubius igitur Andronicus, legatos sine filio dimissurus erat: nisi ex legatis unus cõmenticium partum ac fabulam, qua eludere & Imperatorẽ & legatos concupiuit, intellexisset. Censeo (is inquit) Imperator, ut nuncium mittas, qui uterum reginæ diligentius exploret, interim nobis hic manendum erit. Nam qui has excogitauit nugas, regnum hærede uacuum ceu caducum, si soli redierimus absque duce, inuadere cogitat. Missi igitur legati celeriter in Thraciam, reuersi ementita de conceptu reginæ omnia renunciant. Lætus Andronicus, comparatis ad iter necessarijs, Theodorum filium in Ligures cum legatis transmittit: cui Argentinam filiam Opicinus Genuensis, uir magni nominis, despondet uxorem. Quibus ex nuptijs ad hæreditatem adeundam accessio percõmoda facta est. nam in Ligurib. socer & opibus & armis haud impotens erat. Habuit aũt Andronicus filium Michaelẽ, matre Vngarica natũ, quẽ consortẽ imperij sibi asciuit. Quo mox uita functo præ dolore amissæ filiæ, &

generi, pater Andronicus Constantinũ Despotẽ Iuniorem ad imperij succes-
sionẽ inuitat. Quod Michaelis filius Andronicus Iunior ægrè ferens, in auum
insurgit, Genuensiumq; auxilio fretus, ius omne ad se trahit. Sed Veneti senio-
rẽ Andronicũ cùm restituissent, tandẽ prægrauantib. Bulgaricis auxilijs & Ge
nuensium, auus coactus, Venetos destituit, partesq; Liguſticas à nepote coa-
ctus amplectitur, & septuagenario maior tandẽ moritur, cũ 15 annos regnasset.

ANDRONICVS IVNIOR ORIENTIS IMPERATOR.

ANDRONICVS Iunior filius fuit Michaelis Imperatoris, qui Michael nulla alia re insignis fuit, neq; aliud quicquam præclari gesit, quàm quòd hunc filium Andronicum Iuniorem progenuit crudelissimæ impietatis. Qui auum suum Andronicũ seniorem collectis coniuratoribus, uiris pessimis, imperio deturbauit: quod Genuensium auxilio fertur fecisse, quibus in mercedem Tenedon insulam pollicebatur. Sed Veneti fortiores, Andronicũ Imperatorẽ in patriam reducunt, & ab eo Tenedon recipiunt. Ob id indignati Genuenses, etsi ultionem cuperent, ueriti tamen Pontificis anathema, qui utrique populo auxilia minimè ad eos pertinẽtia ferre sub grauissima censura prohibuit, uindictam in commodius tempus distulerant. Sed Iunior Andronicus hoc intelligens, Bulgaros accersiuit: quorum auxilijs auum coegit, ut cum Genuensibus fœdus iniret, Venetis contemptis. Qui cum grandem ab eo postulabant pecuniam, abnegabat. Sed mox missis septem & uiginti millibus, qui Græcas naues partim submergerent, partim Græcos laqueo necarent, ad Byzantium euecti, oram quæ à Pera est ad Argyrum, ferro & igni uastantes, metũ Imperatori tantum iniecerant, ut pecuniam debitam exolueret, & pacem supplex peteret. Iunior itaq; Andronicus, cum sex & amplius annos bellũ uarium & anceps cum auo gessisset, sæpe tamen reconciliatis animis amicorum interuentu, & gratia malè sarta coeunte: tandẽ cum Byzantium nepos clàm ingressus esset, in auum nihil ultrà molitus, illum secum imperare quoad uixit passus est. Eo mortuo, cum aduersus hostes Romani nominis res egregias gessisset, multis iam uictorijs clarus, undequinquagesimo ætatis anno moritur, febre capitisq; dolore intra quatriduum cõfectus. Decedens Ioanni Cantacuzeno, qui magnus domesticus, maximoq; in honore apud eum erat, tutelam Caloioannis & Manuelis filiorum mandauit.

IOANNES PALAEOLOGVS CALOIOANNES DICTVS, ET IOANNES *Cantacuzenus, Orientis Imperatores.*

ANDRONICI Iunioris Imperatoris magnus domesticus Ioannes Cantacuzenus, tutor filiorum à moriente Andronico creatus, cum in uita eius diu in magno honore habitus esset: eo mortuo, cuncta eius arbitrio agebantur, tanquam ab eo qui supremam obtinebat dignitatem. Cumq; aliquot annis Caloioannẽ & Mannelem educasset, omniaq; prudenter gererẽtur, Apocauci fraude, uiri obscurissimi, sed solertia & calliditate inter principis amicos præcipuæ dignationis, & Patriarchæ ambitione in exilium truditur. Ille uerò iniuriæ impatiens, bellũ quinquennale aduersus reginam & Ioannem gessit, Turcorum arma primus Europæ inferens. Cæterùm rebus indies pessum euntibus, proditur illi Byzãtium. Quod cum occupasset, nulli ferè molestus, imperij tantum principem egit, filia in uxorem Ioanni tradita, quem sibi generum fecit. Sed cum una in domo gener atq; socer uitam agerent (ut fit) in discordiam

discordiam ueniunt: quæ indies plus inualescens, tantum eos incendit, ut domi foriscp alter alteri se hostē ostēderet. Sed cum maior esset potētia soceri, secp ipsum socer ui atcp armis ueluti Imperator tutaretur, Caloioannes in Tenedū ueniens, auxilio classis Genuensiū in regnū patrium restituitur, pulso armis Cātacuzeno, imperij cōtra ius & fas occupatore. Quod factū legimus auxilio atcp opera Frācisci Cataluſij Genuensis, uiri maritimarū rerū exercitatissimi, classis præfecti. Cui ne uideretur ingratus, dono dedit Mitylenē insulā, quā Mahometus Turcus cum Constantinopolim atcp omnem Thraciam occupasset, Catalusijs ipsis ui abstulit, nō sine ingēti multorū perturbatione: Nicolaumcp Catalusium principem Lesbi crudelissimè occidit, ut inferius scribemus latius, cū de Turcis agemus. Cæterùm per hæc tēpora Cōstantinopolitanus Imperator Ioannes Cantacuzenus, rex Aragonū, & Veneti cōtra Genuenses fœdera inierūt. Imperator 14. Veneti 40. Cathelani 30. triremes armauêre. Genuēses, prefecto Pagano Aurio, 60. Pugnatū est inter Cōstantinopolim & Chalcedonem, flante uiolentissimo Austro à uespera uscp ad sequentem diem hyemali tempore, Venetis à Galliopoli soluentibus, uentis adiutis atcp amicis. Genuenses cōtra uentum, contra mare, contra hostes potentissimos uictoria potiti sunt. Grecí fugerunt: Veneti & Cathelani magnam cædem perpessi sunt, præfecto Cathelanorum occiso. Rursus sequēti anno Veneti Cathelanicp Genuenses apud Corsicam aggressi, unam & quadraginta captas hostium triremes, uiris ut erāt armatis plenas demersērūt, Nicolao Pisano Venetæ classis præfecto. Qua clade accepta, Genuenses Ioanni Archiepiscopo Mediolanensi se suacp permiserunt: qui bellum aduersus Venetos suscepit. Ad quos Patauini, Veronenses, Mantuani, Ferrarienses & Florentini societate facta, auxilia miserunt. Deinde uerò Nicolaus Pisanus Venetæ classis præfectus, apud Peloponnesi promontorium à Pagano Aurio superatus, captuscp, cum millibus quincp Genuam in carcerem est perductus. Itacp Caloioannes in patriam redijt, per Cathalusium Frācisci reductus: cui Lesbon donauit insulam, ut paulo antè meminimus. Cum autem ex Tenedo progressus, Byzantium ingreditur, Cantacuzenus imperio se abdicans, monasticam uitam sequitur. Sed Ioannes Palæologus Matthæum Cantacuzeni filium cōsortem imperij cum patre agentem, tandem imperium deponere coegit, cum fortiter multa administrasset bella: moriens filio Manueli imperium reliquit, de quo nunc scribemus.

MANVEL PALAEOLOGVS ORIENTIS IMPERATOR.

MANVEL filius Ioannis Palæologi, patri in imperio successit: qui nihil aliud præclari in suo imperio (quod ad posteros ueniſſet) gesit, nisi quòd septem filios mares incolumes post se reliquit, qui etiam post patris interitum diu fuerant superstites. Primum Ioannem, qui morienti patri successit in imperio, de quo mox scribemus. Secundus erat Andronicus: qui Thessalonicam potentem quondam Macedoniæ urbem, & Pauli Apostoli epistolis, & Magni Theodosij facinore insignem, in partem hæreditatis accepit, possedítcp. Demum Ioannis fratris odio, qui patri in imperio successit, Venetis tradidit. Amurathes uerò Turcorum princeps eripuit, ac reliquam Macedoniam uscp ad montes Pœoniæ, & quam Albaniam uocant, imperio suo subiecit. Tertius Manuelis filius appellabatur Michael: Theodorus, quartus est dictus: quintus Demetrius, qui Peloponnesi regnum diu obtinuit, excelso animo, ac summa uirtute princeps. Sed quia Christianissimus uir fuit, ob id maximis affectus est à Turcis iniurijs. Est aūt Pelopōnesus regio, adeò munita Ionio ac Aegæo pelago, & excellentissimis undicp cincta promōtorijs, ut nihil queat esse munitius. Isthmo secernitur à reliqua cōtinente: quē murus perpetuus ac inexpugnabilis

pugnabilis ab altero ad alterũ mare sepit, fœcũdissimos intus habẽs, & uberrimos uictui humano accõmodatos cãpos. Cum uerò Albani, qui tũ plures Pelopõnesum incolebãt, Demetriũ & Thomã fratres regno deijcere anniterẽtur, nobilẽ quendã Grẽculũ ad regium fastigium excitabãt: utraq; pars Mahometi auxilium implorauit. Illi nobilior pars uisa est iustior, auxilia aduersus Albanos Demetrio fratriq; tradita. Albani subacti, priorib. dominis paruêre, & Mahumeto 1500. aureorũ tributũ pẽsum est. Sextus Manuelis filius, Thomas Pelopõnesi Despotus, qui etsi iure hæreditario Imperatorẽ se dicere posset, cuius maiores longa serie Græcorũ nomini imperauerãt, metu tamẽ Mahumeti abstinuit. Et cum Calixtus pontifex huic multa aduersus Turcos pollicitus esset, tributũ negauit: coactus tandẽ & tributũ & dona adijcere, ac deinde cedere. Post patriæ itaq; direptionẽ Romã cum quatuor liberis uenit (sancti Andreæ apostoli caput ex Pelopõneso secũ deferẽs) Manuele scilicet, qui post patris interitum ad Mahometẽ hostẽ inconsideratissimus se cõtulit, in carceremq; deiectus est, Andreaq; filio, qui Romæ decesit, cũ uulgare duxisset scortũ in uxorẽ: ac duabus filiab. Helena & Zoe. Helena Lazaro Seruię regi nupsit, qui filius fuit Georgij, & post patris obitũ gubernationẽ susceptt regni, fratre Georgio excluso: quem quondã Amurathes excæcauerat, ut inferius scribemus. Is cũ sorore, quę Amurathi Turco nupsit, ad opẽ Mahumeti cõfugiens, frustra eius auxilium implorauit. Obijt deinde Lazarus: de cuius hæreditate non parua contentio orta est. Georgius Turcorũ auxilio paternum regnũ uendicare nititur: uxor Lazari relicta Hũgaricas opes implorat. Nec Catecumzena, Vlrici comitis Cilię uxor quondã, à Georgij portione hæreditatis desperat. Zoe aũt altera Thomæ filia, Ioanni regi Roxolanorũ, qui dux Moscouiæ uocatur, nupsit: Helenã filiam peperit, uxorẽ Alexãdri regis Polonorũ, fratris Vladislai regis Hungarorum: de cuius familia in Friderico III scripsimus. Septimus Manuelis filius fuit Cõstantinus, qui postremus omniũ imperauit. Manuel itaq; Imperator moriens sine magnis & præclaris gestis, Ioanni natu maximo imperium reliquit gubernandum, distribuens cæteris filijs regiones, insulas, ac regna alia.

IOANNES II PALAEOLOGVS ORIENTIS IMPERATOR.

IOANNES filius Manuelis primogenitus, post patris mortem imperiũ arripuit: auidior pacis ac concordiæ quàm belli, quietis admodum studiosus. Idcirco cum omnibus principib. tam sacris quàm prophanis summè cõcors, neminem molestabat. Cum concilium ea tempestate generale Florentinũ Eugenius pontifex celebraret, penè tota Græciæ nobilitate comitatus, Italiam petijt: Eugenij autoritatẽ secutus, concilio interfuit. ubi hæresis de processione spiritus Sancti, quæ pluribus concilijs prius agitata fuit, non solùm à Latinis, sed ab ipsis etiam Græcis damnata atq; explosa est. Cæterùm quanquã Ioseppus patriarcha (qui in hoc concilio defunctus, & Florentiæ sepultus est) Iohannesq; Imperator unioni cõsentirent, & cum Latina ecclesia fidei symbolum concordibus animis acceptasset, Constantinopolitana tamen ecclesia cum Romana sentire nephas duxit: licet ipse pace ac concordia perpetua (ut sperabatur) inita, domum rediret. Reuersus tamen, haud diu superuixit. Sedilud sibi in gloriam Eugenius adscripsit, ob id in eius marmoreo sepulchro hi uersus subscripti leguntur:

Eugenius iacet hic Quartus, cor nobile cuius
Testantur uitæ splendida facta suæ.
Istius ante sacros se præbuit alter ab Ortu,
Alter ab Occasu Cæsar uterq; pedes.

Alter

Alter ut accipiat fidei documenta Latinæ,
Alter ut aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armenij Graiorum exempla sequuti,
Romanam agnorunt Aethiopes q; fidem.
Inde Syri ac Arabes, mundiq; è finibus Indi,
Magna, sed hæc animo cuncta minora suo.
Nam ualida rursum Turcos iam classe petebat,
Dum perit, ast illum sustulit una dies.

Ex recentioribus ac neotericis scriptoribus, multi hunc Caloiohannem uocant, & nescio quæ deliramenta de Andronico afferunt: quæ neq; refellere est animus, neque asserere. Sed cum apud receptos scriptores nihil de hac re inueniam, consultius obmittenda censeo. Tutentur alij suos (ut uolunt) errores, ego ueritatem libenter amplector.

CONSTANTINVS OCTAVVS ET VLTIMVS ORIENTIS IMPERATOR.

CONSTANTINVS septimus Manuelis filius, Ioanne fratre sine filijs defuncto, successit in imperium, ab initio princeps animi ingentis. Rex enim Peloponnesi ante susceptum imperium, sæpius cum Turcis congressus, eos fudit, fugauitq;, ac eis oppida ui abstulit & expugnauit: unde Draconis cognomentū ob militarem uirtutē accepit. Sed ubi Amurathes Turcorū tyrannus Heracleam oppidum munitissimum expugnauit, murumq;, qui Græcos in Peloponneso tutos seruaret, diiecit, adeò animo consternatus est, ut omnis roboris sui immemor, tributū Turcis daret, ac timore perculsus cederet: cum antea Isthmū, quem Hexamilium Græca uoce nuncupant, instaurandum curasset, quodam singulari Christianorum successu, tributumq; Turcorum tyranno reddere abnegasset. Verùm Hungaris & Polonis ad Varnam ingenti prælio uictis ac cæsis, pecunia ab Amurathe mulctatus, murum diruere iussus est. Quem postea locum Veneti tumultuario opere munire adorti, nihilo meliore euentu usi sunt: sed ut uulgò dici solet, Nulla calamitas sola: alteram enim alia parit. Sic Constantinus Imperator, siue animo suo excidens, opinione sua deceptus, siue sponte sua insaniens, haud quaquam unioni, quæ sub fratre suo Ioanne Palæologo Imperatore cum Eugenio Florentiæ concluſa fuit, consentire uoluit. Et ob id Gregorium Patriarcham priori Ioſippo, de quo scripsimus, suffectum, quòd iuxta fidei ueritatem ambularet, domo eiecit, bonaq; ecclesiæ surripuit. Nicolaus itaq; V, qui tum summum egit Romæ pontificem, Isidorū episcopum Sabinensem Cardinalem, uirum industrium, natione Græcum, & qui Rutenorum ecclesiam iam dudum rexerat, mittit percontatum, quanam ratione Græca natio legatorum suorum conuenta Florentiæ cum Latinis habita resiperet. Pellexerat tum sua persuasione & Imperatorē & Senatum in rectam semitam, cum Turcorum iam ingens impetus, ueluti inundatione quadā tempestuosa, duce suo Mahumete Amurathis filio, Constantinopolim obsederat.

Est autem hæc urbs inclyta prius Byzantium, antea Lygos dictum, à Lacedæmonijs, Pausania duce, in angustissimo Europæ Asiæq; Euripo cōdita: quibus ab Apollinis Pythij oraculo dictū fuit, ut cōtra cæcos sedes locarēt, id est, Megarēses: qui Chalcedonē sterili solo, omissa locuplete ripa, eregionè cōdiderunt, Strabone autore. Pisces enim ex Euxino in Propontidē illati, ubi ad Chalcedonēse littus incurrere, territi à candicāte saxo, quod à uado ad summa pellucebat, aduersum Byzātij promōtorium ex ea causa Chrysoceras appellatū, præcipiti petūt agmine. Itaq; omnis captura Byzātij, Chalcedonensib. penuria. Hāc urbē è ruinis Constātinus Magnus, qui imperij sedē ex urbe Roma in Orientē trāstulit, ad Parthorū excursiones cōpescendas, nouis mœnib. cinxit, diuinitùs admonitus:

admonitus: sublimibusq; turribus ac magnificentissimis ædib. ita exornauit, ut habitaculũ deorum potius quàm Imperatorũ crederetur. Dion septem turres tanta arte constructas in ea cõmemorat, ut si quis uni inclamasset, aut lapidẽ immisisset, sonitus ex omnib. redderetur æqualis, ita ut ex singulis propriùs exaudiretur. Hanc cum Imperator Nean Romam nominari uellet, uulgus à cõditore Constantinopolim uocauit. Hanc Mahometes iniquo ferebat animo in medio Turcorum sitam, suo non parére imperio: animumq; adiecit, ut eam subigeret, quò progenitores suos omnes superaret & fama & nomine, qui sæpius tentantes, à cœptis turpiter resilire coacti sunt. Castello igitur iuxta littus ad ostiũ Bosphori mira celeritate extructo, bellum contra fœdera ac iusiurandum mirabili coacto exercitu (trecenta enim millia fertur habuisse militum) induxit, & simul gerere cœpit: frustrà Græcis opẽ à Christianis principibus implorantib. Terra igitur ac mari regiam aggressus urbem, cuniculis ac latentib. fossis altissimè actis, & aggere extructo tam excelso ut muros excederet, cũ turres admouisset ligneas, mœniaq; conquassasset, Græcis strenuè pugnantibus: Iohannes Iustinianus Genuensis (qui solus urbem nuper defendisse ferebatur) uulneratus, cum ut medicum adiret, per portas quę obseratę erant, ne fugiendi facultas militi esset, introijsset, Græci simul irrumpunt. Is autẽ paulo pòst inglorius Peræ occiditur. Soli duo Theophilus Palæologus Græcus, & Iohannes Sclauus Dalmata, fugere turpe putantes, cum Turcorum multos obtruncassent, inter cadauera hostium cecidere. Constantinus Imperator dum ad portam trepidus se recipit, fugientium trepidatione oppressus, in portæ angustijs cõculcatus cecidit, paludamentoq; eius cadauer agnitum. Scribunt alij, Constantinũ ex desperatione manum sibi inijcere uoluisse, antequam regiam egrederetur: id Christiani hominis non esse cum paulo diligentius secum reuolueret, suos hortatus, ut se ferro transfigerent. Sed ijs recusantib. positis Imperatorijs insignibus, posteaquam barbarũ uidit intra mœnia receptum, timens ne uiuus in hostium deueniret potestatẽ, ne' ue tantæ urbis excidio superesset, mutatis uestibus in aduersum agmen inuectus, hostili manu mortem oppetijt. Verùm quoquo modo perierit, post disturbatos bombardarum ictib. muros, fœdeq; dissectos, captamq; ui atq; expugnatã urbem, ne Perenses uicinis opem ferrent expugnati, Constantini Imperatoris caput Mahometis iussu abscissum, ac pilo affixũ, per urbem & castra ad ludibrium circũuectum ac gestatum est. Quarto & quinquagesimo obsidionis die urbs ui summa capta, ingens cædes edita, in omnem sexũ atq; ætatẽ sæuitum: pueri, uirgines, matres ad stuprũ raptæ: stupra cædibus, cædes stupris additæ. Nihil illicitũ toto triduo fuit in urbe: templũ ingens ac sacrosanctum Sophiæ, Iustiniani Cæsaris opus, spoliatũ omni sacra supellectile ac donarijs sanctorum, omnib. patuit spurcitijs, lupanar factum scortorum, & equorum stabulum. Edixit autem tyrannus post captã urbem, ut regia supellex, omnisq; sacrarũ ædium ornatus, monimentaq; illæsa seruarentur, ne' ue milites ea diriperent. Inuẽta sunt tamen in cœnobio (quod uulgus de Petra appellat) dextra præcursoris S. Iohannis, ac monimenta Saluatoris nostri, spongia, calamus, ac lanceæ ferrum: cuius acies lima secata à Constantino VI Carolo Magno Francorum regi donata erat. quę superbus uictor inter regias gazas asseruari iubet. Quanquam autem multi magno ære has sanctas reliquias redimere sæpius annixi forent, adseruata tamen sunt à Turco ob mulierem quandã Graiam, quæ regis libidini inter pellices patuit, cum à cultu Christi non defecisset, quæ sese exoluturã precium pactioni offert, ne ad Occiduos transeant sacræ Byzantiorum reliquiæ. Sed ante hoc edictũ, Martyrum ossa canibus suisq; sunt obiecta, sanctorũ imagines luto sunt defœdatæ, ferroq; laceratæ. Et quod meritò ignauiam nostrorum Principum mouere debeat, simulachrũ crucifixi (proh pudor & dedecus nobis æternum) tympanis præeuntib. per fora, per plateas, per uicos, ex urbe ad castra rapiunt, sputo, luto, iaculis incessunt,

ceſſunt, pileo imaginẽ capitis dehoneſtant: En Chriſtianorũ crucifixũ Deum, ſummis blaſphemijs & conuicijs per irriſionem inclamitant. Cruci etiam eulogium inſcriptum paſsim legitur: HIC EST CHRISTIANORVM DEVS. Eaq; omnia ſunt repræſentata, quæ in illum Iudæorum gens olim impia patrarat: putantes maieſtatẽ ſummi ac maximi Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ impaſsibilis eſt, & eius perfectionis ut nec laudibus efferri, nec conuicijs fœdari poſsit, dehoneſtare. O immenſum ſcelus: quid poteſt excogitari horribilius? quid dici crudelius hac ſæuitia, quam ſpurciſsimi & perfidiſsimi Turci impunè egerunt? Eruti deinceps ciuium theſauri abſconditi: quos ſi in communem uſum uertiſſent, non triumphaſſet ſceleratus victor de Chriſtiano ſanguine. Triduò itaq; miſera ciuitas uexata, atq; ad arbitrium impotentiſsimi victoris cuncta direpta. Inde quicquid regij ſanguinis, mares fœminæq; illuſtres ſuperfuere, aut inter epulas prægrauante uino fœdè iugulantur, aut victoris libidini (quod morte grauius) reſeruantur. Rirelucas, quem alij Lucam Notaram uocant, qui poſt Conſtantinum Imperatorem ſecundus erat, cæſo ante oculos maiori filio, altero ad illicitos uſus reſeruato (duo enim alij eius filij bello ceciderant) in conuiuio ante tyrannum ſecuri percuſſus eſt, cum alijs filijs duobus, Iſaacio & Iohanne, illuſtri probitate adoleſcentibus: quum ſupplici uoce humiliq; fletu tyrannum perfidiſsimũ rogaſſet, ne caſtum atq; pudicum puerum Iacobum, quem abominabilis raptor ſuæ ſpurciſsimę libidini deſtinarat, à paternis complexibus auelleret. Iſidorus Cardinalis, qui tum Conſtantinopoli erat, (ut ſcripſimus) in tumultu primo captus, quũ ueſte mutata cognitus non eſſet, trecentis ſeſe redemit aſperis. id genus nummi eſt paſsim omnibus notũ. Dum deſæuijſſet ſanguinarius carnifex, conuiuatus, & mero præter ſolitum inebriatus, contra legem ſui Mahometi, optimates ciuium (qui in auguſtiſsimum Sophiæ templũ ueluti aſylũ confugerãt) educti in cõuiuio ſunt iugulati. Sunt tum multi Genuenſium, Venetorum, Latinorumq; partim gladio cęſi, partim auro liberati. Eſt eregionè Conſtantinopolis ciuitas Pera ſita, trans ſinulum illũ qui utriq; populo portũ efficit, uetus Genuenſiũ colonia: in qua olim Galatæ populi habitabant, ad quos diuus Paulus olim epiſtolas ſcripſit. Hi Perenſes cognita Byzantorum clade, Mahometo deditionem fecere. Muri cõtra fœdera diruti, bona direpta, fœminæ ac uiri ludibrio habiti, eandem experti ſunt ferarum ſæuitiam, ut Conſtantinopolitani. Eodem enim die literas dedit tyrannus ad Subaſsidem, id eſt, tribunum militum Galatię, quibus iuſsit Latinos ad unum omnes occidi. Quam facinoris atrocitatem quum Subaſsis obſtupeſceret, ob idq; paululum retardaſſet, ut qui ad ueſperam factum iri inſtituerat quod eſſet imperatum: interea temporis Mahometus, qui uinum obdormitando euomuiſſet, per literas contrarium mandat. Tantarum autem cladium enormitas hinc proceſsit, quòd tam ſæuus, immanis ac ſceleſtus tyrannus inſignes uictorias iam aliquot aſſequutus, eò inſolentiæ uenit, ut multos partim ueneno, partim ferro enectos, quos ſuſpectos tyrannidis habuit, tantam ſibi omnium cõparauit obedientiam, ut nemo ne hiſcere quidem auderet, interitum aut pericula mandata formidans. Hinc tanta creuit potentia, hinc fines ampliandi imperij cupido tyrannum inceſsit. Memini me puerum octennem, poſt illam cladem quæ adhuc recens erat, inaudiuiſſe, cum menſæ paternæ aſtarem, & crudelitatem ſæuitiæ ab alijs enarrari audirem, fuiſſe quendam Conſtantinopolitanum ciuem, opibus ac diuitijs clarum ac inſignem (ſed qui proditione uoluit clarior inſignioriq; fieri) & ſuo Imperatori Conſtantino infeſtum, clàm ueniſſe ad Mahometem, qui ordinatum tum habebat exercitum, animumq; urbis obſidendæ: ac ſecum pactum, ſi ex filiabus ſuis (plures enim habent Turci & uxores & pellices, ac proinde multos liberos) unam ſibi uxorem deſponderet, cum ampla dote, portam urbis unam in ſua fore poteſtate, quam illi poſſet hora qua uellet aperire: aſſenſiſſe tyrannum, ac proditorem id præſtitiſſe. Quum itaque

triduum illud sæuitia omni crudelius præterijsset, à tyranno uxorem & proditionis præmium postulasse. Cui tyrannus: Meruisti, inquit, qui rem promissam integrè præstitisti, dignam te & facinore tuo mercedem: iussitq; magnum auri afferri pondus, quod illi daret. Sed quia, inquit, filiam meam tibi uxorem cum dote (quæ præsens est) poscis, cum Christianus sis, uitam hanc exuas oportet. moxq; iussit carnificem cutem totius corporis illi detrahere, inseruitq; illi cineres cum sale calidos, moxq; lecto cooperiri iussit, ut noua illi cutis succresceret, quo aptior fieret ad nouam nouæ sectę sponsam accipiendam: quasi indignum iudicaret proditorẽ suæ patriæ uel exoleto scorto. Scripsit de captiuitate Constantinopolitana Vbertinus Pusculus, ciuis Brixianus, cum ex hoc prælio Romam euasisset, uersibus libellum. Necnon Ioannes Bocatius de Cartaldo, ubi multa de Turcis inserũtur, & alij neoterici. Est autem hoc uetustissimũ Græciæ imperiũ, quod mille centũ ac nonaginta amplius annis stetit. In quo tot principes Christiani floruerũt, tanta religio uiguit, tot diuorum templa, tot sanctorum reliquiæ conditæ erant. Vbi urbs Romæ semper æmula, paucissimis diebus deiecta ac crudeliter subuersa, anno nostræ salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimotertio, quarto Calend. Iun. Qui dies funestissimus ac religiosissimus esse nobis semper deberet, non sine lachrymis Christiano populo memorandus: cum Nicolaus V. tum pontifex Romanæ præesset ecclesiæ, Fridericus autem III. imperio Romano potiretur. Est præterea in hoc excidio illud admirandum, quòd hanc urbem Constantinus Magnus Imperator, ex Helena matre progenitus, miro ornatu extruxit, & è ruderibus nouam penè reformauit: quam Constantinus VIII. qui eiusdem nominis matrem Helenam habuit, Turcorum iugo subdidit. in qua nunc per septuaginta penè annos nõ sine graui & pudendo dedecore Christianorum principum, Mahometes primùm, Bazaites dehinc eius filius, tum Selimus Syriæ & Aegypto formidolosus, pòst Solomet imberbis tyrannus dominantur: effrenem libidinem in cunctos exercentes finitimos populos, siue sacerdotes sint, siue pudicæ honestæq; fœminæ. quibus non pro calonibus aut lixis, ut olim Romani, sed pro iumentis utuntur: his uehunt, his arant, his fodiunt terram, his abiectissima quęq; exercent & erubescenda ministeria. Quòd si ad pœnas ac supplicia peruentum est, per extremos corporis cruciatus ducuntur, excoriantur, uerubus suffiguntur, secantur, rota insuuntur. Hæc Christiani Principes sciunt, audiunt, sentiunt, uident, & animo tardissimo patiuntur. O infelix socordia, ô nimis misera principum Christianorum felicitas. nunquid illud scitis notum omnibus Poetæ prouerbium:

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet?

Nunquid uidetis, ô principes socordes, uniuersam Asiam à Phœnicibus & Medis, ad Hellespontum usq; Turcorum parere tyrannidi? In Europam uerò, iam annos aliquot Hellesponto superato, accersiti sunt à Theodoro Cantacuzeno aduersus generum suum, quem execrabilis & socer & tutor, Constantinopolitano imperio fraudauerat: dum simulãt fallacissimi latrones Turci, auxilium se laturos illi deliro seni, Callipolim & Chersonesum primò, deinde totam propè Thraciam occupant, Mysos, Macedonas, Thessalos omnes, Bœotios, uniuersam Græciam, Aetolos, Epeirum, Illyricos ad intimam usq; Dalmatiam, teterri ma seruitute premunt. Insulæ plures, quæ à sinu Adriatico ad mare iacent Ponticum, uastatæ iam sunt, & desolatæ. Sed nec modò quiescunt, aut ulla ex parte remittuntur efferatæ beluæ, sed quotidie magis ac magis (ut sunt & prædæ & cædis auidissimi) nunc in Getas, qui trans Istrũ incolunt, nunc in accolas Hungaros & Germanos impetum faciunt. Nostri autem Principes, aut illos contemnentes, aut negligentes, in hanc decidunt calamitatem ac dedecus, ut suis sensib. sua ratiõe priuati, nesciant quid agãt. Hungari, quorũ regnũ antemurale & Christianitatis clypeus uulgò appellatur, inter se tam factiosi, tam discordes, tam segnes, ut in tanta rerum affluentia ex argento cœnent, ex auro bibant: capita

pita auro onerent, & torquibus & catenulis colla, pectora monilibus & fibulis ornant aureis ac argenteis: pedes item calcaribus ex argento condecorent, toti splendidi. Necdum luxus finis: onerantur & bestiæ ac equi phaleris argenteis & aureis. Nec nobilis censetur, qui non abacum instruit auro argentoq; onustum. Alias autē nationes contemnunt, nec sinunt suppetias nisi coacti afferre. quòd si tulerint rogati, tum in eos desæuiunt magis quàm in canes, quos aliàs naturà odiunt, planè furibundi & dementes. Ac priusquam se talibus spoliarēt diuitijs, potius omnia sua Turco reseruant, breui omnia ablaturo: ut olim Constantinopolitani ciues suo Imperatori auxilium negantes, omnia Turco seruabant spolianda, ut scripsimus. Hungaris finitimi Germani, in conuiuijs bellaces & strenui: præsertim cū noctes ac dies bibendo æquauerint, ac omnes cyathos exiccauerint. Nullas possunt nuptias, nulla conuiuia, nullos celebrare conuentus, nisi ad extremam ebrietatem alter alterū ad pocula inuitet, atq; ita repleat, ut (quod dictu etiam pudendum est) coram seruis ac uernaculis rursum potum euomat uinum, sub mensaq; impudicè meiat. Et cum semiamens, imò demens potius in stratū collocatur, tum triumphus ingens excitatur, tum risus, tum cachinnus exoritur. Atq; id inter nobiles, qui præesse debent reipublicæ, eamq; tutari atq; defendere, præcipuè fit: nemoq; cēsetur bellicosus, nisi fiat & ebriosus. Qui enim plurimum potant, iudicantur magis strenui ac bellicosi. Olim, etiam nostra memoria, quum nobilium erat conuentus, ueluti pugiles, lucta, disco, cursu, corpora exercebant, ut fierent bello aptiores: nunc poculis certant alter alterum superare ac deijcere. O tempora, ô mores: his igitur artibus, his studijs uincemus Turcos? Germanis meis, è quibus natus sum, & Hungaris, quibus cum longo tempore uersatus, quàm familiarissimè hæc scribo. Non quòd censeam uitijs alias carere nationes quoque (quisq; enim suos patimur manes) sed quòd uellem hos uicinos & finitimos Turcis unionē quandam inter se inire, quòd Hungari suam soli luxui seruientem supellectilem ex auro & argento cum amplissimis suis diuitijs in eum conuerterent usum, ut suos debellarent hostes: & Germani accepta sobrietate, cū Vngaris acies atq; exercitus instruerēt, concordibus animis amnestia celebrata, si alter alterum irritasset. Tum Turcus non modò à limitibus nostratū terrarum arcereť, sed mox è Cōstantinopolitano deturbaretur imperio, atq; in aliquē Asiæ angulū, unde prodijt, reijceretur. Sed ijs moribus quibus hodie uiuitur, planè dubito ne breui lares cogamur patrios trepidi relinquere, aut in miseram uenire seruitutē. Sed quid Imperij Principes? quid agunt? Sæpius uocati in comitia & à Friderico Cæsare & Maximiliano, ut generalis in Turcos fieret expeditio, antequam de sessione decernitur uter alteri prælocandus, quibus subsellijs alterū præcedat, annus transit. Tum fiunt hastiludia, tū adipales cœnæ. Veniūt oratores Rom. Pontificis, Principes adhortantes, ut lapsæ succurrant Christianæ reipub. Offert Pōtifex cruciatam, offert indulgentias: ubi pecuniæ à misera plebe sunt corrosæ, instant fœneratores, qui paulo antè suos nummos in luxum Principum mutuarunt, & usuram mutuatæ pecuniæ exposcunt. Soluuntur uestes scortis coemptæ, & sumptus hospitibus abliguriti: tum nulla postea Turcorū memoria. Religiosi autē Principes sacrosancti (de quibus loqui piaculū est) quibus in annuos redditus centena millia nummūm uix sufficiunt, ex pingui pane Christi caudatis uestibus & purpureis galeris Christianam profitentur religionem. Tres episcopatus connectunt, ac abbatias in comedenda (cōmenda uolebam dicere) potius catamitos ac scorta alunt quàm milites, qui pro Christi fide tutanda arma induant. Interim Turcus tanquā uoracissima belua Ionium mare ingressus, Asiæ primū littora depopulatus est, ac minorē Asiam occupauit: Ciliciam, Armeniam, Phrygiam possidens. Traiecto mari Macedoniam, Thessaliam, Epeirū, Dalmatiam cum Illyrico depascitur: & Europæ claustris fractis, Hungariam mox, ac deinde Germaniā uorabit. Num id uidetis Principes? num clausis oculis more Andabatarum

batarum id cernitis. Detrahite nubem oculis, qui ophthalmia laborant, & uidete primùm Christianorum cum Turcis infelicem ad Nicopolim cõflictum, Duce Sigismundo Hungarorum rege: qui anno uirginei partus fuit millesimo trecentesimo nonagesimosexto: ubi magna Christianorum strages facta, multi Duces capti, Sigismundus nauicula fugiens salutem quæsiuit. Attendite quid sub Alberto v. archiduce Austriæ, Romanorum, Hungarorum & Boemorum rege, anno Christi millesimo quadringentesimo trigesimonono acciderit, Christianis cum Turcis confligentibus: ubi penè omnes qui nõ fuga euaserunt, corruerunt. Animaduertite deinceps, ô Christiani Principes, crudelissimam cladem Christianorum apud Varnam, sub Vladislao Hungarorum & Polonorũ rege: quæ anno humani generis redemptionis accidit millesimo quadringentesimo quadragesimoquarto: quam mox subsecuta est millesimo quadringentesimo quinquagesimotertio Constantinopolitana ruina, sub Friderico tertio, quam iam scripsimus. Quæ omnia negligentia & socordia nostrorum Principum euenerunt, Christo Deo nostra scelera sic puniẽte. Quandoquidem cum mentio fit Turci inter conuiuales Principum sermones, tam pueriliter, tam leuiter de Turcis ut de muscis loquuntur: quum tamen nemo uanè debeat de suo hoste loqui. ita pericula perpessa hactenus à Christianis nihili fiunt. Quòd si hæc omnia uos non mouent, numerate post captam Constantinopolim, abductam plebem ex Hungaria, Bulgaria, Croatia, Germania, & adiacẽtibus regionibus: in quas incursiones Turci nullo non anno cum impetu facientes, homines ut pecora ad seruitutem semper abigunt crudelissimi latrones. Nónne autem illud cordi est recipiendũ, quòd anno uirginei partus millesimo quingentesimo uigesimoprimo, post Cæsaris Maximiliani mortem, Carolo v. imperante, Solomet Turcorum imberbis & imbellis tyrannus, superato Histro, Sauo ac Drauo, fortissimas munitiones Nandaralbam, quod & Belgradum & Taurinum dicitur, tum Sabatz fortissimam arcem, cum uigintiduobus castris, oppidis & uillis, per miliaria penè quadraginta, duobus uix mensibus occupauit: nemine repugnante, nemine patrios lares defensante? Ac mox sequẽti autumno quinq; millia hominum ex Croatia abduxere impij latrones. O miseri Principes, quoad dormitabitis, quoad segnes arma uestra rubigine consumi patiemini? Et tu, ô magne Pontifex Leo, leonis fortissimi naturam quando indues? quando crucem Christi in uexillo erectam, abiecto pontificali fastu, manibus per orbem circumduces, præeunte Carolo Cæsare Augusto ense suo nudo, ut utramq; aquilam simul iungat & connectat? Quando cæteros orbis Reges ac principes gladijs accinges, ut hostẽ Christiani nominis trucident, pedibus conterant, à seruitute captos liberent? Excita, ô Cæsar Carole (uim nominis tui imitatus) sæua Germaniæ arma quibus præes, fortia Anglorũ pectora, quod potes: magnas Francorum uires, cum quibus bella geris: maximos Hispanorũ census, quibus imperas: ut has beluas consumas, & Græcia recuperata, imperialem sedem alteram ascendas, Orientiq; & Occidenti simul imperes. Olim quum iustum gereretur bellum, ciues relictis uxoribus & liberis, suo Imperatori obtemperantes, quę bonos uiros decerent, agebant honestissimè. Nunc uerò mercenarij isti milites, é quorũ numero & lanceati sunt pedites, rem suam lucro metientes, suos duces hostibus uendunt, proditionis precium sexaginta millia nummûm aureorum pro mercede inuerecundè recipiunt: uirtutis loco ducunt, reges & principes fallere. Eò cupidissimi fœneratores rem suam deduxerunt, ut nullus rex bellum aggredi audeat, nisi etiam infantibus stipendia in cunis largiantur. Ob id exteros hostes Turcos aggredi uetitum est principibus, cum domi & in uestibulis lateant hi carnifices, qui non sinunt nos contra crucis hostes arma sumere. Sed quid gratis hæc affero, quæ in triuijs quotidie decantantur? Plura possem in medium afferre, ut uos ô Principes ad arma contra hostes fidei sumenda excitarem: at nulla oratione compta ad persuaden-

dum

dum opus est, sed armis. Plures sunt dictæ elegantissimæ orationes à uiris eruditissimis, Pio, Campano, Philelpho, Callimacho, & alijs quos recensere inutile est, quæ etiam lachrymas quibusdam eduxerunt. Sed ijs non uincuntur hostes, armis opus est: ea affer, ô Cæsar, & Christianæ calamitati succurre cum tuis imperij Christiani principibus. Quòd si certa erga Deum fide principes nostri pugnarent, sine dubio diuinitùs etiam uictoria illis à cœlo daretur, ut olim Constantino Magno, dum Maxentium, dum item Licinium, Christiani nominis hostes, illum ad Miluium pontem, hunc in agro Byzantino armis obtriuit, ut suo loco scripsimus. Sed quum nostri principes mutuò se lacessant, quid aliud quàm bellum est ciuile putandum? Si modò nostra Christiana religio una est respublica, unica ipsius Dei urbs, cuius nos ciues sumus omnes: quid ergo intestino odio pacem quærimus? dum furta, rapinas, raptus mulierum & puerorum sine discrimine ætatis ac honoris committimus? Quasi contra hostes fidei pugnaturi, neque templis, neque aris parcimus: imò sacrilegi, ne mortuis quidē. Sic cacodæmones mentes nostras perstringūt, & oculos uelis obducūt, ut relictis ueris hostib. Turcis, atq; Christiani nominis inimicis, in nos nostrorumq; membra armatas & sanguinolētas cōuertamus manus. Si aūt propositò ueluti scopo, Deo immortali opt. max. omnes actus nostros in illū dirigeremus: nō esset nobis mens tam hebes, tam obnubilata, tam cæca, quin ea uideremus quæ eò nos ducerent, unde salutem, non pœnitentiam sperare liceret. Nam, ut & Græcanico prouerbio dicitur, Factum stultus etiā cognoscit: &, Euentus stultorum dicitur magister atq; misera prudentia. Expergiscimini igitur iam Principes, expergiscimini, ne oues Christi uobis concreditas, lupo deuorandas omneis condonetis: arreptis armis, abijcite somnum. Tempus est. Somnum Epimenidis ac Endymionis septuaginta circiter annos dormiuistis: truculentā beluam prosternite, affligite, percutite, mactate, & acerbissimo supplicio mulctate: ne ardens illa pestis, ac funesta, latius indies serpat, flammarumq; uortices inextinguibiles exuscitet: ne' ue annus uigesimusquartus proximè uenturus, supra mille quingentos, afferat diluuium hominum horrendum ac stupendum, quem homines ob aquarum inundationem pertimescunt: sed potius tranquillitatem, qui iam sæuitiam pestis crudelissimæ, & bellorum rabiem, satis superq; experti sumus. Quod ipse solus potest Deus opt. max. qui Cæsarem cum suis principibus uniri faciat: ut & uni pastori unū reædificetur ac constituatur ouile. Exurge itaque, ô Carole Cæsar, quum post tot regna hæreditaria, tibi Deus opt. max. etiam Romanum addidit imperium. Aequa Constantinum Magnū, qui signo crucis hostes uicit. Imitare Theodosium, qui ardore fidei inimicos Christi prostrauit. Pone ante oculos Heraclium, qui crucis lignū uendicatum humeris detulit. Incede uestigijs Caroli Magni, cognominis tui, qui tot annis pro fide Christi pugnans, insignes reportauit uictorias. Non tibi opus est, qui tot regnis imperas, ut Godefridum de Bulliono imiteris, qui uēdito patrio censu, cum immēso exercitu Asiam expugnauit, sepulchrumq; Christi Christianis restituit. Tot habes regna, tot prouincias, tot regiones, tot populos quibus imperas, ut nihil nisi unione principum Christianorum opus sit. Id quod sæpe auus tuus Maximilianus Cæsar suspirans à Deo precatus est anxiè: & ut sibi liceret uindicare Christianitatis perpessa incommoda, atque post contritos uenenatos illius Othomanni dracones, pestiferam que eius prosapiam, Deo immortali suam reddere animam optauit. Id quum Deus illi abnegarit, eius supplebuices. Pone ante oculos Athenarum urbem, omnium scientiarum inuentricem ac domicilium, oppugnatam: Constantinopolitanum imperium excisum, & ab hostibus Christi possessum: Chalcidis & Euboiæ direptionem, Hydrunti expugnationem. Cogita, & Deum supplex ora, ut olim Tamberlanus è Persia Scytharum Dux Baiaziten Turcum superbissimum deuicit, inclusum cauea, & aureis uinctum cathenis circumduxit: ita ope Dei optimi maximi Iesu Christi,

quem

quem tanto ludíbrio proſequuntur ſpurciſsimi latrones iſti, Solometum Turcorum tyrannum (quem nuper obſtupuiſſe, & ueluti in ecſtaſi poſitum dicunt, cum Nandaralbæ ſanctæ cuiuſdam uirginis corpus inſolẽs uictor poſt captam arcem attrectaſſet: ueluti olim Mahometum II. cum imaginem beatiſsimę uirginis cum S. Ioanne in cœlo aſpexiſſet in obſidione Rhodi) cathenis ferreis, nõ aureis, per Chriſtianitatem circumducas, oſtendasq; te ideo in ſolium locatum Aquiſgrani, ut Chriſti hoſtes ſubigas ac proſternas, ne uirus ſuum latius diſſeminent. Vide ne cum Tartaris fallaciſsimi hoſtes Turci arma iungãt, ac ruptis Chriſtianitatis obicibus, Hungaria atq; Polonia, inundationem in Imperiũ faciant (cum enim mihi dapſiles non ſint diuitiæ, minutulos hos quadrantes, id eſt, hanc admonitionem offero) timens ne plebem noſtram improuidam miſerasq; & imbelles gentes trucidẽt, ut olim ſæuus Attila, qui cum ſuis Hunnis ex Hungaria Franciam & Italiam euaſtauit inſperatò. Id fiet, ſi Chriſti nomine inuocato bellis ciuilibus ſedatis, faſtu ſacerdotali poſito, príncipibus unitis, aciẽ coges, & uexillum Chriſti circumduces, paſtoribus iſtis fœdiſsimis ac bubulcis Aſiaticis, quos multi formidoloſi homines inſuperabiles exiſtimãt, manus conſeras, in nomine eius qui uictoriam largitur ſe timentibus.

Lectori Cuſpinianus.

VEnimus ad exitium Conſtantinopolitani imperij, quod iam ſpurciſsimi, & in omni genere luxus reſoluti ſemimares, ſeptuaginta circiter annis occuparunt: decreuimus eorum reges, quos ſua lingua Amyras uocant, ordine etiam recenſere, ab eorum origine in præſens uſq; ſeculum per annos quingentos circiter. Armenius item Aytonus Turcorum imperium anno M. LI. in Perſia cœpiſſe ſcribit. In Aſia uerò, anno Chriſti M. CCXCIIII. Nos tam ex Græcis quàm Latinis, ueteribus ac neotericis memoranda excerpſimus. Ex Aytono, Zonara, Nicolao Sagundino, Richardo, Ptolemæo Lucenſe, Sciliace, Segonio, Aenea Pio, Othone, Nicolao Chalcondyle, Dandalo, Callimacho, Paulo Andrea qui Chalcidicæ oppugnationi, Coriolano Cepione qui Scordenſi expugnationi, Guilhelmo Coarſino qui Rhodiacæ obſidioni interfuerũt: Nicolao fratre Prædicatorum, qui in Baldaco urbe Saracenorum Arabicam linguam didicit, ut ſectam Mahometis reprehenderet: ac ex Felice Petancio, quo cum mihi inſignis familiaritas fuit, qui ſæpius in Turcia oratorem egit, & eorũ omnia cognita habuit, mihiq; familiariſsimè, cum & ego oratorem Cęſaris Maximiliani apud Vladiſlaum Hungarorum regem agerem, recenſuit. Quæ fide ſincera poſteris citra inuidiam dabo, modò boni conſulat lector, quiſquis hæc leget, ab origine Turcorum initium ſumentes.

DE TVRCORVM ORIGINE.

INueſtiganti mihi accuratè originem Turcorum, & neotericorum ſcripta diſcutere perneceſſarium duxi. Quod dum facio, inter Latinos primus occurrit Pomponius Mela, qui in fine Geographiæ libri, cùm Scythiæ populos, & qui Tanaidem paludẽ ac Riphæos montes incolunt, deſcribit: luxtà (inquit) Thuſſagetæ Turcæq; uaſtas ſyluas occupant, alunturq; uenando. Quod Plinius repetit lib. 6. cap. 7. Thuſſagetæ & Turcæ, à quib. hodie, qui latè in Aſia imperitant, Turci orti quibuſdam iudicantur. Euſtathius Dionyſij poetæ interpres, aliam originẽ eorum cõmemorat: Poſt Scythas (inquit) eos qui mari Cronio uicini, Caſpiũ accolũt, Vnni ſunt, quos Simocatus hiſtoriarum conditor à Perſis uocari Turcos exiſtimat, ad Orientem uernum ſpectantes. Ob id magis probandos cenſet, qui ſcribunt Vnnos ſine th, quàm qui illos populos Thunnos uocant. Ptolemæus inter Sarmatas Aſiaticos ſupra Caſpias portas Tuſcos ponit, qui ijdem uidentur cum Turcis. Neoterici omnes hanc ſecuti opinionẽ, illic prodijſſe Turcos commemorant.

memorant. Antistes ille Frisingensis Otho, diui Leopoldi filius, libro 5. Annalium suorũ, à Caspijs portis egressos Turcos scribit, anno humanæ redemptionis septingentesimo quinquagesimonono, & circiter: ac cum Auaribus populis (qui hodie Hungari dicunt) multis profligatis conflixisse, Pipino apud Francos regnante, patre Caroli Magni. Martinus Segonius Nouomontanus ex quorundam opinione scribit, Turcos ex Caucasijs portis egressos, primùm finitimas gentes, & in ijs Armenios inuasisse. Inde minorem Asiam ab ijs armis occupatam, anno à mundi origine tertio & sexagesimo, super noningentesimum ac quinquies millesimum. Anno uerò Salutis octingentesimo quadragesimo quarto, quum Byzantij imperaret Constantinus v. Leonis III filius, Stephano III. Pontifice maximo. Platina scribit, Turcos meliores sedes postulasse: ac primò Alanos, mox Colchos & Armenios, inde minoris Asię populos, postremò Persas & Saracenos uicisse & oppressisse, anno Christi septingentesimo quinquagesimo quinto. Sunt etiam, ut subiungit, qui hos fuisse Scythas scribant, ex ijs præsertim, quos Alexander Macedonũ rex intra Hyperboreos montes ferreis repagulis clauserit: hac metaphora usi, quòd gentem indomitam in angulum illum tanquam in ergastulum conclusissent.

Inter Græcos authores Scilix, qui historiam Constantinopolitanam edidit, hæc de Turcis scripta reliquit, quæ cum prioribus conueniunt: Turcorum (inquit) genus Vnnicum est, circa Caucasum montem, gens maxima atq; libera. Quum Saraceni latè dominarentur in Asia, atq; inter se dissiderent, Mauginet princeps Persidis & Medię, contra Imbraelem, item Saracenũ Babylonię principem, auxilia Turcorum accersiuit. Illi, duce Mucaleth uictoria potiti, ad imperium Persiæ aspirare cœperunt: præsidiaq; in Araxis ponte constituta à Saracenis, ne Scythæ transirent in Persiam, dum amouere conarentur, prohibiti manu ualida prodromo, duce Strangolipe, contra exercitum Mauginet ueniunt, ac tandem potiuntur totius Persiæ. Stragolix Sultanus efficitur: ruptisq; Caucasi claustris, Turcos alios euocat, uicinisq; bellum suscitat. Babylonem Pissasirio rege superato, in potestatem redigit. Contra Carbassen Arabiæ principem bellũ primùm per Cuelman legatum, deinde per Asan fratris filiũ infeliciter gessit, amissis copijs, ac profligatis. Verùm hi atq; alij huius nationis insurgentes, totam Asiam occupauêre, atq; cum Saracenis de una lege conuenêre: quum prius, uti reliqui Scythæ, idola colerent. Insequentibus deinde temporibus, diuersi ex ijs duces ac principes loca diuersa cæpêre. SOLIMANVS Niceam usq; ad Hellespontum & Tarsum Ciliciæ occupauit: qui in prima expeditione Hierosolymitana expulsus à nostris cum tota familia fuit. DVCATH Damascum, omnemque regionem Decapoleos subegit. ASSVNGVR Alapiam, quam nunc Alepum dicunt, olim Epiphania dicta. ANEXIANVS Antiochiã, cum modicis finibus. Nam usq; Laodiceam Syrię COLIPHA Aegypti è gente Saracenica possidebat regiones. Post annos deinceps circiter octuaginta, regnante apud Hierosolymas ex nostris Almerico, Syracinus Notandini Damasceni principis dux, simulatione ferendi auxilij Caliphę Aegyptio, qui tunc à nostris oppugnabatur, eum obtruncauit, Soldanumq; se primũ Aegypti constituit. Huius Saladinus successor, Hierosolymæ Syriæq; regnum nostris expulsis in potestatem recepit: processuq; temporis, & ipsi Saracenicum nomen ex Turcis, quòd inter Arabes uersarentur, usq; in hodiernum diem accepêre: perpetuaq; postmodum lege sanxêre, ne quis Turcus aut in secta Mahumetana natus, Sultanus esset: sed aut Christianus fidei desertor, aut alterius nationis captiuus ac seruus.

Zonaras, qui Ioannes Monachus dicitur, in Græcis Imperatoribus de origine Turcorum scribens, tradit eos tenuissimis primordijs, & obscuris planè, septingentesimo abhinc anno ex Caspijs montibus natali solo relicto, in Persidẽ & minorem Asiam primũ impetum fecisse, uagosq; latrocinantes magis quàm

bellígerantes prouincias uaſtaſſe: prima ſtipendia Baſilío Macedone ímperan te,ſub Muchumetio Saracenorum príncipe meruíſſe, quorum opera Babylo-níos Indoſq; ille uícerit. Sed peperit íjs uírtus ínuidiã,prohibitiq; ad ſua redire, índignatí primò ſecedunt. Inde uno alteroq; prælio Tangrolípicis Mucalecíj ducís eorum auſpicíjs feliciter aduerſus Saracenos geſto, tandem egregiè uín-cunt,Muchumetíumq; profligatũ acíe obtruncant: ex quo res Turcica ad Tan grolípicem delata.Is alíjs Turcis ad ſe accerſitis, Cucumetíum nepotem aduer ſus Arabas cum paratíſsímís copíjs míſit. Qui prælio ab íjs uíctus, cũ à patruo per ſummum contemptum exceptus eſſet, eius íracundíam ueritus, ab illo de-ficit,& Peſara Choraſmiorum urbe munitíſsíma ſeſe íncludit. Tangrolípix ín-terea prælio genti funeſtiſsímo ín Mediæ finíbus cum Romanís,Aſani alterius nepotis ductu,conflixit.Quo uícto & cæſo, índignatus ílle, Aleímum fratrem íterum ín Romanos míſit.Qui egregíam uíctoríam,capto Liparíte Greçorum duce, & cæſis etíam Iberís Romanorum ſocíjs, retulit. Sed cum Líparitem prí mùm,mox & dona à príncipe míſſa facilè Turcus reddídiſſet,nec præſtarẽt Ro manî quod promíſerant,íngentíbus copíjs accínctus Tangropílix, Aſíam om-nem ad Euxínum mare aut uaſtat, aut ſubígit. Variatum deínde ín gẽte factío-nibus exortís,ad Gallorum uſq; memorabilem íllam expedítionem,qua Franci ab íjs ſæpius magna etíam ímperíj parte mulctatí ſunt, donec Othomannus ue terem gentís gloríam aſſerere eſt auſus.

Pius Senẽſis ín Aſia ſua, & ín líbro quo quæ ſub Friderico tertío geſta ſunt, contínentur, cui títulus eſt Europa,errore eos teneri magno docet,quí Turcos Teucros nomínant,quòd Troíam poſsident,quorum orígo ex Creta cõmemo ratur: cum Turcorum gens barbara ſit,ac Scythica.Citatur ab eo Hetíchus phi loſophus (neſcío quis) qui tradit, Turcos ín Aſiatica Scythia ultra Períchios montes & Taracuntas inſulas cõtra Aquílonís ubera, íd eſt, ad ſeptentrionalẽ oceanũ ſedes patrías habuiſſe: quæ gens ſit truculenta, ígnominioſa, & in cun-ctís ſtuprís ac lupanaribus fornícaría: comedẽs quæ cęteri abomínentur,iumen torum,luporũ & uulturum carnes,uíxq; abortíuis hominũ abſtinet. Diem ſe-ſtum nullum colit,níſi menſe Auguſto Saturnalia.Romanũ ímperium audíuit magis q; ſenſit,quamuis Octauíano Auguſto ín auro líttorío cenſum dederit: & íd quídem ſponte. Nam cum uícinas undiq; regiones annua illi tributa red-dere animaduertíſſet,nouum dierũ ac temporũ exortum eſſe Deũ arbítrata,mu nera illi quotannís míſit. Exín Pontũ Cappadocíamq; tranſgreſſa, ad reliquas fínitímas gentes ſenſím illapſa eſt,more latronũ,clandeſtinis excurſionibus uí-res ſibí uendícans,occupatís montíbus & clauſtrís opportunís,unde facilè ínru ptiones fierí poſſent,uſqueadeò emerſit ac ſublata eſt anímis, ut palàm ſam & parí marte aduerſum fínitímos de agrí poſſeſsione certaret. Denique tempore ſuccedentí,non ſolùm Pontum & Cappadocíam, uerumetiã Galatíam, Bithy-níam,Pamphylíam,Piſidíam,utramq; Phrygíam,Cílices, Cares, & eam Aſíam quæ Mínor uocatur, ad oras uſq; Ionij & líttora Græcí maris occupauerit.

Nícolaus Euboícus Saguntínus, quí ab alíjs Secundínus dícitur,uír græcè ac latinè perítíſsímus: qui Florentíæ ſub Eugenío quarto,ubí Græcorum cauſa concílium agebatur,eruditíſsímè diſputatíones Greçorum ínterpretabatur,ac illuſtre nomen fidí ínterpretis conſequutus eſt : ad Aeneam Syluíũ,Senenſem tum preſulem,líbellum ſcripſit terſíſsímum,de orígine & família Othomanno-rum. In quo diſſerit, Turcorum gentem ab annis ſexcentís, & ſuprà, è Scythís, quí trans Tanaím Aſíam uerſus,nulla ſtabílí ſede,nullís urbíbus, nullís certís ac perpetuís domicílíjs campos patentes,uagè paſsimq; coluêre,orígine traxiſſe, & tanquam ríuulum quendam è fonte índe emanaſſe. Argumentum autem af-fert, quòd primò Pontũ & Cappadocíã tranſgreſsí, ad reliquas índe fínitímas partes ſenſím illapſí ſunt.Accedit uitę morũq; ſímilitudo,habítus,cultus corpo ris,equitãdí ſagittandíq; ratio,& omníno reí militaris cõmunís quędã & patria

díſcípli-

disciplina: & quod sine ulla dubitatione cuiquam probari possit, linguę ipsius ac usus loquendi cognatio. Hi parua manu primò latronum more clandestinis quibusdam excursionibus ac insultibus, uires sibi uendicare conati sunt. Confluenteq; subinde (ut fit) huiuscemodi generis hominum multitudine, occupatis opportunis quibusdam montibus claustrisq;, unde per occasiones facilè irruptiones fieri possent: usqueadeò emerserunt ac sublati sunt animis, ut palàm iam & pari marte aduersum finitimos de agri possessione certare nõ uererẽtur. Denique procedente tempore, siue negligentia Grẹcorum (quorum de re agebatur) siue fatali quadam necessitate, & rerum uarietate humanarum, siue permissu cœlestium aliter iam de huiusmodi imperio præscribentium, ob Christianorum crimina hæc crudelia posteris flagella missa sunt: ac ita celeri succreuẽre cursu, ut opinione omnium citius non modò Pontum & Cappadociam, uerùm etiam Galatiam, Bithyniam, Pamphyliam, Pisidiam, utramq; Phrygiã, Cilices, Cares, & eam Asiam, quæ Minor uocatur, ad oras usque Ioniæ & littora Græci maris occuparint, & in suam potestatem redegerint, uarijs ducibus usi, ut deinceps ostendemus.

Antonius Sabellicus sibi obtigisse narrat, Nicolaum Chalcocondylem grauissimum autorem, qui res Turcorum à prima origine ad nostra tempora usque decem uoluminibus complexus est: arbitraturq;, neminem ueterum scriptorũ demonstrasse, qui olim fuerint, Turci, aut ubi terrarũ egerint: ut ne nomen quidem sit ab ullo uetustiorum literarum monimentis traditum: præter Pomponium, qui inter Scythicas gentes Turcas posuit. Cæterùm siue in uoce mutatio facta sit, siue omnino gens diuersa fuerit, communi omnium consensu hi, quorum opes hodie longè lateq; patent ac pollent, Turci nominantur, non Turcę, ut omnes Græci & Latini autores eos appellant. Verùm de ijs non unus est sermo. Ipsi de se ita prædicant, ut suæ gentis autores ex Caspijs montibus à finitimis pulsi, in Persidem & minorẽ Asiam descenderint. Nec prius cœpisse apud eos regiam familiam, quàm sint ex Scythia profecti, quum antea sine duce, sine legibus uiuerent, uagi dispalatiq;, tantum prædą & rapto uiuentes. Inde, ut sunt humanarum rerum uices, ex cuiusdam Othomanni successu celebrari familiam unam contigisse, ex qua reges creari consueuerint: idq; ita accidisse memorãt, ut tres numero fratres, in ampla & regia fortuna relicti, quum uicissim imperitare cœpissent, siue pudore impediente, siue metu, quia parum tutum esset non cedere ætati, duo minores natu Aleus & Othomannus, regno maiori fratri relicto, ac domo uterq; cum sua manu profecti, hic Cappadociam & Galatiam & Bithyniam occuparit: ille Caramaniam, Lycaoniam, & eas terras quæ Tauro monti adiacent. Et hæc Turci de se memorant, quibus se Scythas esse fatentur.

Chalcocondyles autem, qui plura de Turcorum rebus scripsisse à Sabellico memoratur, quàm Latinorum aut Græcorum quisquam: Multi (inquit) Turcorum linguam & mores secuti, Scythas eos autumant, qui ex Tanaide sint profecti, Parthis latè imperantibus, Persarum terram, Medorum & Assyriorũ inuasere. Postquam uerò in Asiam progressi sunt, fuerunt (ait) qui Parthorum progeniẽ existimarent: Parthi enim & ipsi à Scythis orti. Alij (nomen fortasis secuti) à Turce Persarũ urbe magna & opulenta, eam gentẽ ortam crediderunt.

Dandalus Venetus, scriptor Annalium, historiæ sacræ non ignarus, opinioni proximæ astipulari uidetur. Is quendam Bolzothemum prodidit, Orientis regem potentissimum, cum Romano (id enim nomen illi fuit) Cõstantinopolitano imperatore acrem pugnam depugnasse, Romanumq; post maximã suorum stragem fusum, porroq; fugatũ, Asiam à uictore hoste cum tota Syria subactam. Quibus prouincijs uictor Barbarus quatuor uelut compedes iniecerit: quippe qui Solymanno nepoti suo Turciam obtinendã dederit, inter Persidem & Imperij fines. & de Turcia siue Turce, hæc ille. Cætera loca, quæ prę fidijs sunt ab eo firmata, Damascus, Antiochia, & Alapia.

Non defuerunt præterea, qui Turcos ex Arabia, quicp ex Syria ortos arbi-
trarentur. Verùm quæcunqp illis origo est, ex Scythia utiqp est, & ut quidã adi-
ciunt, ex Europęis Scythis, qui præ cæteris ad Orientem uergunt, sedesqp circa
Tanaim habent. Cuius causa inde profecti sint, non facilè apud autores inueni-
tur. Hoc satis constat, paruam fuisse ab initio manum, ac turbam pastoralem:
quæ alia atqp alia appetendo, in Persas & Medos processerit: adeò interim ob-
scura fama, ut eo bello quod Heraclius princeps in Cosdroem Parthorũ regem
gesit, cum Hierosolymã (quę semper hactenus sub Rom. imperio fuerat) cape
ret, uix sit eorum nomẽ auditum. Inde gentis opibus circa Persidem auctis, Sa-
racenos ad eam desperationẽ deduxêre, ut Mahometi fide ab his recepta, passi
sint eos in Perside regnare: ut nescias, utra gens maiorem fecerit iacturam, qui
tanto regno cesserint, an qui eam sibi pestem inculcari passi sunt regnandi cu-
piditate. Vnius itaqp fidei uinculum ita utramqp gentem copulauit, ut Saraceni
pro Turcis, & contrà Turci pro Saracenis indiscreta appellatione aliquandiu
uocati sint. Nunc Turcorũ nomen adeò inualuit, altero penè abolito. Creuerũt
inde plus nimio gentis opes, innumeris populis alijs post alios subactis, usqp ad
Othomanni tempus, ob Christianorum discordiam. Et hæc de
Turcorum origine satis.

DE MAHOMETE SARACENO-RVM PHYLARCHO ET PSEVDOPROPHETA.

SEd priusquam Othomannorũ familiam, & quot inde ordine pro-
dierint reges, quos uulgus Turcorum Cæsares appellat, ipsi patria
lingua eos Amyras appellant, exequar, operæprecium duxi, Ma-
hometis pseudoprophetæ uitam, qui autor seducendæ plebis ex-
titit, paucis prælibare: ut intelligant omnes, quàm fatua fuerit tam
latè iam patentis insaniæ origo: quàm turpis Christianorum Principum socor-
dia, qui nascentem flammam uel amphora aquæ extinguere poterant. Omnis
enim impietatis hic & superstitionis princeps, hoc humano generi malum ac
seminarium errore inextricabili peperit, Mahometes Cyrenaicus, quem patria
græcè uocat Moniosthenen: licet quidam Arabem, quidam Persam scribant.
Est autem natus anno nostræ salutis quingentesimo nonagesimoseptimo, aut
octauo, & circiter. notæ enim numerorum in Chronicis uariantur, & errorem
inducunt: Mauricio imperante, & Gregorio sedente. Sed ueluti propheta cla-
ruit anno humanæ redemptionis sexingentesimo uigesimotertio, circiter He-
raclij Imperatoris duodecimo, expeditionis Persicæ sexto, cum Cosdroen regẽ
deuicisset. Homo nouus alioqui, humili ac obscuro genere (ut refert Guilelmus
Lateranensis Bibliothecarius) nulla parentum claritudine cognitus, nullis opi-
bus, solus prorsus, & nullarum uirium, nullorumqp neruorum, locoqp sordido.
Dicunt quidam, ei fuisse patrem multorum dæmonum cultorem: matrẽ Ismae-
litam, & ob id Hebraicæ legis nõ ignarã. Vnde & puer distractus ambiguusqp
effectus, dum pater suam, mater alteram illi legem ingerit ac inculcat, neutram
sanè amplectitur. Vtroqp igitur imbutus cultu puer, neutrum adultus recepit.
Quin homo postea callidus, atqp ingenio uafer, inter Christianæ pietatis uiros
diutissimè uersatus, rem pernicioſam humano generi (ut inferius scribemus) ex
duabus legibus est commentus. Is puer parentes amisit utroqp puerilibus an-
nis: captus à Saracenis, qui insignes habentur inter Arabas latrocinijs, Abde-
monapli mercatori Ismaelitici generis uiro claro & pecunioso uenditus est: qui
eum primùm, quoniã carebat liberis, ob formam & ingenium liberalius tracta-
bat. Qua re factum est, ut Abdemonaplis filius passim diceretur Mahometes.
Factus homo uersutus, rapax, impurus, omni scelere obnoxius, simulator et dis-
simulator

ſimulator callidus, mercimoniſs ac negociſs præficiť: camelos agebat per Aegyptum, Syriam, Palæſtinam, perq; alios peregrinos locos. Quibus itineribus iterum atq; iterũ repetitis, uſus ſæpenumero tum ludęorum conſuetudine, tum Chriſtianorũ, non tam diſcere quàm deprauarè ſtuduit & uetus & nouũ ſacrarum Scripturarũ inſtrumẽtum, cum eſſet à parentibus diuerſas edoctus ſectas, ut diximus. Acumẽ enim ingenij ſi animũ facinoroſum occupauerit, peiora omnia faciet. Tum animũ adiecit furaci quęſtui, ac dominũ fallere (quod eſt ſeruorum propriũ) ſtuduit. Ob id cum & domino ſuſpectus & cæteris inuiſus eſſet, ex obſcuro ſeruo prodijt in inſignem latronem. Continuiſq; furtis ac ſpoliis in ſignior factus, indies ſcelerũ participes ſocios plures & innumeros breui temporis curriculo cõparauit. Hæc iuuabant præterea, aſpectus trux, & uox terribilis, corpusq; gladiatorio robore metuendum. Sic itaq; in admiratiõe paulatim barbaræ gentis ueniens, autoritatem ſibi haud mediocrem cõparauit: adeò, ut hero ſuo ſine liberis defuncto, uiduam Iſmaelitici generis Gardigenã quinquagenariam (à qua educatus erat & nutritus) locupletem admodum uxorem ducit, iuuenis potens, pollensq; carmine. nam magicæ uanitati plurimũ erat deditus. Atq; hæc illum ſibi, incantationibus pellecta, maritum delegit. Vxoris opibus elatus homo furcifer, ad immaniſsima quæq; flagitia animũ adiecit, ſuo deprauato ingenio, alioqui ad audaciam omnẽ promptus ac paratus. Auxit autẽ hominis temeritatẽ Sergij monachi flagitioſiſsimi perfidia, ut breui apud Arabas omnes in tantam ueniret exiſtimationẽ (cum nunc ſe Hebręum, nunc Chriſtianũ ſimularet, cum tamẽ nihil omnino ſani ſaperet) ut maximus Dei nũcius, maximusq; propheta paſsim uocaretur & crederetur. Is autem Sergius monachus Neſtorianus hæreſiarcha, qui Acephalorũ hæreſim inſtaurauit, è Cõſtantinopoli eiectus, in Arabiã profugit, domumq; Abdemonaplis Iſmaelitæ, dum uiueret, frequentauit. Demum in Mahometis familiaritatem peruenies, malus magiſter & moderator, turpiſsimo & nefandiſsimo diſcipulo facilè cõiungebatur: malum enim malo additum, ſymbolum facit. Erat hic dicax, multiloquus, audax, temerarius, inſolens, uerſutus: in omnibus planè cum Mahomete cõueniebat. Noluit religioni cui erat addictus, inſeruire (nam nullius dignationis inter ſuos erat, præſentemq; uitę ſtatum pertęſus liberè euagabatur) ſed erupit apoſtata reiecto cucullo è monaſterio, & comparem ſuorũ morum Mahometũ, & qui tamen potens eſſet, & opem ferre poſſet, cuius iam nomen celebre eſſe cœperat, tandem ſcelerum ſentinã homo transfuga reperit. Quem edocuit malus magiſter Neſtorianam inſaniam, Chriſtianosq; ſacerdotes expellere Damaſco, Syria, Arabia paulatim omni perſuaſit: Iudaicam corrumpens legem, Chriſtianam inficiens. Dici uix poteſt, quot uafricijs miſeram plebem perfidiſsimus hic apoſtata ſeduxerit. Luſit noſtra ætate uir Germanus, Græcè, Hebraicè, Romaneq; haud triuialiter eruditus, Iohannes Capnion Phorcenſis, carmine Iambico comœdiam, qua & cum ueteribus poſſet de eruditione cõtendere, cui nomen eſt Sergius: qua monachi iſtius perditiſsimi mores explicantur. Cæterùm Mahometes à præceptore peſsimo flagitia quæque edoctus, quum ex uictus intemperantia, continuaque ebrietate morbum comitialem (quem epilepſiam medici uocant) incideret frequentius, uxore hanc ægritudinem ægrè ferente, quo ſe ea infamia homo ueterator liberaret, Gabrielis nũcij Dei ſplendorem, à quo ſecretiora in ecſtaſi poſitus hauriat, ſeſe ferre minimè poſſe mentitur, morbumque eſſe diſſimulat: Deſine, inquit, mirari, chariſsima uxor, hoc mihi ex Dei ipſius ſpiritu me corripiente prouenit, qui mihi futura ſuggerit, ac commentandi gratia crebrò ad me uenitat. Diuulgatur fama, ac Propheta uulgò acclamatur: quam noua arte, nouóque dolo, ductu præceptoris ſui Sergij auxit. Columbam enim (quam ſpiritum ſanctum callidiſsimus deceptor uocabat) aſſuefecit in aure ſua paſci. Hanc ſibi ſecretiſsima Dei conſilia nunciare iactitabat mendaciſsimus nebulo, quoties ad aures pro nutrimento auis ſimpliex

plex uolabat. Forte hunc dolum à Quinto Sertorio didicit, qui ceruam circumduxit, ut milites falleret, quemadmodum historiæ Romanæ prodiderunt. Defuncta itaque coniuge, & hæres institutus, opibus auctus, authoritate magna quotidie crescebat. Legem igitur nouam condere cum suo magistro Sergio ac socijs quibusdam Iudæis, potissimùm quodam Baheira cœpit, partim ab Hebræis, partim à Christianis quædam mutuando: uolumineq; quodam sectæ illius nouæ leges omnes conscripsit, cui nomen est Alcoranus. Is liber tempore Sigismundi Cæsaris in concilio Constantiensi à Iohanne Hispano Segobiensi summo Theologo, qui ab Amedeo Cardinalatus insignia accepit, in Latinum est uersus idioma, deliramenta' que eius libri uiuis rationibus ab eo sunt explosa. Recordatus autem Theologus, uir non contemnendæ insuper doctrinæ Florentinus, ordinis prædicatorum, omnia erudite refutauit peculiari opere, quod ex Arabica lingua, quam in Asia dum peregrinaretur edidicit, in Latinam uertit: quod quidem commentarium rursus Demetrius Cydonius in Græcam linguam transtulit. De hoc Alcorano paulo inferius plura, cum de religione Turcorum loquemur. Vt autem gentem uentri ac somno deditam, homo subdolus quibus posset uersutijs ac pestiferis cogitatibus falleret, taurum quendam nutriuit, qui consueuit è manibus solius Mahometis pabulum suscipere. Huic intra cornua librum hunc colligauit, & astante plebe misera ac simplici, altiore quadam uoce ex abdito euocauit. Cum igitur iam multa de his legibus diuinis homo loquacissimus declamasset, erupit insperato taurus, multos in iri nere prosternens, uolumen' que illud (quod Alcoranum uocauit) intra cornua ferens, per mediam' que irruens plebem, in manus Mahometis (cui soli pepercit) tanquam nutritoris deponit, ueluti cœlitùs missum munus. Quod nebulo ille summo cum honore accepit, quædamq; ex eo mox populo interpretatus est. Hoc commento se regem, Sergium prophetam fecit. Columba enim literis aureis schedam sic inscriptam attulit in collo suo: Quicunque tauro iugum imponet, rex esto. Sergius igitur iugum afferens, Mahometi detulit, qui tauro imposuit facilè, & mox rex à stulta plebe uocatus, diuino munere hæc facta iudicante, ac uolumen illud assumente. In hoc præcipitur circumcisio ob nullam religionem, neque ob piaculum criminum originalium (quæ nulla arbitratur) sed ob meram superstitionem: uel, ut aliqui dicunt, cum se lauant Turci, ne quid maneat sordis sub præputio. Tum abstinentia carnis præcipuè & uini, quò facilius celaret suspicionem illius morbi, qui se uino obrutum iampridem corripuisset. Vinum enim intemperantius sumptum, meatus cerebri, ne respiratio fiat obturando, gignit fouetq; epilepsiam. Caro item porcina crassos gignit humores, quibus facilè cerebrum oppilatur, & plures hinc morbi nascuntur. Ieiunium etiam præcipit mensis unius continui, quo tamen nocte tota uescilicet, ut diurna abstinentia longa crapula compensetur. Statuit insuper, quò ab Hebræis Christianisq; lex sua dissentiret, Veneris diem sacrum, quòd in hac rex esset factus, & quòd cum nulla alia secta sentiret. Et ex hac pariter causa, soli Turci contra aliarum gentium ritum ad Meridiem conuersi, Deo supplicant. Vxores præterea statuit quatuor de cognatione propria singulis: cõcubinas autem tot & seruas empticias, quot pro facultatibus habere liceret, repudio atque diuortio semper admisso: quo facilius rudem ac imperitum populum ad se traheret. Zelotypi adulteras capite plectunt: mancipijs pro libidine utuntur. Docuit insuper uoluptates corporis futuræ felicitati minimè officere, cum legem suam seruantibus promitteret deliciarum ortum paradisum, quo optatissimis fruituri essent delicijs, & omnis generis uoluptatibus. Puellis uestes ornatas, & angelorum amplexus, cæteris quas quisque expetere posset carnis uoluptates: qua uersutia mollem suapte natura populum quò uoluit traduxit, cum omne genus libidinis ac uoluptatis promitteret. Hebræos incusauit, quòd Christum ex uirgine natum inficiarentur, quando id prophetæ uiri sanctimonia præcipui, &

pui, & ſpiritu afflati diuino prænunciaſſent, expectandumq; ante longè præſagiſſent. Chriſtianos uerò ſtultitiæ coarguebat, quòd Ieſum crederẽt ex uirgine natum, Dei amiciſsimum, opprobria & cruciatum à Iudæis perpeti ſponte uoluiſſe, cum corpus id diuino conceptum flatu, prorſus fieret impaſsibile: cum potius Chriſtus cœlos aſcenderit, Iudas autem loco eius crucifixus ſit. Ridendos ergo Chriſtianos Sarraceni & Turci cenſent, qui conditorium Chriſti religioſius obſeruant, ac uenerabundi adorant. Tres inſuper tantùm prophetas, quos Razales uocant, Turci admittunt: Mahometem ſuum legislatorem, & Moſen quem Iudæi uatem Hebræorum de aquis extractum (unde nomen habet) adſerunt, & Chriſtum quem minimè Deum eſſe putant: licet ueterem legem recipiant, & angelos admittant. Multaq; alia in hoc uolumine Alcorano effinxit pſeudo ille propheta, ut malis legibus gentem ſuam imbueret. Ne tamen aliquis, ſanę mentis quanquam, his poſſet ire obuiam, legem tulit impiam, ſi quis de ea diſputaturus concertaret, cum myſterium tractare nephas eſſet, capitali pœna plecteretur: qua lege prodidit, nihil eſſe ſincerum in toto Alcorano. Nam ultima reſolutio probationis omnium quæ Alcoranus continet, eſt gladius. Sic cum Sergio fallaciſsimas ſcripturas Mahometes compoſuerat eleganti quadam concinnatione, & ſub rhythmo carmineq; quo blãditijs ad ſe traheret, dictamine ſuaui allectos, & ueras ſcripturas adulterina interpretatione corrupit: licet Euangelicam hiſtoriam (quam alioqui laudabat) ab Apoſtolorum diſciplinis corruptam, ſuo Alcorano ſe emendaturum promitteret. Vetus Teſtamentum laudauit, etſi quibuſdam in locis mendas habere aſſereret. Vnde & in ſacris literis figuratur à Ioanne in Apocalypſi, beſtia eſſe duo cornua gerens: ut latius capite decimotertio ibidem ſcriptores explicant. Chriſtum tamen uirum ſanctum quidem fuiſſe, & omni uirtute præditum ſupra omne humanitatis faſtigium prædicabat. Et ex uirginis utero genitum, nunc uerbum, nunc ſpiritum, nunc Dei animam uocauit. Cum Sabellianis tamen Trinitatem negauit. Cum Manichæis binarium in diuinis numerũ poſuit. Cum Eunomio æqualitatem patris & filij inficiabatur. Cum Macedonio Spiritum ſanctũ creaturam dixit. Cum Nicolaitis multitudinem uxorum probauit. Et ut propheta conſeruator haberetur utriuſque teſtamenti, blanditus Chriſtianis, cum ſe à Sergio baptizari curaret, crebras que lotiones ſuis indiceret, pro delictorum expiatione: Iudæis uerò, cum circumciſionem & abſtinentiam carnis porcinæ inſtitueret, cum tamen ab utroque manifeſtè deficeret. Nam circumciſio quę octaua fieri die præcipitur, in adultam protenditur ætatem. Baptiſmus autem quum iterari non debeat, quum ſpirituales immundicias tollat, quotidie ab eis repetitur. Quum ergo utriuſque teſtamenti ſe apoſtolum aſſereret, utriuſque fuit corruptor: ubique enim inſeruit corporis uoluptates. Sic peſsima res luxurioſa habuit incrementa, quum in ferenda lege incredibilem illecebram, & omnis uoluptatis uolutabra ſuis concederet: quum alioqui omnes ſimus naturà procliuiores ad luxum. Hæc peſtis ad poſteros, qui uſque hodie in humanis degunt, longè latè que ſerpſit. Fertur autem opera uſum Iohannis Antiocheni cuiuſdam hæretici, & Aſtronomi cuiuſdam, quos unà adhibuit cum Sergio, cum hæc commiſceretur figmenta. Et cum Saracenorum animos hac ſuperſtitione armatus, cum infinita Arabum multitudine ſibi deuinxiſſet, iam non latrocinijs, ſed aperto matre aduerſus Romanum imperium arma cepit. Frater enim Ptolemæus Lucenſis ſcribit, Heraclium ob tyrannidem, qua cunctis Arabibus & Saracenis dominabatur, uectigaliaq; indebita, tributa intoleranda impoſuerat, populum feciſse rebellem: & tunc Mahometem occaſionem adeptum plebem ſeducendi, & ſecta ſua per ſuperſtitioſa inficiendi. Nam cum ex eius ſectatoribus non mediocris numerus in Romanis legionibus militaret, quo tempore Heraclius Imperator ſtipendia partiretur, munera q; in milites diſtribuerẽtur, Saracenis ſtipendium petentib. reſpõſum eſt à

quæstore, cui id negocium fuerat iniunctum. Vix est quod Græco & Romano militi detur, & hæc canum turba tam impudenter efflagitat stipendium, quasi diceret, eam distributionem canibus minimè fore constitutam. Nam Saraceni quasi Carchaceni, apud Arabes quoque infames eo tempore habebantur: quos Græci etiam opprobrij causa Agarenos, tanquam ab Agare Habraæ ancilla oriundos cognominabant: cum uetus opinio Saracenos à Sara Habraæ legitima uxore ortos putet, qui primum in Arabia Petrea (cui Aegyptus & Iudæa inserta est) sedes habuêre suas. Quam etiam ansam Mahometes amplexus, facillimè persuasit genti uanissimæ, solos eos omnium mortalium legitimos esse diuinæ promissionis successores, & hac fraude in sectam suam ascripsit. Sed ut redeam ad historiam, Saraceni eo responso, quo canes uocati sunt, ira accensi, irritatique, illicò in Arabiam ad Mahometem redeunt, ac Syriam uago rumore replent, facilè & illum & reliquos Saracenos ad defectionem & bellum concitant. Scenitæ enim Arabes per ea tempora Romanę militię assueti, ob negata ab Heraclio stipendia rebelles animos induerant. Qui facto statim in Syria impetu, non tam suis uiribus quàm nostrorum freti negligentia, Damascum petunt infestis signis, atque occupant, eamque diripiunt primùm, ac insigne templum Mahometi tanquam Deo dedicatum consecrant, diuinosque illi honores faciunt, ac nepharium illius cultum cum legibus accipiunt. Aucto dehinc exercitu Aegyptum ingressi, facilè sunt ea terra potiti, uicinorum Arabum commeatu & auxilijs adiuti. Exarsit deinceps incendium latius: quia uictoria redditus elatior, & successibus ferocior, uidens nihil à Romanorum Imperatore in ultionem illatæ contumeliæ aduersus se parari: ita dormientibus Christianis, bellum mouet aduersus finitimos Persas, à quibus sibi maximè metuebat. Regnabat per id tempus in Persis Cosrhoes, qui etiam ipse (ut insaniebat animo) diuinos sibi honores præstari uoluerat. Is conductis Turcis, qui tributarij & tanquam serui Scytharum intra Caucasi claustra asperrimasque cautes incolebant, Saracenis occurrit. Concurritur undique, initur pugna ingenti & animo & apparatu: uulnerantur utriusque gentis multi, capiuntur, occiduntur. Superatus tandem ingenti clade Mahometes, in fugam uertitur, deformi uulnere in faciem excepto, à Turcis ijs, à quorum posteritate nunc maximè colitur ac adoratur. Nam hi paulo pòst dissolutiore uiuendi licentia pellecti, sese nefariæ eius sectę socios addiderunt: quanquā semper exosos habuissent prius Saracenos: tum ut se Mahometicæ ascisceren̄t superstitioni, hoc fuit in causa. Iam uniuersa Africa parebat Saracenis, & magna ex parte Asia, cum Turci non multo supra millesimum annum à natali Christiano cœperunt aperto marte uehementius eos urgere. Nā ubi eos diutius in Asia eminere indigna rentur, regē creant nomine Sabochum: qui de occupanda Asia continuè cogitans, quo id facilius assequeretur, se Mahometis cultorem simulat: idque nō tam Dei quàm hominū metu, quos sibi cupiebat conciliare. Itaque contestatus est illi Calipho, quē illi ueluti Pont. max. uenerabantur, se de cōstituta Mahometi religione nihil omnino mutaturū, cæterùm nolle erubescendū Saracenorū nomē in Asia excellere. Quare breui cuncti illi Saraceni qui Arabes sunt, à Turcis eijciuntur ex Asia. Redacti ij sanè ad pristina latrocinia, quib. in hanc etiam diem maximè omniū studen̄t, dissipati atque dispersi, non per locos solùm asperrimos Aegypto, Syriæ ac Palestinæ finitimos, sed per omnē Africæ solitudinē. Pulsis profligatisque Saracenis, res Turcorum per Virogrissam, qui post Sabochi obitum regnū excepit, non mediocre cœperunt incrementū. Is enim tum reliquū Asiæ quodcunque Saracenis seruierat, subegit, tum permultas præclaras urbes, quæ Romano parebant imperio, ui expugnauit, Bithyniamque cedit. Succedit Virogrissæ Archottus propinquus, qui primus subiugarat in Mesopotamia urbem amplissimam Rhobam. Deinde Seleucia ac Laodicea urbibus captis, & reliqua prouincia in deditionē accepta, regni sedē Mendi constituit, ac regium diadema

diadema induit, estq; Sultanus salutatus. Dehinc confestim, uel Turcorum dilí ligentia, uel Christianorum negligentia, Græcis ex Asia eiectis ad Hellespontum usq; omnia subiugarunt, in Europam trajícientes, ut inferius scribemus: sic Saraceni subacti. Persæ autem, ut reuertamur ad priorem historiam, cum Mahometem in fugam uertíssent, nullis hortationibus minís ue flecti potuêre, ut legem recíperent, quam tum summus (ut ipsi aiebant) propheta ferret. Vnde Arabes Mahometi impulsu Persas bello petierunt. Habuerunt Persæ post Cosdroen regem Syrochim, cuius regnum ne annum quidem impleuit. Syrochis Adhiseri filio regnum per manus tradidit: quo breui extincto, Persæ Harmisdã sibi regem creauêre: hoc in pugna amisso, Persę acie uicti, facilè subacti sunt. Atum Mahometi lege accepta, nõ solùm imperium, sed nomẽ etiam amisêre: Saraceni iam inde pro Persis appellati, & Turci contrà pro Saracenis, indiscreta appellatione aliquandiu uocati. Post acceptas enim & illatas clades, cum de pace tractaretur, etiam de nomine conuentum est. Quoniam æquiore animo Saraceni in Asia regnare Turcos passi sunt, cum Turci qui in Perside habitarent, Saraceni appellarent, anno salutis 6032. ex quo gẽs ipsa regnare cœperat rerũq; potita est in Asia, trecentesimo atq; undetrigesimo. Nunc Turcorum nomen inualuit altero abolito, ob innumeras eius gẽtis opes & infinitos populos subactos. Mahometes itaq; iam pluribus bellis gestis, alijs secundis, aduersis alijs, postquam annos in suis erroribus ac sceleribus uixisset 40. ueneno perijt à domesticis dato in Arabia, per Gardigenæ uxoris cognatos, & suum quendã consobrinum, quo tempore ab eorum insidijs redijsset, qui cum mercatorum cameIis è Syria iter faciebãt. Moriens autem prædixit se iturum in cœlum: quod diu expectãtes, tandem tetro coacti odore, ferrea arca, quam sibi uiuus pro monumento extrui iussit, sepelierunt: cum homines magnete lapide in tholo templi extructo fallere cogitasset, ut uidelicet eius simulachrum è ferro pendere in aere uideretur. Quod & Ptolemæus Arsinoæ sorori, ut ei templũ extrueret concameratum de magnete, ingeniosus Dinocrates architectus Alexandrię iusserat, teste Plinio: sed mors negocium intercepit. Regnauit aũt Mahometes annis tantùm sex: scribuntq; nonnulli, tantùm annis uixisse quatuor & triginta, alij septem & triginta, cum natus anno Christi 595. fertur, perierit uerò 32. post sexcentesimũ: cum alijs (ut suprà scripsimus) dicatur natus 597. & mortuus 637. uel circiter. Numerorum notæ multos gignunt huiusmodi errores. Sepulchrũ autem eius in Mecha Persidis urbe locatum ferrea arca inuisitur à Turcis, ut à nostris Hierosolyma ob Christi Dei optimi maximi monumentum. Totus Oriens hoc colit ac ueneratur. Licet autem in Alchorano uita Mahometis ponatur, infinitis tamen mendacijs scatet: quia ut Moysi ac Christo præferret, ipsum extollere nitebatur, qui hoc opus cõposuit, quod quasi collectũ interpretatur: de quo etiam inferius plura. Mahometo autẽ Caliphas successit: cui ob nimiam superstitionem imperium est abrogatum, atque eius loco alter eodem dux nomine creatus. Dicũt alij Mahometo successisse Calipham, dehinc Achali, tum Itali: quem ut nimis superstitiosum occidentes, Calypham alium sibi ducem creauêre. Plures itaq; principes eius gentis, partito inter se exercitu, alibi alij regnarunt, uarijs etiam nominibus appellati: Calyphi uidelicet, Amorrhei, Ammyrati, Meramedini, Sultani, quæ est apud eos summa potestas. Homar enim tertius à Mahomete post Persas subiugatos, Hierosolymam, omnemq; Syriam cepit: anno circiter sexcentesimo septuagesimo, Constantino Quarto imperante. Deinde Aegyptum inuasêre, constituto apud eam Calypha: quem Syracinus Turcorum dux interfecit, cum Turcorum uires tum quaqua uersus prævalerent, Almerici regis Hierosolymorum tempore, Sultanus que appellatus est. cui Saladinus successit. Desideranda tamen hac in parte Chronica Mahometis: extant quidem, sed ad me hactenus non peruenêre. Sic perfidissimũ Mahometis seminarium lõgè lateq; pullulauit, & ad Othomannorum usq;

familiam

familiam ac succesſionem temporibus ſuccedentibus propagatum eſt, ſubiugatis ſemper finitimis gentibus. De qua ſucceſsione nunc dicemus, ut ordine rem promiſſam exequamur.

DE ORIGINE OTHOMANNORVM, ET FAMILIÆ SVCCESSIONE, A' QVO DEINceps Turcorum reges omnes Othomanni dicti ſunt.

OTHOMANNVS, qui primus in ea gente hoc nomen tulit, uir acer, à Gallatiæ loco, in quo natus eſt, Othomānus dictus fuit. Nam anno circiter 1250. quatuor è Perſide familiæ, cum totidem ducibus ac exercitibus, latè per Aſiam, perq; Europā uagati ſunt, Aſſembecci, Candelori, Caramanni, Othomanni. Candelori Sinopem, regionemq; circa Pontum ceperunt. Caramanni Ciliciam: quorum ultimus Habraamus auxilium contra Othomānos à Pio pontifice per oratores petijt. Vtraq; familia à Mahometo Othomanno Cæſare Turcorum pulſa, ad opes Aſambecci confugit: cum Caramannus inter Mahometem & Soldanum Aegypti dominū medius, multa bella cum utroq; geſsiſſet, locorum difficultatibus & Ciliciæ gentis uirtute confiſus, odio Mahometi Chriſtianorū amicus, multa paſſus. Cum uerò minoris Armeniæ & Cappadociæ terras poſsideret, ſæpe quadraginta millia armatorum coegit: Aſambeccus Vſuncaſan appellatus ex illa familia, nuper anno milleſimo quadringēteſimo ſeptuageſimo ſecundo, in Perſide regnabat potētiſsimus, apud Tauros ciuitatem ab eis uocatam, regiam conſtituerat, ac Othomannis plures ademit urbes. Cum Venetis ex ea cauſa fœdus iniijt, ſeptingenta millia hominum coegit, in caſtris ſylueſtres equos uenari ſolitus, quibus nonnunquam ueſcebātur milites. Pruſiæ ac Nataliæ regiones depopulatus, Cappadoces, Armenos, Meſopotamios, finitimosq; populos omnes ſubegit. Habuit hic Aſſembeccus uxorem Imperatoris Trapezuntij filiam, Chriſtianam: licet nomē uxoris apud Turcos non magni ſit momenti, cum liceat tot habere, quot cuiq; libeat. Expugnauit & hic Sarochum nepotem magni Tamerlani, qui apud mare Caſpium Samorcantem urbem proximam Amazonibus tenebat: Hienſelem regem Babyloniæ cum toto exercitu ſuperauit: Aegypti Sultanum ob formidinē ad fœdus ineundum compulit. Sed poſt eius mortem filijs non par felicitas ſucceſſit: nam multa illis Othomanni, multa alij de imperio ſuſtulerunt. Othomanni igitur quarta familia prænominata, eodem tempore Othomanno duce in Aſiam primùm minorem irrupêre, & paulatim deinceps cæteras omnes familias abſorpſêre. Ex iam longius enim repetitis hiſtorijs inclareſcit, circa annum ſexcenteſimum, Bonifacio Quinto ſedente, & Heraclio imperante, legem Mahometicam incepiſſe: floruiſſe autem ſub Leone Quarto, à quo Leonina urbs dicta, ac Lothario Imperatore, anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo octauo: quum immenſa multitudine Saraceni Hieroſolymam oppugnarent: dehinc mare traiecto, direpta Anchona, uexatoque Dalmatico ſinu, cum ingenti claſſe diripiendæ urbis cauſa, Neapolitanos & circumiacentes oræ maritimæ agros, totamq; penè Italiam popularentur, multa funditùs deſtruerent, Siciliam'que deuaſtarent redeuntes: nam Leonis pontificis exercitus circa Hoſtiam uictor euaſit. Deinceps uerò anno humanæ ſalutis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, quatuor prædictas prodijſſe familias ſcribatur, Aſsembeccorum, Candelorum, Caramannorum, ac Othomannorum. Inueni autem (ne illud quoque præteream imprudens) opuſculum cuiuſdam fratris ex Hungariæ oppido Schebeſch, quod lingua Germanica Mulenbach cognominatur, qui poſt obitum Sigiſmundi Imperatoris, Amurathe Turcarum rege Hungariam irrumpente, captus puer ſedecim annorum, & uiginti annis ac duobus in Turcia ſeruiens, omnem'que eorum edi-

ſcens

scens ritum ac morem uiuendi, liber factus, monachum egit, ac de ritibus eorũ opusculum à se scriptum reliquit. In quo narrat, sectam Mahometis & Saracenorum anno salutis 600. inchoatam, sub Heraclio Imperatore, circa octingentesimum floruisse sub Ludouico Imperatore, Leone IIII in tantũ, ut capta Hierosolyma uenerint Romam, Siciliam atq; Italiam uastantes. Tum circiter annũ Christi 1280. Soldanum Magnum à Meridie egressum, contra Orientem, omnes regiones ad mare usq; occupasse, terramq; spaciosam in septem partes diuisam, septem suis ducibus, quos secum attulerat, distribuisse: quarum uocabula usq; hodie durare scribit, quæ ab inhabitatoribus sic sunt nuncupata: Othmaneli, Ermeneteli, Germenteli, Garchaneli, Andingeli, Mentescheli, Karamaneli. Quoniam primus dux lingua patria Othmanbeg, secundus Ermenbeg, tertius Germenbeg, quartus Garchanbeg, quintus Andinbeg, sextus Mentesse-beg, septimus Karamanbeg appellatus est. Primus autem Othmanbeg paulatim omnes sustulit atq; deuicit, ac regionibus expulit, easq; possedit. Diu tamẽ resistebat illi Caramanbeg, cum quo sæpius congressus, semper re infecta domum rediit: ut Turci prouerbio quodam dicerent, Karamanbeg futurum perpetuum: cum tandem tota à Mahometo Amyrathis filio (ut infrà narrabitur) familia periit Karamannorum. Et Othmanbeg posteris suis nomen dereliquit, ut uocarentur omnes Othmanagli, id est, filij Othman. Nos Latinè Othomanos eos dicimus.

OTHOMANNVS PRIMVS TVRCORVM REX.

OTHOMANNVS igitur Orthogrulai filius, ut scribit Calchõdyles, ex humili fortuna ac tenuis census, obscuri inter priuatos nominis & agrarijs parentibus, ob uirtutem rei militaris, magnum sibi nomen inter Turcos peperit. Nam uir impiger, & bellorum appetens, calliditate singulari, cõflataq; per seditionem multitudine, ex collecticio ac gregario milite Turcica arma circumferre cœpit, & seipsum atq; suam familiam gestarum rerum gloria illustrare. Nam ingenti primùm manu per seditionem conflata grassari cœpit, & passim quæcunque posset uastare, prædabundus deinceps cunctos inuadere. Neque Christianos solũ prosternere atq; uexare elaborauit, uerùm etiã homines ipsos suæ gẽtis sine ullo discrimine armis petere, & si qua daretur occasio, populari & sibi subdere occepit, omnib. æquè infestus. Iam enim Turcorũ duces & principes, quos nominauimus, dominãdi cupiditate, & plura habẽdi libidine cõmoti, sese inuicẽ infestare cœperunt: & eò usq; superãdi studio ac uires hostiliter exercẽdi prouecti sunt, ut bellũ domesticũ intestinumq; omnibus uiribus gerere uiderentur. Hanc Othomãnus ille nactus occasionẽ, quæ moribus utiq; & libidini suæ congrueret, ac idoneam uideret sibi ei rei gerendæ suppeditari materiam, adscitis undiq; omnib. qui pro ingenio prædæ rapinarũq; percupidi essent, quiq; ue studio quosuis opprimendi spoliandiq; flagrarent, autoritatem breui adeptus est: oppida quædam per opportunitatem aggressus, alia ui cepit, alia deditione subegit, nonnulla ut metum incuteret diripuit atq; euertit, ut hinc futuri incrementi non admodum aspernanda solerter iecisse uideretur fundamenta. Præstitit his conatibus prosperum euẽtum Christianorũ discordia, qua Othomannus occasione usus, Bithyniam & omnes circa Pontũ prouincias decem annorum spacio suæ fecit ditionis. Cum autem decem annis regnasset, filio suo Orchani, paternæ uirtutis æmulo, imperium reliquit. A'castello Galatiæ, quod à Prusia Trapezuntem uersus sex dierum itinere distabat, à se capto sic dictus Othomannus: licet alij id eius natale solum scribant extitisse. Claruit hic anno humanæ reparationis 1300. Bonifacio VIII sedẽte, Alberto I imperante, circa exitum Michaelis Palæologi, & Andronici nepotis initia.

Sunt

Sunt qui scribant, octo & uiginti annos rerum potitum, quibus Bithyniam & adiacentia Euxino oppida non pauca suo imperio adiecerit, imperium Turcicum hinc auspicatus.

ORCHANES OTHOMANNVS, SECVNDVS TVRCORVM REX.

ORCHANES Othomanni filius, paternæ uirtutis æmulus, ambitione & audacia patri haud absimilis, rei militaris disciplina longè peritior, copijs apparatuq; opulentior & instructior: bellum paternum per manus acceptum strenuè est executus, supra nidum paternum Thermodoontẽ & Bithyniam transgressus, caput extulit. Circa Pontum enim & Bithyniam plus nimio gẽtis imperium propagare cœpit. Nam liberalitate animi, facilitate morum, dexteritateq; quadam ingenij & felicitatis, tum bene probeq; imperandi opinione, ingentem sibi undiq; multitudinem comparauit. Quorum animos semel ad se prosequendum allectos atq; conciliatos, populari deinceps facilitate & comitate quadam, perpetuaq; consuetudine atq; largitionibus, mirum in modum in officio retinebat. Quo factum est, ut rem inchoatam à patre, suapte ipse industria, diligentia, studio, cura, prudentia, commodè prosequutus, auxerit, & longè prouexerit ac propagarit. Nam mira felicitate domuit Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, regnumq; in Hellespontum usq; & Euxini littora protendit. Fecit hoc Græcorum Cantacuzeni & Palæologorum dissidium, ut Othomannica res cresceret, & Prusiam Græcis adimeret. Et dum Cantacu-
311 zeno magis quàm Palęologis fauet, primus ab eo in Europã accersitus traiecit. Caramanum etiam, perfidia in illum usus, cuius filiam in uxorẽ duxerat, interfecto eius filio adolescente, non exigua principatus parte exuit. Post uigesimum secundum imperij annum, priusquam uiuendi finem faceret, filium post se reliquit Amuratem, cum latè imperium paternum propagasset. Sed contra Tartaros infeliciter pugnans, cum multis copijs suæ gentis occubuit.

AMVRATHES OTHOMANNVS MAIOR, TERTIVS TVRCORVM REX.

AMVRATHES Orchanis filius, patrẽ in imperio subsequutus est. Vir sanè robore animi, laborũ tolerantia, disciplina rei militaris, industria & ambitione maioribus suis, patre, auo & abauo haud inferior: quippe qui simulãdi dissimulandiq; egregius esset artifex, & fallendi magister insignis. Ea fortè tempestate de Constantinopolitano imperio ingens inter Græcos exorta disceptatio ac dissensio, intestinas excitabat discordias atq; cædes. Duo nanq; fuere Imperatores, diuersis autoribus procreati: uterq; tamẽ ea stirpe se natum asserebat, ut ad se eius imperij spectare, & sibi cõpetere affirmaret. Horum utrunq; cæteri pro suo quisq; studio & amore sequuti, pertinaciter inter se dimicabant. Tum alter Caiacusinus patricius, uir qui se uinci superariq; uerebatur, cupiditati & studio suo nimis temerè obsequutus est. Adeò enim ulciscendi libidine cæcus, in præceps transuersusq; uisus est agitari, ut honestè ne & ex re sua an secus id faceret, minimè cogitauerit. Amurathem ipsum ad partes suas tutandas precio (pacta Callipoli) facilè illectũ, ex Asia accersiuit. Neq; enim magni fuit negocij ei persuadere, qui sponte ad hoc iam diu inhiaret, totoq; propenderet pectore. Hunc itaq; & copias eius maturè in Thraciam per Hellespontum traduxit, ea conditione, ut consummato confectoq; bello, nauigio rursus domum per Hellespontum remitteretur. Hoc pacto Turcorũ gens, Amurathe principe, Græcorum ductu & opera, in Thraciam ex Asia cum armis

mis traiecit. Verùm cum Amurathes ipse nõ quid promiserit, sed quid sibi posset cõducere, animo uolueret, sagaciterq; longè prospiceret, cõsultò bellũ protrahere, & indies causando differre, præstinareq; cœpit: ratus hinc fore, ut Grę corũ uiríb. diuturnitate belli, & discordiarũ atrocitate utrinq; consumptis eneruatísq;, ipse integer fractos iam & defessos illos adortus, facilè superaret atque opprimeret. Vbi igitur diuturno bello, mutuisq; contentionibus deficere Grę cos & infirmari animaduertit, domesticisq; opibus exhaustus nutare, & sibi parum subsistere sensit, gentili æstu arma in eos sine ullo discrimine per occasionẽ conuertit. Sic Europæis opibus illectus, dum ulciscí imperij hostes simulat, usus Genuensium nauibus, Hellespõtum ad Abydum superat. Occupato enim Callipolí oppído, peropportunè in Cherroneso ad Hellespontí fretum sito, cætera Græca oppída infestis armis petebat, agros uastabat, prædam agebat, cuncta passim inuadebat, anno humanæ salutis 1363. Nec iam amplius dissimulanter rem agebat, sed palàm sibi & posteris suis Gręcorũ pollicebatur imperium: & ad id occupandum omnes cogitationes, consilia, opes ac neruos intendebat. Hinc effectum est, ut nullis fermè obsistere audentib. facilè & sine magno negocio magnã Thraciæ partẽ ditioni suæ subiecerit: mox & Mysiam adortus, armis subegit. Pari inde successũ Bessos & Triballos domuit: loca infra Rhodopen & Orbelũ incolentes, intercepit. Seruiã Bulgariamq; ingressus, cũ Hadrianopolim prius occupasset, occurrentes sibi cum paratissimis copijs hostes ingenti cęde profligat. Ac postremò superiorem Mysiam ingressus, cum Lazaro Seruiæ Despota in Cassouijs campis acie congressus, sub inguine confossus, occubuit à seruo Lazari in domini uindictam. Nec Europæis incruenta uictoria fuit, Lazaro cum multis uiris fortibus cadente. Is itaq; uita defunctus, duos reliquit filios ad capessendam rerum administrationem, patriæq; expeditionis exequendas reliquias, tum ætate, tum disciplina & ingenio peridoneos: quorũ alteri Solimannus, alteri Basaites nomen erat. Solimannus in Asia latè imperabat, cum Boemundus, Gotefridus, Balduinus, & alij Gallici Germaniq; nominis duces, Hierosolymam petebant: cum quibus gessit prælia, ut auerteret à cõsilio. Sed Aytonus Armenius prodidit hunc Asphasalem appellatum, fuisseq; Asphasalis regis Persarum nepotem: missumq; magno cum exercitu ad Cappadociam occupandam, huiusq; ductu Turcos (quos ille Turquimanos uocat) multa ex Græcorũ imperio loca occupasse. Quo successu Asphasales Sultanus sit postea factus, ipseq; pro Asphasale Salamansa dici uoluit: nostrí Solymannũ scribunt, qui Gotefrido & alijs Christianis ducibus Hierosolymam petẽtibus, sese opposuisse credit. Et hęc Armenius ille. Cæterùm Solymannus hic noster cum Basaite fratre ex Asia in Europã transgressus, hostiliter conflixit. Quo extincto, totius rei summa ad Basaitem deuoluta est. Fuit autem Amurathes hic in Caramannum auum maternum non minus infestus, quàm pater. Sed quum annos 23. imperium tenuisset, occiditur, ut scripsimus, à seruo.

BASAITES OTHOMANNVS, AMVRATHIS FILIVS, QVARTVS TVRCORVM REX.

BASAITES, siue quod idem est Paiazetes, Amurathis filius, & Solmanni frater, post defunctos patrem ac germanum, quem per insidias occidit, in imperio successit: utpote ad quem res uniuersa iure hæreditario deducta est. Vir erat ingenio peracrí, rerũ maximarũ percupidus, in rebus arduis capessẽdis audax, in administrandis solers, in laboríb. perferendis infatigabilis, in occasionib. prospiciendis acutus & sagax, in exequendis celer ac perseuerans: animo fortis, corpore strenuus, belli appetẽs, quietis impatiens, gloriæ auidus, in periculis obeundis promptus atq; impauidus, in hostibus fallendis uersutus, & uafer in dolis struendis, & hoste insidijs opprimendo percallidus:

contrà uerò in hisce præsagiendis euitandisq́, ac hostium consilijs præuertendis, cautus atq́ prouidus. In omni re nouãda, prę̃sentia animi, laborum tolerantia, usu, exercitatione, consilio mirificè instructus, atq́ Imperio natus. Hoc ingenio, hac disciplina, hoc usu, his moribus, prosperos præterea fortunæ afflatus adeptus, usq́ adeò nouelli regni fines breui temporis spacio produxit & extulit, ut circa Thraciam diu multumq́ uersatus, penè uniuersum (excepta Constantinopoli ac Pera) bello affligeret. Deinde in reliquam Græciam manus iniecit: Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Bœotiam, Atticam occupauit, & sui iuris fecit. Mysios quoq́, qui hodie Seruij: Illyrios, id est Bosnẽses, Triballos, qui Bulgari communi uocabulo dicuntur, assiduis excursionibus, oppugnationibus, prælijs deiecit & infirmauit: patrisq́ mortem sic ulturus, Marcum Craieni cum Bulgarorum principem prælio superatum interfecit, & alios quidem subegit, alijs tributa quotannis exhibenda indixit: nonnullos ut ad præscriptum arma & milites darent coegit. Et tot, tantasq́ ac tam opulentas prouincias patrio & auito regno adiecit Bosniam, Croatiam, ulteriores q́ Illyrici partes uastauit. Byzantium deniq́ urbem regiam adeò omni agro suburbanisq́ delicijs spoliauit, tã longa & perdifficili obsidione uexauit atq́ excruciauit, ut iam Imperator ipse cum omnibus fermè ciuitatis principibus auxilia fidelium mendicaturus, profectus peregrè, in Italiam & usq́ in superiorem Galliam accesserit. Reliqui uerò ciues omni præsidio destituti, fame ualida supra modum urgẽte, & bello atrocissimo, indies acrius hostibus undiq́ frementibus, desperata salute de deditione agere cœperint: perijssentq́ nimirum, ac in hostis fæuissimi potestatem uenissent (octo enim annos Cõstantinopolim obsederat, & obsessam facilè expugnasset) nisi Hungarorum Gallorumq́ aduentum formidãs, illis ad Nicopolim occurrisset, memorabiliq́ prælio nostros superasset, cæsis captisq́ magna ex parte Gallorum ducib. Ioanne scilicet Burgundię duce, & Sigismundo tumultuaria pugna fuso, ut superius scripsimus. Sed iterum ad Constantinopolitanam regrediens obsidionẽ, spei plenus, eam biennio denuò obsessam occupasset, nisi Tamerlanes ille Scytharũ præpotens rex, instar torrentis ipso incursu ac impetu cuncta prosternendo ac uastãdo, Baiaseten ipsum omni apparatu & copijs occurrere & reluctari conãtem, in Asiam reuocasset: ubi ad Stellam montem in Galatiæ Bithyniæq́ confinio instructa acie, collatis signis celeberrima illa pugna utrinq́ fortiter dimicatum est. At Baiasetes ipse impar profectò uiribus, etsi animus non deerat, infeliciter prælio commisso, ingenti strage superatur, tandem uiuus captus, & in cauea cathenis aureis uinctus ac circũductus, tandem dimissus, cæsis prius in bello ducentis Turcorum millibus, inglorius in Asia paulo pòst diem obijt. Incidit hæc clades Turcis in annum 1397 salutis nostræ, Bonifacio IX Pont. Rom. & Venceslao Rom. rege. Sed operæ precium iudico, quis ille fuit Scytharũ dux, paucis delibare. TAMBERLANVS cognomento Massegetha Tomyris fuit, humili loco inter Scythas siue Tartaros, seu ex Turcorũ genere (cuius sectæ erat) genitus, primò bubulcus, dehinc miles gregarius, uirtute sua paulatim effecit, ut ordinem primò, mox exercitũ ductaret. Eoq́ potentię euectus cùm solertia, tum corporis uiribus, bellandiq́ agilitate, ut magno fortunæ ludibrio multarum sit gentium imperio potitus, Terror gentium appellatus. In cuius exercitu duodecies centena millia hominum fuisse traduntur, Xerxe ac Dario maior, quorũ copijs siccata flumina uetere res scripserunt. Primùm enim in Parthis eum regnasse scribunt, mox Scythas ab eo subactos: Hyberos, Albanos, Persas, Medos, Mesopotamiam dehinc uasit. Dehinc Armeniam subiugauit, armisq́ subegit. Traiecto demũ Euphrate cum sexcentis millibus peditum, ac millibus quadringentis equitum, Asiam minorem latè domuit. Cum quibus etiam Baiaseten Cyricis patrem, & Mahometi Imperatoris proauum, paulo minore exercitu fines tuentem, in Galatiæ ac Bithyniæ confinio ad Stellam montem, uel, ut alij, in Armeniæ minoris confinibus

confinibus prælio uicit, ac cæsis ducentis Turcorum millib. uiuum in potestatem suam redegit. Dehinc more ferarum, aureis uinctum catenis in cauea, omnibus suis expeditionibus præse egit ac circumduxit: pro scabelloq; quoties equum conscendit, eo usus, & quasi canem sub mensa comedere iussit. Admirãdum rerum humanarum spectaculum, & fortunę regię ludibrium. De ludibrio fortunæ nostra ætate quidam doctus Poeta scribens, inseruit hanc quoq; historiam carmini suo, cum caneret:

Ad noua deuenio nostris uicina diebus
Tempora: Turcorum princeps Mahometicus Ildris,
Arma ferens contra Scythicam Mauortia gentem,
Incidit in casses, caueisq; inclusus ahenis
Admiranda dedit populis spectacula. Parthi,
Armenij, Medi, Assyrij, quacunq; mouebant
Victores sua castra Scythæ, uidere tyrannum
Squalentem in clatris, atq; in pedore sepultum.
Nec minus infelix natus fuit, utq; parenti
In regno, sic in rebus succesit acerbis:
Pharsaliæ cum se uictorem crederet, eius
Insidijs gentis deceptus & arte Pelasga,
Præda fuit missis ad regia colla catenis.

Hunc postliminio nunquam reuersum scribunt autores. Tum domitum est armis Scythicis quicquid terrarũ est à Tanai ad Nilum: Smyrnas, Antiochiam, Sebastin, Tripolin, multasq; ualidissimas urbes ui expugnauit. Vicit inde prælio Tamburlanus Memphiticum regem, quem Sultanum uocant, uictumq; ultra Pelusium intra Nili fluenta compulit. Damascum cepit: in cuius arce oppugnanda, alteram ex aduerso arcem militari opere erexit, multa tamen suorum cæde. Cepit & Caphata Genuensium olim coloniam, quæ in Taurica Cherroneso sita est, non procul à Bosphoro Cymerico. Quã urbem cum inuadere statuisset, Scythas negociatores præmisit, qui pretiosissimas animalium pelles minoris uenũdarent solito, sciens aurum abscondi posse, pelles minimè. Vrbe potitus, & aurum & pelles reperit, ac diripuit. Castra eius in urbis modum fuerãt ordinata, definito cuiq; artificio loco proprio, in partes suas distributis exercitijs, ut omnia uitæ usuiq; necessaria in promptu essent: rerumq; omnium tanta semper copia in his inueniebatur, ut nullus esset latrocinijs locus, tutoq; omnia afferri possent. Nihil enim unquam seuerius quàm latrocinia uindicauit: ut si ipse unus esset, qui latrocinari impunè posset. Cęterùm ut maiorẽ hostibus terrorem metumq; incuteret, triplici tentorio, si quam urbem oppugnare adortus esset, in exercitu uti consueuit: sic ut in unoquoq; dispar color, animi mutationem, prius non uiso stratagemate, intelligeretur. Primo enim die candido utebatur tabernaculo: quo significabat, nulla in re (si modò se dederent) iniuriam se aliquam illaturum: sed pacem, salutem ac ueniam, quam candor arguebat, cõcessurum. Sequenti die purpureo usus colore in tentorio, monstrabat cædem & sanguinem procerum in primis, & qui se patresfamiliâs agebant: quòd alteram diem expectassent. Quòd si res ad triduũ protrahebatur, atro colore in castris, excidium urbis, & omnibus miserabilem ruinam præmonstrabat. Tanta erat hominis sæuitia, ut cum in obsidione cuiusdam urbis populosæ, cum prima die deditionem neglexisset, agmen puerorum ac puellarum oleas in manibus gestantium, candida ueste egressum obuiam tyranno ueniam supplex deprecaretur, in illud immisso equitatu, crudeliter est eius iussu conculcatum, fœdeq; obtritum. Genuensis quidam, qui eius familiaritate annis iam pluribus longa consuetudine utebatur, cum rogaret, cur in supplices non mitior esset, cum facilius quæ uellet, si non tanta uteretur crudelitate, impetrare posset: turbato truciq; oculorum aspectu, furorem uultu distorto præ se ferente, respon-

dit: Quid tu me hominem esse putas, & non Dei iram potius, ac orbis uastitatẽ ac calamitatem? Proinde ocius te hinc aufer, ni tu quoq; periclitari cupias, & interrogationis tuæ pœnas dare. Abijt Genuensis, nec amplius in conspectu Tamburlani uisus est. Et profectò talis fuit, qualem se prędicabat. Qui tota ferè Asia domita, deletisq; regionibus ac tyrānis, pluribus uastatis prouincijs, cum uictore exercitu prædaq; onusto ad suos reuersus, urbem condidit ingentem, cui Marchantij (ut aiunt) nomen est, quam omnigenûm captiuorum multitudi ne refersit, captarumq; urbium spolijs exornauit. Regnum moriens duobus filijs reliquit. Horum discordia amplissimi regni opes tanta arte cõquisitæ, dissipatæ sunt, imperiumq; Parthorum rursus extinctũ est. Dicitur ergo successisse Tamberlano Assenbeccus Hasuncason cognominatus, unus de quatuor famulijs è Scythia egressis, ut prius patuit: qui si nactus fuisset idoneum suarum rerum gestarum scriptorem, utiq; inter clarissimos duces ac Imperatores numeraretur. Sed redeundum est ad Turcorum Imperatorem Baiasetem: qui ad regnum suum minimè reuersus, nihil memoria dignum gessit, sed inglorius in Asia perijt, pluribus relictis filijs. Qui post hanc acceptam cladem, euestigiò fugientes per Thraciam, in naues Græcorum, à quibus tum fretum & transitus custodiebantur, inciderunt, & à Græcis capti sunt. Emissi tandem, uaria usi fortuna, uarioq; itinere, ad regnum paternum consurrexerunt. Fuerunt autẽ præcipui Baiasetis filij, Calapinus, Moyses, Mahometus, & Mustapha.

CALAPINVS QVINTVS TVRCORVM REX, ORCHANES EIVS FILIVS, MOYSES uerò frater, mutuò sibi in imperio succedentes.

CALAPINVS, quem alij Celapinum, seu Celepinum uocãt, Baiasetis filius & maximus natu, emissus à Græcis patrium regnũ obtinuit. Aduersus quem, rebus iam Turcorum cassatis & penè fractis, Sigismundus tum Hungarorum rex, pòst Romanorum Imperator (ut Nicolaus Sagundinus scribit, quem Senensis Aeneas sequitur) ingenti cõflato exercitu, Danubium traiecit. Verùm priusquam uniuersis copijs instructa ex ordine acie signis collatis cum hoste iam pauitante prælium iniretur, leuitate petulantiaq; Gallorũ, & præripiendæ pugnæ insolenti cupiditate irruentium (nam non tam uirtute hostium, quàm sua discordia & clade oppressi sunt) tumultuosè fusus, castra & impedimenta reliquit: & hostibus acriter insequentibus in fugam conuersus, uix per Danubium, lacrymanda rei Christianæ calamitate, paruo nauigio turpem sibi adinuenit salutem: ut in Sigismundo superius annotauimus. Scribunt autores annalium Hungaricorum, id non sub Calapino, sed eius patre Baiasethe factum: ut temporum supputatio, quam Sabellicus in sua decima Enneade affert, & hanc cladem sub Amurathe filio Mahometi factam scribit, penitus sit nulla. Nondum enim Sigismundus Imperatorem agebat, cum in Turcos bellũ id primum gesserat, qui & bis cum Turcis conflixit: sed regem Hungarorum. eratq; annus regni Hungarici decimus, salutis uerò humanę nonagesimus sextus, supra millesimum trecentesimum: cum Baiasithes Turcorum Imperator Mysios ac Illyricos, ut paulo antè scripsimus, qui sub ditione regis Hungariæ sunt, infestis armis inuaderet. Ob id Sigismundus oratores Basaithæ regi Turcorum mittit, qui Turcum ab hac iniuria cauenda adhortentur, ne sibi alienum non absque iniuria uindicet regnum. Callidus ac uafer Turcus rem differt, oratoresq; regis protrahit, donec Mysiorum terra tota potiatur tyrannus. tum demum oratores Sigismundi ad se uocat. Erat domus illa clypeis, pharetris, gladijs, frameis, ensibus, incuruis lanceis, ac diuersorum armorum generibus uarijs undique in parietibus adornata. Ingressis oratoribus, Turcus dixit: Dicite regi uestro, & mihi satis esse uirium, & hoc ius sufficiens

ciens ad terras, quas suas esse putat, manu arma hæc parietibus affixa ostentãs. Quo dicto, ubi domum reuersi sunt oratores, Sigismundus ira accensus, in ultionem ingentem parauit exercitũ ex uniuersa penè Germania. Affuit & Gallorum numerosus exercitus, & Iohannes dux Burgundiæ (non Philippus, ut Sabellicus falsò decipitur) copias adduxit nõ spernendas: qui captus, & Adrianopolim ductus, multo auro libertatem redemit. Cum ergo tam grandem ductaret rex Sigismundus exercitum, traiecto Danubio, quod plerisq; uisum est imprudenter factũ, dixisse fertur (ut erat facetissimus princeps) Quid metuendus est nobis hostis effœminatus ac mollis? pondus cœli si rueret, lanceis ac hastis quæ nobis in hoc sunt exercitu innumerabiles, facilè sustentaretur. Cum itaq; Rasciæ & Bulgariæ oppida, ac munitiones Turcorum diripuissent & expugnassent, è manibusq; hostium iterum sustulissent, castris erumpebãt crebrò Turci, regiumq; exercitum prouocabant. Tandem cum Turcorũ Imperator in sua dominia (ut ipse dicebat) exercitum uenisse intellexerat, fortissimo apparatu aciem instituit, sub castro maioris Nicopolis. Franci uenientis hostis fama pellecti, à rege Sigismundo primitias belli petunt, primumq; congressum: hoc item & aliæ gentes. Interim dum cõsultatur, Franci præripiunt pugnam, priusquam uniuersæ copiæ in aciem ordinatæ collatis signis prodirent. Franci itaq; dimissis suis equis cataphractatis, pedites in turmas hostium irruerũt. Horũ equi cũ castra regia transuerso cursu peterent, cæteri hunc morem pugnandi ignorantes, ad unum omnes arbitrabantur Francos cæsos, tergaq; uertunt. Oritur ingens in castris tumultus, relinquuntur impedimenta, derelinquuntur stationes militum, ac in fugam uertuntur. Editur magna utrinque strages, multi cæsi, multi capti. Feruntur tum Christianorum uiginti millia, Turcorum sexaginta millia trucidata. Et nisi rex subsidio nauis euasisset, iam de regno Hungariæ actum erat. Delatus igitur naui per Danubiũ, Constantinopolim uenit: inde ad Rhodum, tum ad Dalmatiæ & Croatiæ regna, cum fugæ comitibus Iohanne Archiepiscopo Strigonienſi, ac Stephano fratre eiusdem, mẽses penè octo & decem ibi commoratus, priusquam regnum intraret. Rumore interea incerto ferebatur, Stephanum Vaiuodam oratores Baiasethi Turco, ut filiam Ladislao uxorem traderet, misisse, contra Sigismundum regem: ob id agmina Turcorũ tum primùm Hungariã intrasse, castraq; intra Sauum atq; Drauum flumina locasse: qui Turcorum ingressus calamitosus in plerisq; Siruię ciuitatibus hodie adhuc cernitur. Itaq; prior clades grandem notam ac tetram ignominiam Christiano nomini intulit, uiresq; magnas ac robur ingens hostibus addidit: quo instauratis animis audaciores efferatioresq; effecti, ad maiora patranda induxerunt animum. Est deinceps rex Sigismundus, cum in Hungaria regnasset annos tres & uiginti, in Imperatorem Romanum electus: atq; ut priorem aboleret ignominiam, rursus est cum Turcis congressus sub castro Galambog, in rupe Danubij sito, Calapino Imperatore Turcorum tunc magnas copias agente. Vbi iterum, etsi eius copiæ ante Turcorum Cæsaris aduentum superiores essent, eo tamen præsente exercitus Cæsaris Sigismundi profligatus est infeliciter: denuò ipse Danubium transijt, ut hostilem euaderet manum. Et cum in concilio Constantiensi ageret, tertiò eius exercitus, ducibus Iohanne de Gara, & Iohanne de Marothbauis, prælio succubuit: duces capti, sed tandem liberati. Vnde sitibundi lupi sæpe prædas cogitãtes, irruperunt in Hungariam, cladesq; finitimis intulerunt & in Bosna & in cæteris regionibus. Vnde inter autores de his conflictibus error factus est, cum Sigismundus & sub Baiasethe, & Calapino, & Mahometo, ut infrà patebit, sæpe bella (licet infeliciter) gesit. Cæterùm Calapino post hæc mortuo, Orchanes filius successit, tenella ætate adolescentulus, Thraciæ regibus fauentib. sed irritus fuit noui regni conatus. Nam Moyses patruus pueri pupilli, & alter prædicti Baiasethis filius, quem tutorẽ pater nominauit, defunctus, occultè Græcis iuuantibus, cupiditate arrepti imperij, infestis armis

ad Ebrum fluuium, magis proditione quàm pugna oppressum adolescẽtulum extinxit, ac de medio sustulit: Gazaro est loco nomen. Nec admodum diu fuit Moyses in humanis: quia haud multo pòst & ipse nullo superstite filio moriẽs, Mahometi fratri regnum per manus tradidit. Cæterùm alij aliter rem Turcorũ tradunt. Baiaziten (uel ut ipsi scribunt, Pazaiten) cum à Tamborlane captus circumductus esset, duos reliquisse filios mares, Orchanem scilicet, quem alij Calapinum, & Mahometem, quem multi Moysen magno errore dicunt. Orchane autem intra biennium per insidias à fratre interfecto, Mahometem rem Turcorum solum occupasse, de quo nunc scribemus.

MAHOMETVS PRIMVS, SEXTVS TVRCORVM REX.

PRiusquam de Mahometo Turcorũ (ut uulgus loquitur) Cęsare scribam, illud prius præmittendum est, cur hunc in ordine Sextum ponam, cum alij Quintum hunc uocitent: ut Annales Hungarici, qui Amurathem primum Turcorum regẽ ponunt, quòd primus Thraciam inuaserit: Baiasethen eius filium Secundum, Calapinum Tertium: Orchanem filium Calapini, quem patruus interfecerit, Quartũ: & hunc Mahumetem Quintum. Alij omisso Calapino (quem in numerum regum non referunt) Mahometem hunc superiorem quintum collocant. Felix Petancius Segniensis cancellarius, post Baiasethum à Tamburlano captum, quatuor Imperatores successisse scribit, qui de gente Othomanna nõ fuerint, licet celeberrima bella gesserint. Nam Celeb multorum populorum uictor, partem quoq; imperij Trapezontis subiugauit: Soleyman, cui Tamburlanus tributum rependit: Orchan secundus, qui multas urbes Asiæ & Ponti expugnauit: Muse aũt cum Orchanum dolo interemisset, magnam partem Asię in suam ditionem redegit. Post Musen, culmen imperij ad gentem Othomannam redijsse refert, nam hunc Mahometum ex ea gente fuisse inquit. Qui potitus imperio, Saracenos, Gordianos, Persas, Cappadoces, uarijs prælijs fudit, nomenq; Turcorum ita celebre reddidit, ut Europæ gẽtes illud reformidarent. Nos alium ordinem
312 secuti (quanquam non multum diuersum) à primo Othomanno (ut patuit) posuimus Sextum. Mahometus itaq; Baiasethi quoq; filius, defunctis fratrib. regnum incruentè adeptus, ipsum tum armis & diligentia, tum dolo & astu terra mariq; non modò incolume tenuit, uerùm etiam adauxit uehementer. Flaccijs ferociss imis, quos nunc Valachos dicimus, & bellicosissimis nationibus trans Danubium, mare uersus Euxinum latè dominantib. bello prius & crebris excursionib. labefactatis atq; attritis, tributa grauia imperauit. Hic igitur primus Danubium traiecit, multasq; ciuitates tributarias fecit, Macedoniamq; bello domuit, promouitq; Turcorum signa ad Ionium usque pelagus. In Asia uerò nonnullos regulos Turcos ui armisq; oppressos, regnis penitùs spoliauit. Contra Lydos & Cilices multa præclarè gesit. Cum quandã Mœsiæ partem (quã hodie Superiorem Bosnam appellamus) suæ ditionis fecisset, placuit illi nouũ in terra hac regem designare. Constituit igitur hominem nouum, humili loco genitum, Isaac regem Bosnensem: qui successu elatus, finitimas regiones populabatur, prædas agebat, ac spolijs se suosq; locupletauerat. Et quia Sigismũdus Hungariæ & Bohemiæ rex ac Imperator tum aberat, quidã strenuus miles Nicolaus filius Petri de Macedonia, reguli istius insolẽtiam non passus, cum prædabundus omnibus insultaret, etsi uiribus impar esset, expectata occasione, cũ regem uideret egredi, in hũc mox animũ atq; oculos intendens, præcipiti cursu equo deiecit, ac in terram prosiliens ense iugulum confodit: regius exercitus in fugam uersus, militi huic palmam & multa uexilla atq; militaria impedimenta, quæ regi suo Sigismundo attulit, dereliquit. Pari audacia paulo pòst cum

Turcis

Turcis idem miles congressus, quanquam multo inferior esset, miro stratagemate hostes fefellit. Nam media nocte, quum per exploratores certior factus, Turcos in castris dormire compertum haberet, tympana multa equabus, quas uagabundas in campo cæperat, adalligauit, adiunctis suis militibus qui fistulis canerẽt. Et ne se mutuò sui uulnerarent, tesserã belli dedit duobus uerbis uoce materna: quorum alterum Turci intelligebant, alterum ignorabant. Cum igitur sub noctis obscuritate tumultus esset exortus, & in prælium prouocati Turci strepitum audirent, partimq; tesseram belli intelligerent, ex ingenti clamore magnum adesse coniectantes exercitum, in fugam soluti sunt. Clade edita, uictoria penes Hungaros fuit. Mortuo autem Mahometo, qui Hadrianopoli recepta, post afflictos Bulgaros & Valachos prædis & cladibus, regiã ibi sedem statuit. cumq; septẽ & decẽ annos imperasset, Amurathus eius filius successit.

AMVRATHVS IVNIOR SECVNDVS,

VVLGO MORATBEG DICTVS, SEPTIMVS

Turcorum Imperator.

AMurathum scribit Franciscus Philelphus, Cyricis fuisse filium, qui ab Hungaris & Valachis Philippo Scholare nobili Florentino duce pro Sigismundo rege prelio superatus, ac pugna nauali à fortissimo præfecto Petro Lauretano Veneto apud Callipolim classe munitissima cum magna Turcorum cæde spoliatus est. Ab alijs tamen fertur Amurathus filius Mahometi: nisi alio quoque nomine sic fuerit cognominatus. Hic patre defuncto in paternum regnum successit. Quum enim pater moreretur, in Asia degebat. Audita itaque patris morte, cum per Hellespontum in Thraciam traijcere conaretur, reliquum regnum occupaturus, Imperator Græcorum triremibus & maritimo apparatu diu prohibuit, ac iter intercluſit. Vbi autẽ eò penetrasse intellexit, Mustapham reliquum Baiasetis filiũ, Amurathi patruum, & regno paterno spoliatum, ut rerum potiretur, emisit, & summa ope prosequutus est: quia suis rebus Græci fauebant. Mustapha igitur celeriter exercitum contrahit. Amurathus autem Genuensium opera in Thraciam delatus, cum Mustapha, qui Europæ res ad se trahebat, hostiliter cõflixit. Est pugna illa ab Amuratho feliciter depugnata, Mustapha in prelio occubuit: quo cadẽte, regnum uniuersum illi cesit. Amurathus itaq; victor regnum consecutus, patrijs fretus opibus, fortunaq; propitia usus, quæcunque incepta eius mirificè secundante, clara facinora edidit. Incidit regni huius exordium in millesimum quadringentesimum decimumq; humanę salutis annum. Compos paterni regni effectus haud quieuit, sed Græcis infensus ob eam quæ Mustapha no bello aduersus se egerant, eorum fines hostiliter populatur. Primus Turcorum cum exercitu in Europam traiecit. Prouincias Græciæ finitimas adortus, agros incursat, urbes ui captas diripit. Quo metu perculsæ quædam nobilissimæ Græcorum ciuitates, ultrò in fidem Turcorum cessere. Thracia dein armis peragrata, Thessalonicam illustrem Græciæ ciuitatem, antiquitate, amplitudine, auctoritate, pulchritudine, amœnitate, religione, opibus, opportunitate situs tum terra tum mari, celebritate populi, præstantia dignitateq; ciuiũ in primis insignem, in ora Macedonię sitam, quæ tum à Venetis tenebatur (nam Andronicus Hemanuelis filius eam ijs dedit possidendam) ui captam expugnatamq;, penitus diripuit. Templa pulcherrima & ditissima expilauit, sacra profanauit, opes ornamentaq; perantiqua exhausit. Quo rerum successu adhuc ferocior factus, per Tomarum & Pindum mõtes in eandem terrã trãsgreditur cum ualido exercitu, perpetuóque uictoriæ cursu Phocidem cum Attica regione, Bœotiam, Aetoliam, Acarnaniam, & omnes citra Peloponnesum gentes, usque ad Corinthiacum sinum, suo subiecit imperio. Gubernabat Epirum

tum Iohannes Castriotus, cui omne Epiroticum nomen parebat. Vt ergo uim bellicam omnem amoueret, tres filios, cum Croia Illyriorũ oppido haud ignobili, obsides dedit Amuratho, Constantinum, Reposium, & Georgium, quem Turci Scanderbechum dixêre: quod lingua patria significat Alexandrum dominum, siue Magnum. Fuit enim puer hic nouem annorũ cum daretur obses: sed indole & uirtute creuit heroica, & robore corporis incõparabili. Quapropter Amurathes eum in suam sectam asciuit, Schenderbechq; uocauit. Stanisam enim maximum natu paucis antè annis cum pleriſque adolescentibus Castriotus Amuratho miserat, cum Isachbegi ductu Epirum popularetur. Obid pòst Epirum ac Aetoliam in deditionẽ suam redegit, Illyricorum oppida multa ui expugnauit, quædam in deditionem compulit, quædam funditùs euertit, agrosq; deuastauit. Sigismũdo Imperatori Georgius Despotus Seruiæ, quam communi uocabulo & Rasciam uocamus (hunc enim tractum uersus Macedoniæ montes Dardani olim tenebant, ut ueteres scribunt) seruiebat quàm liberaliter: quandoquidem curia Imperatoris multis semper repleta fuit principibus. Vt igitur Imperatoris emereretur fauorem, in obsidis loco sinceræ fidelitatis Nandoralbensem arcem prope confluenta Danubij & Saui sitam, ueteribus Taurinum ac Belgradum, recentioribus Alba Bulgarica appellata, Cæsari dono dedit: multis alijs in compensam receptis oppidis uicissim à liberalissimo Cæsare, ut impetus Turcorum hic facilè posset frangi, quum agrũ Hungaricum populari intenderent. Concessit tum Amurathus Turcus in Mysiam, nec precibus nec præmiorum pollicitatione ulla à Georgio Despota prius flecti potuit, ut secum pacem fœdusq; iungeret, quàm ex eo filiæ nuptias extorsit cum ingenti dote. nam more gentis plurimas uxores habuit. Verùm non diu pòst paucis interiectis annis, neque pax illa, neq; affinitas obstitit, quo minus iterum aduersus eum grauem ductaret exercitum, per occasionem intesti-
313 ni belli, Hungariam facilè ab se occupari posse ratus. Georgius impar genero, furentem potentiam ferre hostis truculentissimi non potuit, quum igni ferroq; terra ferax & opulenta uastaretur: urbes & oppida partim ui, partim metu caperentur, dederenturq;, inclinare fortunam animaduertens, cum uxore & liberis omniq; familia ac gentis suæ sacerdotibus in Hungariam profugit: uno relicto Gregorio filio: qui cum præsidio Synderouiam tueretur Seruiæ regiã, soli omnium Nouomontani & Samandrini memorabili fide & uirtute, hostium uictoriam diu remorati sunt: quadriennio assidentẽ hostem pertulêre, tanta rerum omnium inopia, ut super uetitos obscœnosq; cibos reperti sint, qui fame adacti, suas ipsi corroserint manus. Postremò inedia uicti, cum Gregorio principis filio ultrò in hostium potestatem uenêre. Sic Synderouia expugnata cum centum armatorum millibus. Scopia ac Nouomontum Mysiorum, quos Seruios etiam dicimus, oppida post longam obsidionem capta, Despoti filius oculis ac pudendis priuatus. Albertus tum Austriæ Dux, rex Hungariæ atq; Cæsar Romanus, timens ne regnum Hungariæ obrueret dirus hostis, ingentẽ habuit congregatum exercitum, ut Turco resisteret. Sed fato nescio quo malo exercitus profluuio uentris laborare incipiens, pleroſque coegit castra deserere. Et Albertus ipse Budam urbẽ ualetudinarius repetens, eodem uentris profluuio paulo pòst est mortuus, ut superius scripsimus. Sed quum mors Alberti Turcum fugeret, oratores mittit ad Poloniæ regem, militem & pecuniam pollicitus contra Albertum. Nam pars Boemiæ Vladislaum Casimiri fratrẽ regem Boemiæ postulauerat, post mortem etiam Alberti in regnum Hungariæ uocatus. Ob id cum gratias oratoribus Turcorum egisset, iam maiorem occasionem ineundi fœderis oblatam, si suis finibus contentus esse uellet, respondit, si cordi ea res foret, Cæsari suo denunciarent. Vladislaus interim rex Poloniæ à quibusdam regnicolis Hungariæ accersitus, in Hungariam uenit, à Despoto per oratores rogatus, ut extorri, indigo, principatu ac patria eiecto, alienaq; uiuẽte misericor-

misericordia, ad fortunam pristinam recuperandam auxilio esset. Quod promi sit rex, optimam spem Despotæ pollicitus. Interea Turcus per occasionem inte stini belli Hungariam facilè ab se occupari ratus (nam pars procerum Vladis- lao Polonorum regi, pars Ladislao Alberti posthumo adhæserant, mutuis'que inter se flagrabant odijs regnicolę) oppugnare adoritur Belgradum oppidum, prope Danubium & Sauum (ubi commiscentur hæc flumina) situm: obsidio- neq; id cingit, & machinis militaribus turrium instar è ligno extructis, ac cuni- culis subterraneis effossis, prorsus in suam ditionem trahere sibi persuadet. Sed arcis præfectus Iohannes Vranas suo ualido præsidio inanes r eddidit omnes eius conatus, cuniculos puluere incendiario, pice, oleo ac sulphure replens, om nesq; immissos milites cum iumentis interficiens. Dehinc rudere & gleba mu- ros ui tormentorum deiectos resarciens. Postremò cum incautius Turci oppu gnationem adorirentur, ab oppidanis ita sunt missilibus ac faculis obruti, ut sep- tem millia Turcorum in hac obsidione, quæ septimum etiam attigit mensem, sint desiderata. Ea clade perculsus Turcus, obsidionem soluit. Nam grassante e- tiam fame, tumultum & seditionem in exercitu suo uerebatur. Belgrado igitur relicto, Turcus abijt. Cum autem Ioannes Huniades pater Matthiæ regis pòst Hungarorum, iam per arma clarus undiq; haberetur, utpote in quo singularis appareret ad res bellicas indoles, Vladislaus rex Transyluaniæ ducem declara- uit, quem Vuaiuodam uocãt, Banumq; creauit Seuerienſem, ac Comitẽ The- mesienſem. Eaq; illi potissimùm oppida, quæ Turcis obiecta erant, commisit: & tantum copiarum, quantum res tunc sinebat, assignauit, ut nõ solum sua de- fendere, sed per occasionem etiam fines hostium transcendere posset: quod & postea fecit, & Turcis magnum sæpe terrorem incussit: adeò diuinitùs uir hic uidebatur delectus, qui rem Christianã prolapsuram sustineret. Nam cum exer citu Seruiã ingressus, pluribus cladibus Turcos affecit, eorumq; duces bis acie strauit. Isaac enim, qui Sinederouiam & adiacentes regni Rasciani arces dono Cæsaris Turcorum possidebat, cum uicos uillasq; Belgrado (quod Iohannes Huniades tum tenebat) circumiacentes exureret, animoq; elatus popularetur, ab Huniade fusus fugatusq; est, opimaq; spolia in prædam Hungaris reduxit, multosq; captiuos secum abegit, haud parua cum gloria. Alter uerò Mesetbe- gus Turcorum regulus, uir sæuus, animoq; tumidus, rerum tamen bellicarum haud ignarus, coacto ingenti exercitu trans alpes clàm erupit in Transyluaniã, omnia ferro igniq; deuastabat, prędam magnam & hominum & pecudum abi gebat, priusquam Ioannes Huniades cogere posset uel mediocres copias: imò quum longè impar esset, campo cedere, & hosti locum sæuiendi dare coactus est. Quum itaque occiso quodam antistite, & abacta præda tumidus per Tran- syluaniam ferretur Turcus, Huniades undiq; tumultuarium militem colligens, edidicit per exploratores Mesetbeghi & copias exercitus, & pugnandi consi- lia: mutato habitu, impetum in Turcos fecit, occidit strauitq; exercitum, ac in fugam conuertit. Præfectum uerò Mesetbeghi cum filio interfecit, prędã prius abactam recuperauit, captos liberauit: & cum fugiẽtes persequeretur, alpes pe netrãs, Moldauiã prius per Turcos ablatã recuperauit, regnoq; adiecit, multaq; cum laude ac spolijs maximis onustus uir fortiss. redijt. Omnes præterea occul tos tramites, quibus Turci erumpere soliti erant, ita clausit, ut omnẽ eis depræ- dandi occasionem adimeret. Hoc cum Imperator Amurathus animo secum ta- citus uolueret, toties suorũ actas strages indignatus, & quòd Moldauia erepta esset, Bassam, qui secundum post se locũ occupat, uirum strenuũ & bellicosum ad se uocat, eumq; cum octoginta millibus delectorũ militum transalpinas ter- ras inuadere iubet, ut illatã ulciscatur cladem, & Transyluaniam omnẽ popule- tur. Irruit igit per alpes Bassa, & absq; pietate obuia quæq; neci dat, ac in misе- ram seruitutẽ impellit. Huniades, etsi uirib. numeroq; militũ lõgè impar foret, militari manu stipatus, stragem suorũ uidere impatiẽs, uincere aut mori statuit.

Coadunatis

Coadunatis igitur copijs ac ſuis præſidijs, hoſtẽ aggreditur intrepidus. Fit prę-
lium ingẽs, maxima utrinq; editur ſtrages, cadunt utraq; ex parte multi. Sed cũ
feruentius magis magisq; inſtaret Huniades, Turci fugam arripiunt. Subſecuti
Hungari, campi omnem planiciem cadaueribus ita implẽt Turcorum obſidio-
ne, ut breui pòſt aer infectus hominibus negaret illic habitationẽ. Fuſis tot mil-
lium hoſtibus, abactaq; ingenti præda, precioſiſsimis rebus ac ampliſsimo the-
ſauro ditatus Huniades, cunctis cœpit eſſe admirationi: ex rebus uerò ſtrenuè
geſtis, hoſti ſtupori terroriq;. Quinetiam & eius nomen adeò terrificum fuit, ut
plorantibus pueris, matresfamiliàs taciturnitatem nõ aliter impetrarent, quàm
Huniadis præſentiam minitantes. Creuerat interim Vladislai regis indies auto-
ritas ac potentia, potiſsimùm ob mortem Elizabethæ reginæ, matris Ladislai
regis poſthumi: quę cauſa fuit, ut reguli alterius factionis facilè ſe Vladislao con
crederent. Iulianus itaq; Cæſarinus Cardinalis ab Eugenio miſſus, qui de pace
in Hungaria inter reges agebat: ratus commodum ſuadẽdi tempus expeditio-
nis contra Turcos, & publicè apud regem, & priuatim apud primores regni, cœ
pit eam rem agere. Accedebant principũ Chriſtianorum promiſſa & pollicita-
tiones. Mouebat præterea Deſpotus exul regem, qui calamitates Chriſtianis
inflictas, & pleraq; omnia cruciatus genera fœdaq; ſupplicia per crudelitatẽ à
Turco ſumpta, flendo dieſq; noctesq; uociferabatur. Præterea Huniades pro-
pulſandas tã crebrò illatas iniurias literis perſuaſit. His excitus rex Vladislaus,
tertio regni ſui anno grandem ſelectorum militum conflauit exercitum. Vene-
runt Poloni, uenerunt ex omni Chriſtiano orbe cruce ſignati milites. Traiecto
itaq; Danubio, rex cum exercitu ad Tibiſcum fluuium uenit. Quo ſuperato, rur
ſus ſe ad Danubium cõuertit, copiasq; ad Salſum lapidem traiecit in Bulgariã.
Mox rectà progreſſus eſt Sophiam urbem, famigeratam thermis, oppugnatũ.
Quo in loco Deſpotus cum ſuis regio exercitu ſe coniunxit. Huniades regno
Raſciano ſiue Seruiæ pertranſito, Bulgariæ regnum (quod Turci tum occupa
bant) infeſtiſsimis armis hoſtiliter ingreſſus, obuia quęq; aut ferro aut igne de-
leuit, deiectis Turcorum præſidijs. Omnia itaq; oppida ac munitiones in fauil-
las mox redigebantur, à militib. prius omnibus ſpolijs direptis. Et licet magnã
Seruiæ partem recuperaſſet, non tamen Georgio Deſpoto omnia reſtituit: ſed
multa amicis, quòd ſua uirtute repulſſet hoſtes, donauit. Præterea cum Deſpo
tus medius inter Hungaros ac Turcos, nũc hos nunc illos fefelliſſet, in religio-
ne quoq; neq; Romanæ eccleſiæ auſcultaret, neq; Mahometis legem ſequere-
tur, erat Huniadi fides Georgij ſuſpecta. Pugnauit in eum diem quinquies col
latis ſignis Huniades cõtra Turcos, ſemper uictor. Inſtabat ſexta uictoria. nam
partito exercitu, rex Huniadi multitudinem electam cum decem millibus ar-
matorum conceſsit. quia per exploratores duo millia hoſtium aduentare ante
alium exercitum magnum nunciabantur, ut per ſilentiũ noctis nil tale opinan-
tes hoſtes adoriretur. Huniades itaq; flumen Morauam traiecit, relictisq; impe-
dimentis Baſſam petebat, prælium initurus. Baſſa timuit, retroq; ceſsit. Hunia-
des uerò ad urbem Niſam profectus, obſidione eam cinxit, nec magno nego-
cio expugnauit. Inde Baſſa cum exercitu reuertitur, bellum petiturus. Cui ob-
uiam Huniades perrexit. Amurathus namq; omne robur coegerat, & florem
iuuẽtutis armauerat, ut magno belli apparatu ulciſceretur damna accepta, Baſ-
ſamq; Natolienſem affinem ſuum expeditionis ducem fecit. Fortè hic in itine-
re pauculos reperit Hungaros uulneratos & ſemiuiuos, quos Cæſari ſuo miſit
uinctos, tales aſſerẽs hoſtes, quos toties pertimuiſſent Turci. Cui Cæſar reſpon
dit literis: Felix ubi redieris, mihi nuncians quales ſint hoſtes noſtri, quos ipſe
etiam ſæpe fugi. Vbi Chriſtianorum exercitus numerũ longè maiorem Turco-
rum agnouit, trepidatio in caſtris exorta eſt: quos tamẽ uirili oratione Hunia-
des ita incendit, ut deſiderio pugnandi iam arderẽt. Trepidatio quoq; Turcos
inuaſit, malo augurio. Baſſa enim certamen in horam ueſpertinam diſtulit, ut ſi
bello

bello superaretur, nocturnæ tenebræ subsidio fugientibus forent: deceptus tamen est, quum luna pernox esset. Edito igitur maximo utrinque clamore, initur pugna, maiorq; longè cædes quàm pro numero eorum qui uicerunt, commissa est. siquidem ad triginta millia Turcorum ea nocte cæsa dicuntur, ut Imperatori Friderico tertio literis significatum est: licet alij duo tantum millia cæsa tradant, & supra quatuor millia capta, cum nouem signis militaribus, ac tredecim ducibus. In quibus & Bassa ipse circa noctis medium ad castra Huniadis captus ducitur. Tanta uictoria Huniades, haud sanè magna suorum facta iactura, maximo cum gaudio ad regem rediit. ab eoq; collaudatus, regem hortatur (qui iam ob itineris difficultatem, & hyemis sæuitiã, qua intolerabili rigore & homines & iumenta perierant, atq; ob pabuli penuriam retrogredi cogitabat) ut superatis montibus qui imminebant, in Macedoniam atq; Thraciã ducaret exercitum. Quod ueritus etiam Amurathus, accitis ad se ex Asia nouis copijs, angustias montiũ obsidere iussit, munireq; præcipitia Rhodopes, quo Vladislaus sub montibus retineretur. Principẽ exequendi consilij fecit, ducem Phrygiæ Carambum, uirum manu atq; ingenio promptum: sed qui incautus in Christianos impetum faciens, capitur, castraq; Turcorum expugnantur. Cui à Turcis substituitur Alibeus, qui fortes conatus Huniadis, excellentissimos montes cum exercitu ascendentis, eluit. Vnde rex consilium repetendi patriã inuito Despoto capit, Belgradũq; attingit, exustis impedimentis, propter quæ subsequentes Turci uelitares pugnas edebant. Maximoq; triumpho Budã est delatus, receptis prius in deditionem urbibus, oppidis ac castellis Bulgarorũ: in quibus & Sophia urbs fuit. Præeuntibus dehinc captiuis cum Carambo duce, suffixis signis in tholo tẽpli, atq; ideo à Christianis principibus per legationes crebras laudatus, atq; pro renouanda expeditione admonitus. Attulit Turcis ea uictoria plus pauoris q; damni, cum non tantũ Hungaricas, sed Germanicas quoq; uires experti essent. Et iam Caramannus Ciliciæ rex cũ ualidissimo exercitu in Ponto ac Bithynia Turcos hostiliter inuasit. Ob id consternati, ac metu perculsi, quasi totus Occidens in eos cõiurasset, pacẽ petere cõsultabant, misso clàm nuncio, qui Despoto persuaderet pacem assumendã Hungaris: proposita libertate filiorũ, qui fœdo carcere uincti, & oculis crudeliter mulctati, lu dibrijsq; quibusq; erant expositi: promisso etiam regno Seruiæ, quod iam pridem amiserãt. sciebat enim se imparem fore, si à tot hostibus aggrederetur, nisi integer ad unum se conuerteret. Ideo hortabatur idem Despotum, ut cum rege de redemptione Carambi ageret, pro quo quinquaginta millia obtulit aureorum. Hęc Huniadi Despotus enarrauit, qui uarios inopinatosq; belli casus animo reuoluebat, cum Fridericũ etiam Imperatorẽ uereretur: ac plura assequẽda oblata suo regi pace quàm bello intelligebat, qui etiam quibusdam molestabatur factionibus intestinis, quæ in Polonia fiebant. Ideo regi suadet, ut cum numeroso instructo exercitu ad Segedinũ moueat, quò Turci legati erant uẽturi, de pace acturi. Dissuasit pacem Eugenius Maximus Pont. per Iulianum Cardinalem, ac Philippus Burgundiæ Dux, Venetiq;, qui classem ingentẽ (cui Franciscus Cardinalis Eugenij præesset nepos) ad Hellespontũ se missuros promittebant, ne ex Asia in Europam trajicere Turcus posset. Dissuasit etiam Ioannes Palæologus Gręcorũ Imperator, qui circumadiacentes in Asia tetrarchas profligare Turcum nunciabat: se parte ex altera cum exercitu affuturum, si nouam expeditionẽ rex ad Thracię Macedonięq; fines adduceret, quo ex Europa Turcus facilè dejceretur. Vladislaus tamẽ omnia diligẽter animo uoluens, audito oratore Turci, pacẽ in decem annos cõcludit: ut omnia dominis suis ablata, ac quomodocunq; à Turco oppressa, restituerent. Inprimisq; Despoto liberi sui, ac regnũ Seruiæ cũ Sinderouia, alijsq; regni Rasciani munitionibus, Bulgaria tantũ in deditiõe Turci remaneret. Dies tunc cõstituta, in qua oppida ciuitatesque, prout pactũ erat, traderent. Hæc singula ab utraq; parte iureiurãdo arctiss.

314

(heu

(heu proh dolor) sunt confirmata: adhibitæ de more ceremoniæ graues ac solennes. Ea pax molestissima fuit Iuliano Cardinali, cui prosequẽda uictoria uidebatur. Et Eugenius pontifex certior factus: regis nullum ualere fœdus, quòd se inconsulto cũ Christianæ religionis hostibus percussum esset, rescripsit. Franciscus insuper Cardinalis, Turcum in Asiam contra Caramannum traiecisse, literis nunciauit. Sic etiam imperator Græcus omnia per dolum ac fraudem ab oratore Turcorum in fœdere acta, Vladislao scripsit: & ut occasionem tantam non amitteret, cum hostis distractus multiplici bello mari terraq; sibiipsi non constaret. Literis in regis ac procerum conspectu lectis, Hungaros facilè induxit Iulianus, ut pacis susceptæ pœniteret: eamq; mox improbat, abrogatq; iusiurandum. Quoniam Turcus ad constitutam diem neq; captiuos omnes soluerat, nec oppidis urbibusq;, quibus oportuit, ex fœdere cesserat: licet paulò post iustis dominis omnia restitueret, & captiuos & filios Despoti. Vladislaus igitur ijs commotus, exercitum minorem quàm anno superiore habuerat, cum Iuliano Cardinali, quem milites cruce signati sequebantur, per Vualachiam ducit: ac transito Danubio, in Mysiam & Bulgariam traducit exercitũ, ut per plana ac campestria loca Romaniam attingeret: hoc est, loca illa maritima uersus Meridiem ad Bosphorum, Propontidem, & Hellespontum, cuius prouinciæ caput est Byzantium. Cum enim Constantinus princeps, Helenę filius, Romani Imperij partem unam huc transtulisset, coloniaq; deducta foret, ob frequentem Romanorum cultũ, pars Thraciæ maritima Romaniæ nomen adepta est. Sed cum à Nicopoli (quæ metropolis est Bulgarorum) ductaret exercitũ, frustra est à fortissimo illo Vladislao Dracula Vualachiæ principe admonitus, ut retrò iter uerteret: cum sæpius se uidisse assereret, Turcum plures secum seruos ad uenationem producere, quàm illic armatos ad bellum uideret. Sed castigatus à Iuliano, quatuor millia equitum duce filio suo, copijs regijs adiecit, cum uideret regem fato quodam ad interitum suum festinare. Milites autem in sacra Bulgarorum Græcorumq; grassabantur, eorumq; templa ueluti prophana, manu, ferro, igne uiolabant: quod certè impium erat. Dum ergo exercitus regis transcendisset Hæmum, ueniissetq; in planiciem, oppida circum littus adiacentia recepit, ac præsidijs Christianorum cõmuniuit, eiectis Turcis. Atq; circa Varnam Romaniæ ciuitatem, tanquam natura munitum locum, castrametati sunt: ubi regio est naturali situ amœna & spectabilis, cum sinu angusto inter duo promontoria. Vix autem illuc peruenerat rex cum exercitu, cum paulo antè nunciatus esset Amurathi Turcorum imperatoris aduentus, cum instructo ac numeroso exercitu. Amurathus enim cognito hostium aduentu, quum Græcis ac Turcis in Europa manentibus, nõ satis fideret, exercitum ex Asiaticis militibus, corruptis precio speculatoribus, infra Callipolim, qua fauces Hellespontiarctissimæ sunt in Bosphoro, in Europam reportauit: cõiunxitq; suis, qui nõ procul ab Isthmo Thracij Chersonesi haud sanè memorabili numero cõgregati fuerant. Dicuntur Genuenses pro singulis capitibus aureum nummum accepisse pro uectigali, numerumq; ultra centum millia ascendisse: tot enim milites traduxit. Dehinc ab Isthmo Adrianopolim profecti, septimo tandem die iuxta castra regia consedere. Trepidatum est in castris regijs, dum insperatum hostiũ numerum cõtemplantur. Et dum Iulianus cum Agriensi episcopo, alijsq; Hungaris censerent intra currus exercitum muniendũ, Huniades ac Despotus manus conserendas regi persuaserunt: horumq; uicit sententia. Huniades igitur ordinata acie, ac singulis ex militari disciplina optimè dispositis, Turcis (quorũ sex millia Amurathus præmiserat, uel, ut Pius scribit, quindecim millia) in albis uestibus alatis, ac aureis equorum ornamentis, qui pugnam prouocarent, licet magnus peditum equitumq; sequeretur numerus, obuiam prodire iussit Christianum exercitũ. Sed calamitatis futuræ signa mox aderant. Nam & terræmotus mox regionem inuasit magnus, & impetus uentorũ turbine pleraq; deiecit uexilla,

uexilla. Et cum armaretur rex manu armigeri, decidit galea. Equus etiam regis ascensuro insolitè obluctabatur. Sed hæc nemo, fato sic ducente, considerabat. Fit pugnæ initium. Elatus in cœlum ingens clamor. Itum est ferocibus animis in pugnam: nil omissum, quod electos deceret milites. Acies Christiana primũ Turcos in fugã uertit, plurimis prostratis ac iugulatis. Amurathus magno metu perculsus, prælio excedere statuit, proditum exercitũ suspicatus, sed circumstantis satrapæ manu, eius equi frenum comprehendẽte retentus, inuitus perstitisse dicitur, cum eius ignominiam miles increpasset. Egregiũ facinus in illa funesta acie edidit uir quidã Gallicus. Is quia erat prævalido corpore, animoq; inuicto, haud mortem ullam pertimescẽs, medijs Turcorum agminibus cuneo rescisis, ad Amurathum usq; peruenit: quem conto prius, mox gladio percussit. Cæterùm infesto hostiũ occursu à suis exclusus, post multa & præclara dextræ facinora, in confertissima hostium strage cecidit. Amurathus metu perculsus, iterum bello excedere deliberauit. Sed cum longa duceret suspiria, fertur uexillum S. Ladislai, quod Hungari ferebant, ac alterum quod crucesignati milites, in quo imago Christi erat, uidisse, magnaq; uoce patria lingua exclamasse: Crucifixe, crucifixe, uide gentem tuam perfidam, quæ à me non lacessita, cõtra iusiurandum, æquũ, ius omne ac fidem uiolauit: si Deus es aliquis, fac ut periurij pœnam luant. Reuocata est pugna summa contentione, nunc Turcis nunc Christianis cadentibus. Diu ancipiti marte pugnatũ, dum Christiana acies sua uirtute sustentatur, Turci numero supplent: tantumq; sanguinis utrinq; effunditur, ut in modum lacus campi stagnarent. Varadiensis episcopus Ioannes per paludes fugiens, fœda equi ac sua luctatione in cœno uexatus, tandem submersus est. Agriensis Simon nomine, qui pugna excesserat, cum rediret, nusquam postea comparuit. Rex ad Ianizaros (ita pedestres milites Turci appellant) delatus, cum equus eius ingens in latus uulnus accepisset, per dextrum equi armũ præceps effusus, à Ianizaris telorũ multitudine non tam cõfossus est quàm obrutus, anno regni sui quarto, salutis uerò Christianę quadragesimoquarto, post millesimum quadringentesimũ: decima die Nouembris, quæ uigilia diui Martini fuit. Caput eius post detruncatũ ac infixum hasta, populis ostentatum. Turci in eo loco columnam, quæ hodie quoq; uisitur, cum inscriptione rei gestę statuerunt. Huniades cum regium corpus recuperare nequiret, acceptis secũ Valachis, fuga salutẽ quęsiuit: haudquaq; nefas ducens, superesse aliquẽ post regis interitum, qui acceptam cladem ulcisci posset, afflictasq; Christianorum opes tueri ac reparare, ignominiamq; delere: ne una funesta pugna omnia extingue rentur. Cæteri qui supererant, omnes fugæ se cõmiserunt. Sed partim in lacunas ac paludes dilapsi, submersi sunt: partim in syluis uepribusq;, fame, frigore, siti, uigilia interiêre. Iulianus Cardinalis equo fugiens, dũ cursu fatigatus potu reficit, spoliatus seminudusq; in deuio saltu animã exhalans repertus est. Hunc Gregorius Sanocenus, ex proceribus non infimus, uidens quum obequitaret, cum execratione admonuit, quòd euentus belli tandem planum fecisset, non fuisse Deo cõrdi ea quæ contra fœdus ac iusiurandum, more magis argutorum hominum, quàm ex æquo ac bono consuluisset, & ipse & Pontifex. Culpa etiã Cardinali Venetorum imputabatur, qui neq; fretũ rectè custodisset, neq; traiectos regi significasset. Poloni acceptam eo prælio cladem, Huniadis uæcordiæ atq; ignauiæ tradiderunt. Si tamen Vladislaus rex, adolescens animosus magis quàm callidus, unius Huniadis consilium sequi, quàm iuuenili temeritati obsequi maluisset, non tam miseranda clade perijsset. Fertur cõflictus ille trium dierum & noctium spacio continuatus. Quàm misera aũt fuerit hæc Varnensis clades, si quis copiosius scire uoluerit, legat P. Callimachi Experientis tres elegantissimos libros, quos Casimiro regi Poloniæ ac fratri Vladislai inscripsit. Cæterùm Huniades superato Danubio, citatissimo itinere per Valachiam (quę olim Dacia dicebatur) dum in Hungariam properaret, ne malæ rei gestæ fama sedi-

tionem tumultum ue exuſcitarent, à Dracula tranſalpinæ gentis Vuaiuoda cæptus eſt, quem non hoſtem timebat. Nam cum malè pugnatum in prælio Varnenſi intelligeret, & Huniadi obuiaſſet hinc redeunti, quaſi hoſtem in uincula coniecit. Sed quum in animum reuocaſſet iniuriam fruſtra uiro forti præter merita illatam, è carcere cum grandibus muneribus emiſit. Nec diu poſt Huniades gubernator regni Hungariæ cõmuni procerum cõſenſu eſt creatus. Actum condigna ſupplicia de Vuaiuoda tranſalpino, eiuſq; maiori natu ſuſcepit. In clade autem Varnenſi numerus cæſorum incertus eſt, quòd multi in paludibus ſubmerſi diſparuerunt. Triginta tamẽ millia Chriſtianorum cæſa à quibuſdam referuntur, cum multo maior numerus fuerit Turcorũ, qui ea ſtrage perierunt: nam circiter quadraginta millia uictor Amurathus è ſuis perdidit. Obid neq; fugientes hoſtes inſecutus eſt, neq; gloriabundus inter ſuos aut magnifica uerba aut hilarem uultum præbuerat: ſed cum rogaretur, cur deuictis hoſtibus tam inſigni uictoria, nullum lætitiæ ſignum exultando exhiberet: reſpõdit memorabili uoce, Nolle ſe ſimili euentu ſæpius uincere. ſignificans eam pugnam magis ſuis quàm Chriſtianis fuiſſe funeſtam, atq; haud ſibi incruentam ceſsiſſe uictoriam. Idcirco colligere iubens ſarcinas ac impedimenta militaria, copias domum tranſmiſit. Ipſe Adrianopolim concedens, Deo ſuo uictoriæ uota perſoluit. Dehinc uel quia bellorum tædium cæperat, uel fortunæ inconſtantiã uerius, uel quòd iam grauior annis quietem ac ocium bello præferret, accerſitis prouinciarum maioribus, Mahometem ex liberis ſuis maiorem, imperio præfecit. Ipſe in Aſiam reuerſus, priuatam deligens uitam, cum paucis ocij ſui comitibus, religioni cuidam ſolitariæ ſeſe addicere cogitauit. Cur autem ſeſe Amurathes religioni addixerit, mirandam inueni cauſam in quodam opuſculo, quod captiuus quidã Chriſtianus ſcripſit, dum uiginti annis miſera ſeruitute omnem eorum ritum, linguam ac religionem edidiciſſet, à quo iſta accepi. Orta enim contentione inter ſacerdotes, qui Tacuſmani gentili lingua, & religioſos qui Demrſchler nuncupantur, de quibus plura inferius ſcribam, cui potius uota & eleemoſynæ populi iurè deberentur. Sacerdotes ſibi deberi cauſati, dixerunt: Nos curam populi habemus conſultando, iudicando, regendo, docendo legẽ, tribuendo & obſeruando, & totius populi onus portando. Quum igitur miniſterium noſtrum uniuerſo regno magis ſit neceſſarium, meritò uota nobis debentur. Contrà religioſi: Nos, inquiunt, ſumus ſucceſſores & uicem gerentes eorum qui fundamentũ ſunt legis & gratię, qui & pro populo coram Deo aſſiſtentes, omnes neceſsitates eius ſuis meritis & interceſsione ſupplentes, regni pericula auertimus, bona operamur, omni facultate & ſtudio hominib. ſuccurrimus deficientibus, & auxiliamur: nobis igitur eleemoſynæ & uota populi iurè debentur. Diſſenſio iſthæc ad Amurathem, tanquam ad ſupremum arbitrũ, à quo prouocare abſq; omni cõtradictione minimè liceret, delata eſt. Qui perpenſo atq; diligenti iudicio rationes utriuſq; partis cum examinaſſet, ſacerdotum miniſterium regno magis neceſſarium cognouit, hisq; meritò uota populi adiudicare cogitabat. Religioſi huius rei facti certiores, regem adeunt ſupplicantes, ne hanc ſententiam, priuſquam paulo diligentius ſecum hanc rem diſcuterent, promulgaret. Adiecit rex ſeptem dierũ inducias. Vna fortè nocte, paucis interiectis diebus, cum Amurathes in lecto quieſcens, cõmotionem ſentiret uiſcerum, ut opus naturæ excrementa deijciendo expleret, ſecretiorẽ petijt locum: ac ſedens, tabula quadam præcipitatus in cloacam, nec clamore ullo (quoniam undiq; clauſum erat cubiculum) nec labore proprio (licet plurimũ fatigatus omnia tentaſſet) preſens periculum effugere poterat. Mox ſanctũ aliquem, qui huic neceſsitati opitularetur, inuocauit: quoniã (ut Plinius ait) tũ præcipuus uotorũ locus eſt, cũ ſpei nullus eſt. Et ecce habitu religioſorũ quidã apparuit, ô Amyra, inquit, ubi illi ſunt quos regno tuo perneceſſarios iudicaſti? cur huic neceſsitati nõ accurrũt? Nunquid illi præferẽdi, qui ubi uirtus humana defecerit, inuocan-

inuocantibus se ultrò ostendunt? His dictis regem lecto suo illæsum restituēs, euanuit. Manè rex acta nocturna reuoluens, conuocatis religiosis omnibus quos habere poterat, singulos alloquens, cuicq; nummos aureos distribuit, diligentissimè unumquemq; de facie intuitus, si fortè inueniret eum qui sibi opitulatus esset. Quum autem rex talem non inueniret, quum iam singuli transissent, accessit maior inter religiosos Regem, dicens: Ne mireris, si ille qui nocte tibi opem attulit, hic non appareat: unus enim communem omnium causam egit, quoniam de nostra salute fuit tractatum. Ex hac illusione rex in eam uenit mentis alienationem, ut filio adhuc impuberi regno præfecto, in Mamissam urbem, ubi multitudo religiosorum est, successerit, religioniq; operam dederit. Scribunt aliqui, Amurathum post Varnensem pugnam Corinthiacum Isthmum, qui uulgò hodie Hexamilium ex loci distantia Græca uoce dicitur, summa ui expugnasse ac diruisse. Nam Peloponnēses prædicta clade perculsi, adorti fuerant celeri & irrequieto opere Isthmum munire, ac muro cingere: quemadmodum plures olim eum perfodere tentarunt, licet semper infesto omine opus inchoatum infeliciter defecit. Quod satis superq; liquet, si quis Demetrij regis, Iulij Cæsaris, Caij Neronis, & Herodis Attici inanes conatus pensitabit. Recentem igitur hunc Græcorum conatū Amurathus discussurus, cum exercitu Isthmum adequitauit, ac tandem cepit. Constantinus enim Palæologus, qui nouissimè Byzantij imperauit, instaurandam curauit quodam Christianorum successu, tributumq; Turcorum regi minimè reddendum esse statuit. Sed ab Amuratho mulctatus pecunia, murum diruere iussus est: licet aliqui Græcis resistentibus obsidionem traxisse illinc scribant Turcum. Sic autem Peloponnesus ex fratrum discordia iniuriæ obnoxia, in ditionem Turci cessit. Cæterùm Huniades acceptam Varnæ cladem & contumeliam semper ante oculos gerens, ut priorem aboleret ignominiam, & illata resarciret damna, ex Hungaria, cui iam annis penè quatuor præfuerat gubernator, quantas potuit maximas cogit copias, tum etiam ex Boemia item & Germania uicina, ut Turcum inopinatum & nil tale timentem perfundaret. ferebatur enim Turcus tum ocio deditus, Calibassam, qui populo præesset, substituisse Imperatorem. Itaq; uirum arbitrabatur incondito populo defuturum. Rebus igitur gerendis solertiam ac celeritatem adhibuit. Despotus Seruiæ, quia exercitus Hungarorum terras suas uastauit, nec in eam expeditionem uocatus erat, Turcorum ducibus consilium Huniadis patefecit, magnumq; timorem genti incussit. Perculsi nuncio Turci, Amurathum iam religioni addictum (ut quidam scribūt) ex Asia euocant: quòd filius tantā belli molem ferre nequiret: Calibassa uerò eius magister, obedientiam militū (qua in bello nihil precios ius) minimè habiturus esset. Ianizari enim & puerum & pedagogum pueri contemnebant. A' magnatibus igitur & principibus exercitus Amurathes, ne regnum in periculosissimum discrimen ueniret, minis uictus & precibus, ad gubernationem rediit. Concurrit ergo uterq; exercitus in Cassouio Mysiæ campo, quem alij campum Merulæ appellant, in Bulgaria, ubi atrociter infestis armis toto triduo dimicatū est, primùm uictoria atq; iterum Hungaris cedente: qui etsi numero impares essent, uirtute tamen præstabant. Verùm quum uictori uictor insurgeret, fusis fugatisq; hostium copijs, Amurathis castra Huniades dum oppugnat, superatur. Nam Mahumethes Cęsaris filius, proximo quodam tumulo extra aciem quadraginta habens electissimorum equitum millia, Huniadem paternis castris hærentem, tanta ui est adortus, ut post ingentem suorum stragem ægrè dux ipse cum paucis sit seruatus. Empta multo sanguine uictoria, Amurathus (nam ducenta propè millia militum habuisse dicitur) domum se retulit. Huniades celeri equo fuga sublatus est: abiectis' que armis grauioribus, in manus duorum Turcorum, qui eum non cognouerant, deuenit. Ab ijs expoliatus, dum de quodam amuleto, quod in collo fortasse gestabat, inter se concertarent, alterum ense strauit, alter fuga

elapsus euasit. Solus in syluam cum equo delatus, inuenit Rascianum quendã, à quo Sinderouiam est deductus. Sed cum Belgradum peteret, à Georgio Despoto Seruiæ captus, uix filio suo Ladislao maiore natu in obsidẽ dato, assequi potuit, ut incolumis emitteretur: licet toties regnicolæ magnum auri pondus homini ingratissimo, qui ab Hungaris in suum regnum restitutus erat, pro redemptione gubernatoris offerrent: liber tamẽ factus, uastatiõe regni sui, haud sine parua pœna coactus est filium restituere. Quod cum Amurathus intellexisset, indignatus Despoto, quòd carcere hostem tantum emisisset, regnũ hoc Seruiæ cuidam præfecto Fritzebecho tradidit expugnandũ. Duos enim post se duces priusquam in Asiam migraret, reliquit: hunc scilicet qui Dacas à Thraciæ incursatione prohiberet, Despotumq; debellaret: & Iosebechum, qui Dalmatiam hostiliter popularetur. Georgius Despotus audiens in se concitari bellum, anxius se cœpit accusare, quòd gubernatorem Hungariæ immerito læsisset carcere, in quo unico salus sua esset reposita. Abiecta itaq; uerecundia, supplex Huniadis genubus aduolutus, ab eo tandem suppetias impetrauit. Qui dicto citius noctu Rascianos attingens agros, manè Turcos aggressus, in fugam uertit ac profligauit, capto duce Fritzebecho cũ multis electissimis militibus: quos Despoto carceri mancipandos tradidit. Ipse exusto Bidino Bulgariæ insigniore urbe, cum triumpho in Hungariam uenit. Quidam Amuratho hanc ultimam fuisse cum Huniade expeditionem asserunt, cum paulo pòst mortẽ obiret. Alij uerò narrant assiduis Macedonum querelis fatigatum, suscepisse postremam aduersus Castriothũ, cui Scanderbecho cognomen fuit, qui fines Macedonum ferro igneq; uastabat, cum à fide defecisset, fuso in Transyluania Mesetbego, cuius ductu militabat. Primò enim in Thessaliam ueniens tanquam regis negocium curaturus, nec prius profugam egit, quàm paterno regno sit potitus: quanquam graui iactura affectus prouinciam reliquerit. Tum uires recuperans, Macedones continuè lacessiuit. Quorum querela impulsus, licet senio confectus Amurathus, in Epirum transgressus, sæua populatione omne solum ad Adriam usq; afflixit: nullo tamen loco munitiore potitus. Sed dum Epiotæ angustias syluarum insedissent, in reditu quoq; magnam impedimentorum partem interciperent, cæsa ac profligata magna & præcipua copiarum parte, homo senex ex metu ac fuga & ex mœrore animi in morbũ incidit. Quo inualescente, paucis diebus mortem oppetijt, anno uitæ septuagesimoquinto: ex quo regnare cœperat, quadragesimo (uel ut alij scribunt) quarto & trigesimo. Etenim Scanderbechus, postquam in suam sectam ascitus est, plures ei prouincias acquisiuit. Inter quas & Mœsiam assecutus, Georgio Despoto, qui Vuche ruch dicebatur, ac Nouomõto eius regionis metropoli expugnato, ubi auri argentiq; fodinæ dicuntur esse, extincto patre ac fratre Coragusio natu maiore, qui erat obses in Adrianopoli, regnum ei paternum tradidit. Interim Eugenius Quartus audita fama, hunc per nuncios ac literas ad nostros ac fidem pristinã traducere conatur. Ille cõfestim obtemperat, ac rebellans tot pro religione res gessit, quot antè contra. Ac deimprouiso Croiam, Sfetigradum, Stelusium, Modriciam & Ternaciam oppida in ea regione occupat. Amurathus contra eum Amesambech fratris eius filium, deinde Vranaum, duces cum copijs mittit. Croiam iam quatuor menses obsidebat, cũ moritur. Ac filius Mahometus missis totidem ducibus, quos Bassos uocant, frustra uires instaurat, cũ ille semper parua manu ingentes hostium cateruas funderet ac fugaret. Sed Venetis quoque molestus propter Albaniæ oppida, & debita tributa. Postquam pacatus est, Romam concessit: & domum rediens, ueneno absumptus dicitur. Hic Castriothus Pyrrho aut Alexandro similis, insignis omnino princeps fuit. Sed & Amurathus sic eo pugnante, mortuus est. Nec enim ullus inter Othomannos præter hunc diutius rexit. Corpus eius more maiorum delatum in Prusiam Bithyniæ ciuitatem, quæ ante captam Constantinopolim Othomannorum regia erat,

cet, à Prusia rege qui Hannibalem hospitio excepit, appellata. Licet etiam inter Mysios urbs sit Prusias in Olympo, condita ab illo Prusia, qui cum Crœso bellum gessit, quæ hodie Bursia corrupto uocabulo nominatur, emporium insigne Turcorum.

MAHOMETVS II. TVRCORVM REX OCTAVVS, QVEM PRIMVM CAESarem à deiecta Constantinopoli Imperiali sede appellant: uulgò Mechemetbeg dictus.

MAhometus Amurathi filius admodum adolescēs (uix enim uiginti natus annos, à patre iam senio fesso accepit) qui Calibassam ei inter satrapas Turcorum, opibus & authoritate uirū insignem, quòd per ætatem imperio nondum esset aptus, gubernatorem dedit. Sed cum ad bellum grande, quod ab Hungaris imminebat, iterum reuocaretur pater sententia Calibassæ, Mahometus uehementer animo fuit offensus, cum se illa expeditione gloriosiorē fieri putaret, ueritus ne imperium amitteret, si rursus pater regnaret. Tum breui pòst mortuo patre imperium assecutus, dominandi libidine & ambitione inflatus iuuenis, gloriæ & nouarum rerum percupidus, scelera quæq; attigit, patre longè truculentior. Et ut regni initium parricidio auspicaretur, quo die Amurathus pater è uiuis excesit, fratrem nomine Thursinem, mensem agentem infantiæ decimumoctauū, continuò iubet occidi, ne pater solus sepeliretur. Vix enim pater animam efflarat, cum cursim relicta omni celebranda funeris cura, petit ædes, ubi à nutrice infans alebatur. Ingressus igit perinde atq; furore percitus, quærit infantem. Inuentum in cunis, & sibi risu ueluti blandientem, uiolenta manu abripit, ad proximum parietem inflicturus. Quam facinoris atrocitatem cōspicatus Moses, immanissimo tyranno & charissimus & æqualis, orat ne fraterno sanguine manus inquinet. Exorat ea lege, ut ipse continuò infantē interimat. Paret Moses, moxq; infantem & presente & immotis oculis aspicente Mahometo, multa ui aquæ obrutū suffocat. Infelix mater extincti Thursinis horribilitate scelerisaudita, accurrit ilicò, humi iacentem manibus infantem tollit, complet ululatibus omnia. Et quoniam uitæ mortem in tanto luctu preferebat, audax tyrannū multis cum singultibus ita increpat: Hic est, inquit, frater tuus ille Thursines, ô Amyra, quem tibi moriens pater tantis lachrymis cōmendauit? Siccine decet tuum sanguinem iugulare, ac macerare innocentem? Siccine decet fraterno sanguine auspicari imperiū? O' nefas, ô crudele scelus, plus quàm tyrannicum & immane. Sic uitam tuam finies, crede mihi, nec alia te fata unquā manebunt. Hæc & similia dicens, nimio dolore perculsa, exanima cōcidit. Iubet mulierem attolli tyrannus, ob triumphalis facinoris magnitudinem. Tum hilaris ac lætus, simulatisq; ac fucatis uerbis dolorē lenire cupiens, necessitatem ferre æquo animo persuasit, cum factum infectum esse non posset: ueteremq; Othomannorum principum consuetudinē esse, ut cæteris interfectis, unus semper relinquatur in regno. nam ut neq; plures sunt dij, ita neq; plures deberi admitti reges: itaq; ut bono animo sit hortatur: nam ei se pro filio semper fore. Erat huic mulieri priuignus Mahometus, quæ genere erat Turca, & Amurathi uxor: cum ipse ex matre natus esset Albana & serua. Et ut insanientem mitigaret fœminam, adiecit, si quid uellet, audacter peteret: nihil enim se passurum petitum ab ea frustra posse iudicari. At mulier ut ira ardebat, animo ad ultionē parato, ad uindicandam innocui sanguinis iniuriam, facinoris ministrum impium Mosen expetiuit. Cui mox hunc familiarē suum immitis tyrannus uinctis post terga manibus, ac pedibus cathenatū dedendū imperat. Quem efferata mulier ut accepit, cultellulo qui ei pendebat è zona, pectus miseri hominis, frustra opē

domini astantis coràm implorantis, ad cor usq; transfigit: nihiloq; cunctata, la
tus dextrũ aperit, iecur abscissum eruit, datq; canib. discerpendũ. Hac uindicta
mulier satiata, cõquieuit. Habuit itẽ Amurathus pater Mahometi uxorẽ, filiam
Sponderbei nobilis in Penderatia satrapis, ex qua natũ filium nomine Calapi-
num, sextũ agentem mensem, Chalibassæ moriens cõmendauit. Ille Mahometi
gratiã initurus, & matrem & puerũ ei prodidit. Mahometus accersitis triginta
(ut aiunt) matronis, quæ puerũ cognoscerent, postq; certam Amurathi esse so-
bolem constitit, strangulatũ matri filium reddidit, funusq; regio more fraternũ
duxit. Alij scribunt, Calibassam alienũ puerum Calapini nomine suppositũ, ac
pro filio Amurathi necatũ fuisse. Calapinũ uerò Constantinopolim translatũ,
ac clàm educatũ: post captiuitatem urbis inde subtractũ, ac primùm Venetias,
tum Romam Calixti pontificis iussu ductũ, ac pro fratre Mahometi in palatio
custoditũ. Qui tandem lauacro baptismatis ablutus, Calixtus est dictus Otho-
mannus. Hic postea in Germania uenit in magnã familiaritatẽ cum Friderico
III. Imperatore, à quo regiè donatus, ac munificè redditibus annuis prouisus, in
Austria pluribus annis uixit: uir mansuetus ac religiosus, & qui multarum rerũ
habuit experientiã. Hunc senẽ Viennæ cognoui ego iuuenis, eiusq; colloquio
(nam linguã latinã egregiè calluit) sæpius usus. Defunctus est in Austria, cũ iam
speciosissimã puellam uirginẽ nobilem de Hohenfeld uxorẽ duxisset. Quæ ui-
dua facta antequã uxor esset, monasterio se inclusit, ut uirginitatẽ perpetuò cu-
stodiret. Redeamus ad Mahometũ. Is suscepto imperio, instituta maiorum pro
ingenio correxit, rem domi forisq; legibus ordinauit, ærarium locupletauit, no
ua uectigalia homo auarissimus excogitauit, copias auxit. In proceres & auli-
cos sæuitia & contumelijs grassari cœpit sanguinarius tyrannus: quod iam ma
nifesta crudelitate & fratris sui & familiaris amicissimi patuit. Ad expugnandã
Constantinopolim animum adiecit. Cum enim hanc suis regionibus uicinam
uideret oculis sæuis rapacissimus latro, nec diu nec noctu quietem animo suo
dabat, priusquã ea potiretur. Licet urbs hæc annis & pannis (ut ita dicam) obsi
ta, longa ægrotatione languens, omni ui roboreq; fuit exhausta, exanguis ac fe
rè exanima, antequam tyrannus eam expugnaret. Quã minimè tamen uicisset,
si & ciues suos absconditos in terra thesauros in cõmune tutamentum erogas-
sent, & Veneti suis classibus (ut Christianos decuit, atque par erat) præstò fuis-
sent. Sed quàm incredibili celeritate castellum extruens ad Bosphorum, atq; a-
liud dissimulans, urbem cæperit, crudelissimeq; in captos utriusq; sexus sæuie-
rit, in Constantino ultimo Græcorũ Imperatore superius latè differuimus. Ca-
pta urbe triumphauit: & ut patre suo maior uideretur, Imperatorem se & Cæsa
rem declarari fecit. In omnes captos crudeliter sęuiens, quos in miseram seruitu
tem redegit. At quid mirum cruentissimũ hostem in exteros sæuire, qui in suos
erat immanissimus & crudelissimus, ob nullum in se cõmissum flagitiũ, sed ob
opum tantum ac nummorum magnitudinem? Cõstituerat Amurathus pater
nefario isti & abominabili Mahumeto filio ab ineunte usq; pueritia tanquã pæ
donomũ quendam, atq; morum uitæq; magistrum, Chalin seu Chalibassam, ui-
rum & ætate & opinione hominũ inter Barbaros illos grauissimũ. Quẽ etiam
moriens eidem Mahometo, qui adhuc adolescentẽ ageret, tutorem esse uoluit,
ut superius annotauimus. Monens identidem filium flagitiosum & impium, ac
iubens, nõ secus unum Chalin & audiret & obseruaret, quàm si pater esset. Con
siderabat enim pater uiri prudentiam, amoremq; erga se atq; suos omnes, cum
repeteret ætates usq; septẽ superiores, quib. maiores ipsius Chalis primarij fem
per fuerant in Othomannorum tyrannide, & Turcis omnib. dilectissimi. Itaq;
post deuictum illud Orientale emporium Constantinopolim, cõtinuò in Cha-
lin tutorem, q; optimè de se ab infantia usq; meritum, debacchari cœpit, quòd
Turcorum esset omnium opulentissimus. Sed ut honestiore obtẽtu id faceret,
Chalin cõfictis dolis insimulat semper sensisse cũ Christianis: cuius persuasio-
nibus

nibus factum fuerit, ut pater Amurathus nunquã sit ausus in tot Græcorum iniurijs Constantinopolim bello fortiter urgere, quam nullo quasi labore oppressérit ac diripuerit. Chalis enim prudẽtissimus, satius arbitrabatur Oriẽtale illud imperium ætate & longa ægrotatione confectum, sua interiore tabe paulatim ac sensim dissolui atq; deficere, quàm turbulenta ac repentina aliqua ui, qua forte omnium Christianorum principum uires in extremam Turcorum calamitatem coactæ coniurassent, opprimere. Ob hanc ergo causam Chalin locupletissimum inopinatò captum, post uarios & acerbissimos corporis cruciatus strangulat. Ingentes enim quas cumulauerat diuitiæ, exitij causa fuerunt. Suffecit illi cò in eius locum Mahometum iuuenem industrium ac insolentem, natum parentib. Christianis, Triballo patre, & matre Constantinopolitana, eademq; Agarina: & sibi usq; à puero ut æqualem ac sodalem summa familiaritate coniunctum. Nunc non modò exercitui Occidẽtali (hoc enim nomine has copias uocant quæ colliguntur ex Europæ prouincijs) ducem præfecerat: sed omnia per eum quæ maxima & periculosissima erãt, gerebat: erat enim uersutus, callidus, strenuus, & nulla in re tardus. Permulta quoq; quotidie præclara facinora est adortus, ex quibus tum gloriam non uulgarem est adeptus, tũ tyranni dilectionem: qua se omnia posse quæ uellet, liquidò cognoscere uideretur. Quare ut se aliquando ex infami onere seruitutis redimeret (nec enim quãuis à puero Christum abnegasset, libertate donatus est) excipit Mahometũ magnifico regaliq; conuiuio, ubi nil defuit ad explendas omnium uoluptatũ illecebras. Affert dehinc auarissimo tyranno precio aureũm nummũm quinquaginta millia & amplius: uerbis usus appositis & submissis, libertatem supplex petens, ut se libero quàm famulo uti malit. Quo audito, ita excandescere cœpit, ut penè à puero sodalem, ac uitæ morumq; socium, ducẽ præterea insignem, ac uictorijs illustrem, humi prostratum, tãquam fugitiuum quendam seruum pedib. calcauerit, fuste ulmeo ad lassitudinẽ usq; tamdiu pulsauerit, ut etiam ipse ex humeris atq; brachijs laboraret, donec repetita sæpius uoce clamaret: Gratias ago tibi mi here. Similem sæuitiam exercuit in pueros quosdam exoletos, quos pluris facere uidebatur quàm uitam ipsam. Hos tamen quodam celebri conuiuio obtrũcauit omnes, quòd uini quippiã ebibissent, quod ex illius ebrietate superfuerat. Hac immani crudelitate se adeò cunctis terribilem præbuit, ut multos ob opes quas longo tempore cõparauerant, alios ut uxorib. illorum potiretur, alios ob aliam libidinẽ mactare iuberet. Etsi carnifex deesset, ipse suis manib. carnificis obiret facinus. Repletus igitur omnib. sceleribus, omnia contempsit: nullũ esse Deum putauit, Christianam fidem irrisit, Mahometum illum pseudoprophetam sui similem fuisse dixit: uel se illũ tãto inferiorem, quòd & Cyreneus fuerit seruus, & fur & latro, & à maioríb. suis cum inhonestissimo in facíem uulnere turpiter fugatus ex Perside. Prophetas omnes atq; patriarchas pro nugis habuit. Solũ Alexandrum Magnum, potissimùm ubi de eius furore ac libidine scribitur, admirabatur: cui se similem asseruit. Magnusq; Mahometus dici à cunctis uoluit. Indies ferocior factus, tributum quod Memphitico regi sui maiores pendere cõsueuerant, negat se redditurum. Mittit inde circa finitimos qui imperata recusantib. bellũ indicerẽt. Auctus igitur opib. quas triennio congesserat, ex omni regno accersitis procerib. anno Christi 55. post 1400. successũ tumens, expeditionẽ in Hũgaros instituit cũ maximis ac infestissimis copijs, superatis Thracię montib. ad Sauum fluuiũ cũ 150000. hominũ in Triballis, Belgradũ, quã Hũgari Nandoralbẽsem arcẽ, hodie Albam græcam uocãt, obsedit. Annales Hũgarici 400000. militũ in exercitu pedestri ac nauali habuisse Turcũ tradũt, incredibili superbia tumentẽ, quasi tota iam Hũgaria à se uicta esset: Latinorũ enim Imperatorẽ se obruere iactitabat, qui iam Græcorũ Cęsarẽ neci dedisset. Germaniã atq; Italiã direptiõi militũ spopõdit: omnia parituro impio suo glorioſe crebrò dictitabat, sese unũ esse, cui omnis terra cessura esset, si unus Deus cœlo pẽsset.

Quanquam autem Hungaria metu perculsa, ante oculos Constantinopolitanam ruinam uersabat, tamẽ aduẽtu Iohannis Cardinalis legati Apostolici, qui Iohannem Capistranũ professorem ordinis Minorum, Hungaris euangelizantem reperit, excitata ueluti somno, regio hæc Hungarica tertium Iohannẽ Huniadem Comitem tum Bistricensem commouit, etsi uix quinq; millia equitum in promptu haberet, ut aduersus crudelissimos hostes, quos prius sæpe fudit ac fugauit, exustis ac submersis illorum nauibus, irrumperet in arcem, ac obsessos sua præsentia consolaretur ac erigeret. Sequebantur cruce signati quadraginta millia, ex omni Christianorum orbe. Tam paruum numerum cõtemnens Turcus, Amuratho patri maledixit, qui septem menses frustra in obsidione huius arcis consumpsisset, se quindecim diebus arcem solo æquare, & in Hungariam omnibus ijs ad unum cæsis, impetum facere iactitabat. Cum Christiani nomine Iesu inuocato, acriter prælium ineunt, ac primùm ancipiti pugna, hinc Turci, hinc Christiani, nunc uicti nunc uictores cruenta cæde (duce Huniade) primùm Bassam Natoliæ Carazam Thraciæ præfectum, uirum impigrum sternunt, primores'que exercitus duces occidunt. Tum Mahometem sagitta, quæ sub papilla lęua stringebatur, in pectore, in terram exanimum deijciunt. Quem mortuum credentes Turci, nocte semiuiuum abducunt, omnes in fugam conuersi, uictoriam Christianis reliquerunt. A' quibus fusi, fugati & superati, relictis omnibus munitionibus, impedimentis, & cuiusq; generis tormentorum instrumentis, machinis bellicis, ac sarcinis militaribus, castris quoq; sunt exuti. Ignominiosa ac turpi fuga tam innumerabilis formidabilisq; exercitus per noctem obscuram abijt, non tamen sine cruenta pugna. Imperator Mahometus noctu ablatus, altero die ubi ex dolore uulneris ad se redijt, intelligens infamem acceptam suorum cladem, insperatamq; stragem, ueneno uitam uoluit sibijpsi adimere, ne tanto cum dedecore in patriam inglorius remearet, uix à suis prohibitus. Nunquam post hac de illa clade aut dicere aut audire quenquam uoluit. Et quoties illius memoria subijt, semper barbam manu grauissimè demulcens, suspiria deduxit cum fremitu, hunc execratus diem inter atros computauit. Etenim quàm glorioſus erat eius aduentus, tam turpis ac fœdus eius discessus: optimi maximi Dei Iesu Christi iudicio sic ordinante. Multi crediderũt, si fusi dispalatiq; hostes tum fuissent acrius insectati à Christianis principibus, potuisse eo die Othomannorum imperium deleri. Seriem huius pugnæ Pius pontifex, & in Bohemica historia, & in Europa sua pluribus enarrauit, ac Iohannes de Thurocio scriptor Hungaricorum Annalium. Calixtus summus pontifex, qui se perpetuum hostem Turcis deuouit, & iuramento & chirographo ob rei perpetuam memoriam cum assiduo rogatu continuis'que supplicationibus instituit, ut octauo Idus Augusti, quo die tum erat festum sancti Sixti, transfiguratio Domini religioſè celebraretur: & addidit, post meridiem campanis signum dari fidelibus omnibus, ut orationibus eos iuuarent, qui contra Turcos continuò dimicabunt. Durat ea consuetudo hodie Viennæ Pannoniæ, & item Budæ, ac alibi: in qua hora paululum post meridiem prima, campana magna in æde diui Stephani signum datur hominibus, ut memores illius cladis, orent pro defunctis Christi fidelibus. In ea strage hostium quadraginta millia cęsa feruntur: sed maior Turco iactura inter fugiendum inflicta est. Aliter Iohannes Caruagralla Cardinalis S. Angeli ad pontificem, aliter Iohannes Capistranus, aliter Iohannes Huniades scripserunt rem gestam: quisq; gloriæ suæ innixus, laudem sibi usurpando ob operã suam. Sequenti anno post cladẽ, Huniades morbo correptus, nõ sine planctu uniuersæ Hungariæ, imò totius Christianitatis, diem suum obijt. Cuius mortẽ etiam hostis Turcorũ imperator indoluit uehemẽter, cũ per Georgium Rasciæ Despotũ fieret certior, totũq; penè diẽ post nunciũ illud obticuisse mœstus fertur. Capistranus post paucos dies pariter senio mortuus est: qui uitæ mũdicia inter prędicatores Christianos

nos facilè primas assequutus est. De quo multa Pius in historia de rebus Friderici Cæsaris, quę cõsultò prætereo. Illud omittere nõ debeo, quod admiratione omnium posteritati dignum existimo. Cum enim Turcus post deuictam Constantinopolim Despotum Rasciæ Georgiũ è Seruia eiecisset, aut (ut alij dicũt) in eum exercitum ductare minaretur, secundò ad Hungaros pro auxilio confugiens, in Austriam profectus homo grandęuus, ad Ladislaum regem peruenit: ubi & Capistranus degebat, qui de religione Christiana ac sacris secũ disputãs eloquijs, ut errorem gẽtis suæ relinquerẽt maximopere cohortatus est. Cui ueterator ille respondit: Annos natus 90. patrum religionem teneo: quàm delirũ me senem cauillarentur ciues mei, si nouam assumerem, & antiquas patrum traditiones relinquerem: mortem ac laqueum malim. Itaq; cum indignatione discessit, domumq; reuersus, cum milites immisisset in Hungaros prætereuntes, & quadrigis uectos, in quibus erat Michael Zylogi, uir strenuus, & Albæ Græcæ præfectus, & frater Ladislaus, quem in quadriga repertum confodit: nam equo alter aufugit. Paucis pòst diebus, Michael ut fraternam cædẽ uindicaret, hunc Georgium captiuum abduxit, abscisis duobus digitis dextræ manus inter defendendum. Et quanquam magno auri pondere redimeretur, ex truncæ tamen manus fluore, qui sisti nõ poterat, breui mortuus est homo hic perfidus.

Mahometus uerò Cõstantinopolim reuersus, classem reparat, nouã construit, Aegæi maris insulas proxima æstate inuasurus (nam Calixtus Pont. triremes 13. quibus Ludouicũ Aquileiensem Antistitem præfecit, ut maritima Asiæ occuparent, in Barbaros hostes emisit, qui etiam insulas aliquas Turco ademit) sed maior inde cura ab ea expeditione eũ conuertit. Quando quidẽ cum maritimũ bellũ moliretur, legati ab Vsan Cassano rege cum amplissimis donis, quæ in thesauris Demiri Persarum regis à se uicti reperit, Byzantiũ ueniũt, rogantes, ut à Cappadociæ finib. abstineat, ni bellum uelit, quam ille prouinciam ut dotalem sibi uindicabat: erat enim ex Trapezunte oriunda Cassani uxor, ut suprà ab initio scripsimus, cum de quatuor familijs Othomannorũ in genere narrationem instituimus. Mahometus fremens, legatorum auersabat legata, bellum se suscipere uociferabatur: ac præmissa parte classis in Pontũ, Sinopem & Trapezuntem uersus, ipse cum terrestri exercitu omnium opinione celerius transit in Asiam, rectaq; ad Euphratem cõtendit. Persa cum Turco bis conflixit: Bassa Romaniæ cum Vsan Cassani filio congressus, uictus occubuit. 40000 Turcorũ ea acie conflixisse dicuntur, Persarum 30000. Rex uictoria elatus, castra Mahometi obsedit: quæ tantis erant munita machinis tormentorum, ut irritos facerent omnes Persarum conatus: filius Vsan Cassani plumbea glande traiectus occubuit. Itaq; Turcorum 40000, Persarum decem millia cecidisse dicuntur. Assimbecus Taurisium reuertitur: sensit enim terribilem Mahometi apparatum, concessitq; fuga confestim ad montes. Ac quãdiu Turcus fuit in prouincia, tenuit se ille munitioribus locis, nihil ausus interea mouere. Mahometus Imperator confessione uictoriæ hostib. expressa, exercitũ in Paphlagoniam duxit. Sed aliquã to postea hæc acta sunt, breuiq; Sinopem, prouinciæ caput, omnemq; Paphlagonum gẽtem subegit. Trapezuntem inde terrestri naualiq; prælio oppugnatam pari successu domuit. Trapezuntium Imperatorem Dauid Comnenum cũ duob. itẽ filijs, qui omnes ad eius fidem confugerant, cum Ponticæ oræ & Cappadociæ principib. liberis, uxoribus. Byzantium uelut in triumphum duxit, dehinc crudelissimè occidit. Nec post tam insignem uictoriam Turcorum arma quieuêre, quin ea classe quam proximo anno in Propontide pararat, Mitylenem insulam (quæ & Lesbos dicitur) occupat, omni ferè insulanorum multitudine Byzantium, tanquam in coloniam abducta. Nicolaum Catalusium Lesbi principem immaniter trucidauit. Metellinum hodie insulam appellant, olim Genuensium, nunc Turcorũ. Non multo pòst in Daciam, quam Vualachiam hodie dicimus, profectus Mahometus, grauem ignominiam adijt, ut res bellicæ for-

cæ fortunæ arbitrio uariantur. Droulas Dacorum dux, Dracula ab alijs appellatur, cum sex millib. equitum, pariq; peditum numero, intempesta nocte Turcorum castra ferociter adortus, tantum iniecit terroris, ut nisi Mahometi ducis qui Chali successit (ut paulo antè diximus) consilio edictum esset, ut non ex equo, sed in uestigio quisq; stans ante suum tabernaculum pugnam capesseret, deleri potuerit uniuersus exercitus. Sic quoq; pars multo maxima cæsa est. Cæteri equorum pernicitate seruati sunt. Sed ferox hostis nihilo territus, Superiorem Mysiam, quæ nũc Bosna est, adortus, ex improuiso uniuersam terram fœdè populatur. Rex inopinato bello perculsus, ubi cuncta circa se uidit ferro & flamma ruere, fugam molitur. Iaica regni caput obsessa, captaq;: ciues in prædã acti, prouinciq; duces cum fratre & sorore regis ad triumphum seruati, Byzantium mittũtur. Sed Matthias rex postea recepit, ac Sabatiam similiter noua munitione cinctam, redemit à Turco, quem multis tormentorum machinis spolia uit. Deinde Peloponnesum penè insulam, quę uulgò hodie Morea dicitur, iam reliqua Græcia domita, hostili exercitu aggressus est. Thomas & Demetrius fratres, ultimi Christianorum principes Palæologi, hanc possederant. Hi cum inter se dissiderent, Demetrius ad Turcum defecit: is filia Turco in uxorem data, hostem induxit. Thomæ conatus cum essent irriti, perditis rebus fugiens, Romam cum capite apostoli D. Andreæ ad Pium pont. uenit. Sublato è Peloponneso Græcorum principatu, retinuerunt Veneti quædã in ea terra oppida: è quib. etiam pòst sunt à Turcis eiecti. Nã Mysia potitus, ac reliqua Græcia penè omni, etsi in Macedoniam exercitum esset trãslaturus, cũ intelligeret Venetos Corinthiacum Isthmum summa ope munire (decẽ enim annis Veneti tum nullum gesserant bellum) qui tanta usi sunt celeritate, ut totam muri longitudinem, quæ ab Ionio ad Aegeum mare protenditur quadraginta circiter stadia, quindecim dierum spacio duplici fossa, subitariaq; molitione firmarint. Trigin ta millia hominum eo loco operata dicuntur, sed ueteris structurę saxa, quę ad manus fuere, materiam prębuerunt operis celerius consummandi: ut Venetorum Annaliũ scriptor attestatur, lib. tertię Decadis octauo. Veneti labore perfecto, Corinthum urbem medio Isthmi interuallo sitam, Ephyren quondam dictam, tripartito agmine fruſtrà egrediuntur. Mahometus ut cœptum disturbaret opus, ex Bosna ueniens, Isthmum cum 80000 equitum, strage & cæde agrestum ingressus, agros Coroneos ac Motonenses populatus: dehinc captis proditione agris, dum 32. triremes Veneti in Turcorum equitatum immitterent, magna suorum strage fusi fugatiq; sunt: mille & quingenti cęsi. Pari infelicitate pòst in Lesbo quinq; millia hominũ amiserunt. Sed omnium crudelissima fuit Chalcidis urbis in Eubœa insula (quę uulgò Nigropõtus dicitur) expugnatio. Hanc cum Mahometus 30 diebus obsedisset, & continenti insulam ponte coniunxisset, circa muros sæpius dimicatum est atroci pugna, ut cum Turcus quadraginta penè millia hominum perdidisset (habuit enim in exercitu centum uiginti millia) de fuga ac obsidione soluẽda cogitaret: sed admonitus à suis, cum Venetę triremes, quę ciues Chalcidẽses facilè liberassent obsidione, metu perculsæ substiterunt trepidæ, pręmia Barbarus hostis pollicitus, per integram noctem ad lucem usque oppidanos prælio fatigauit, atq; hinc oppido potitus est. Hinc crudelissimè sæuitum est sine discrimine in omnem sexum ac ætatem: crudele edictum propositum, ut puberes omnes ad unum obtruncarentur: ac capitale esset, si quis supra uiginti annos quenquam natum seruasset. Magistratus & ciues necati diuersis locis. In foro præfectus urbis, in ædibus legatus, prætor urbis per medium sectus fuit: quia cum sibi uenia esset promissa à tyranno, cauillatus pollicitum se ceruici, non lateribus parsurum. Paulus Andreotius pulcherrimos commentarios de Chalcidico excidio scripsit. Sunt deinceps multæ insulæ, plures urbes à Venetis oppugnatæ: Turcis etiam crebræ illatæ strages, potissimùm Petro Mocœnico duce, qui magna felicitate usus, classis Venetæ

Imperator,

Imperator, hostibus multa ingessit incommoda, circa Smyrnæ urbis oppugnationem, ac Lyciæ Cariæq; prouinciarum depopulationem. Quanquam Turci interim & in Dalmatiam & in Forum Iulium ad Vtinum ciuitatem usq; irrumperent, ac pecore hominibusq; abactis, ingentem prædam abducerent. Quomodo tum in Cilicia Veneti cum Caramannis bellum gesserunt, Sabellicus tribus penè libris longè lateq; disserit. Dehinc Tureus spe potiundæ totius Italiæ, Scodram urbẽ Dalmatiæ in ea parte quę Albania dicitur, nouo nomine 80000. armatorum oppugnare adortus est, duce Solimanno eunucho, qui Bassa Romaniæ fuit, in defuncti locum in Persico bello substitutus. Ac duobus mensib. urbem obsidens, tanto conatu oppugnare aggressus, quanto post Byzantium nullum Christianorum oppidum: sed non sine suorum clade, quorum ad sexdecim millia periisse narrantur, etsi alij quatuordecim scribãt. Coriolanus Cepio hanc oppugnationem Scodrensem diligenter descripsit. Tertio mense Solimãnus reuocatus ab Imperatore suo, quòd Veneti fœdus cum rege Mathia Hungarorum iam percussérant, annuumq; stipendium regi dantes, magnis uiribus Barbarum hostem Christiano solo decedere coegit. Ea enim uictoria in Turcos usus Mathias, qua olim pater suus Iohannes Huniades (qui non modò sexies aduersus Turcos dimicauit, sed Sabazam etiam oppidum munitissimum cum mille ex regia cohorte Ianizaris Turco ademit) Solimannus Scodram relinquens, in Euxini ora Capham nobilissimam urbem Genuensium proditione suscepit. Adortus etiam frustrà Naupactum, quod nunc Lepanthum uulgò uocant, in Corinthiaco sinu, post quatuor mẽses coactus dissoluere obsidionẽ, subita ui frendens, in Lemnum insulam irrupit quidem, sed nihil profecit: Lemniacæ puellæ Marullæ industria, dum oppidũ Coccinum Turcus oppugnare nititur. inuasit tum Turcus in Epiro Croiam urbem, ubi Veneti haud contemnendam passi sunt cladem. Sed longè maior fuit subsequuta Sontiaca cędes, quam Marbechus Venetis intulit, toto agro ferro flãmaq; ad Vtinum usq; uastato. Sed indignatus Mahometes frustra obsessam prius Scodram, ad hanc expugnandam Alibechum cum 15000. Solimannum cum septuaginta millibus præmisit. Ipse subsequutus cum triginta millibus electorum militum, Scodrenses tã atroci oppugnatione adortus est, ut ex his, post multos fame ac ferro occisos, Veneti coacti sint pacem cum Turco transigere. Qua Scodra dedita cum Tenaro Laconiæ promontorio, & Lemno insula: & quotannis 8000. aureorũ, ut Pontica nauigatio Venetis negociatoribus tutò patêret, pollicíti sunt dare. Post pacem cum Veneti iam 16. annis cum Turcis depugnassent, Mahometus Neritum (quæ nunc Maura est) Cephaleniam atq; Zacynthũ insulas suo imperio adiecit, anno salutis 78. post 1400. Cum uerò post Constantinopolitanũ excidium sæuissimus tyrannus ui & armis penè omnes dictas regiones annis uigintiocto subegisset, insularumq; imperio potitus esset circumadiacentium, ægerrimè tulit Rhodum liberam esse. Eam igitur quatuor classib. oppugnare adorsus est frustra, semper clade affectus: cum partim ex suis captiui palo affixi, partim calamis perustis perfossi, partim membratim discerpti, terra mariq; trucidati succubuerunt. Cum ergo hoc non procederet, uersutia, dolis & proditione, subornatis qui se transfugas fingerent, rem tentauit: pacem simulat, si aut uecti gal, aut munera Rhodij offerant. Generositate animorũ Rhodij milites utrũq; reijciunt, fœdus & munera contẽnunt. Cũ igitur triennio de proditione Rhodi consultasset Mahometus, Petrus autem Daubusson princeps & Rhodiorũ militum magister, collapsos urbis muros ac mœnia restituisset, munitionibus egregiè custoditis, tyrãnus ira incensus, classem quàm potuit maximã, ut Rhodum perdat, cum centum millibus militum mittit. Ter urbem aggressus, septingenti primo congressu periêre, multi uulneribus cõfossi. Dehinc duo millia & quingenti, cum à nocte media ad diei decimam horam constanti prælio esset dimicatũ, occubuêre, auro uestibusq; preciosis spoliati. Postremò ceciderunt

tria mil-

tria millia quingenti, cum penitus urbem diruere moliretur Turcus. Est tum crux aurea media oppugnatione in cœlo ab hoste conspecta, cum simulachro Deiparæ uirginis hastam uibrantis: uisa & Iohannis Zachariæ filij imago cum numerosa manu urbem tutari. Hinc Rhodus tum cœlesti, tum diuina ope defensa est à tam sæua crudelissimi hostis oppugnatione, obsidioneq; quæ undenonaginta dies durauit. Qua trucidati sunt hostium millia nouem, uulneribus debilitati quindecim millia. Cum ignominia igitur abiens confusus Mahometus, dum denuò Rhodum aggredi statuit, insperatò suffocatus morbo, horribiliter occubuit. Ferunt tyranno, dum nemora prætergrederetur ac syluas, comparuisse iuuenem inter ramos forma augustiore, humanam speciem excedente, ornatum ueste candida, manu ensem strinxisse, necemq; tyranno minitasse, atque dixisse: Hoc te confodiam ense. Quo uiso usqueadeo expauit, atque metu perculsus concidit, ut quasi furore attonitus, fœtidam repentè euomuerit animam. Apparuit eo die signum crucis in cœlo, quo frustrà Turci turrim in Rhodo globeo saxo concusserunt, cum mors Mahometi intellecta est. Sed de Rhodiaca oppugnatione cum Guilelmus Caousinus magni Rhodiorum magistri (ut nostri dicunt) uicecancellarius commentarios diligentissimè conscripserit, superuacuum censeo copiosius de hac re enarrationem protendere. Eo etiam anno Pirametus Caramannus fudit magnas Turcorũ copias. Priusquam tamen moreretur tyrannus, Hidruntem in Apuliæ & Calabriæ finibus (ubi Ionij maris & Ausonij discrimen modico aquarum interuallo iacet) subito incursu oppressit. Quo nuncio tota Italia ita timore territa prostrabatur, ut de salute dubitaret: nisi diuina prouidentia, ne pestis illa pestilentissima latius serperet, è medio draconem hunc submouisset: qui lõge antè debebat ignobilissima suorum custodum ac uigilum cæde interfici. Fuerunt nonnulli Ianissarij ac cubicularij, quos sui studiosos homo demens arbitrabatur, qui de interimendo tyranno consilium iniêre: perpetrassentq; cogitata, nisi unus ex conspiratoribus & Græcus & Constantinopolitanus Maudromenus, nescio quo infelici fato, tam salutare facinus è manibus uictorum extorsisset. Ingressi enim tentorium uinosi & stertentis domini probissimi adolescentes, cum iam contentis arcubus sagittas emissuri forent, perfidus ille Maudromenus, ueluti quodam afflatus infesto spiritu, conclamat repentè: Caue uitæ tuæ mi here Amyra, caue tibi, caue: suoq; illum consopitum corpore procumbens protegit. Et ita qui certò periturus erat, unius Christiani serui impietate seruatus est. Nã & reliqui impudici adolescentes, exoleti ac catamiti clamore excitati, confestim auxilium tulerunt. Experrectus tyrãnus suam funestam rabiem generoso conspiratorũ cruore satiauit: immanis alioqui, & ad omnem cædem feruens ac alacris. Ex ea hora omnes pòst suspectos habuit, neminemq; sibi fidum putabat (quis enim eum amet, quo nemo crudelior, nemo atrocior ac superbior? nemo ingratus magis unquam extitit?) neminem itaq; in cubiculum quiescendi tempore, qui duodecimũ ætatis annũ excessisset, admittebat. Narrant quidã aliter hanc historiam: Quòd scilicet in Oriente quidam magnus Tartarus, ob odium quod in Turcũ habuit, famosos quosdam artis necromanticæ atq; expertos incantationibus, precibus ac precio induxerit, ut caput Turci ei deferrent. Cum remotis omnibus arbitris regi curioso hoc pollicerentur, insignem priusq; non uisam magicę experientiam putantes, regem solum si alios excluderet, facilè detruncaturum. Rex certior de insidijs factus, dum in habitu ac forma religiosorum, intus uerò armis bene muniti regiam ingrederentur, hoc quod in regem meditabantur, in se experti sunt: capti omnes obtruncati sunt. Cœpit deinceps religiosos omnes per edictum imperio expellere: nec ullum sinebat in habitu religionis captum euadere: omnes quotquot cepit, uita priuauit. Pauperes undiq; uerberare iussit. Commouebatur enim innumerabilibus flagitijs sceleribusq; suis inauditis: & pertimescebat ab illis pœnas, quos uel ipsos, uel eorum aut parẽtes aut

patriam

patriam tot iniurijs cõtumelijsq; affecerat. Et quod ratio antè non potuit, eum supplicij formido à quotidiano instantiq; periculo reddebat cautiorem. Sic qui antea negligentissimus erat sui corporis custos, qui nihil aliud neq; cogitabat neq; exercebat, quàm se uino exquisitissimo obruere, ac obsonijs uarijs ingurgitare: ita se composuit postea, ut nemo ad custodiendum esset eo diligentior, nemo ad suspicandum sagacior, nemo ad uindicandum seuerior. Homo naturà uersutus, & usu, non tam prudens quàm malitiosus. Et quãto corpore ob turpissimas uoluptates fuit imbecilliori, tanto erat animo immanior ac crudelior. Voluit se palàm laudari, cũctisq; summis Imperatoribus ac regibus quotquot sunt aut fuerunt uspiam gentium gloria anteponi. Matthiam Hungariæ regem solum excipiebat, quem etiam Principis nomine strenui honorabat: ob id & Deum contempsit, & in cunctos homines per omnem sæuitiam & contumeliam debacchabatur. Magnus ob id Turcorum Imperator appellari ex magnitudine rerum gestarum uoluit: quòd cum Asia potitus, auctis paterni regni uiribus, in Europam copias ingentes per Hellespontum classe traiecerit, Byzantiumq; expugnauerit, Mysiam utramq; Thraciam, Pelopõnesum, Acarnanos, Aetolos, Ambraciam, Epirum atq; Illyricum in potestatem redegerit, Asiæq; minoris regna penè duodecim obtinuerit: Pontum denicq; Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pãphiliam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Phrygiam, atq; omnem Hellespontum. Ad solis ergo ortum & occasum, plures terras, mariaq;, insulas & regna imperio adijciens, plures uictorias in Asia atque Europa assequutus est. Cum igitur annis unum & triginta sęuissimè regnasset, ab expugnatione Rhodiorum discedens, ignominiaq; confectus, mortuus est anno ætatis quinquagesimo octauo: Anno uerò salutis humanæ octogesimo primo, post millesimũ quadringentesimum, quinto Nonas Maij. Tanta lętitia uniuersam affecit Italiam (nam capto Hydrunto florem omnem Italię triennali bello penè absumpsit) ut Sixtus maximus Põtifex, qui iam de fuga in Galliam cogitabat, urbemq; tutelæ sanctis Apostolis relinquendam æstimauerat, cum patribus totius curiæ, Cardinalibus, Episcopis, & omnis dignitatis sacerdotib. ac cum plebe uniuersa Deo gratias agens, tabernas claudi, iustitium ac triduale sacrum indici iusserit, quòd de medio funestissimũ hunc draconem sustulisset, lateq; manantem flammam rore suæ diuinæ prouidentiæ extinxisset. Vnde quidam ei tale finxit Epitaphium:

Qui uici innumeros populos, tot regna, tot urbes,
Solus & immensi qui timor orbis eram:
Me rapuit, quæcunq; rapit mors improba. sed sum
Virtute excelsa ductus ad astra tamen.
Maior Alexander non me fuit, Hannibal & non,
Fuderit Ausonios tot licet ille duces.
Vici uictores Danaos, domuiq; feroces
Chaoniæ populos, Sauromatasq; truces.
Pannonius sensit quantum surgebat in armis
Vis mea, quæ Latio cognita nuper erat.
Arsacidæ sensêre manus, has sensit Arabsq;,
Et mea sunt Persæ cognita tela duci.
Mens fuerat bellare Rhodum, superare superbam
Italiam, sed non fata dedêre modum.
Heu mihi, nam rapuit mors aspera: quæq; sub alto
Pectore condideram, uertit & hora breuis.

BAIAZETHVS II. OTHOMANNVS,

NONVS TVRCORVM CÆSAR, QVI SE TALI TI-

tulo inſcripſit: Chan, eſt, maximus maximorum, Imperator Imperatorum, Græciæ atque Aſiæ Rex inuictus.

BAIAZETHVS, quem alij Pazaiten uocant, filius Mahometi, regni paterni ſucceſſor, per uaria bella & fraternas cędes imperium aſſequutus eſt. Mortuo enim Mahometo, ſubitò omnis (ut eſt mos gentis ſeditioſæ) perijt obedientia: publicum ærarium ſublatum, commilitones ueterani ac tyrones, negociatorum ac Hebræorum fortunas diripuerunt: maiorq; in minorẽ nulla ſeruata honeſtate ſæuiebat, inteſtina odia ac mutuas cædes exercebant. Reliquit nepotes quinq;, qui ad occupandam ditionum paternæ hæreditatis portiunculã aſpirabãt, hi factiones ſuſcitabant. Sed maior factio inter duos fratres exorta eſt: duos enim reliquit filios Mahometus, hũc ſcilicet Baiazethum maiorem natu, quem Hildrimi uocant, dicuntq; ſignificare fulgur: minorẽ Zyzymum, quod amor ſonat. Formidãs pater dũ uiueret hoc quod poſt eius mortem accidit, ut ex ephebis exceſsêre, diuerſis locis diſiunxit, ne imperio implici ti, aut publicis negocijs intenti, alter alteri ob futurum imperium inſidias ſtrueret. Prouinciarum præfectos eos conſtituit, ut uterq; ſua prouincia contentus, quietam tranſigeret uitam. Rariſsimè ſe mutuò conſpexêre. Baiazethus habuit Paphlagoniam ad Euxini maris littora, qui molliſsimam agebat uitam. Zyzymus uerò minor natu, Lycaoniam poſsidebat: ac circa Iconium ueterẽ Lycaoniæ urbem, uenationi, thermis, natationibus, comeſſationibus, iuueniliter laſciuiebat. Cognita patris morte inopinata, uterq; ut prior imperio ac regia gaza potiretur, raptim Conſtantinopolim ad regiam ſedem properabat. Hic Orientalium & Perſarum uiribus in Aſia confiſus, ille uerò commilitonũ fauore. Sed iam tumultuatum erat Conſtantinopoli inter milites ducesq;, parte una militũ ad Baiazethum trahente ſummam imperij, altera ad Zyzymum. Cruentis gladijs dum inter ſe dimicãt, Baſſa unus occiditur, tumultuante plebe. Achmatus Baſſa Hydrũti expugnator, uir militaris, animo manuq; promptus, ut ſeditiones exortas ſedaret, nihil prædæ intentus ut cęteri, turbulentum rerum ſtatum, intrà audacia, nec minori calliditate, ſuccinctus ualida manu eorum qui Baiazetho adhærebant, ſic pacauit. Vnum ex liberis Baiazethi, qui tũ octauum & decimum agebat annum (plures enim habebat liberos) regio ſolio collocat, ignobiliq; uulgo irarum minarumq; plenus oſtentat: huius patrem Imperatorẽ iam à nobilioribus declaratum eſſe affirmat, imperialiq; diademate dignum uultuoſus proclamat. Byzantini anxij ac ſolliciti, uictoris gladium ſæuũ iam pertimeſcebant: altera factio attonita, dolorẽ iramq; diſsimulabat. Sic huic aſtruxit imperium Achmatus, autorq; fuit ut dum pater abeſſet, eius filius ſummæ rei præficeretur. Paulo q; pòſt Byzantium Baiazethus celeri curſu uenit, paucisq; triremib. eò per Euxinum delatus, ui & armis imperium uindicaturus. Sedata domeſtica ſeditiõe, magnoq; plauſu exceptus, Rex & Imperator ſalutatur: moxq; paternam gazam in ſuam redegit poteſtatem. cum quo pater priuſquam ex humanis excederet, paulo antè plus quàm ciuile bellum meditabatur. Zyzymus uerò per Lycaoniam ac Bithyniam terreſtri itinere, etſi pari feſtinatione accelleraret, uiarũ tamen diſpendio moratus, principatu ac potiundi regni ſpe fruſtratur. A ſuis adhortatus, Pruſiam Bithyniæ ueterem quidẽ regiam occupat, germanum in certamen prouocans, ſi poſſet, nondum fratris firmato imperio, animos quorundam in aliam & ſuam flectere partẽ. Regebat tum Cariam & Lyciam cum Baſſæ cuiuſdam filio alter Baiazethi filius, annos natus uix decem & quatuor: adoleſcens formæ elegantis, & ſupra ætatem moribus grauis & ornatus: cui auus Mahometus clemẽter indulſerat has regẽdas. Is patruum audiens exercitu

exercitu ualido aduentantem, ut patrem regno deturbaret, sibi quoq; immine re pericula iam ex fraterna seditione colligit. Ac ne in insidias præcipitetur incautus, equis pernicibus ad fugam paratis, cum ad Rhodios festinaret, hæsitabundus in littore onerariam inuenit, & Callipolim defertur, tum Byzantium deuenit. Licet aliqui eum delituisse autumãt, & post patrui discessum rectà Byzantium contendisse scribant. Baiazethus, ne Asiæ ueterem regiam amitteret, haud contemnendam imperij sui portionem, Achmatum Bassam cum instructo exercitu per Propontidem mittẽs, fraternis copijs obijcit. Qui cum Asiatici omnes Europæos milites & audaciores & robustiores timerent, uicibus suis non fisus Zyzymus, Prusios relinquens in Syriam transit. Tum sacrorum causa Hierosolymis templũ Salomonis reuisit. Dehinc per Arabiæ deserta ad Suldanum Aegypti regem Memphim se contulit, quam uulgò Cairum dicũt, alij Carras: à quo non modò comiter est acceptus, sed etiam in aduersitatibus suis consolatus. Cum peteret ab eo tanquam legis Mahometicæ custode ac patrono per Mahometi sacraria, ne ob fraterna dissidia religio Turcorum periret, fratrem de sua atrocitate ac superbia castigaret, rebusq; afflictis consuleret: dum Sultanus frustra quidem fratrum discordias componere annititur, Zyzymus Mecham magno mercatorum ac peregrinorum comitatu ad Mahometi pseudoprophetæ sepulchrum uenit, religiosius & supplex Mahometem ueneratur. Reuersus ad Sultanum, quia nulla pax inde sequuta est, cum Baiazethus fratris contemneret imbecillitatem, maiore animo quàm spe imperij per uim recuperandi, meditatur bellum, defectionem ducum nouam per amicos clàm semper molitus. Donatus igitur ab Aegyptiorum rege, peragrata Syria, Isthmum minoris Asiæ, quam ætas nostra uocat Turciam, penetrat, Ciliciæ regem Caramannum adit, cui à Mahometo Cilicia, Mesopotamia, paternæ regiones, ut superius scripsimus, ablatæ erant. Qui Zyzymum aduersus germanum sollicitãs, multaq; pollicitus, Imperatorem salutat, cuius ope sperabat amissa recuperare. Iunctis igitur castris, iuxta Laraudam ac Iconium castrametãtur, ut bellum Baiazetho inferant. Baiazethus in tanto discrimine etiamnum anxius, & fratris apertum bellum, & ducum occultas defectiones uerebatur. Achmatus enim Bassa, simultates quasdam clàm cum Imperatore, nescio quam ob causam habuit, cuius in primis defectionem ad fratrem timuit, utpote per quem prius absens imperium consequutus fuit. Subsequutus igitur Achmatum, qui iam contra Zyzymum processerat, magna auri profusione inconstantes Asiaticorum animos sibi cõciliando, & militiæ præfectos & milites omnes in officio tenuit. Zyzymus & Ciliciæ rex à profugis edocti de ualidissimo fratris exercitu (ducenta enim millia armatorum ad bellum hoc egressa feruntur) cum se uiribus impares agnoscerent, mõtis Tauri iuga (quorum obiectu Syriam à se excludit Cilicia) ne obsiderentur penetrarunt, ut natura loci tutiores essent ab insidijs. Nam literis ac nuncijs ultro citroq; missis & acceptis, studium pacis Zyzymo frater præferebat: ducenta millia nummũm auri, & supellectilem regiam, si regni fines excedat, in fœdus pollicetur. Clàm autem dolos prætendit, ut uiuus in potestatẽ suam ueniret. Ob id ut fratris uersutiam fugeret, Rhodijs sese primùm per literas, tũ per Oratores cõmittit: ac paulo pòst oneraria naue Rhodũ est delatus, perbenigneq; à magistro militum & regio apparatu est exceptus, anno nostræ salutis 82. post 1400. cum id prius epistola quadam Baiazetho sagittæ alligata, ac uiolenter arcu in exercitum excussa, significarit. Qua perlecta, ita in lachrymas est resolutus, ut amenti similis, tacitus in tabernaculo diu sederet, ægerrimè ferens fratrem ad Christianos defecisse, ob quorum ignominiam pater eorum interijsset. Cæterùm par est, ut de moribus Barbari principis, & de corporis dispositione, quantum ex his didicimus qui eum de facie uiderũt, aliqua depromamus. Fuit tũ cum apud Rhodios esset acceptus rex Zyzymus, annorum octo & uiginti, corpore procero, ualetudine prospera, facie ferocitatem

tem præ se ferente: oculis glaucis ac subobliquis, supercilio denso, aquilo colore, à nasi radice ferè utroq; cohærente. Sinistrum in frontem eleuabatur, dextrũ ad oculum uergebat. Nasus aquilinus, os paruum, labia crassa, mentum exile, barba rara, non promissa, sed ad cutem forcipe tonsa. Ceruix obœsa, corpus pingue: uorare enim uerius, quàm mandere solebat. Brachia, crura, tibiæ ac pedes, pro portione compacti. Non tamen pinguedine impediebatur, quo minus saliendo, equitando, uenando ac sagittando habilis foret. Si quid concepisset indignationis, oculorum motus & uox acuta, caprino simili clamori, indicabãt. Sed præsentibus uiris prudentibus faciem temperauit: simulator & dissimulator promptus. Cum quietus erat, loquebatur modestè & temperatè: nec à principis dignitate, quãquam profugus esset & extorris, cessit. Voracissimi stomachi fuit, auideq; cibum sumebat, bibebat auidius citra principis dignitatem. Vinum aromatibus conditum diligebat, & aquam saccaro infusam patrio ritu potabat. Et assa & lixa fastidiebat, & uinum austerũ: quoniam aquam cum saccaro in usu habuit quotidiano. Vtebatur assiduè balneis thermisq;, aquaq; gelida crebrò perfundebatur. Natabat libenter cunctis astantibus in pelago. Obseruantissimus legis Mahometeæ. Vbicunq; habitauit, ædium cellulas omnes lustrauit, ac undiq; decubuit: nonnũquam etiam sub diuo, etsi paratũ haberet cubiculum. Subtristis & cogitabundus semper uidebatur, nec ullum lætitiæ signum dabat. Turcorum lingua peritissimus, qui à cunis literis incubuit, ut etiam gesta scribere doctus esset. Res nanq; genitoris magnificè gestas literis mandauit. gentilium literarum non ignarus. Reliquit autem apud Carras matrem, inclyta regum Seruiæ familia natam, duosq; liberos tenellæ ætatis, masculum ac fœmellã. Baiazethus interea frater, cum iam principatus gubernacula teneret, audiens fratrẽ quem regno spoliauerat, ac bello consequutus erat, ad Rhodios confugisse, ut confugij spẽ auferat, Rhodiorũ generositate allectus, pacẽ inire cũ ijs molitur. Missis Oratorib. cũ inducię semestres suasu præsidis Lyciæ statutæ essent, in his Achmatus Bassa Imperatoris cõsiliarius, qui Hydruntum expugnauit, tã diu literis Rhodi Magistrũ ad pacẽ hortatus est, donec Rhodiorũ legati cũ Turco fœdus haud ignobile, priusq; inauditũ percusserũt. Quod quia ppetua memoria dignũ est, posteris quoq; uolui manifestare. Baiazethus enim Turcorũ Imp. iureiurando pro more Mahumeteæ religionis adactus sic fatur:

Miles gladium ne stringito.
Clades inferre caueto.
Nec continenti, nec pelago armis locum dato.
Classem offensam salutato.
Negociator tutò mercimonia exerceto.
Commeatus sumito.
Seruum profugum si in lege uersatur, restituito.
Si extra legem est, x x nummûm auri exoluito.
Arx sancti Petri perfugis patens esto.
Superstite Baiazetho principe pacem seruato.

Hac forma pace stabilita, per Oratorẽ Baiazethus Turcorũ rex Magistrum Rhodi precatur, ut Zyzymũ fratrẽ, quo fomes bellorũ penitus tollatur, sub aliis suis foueat ac protegat, pro annuoq; sumptu pollicetur 450000. nummûm auri, quos Calend. Augusti quotãnis Rhodi exoluere bona fide promittit. Quas conditiones Magister Rhodi, ut tempori cederet, ne dissidij materia peior oriretur, assumpsit. Interea Achmatus Bassa, Hydrũti expugnator, qui fratris Zyzymi partibus fauere, nec pacẽ, sed arma homo ferocissimus, & Christiani nominis atrocissimus hostis expetere uidebatur, Baiazetho cõtrarius, qui pacem amabat, ueneno in conuiuijs (uel ut alij uolunt) arcu collum traiectus, in cõclaui perijt, atq; occisus est nece condigna, rege sic procurante. Nam quia potens erat, & auro grandi abũdabat, regi semper suspectus fuit, qui uerebatur ne fratrem

trem Zyzymum in regnum (ut sæpe iactitabat) introduceret. Nam quieturus non erat, qui clades ingentes finitimis illaturum sese minabatur: cum animo audax, manu foret promptus, rerumq; bellicarum peritissimus. Missus est itaque Zyzymus, quo tutior esset, in Gallias ad Christianissimum Francorum regem, licet ueteri constitutione Iudæi, alienique à fide catholica regno excluderentur. Cæterùm ut Baiazethus gratiam Magistri Rhodi, maioremq; amicitiam assequeretur, dextrã Ioannis præcursoris dono mittit. Et cum anno sequenti, octuagesimo scilicet quarto, post 1400. in Maio ingentem pararet classem, numerosumq; exercitum, in Italiam per Hellespontum mittendum, suadente Magistro Rhodi, ac minitante, si aliter faceret, fratrem contra se emissurum, exercitũ dissoluit, iuramento adhibito. Dehinc est Zyzymus Romam perductus, anno octauo & octogesimo supra millesimũ quadringentesimum: & Innocẽtio VIII summo pontifice, qui Sixto successit, datus: arte & solertia Leonelli Concordiensis antistitis, Legati apostolici. Nam Baiazethes per legatos præter cætera, sacratissimũ Christi sepulchrum cum Hierosolymis, & omni terra quæ Sancta dicitur, Christiano nomini se daturum pro Zyzymo pollicebatur, & lanceam Christi pariter. Rex Hungariæ Matthias & hunc impensè petebat, qui Zyzymo sibi dedito, indubitatam de Turcis uictoriam pollicebatur. Vicit tamen facundia antistitis, ut Pontifici traderetur: sub custodia tamen militum Rhodiorum est detentus. Sub Alexandro tamen Sexto, cum Carolus Francorum rex urbem cepisset, ei obses datus, cum duce Valẽtino filio pont. mortuus est uenено, Alexandro pont. haud ignorante. Qui cum infenso esset in Gallos animo, omnia prius maluit, quàm res Caroli per eum fieri meliores. Carolus enim ea conditione pacem cum Alexandro sanxit, anno salutis millesimo quadringentesimo quinto & nonagesimo, Idib. Ianuarijs, ut Zyzymum Baiazethi regis fratrem sibi traderet, qui in Vaticano custodiebatur, quem ut ueneno tolleret, ab initio Gallici tumultus per literas cum Alexandro egerat. Rex Barbarus magnum auri pondus, si eam sibi operam nauasset, pollicitus est: nec solùm Zyzymus datus est regi, sed in fœdere etiam positum, ut Valentinus quatuor mẽses regia castra sequeretur, ut omnia pontificis loca Gallis amicè paterent. Sed hęc de Zyzymo fratre hactenus: nunc ad Baiazethum Imperatorem reuertamur. Cum enim ab initio imperium & paternam adiret hęreditatem, domi (ut dictũ est) & foris tumultus undique excitati sunt. Nam & in ora Macedoniæ Iohannes Castriotus Scanderbecchi filius, prælio apud Croatiam prosperè cõmisso, Baiazethi arma suis expulit finibus. Pari etiam successu Iohannes Cernouichnis 315
subita rebellione adeò Baiazethum perculit, ut tributo tantùm imperato, passus sit eum obtinere, quæ post Mahometi obitũ armis receperat. Omnium uerò prosperrimè rem Christianam Matthias Hungarorum rex in Turcos gessit: ut ijs non minori esset terrori, quàm olim Huniades pater. Ingẽtem enim exercitum ab initio sui regiminis, qui Sirmienses agros uastabant, fudit fugauitq;, ac castra ab eis possessa redemit ac recuperauit. Valida etiam manu maiorem Seruiæ partem penetrauit, multa felicissimè gessit, & multa strenui militis opera atq; præclara facinora edidit. Bosnense regnum, quod uulgò hodie Romam uocamus, è Turcorum manibus subtraxit. Castrum Iaycza munitissimum, ui & armis subegit: finitima loca deditione cepit: captiuos plures cum insigni & nouo triumpho abduxit. Dehinc iterum cum à Mahumeto Baiazethi patre arx Iayce obsideretur, tam cruento bello repulit Turcũ, ut coactus sit impedimenta & machinas omnes post se in prædã & spolia Hungaris relinquere. Vt suprà 316
scripsimus, Mahometus hunc solum Matthiam inter Christianos duces Principis nomine dignabatur. Sabatiam inde arcem munitissimam ad littus Sauí fluminis sitam, strenuè è faucibus Turcorum eripuit. Et licet iterum occupare annixi essent, sunt tamen ab Hungaris denuò repulsi. Quòd si potestati Matthiæ traditus fuisset Zyzymus, credo equidem ex tota Europa omnem Turcorum

familiam facilè potuisse eijci, & ultra mare repelli. Moliebatur aũt Baiazethus bellum interea in Syriam Memphitico regi, qui olim fratrem consilio ac donis iuuarat, opulenta classe in mari parata: Venetos orauit, ut sua pace liceret Cyprum classem appellere. Venetis suspectum fuit, ne consilia Turci, quę ignorabant, subitò mutarentur, occasione aliqua reperta: ob id petitum Turco negatum est. Sed is nihilominus classe sua Lycię, Pamphilię & Ciliciæ oram prætervectus, Syriam attigit. In Ciliciæ finibus biduo dimicatum, Turcorum infelici exitu. Memphitici duces amissis priore prælio commeatibus, quos medio pugnę ardore locorum accolæ diripuerant, inopiam ueriti, si bellum traheretur: sequenti die in equum egressi, hostem ad pugnam eliciunt. Est hic à prima luce ad noctem tanta utrinq; strage certatum, ut pauci pro numero eorum qui in acie steterant, cædi superfuerint. Centũ millia Turcorum eo die conflixisse fama est, quorum uix tertia pars superfuit. Nec minor clades Aegyptios pro numero attigit: ex septuaginta millibus, qui in prælio fuerant, dimidium est desideratum: neutra parte pro uicta prælio cedente, tam obstinatè pugnatum est. Sequenti nocte Baiazethi duces per silentium in pacatum concessere, relictis castris commeatibus refertis hostibus. Sed dum circa ostium fluminis Selphice (quod Orontem aliqui suspicãtur esse) classis staret, tẽpestate maris fœdè disiecta, miserum spectaculum hostibus præbuit. Paucis interiectis annis, iterum Othomannica classis Hellespontí faucibus egressa, non sine magno Venetorum terrore, præter Græciæ oram uecta, haud procul Corcyra tumultuosè consedit. Baiazethus rex tum ingenti exercitu terrestri in Epirum uenit. Tota hinc uis bellica in Chimerinos uersa est. Tenent ij arduum & inaccessum penè locũ in Acroceraunijs (Strabo Chimerium uocat, eminẽsq; id solum interpretatur) huius loci incolæ ferox & indomitum genus hominum, aliquandiu tributum Baiazetho abnegauerant, ob eam rem petiti sunt bello. Sed ij terrificos hostiũ apparatus ueriti, metu subacti cessêre. Chimerinis itaq; ad imperium retractis, Baiazethus retrò pacatus abijt, nihil molesti Venetis (quia pacem uiolare noluit) inferens. Dehinc est maxima clades à Christianis in Liburnia (quam nunc Croatiam dicimus) accepta, cum septem millia hominum sunt uno prælio interfecta. Conflixerũt in ea pugna nouem millia Hungarorum, Croatorumq;, quorum terram assiduis excursibus uastabant Turci. Sed Turcis uincentibus, cæsa est Christianorum acies, ex parte multo maxima. Vix duo millia media strage dilapsi, per saltus & nemora in pacatum abierunt. Victor hostis ut cæsorum numerus commodius iniretur, nares iacentium exectas, baltheolisq; infertas secum extulit. Cæterùm Baiazethus cũ Mahometeæ legis uiolator quotidie mero maderet, in omnem luxum resolutus, nullum insigne ipse gessit bellum, naturà etiam formidolosus. Maximè tamen Gallum regem uerebatur, cũ quo primùm fratrem Zyzymũ esse inaudiuit. Sed is postquã ueneno sublatus est, & Alexander pontifex, Maximilianus Cæsar, Ferdinandus Hispaniæ rex, Ludouicus Sphortia, & Veneti nouum fœdus inierunt, Franco exclusо, metu solutus, nihil timuit. Anno dehinc salutis humanæ nonagesimooctauo, post millesimum quadringentesimum, excursiones Turci in Carnorum regionem faciunt: octo enim millia Turcorum iam aperti hostes Italiam ingressi, per Forojulienſem agrum cum metu ac trepidatione agrestium, Liquentiam usque prædabundi processere: uillæ passim direptæ ac incensæ, multi mortales capti, in captiuos sæuitum: transmissoq; Tiliauento fluuio castrametati sunt. Veritiq; ne ab hoste includerentur, aut grauem prædam pertæsi, ingentem captiuorum numerũ mares promiscuè & fœminas uno in loco fœdè trucidarũt, magnamq; uim hominum abduxerunt. Croatia quoq; igne ferroq; consumpta, & crebris incursionibus penè exhausta est. Sed & regnum Poloniæ uastatum à Turcis, sexaginta millia hominũ inaudita crudelitate abducta sunt. Maritima dehinc classe circa Pelopõnesum cũ Venetis Turcus mira fortunę uarietate dimicauit,

nunc

nunc territus manum cõserere fugiens, nunc in portu dum aquatum uadit intercluſus. Sed cum naualis pugna exoritur, naues ferreis manicis conſertæ, inſolubiliterq; inter ſe cohærentes, incendium accipiunt. Quo Turcorum plurimi territi, ex ſua naue in ſubiectum mare præcipitati deſiluerunt, ſuntq; ſuorum occurſu ſeruati. Quòd ſi ducem habuiſſent Veneti militari diſciplina exercitatiſſimum, de hoſtibus triumphaſſent hoſtiliter. Sed è manibus emiſſa fortuna, dum Turcum qui Peloponneſi dextrum littus legebat, ſubſequuntur, circa Naupacti fauces iterum elabi hoſtem fœdè ſine pugna permittunt. Naupactum deinde urbem uetuſtiſsimam, quam hodie Lepanthum uocant, Venetis ademit. Sequenti uere Baiazethus rex terra mariq; bellum in Peloponneſo reparauit, hoc eſt, biennio poſt Carnorum euaſtationem, ualidiore quàm antea claſſe, & maiore terreſtri exercitu: ad centum enim & quadraginta armatorũ millia duxit. Quibus copijs Metonem terribili oppugnatione adortus, æneis machinis urbem undiq; concuſsit. Et poſt alteram oppugnationẽ, cum diu uiriliter Metonenſes in fide perſtitiſſent, fruſtra Venetis ſubueniẽtibus, urbs capta, direpta, ac magna ex parte incenſa, omnibus oppidanis ad unum cum præſule ſuo necatis, fœdiſsima cæde Metone capta, lunco deditione potitur, mox & Corone. Tum proficiſcitur domum. Claſsis Veneta ad Helleſpontũ ſubſecuta, biremes & alia nauigia aliquot ademit hoſti, inſulas quaſdam depopulata, Aeginã, Zacynthum, & Cephaleniam: quam poſt diſiecta mœnia adorti, oppido uniuerſaq; inſula tandem Veneti ſunt potiti. Corcyrã tum recipere cogitant, cum noua Turcorum claſsis ab Helleſponto profecta, in Ambraciũ ſinum, quem nunc Larte uocant, inſedit. Vbi Veneti direptis quibuſdam hoſti nauibus, quibuſdã incenſis, Corcyram cum præda onuſti redeunt. Turcum in Peloponneſo recipiunt, quã poſt paulo iterũ amittunt. Sic bis eadem arx intra annũ metu hoſtib. dedita. Poſtremò Gallorũ claſsis ex Neapoli progrediens, per Ioniũ in Melum inſulam proceſsit, ut ſuppetias Venetis ferret. Duces coniuncti, Lesbũ inſulam inuadunt, Mitylenẽ uetuſtiſsimã inſulæ urbem ſubita oppugnatione adoriunt, parte muri magna diſcuſſa. Sed fruſtra ab initio. Tandẽ cæſis qui auxilio mittebantur, ac partim fluctibus obrutis, obſidio cõtinuata. Sed aufugiẽte inde Gallo, eius prætoria nauis tẽpeſtate maris ac fluctibus abſorpta periit. Veneti quoque obſidionẽ ſoluerunt, ac in Corcyrã delati ſunt, relicta hoſti inſula. Paucis dehinc interiectis annis, circiter ſecundũ uidelicet ſalutis noſtræ & quingenteſimum, poſt milleſimũ annum, mira formidine perculſus Turcus fama noui prophetæ Sophi, quẽ alij Eliã uocant, patria lingua bonũ interpretatũ, omnẽ exercitũ ne Natoliã ingrederet, ad ſe reuocauit, ut hoſti reſiſteret. Tantũ enim mouit hic propheta (licet alij bubulcũ ac idiotam uocitẽt) tumultũ, cum è Perſide excitatus, Armeniã uſq; immẽſo exercitu uenit, patris interitũ ulturus, ut quidã ſcripſere, ab Vſocaſſano interfecti, cum 40 millibus uirorũ: licet illius ex ſorore nepos feratur. ut ex quatuor filijs relictis Vſocaſſani unum occiderit, ac uiginti quandoq; millia ſtrauerit fuderitq;, tres reliquos captiuos abduxerit, paulòq; poſt interfecerit. Dehinc Tauro tenus progreſſus, omnes urbes, uillas, oppida, totamq; Vſocaſſani regionẽ ſuo ſubiecit imperio. Deinceps finibus Turci terrorem iniecit maximũ, à quo Caramannorũ per oratores petijt regiones hæreditarias. Turcus enim fama reipſa maiore (ut nõnulli arbitrantur) cõmotus, imperio ſuo timens, plures domos in Cõſtantinopoli, ſupra ducentas uidelicet, igne iuſsit perimi, & in his inhabitatores, qui de hoc bene ſentiebant loquebãturq; propheta. Publicoq; edicto ſub capitis pœna uetuit, ne quis de hoc publicè loqueretur aut ſcriberet. Per oratores enim hic Sophi ſuos, qui miſerã ſeruitutẽ in Turcia ſeruiebant, repetebat: Turcumq; hortabatur, ut abiecta ueteri religiõe, ſuam aſſumeret, habitumq; immutaret. Eſt enim ei ornatus capitis roſeo galero cinctus, opertaq; facie more Moſeos populos audit, reſpõſaq; dat, ac ſe pphetã Dei nominat: uir alioqui iuſtus ac pius, qualẽ fuiſſe eius patrẽ uulgò prædicant,

qui ut deus aliquis terrestris (dum uiueret) à plebe uenerabatur, immortalem Deum, qui mundum creauit, iubet adorare: cuius hæc uisibilia sint opera, sol, luna, stellæ. Mahometem seruum emptícium per contemptum publicè nominat: eius hæreseos codices ubiubi reperit, Vulcano donauit castigãdos. Priusquam enim tantum coegisset exercitum, in urbibus Persiæ singulis, adiacentibusq; regionibus, ob intestinas seditiones propter religionem subortas, multos dissecuit. Plericq; neci dediti, cum à suis obruerentur, qui Mahometicam obseruarẽt insaniam. Tum templa etiam Mahometi dicata obrui iussit, ex ijs quoq; equis canibusq; stabulum fieri præcepit. Antiqua uerò templa à Turcis diruta, exędificari instauraricq;: Armenos Christianos ultrò obuiam ob metum procedẽtes, bona spe esse iussit. Habet enim secum tres Armeniorum sacerdotes, doctrina & uitę integritate ac sanctimonia insignes, qui quotidie lingua Armenica, qua etiam utitur, sacras historias ac prophetarum scripta prælegunt ac interpretantur. Aliàs quadraginta seniores rem suam gubernant, quorum consilio omnia agit, & bello & pace. Victoriosus, auro, argento, gemmisq; potentissimus: nec unde habeat, quisquam compertum habet. Ob id sui, tanquam Dei amicũ obseruant. Habet enim secum & pedites, qui corporis sui agunt custodiã, & equites pugnatores strenuos, ac sagittarios plures. Docet enim in primis ius naturale cũctis seruandum, omnia debere esse cõmunia: ne quod nolis tibi fieri, facias alteri. Summum Deum hunc dicit, qui mundum gubernat. Othomannis maximè aduersus, quibus multa etiã abstulit, eaq; antiquis possessoribus dominisq; Assembechi nepotibus tradidit. Vix dici potest, quo pacto motus ille totum penè Orientem partemq; Occidẽtis perculerit. Supra enim centum quinquaginta millia hominum huic sequũtur: impigri uiri, summa tranquillitate in castris degentes, manuq; prompti, & ad cuncta illius mandata obedientes. Omnes in bono ordine, optimè armis muniti, ac patrijs legibus. Nam & Sultanus huic arma, bombardas, cæteraq; bellica instrumẽta ministrauit. Licet ut Portugallię regem à Calocuta auerteret, id fecisse memoretur potius, quàm ut Turcorum imperiũ (quod maximè conatur) subuertat. Et Veneti dicuntur Caramanno subsidia auxiliaq; pollicíti. Hodie uerò quando hæc scripsimus, Sophi prædictus fertur esse mortuus, incerto tamen rumore. Siue igitur falsus siue uerus fuerit rumor ille, Turcus mox cum Venetis pacem pepigit: cum rege item Hungarorũ Vladislao in hunc usq; diem, quo hæc scripsimus. Nam strages plures suorũ uidit, ac cruenta prælia, quibus semper uictor ille fuit. Quanquam quũ Ludouici XII. Francorum regis cognata, Anna filia Comitis Angolismi per Venetias ac Segniam duceretur sponsa Vladislao, rumor allatus de excursione Turcorum, qui circumuagabantur, metum aliquandiu Hungaris incusit. Est etiam Nerithus insula (quæ hodie diua Maura dicitur) olim à Corinthijs à terra cõtinenti, immisso Euripo, abscissa, à Venetis occupata & accepta. oppidoq; capto, fugatis Turcis, plurimis interfectis uulneratisq;, ingens pecunia reperta est. Fregit haud parum ferociam Turcorum hæc expugnatio. Sed populi mediterranei, ob maris commercia, diu propter continuum bellum intermissa, ad extremam redacti omnium rerum inopiam, pacem lõgioris belli tædio efflagitabant. Maritimæ itidem ciuitates multis cladibus afflictæ, ad pacem petendam flectebantur. Quam Baiazethes cum Venetis in hanc formam confecit: Vt Venetus Nerithũ relinqueret: Baiazethes res Venetis negociatoribus ab initio belli ademptas restitueret. Vt Pontica nauigatio his ut antea pateret: essetq; Veneti nomínis magistratus Byzantij, qui antea fuit, suis hominibus ius dicturus. Vt res Venetæ ditionis certis finibus à Turcorum rebus discernerẽtur. Andreas Grittus Baiezethi perquàm notus ac familiaris, ad sanciendam pacem à Venetis est Byzantium missus, paxq; confecta ac subsecuta est. Similiter cum Hungaris pacẽ Baiazethes firmauit, in annum usque millesimum quingentesimum decimum nostræ salutis. Est autem prorogata hoc anno per oratores Turci, qui cum rege Hunga-

Hungariæ erant Theodatæ (oppido nomẽ est, ab alijs Thatta corruptè dictũ) cum ego cum quibusdam Cæsaris & regis Francię oratoribus illic essem, qui regem Hungarorum adhortarentur, ut Dalmatiam Venetis eriperet, inq; ius suũ (ut sua est) uindicaret. Sed quum hæc scriberemus, falsus apud nos increbuit rumor de morte Baiazethi, ac contentione filiorum de Imperio, quum Bassa Romaniæ mortuus esset, ut ex oratoribus Turci, qui Budam uenerant, didicimus: qui nobis etiam quatuor filiorum nomina Baiazethis explicauerunt: Primus enim filius qui circa patrem uicinam habet possessionem, Zultan Amath uocatur, alter Zultan Corcuth, tertius Zultan Selynissa, quartus Zultan Iimirzze: Chelebe nominibus suis dicuntur. Fœlix autem Petancius Segnienſis cancellarius, Baiazetho nouem esse scripsit filios, horumq; nomina hæc ponit: Primogenitus eius filius Mahomet Celebi, qui hodie præses est in Amasia. Secundogenitus est Churchut Celebi, qui præses est in Domusli Charaman. Tertiogenitus est Synan Celebi, qui præses est in Domusli circa Rhodum. Quartogenitus est Ahmath Celebi, qui præses est in una ex prouincijs Huson Cassan in Persia. Quintogenitus est Murath Celebi, qui præses est in Trapezonte. Sextogenitus est Hallij Celebi, qui est præses in Capha. Septimogenitus est Hallij Masach Celebi, qui præses est in Chestemoni. Reliqui uerò adhuc sunt in curia patris, quibus assignata dominia ob infantiam non sunt. Octo itidem filias huic esse scripsit idem Petancius: quarũ prima uxor est Ahmath Bassæ, filij ducis Stephani de Bosna. Qui quidẽ Stephanus Bosnæ Despotus, olim à Iohanne Cardinali S. Angeli baptismatis unda perfusus, & sacris initiatus, à religione iterum defecit, & Turcis sese addixit. Secunda filia est uxor capitanei Ianissiariorum, qui dicitur Agga. Tertia fuit uxor filij Husunchasson, quæ uidua facta est. Quarta uxor est Mustaphabegh, qui præses est ducatus sancti Sabbę. Quinta est uxor filij Tauth Bassæ. Sexta est Iusce Lahmath, qui præses est Vaudoue. Septima est uxor filij Ioddiahmath. Octaua est uxor Mustaphabegh, qui præses est Chrusеuze. Sed interim fortè quo hic Petancius ad Vladislaũ Hungarorum regem scripsit, aliqui ex liberis Turci morte absorpti sunt. Deus immortalis maximus & optimus faxit, ut hi quoq; dracones cũ patre mox absorbeantur, & à Christianis Principibus lacerentur. Quod certè nunc fieret, si summus Pontifex cum Cæsare uictoriosissimo, Christianissimo Francorum, catholico Arragonũ, potentissimo Hungariæ regibus fœdus ictum Cameraci prosequeretur, ac felicibus auibus contra Christi hostes perfidos auspicaretur, non deesset auxilium diuinum. Quod certè diuina Maiestas nuper nobis patefecit, anno salutis nono, supra millesimum quingentesimũ, decimaquarta Septemb. terræmotu grauissimo, qui diebus decem & octo cõtinuis murũ Constantinopolitanę urbis, qua parte mare spectat, cũ omnibus adiacẽtibus domibus diiecit, fossatumq; ruderibus impleuit, ac terrę æquauit. Arcem in qua gazophylacium Imperatoris quinq; turribus munitissimis custoditur, & insignis domus qua leones nutriuntur tanquam in uiuario, destruxit. Cuniculos qui per montes ac longa itinera è Danubio aquas in urbem euehunt, maximis & laboribus & impensis fabricatos, ita concussit, ut ingenti thesauro reparari nequeant. Sinus autem maris (siue brachium, ut uulgò loquimur) inter Constantinopolim & Peram, uiolẽtia terræmotus adeò infremuit, ut in utramq; ciuitatem mare ultra muros aquam inijceret. Domus uerò tributaria iuxta muros Cõstantinopolis in mare tota decidit, ut nullũ illic appareat uestigiũ. Maxima item pars turris plumbeæ in Pera corruit. In Calliopoli munitissima arx penitus rupta est. Nec ulla domus illic integra mansit, totamq; Græciam ad Danubium usq; hic terrę motus longè lateq; peruagatus est. Feruntur Constantinopoli tredecim millia hominum tum obruta crudeliter interijsse. Ex familia primi consiliarij Cæsaris, qui uulgò Mustapha Bassa dicitur, trecẽti & sexaginta homines cum equis interierũt, Gaija Bassa alter cõsiliarius ferè innumerabiles homines, equos & iumenta

menta amisisse. Qui autem Alba Bassa dicitur, domum habuit, quæ cum iumentis, equis ac hominibus, imbribus & fulmine & terræmotu, cum omnibus bonis penitus absorpta est. Et nisi Baiazethes imperator monitus fuisset à quodã Calligero monacho, Græco, sene, quẽ familiarius dilexit Turcus, secũq; crebrò detinebat, ut in hortos descenderet, præceps abijsset Baiazethes. Vaticinatus est hic senex, uẽturum terræmotum, interituramq; Turcorum sectam, propeq; esse illorum ruinam. Intrepideq; sæpe Cæsari hoc dixit. Nam cum rueret sepulchrum Mahometi imperatoris & patris Baiazethi, maximis extructum impensis, multæq; & Græcorum & Turcorum sacræ ædes seu templa, quæ sua lingua Meschetas uocant, collaberentur, Christianorum templa illæsa manserunt. Ingensq; illa Sophiæ ædes nihil mali sensit, prẽter turrim à Turcis post captam urbem templo in fine ornatus gratia annexã, quæ tota præcipitata perijt. Nemo tamen hoc sine admiratione audiet, quòd terræmotu illo calx & cementũ quo beatorum imagines post captiuitatem urbis cooperte fuerant, ita separatim ab imaginibus ceciderunt, quasi arte noua iam primùm suo splendori essent reddi tæ. Ostenta nimirum sunt hęc, & ut puto certissimum, Turcorum ruinam significantia: si modò Christiani Principes paulo diligentius id animo reuoluerẽt, & se cogitarent non natos ad gulam, ad corporis explendas uoluptates: sed ad labores, ad tutandam fidem Christi, & propagandam. Id quod sępissimè diuus Maximilianus noster Cęsar & publicè & priuatim illis dixit: hosq; cohortatus, diligentissimè me horum admonuit. Sed surdis fabulam concinuit, cum pientissimus ille Imperator nihil duceret animo suo felicius, quàm cũ hostibus Christi sua ultima ætate depugnare, & uires suas experiri. Sed inanis fuit omnis eius conatus, Principibus uel illum contemnentibus, uel, Deo sic uolente, cæcutientibus, & bellis ciuilibus intentis. Cum enim natura Baiazethes pacis quàm belli esset studiosior, & iam ocij appetens, filijs intestinis seditionibus occupatis, à Ianizaris suis (in quibus omnis eius spes sita erat) imperio deturbatus, summa cum ingratitudine uigesimatertia lunij, anno salutis duodecimo, supra millesimum quingentesimum ingressus religionem, ob mœrorem & animi cruciatũ, paulo q; post ueneno à filio iuniore dato, quum uno & triginta annis imperio præfuisset, moritur.

ZELYMVS OTHOMANNVS, DECIMVS TVRCORVM CAESAR.

ZElymus minor natu filius Baiazethis, ex tribus illis grandioribus natis (Zultan Achmat enim maior natu, & Zultan Corcuth medius erat: Zelym Zultan iunior quidem, sed bellicosior) imperiũ è manibus patris arte & dolo extorsit, ac sibi usurpauit. Cum enim Baiazethes pater senio confectus, maiori natu Achmat illud gubernandum commisisset, minor natu Zelym clàm aufugit, nemine sciente: patriaq; excedens, Tattaris se coniunxit. Impetrataq; filia reguli cuiusdam Tattari, quos etiam Cæsares uocant (plures enim habent) in uxorem, immensa breui collecta multitudine Tattarorum Hadrianopolim uenit, iræ minarumq; plenus. Baiazethes Imperator, qui diu filium amissum (ita enim credebat) luxit, audiens cũ exercitu adesse, obstupuit: missis nunc ijs quærebat quid peteret, cur tam ingentẽ in patriam aduexisset exercitum, suadebátque ut hunc dimitteret, missa magna pecuniarum summa, & preciosis uestibus, quibus stipendia militibus & dona posset dare honesta, ne indignarentur. Ferũt currus onustos asperis nummis & serico multiplicis generis patrem filio misisse, ut eum sibi conciliaret. Zelym placatus muneribus paternis, exercitum dimittit, ad technas confugit, & dolum comminiscitur. Quem Ianizari cum patre hoc pacto ordiuntur. Cum enim Baiazethes aduersa opprimeretur ualetudine, & podagræ morbo decumberet, Ianizari Imperatorem adeuntes: Te, inquiunt, ô Imperator, submisse

missè oramus, quia senio confectus ualetudinarius es, nec imperium pro dignitate dilatare, neq; pro necessitate satis defendere ac tutari potes ab hostium incursu, successorem nobis designes, qui locum tuum occupet, imperium possideat, idq; defendat ac tueatur: undiq; enim nobis imminent pericula, undique aduersitates. Sophi ab ortu instat, & magnas Persarum uires agit, adiacentesq; tuo imperio regiones multas occupauit. Quòd si Asiam minorem (ut decretũ est) irrumpet, uerendum ne Christianorum Imperator, qui, ut audimus, crebrò in Comitia Imperij Principes conuocat, cũ hisq; consultat, ut obruamur, ut debellemur, ut è regno Græcorum (quod pater tuus haud incruento prælio, magno labore, mira audacia parauit) excludamur: Principũ & uniuersæ Christianitatis uires colligat, & insperatò nos obruat. Audimus enim iam bellum hũc agere cum Venetis, & magno diuersarũ nationũ coacto exercitu Patauium urbem insignem obsidere. Quòd si in gratiam redibunt Veneti cum Cæsare, congregatis ex Italia omni militibus, cum ijs quos secum habet per Adriaticum & Ionium mare, Euxinum ingredietur. Si Genuenses cum Romano põtifice classem armabunt, ac Florentini accesserint, facilè Portugallię & Aragonum reges inducent ut uniuersi in nos conspirent. nõ enim parua nobis suspicio est de Romanorum Imperatore, qui suis nuncijs semper Hungariæ regem sollicitat. Et quando ante aliquot annos hinc tecũ suos habuisset oratores, nunquid credendum illos habuisse in mandatis, ut corpus tuum, ætatem tuam, uires tuas, paulo diligentius rimarentur, quo posset cum suis Principibus accuratius super singulis cogitare? Rogamus itaq; ut successorem nobis bellicosum, strenuum & impigrum, qui Mahometis legem ense possit tutari, sine mora designes. Nõ possunt pericula longiorem ferre moram. Imperator his auditis, nihil suspicatus mali, sese dudum maiorem natu Sultan Achmath, qui ei succederet, designasse respondit. Qui cum eos haberet annos, quibus & prudentia & robore ualeret, non esse dubium, quin res Turcicas ex fide esset administraturus. Ianizari autẽ dolum suum non aperientes, ex uniuersa sua cohorte insigniores tres deligunt, qui Achmath adeant, qui tum erat in Natolia, ab eoq; noua stipendia postulãt. Quid enim (inquiunt illi) nobis Ianizaris dabis, si te Imperatorem constituemus? in manu enim nostra quem uelimus esse Imperatorem situm est, ea nunc potissimũ tempestate. Indignatus Achmath & ira succẽsus: Latrones ô perditi, respondit, uos me Cęsarẽ statuetis? quem pater dudum designauit? ad quẽ iurè pertinet hæreditatis possessio? quasi scilicet opera uestra egeam, qui iamdudũ uexilla hostib. erepta à patre possideo, qui me trophæis & habitu imperiali cõdecorauit, hæredemq; ac successorem plurib. argumentis palàm testatus est. Ianizari rubore perfusi (technas enim suas occultabant) ad socios reuersi, conuicijs Achmath lacessebant, atq; hunc criminabantur, tanquam imperio ineptũ: cum Zelymo enim dudum res suas definierãt. Quodam igitur die Ianizari seditionem Cõstantinopoli grauem mouent, dum Baiazethus cum suis consiliarijs summis de Rep. tractat, palatiumq; obsident, Cæsaremq; postulant importunis clamoribus suis dari. Principes uiri qui consilio intererant, de uita desperantes, quod fit in extrema necessitate, de more sudarijs suis colla uinciunt, quasi captiui indulgẽtiam à Ianizaris, si quid inscij peccarẽt, petẽtes: ueniam emendicãt, sequuti sellam qua Baiazethus Turcus à pedib. laborans uehebatur. Qui milites quib. potuit uerbis blãdissimis delinire studuit, beneficia in eos collata commemorans. Sed illi implacabiles, nulla re deliniti, Cæsarem clamant sibi dari, qui eos tutari posset & defendere. Cum autem Baiazethus respondisset: Nunquid Achmat Sultanum filium meum maiorem natu habetis, quẽ Cæsarẽ uobis designaui? quẽ aliũ petitis? At illi, Nolumus hũc regnare super nos. Pinguis est, imbellis & ineptus: nõ amat arma, sed pocula: minuet imperiũ sub eo, ac destruet. Zelymũ cupimus, strenuũ & bellicosum: eductisq; ensib. nudis, quos sub uestib. occultabãt, impetuoso clamore Zelymũ sibi dari postulabant.

Imperator

Imperator Baiazethus furorem militū, quos ſedare nulla occaſio erat, animaduertens, cedendū tempori ratus, noluit Ianizaris aduerſari. Zelymū ſe daturum Cæſarē promittit. Quē Ianizari mox accerſunt ſumma alacritate, ac muris Conſtantinopolitanis (uti inter ſe multo antè conuenerant) appropinquantē, uniuerſa urbis multitudine obuiā prodeunte, magna lætitia ac publico gaudio excipiunt. Voto itaq; omniū ſuſceptū, ad palatium Cæſaris perducunt. Imperator aūt Baiazites in eo ſedens loco, quo pro tribunali iudicia exercentur, ad ſe uocato filio, qui à longè quodam ſeſe angulo occultabat, quaſi omniū rerū inſcius, cū magnus eſſet diſſimulator: Quid, inquit, mi fili iam opus his erat armis (nam undiq; nudi enſes in palatio erant, quos Ianizari furibundi in terrorem Cæſaris & ſuorum conſiliariorū oſtentabant) tali furore atq; impetu opus non erat, alia oportuit incedere uia. Hos ne impius occides (Baſſas manu indicās) per quos ego imperium auxi, cōſeruaui, & tibi & tuis dilataui, hanc illis tu ingratiſsimus reddes mercedem? At ego mi fili, ex quo fata mihi contraria, tibi propitia, res noſtras ſic inuerterunt, ut eo gradu res noſtræ procedant, audi obſecro, & obſerua quæ tibi præcipio. Ne ſis adeò præceps ac furibūdus: modeſtè agas, quicquid ages. Noli tuò obſequi furori, cede tempori, quod omnia occulta deregit: & cogita te eſſe hominem multis obnoxium periculis. Seniores hos Baſſas, in quibus conſilium & prudentia, reuerere, & ſemper honora. His dictis, quia lachrymis erumpentibus plura loqui non potuit, ſellam ſuam qua uehebatur iuſſit amoueri, loco cedens eminentiori, quem filio Zelymo tanquam nouo Imperatori conceſſit. Eoq; in imperiali ſede locato, uexilla Imperij tradidit, Cęſarem eum deſignans: nam nullo utuntur diademate, uti noſtri. Tum ingentes excitæ ſunt acclamationes, Imperator ſalutatus ab omnibus, patre ſumma cum mœſtitia abeunte, & religionem quandam ingrediente. Zelymus itaq; arrepto imperio, uiolenter & per ſummam ſæuitiam gubernationem adminiſtrauit: multis ex primatibus (quos pater diligebat) partim ueneno, partim ui ſublatis: ſuis autem, diuitijs ac honoribus elatis. Pater interiectis aliquot diebus, cū iam Zelimus imperij habenas moderaretur, experiri uolens quónā pacto regimen ſuū ordiretur, gazophylacium (ubi theſauri reconditi erant) ingreſſus, omnes diuitias reperit breui diſſipatas tempore. Dehinc armamentarium, ubi ſpolia hoſtibus adempta & prædæ reſeruantur, recenſuit, & pariter uacuum reperit: omnia enim ſuis iam donauerat. Luſtrauit deinceps camerā (ut noſtri dicunt) argētariā, ubi uaſa ac pocula aurea atq; argētea à principib. & regibus finitimis dono miſſa cuſtodiuntur: quæ pariter iam diſtributa euanuerāt. Poſtremò ſtabulū regiorum equorum ingreſſus inuiſit, ubi delectos ac inſigniores equos nullos inueniens, altè ingemuit, & dolore exacerbatus, cœpit peſsima quæq; ſuſpicari de filio malè in imperium intruſo. Cogitabat itaq; uindictam quærens, cum reliquo qui ſupererat theſauro, abire in Natholiam ad maiorem filium, per hortum quendam maris portui uicinum, ubi naues quaſdam ordinauerat, quibus traijceret. Priuſquam igitur quæ nauibus erant neceſſaria præpararentur, ſub amœniſsima conſidens arbore pyro, arreptis duobus lapidibus, ad Auſtrū conuerſus, cœpit filio Cæſari omnia aduerſa imprecari, eumq; diris deuouere: ut eius cœpta infeliciter, ut hi lapides quos manibus concuſsit, ab aduerſarijs contunderentur: ut letalia uulnera & diſcrimina periculoſiſsima ſentiret, ut lapides illi quatiebantur: ut uxor aut infœcunda, aut filios parturiret debiles, nec diu ſuperſtites, quòd ſe patrē deſpexiſſet, Mahometi legem præuaricaſſet. Zelimus intellecta re de fuga patris, poſt imprecationem in hortum ad patrem ueluti mœſtus uenit, multa lamentatus, quòd ſic clandeſtinū moliretur abitum, fugæ ſimilem, cum tamen imperij adminiſtrationem non expeteret, titulo contentus. Noli (inquit) mi parens, aut per impluuium aut feneſtras clàm egredi, qui per amplas urbis portas ad hoc imperiū arripiendū ingreſſus es. Noli hanc filio tuo, qui te unicè diligit, inurere notam. Ego nomine, tu re ſis Imperator.

Finem

Finem uitę tuę expectabo, quæ utinam diuturna sit, patientissimè. Multa deinceps blandè eloquutus, ut patrem delineret, iussit afferre delicatissimas dapes, sed ueneno mixtas: quibus parum degustatis, mox sensit ueneni tormenta. Atque ideo abiens, ultimum uale dixit: Malle, inquiens, se secedere, ac tot regna relinquere, quàm oculis ea cernere, quæ indies ipsum cruciarent. Et ut iubes, subiunxit, paucis meis familiaribus per portas urbis amplas egrediar, ut cuncti palàm intelligant passim, spontaneum me delegisse exilium. Egressus itaq; urbem Baiazethus, pluribus comitantibus & ululatu insigni plateas replẽtibus, medio itinere à diro ueneno filij clàm patri dato, occubuit. Sic Zelymus imperium obtinuit, patre spoliato tam uita quàm imperio. Restabant fratres duo profligendi. Curckut uterinus frater tres habuit filios adolescentes, de more patrię egregiè institutos, quos fratri pręmisit, ut orationibus elegantissimis patruum placarent, ne in patrem sæuiret, offerentes sua seruitia & patris, qui eum ut Imperatorem adorabat. Crudelis autem Zelymus mox ingenuos hos nepotes ante se strangulari iussit. Censent enim indignum Turci Cæsareum sanguinem attingere terram, ob id cordis ex arcubus strangulant, quoscunq; Cæsarei sanguinis esse norunt. Curckut pater audiens crudelem filiorum suorum necem, relictis suis dominijs, montibus sese occuluit. Sed fame & inedia confectus, à familiare suo proditus, captus est & strangulatus, mortuusq; Imperatori allatus. Extabat Achmath maior natu filius, qui patris fratrisq; morte audita, quindecim millium militum conscripsit exercitum: incertus quid ageret, matrem prudentissimam fœminã consuluit. Quæ filio suasit, rem esse ense transigendam: Si enim (inquit) Arabiam petes, considera gentem perfidam et auaram, quæ parua accepta mercede te prodet. Si ad Christianos confugeris, uolue animo quid Zyzymo patruo ab illo Romano Pontifice Alexandro Sexto euenerit: qui accepta ingenti pecuniarum summa, & à Baiazethe qui in annuum commeatum octuaginta millia aureorum quotannis pependit, & ab alijs qui eum postulabant, uno die uiuum & mortuum uendidit. Si uerò petes Regem Persarum Sophi Ismahelem, quo cum filius tuus Murath familiariter uiuit, & qui amico in te iam est animo, acri perpende iudicio, quid Rex ille si filium simul & te patrem habeat, qui ad imperium aspirat, non qui imperio potitur, acturus sit: Ne fortè uoluntatem quam in te iam habet, mutet. Vndique te pericula manent, undique cędes imminent. Altius est cœlum quàm ut illuc fugies: terra tam patens, ut facilè penetrare haud possis. Ensem tuum consule, is te aut summum aut infimum reddet. Maternis obsequutus consilijs Achmath, coacto exercitu in Bithyniam festinauit. Erat tum in urbe insigniore Brussia Imperator Zelymus cum septuaginta millibus militũ, ægritudinem simulans. Sed castris ante urbem locatis, rumore illo ab Achmath delato factus audacior, quodam patenti campo eductis suis copijs, aciem instituit contra fratrem, primoq; congressu uictoriam adeptus, tria milla strauit, quum è suo exercitu uix octuaginta desiderarentur. Qua strage incensus Zelymus, equo conscenso ueste imperiali exercitum suum præcedens, spectandum sese exhibuit. Quẽ conspicatus Achmath, dolum iam intelligens, rebus suis diffisus, cœpit se accusare, & de sua salute desperare. Murathus autem filius, qui in exercitu quoq; patris erat, & à Sophi (cui seruierat) decem millia militum impetrauerat qui eũ comitabantur, patri consuluit prælium non fore ineundum, donec illi adessent Sophitæ. Erat uerò in castris Zelymi Christianus quidam miles, ex Germanis captiuus, Cæsari ob singularem prudentiam plurimùm charus: qui Cęsari persuasit ut largissimo donatiuo animos militum sibi conciliaret, ne uoluntate mutata, deficerent ad fratrem uictorem. Cui Zelymus obsequutus, nunc uiginti millia, nunc quadraginta millia nummûm sparsit inter milites. Cùm itaque certo die exercitus instrueretur, Achmath de salute sua desperans, militibus suis suasit ut fugam arriperent, neque se in aperta pericula præcipitarent: idem sibi

faciendum esse ratus. Ingens enim erat fratris exercitus. Equū itaq; ascendens ut fugam arriperet, procidit: in alium repositus equum, paruo decurso spacio, iterum decidit. erat enim corpore obeso. Noluit itaq; tertium (quanquam rogatus) ascendere equum, cùm iam fatum sibi imminere clarè prospexisset. Inlapidem igitur quendam consedit moribundus & exanguis, omnibus alijs fugabeuntibus, quos Zelymi milites insequebantur. Et quum iam senior militum præfectus, in lapide sedētem uideret Achmath Sultanum, honoris causa equo descendit, ac more patrio ut Cæsarem salutauit. Cui Achmath: Non opus est ut me reuerearis, qui sum, siue Deo ita uolente, seu malo fato meo, meis priuatus honoribus, ut me non Principem, sed miserū mortalem agnoscam iam moribundum. Accipe igitur à me hos annulos, & à fratre faciliorem mihi mortem impetra, ut incisis uenis in balneo me mori sinat, nō crudeliter in me grassetur, ut in alios. Sed Zelymus iamdudum de omnibus factus certior, carnifices submisit, qui ligatis in dorso manibus, per pedes in terrā prosternunt, ac mox chordis collum stringentes strangulant, cadauerq; currui imponunt, qui paratus nigro uelo astabat, ac honorificè Bursiam ad sepulturam uehat. Zelymus atratus, dolorem simulans, mœsticiam fingit, & more patriæ oriza cum lacte cocto uescitur. Ac sic tandem per summum nephas patre ueneno, fratribus ac nepotibus per uim sublatis, imperium adeptus, cœpit in quoscunq; grassari. Erat enim natura sæuissimus, qui nulla humanitate utebatur erga quoscunq;. Quod mirum in modum expertus est Vladislai Hungarię Regis Orator magnificus, Barnabas Belus, quem quadriennio secum in Turcia detinuit, nec expedire uoluit, donec pientissimus Rex Vladislaus mortem obiret, & iuniori Regi Ludouico suum Oratorem Balam Budam mitteret. Quem illic orantem in consilio uidimus & audiuimus, ubi etiam quinquennales factæ sunt inducię. Dehinc coacto immēso exercitu traiecit in Aphricam, occupauitq; magnam Aegypti partem, Syriæ, & adiacentibus infestus regionibus, eiecto Sultano potentissimo Principe. Pòst sanctam Hierosolymam cepit, magno pudore Christianorum Principum, qui terram sacrosanctam sæpè adeunt, ut uestigia Iesu Christi adorent, & permittunt sæuissimo tyranno hanc possidendam, pro qua potius sanguinem suum fundere, amissis omnibus suis rebus ac diuitijs deberent. Sed ita fortè Deus nostra punit delicta: quæ cùm nos agnoscere nolumus & emendare, ut flagellum suum Deus nobis mittat, necesse est. Perpessi sumus iam penè triennio sæuissimam pestem, quæ tertiam partem hominum in Christianitate abstulisse putatur. Imminet annus uigesimus quartus, quem omnes eruditi calamitates immensas afferre iudicant. Deus faxit ne diluuium afferat hominum, qui sanguinem superuiuentium lambant. Ita enim plerique timendum censent, quum iam hoc anno quo hæc scripsimus, Zelymi filius Solomet Turcorū Princeps impunè incursionem in Hungariam fecerit, & uigintiquatuor arces cum oppidis & uillis abstulerit nemine repugnante. Priori enim anno millesimo quingentesimo uicesimo, mense Decēbri, furiosa & crudeli morte Zelymus mortē obijt, hoc filio superstite relicto. De quo incertus quidam rumor circumfertur, quòd quum Nardalbam hoc anno uigesimoprimo occupasset, & in quodam sarcophago corpus sanctæ cuiusdam uirginis, quæ miraculis claret, friuolè attrectasset, ueluti ignea sagitta percussus, diram contraxerit ægritudinem, exclamauerit q;: Heu heu iuuencula hęc me morsu canino corripuit, atq; dein in itinere mortem obierit. Id ne uerum sit, mox edocebimur, si uitam Deus nobis prorogabit. Nunc de moribus Turcorum ac ritu domestico, deq; eorum religione, ut à plerisque accepimus, scribemus.

De mili-

DE MILITARI INSTITVTO, MAGISTRATIBVS PVBLICIS, AC MILITIA, DEQVE ORDINIBVS MILITUM, quibus Turci domi foriscp utuntur.

FRANCISCVS Philelphus, uir utracp lingua, & carmine & oratione exercitatissimus, & qui septem annis in Græcia uersatus, res Turcorum percalluit: multis epistolis multos Christianos Principes cohortatus est, ut arma cõtra Turcos sumerent. Prodidit denicp, exercitum Turcorum ultra quinquaginta uel sexaginta millia equitum, & decem uel uiginti millia peditum non extendi. Reliquum esse uulgus iners, inerme, seruile, ac ueluti hominũ perditissimorum ingentem colluuiem. Sed quòd tot tantacp regna annis iam ducentis occuparint, ex angustissimis scp principijs, ac breui tempore ad tantum fastigium peruenerint Turci, mirandum non est. Victi enim quales sint ignorat nemo. Asiatici semper fuerunt molles ac timidi, & seruire assueti. Græci effœminati, & intestinis odijs dissidentes. Rasciani & Bulgari circa metalla & pecudes occupati, armis scp minimè exercitati. Bosnẽses factionibus eneruati. Facile fuit hostem uigilem & exercitatum, Principibus maximè Christianis dormientibus, hanc uulgarium & mollium gentium turbam paulatim uorare: siue Deo uolente hoc acciderit, ut ob scelera nostra nos puniret. Quandoquidem multitudo Principũ Europæ odia & intestina bella generat, maximamcp inobedientiam ac rebellionem, ut relictis Christi hostibus, Principes Christiani inter se digladiantur, & de terminis prouinciarum, nonnunquam de fastu ac re inani certant. Siue quia ars militaris, qua olim Romani claruêre, ac orbem penè uniuersum subiugarunt, atcp Lacedæmonij insignes uictorias reportarunt, hodie penitus est sublata ac extincta. Nam quòd alij putãt, nostro seculo multum artem eam creuisse, inuentione noua instrumentorum, machinarum bellicarum, armis scp æneis multis, quibus hodie splendidissimi quidem prodeunt milites, id ego tum maximè laudarem, si disciplina etiam uterentur militari, quæ tota pene perijt hodie, qua usi olim Romani, ardua quæcp superarunt, hostes scp deuicerunt. Hęc apud Turcos locum habet primum, qua celeritatem in agendo, in periculis constantiam, in uictoria seruant mandatorum obseruantiam. Imperij enim summa penes unum habetur Principem, uni Imperatori obediunt ac parent cuncta. Singula unus gubernat & dominus est, cæteri mancipia ac serui. Imperij obseruatio tanta est, ut uel minima delicta capite uindicentur. Nullum est apud eos discrimen generis ac nobilitatis, longa ex serie maiorum, sed qui fortior in bello pręclariores res ediderit, generosior ac nobilor cęteris habetur (quod & apud Romanos obseruatum est) præmiacp plura & maiora sortitur, quò quis strenuè magis manum cum hoste conseruerit. Ob id iussi per æqua & iniqua uadunt pręcipites, profunda & uorticosa tranant flumina, abruptos superant montes, non uitæ, sed Imperij memores. Perui gilij, inediæ, laborum omnium tolerantissimi. Rara seditio inter eos, rarus tumultus: Qui mox si acciderit, mulctatur tumultus autor. In castris noctu tã pertinax silentium, ut patiantur captiuos dilabi, ne tumultus excitetur. In prælio fremitu utuntur, nõ clamore: ut hodie meritò hi soli antiquam seruare memorẽtur disciplinam militarem. Imperator uerò, ut in officio singulos cõtineat, sua liberaliter erogat stipendia: addit donaria, quandoquidẽ uiritim tributum singulis pendunt annis Imperio subiecti, cùm ex Natolia, tum ex Romania, de bombice, oraza, serico, piscibus salitis, sale, decimis, pascuis cunctorũ animalium, metallis auri, argenti & æris. Ex omnibus denicp satrapis maioribus & minoribus habet circiter annui aurij reditus quadragies cẽtena millia nummorũ aureorũ, de quibus stipendia distribuit, curiãcp suam imperatorio decore ornat. Cęterùm ut ordine enarremus, quo pacto domi foriscp imperiũ suum gubernet, à magistratibus initiũ sumemus, priuscp de militia ac ordine militari, decp instruenda acie loquamur.

Summus Imperij magistratus est Quatuoruiratus, à quatuor uiris qui huic præsunt magistratui, dictus: hi patria lingua Visierbassa uulgò appellantur. Principes sunt consiliarij, qui quater in hebdomada sedent pro tribunali, in loco dicto Diuan, ut audiant Oratores legatosq; Principum: negociaq; & hominum supplicantiũ libellos ad Imperatorem referũt, causas dijudicant, pro quibus ad Imperatorem prouocatum est. In demortui locum alter sufficitur mox, ut Quatuoruiratus maneat.

Hinc Duumuiratus subsequitur. Hi quoq; lingua patria Beglerbeghi, hoc est, Principes præsidum, uel Domini dominorum dicuntur, præsidibusq; prouinciarum præsunt. Omnia enim regna quæ Turcorum subsunt imperio, bipartita sunt. Orientalis enim pars Natolia dicta. Vltra Hellespontum has habet sub se prouincias, Bithyniam, Asiam Minorem, Ciliciam, Phrigiam, Galatiam, Pamphiliam, Cappadociam, Paphlagoniã & Chariam. Insulas præterea insigniores quatuor: Aeoliam, Ioniam, Lesbũ & Smirnam. Quę omnia paucis annis in iurisdictionem Turcorum & linguam cesserunt. Vtitur etiam Natolia
317 undecim generibus linguarum. Nam habet Græcã, Italicam, Scythicam, Armenicam, Agnianicã, Cercasicam, Egnassicam, Mengrelicam, Valachicam & Rutenam. Tenent autem totam Natoliam præsides uexillares trigintasex, qui lingua gentili dicuntur Sangiacchi. Quibus Imperator autoritatem tribuit, uexilla in Prouincijs, quibus præsunt, erigendi. Habentq; loca residentiæ insigniora. In Amasia, Trapezonte, Capha, Chestemoni, Bursa, Domusli uel Seteli, Sarchau, Karaman, Vsunchasan, Aydin, Mentes, Langumi, Kermen, Enguri, Baliasyria, Engheri, Iaya, Charasarchengemi, Muselincheffe, Mitili, Emittili, Iischup &c. Occidentalis uerò pars regnorum Imperij Romania dicitur, quæ partem Daciæ, Thraciam, Dardaniam, Achaiam, Peloponnesum, Acarnaniam, Macedoniam, Epirum, Rasciam & Illyriæ partem prouincias in se continet. Vexilliferosq; prę sides, quos Sangiacchos diximus appellari, habet quinque & uiginti. Quorum residentię loca illa sunt: Kilie, Nicopoglie Bding, Callipoli, Seres, Salonich, Negroponte, Morea, Argyrocastro, Iamampristã, Ohrid, Vocetern, Costadin, Cernomen, Azigan, Scodri, Bosne, Verbosanie, Chrussenze, Suonich, Sinedorouo siue Samandre circa Taurinum. Colliguntur itaq; ex ijs gentibus lxi prouinciæ: in Natolia uidelicet trigintasex, in Romania uigintiquinque. In utraque milites sunt, quibus agri assignati unde uiuant, ut paulò inferius dicemus, qui Thimarzi, ab alijs Thimarcini dicti, qui stipendiarij interpretantur. Beglerbeghi itaque siue Principes præsulum, quilibet in parte sua præsidibus imperat. Vnus in Romania, alter in Natolia: alterq; Asiæ, alter Europæ præsidet. Quos gentili lingua etiam Bassas appellant alij. Hi discordias, si quæ inter milites suboriuntur, sedant ac componunt: quorum iussa præsides nullo pacto detrectare possunt. Et licet solus Imperator militares possessiones collocet ac militibus donet, uterq; tamen Beglerbegh in suis prouincijs cui uult, possessionem locare potest, quæ summam asprium quinq; millium, hoc est, ducatorum centum non excedat. Summa itaque Imperij his tribus magistratibus, per quatuor uiros, uidelicet, Bassas, & Prouinciarum præsides optimè gubernatur.

Quum autem uariæ sint linguæ in tam uarijs nationibus, necesse est scribas, & quos Cancellarios uocamus, secundum linguarum uarietatem plures esse, qui Græcis & Italis Græca lingua: Hungaris, Moldauis, id est, Valachis, Sclauis, Raguseis, literis Rascianis: Turcis lingua Agiamica, id est, Arabica uel Persica scribant. Quibus tamen supremus præest Cancellarius. Custos autem sigilli Imperatoris Nisantibassa nuncupatur. Singuli uerò Principes Consiliarij peculiare habent sigillum.

Sunt præterea magistratus alij, quorum dignitas patria lingua Leschercha-
dij, hoc est, summi iudices exercitus (duo enim sunt) appellantur. Qui omnes
causas

cauſas tam ciuiles iudicant quàm criminales, pro quibus ad Imperatorem prouocatio facta eſt: unus in Romania, alter in Natolia. Qui etiam retractare poſſunt ſententias per Imperatorem latas, ſi contra Mahometi legem, ſecundum quam omnia decernunt, latę fuerint. His ſemper ad Imperatorem aditus patet. Non poſſunt autem huic prędidere magiſtratui, niſi qui ab origine aut Turcus, aut Busloman, id eſt, circumciſus fuerit.

Alter poſt hunc magiſtratus gentili lingua Muhthi, hoc eſt ſummus legis interpres dicitur. Qui quum de lege ambiguitas oritur, diſcernit, explicatq; legis naturam, & quid ius poſſit: à cuius non licet ſententia prouocare.

Sunt tum Moderis, hoc eſt, Legiſperiti ac doctores, quos conſulunt pro uariis cauſis ac neceſſitatibus.

Sunt & Thephterderi, hoc eſt, adminiſtratores rationum, quaſi quæſtores dixeris, quorum unum procurat rationes Natoliæ, alter Romaniæ, eximiæ dignitatis uiri. Qui nunquam ab aula Imperatoris diſcedunt. Quemadmodum quos diximus Veſierbaſſe, hoc eſt, Conſiliarij Principes.

MINISTRI CAESARIS.

NVnc uerò Imperatoris miniſtri qui palatio ſeruiunt, ſunt agnoſcendi. Hi omnes ſunt impuberes, eliguntur q; eximię uenuſtatis in flore ætatis, nominanturq; patria lingua Sphagioglani, id eſt, filij nobilium. Et ſecundum uaria miniſteria uaria nomina ſortiuntur. Quidam enim ſunt dapiferi, quidā pincernæ, quidam cubicularij, quidam cuſtodes precioſarum rerum, quos Hazna dor uocant. Cumq; annos pubertatis exceſſerint, maiores ſortiuntur dignitates, iuxta uirtutes atq; merita. Plericq; Prouinciarum prędides efficiuntur, pleriq; cuſtodes corporis Imperatoris efficiuntur. Minus ita ſtrenui, priſtinum nomen Spahiogilani retinēt: magis uerò ſtrenui, Soluphtuarij dicuntur, qui egrediente Imperatore, latus undiq; Cæſaris ſtipant ſuis cateruis. In una enim parte ſunt Spahioglani, qui ſunt circiter mille et ſexcenti: in altera ſunt Soluphtuarij, qui ſunt circiter quingenti, omnes ex ſtipendio uiuentes. Ingrediuntur prętea quotidie Imperatoris palatium propter aulæ ornamentum filij magnorum Principum, circiter ſeptuaginta, qui appellantur Mutapharachi. Et hi ſunt liberi ab omni onere militię & aulæ. Niſi cùm Imperator eſt in exercitu, ipſos quoque militare neceſſe eſt: uiuunt enim ex ſtipendio. Habet ad hęc Imperator alios quoq; corporis cuſtodes, ex laniziariorum numero electos, optimos ſagittarios, qui Solacchi nuncupantur. Qui in equis nō uadunt, armati tamen phramea breui, arcu cum ſagittis promptis ad ictum, ſcuphias (id eſt bireta) in capite deferūt albas & rectas, circulis aureis redimitas, & ueſtimēta ſuccincta. Qui præcipui ſunt cuſtodes Imperatoris, numero q; ſunt circiter ſeptingenti: ſuntq; diſtincti per centuriones, & ſtipendio uiuunt. Ianitores quoq; ex lanizaris creantur, qui trecenti ſunt, Capitij dicti, & ſtipendio uiuunt. Sed & Mechteri tentoria & papiliones extendunt, & omnem ſupellectilem aulæ diſponunt, circiter ſexingenti. Sunt prętera artifices diuerſarum artium, quę ad ornamentum aulæ Imperatoris pertinent, qui in aula Imperatoris degunt, & tanquam mancipia ex curia uiuūt. Imbrahorbaſſa magiſter agaſonum eſt. Imbrahali uerò qui diſtribuunt uexilla. Segmenbaſſa magiſter eſt uenationis.

MILITVM GENERA.

NVnc reſtat milites explicare, qui uariè ab authoribus deſcribuntur. Aliqui enim primùm diuidunt in equites ac pedites. Equitum autem non unum dicunt eſſe genus in uſu: ſunt enim Thimarcini, qui ſtipendiarij interpretantur, ad octoginta millia. Hi uicos, uillas, caſtella, ut quiſq; meritus eſt Cæſaris indulgentia poſſident ſtipēdij loco, præſtoq; ſunt Sanſacho Duci uidelicet eius prouinciæ, cui attributi ſunt: in duos diuiſi ſunt exercitus, ut ſuprà ſcriptū 318

est, Asiaticum & Europeum: ductu inde maiorum Ducum militaturi. Quorum hic Asiæ, ille Europæ præsidet, quos Bassas appellant: sunt & Aconiziæ fatales dicti. Hi sine stipendio militant, semperq; agmen præcedunt prædabundi: quintam prædæ partem Imperatori debent manubiarum nomine. Sunt hi circiter quadraginta millia. Abit tertium genus in Charripos, Sphahiglanos, & Soluphtaros. Præstantissimi horum Charripi, equestris dignitatis illustres, & circa Regem frequentes, octingenti numero. Nec ex alio genere electi in conspectu Regis insigniter dimicant, quum opus est. Spahiglani & Soluphtari sunt, qui ab initio ad turpem usum (pueri adhuc) apud Regem fuêre, mox adulti Regis indulgentia uxorem ducunt: auctiq; dote coniugis & stipendio, plurimùm Oratorum utuntur officio. Regis latus dextra læuaq; stipant inter eundum. Ad præfecturas & cæteras dignitates ex hoc ferè ordine leguntur, mille sunt & trecenti numero. Triplex in peditibus ordo: Ianizari, hi impuberes adhuc ex toto imperio leguntur à conquisitoribus, atque aliquandiu militari disciplina instruuntur sub magistro in publicis gymnasijs. Mox militiæ ascripti, amiciuntur in breuiori ueste, & pileo albo, ac sursum uersus porrecto. Arma, scutum, ensis & arcus. Hi castra muniunt, urbes oppugnant, suntq; ad uiginti millia & amplius. Secundi sunt ordinis Asappi, leuis armaturæ pedites. Ense, scuto, & longiore hasta instruuntur, rubro pileo à Ianizaris discreti: hostium equos in prælio confodiunt. Horum numerus ad belli magnitudinem accommodatur, minimum quadraginta millia cum Rege proficiscuntur. His stipendium cum bello finitur. Ex hoc instituto regius habet exercitus ad ducenta armatorum millia. Cætera peditum turba sine stipendio, uoluntariorum est aut euocatorum. Suntq; ijs calones mixti, lixæ, fabri lignarij, & qui pugnantibus necessaria ministrant. Sternunt uias per loca ardua & abrupta, pontes fluminibus aut stagnis imponunt, aggeres in hostes erigunt, cæteraq; ad expugnationes urbium utilia expediunt. Comitantur castra numularij, trapezetæ, institores, atque aliorum id genus hominum colluuio, ne quid desit eorum quæ humano usui conducunt. Ita quidam militum genera apud Turcos definiunt. Felix uerò Petantius quum Raguſij esset, quæ urbs in confinibus sita, ob plurima quæ habent incolæ cum Turcis commercia, inuestigandi singula optimam nactus occasionem, copiosius de generibus militum scripsit. Cuius uerba non grauabor subiungere, ut nostri omnem Turci militiam, uires, ac potẽtiam percalleant, minimeq; deterreantur, si re lõgè maior quandoque ad nos ueniat rumor, ut ad omnem uentum pertimescamus trepidi. Quin potius collectis uiribus, alacres contra hos bubulcos, præeunte uexillo Christi impigri proficiscamur. Scribit autem ita Petantius: Sunt diuersa apud Turcos militum genera, Thimarci, Ianizari, Assapij, & Accangi.

Thimarti sunt milites equites omnes, quibus ager ab Imperatore attributus est, unde ipse cum quatuor militibus loricatis uiuere possit. Quandoquidem Thimar apud eos intelligitur ager unus, de quo quandoq; milites uiuũt ex decimis, per subditos prouinciarũ, de domibus & omnibus terræ nascentibus frugibus datis, quamuis agri æquales non sunt. Est enim aliquis qui in uiginti, alter in triginta aut quadraginta Thimar diuidi possit, ab uno tamen possessus. Sed pro magnitudine agrorum, agri ac prouẽtuum, talis possessor equites siue milites tenet. Sic computatis agris militaribus maioribus & minoribus qui habentur in Romania, numero sunt quatuor millia & quingenti. In Natolia uerò cùm sint quinq; millia & quingẽti Thimar, fiunt uigintiseptẽ millia & quingenti milites. Ex quibus omnibus Thimar, in Natolia scilicet & Romania, resultãt quinquaginta millia equitum, qui omnes obediunt suis præsidibus, & semper stant parati ad bellum. Nec aliud alimentum habent quàm ex agris illis.

Alterum militum genus est, qui Ianizari dicũtur. Omnes enim pedites sunt, & ex stipendio Imperatoris uiuunt, & Imperatori semper astant. Maior pars horum

horum est ex Romania, et ab origine Christiani. Quia semel in triennio (uel ut alij asserunt) semel in quinquennio fit delectus per totam Romaniam, ut colligantur filij subditorum quasi decimæ. Hi in Natoliam missi, lingua & Turcorum ritu imbuuntur: cùm pubertatis annos attigerint, armis exercitantur. Magis strenui ac exerciti, pro custodia Imperatoris deputantur, peditesq; fiunt. In qua quidem custodia penè semper sunt numero nouē aut decem millia. Quorum capitaneus Agga dicitur, magnæ autoritatis. Inepti uerò militiæ deliguntur ad custodiendas arces ac munitiones: quorum sunt circiter triginta millia, qui obediunt suis Dazdari, hoc est, castellanis, uiuentes ex stipendio. Sunt aũt Ianizari munimen ac robur Imperatoris, eiq; obsequentissimi, tuenturq; ipsum contra omnes tumultus ac seditiones.

Assapij uerò sunt milites gregarij, minus exercitati ac precio cõducti. Quorum alij sunt pedites, aliqui equites, hi eriã classem maritimam intrant, habẽtes pro stipendio uiritim aspera quinq; per diem. De tali autem genere militum, quantum ipse Imperator uult, tantum conducere potest, cùm sint uulgares, & ad pugnandum inexperti, tam in pugna terrestri, quàm nauali. Et possunt esse Assapij tam Christiani quàm Turci ac aliæ nationes.

Accangij militant ad fortunam, sine agris & sine stipẽdijs, quintam partem prædæ Imperatori dantes. Et si qui strenui apparuerint, Timarci uel alterius dignitatis nomen sortiuntur.

Sunt qui exercitum ordinant, & clauis ferreis milites in stationibus suis stare cogunt: & semper pręcedunt Imperatorem, eiq; uiam parant. Hi appellantur Zauści, numero sunt quadringenti, uiuuntq; ex stipendio.

Sunt præterea quidam milites prodigiosarum uirium, qui contra quinque pugnare perhibentur. Stipendium quoque pro quinque militibus sumunt, quos Besly uocant, numero sunt ducenti circiter, pariterq; stipendio Imperatoris uiuunt.

Sunt & Gemly, qui arte gladiatoria peritissimi habentur, maximaq; agilitata lanceis, sagittis, gladijs exercẽtur, sunt semper equites: quorum numerus est centum sexaginta, uiuuntq; ex stipendio.

Muselmi sunt, qui munitiones, castra, & propugnacula construũt. Quorum merces est diurna quinq; aspriũ: quartus ex dicta prouincia intrat exercitum.

Sed laya sunt Turcæ, qui proprijs expensis militant, quia exẽpti sunt ab omni alio onere. Ipsi quoq; uias mundant simul cum Muselmi.

Sarohari habent stipendium ab Imperatore asprium quatuor per diem. Homines sunt agrestes: sequentes exercitum, omnia uilia opera exercẽt, sicut Muselmi & laya. His omnibus militia terrestris efficitur. Habet autem Turcorum Imperator præter ordinarium hunc exercitum, alium quendam particularem triginta miliũ militum, astutissimorum magis quàm fortium. Qui quasi grassatores, nocte magis operantur quàm die. Hi singulis annis, nonnunquam semel, nonnunquam bis aut ter prędatum exeunt occultæ, miro silentio, ut ne uicini quidẽ egressum intelligant: tanta arte corpora sua & equorum curãtes, ut labor nullus aut inedia illis possit officere. Cùm enim ex ocio diuturno saginati corpora pinguia habẽt, diebus quibusdã quadam lege ac certa disciplina exercitioq; moderato corpulentiam deponere curant, ut sagina interior medullis inhæreat. Exituri aliud iter diuulgãt, ut fallant exploratores. Tum exeuntes duce aliquo itineris, tanto impetu, tam celeriter currunt die & nocte una, ut nemo absq; admiratiõe audire possit, uel uidere talẽ exercitũ: frigoris, caloris, inediæ, uiarum difficultatis patientissimi. Nec impedimento leui commoti reuertuntur sine pręda. Miram habẽt industriam cognoscendi equos simplici intuitu, ac iudicandi homines de uiribus, quos citra sanguinis effusionẽ (nisi necessitate coacti) uiuos capiũt & abducunt. Malunt enim è uiuis tributum capere et usuram, quàm frustrà occidere. Habent autem hi secum mercatores, qui captiuos

uos mox emptos cathenis includunt & abducunt, ut sint milites in suo itinere expediti. Quandoq; uerò deferuntur mercatoribus in oppidis habitantibus, qui captos emant: de quibus paulò inferius dicemus.

Classis Turcorum continet ad summum uela quadraginta, computatis nauibus, triremibus, biremibus, palādrijs, grippis, & alijs generibus nauigiorum, quæ capit circiter triginta hominum millia. Quam parare solet Constantinopoli, Nicaoniæ, Callipoli, Nigroponto, & Vaulone. Sed cùm sint in ea homines ut plurimùm agrestes, et ad nauigandū inexperti, magnas uires habere nō potest. Cuius capitaneus semper est præfectus Callipoli. Et illi q ipsam intrāt, omnes sunt precio cōducti secundum distinctionē exercitij & officiorum.

MODVS CASTRAMETANDI TVRCORVM, *ac de instruendis aciebus.*

CVr non autem subiungimus morem castra locandi Turcis solitum? cùm omnes & Græci & Romani autores, qui rei militaris disciplinam scripsere, postquam eiusdem artis præcepta posuerunt, scientiam instruendarum acierum subiungunt, quam ab Homeri temporibus initium sumpsisse compertum est. Homerus enim hanc scientiam ordinandarum acierum tenuit, & ab ea Principes laudauit. Quod uel hinc maximè patet, cùm de Mnestheo sic scribit:

Nulla quidem huic similem mortalem protulit ætas,
Ordine qui Martis turmas equitemq; locaret.

Vnde ex Homerica armorum disciplina scripserunt opera Stratocles, Hermias, Aeneas, Cyaneas Thessalus, Pyrrhus Epirota, Alexander eius filius, Pausanias, Euangelus, Polybius Megalopolitanus, uir in uaria doctrinarum eruditione exercitus, & Scipionis familiaris, Clearchus, Eupolemus, Iphurates, Bryon: Possidonius Stoicus artē instruendarum acierum abundè scripsit. Inter Romanos quoq; Frontinus, præter stratagematō libros, quemadmodū copiæ instrui deberent scripsit. Helianus præterea Græcus ad Hadrianū Cęsarem opus pulcherrimū, quod Theodorus Gaza Latinitate donauit, de instruendis aciebus scriptū reliquit. In quo ex Mathematica disciplina docuit, quo pacto phalanx simplaris, duplaris, quadruplaris, Macedonica, cuneata, quadrata, trāsuersa, occeps & anceps statuenda. Quomodo Rhombus ordinandus, quomodo Cuneus, & id genus quascunq; turmas. Quæ cùm longè diuersæ sint ab eo ordine qui hodie fiunt, uolui Turcorum morem locandi castra, subijcere. Priusq; enim Imperator in castra descēdit, qui huic officio præsunt, locū aptiorem pro castris qui ab impetu hostium tutus sit, et ex quo hostes facilè possint expugnari, deligūt, ut uel monte, uel fluuio, uel palude munitior sit. Hunc descripto ambitu castrorum, fossatis altissimis circumdant ac muniunt. Post quæ sequuntur cunei acutissimi, in circuitu cathenis desuper colligatis. Sequitur dehinc ordo camelorū, qui commeatum & impedimenta pro usu castrorum gestant. Post quos minor altera fossa fodit in ambitu, cum hastis pro maiori tutitiōe in circuitu affixis. Quo in loco Sarahori, laya, & Muselim habitationes suas habent. Post tot ualidas munitiones, pedites qui Ianizari dicuntur, per multiplices ambitus papiliones & tētoria sua figunt. In quorū medio Imperator ipse cū pueris & ministris suis ornatissima tētoria habet. Eminent præterea duo maxima cornua cōtra hostes, quibus cum pugnandum est, adhærentia circulo castrorū. In quibus collocati sunt equites cum suis præsidijs. In uno em̄ cornu sunt milites Thimarci, qui agros possident in Natolia. In altero hi qui agros possidēt in Romania. In capite uerò cuiuslibet præsidet princeps præsidū Beglerbegh. At in medio horum cornuum locantur omnes custodes corporis Imperatoris, hoc est, Sphaioglani, Soluphtari, Solacchi, & cæteri aulici. Post quos situata sunt uaria genera tormentorum & machinarum. Quum igitur pugnandum est, in qua parte imperij, bellum gerendum est, Beglerbechi illius partis cum suis præsi-

319

præsidibus pugnam incipit. Quòd si contigerit milites illius cornu ab hostibus superari, mox alterum cornu opem fert. Superatis ambobus cornubus pugnatur omni genere missilium & tormẽtorum. Deinde custodes corporis manus conserunt. Vltimo Ianizari Imperatorem ipsum in medio duorum cornuum collocant, ne fortè ipse uertens terga hostibus, esset causa internitionis totius exercitus. Ineuntq; pugnam eo feruore, uelut in quibus totum robur exercitus constare uidetur. Tanta autem animi promptitudine tamq; alacres ad bellum (siquando cogitur exercitus) concurrunt, ut ad nuptias ituros putes. Nec tempus egrediendi præscriptum expectantes, sed illud ipsum præueniunt, pluresq; non uocati sponte ueniunt, magnam iudicantes iniuriam domi ociosum manere. Cùm nihil habeant prestantius atq; excellentius, quàm inter hostes, enses, ac sagittas in campo mori, nõ domi inter eiulatus atq; lachrymas muliercularum. Tales nanq; prælio occisi, ueluti victores beati prædicantur ac uenerantur. Non igitur magni laboris est congregare exercitum Turcorum Imperatori, qui missis tantum nuncijs Prouinciarũ præsidibus exercitum congregandum præcipit. Hi per præconem in singulis oppidis ad præstitutum diem adesse proclamant milites. Qui dicto audientes, mox cum præside suo ueniunt, sine magno strepitu: non curiosè ornati, simpliciter cum armis solitis. Vtuntur autem equites non nisi castratis equis, ut strepitus fugiantur omnes. Nulla ephippiorum cura, ornatum omnem contemnunt. Arma in sarcinis camelorum & mulorum deferuntur. Nullus discurrit aut cum equo saltat. Principes etiam tum simplici incedunt habitu, ut uix dignosci possint. Neque uexillis utuntur magnis, ut nostri, sed Duces pro signo altam præferunt hastam. In cuius summitate pili colorati pendent, quò facilius Ducem suum agnoscant. Qui tympano quodam cum fistula, quoties pugna ineunda est, signum dat. Et illi patria lingua uocantur Izumbasthi, quibus subsunt centuriones nonnunquam quatuor, nonnunquam decem, qui Tscheribaschi appellantur, iuxta exercitus magnitudinem. Si autem maior ingruat Imperatori necessitas, exercitum cogit, qui uulgò dicitur Tscherihor, quo quartus quisq; & quintus quisq; bello ascribitur: & tum immẽsa aduenit multitudo. Cæterùm quomodo castra ordinantur, & quo pacto Imperator septus custoditur, omnia hæc melius uisu discuntur.

DE RELIGIONE TVRCORVM RITVQVE, *ac more uiuendi domestico in uniuersum.*

EXigit res ipsa, ut posteaquam militarem disseruimus Turcorm disciplinam, qua domi foris q; utuntur, nunc de quotidiano ac domestio loquamur uiuendi ritu. Atque primùm omnium de religione ipsorum, quæ ita longe lateq; radices egit, ut maximam Asiæ, maiorem Aphricæ (nam & Saraceni Mahometis religioni addicti sunt) haud paruam denique Europæ partem occuparit insana isthæc scabies. Hanc Mahometes ille pseudopropheta inuexit, miseramq; gentem ac stolidam fefellit lege sua ineptissima, si modò deliramentum & aceruus mendaciorum (quæ Alcoranus suus continet) lex dici debet. Ostendimus enim cùm de hoc seductore loqueremur superius abundè, quemadmodum callidus iste ueterator opera Sergij Monachi perfidissimi opus ediderit, cui titulum fecit Alcoranum, quo lex sua continebatur. Qua persuadebat nonnullas ineptias fatuæ plebi, non ut religionem ullam aut diuina præcepta animis hominum insereret, à quibus animus eius longe erat alienus, utpote qui scelestissimus omnia contempsit per pessima quæque uitia, ueluti sus in uolutabro uersatus, sed ut sub specie religionis decepta misera plebe, imperium sibi uendicaret, regnúmque constitueret. Astutus enim carnifex sine religione sciebat nil sese proficere posse, quæ animis hominum naturaliter penè insita uidetur. Hinc gladio legem suam confirmauit. Qui enim legem suam recusarent, hos ense ferróque interficere iussit. Licet, ut est Alcoranus

suus

ſuus plenus mendaciorum, nunc Chriſtianam probat legem uehemẽter, ſummiſq; præconijs effert, nunc uerò Moſaicã. Atq; ut his laudibus decipiat Chriſtianos, in albo ueſtitos nominat, ac unumquemq; in ſua ſecta ſaluari planè aſſerit. Sunt aũt qui hunc librum legis Alcoranum ob præceptorum collectionem dictum, atq; Alfurcanum ob diſcretam capitulorum (quæ Arabes azoras uocant) ſeparationem, à Mahomete collectum ſcribant, opera Sergij Neſtoriani. Quibus etiam tum acceſſit Iacobita Balteira, præterea Hebræus quidam Phineſ, & Abdia nomine Salon, poſtea dictus Abdala. Alij uerò tradunt mortuo Mahomete, quatuor diuerſos libros legis Alcorani titulo repertos. Quidam Merban filium Elhecken autorem ſcribunt. Quidam Elgug uirum potentem, octoagintaquinq; ſententias libro detraxiſſe, & nouas totidem adieciſſe narrant. Legimus etiam apud quendam Arabem Chriſtianũ, Sergium monachum è monaſterio ſuo eiectum, Mecham applicuiſſe, & Neſtorianã hæreſim (eius enim ſectæ erat) ut illis aſſentaretur, ſeminaſſe, idololatrasq; ad fidẽ Chriſtianam conuertiſſe. Inter quos Mahometes fuit: qui à Iudæis tamẽ tribus aſtutis, ne ſyncerus fieret in fide, perſuaſus nouã legem edidit. Cùm aũt defunctus eſſet Mahometes, Hebręi Hali filiũ Habitalix (cui Mahometes dimiſit collectiones ſuas) perſuadere laborarũt, ut et ipſe prophetã ſe faceret, ac de libro legis quæ uellet tolleret, adijceretq; noua quęcunq; placerent. Sic mirãda eſt & magna inter Arabes de huius libri autore uariatio atq; diſceptatio. Communis tamen ſectę huius factio credit, Alcoranum à Mahomete ſcriptum, et à Deo ſibi inſpiratum: tam ſanctas leges continere, ut eſſet legatus ac propheta gẽtis Arabicæ, qui ab erroribus eam reduceret per reuelationes ſibi à Deo conceſſas, ut his ſeruatis legibus expectarent in Paradiſo remunerationem, dicerenturq; in hoc mundo Muſſilmanni, hoc eſt beati. Vtcunq; tamen res ſe habet, cùm hic liber multis ſcateat nugis ac inexcuſabilibus mendacijs, multi ac magni ingenio atq; doctrina uiri excellentes, Græci ac Latini, uiuis (ut aiunt) rationibus hunc examinantes librum, confutarunt ac condemnarunt. Ioannes inprimis Damaſcenus, qui paulo pòſt initium huius ſectæ fuit, acutè ineptias illas refutauit. Tum Ioannes Segobienſis Hiſpanus tranſtulit Alcoranum, ac contra deliramenta ingenioſè commentatus eſt. Petrus abbas Cluniacenſis pòſt Baſileę Nicolao de Cuſa cardinali hunc Alcoranum translatum tradidit, ac librum quendam alium de generatione Mahometis, & duodecim ſucceſſoribus eius in regno, cum centum quæſtionibus de doctrina eius. Hunc uir ſagaciſſimus ut intelligere poſſet, Conſtantinopolim perrexit, ac in Pera doctos fratres ſciſcitatus de dubijs, ubi rediit, librum ſcripſit de Cribratione Alcorani eruditiſſimum, qui impreſſus circumfertur cum alijs eius operibus oppido quàm erudi
tis. Excitatus & Dionyſius Carthuſienſis, opus inſigne contra Alcoranum Nicolao Pontifici nuncupauit. Alij præterea fratres plures, cardinalisq; quidam S. Sixti. Omnes tamẽ Ricardus ordinis prædicatorũ, quem alij Ricoldum uocitãt, qui Arabicis literis in Baldaco operam dedit, ſuperare ingenio uiſus eſt: in Baldaco enim generale ſtudium eius ſectæ eſt. Vbi inhibetur publicè Euangelium legi ac philoſophia, timentes ne Alcoranus pòſt contemnatur. Superfluum igitur eſſet, quæ de religione ſanxiuit Mahometes, longioribus argumentis, & refellere, & improbare: ſatis eſt ueluti digito quędam religionis prę
320 cepta ſignare. Cur uinũ interdixerit, cur uxores plures cõceſſerit, abundè ſuperius enarrauimus. Geniales enim delitias uitę, obſeruatoribus legis ſuę undiq;, & hic & in Paradiſo poſt mortem liberaliſſimè ſemper promiſit. Docuit autem orationes quinq; in die offerre, quo lex ſua media eſſet inter Moſaicã, quæter in die iubet orare, & Chriſtianam quæ ſepties. Vt autem mundiciam perfectam aſſequerentur, ſtatuit manus, brachia, os, nares, aures, oculos, capillos, infimos pedes mundari. Voluptati id magis corporeæ conuenit, q̃ animę purga
321 tioni, quæ alio indiget lauacro ut mundetur. Iuſsit in domum Dei illicitam,

quæ

quæ in Mechia est semel peregrè proficisci, iliaq; inconsutilibus tegumẽtis cir cumdare: tum saxa per media fœmora retrò proijcere. Quæ consuetudo ab Indis ad Arabes manauit, & à Mahometo corroborata permansit: addito tantùm lintheo ob uerecundiam, Veneri inseruire per hoc clàm insinuans. Dicebat autem primum parentem è paradiso eiectum hanc domum struxisse, & posteritati ad Abrahæ usque tempora pro loco orationis consignasse, sacrificiaq; oblata illic esse, usque ad Mahometis Ismahelitæ tempora. Hinc domus hæc pro orationibus deputata fuit. Narrat in Alcorono fabulosissimè, quomodo una nocte ab oratorio Mechæ in sanctam domum Hierosolymam iumento delatus sit, ut hinc in cœlum Duce Gabriele ascenderet: quemadmodum uetulæ pueris solent aniles narrare fabulas, faciens iumentum uti lingua humana. Cæterùm multa huius sectæ deliramenta abbas Ioachim, dum in Apocalypseos librum commentatur, deridet: eorumq; prognosticatur dementiam ex Iohannis Euangelistæ uerbis.

Vnde ex hoc Alcorano edocti Turci, hunc hodie obseruant uiuendi morem, ut frater ille, qui duos & uiginti annos illic seruierat captiuus, prodidit. In primis imagines omnes, seu pictas seu sculptas abhorrent ac detestantur usq; adeò, ut Christianos quoniam his oblectantur Idololatras, dæmonumq; culto res & uocitent & firmiter credant. Superstitionem insignem & potissimùm ridendam Christianorum cẽsent, qui arma atq; insignia sua in templis, ædibusq; sacris suspendũt, cùm ipsi ne sigillo quidem utantur, etiam in literis regijs, contenti nudis literis si nomen assit mittẽtis, aut syngrapho, cætera inutilia uanaq; reputantes. Ex eadem causa usum campanarum nequaquam admittunt, illis ipsis etiam Christianis qui sub ditione eorum uiuunt. Neminem enim cogunt fidem negare suam: nec magni æstimant persuadere alicui ut abnegata priori religione, nouum assumant.

RELIGIO TVRCORVM SPECIALIS ET *de sacerdotibus eorum, ac peregrinis.*

QValis sit hodie Turcorum professio particularis, frater is qui captiuus duos & uiginti annos miseram seruiuit seruitutẽ, oblitus patriæ linguæ, Turcorum idiomata plenè assequutus est, ac literaturam, qua etiam sacerdotio dignus uisus est multis, opusculo quodam expressit. Quod ne periret, excerpsi, & notatu digniora decenti breuitate cõscripsi. Professio itaq; super quam fundata est lex Turcorum hęc est: Hillayl haha hillalach Mehemet erczullach, id est, Deus est unus & Mahometes est propheta eius maior. Vbi sub specie pietatis dum se unius Dei cultorem pollicetur, clàm uenenum miseris infundit animabus Pseudopropheta iste Mahometes. Credunt enim Turci primùm magnum prophetam à Deo missum fuisse Moysen, cui datus est liber Tefrit, quem nos Pentateuchum dicimus: ac homines omnes qui legem hanc custodierunt, fuisse saluatos. Cùm autem lex illa per socordiam ac hominum malitiam fuisset corrupta, magnus iterũ propheta à Deo missus Dauid, librum Tzabur attulit, quem nos Psalterium uocamus. Sed iterum ad interitum eunte plebe, Iesus tertius propheta magnus à Deo missus, nouam legem cum libro cui nomen Ingilis, hoc est, Euangelium, causa salutis apportauit. Deficiente uerò & hac lege, quartus electus est propheta Mahometes, qui legem cum libro cui nomen Alcoranus est, à Deo accepit. Hæc itaque lex Alcorani primum præceptum hoc habet, ut ne cuiuscunque sexus dignitatis ac eminentiæ fuerit, prouectam assequutus ætatem, extra matrimonium uitam agat. Deinde magno rigore quinquies in die precipit orandum, horis & temporibus assignatis certis. Prima eorum oratio patria lingua Dangnanias uocata, per quatuor Erket, & duo Czalamat perficitur. Est autem Erket geminata inclinatio, cum totidem prostrationibus. Czalamat uerò est ipsa secreta oratio, quam sedendo perficit post quodlibet Erket, cum salutatione à dextris & sinistris,

& im-

& impreſſione pacis, quam utraq; manu in faciem obducendo facit. Fit hæc oratio in ortu ſolis mane, nullo habito reſpectu artificialis horologij. Secunda oratio quę circiter meridiē fit Orientalis dicta, continet decē Ercket, & quinq; Czalamat. Tertia oratio Kyndinanias lingua gentili nūcupata, in declinatione ſolis ueſpertino tempore fit, cōplexa octo Ercket & quatuor Czalamat. Quarta oratio Achſamnanias uocata, quinq; Ercket & tria Czalamat in ſe tenens, circa Occaſum ſolis fieri conſueuit. Vltima & quinta cæteris prolixior (nam quindecim Ercket, octo Czalamat complectitur) poſt cœnam tardiori ſolet fieri hora, dicta laczinonias. Has orationes unuſquiſq; cum parrochiano ſuo in proprio templo tenetur orare, niſi occurrente impedimēto legitimo, ob quod in alio loco hæc explentur: quandoquidem licet etiam neglectas ſupplere, ſi non debitum tempus fuerit ſeruatum. Dies Veneris (ut ſuperius annotauimus) eſt apud Turcos celebris, quemadmodum apud nos dies ſolis, quo attentius orant: non tamen uacant ab ullo labore. Singulis autem ciuitatibus principale eſt quoddam templum, patria lingua Enemeſgit appellatum, quo die Veneris omnes conueniunt: Rex quoque in primis, & alij Principes. Oratione meridiana perfecta, fit prædicatio & eleemoſynarum regalium diſtributio. Vix autem dici poteſt quanto ſilentio ſacras ſuas orationes perficiant. Habēt etenim inquiſitiones, qui accuſatos de orationum omiſſione multis afficiant ignominijs: ut per urbem circumducentes, ac tabulam cum caudis uulpinis collo appendentes, non ſine mulcta pecuniaria dimittant: potiſſimum ſi orationes illas tempore ſuæ quadrageſimæ intermittant. Præparant autem ſe, ut parationes ſint ad orationem faciundam lotione, quæ apud eos triplex eſt. Prima gentili lingua Zeoagirmeg uocitatur, quę perfuſio eſt totius corporis cū aqua tam diligens ac curioſa, ut nullus penitus in uniuerſo corpore locus illotus maneat, alioqui inualida eſſet lotio. Solent ob id radere pilos in omni parte corporis, barba in uiris excepta, & crinibus in capite mulieris. Quos tamen multo ſtudio lauant, & pectinibus crebrò diſcriminant, ut aqua penetrare poſſit. Incidunt pręterea ungues manuū ac pedum, & utuntur ob hanc rem circumciſione, ut hęc lotio non ſit inualida, ne ſub pręputio ſordes remaneant. Non enī in remedium alicuius culpę talis fit circumciſio, ut Hebræi facere conſueuerūt (quandoquidē originale peccatum apud eos ignoratur) ſed quandam ob ſuperſtitionem. Nam probri loco ducunt, ſi quis cuiquā dicat Czunetſz, hoc eſt, non circumciſe. Solent em̄ cæteris ignominiæ loco dicere: Vos incircumciſi, quaſi dicant immundi homines. Quanquam maior pars filiorum ſine circumciſione moriantur, adeò nulli ſaluti putant prodeſſe circumſionem, ſi ſuperſtitio tollatur. Vt igitur ad lotionem reuertamur, primam putāt perneceſſariam poſt quamcunq; pollutionis maculam, uel etiā naturalem. Nec enim cuiquam loquitur, uel aliquo tractaſ, ſi poſſibile eſt, etiam uix ab ullo cernitur, niſi prius in aqua merſus aut perfuſus aqua mundetur. Sunt itaq; in ciuitabus inſignioribus balnea, quibus continuè utuntur. Vbi non ſunt, ſecretum locum aliquem ad lotionem præparatum habent in domibus, ut poſſint aqua perfundi priuſquam domum exeant. Pollutum enimuerò ſi agnoſcant, Tſchump per contumeliam uocant, per quod immundiciam tanquam execrabilem reprehendunt. Altera lotio uulgò Tachriat dicitur, quæ neceſſaria eſt cùm opus naturæ exercetur, uel uentoſitates erumpunt: tum enim aliquo ſecreto loco uerenda abluunt. Maxima etenim ſollicitudine curant, tam domi quàm foris uel caſtris, dum naturæ opera perficiunt, ne corpus denudent. Vtuntur nanque fœmoralibus amplis, quibus ſolutis (nam antè aperiuntur) reijciunt curuati in terram ueſtes ſine corporis nudatione, ut uix quiſpiam quid agat deprehendi ualeat: erectus enim & ſtans nunquam quis cernitur naturæ opera exercere: piaculum id foret maximum. In primis tamē cauet, ne faciem in meridiem uertat hoc agens, quo ſe orantes uertere conſueuerūt. Tertia lotio Abdas dicitur,

alij

alij Aptam uocant, quinq; ſenſuũ organis perneceſſaria: qua manus & brachia ad cubitos uſq; abluunt: dehinc os, nares & tota facies ad aures uſq;. Tũ manu cum aqua ſuperducto capite, deſcendit ad pedes, ablutisq; cruribus ad tibias hæc lotio proficiſcitur. In omni loco licitum eſt hanc facere, nec neceſſum ut præcedat unamquamq; orationem, niſi immundicia aliqua hãc exigeret. Satis eſt enim una lotio ante orationes omnes, ſi caueatur immunditia omnis. Licet aliqui ob maiorem cautelam ac deuotionem frequentius eam repetant.

Ieiunium habẽt in anno ſemel per menſem integrum. Accipiunt enim lunationem unam inter duodecim lunationes anni cõmunis, in qua ieiunant. Cùm enim annus ſolaris non concordet in menſibus cum anno lunari ſine emboliſmo, huius ignari ſupputationis, duodecim lunationes pro anno capiunt. Menſis igitur ieiunij eorum nunc in hyeme, nunc in æſtate contingit. Abſtinent aũt ipſo ieiunij die ab omni genere cibi & potus. Noctu autẽ quoties libuerit crapulantur. In fine ieiunij unum paſcha celebrãt, in quo memoriam mortuorum agunt peregrinantes, ac commeatum ſecum deferentes, quo ueſcantur. Oſculantur ſe inuicem mutuò, & bonũ imprecantur paſcha alter alteri. Poſt XL autem diem ab hoc alterum paſcha celebrant, quo eorum peregrini ad Mecham ueniunt cum multis alijs nationibus, quæ huic ſectæ adhærẽt. Etenim Arabes, Saraceni, Tartari, quandoq; etiam Chriſtiani, qui ob id maximopere ueneran-
tur, tanquam uictores & uiri digniſſimi, multisq; utuntur priuilegijs, cognominati Hatſchilai, annuatim uiſitant memoriam mortuorum, & ſepulchrum Mahometis in Mecha ciuitate, quæ XL dierum itineris ſpacio à Hieroſolyma diſtat, uenerãtes. Quod iter camelis (quoniam terra eſt ariditſima, & hinc areno ſa admodum) perficitur, à Soldano in hunc uſum ordinatis. Sunt ijs peregrinis duo cõſtructa xenodochia, quæ nos hoſpitalia dicimus: in itinere unum, quod Czeinmenczercij lingua dicitur patria, capaciſſimũ multorum hominum, exædificatum in locis deſertis, ubi habitatores non ſunt. Alterum in ciuitatibus Ymarat cognominatum. Sunt autem à Regibus & Principibus extructa, & poſſeſſionibus dotata plurimis, ut redditibus illic ali poſſint abundè bis in die, non modò peregrini aduentantes, ſed & ſtudentes quidam aſcripticij & ſacerdotes nonnulli, qui pro fundatoris anima officium quotidie dicunt.

Gymnaſia præterea habent, in quibus leges ciuiles à Regibus editæ pro regno conſeruando docent: in quibus qui proficiunt, honorantur, & ad iudicandum ac populum gubernandum eliguntur: Inſigniores Muderis, minores Minetſthum uulgò dicuntur, minus uerò docti Taurſman. Quibus ſufficit, ut Alcoranum ſciant, & cerimonias quę ad orationem & cultum legis pertinent, benè intelligant: exempti à ſeruitute, & liberi ab oneribus communis populi. Iudices enim Regiſtrarij & Iuriſconſulti, qui Caliphę dicuntur, alijs ſunt pro neceſſitate prouiſi ſtipendijs. Nullam tamen liberalem artem addiſcunt. Ab omnibus honeſtis diſciplinis & ſcientijs ſunt ita alieni, ut nec nomina noſcant, nec myſteria ac ſacramenta cerimoniasq; legis ſuæ aliqua ratione confirmare poſſint, innixi ſolis conſuetudinibus. Sacerdotes eorum nullam habent occupationem circa curam animarum, ut noſtri, in audiendis confeſſionibus, exhibitione ſacramentorum, & cuſtodiendis reliquijs ac ædibus ſacris: quandoquidem nullas habent. Nihil enim eccleſiæ eorum à domibus differunt communibus, ut nec ſacerdotes à communi populo. Sacerdotes nanq; nec meditationibus, nec ſtudijs literarum uacant, ſed uxoris ſolatio & filiorum cõmunisq; familiæ. Iumenta enim curant, mercantur, uſuram capiunt in poſſeſſionibus, uenationi incumbunt, aucupio & canibus operam nauant: nihil eſt eis illicitum prohibitum ue. Qualis enim lex ac cultus, tales & ſacerdotes & miniſtri. Quãuis enim multam coram hominibus religionem ſimulant, clàm tamẽ omnibus ſe flagitijs immergunt. Literas pecunia corrupti ſcribunt libertatis, ut ſerui capti fugiant. Magicas item uanitates literis ſignãt, ne quis in prælio uulneretur,

aut enſe aut ſagitta. Quas literas gentili lingua uocant Haymayly, multis omnino nequitijs coinquinati.

Habent autem religioſos multos habitu exteriori differentes, & arte diabolica (cuius filij ſunt) miranda facientes: quibus rebus miſeram plebem, dæmone malo ſuffragante, decipiunt. Quidam enim incedũt nudi, operientes uerenda tantũ: tantam præ ſe ferentes patientiam, ut quaſi impaſſibiles, neq; hyemis ſæuitiam frigore, neq; æſtatis ardorem calore ſentiant: ſtigmata, cicatrices, inciſiones cutis, ulcerationes æquè ferentes, ſi quis faciat, inſenſibiles penè. Quidã eò deueniunt abſtinẽtiæ, & tantam induunt perfectionem, ut rariſſimè cibum ac potum, nonnunquã penitus ſine cibo & potu degant. Alij magnam paupertatem profeſſi, nil de terrenis rebus cogitant, nec in craſtinum aliquid reſeruãt. Alij rurſus perpetuum ſilentium tenent ut muti, Czamutlar dicti, nullam cum hominibus conuerſationem habẽtes: ac ne prouocati quidem ſummis iniurijs ac tormentis ad loquendum cogi poſſunt. Dicunt alij ſe uiſiones ac reuelationes, alij raptus ac extaſes ſupernaturales habere. Quicunq; aũt in hoc ſtatu degunt, Dermſchler nominantur, ſignaq; diuerſa profeſſionis geſtant. Aliqui in capite pennas, quibus ſignificãt ſe meditationibus ac reuelationibus deditos. Aliqui inaures, quibus notant obedientiam in ſpiritu, propter raptus frequentiam. Nonnulli cathenas in collo aut brachijs, quibus uiolentiam, quam in extaſi patiuntur, notificant. Nonnulli habitum uarijs coloribus ex pecijs conſutum, quo paupertatẽ repreſentant. Varios tamen habentes uiuendi ritus. Quoniam aliqui inter homines cõuerſantur, alij ſeorſum congregati in modũ uillæ, plericq; in nemoribus ac locis deſertis. Quidã in ciuitatibus aquam baiulant in utribus, ad bibendum optimã, nihil inde mercedis expoſcẽtes, ſed hoſpitalitatis officium exhibẽtes. Habitant aliqui circa ſepulchra mortuorũ, & ex oblationibus populi uiuũt. Hi omnes non ſeruãt leges Mahometis particulares, quia uxores aliqui nõ habent, nec lotiones nec orationes ſecũdum cerimonias prædictas faciunt. Fœminæ autẽ quædã his ſeſe religioſis clàm cõmiſcentes, dicuntur natos ſine uirili ſemine parere, qui Nefeſogli uulgò uocantur: quanquam diabolico id fieri ſuggeſtu feratur. Quorum ſemper duo in magna illa ciuitate, quæ Burſia corrupte, Pruſia ab antiquis dicta, capillis uel ueſtimentis ſuis omnes infirmitates dicuntur depellere: quia eorum & actio & uita mirabilis & ſupernaturalis cenſetur. Ob id Chriſtianis illudentes, minimè mirum eſſe dicũt, ſi Ieſus Chriſtus ex Maria uirgine natus dicatur. Omnes uerò religioſi illi, qui Dermſchler uulgò nominantur, in magna habentur ueneratione, quaſi ſanctorum ſuperſtites ac ſucceſſores, regnicq; totius cõſeruatores, & amici Dei ac Mahometis. Horum opinio eſt, legem nihil prodeſſe, ſed gratiam Dei qua hominem ſaluari oportet, quæ ſine merito & lege ſufficiens eſt ad aſſequendam ſalutem, quam ipſi Rach Matallach nominant. Sed nulla ratione, nulla autoritate opinionem ſuam, prodigijs tantum & ſignis aſſerunt: multos in ſui fauorem trahentes, potiſſimum qui ſpirituales & deuoti ſunt. Sunt qui Czoſilar appellantur, quaſi meditatiui uel ſpiritualibus exercitijs dediti. Hi quaſi ſucceſſores Prophetarum & patrum, qui hanc ſectam fundarunt, magnæ autoritatis habentur, traditiones patrum allegantes, & per meritum homines ſaluari aſſerentes, ſine gratia & lege (quod Pereketallach uocant) intẽti orationibus particularibus, exercitijs ſpiritualibus, uigilijs, & meditationibus. Nunquã enim orationem intermittunt continuam, quam ipſi Izillaraitmach uocitant. Noctu conuenientes in circulo conſidunt, ac commotione capitum per aliquod tempus repetendo dicunt Laylachillabach. Subiungũt deinde crebrò item repetendo Lahu. Tandem repetunt iterum Huhu, & quaſi exanimes cadunt & obdormiunt. Hos maximè illi uenerãtur, qui generis antiquitatem & ſtemma nobilitatis referũt, Efflier Embieler dicti, quorum genus eorum alterius nationis commixtionem non accipit, nec à patrum ſanctione huius ſectæ unquam

receſ-

receſſit. Sunt præterea qui Horiſe, quod hęreſim ſonat, patria lingua dicuntur, aſſerentes quenq; in ſua lege ſaluari à Deo data, cum tales æquè bonæ ſint ſeruantibus: nec ulla ſit alteri præferenda. Hi quaſi ſchiſmatici & Turcis ſuſpecti, nonnunquam deprehenſi affliguntur. Quandoquidem occultè docẽt, & Chriſtianorum eccleſias ſubeunt, aquaq; benedicta ſe conſpergunt, ſigno ſe crucis muniunt, legemq; Chriſti tam bonam quàm Mahometis aſſerunt. Religioſi autem Turcorum feſtiuitates quaſdam agunt, uel propter uota populi eis oblata, uel ad aſſequendam pluuiam, ſerenitatem, uictoriam, uel propter prædeceſſorum memoriam. Quæ quidem feſtiuitas Machia, ludus autem quem faciunt Czamach patria lingua dicitur. Congregantur enim finitimi unius regionis, occidentes (ſi habent) animalia. Sin minus, ex leguminibus & oriza cœnam inſtituũt. Refectione peracta, qui primus inter eos eſt tympano accepto, modulatur, cæteri ſurgentes, ordine ludunt quadam regulata totius corporis agitatione, motibus, honeſtis omnium membrorum & ualde decẽtibus, ſecundum modulationem menſuræ inſtrumenti muſici. Tum in modum uertiginis quodam motu uelociſſimo circulariter rotatione ac corporis reuolutione (in qua uis ludi conſiſtit) ita celeriter reuoluuntur, ut homo ne ſit an ſtatua haud facilè diſcernas, oſtendentes ſe in hoc quaſi ſupernaturalem habere corporum agilitatem. Licet autem quiſpiam eos poſſit in cæteris ludi geſtibus imitari, hanc tamen reuolutionis rationem, quantumuis agilis, nemo facilè ſequetur. Finito ludo ſurgunt omnes, & ordine confuſo imprecationis uoces pro ſalute eorum, à quibus eleemoſynas acceperunt, emittunt. Aiunt Prophetas antiquitus ijs ludis uſos, cùm Dauid dicatur ante arcam Domini luſiſſe. Loquuntur autem inter ludendum ſermones quoſdam obſcuros à patribus ſibi traditos, qui ad eos dum in raptu & extaſi ſunt, in ſpiritu locuti ſunt. Qui quibuſdam breuibus ſententijs materiam complectuntur de qua tractant, uerſibus & rythmis, quibus myſteria cerimoniarum ſuarũ ſpiritualiter explicant. Ob id ſacerdotes alij hos inuiſos habent tanquam ſimulatores, improbantes ipſorum & ludos & imprecationes tanquam inutiles, cùm legem minimè obſeruent: Licet maximam uitæ ſanctimoniam tam dictis quàm factis oſtentant, Angelicq; ex moribus, non homines iudicantur. Quamuis enim ſpiritualis maieſtas de facie exprimitur, ſit tamen ſuperbiæ uenenum occultum intrinſecus. Volunt enim ab omnibus obſeruari: offenſi parum, indignationẽ Dei imprecantur, ſæpeq; uindicta ſubſequi uiſa eſt: omnes itaq; cauent, ne hos offendant.

Mortui enim illi in numerum Sanctorum referuntur, & ſignis quibuſdam ac mendacibus prodigijs cùm uenerentur, plebem ſeducunt. In tota uerò Turcia primæ uenerationis habetur, cui nomen Sedichaſi, quod interpretatur ſanctus uictor, uel uictorioſus inter ſanctos. Cuius ſepulchrũ eſt inter limites Caramannorum & Othomannorum. Quem tanta religione colunt, ut neminem deſiderio ſuo fraudatũ, qui opem illius implorarit conſtantiſſimè credant: præcipuè ſi bellorum ac uictoriæ uota fiant. Ob quam rem, maxima donaria à Principibus quotannis uiritim ad huius ſepulchrum deferuntur.

Eſt alius apud hos ſanctus Hattſcipetteſch cognominatus, hoc eſt, peregrinationis adiutor, quem implorant peregrini.

Qui uerò Aſcik paſſa dicitur, patronus amoris extat, & in matrimonio inuocatur prolis cauſa, uel in partus periculo, uel maritatis litigantibus.

Vair paſſa, diſcordantibus concordię patrocinium conferre dicitur, nunc ſe iuuenem nunc ſenem hominibus oſtendens.

Schleychpaſſa conturbatis & tribulatis ſolatium præbere dicitur.

Chiridirelles uiatoribus neceſſitatem patientibus auxilio eſſe ſolet. Quem in forma uiatoris equo inſidentem apparere inuocantibus aiunt.

Venerantur & quidam, qui pecorum & cæterorum animalium curam habent, & qui pro pluuia aut ſerenitate aſſequenda inuocant, quorum alter Goi-

uelmirſchin, alter Bartſcumbaſſa nuncupatur: his butyro litant & calido pane, quem paſſama uocant.

Fuit inter religioſos illos quondam ſuſpicio Regis de proditione, quocirca indignatus Amyras, hoc eſt, Rex, omnes comburi iuſſit. Cùm autem ſenior ex illis pro excuſatione multa dixiſſet fruſtra, primus ardentem introiuit furnum intrepidus, illæſusq; manens, incendium reſtinxit, ac miraculo illo Regis iram mitigauit, ut ſe ſuosq; à mortis redimeret periculo. Omnes illius poſteri hunc tanquam ſanctũ uenerantur, eiusq; ſoleas, quæ in furno cum ipſo intactæ manſerunt, pro teſtimonio ueritatis hodie oſtendunt. Omnia tamen hæc uelamine ſimulationis obteguntur. Nam quur faciant ſacerdotes prædicta, reddere cauſas nequeunt, de futura uita omnes æquè dubij. Antichriſtum Tetſchel uocãt, & friuola multa de purgatorio cõminiſcuntur, abſurdaq; multa fabulantur de inferno, è quo dicunt Mahometem poſt iudicium cuiuſcunq; ſectæ homines omnes liberaturum, ob autoritatem magnam, quam apud Deum gerit.

DE CAETERIS MORIBVS DOMESTICIS TVRCORVM.

NVLLA maior cura Turcos ſubit, quàm ut plures homines capiant & abducant, uendantq; & lucrẽtur. Nam Barbarum genus ſæua rapacitate aurũ appetit, ob nullamq; rem magis Regem obſeruant, quàm ut aureos præbeat indies nummos: Licet in Regios natos miro amore ſint affecti. Nec audent regiũ ſanguinem perſequi, niſi regia domo natus quiſpiã, in propinquum impetum crudeliter primum faciat. Ob id Regi ſuo ualde obſequioſi, cum iubentur, dicto citius ad bellum exeunt. Siquando hoſtibus congrediuntur, ingẽti clamore & ſono tympanorum uoces ædere, ut terrori multitudo ſit, conſueuerunt. Tum Mahometẽ deum ſuũ inuocant, corpus lauant purgantq;, priuſquam prælio ineant. Tum quotidie in aurora ac ſolis occaſu fiſtula, & tympanis cantant, de futura uictoria exultantes. Principes autem Turcorum, cum mutua ſeſe reuerentia afficiunt, ter digito labellum compeſcere ſolẽt. Mos denicq; eſt apud Regem Turcorum, ne Oratores ac legatos ipſe audiat, ſed Principes qui Baſſæ dicuntur, tanquam interpretes ac interceſſores ad Regem referunt, more Regum Perſarum, familiaritatis uitandæ gratia, quæ faſtidium parit. Quantum autem Reges in uita uenerantur, tantum ijs mortuis in tumultu ac ſeditionibus excitandis ſunt parati. Aeraria diripiunt, domos ſpoliant, & nihil quod ad locupletandũ proſit, omittunt. Mercatores in oppidis habent, qui priuilegijs à Rege muniti, captiuos quoſcunq; emunt, uendunt, impignorant, redimunt, iuxta regalia ipſorũ decreta, ſine cuiuſcũq; obſtaculo. Bellum quoque ea cauſa adeunt, ut homines mercentur, ac publicè in foro uendãt ut pecora, ingenioſiſſimi ad noſcendum, qui uiribus ualeant, cui labori adaptãdi. Tum palàm ſine pudore homines nudi utriuſq; ſexus proſtituuntur, currunt, ambulant, ſaltant, ut hinc ætas, uirtus, robur diſcernatur. Siqui inobediẽtes aut uerecundi pudenda tractari recuſarint colaphiſantur, & flagellis cæduntur. Hic filius uenditur matre uidente, hic mater abducitur in confuſionem filij, hic marito erubeſcente uxor ut ſcortum eluditur, alioq; uiro traditur. Hic uxor maritũ uidet aratro alligari. Hic paruuli è ſinu matris rapiuntur (Abducunt enim non prouectæ modo ætatis homines, ſed paruulos & lactantes infantulos) Denicq; nec dignitatis, nec ſexus, nec ætatis, uel miníma habetur ratio. Miles, paganus, ſacerdos, plebeius, nobilis, ignobilis pari libra æſtimantur. Serui empti mancipãtur teterrimæ ſeruituti, tanquã perpetuis carceribus: ubi nulla ſpes amplius libertatis, ſed labores intolerabiles cum maximis obprobrijs. Auidiſſimè enim omnes, ſeruos & ancillas poſſident, quia credunt egeſtatem ſe nullam uiſuros, ſi

si seruos habeant. Quoniã cùm serui multiplicantur, cum ancillis iungunt connubio. Villas ergo totas exædificant, & agros ijs colunt, ac inde ditantur. Serui itaq; nil aliud cogitant, aut nulla alia de re colloquuntur, nisi de consilio fugiendi. Heri hoc animaduertentes, cibum subtrahunt, ne uiaticum parent. Raro autem fuga elapsi, euadunt, præsertim qui ultra mare abducuntur: tam solliciti sunt Turci requirendi inueniendiq; profugos. Inuentis & reductis, duplicatur miseria. Si iterum reducantur profugi, cruciantur & affliguntur sine omni humanitate. Nunc enim uictus, nunc habitus negatus, mortẽ accelerat. Quibusdam compedes, quibusdã cathenæ annectuntur. Sunt quibus nares, aures, neruos pedum abscindunt, ut deformes noscãtur. Prudentiores tamen seruos ut retineãt, pacto & termino seruitij statuto, Iudici ordinario illius loci præsentant, acceptoq; syngrapho de libertate assequenda securos reddunt. Perfecto tempore seruitutis, iudex Imperiali autoritate donat libertatem literis publicis (quas instrumenta solennia consueuimus appellare) tum licebat olim patriam petere. Nunc non licet etiam assequuta libertate, sed liberũ est in Turcia quæcunq; negocia obire. Quandoquidẽ in itineribus impediuntur edicto Regis, ne patriam petant. Sunt tamen sacerdotes, qui accepta pecunia à seruis, adulterinas literas miro astu fabricant, quibus nõnulli fortuna propitia euadũt. Sunt item fures quidam, qui se mercatores fingũt, ut seruos & ancillas fugitiuas abducant, & in remotioribus locis uendunt: & hinc iterum furtim abigunt, donec propinquiora & finitima loca contingant, tum accepta pecunia, literas donant, quibus possint (si habuerint fauentem fortunam) euadere: licet paucissimi ad patriam reuertantur. Verum ex Bosna, Albania, Sclauonia, adiacentibusq; regionibus, ob paupertatẽ (quia ob annua tributa ac uectigalia ad summam egestatem redacti sunt) cum se nutrire uix possint, sponte ad Turcos ueniunt & seruiunt, nonnunquam in magna multitudine: qui facilè persuadentur, ut perpetuò maneant. Horum maxima est copia in Adrianopoli regia urbe, quia facilè linguam patriam ediscunt. Licet Sclauonica passim penè omnes utantur lingua, & Imperator & curiales. Ex hac multitudine Turcus decimam colligit, & è Græcis quibusdam adhuc Christianis, ut sibi custodes corporis Ianizaros efficiat, ut suprà abundè narrauimus. Sic itaque tria genera hominum Christianorum in captiuitate Turcorum inueniuntur. Primum est illorum, qui in pura simplicitate uitam agunt, nihil de factis eorum aut sollicíti aut curiosi, timentes ne ab erroribus decipiantur, Christianamq; suam religionem pro uirili in seruitutis iugo custodiunt. Alterum genus illorum, qui curiosè secretissima quæq; indagant & scrutantur. Atq; hi pericula nonnunquam experiuntur, dum incautè se ingerunt. Id autem faciunt, ut errata ac deceptiones huius perfidæ sectæ in scripta redigant, posterisq; mittant, ne seducantur. Sic plures legimus captos, qui omnem illorum superstitionem curiosè disquirentes, hęc quæ scimus nobis nota reliquerunt. Tertium genus medium quoddam tenet. Cùm enim illi incautè eorum facta considerant, ab erroribus eorum capiuntur, fidem suam perdunt Christianam, & superstitioni se addicunt. Quorum magnus ibi est numerus, quoniam ad dignitates deinceps & diuitias perueniunt. Hoc facit simulata illa simplicitas, quam in uestitu, habitu, equitatu ostendũt: deridentes in primis Christianos, qui uestium uarietate gaudent, cum apud ipsos ta uiri quàm fœminæ, tam nobiles quàm ignobiles, nihil curiositatis aut leuitatis in habitu ostendant: Quod item in equitatu faciunt, cùm prælium ineunt. Quinimo & Imperator illorum nonnunquam uidetur cum duobus aut tribus balneum ingredi, ac templum religiosè adire, ubi non in cathedra ac solio regali, sed in terra substratis tapetibus sine reliquo ornamento, ut cæteri, sedet. Ante omnia autem student Turci mundiciæ. Omnia enim suspecta de mundítia reijciunt. Ob id & uinum minimè bibũt, quòd olim causa magni mali angelis fuit, qui inebriati uino, coitum cuiusdam pulcherrimæ mulieris petierunt,

tierunt, & ìtèr ad cœlum docuerunt. Ipsi uerò in puteum quendam profundissimum damnati sunt. Sed & carnes porcinas non comedunt, qui dicunt hominem illis in mundum fieri. Et uinum in terra calidiore, ut in Arabia, parum habet uoluptatis, cùm frigidis delectẽtur potius poculis. Nec in parte domus ubi comedunt, aut canes aut pullos admittunt, ne loca fœdentur. Nec si uas aliquod, uel canis uel pullus contingat, ex eo amplius uescuntur. Solent enim pullum fune ligatum diebus septem ac amplius tenere, ut purum tantum granum comedat. Nec morticinis uescuntur ac sanguine suffocatis. Nisi enim ferro uiderint gulam animalis secari, carnes nõ comedunt. Hinc etiam post quãcunque pollutionem, ut superius latè disseruimus, balneantur ac mundantur. Simplicitatem præterea ostendunt ædificijs suis, nullam penitus habentes delectationem in construendis domibus: licet sint auro atq; argento ditissimi, superfluitatem tamen esse iudicant. Raro enim ex lapidibus, frequenter ex lignis domus construunt. Rident itaq; mirum in modũ Christianos, cum tanta uidẽt ædificia: quæ ideo putãt extructa, quasi credant se perpetuò uicturos. Nobiliores autem æstatis tempore relinquentes urbes, in campo sub papilionibus degunt, uenationibusq; utuntur. Qui uerò pecudibus operam dant, nullas penitus habent domos, sed cum pecoribus terras pro pascuis quærunt: hyeme calidiora & inferiora loca, æstate superiora, quamuis ditissimi sint in auro. Tugurijs exilibus contenti: ostendentes se mundi peregrinos. Lusores pro pecunia quocunq; genere ludi, ignominia afficiunt, ac deinceps grauiori supplicio puniunt. In terra comedentes omnes sedent, nec scamnis nec sedilibus utentes: quadam tamen decenti compositione, multum naturæ ipsi deferentes. Mensam habent ex corio ceruino, plerunq; attonso ac rotundo, latitudine quinque aut amplius palmarum, cum circulis ferreis, quibus introducta corrigia instar bursæ claditur, aperitur & portatur. Discalciati autem & in templis & in mensa sedẽt. Inhonestum enim uidetur, si sedeat aliquis calceatus. Vtuntur ergo genere solearum (quas planellas dicimus) ipsi sua lingua bathmag uocãt: his fœminæ præcipuè utuntur. Vbi uerò sedent, tapetibus loca sternũt, uel laneis uel scirpeis, uel iuncinis. Exigente tamen necessitate ob humiditatem uel immundiciam, tabulata à terra parum eleuata ponunt.

Quod uerò ad augendam prolem attinet, licet unicuique secundum legem duodecim habere uxores legitimas, ancillas uero sine numerò quot libuerit. Et secundum eandem legem omnes filij & filiæ ancillarum habẽtur æqualiter hæredes cum uxorum filijs. Solent enim pluribus in locis ac uillis singulas habere uxores. Nam ob inquietudinẽ ac iurgia, raro in una domo duæ simul manent uxores. Possunt autem dimittere uxores quando uolunt. Quoniam ligamen illud matrimonij, quod suo idiomate Kebni uocant, in potestate uiri esse dicunt, non mulieris. Interuenit tamen huic etiam matrimoniali uinculo sacerdotis autoritas. Aequaliter penè etiam omnibus utuntur, concipiendæ prolis gratia, ne amorem impetuosum in aliquam transfundant, licet duodecim habeant. Vtuntur fœminæ simplicissimo habitu, nullum luxum repræsentante. Nec unquàm sine uelo aut aperta facie, in conspectum uirorum, uel domi uel foris prodeunt. Mitræ caput tegunt, extremitas ueli faciem tegit, ut soli oculi emineant. Hoc tam uillanæ quàm nobiliores faciunt. Nulla enim in publicum prodit nobilis, nisi subtili uelata sit serico. Vt homines ipsa uidere possit omnes, à nemine autẽ facies eius uideri. In die Veneris quæ apud eos sacra est (ut diximus) ad meridianam horam nobiliorum uxores templum ingrediuntur. Vbi locus secretus solas mulieres capit, quẽ uiri uel non debeant, uel non possint adire. Colloquiũ uiri & mulieris in publico perrarum est. Rarissimum maritum cum uxore sedere aut equitare in publico. Cauent enim in domibus, ne coram familia ullum lasciuiæ indicium ostendant: tanto rigore non modò in familiam, sed uxores quoq; utunt. Nobiliores eunuchis uxores suas custodiũt, ne

ne uiris alijs miſceantur. Magna ſeueritate omnino erga mulieres uti cõſueuerunt, etiam conſanguinei. Facta enim deſponſatione, ſpõſus uſq; in nuptiarum diem non comparet in faciem ſoceri aut ſocrus, quod item & ſponſa obſeruat. Tanta eſt apud iſtos uerecundia, qua non modò plebeios, ſed & ſapientes decipiunt, ut apud ipſos conuertantur. Conuerſis ſacerdotibus et religioſis ad ſe, multas prouiſiones faciũt, ut cæteris exemplo ſint. Sic multi uidentur religioſi Minores, Prædicatores, & cæteri, qui fide Chriſti abnegata Mahometem adorant, miſeramq; plebem ſeducunt. Hęc omnia tendunt in deceptionẽ, quem admodũ tota lex Mahometis deceptionibus eſt pleniſſima: in his enim eſt fundata, & amotis his, tota corruit. Nam quæ de circumciſione ac lauacro præcipit, eò tendunt, ut Hebræos Chriſtianosq; decipiat. Cætera omnia quæ lex illa (ſi modò deceptio lex dicenda eſt) complectitur, de mundicia, carne porcina, uino, & id genus alijs, ut luxum expleant & Veneri inſeruiant, excogitata ſunt. Omnia alia ſimulata & ficta, ut uno uerbo complectar ſingula. Si quis uerò latius quæ contra hanc legem dici poſſint ſcire deſideret, Nicolaum Cuſam in Cribratione Alcorani adeat: Et pulchram relegat, ſed longam Pij Pontificis ad Mahometum Turcum epiſtolam, quæ incipit: Scripturus autem quæ pro tua ſalute, &c. In qua potiores legis Mahometis deceptiones recenſentur, & ridendæ ineptiæ. Sed in oratione quoq; habita in conuentu Mantuano, ſexto Kal. Octobris, Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quinquageſimono no, Pius Secundus Pontifex maximus, uanitates legis Mahometicæ plures numerat: adhortans ſimul Principes (quod & in bulla magna facit, quæ ſic exorditur: Ezechielis Prophetæ magni ſententia eſt, &c.) & uniuerſos Chriſtianitatis proceres precibus flagitat, ut contra Turcos proficiſcantur, & bellum ſumant. Suaſit quidẽ, ſed non perſuaſit Orator ille Pius & Pontifex. Et ob id ſemper latius ſerpſit hoc malum, uſq; in ætatem noſtram. Negligẽtiaq; Principum res iam eò deuenit, ut neq; Pontifex, neq; Cęſar, nec Reges, nec Principes, nec ciues, nec communitates de Turcis cogitent, loquantur, aut conſultent. Dormimus omnes in utramq; aurẽ ſecuri. Vereor ſanè ne nos excitaturus Turcus olim oſcitãtes ita obruat, ut ne ſpatium quidem fugiendi nobis relinquat. Ego quod poſſum omnem moueo lapidem, ſingula oculis ſubijciens. Fœlicis Petancij commentarium, quibus itineribus Turci ſint aggrediendi, ueluti Corollarium ſubiungo. Quo cum magna olim mihi fuit familiaritas, cùm Oratorem Cæſaris Maximiliani Budæ agerem. Hic etenim & ad Baiazetem II, & Zelymum aliquoties fuit Orator, & planè multa Turcorum nouit, quę oculis uidit. Sed iam ô lector hunc audias.

FOELICIS PETANCII CANCELLARII SEGNIAE, QVIBVS ITINERIBVS TVRCI SINT aggrediendi: Ad Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem.

ACCEPIMVS ſereniſſimè Rex, maiores noſtros cùm de inferẽdo bello conſultarent, prius itinera quibus tutò in hoſtes pergerent, multorum & ſcriptis, & documẽtis accuratius inueſtigaſſe. Qua ex re ſæpe cõpertum eſt, eos fuſis ualidioribus copijs, ampliſſima regna atq; opulẽtiſſimas Prouincias ocius fuiſſe adeptos. Ea propter operæpreciũ erit maieſtatem ueſtrã comonuiſſe, quos terrarũ limites, quáſue gentiũ regiones adeat, in Turcos expeditionẽ affectãs. Et quãuis decenti & matura perſuaſione ad prouiſionẽ rui nę Chriſtianæ opus eſſet exordiri prolixioribus uerbis, tamen ſtatus perturbatiſſimus rerũ me prohibet, eoq; maximè, quòd maiores noſtri (quorũ exẽplis innitimur) in huiuſmodi arduis & maturè nauandis rebus, impigri ac ſemper

citiſſimi extiterunt. Igitur dimiſſis oris maritimis, quæ uerſus Aſiam nauigantibus patent, referam qui tramites ex Septentrionali plaga in Thraciam & Orientem dirigant. Primùm igitur ex Pannonia ad Hiſtri & Sauí confluentem traijcitur in ſuperiorem Myſiam, prope Belgradum oppidum ubí duæ concurrunt uiæ. Altera ſuperior in Thraciam ſiue Romaniam, altera inferior ad Dardanos & Macedones mittens. Sed ſuperiorem uiam ſequẽdo, patentibus campis Godomiri, præter celebre phanum Reſſane, Regum atq; Principum illuſtratum ſepulchris, non procul pertranſito amne maioris Murauæ, relictísque ſiniſtrorſum agris Brailoue, per pagum Branicerum pergitur ad Niſum, olim (ut ex ruinis cernitur) ciuitatem peregregiam, nũc inſtar uici redactam, à Turcis & Bulgaris habitatam. Adiacet altiſſimis montibus ex finitimo Rhodope progreſſis fluuio Niſaua, à quo denominatur, magnaq; uenalium copia rerum inter alios Myſiæ & Triballorũ pagos cenſetur præclara. Abeſt à traiectu Belgradi cxx millibus paſſuum. Ex ea aſcendendo ad uicum Pirothi ſitum in montanis, peragrato uaſto montis Curiorouize iugo, arduo atque difficili, cùm ob profunda circum eminentium rupium concaua, tum propter denſiſſimum nemus longioresq́ue amphractus, ſit per quinquaginta milliaria acceſſus ad Sophiam metropolim Triballorum, emporium noſtris ſeculis memorandum. Iacet in plano ſpectans ab Oriente inferiorem Myſiam, hoc eſt, Sagoriam, ex Cyabro flumine circa Bionium & Nicopolim oppidum porrectam per limites Hiſtri ad mare Ponticum. A Meridie Thraciam, ab Occaſu & Septentrione Cordiſcos, Triballos, & excelſos montes Vaſiglize alpes. Hinc Rhodope præ alijs quàm plurimis quos habet, uerticibus eſt eminentior, quaſi omnibus finitimis montibus imperitans. Quod ex ipſa Græca denominatione planè innuitur. Per cuius aſperos & anguſtiſſimos aditus, biduo pertranſitur ad plana Philipopolis uel Romaniæ. Hæc Romani Aſiæ quondam imperium ſibi uendicantes, iter habuêre: quorum inſigne ad hæc uſq; tempora in montis medio marmoreis erectum columnis conſpicitur. Hinc & Gotefridum de Bulionis, dum terram promiſſionis recuperaturus pergeret, ad Helleſponti ſiue Callipolis traiectum ex ſuperiori Myſia tranſcendiſſe memoriæ proditum eſt. Hiſce etiam anguſtijs Vladislaus Pannoniæ & Poloniæ Rex, olim ab Amuratho Turcorum Principe obſeſſus, retrocedere, & in Pannoniam ire fuit compulſus. Ex Philipopoli uia triduí & campeſtri continuè ad latus Marize ſiue Hebri fluminis, peruenitur ad Drinopolim, uocatam apud priſcos Odriſum ſiue Horeſtiada. Ea quantum pulchritudine & geſtarum gloria rerum inter omnes Thraciarum urbes ſemper claruerit, hinc uel maximè deprehẽditur, quòd eius fœcunditate ueteres Bithyniæ Reges allecti, ex Aſia in Europam commigrantes, ipſam ſibi domicilium atq; imperij ſedẽ diu ante Byzantij expugnationem tenuêre. Ab ea in Propontidem & Helleſpontum ſiue Callipolim, miliaria ſexaginta: in Conſtantinopolim uerò cxx computantur.

ALTERA VIA INFERIOR, QVAE EX EODEM *Belgrado per Dardanos & Triballos montes Emum tranſgreſſa prope Hebrum, cum ſuperiori uia coniungitur.*

ALtera inferior uia eſt, acceſſu perfacilis. Patet enim ex Belgrado ad limites Myſiæ & Dardanorum cclxxx millibus paſſuum, progrediens circa Oſternize oppidum & Rauanicenſe monaſterium. Adducit primùm ad Morauam, olim Moſchium dictum, ad latus arcis Cruſceue fluentem, quandoque imbrium exundatione inuadabilem. Dehinc ad Baſilicam albam & Appenníni montes Myſiam inuicem ſeparans. Raſcani enim primi huius prouinciæ populi feroces ac bellicoſi, eam partem incolunt, quæ ad Drauum, Sauum & Hiſtrum flumina ſpectat: Valachi montana, genus hominũ agreſte. Hi gregibus tantũ pollẽt & armentis. Aliã aũt quæ ad Dardanos, Macedones, & Triballos uergit,

uergit, Seruianæ gentes habitant, usu mitiores, & syderum aspectu benigniori: eo quod magis ad meridiem tendant, & frequentiam commeantium mercatorum habeant. Pertransitis itaq; montibus, sequitur planum Dubotize, frequenter inhabitatum. Sed dimisso aliquantisper ad lęuam tramite, qui ad uillam magnam Procopiæ & Nisum dirigit, non procul offert se uallis Cossouiza cum Labo flumine per medium eius decurrente, procedens ad latissimum Cossouum campum, celebratum toties diuersarum gentiũ certaminibus. Verum ex multis quæ hic præclarè gesta in antiquis narrantur Annalibus, pauca in huius campi memoriam repetam. Galli olim Græciam atq; Asiam occupaturi, illic primo tumultuantes, cum circumfinitimis populis prælium iniere: nõ sine magna strage, ut ex eorum monumentis apparet. Precibus nanq; uix indutias obtinuerant, donec traditis sepulturæ occisorum corporibus, à prouincia abirent. Præterea anno iam centesimo quinquagesimo Amuratho Turcorum Regi magna cum Barbarorum multitudine ex Thracia in Mysiam irruẽti, Lazarus Despotus huic cum multis milibus obuians, fuit occisus, paucis ex suo exercitu superstitibus, apud Turcos uictoria remanente: nõ incruenta tamen, perempto ibidem eorum Rege. Vbi eius adhuc intestina marmoreo condita tumulo iacent. Cadauer enim in Bursiam siue Byrsam Bythiniæ Metropolim deportatum est, cum aljs ex Othomannorum familia Regibus sepeliendum. Postremò hic fuit illa infausta, & omnibus seculis execranda clades, Iohannis Hunniadis genitoris diui Matthiæ, Pannoniorum Regis, ex conflictu habito cum Amuratho & Mahomete Calepino eius filio, qui fuit pater moderni Turcorum Imperatoris. Huius campi planicies portenditur circiter lxx millia passuum, usq; ad uiam Cuzamici & fauces Cissuræ quæ ad Scopiam ducit: posita inter duo flumina Sithnizum & Labum, uallata undique montibus. Quorum extrema perabundat uicis & pagis, habens ad latus opulentissimum pagum Pristinam, qui ob maximam ubertatem fuit quondam Mysiæ dominis in summis delitijs. Est insuper ad decem milliaria Nouomantana ciuitas, Germanorum colonia. In principio namq; Saxones in Mysiæ partibus metalla & argenti materiam reperiere. Cæterum iuxta Horauize lacum & paludes, diuertendo ab ea uia quæ ducit per Binzum Morauiam ad montes Criuicinæ infra Mysiam & Dardanos iacentes, itinere unius diei ab ingressu Cissuræ, patet accessus ad Scopiam, caput Dardanorum, & terminum Macedoniæ. Hæc ciuitas est ferax & abundans omnibus preciosis terræ fructibus, plena diuitijs, diuersorium peculiare Principis, irrigua salubri flumine Vardaro, scaturiente ex iugis altissimis Orbelli montis, qui imminet Macedoniæ, Triballis, Mysiæ, Dalmatiæ ac Epyro: propterea opportuna ad conuocandum exercitum. Inde iter arripiendo per planitiem Geglígone, uallem Corropnize, balnea Beobusci, pontemq; Strimonis, dirimẽtem Macedones à Triballis siue Bulgaris prope uillam ripæ rubeæ perlustratis campis Samocení, syluis & uastis solitudinibus montis Emi uocati, apud Triballos eius accolas Costegnazo, difficili admodum uia descenditur ad Marizam, hoc est, Ebrum fluuium & campos Philipopolis siue Romaniæ. Vbi hæc uia inferior distans à Scopia ccxxx millibus passuum, coniungit cum superiore ex monte Vasigliza siue Rhodope, ad hæc plana prograediente.

TRACTATVS DE COGNOMINE, ET *situ Romaniæ.*

ROmania autem, de qua paulò superius mentionem fecimus, est regio à Prica, affluens omnibus quæ ad humanum expediunt usum. Ab Romanis olim ob immensam situs amœnitatẽ diu inhabitata. Vnde propter frequentes in ea prouincia Romanorũ colonias, & præsertim Constãtinopolim, quasi altera Roma uulgo nominari consueuit. Eius longitudo à littoribus Aegei æquoris & Strimone fluuio cccxc millibus passuũ progressa, ab Oriente Ponto, à Se-

à Septentrione Histri ambitu non longè à Rhodope, iuxta Ciabrum amnem cum inferiori Mysia finitur. Latitudo uerò ex uicinis Emi lateribus incipiens, ad Meridiem clxxx, uersus Calliopolim protenditur.

ALIVS LOCVS, VNDE EX PANNONIA TRAIICITUR IN MYSIAM, IUXTA SASLON OPPIDUM.

SEcundus autem locus unde ex Pannonia transitur in Mysiam, est prope Saslon, siue Sabacum oppidum, non procul inde, ubi Drina ex Dalmatia decurrens, Sauo immiscetur. Vltra Sauum duæ sequuntur prouinciæ, Beligna & Maza: relictis ad dexteram flumine Albo, & his montibus, Sacero, Chriber nico, Crupno & Saeza: et tunc iter ad famosum uicum Vaglem, montesq; Lar zi, exercitibus propter currus & alia impedimenta immeabiles. Ex parte sinistra sit progressus ad uadum maioris Muraui, abluentis ibidem Crusseuam arcem, adhærendo semper alijs itineribus superius memoratis.

VIA QVAE EX PANNONIA PER TRANSSYLUANIAM MITTIT UERSUS THRACIAM & PONTUM.

ESt & iterum tertium iter opportunius minusq; laboriosum, ducēs ex Pannonum finibus in Thraciam, & ad alia loca uicina Pōto. Verùm quia tam ipsos Pannones, quàm reliquos trans Danubium commorātes populos illud minimè latet, cùm ex concursu commeantium inuicem mercatorum, tum ob continuum bellum, quod circa oram Histri & eas regiones Turcos propulsando exercent, pauca tantummodo ad hanc uiam necessaria aggrediar. Buda itaq; abest à Varadino lxxx millibus passuum, interiacentibus Cumannorum locis, & flumine Tibisco. Hinc ad Rhium oppidum prope Chrisiam amnem, est uia unius diei semper campestris. Ex eo patet accessus per uallem longam in Colusuar, siue Themisuar: Inde ad Sibinium pari spacio itineris & perfacili. Hæc ciuitas est principalis ex septem castris, quæ regio uulgò Transsyluania siue Herdelia appellari consueuit. Bello insuperabilis: parit enim strenuos ac fortissimos milites. Est in ea Huniad oppidum, loci natura munitissimum, unde Iohannes pater diui Matthiæ Regis oriundus fuit. Qui fusis hic primùm Turcis, eorum Duce Mecusbecho interfecto, melioribus semper auspicijs uictoriam prosequendo, adeò hostibus terrori & suis admirationi extitit, ut omnium sententia in regni gubernatorem deposceretur. Ex Sibinio sequitur corona siue Bresouia, ultimum oppidum Transsyluaniæ, adiacens montibus qui diuidunt eandem prouinciam à Maiori Valachia seu Dacia. Hinc tertia die aditur Targouiscus Metropolis Valachorum, & sedes peculiaris Principum inaccessibilis: non muro, non mœnibus cincta, sed fossa, uallo, & aggeribus tantum, cum sudibus præacutis externis positis, sita inter paludes obductas lutosis syluis & lacunis aquarum, ita quod hyeme tota penè circumfinitima regio immeabilis sit. Hæc est prouincia Dacia dicta apud ueteres, Romanorum colonia. Vnde eius aborigenes hac etiā nostra tempestate passim Latino utuntur colloquio. Est ea gēs barbara, crudelis, diuinationibus & augurijs dedita, rapinis semper & prædæ inhians. Ex his locis declinando uiā, ad traiectum Bidinij & Nicopolis dirigentem, ad lęuam offert se Vasillum castrū, medium fermè cōsistens inter Valachiam Maiorem & Minorem, siue Moldauiā, ubi sæpè cum Turcis certatum est. Dracula enim cum paucis sed electis militibus, Mahometum Turcorū Imperatorem, potitū iam Maiori Valachia, & ad Minorem occupandā maturantem, hic ad secundam uigiliā noctis aggressus, conuersum in fugā, ad Danubiū cum magna suorū cæde & ignominia regredi coēgit. Hic denicq; Stephanus Moldauiæ Princeps, Suleimanū Bassam & Ducē Romanię sic prostrauit, ut ex triginta Turcorū millibus, pauci admodū (qui fortè uelocioribus equis insederant) euaserint. Ex Vasillo circiter xxx millia passuum pertransitur Hister ad Brilagum, siue Braillouū oppidum, ultra quod occurrit

occurrit Græcia, procedens ultra septem ora Danubij usq; ad Pontum, ubi est campus Varne, celebratus primo conflictu Imperatorum Sigismundi & Ducis Burgundiæ. Postmodum cæde Vladislaui Pannoniæ & Poloniæ Regis, atq; Legati Apostolici.

VIA PER QVAM EX VARBOSANIA itur uersus mare & montes Corbauiæ.

RElíquum est, ut quàm breuissimè enarretur, ex quibus Dalmatiæ partibus Turci irruant in Germaniam, & in alias circumfinitimas nationes. Est igitur in ea prouincia locus qui Varbosaniæ dicitur, caput & sedes principalis Ducis eius gentis. Quò omnes ex Asia & Europa barbari, prædæ ac rapinarum auidi confluũt: propterea quod inde facilius discurritur, siue ad oram maritimam, seu per Lichã & montes Corbauiæ in Liburnos, Histros, Lubianam & forum Iulium. Vel ex monte Adrio, qui fermè medius inter Bosnã & sinum Adriaticum consistit, ad Croatiam declinando in Carniolam, Ciliam, Carinthiam, Stiriam, usque ad Austriæ penetrat fines. Sed ex declinatione itinerum, quibus ad eas transitur gentes, ubi quæque dictarum sit regionum plenius apparebit. Hostes itaque ex Varbosania ad planitiem Thimæ siue Scythiæ distantem clxxx millibus passuum, & ad alia loca proxima mari discurrere uolentes, & si plures aditus habeant, duos tamen continuis excursionibus sibi magis cognitos, & quasi faciliores frequentant. Altero circa Visochij Ganzan & Prosor oppida descendunt ad Clissam, Spaletum, Thragurium & Scibenicum. Altero autem longius ad Clùci arcem porrecto preti, Bistrizam intrant in Italiæ plana patentia usq; ad fretum, dirimẽs insulas adinuicem à promontorio Corbauiæ, cæterisq; mediterraneis locis. Verùm regrediendo ex istis campis ad Cluci oppidum, & montes, unde in hæc littora diuertitur, duæ offerunt se uiæ. Alia uersus Bichachium & Hun, siue Hunani fluuium, pergens Alpinum Corbauiæ per angustias plerisq; in locis, transitu difficili & arcto, uix pedibus peragrando: dimissis ad lęuam Nouij & Buchari oppidis, cum Histria, Tergesto, & Montefalcon feruntur. Ex limitibus Bosnę ccccxx millibus passuum ad Hiss sumtium amnem.

VIA QVAE EX CLVCI OPPIDO VERSVS Hun fluuium progreditur, & per quam itur in Germaniam.

SEd superiorem uiam tenendo, traijcientes Hun fluuium ad latus Bichachij, relicta Cruppa ad dexteram semper, locis campestribus, spacio quinquaginta milliarium offendunt omnem regionem Croatiæ circa Modrusium, usq; ad Crappam & Sauum fluuios. Hinc etiam in Lubianam excursiones fieri possunt per eosdem montes Corbauiæ, uia stricta, lapidosa & aspera. Post Cuppam amnem sequitur Metlica, in cuius finibus est mons arduus, transitu difficilis, porrectus ad quatuor miliaria. Vbi paruo admodum præsidio, iter hostibus præcluderetur. Inde ad Sauum & ad Carniolam transcurrunt, & ultra Sauum per Ciliam, Carinthiam, et Stiriam, prouincias, Drauo flumini adiacentes, depopulaturi. Dextera Muram & fluuium & Austriam adoriuntur.

VIA EGNATIA EX EPIRO SIVE DYRAchio, per Emathiam in Thraciam progrediens.

DVxi præterea peropportunum forè, si nostræ ætatis hominibus simul atq; posteris notum fieret, per quæ itinera olim Romani exercitus ex Epiro in Macedoniam, siue in Orientem transibant: præsertim cùm & assidua bellorum uastitate, & temporum uicissitudine nomina urbium & locorũ obliterata, omninoq; hodiernis Christianis militibus incognita existant. Proinde duæ sunt uiæ, altera Egnatia ex Dyrachio in Orientem, quam Strabo Geographus ad Ebrum fluuium Thraciæ, per millia passuum quingentos atq; triginta

quinq;

quinq; mensus est. Altera autem ex Apollonia, quæ Cundauia à montè Illírici denominatur, in Macedoniam ducẽtos sexagintaseptem, Thessalonicam usq; progrediẽs. Sed prior Egnatia, ex Dyrachio per Pharsalicos & Emathiæ campos, linquendo siniſtrorsum Fandam fluuium & montes Ducagmorum circa Lisum Emathiæ, quondam nobilissimam ciuitatẽ, & frequentissimos Vrachiæ & Dibri pagos, pergens ad Belgradum oppidum, fermè medium inter Emathiã, Thessalos, & Macedones, dimissis ex parte dextera Thessaliæ montibus, læua uerò Drina fluuio, peragratis syluis & nemoribus finitimorũ montium, descendit in planiciem Macedoniæ, extensam uersus Ebrum & Thraciam.

VIA CANDAVIAE MARITIMA EX APOLlonia, ad fauces Propontidis extensa.

SEcunda uerò uia, quæ Candauia dicitur, ex Apollonia, unde sumit initium Epirus, ad sinum Ambratium, præter Aulonis siue Valone lacum, procedens dextrorsum, adiacent sibi gentes Epiroticæ, quas Siculũ mare alluit. Hæc regio uulgo Arbanus nuncupatur, diu sub Aranitorum dominio habita cum Acheloo, uel secundum accolas, Pachicolamo amne è Pindo decurrente coniungitur. Illic terminus Epiri ab eo per Accarnanes ad Euinum seu Phidarim fluuium, qui in os sinus Corinthiaci influit, dirimentis Aetholiam à Peloponneso, ad Anthirium flumen Isthmi pertinet. Verùm tota hæc uia superius memorata continuò extenditur per oram maritimam, aditu quibusdam in locis aspero, & longius à mari ambiendo, ob crebros prominentes in hæc littora montes. Ea post Isthmum ab Aegeo excepta pelago, per Locros, Phocenses, Boëtios, Atticos, & Megarenses Græciæ maritimos populos, circa Euboeæ atq; Thessalonicę sinus, dimissa ad lęuam Larissa, descendit, usque Thessalonicam clarissimam Macedoniæ urbem. Dehinc rursus ad latus eiusdem freti, uersus meridiem, Athos montem declinando, per plana & montes, Strimonem transgrediẽs (qui Macedones à Thracibus diuidit) locis semper maritimis ad Emio oppidum extenditur, ubi Ebrus Thraciæ fluuius Aegeo immergitur æquori. Hinc duo patent itinera: Alterum per LX miliaria uersus Andrinopolim, alterum autem ad lęuam per pontem Egine, supra paludes & lacus miro artificio tribus milibus passuum extensum, præbetur accessus ad Callipolim. Ex ea in occasum diuertendo, facilè ad fauces peruenitur Propõtidis, siue Dardanellum.

EPILOGVS EXHORTATORIVS AD inuadendum Turcos.

HAec sunt itinera, à Romanis olim toties peragrata exercitibus, nunc à Christianis obnixius affectanda, si pulsis ex Europa Barbaris, perpetua pace potiri concupiscunt. Non est itaq; expectãdus hostis, neq; dimicandum cum eo in limitibus & gremio Italiæ: in Epirum siue Macedoniam transportandæ sunt copiæ, uno atq; eodem momento. Hinc & ex Pannoniæ oris bellum Thraciæ inferendum esse nemo iam ambigit: Non defuturum enim militem, neq; commeatum, imò omnia necessaria præstò fore. Aderunt ex circunfinitimis prouincijs undiq; fideles populi, solam expeditionem Christianã præstolantes, parati hostes undiq; adoriri, quàm primùm senserint Christianorum castra Histrum, & ex Italia exercitũ Adriæ fretum traiecisse: Hæc est una atque extrema uia debellandi hostem. Legimus nanq; Alexandrum Magnum cum Dario Persarum rege in Asia decertasse: Xerses ne ab Athenienſibus in regno suo circunueniretur, prior ipse Græciam inuasit. Hannibalis quoq; una atq; eadem sentẽtia semper erat, ut in Italia bellũ gereret: neq; ab ea uictor iam prius reuocari potuit, quàm translato in Affricam bello. Cęsari etiam tanta in opprimendis hostibus celeritas inerat, ut plerunq; ipse famam sui aduentus præueniret. Sed prætermittenda sunt tot exterarũ gentium exempla. Solũmodo unum relinquitur dignum memoria ac celebrandum posteris documentum Iohãnis Hun-

Hunniadis qui nunquam passus est Turcos aduersus Christianos expeditionem mouisse, quin eos in ipsa Thracia aggrederet. Cuius præclara ac sanctissima pro defensione orthodoxæ Reipublicæ incepta, nostræ tempestatis Principes imitari Dominus Iesus Christus Deus Opt. Max. faxit.

CVSPINIANVS LECTORI.

ABsolutis iam Cæsaribus Romanis, Græcis, Germanis ac Turcis, uenimus ad clementissimum illum principē Maximilianum, cuius præclarissima facta tot tantaq; sunt, ut ingenuè fatear me imparē gestis illius candidissimi Principis, quę à pueritia mea usq; in eius mortem uidi, scribendis. Asciuit me à scholis in suum senatū, misit me Oratorē suum in Hungariam, Boëmiam, & Poloniam, annos continuos duodecim: clemētissimè mecū ac simul humanissimè pleraq; de uarijs ac diuersis commentatus est, multa etiam secretiora concredidit, adeò ut quicquid scripsero etiam cautissimus, adulationis suspicionē effugere uix ualeam. Nam emerendi fauoris gratia iam, postquam ex hoc seculo sublatus est, præterijt, qua me calumniari possent æmuli. Sed cùm omnes scriptores huic aleæ subiectos uideam, ac huic sorti expositos, ferendum statui, quicquid de me sentiant, ac loquantur inuidi, mihi conscius. Hoc seruabo temperamentum, ut simplici ueritati innixus, ea tantum prodam, quæ publicè gessit usq; in eius obitum. Eius enim bella quæ à teneris annis gessit, & prima iuuenta, peculiare opus exigunt. Quemadmodum Frisingensis Præsul Otho, dum Annales ab exordio mundi ad sua tempora scriberet, Friderici Primi res gestas quatuor seorsum libris complexus est, nec ijs omnem rerum gestarum seriem comprehendere potuit. Sic extat ingens uolumen Sigismundi Imperatoris rerū gestarum: sic Aeneas Syluius Friderici Tertij res gestas peculiari opere orsus, morte præuentus, absoluere non potuit. Scripsit Maximilianus Cæsar patria lingua eadem manu, qua ensem tractauit, res proprias, Iulium Cæsarē imitatus, opere quodam insigni, cui titulum fecit, Albus rex quod extat: quo omnia eius bella graphicè describūtur: sed nondum editum est, quia imperfectum. Ego Deum rogo, ut diuo Maximiliano condignus rerum suarum scriptor eueniat, qualis Achilli erat Horus, cuius laudes etiam hodie decantantur: qualem sibi Alexander Macedo optabat, qui ob posteritatē hoc maximè curabat edicto, ne quis se pręter Apellem pingeret, ne quis alius se, pręter Pyrgotelem scalperet, néue alius præter Lysippum æra duceret uultum suum exprimentia, cùm tamen in Cherilum scriptorem incautus incidit. Cùm aūt hodie sint in Germania nobilissima in omni doctrinarū genere ingenia, exercitaq; literis Græcis ac Latinis, spero non defuturos, qui clarissimum hunc Cęsarem sint celebraturi, cùm sub eo, tanq; fœlicissimo sidere, omnes bonę artes, omnes honestę disciplinę, omnia studia in Germaniā cōmigrarunt, quę diu ijs caruit rudis & egena. Ego simpliciter quæ uera ijs oculis uidi, & ab illis didici, qui cum eo à cunabulis anteq; illum noscerem creuêre, ordine recēsebo. Erat Ioannes Stabius iudicij acutissimi uir, raræq; doctrinę, qui pluribus annis sub eo militarat, multa adiecturus allaturusq;, quæ posteritas fuisset admirata: utpote, qui castra eius sequutus, semper lateri adhęsit annis iam assiduis sedecim. Et quum Austriam, Carinthiamq; graphicè depinxerat, ac stemma domus Austriacę ingeniosissimè in lucē produxerat, deprompturus adhuc multa & speciosa & insignia, potissimum nunc aulicis liberatus tempestatibus & tranquillitati redditus, ecclesiæ Viennensis factus Decanus. Sed eminētioribus omnibus inuidet inuida mors, quę hūc insperato, cùm moliretur ingentia, quędam, Grętzij in Stiria nobis abstulit, kalend. Ianuarij, uigesimisecundi anni post millesimum quingentesimū, cùm Maximilianum scribendū suscepissemus eius ductu. Erat mihi nanq; animus exemplo Plutarchi Suetonij q; & aliorum hic subsistere, alijs q; scribendum hunc relinquere. Sed hic me uicit, ut modis omnibus hunc pium ac fœlicem Principem scriberem. Studiosi boni consulant, quicquid de illo scripsero.

MAXIMILIANVS CAESAR IMPERATOR AVGSTVS.

AXIMILIANVS filius fuit Friderici III Imperatoris ac Leonoræ Eduardi Regis Portugalię filię, in Noua ciuitate Austrię genitus, anno humanę reparatiõis quinquagesimo nono post millesimũ quadringentesimum, XII die Martij. Ab infantia penè in in nonum ætatis annum elinguis, ut plerisq; mutus iudicaretur: tanta difficultate primũ uerba enunciabat, non siue matris ingenti dolore. Sed quantũ difficultas illa loquẽdi in puerítia fuit plerisq; molesta, ita in perfecta eius ætate, facundia omnibus etiã externis fuit admirabilis. Qui supra patriam linguã, Latinè, Gallicè, & Italicè eleganter loquebatur. Quod non modò Oratores uniuersæ Christianitatis Regum ac Principũ ingenuè sæpe confessi sunt, sed insuper in publicis cõuẽtibus & diætis Imperialibus ac prouincialibus, electores ac principes imperij, nec non uniuersa hæreditariarum terrarũ nobilitas testata est. In quibus sæpenumero sine interprete lõgissimas, de rebus admodum arduis, habuit orationes, liberius loquutus. Res magni quoq; momẽti sic tractauit, ut ex arte omnia uideretur agere: quod sola illi natura concessit. Ante mortem uerò suam triennio, in conuentu Viennensi regũ Hungariæ, Bohemię, ac Poloniæ, duorum cardinalium, archiepiscoporum, principum, antistitum, ac baronum, quàm diserte, quàm compte, quàm elegãter uarijs tum nationibus præsentibus loquutus sit, paulò inferius latius disseremus. Adeò ut illam in pueritia sua loquendi tarditatẽ, tandem loquendi promptitudine ac facilitate benè compensauerit. Vnde cùm Francofordiæ in Regem Rom. eligeretur, collaudantibus eum certatim principibus coram Friderico Imperatore, & potissimùm quòd expeditè latinè loqueretur et legeret, respõdit Fridericus astantibus: Nescio, inquit blandè, quo pacto uel legat, uel loquatur, hoc mihi certe constat, quòd cùm duodecimũ ętatis ageret annũ, subuerebar ipsum aut stultũ futurũ aut mutum. In eius infantia, quemadmodum in omni uitę suæ cursu, aduersitates grandes & pericula multa expertus est. Nam patri Friderico, fraternæ tum semper erãt lites ac discordię cum Alberto Austriæ duce. Qui prodigus & paternę hęreditatis decoctor, suæ sortis nobiles ac ciues semper suo lateri adhærentes habuit, quibus cum cõmessabatur, ac in noctem multam potabat, eoq; induxit Viennenses ciues, ut fidei suæ ac præstiti iuramenti immemores, Fridericum Cęsarem cum coniuge Leonora ac filio Maximiliano in arce Viennẽsi, ueluti in sẽptis clauderent, ac longa inedia macerarẽt. Fertur tum Maximilianus puer matrem rogasse, ut ei perdicem aliquando daret, postquam iam hordeo pluribus diebus uesceretur. Quæ illachrymata: Vtinam (inquit) mi fili, panis nos non deficiat. Erat quidam tum scholasticus ex Transyluania Cebinensis Viennæ, qui operam literis in publico gymnasio nauabat. Is indignè ferens ciuium Viennensium erga suum principem perfidiam, quantũ duobus tribus ue aureis nummis, ex uolatilibus, perdicibus, capis, ac carnibus ferinis cõparare potuit, succinctus ac suffarcinatus, superducta longiori ueste scholastica, fossam arcis insiluit, & per cuniculum (quem ille fortè ex quodam didicit) ingressus, Maximiliano hæc dona quantulacunq;, piè obtulit. Hunc deinceps Cęsar liberalius perpetuò dilexit ac fouit. Vbi uerò habilis per ætatẽ ad literas addiscẽdas fuit, magistro Petro, qui postea Nouę ciuitatis antistes erat, traditus, aliquot annis cum nobilium quorundã filijs contubernalibus latinas didicit literas. Sed cùm eius præceptor solis dialecticis argutijs doctus, sophismata illi inculcare uellet, ad quę capessenda aptus nõ erat, sępius atrociter uerberatus ab eo, magis ipse uerberandus, cùm uerbera seruos deceant nõ liberos, tandem effecit, ut literas magis odio haberet q; diligeret. Quod tamen præcipuumesse debet addiscẽti literas,

literas, quemadmodum omnes docent boni præceptores. Audiui ex ore diui Maximiliani hoc uerbum, quod nunquam è memoria mea excidet, quod iam Romanorum Rex factus, in mensa (ut solebat de uarijs loqui) multis astantibus, dixerat: Si (inquit) hodie præceptor meus uiueret Petrus, quanq; multa præceptoribus debeamus, efficerem ut se instituisse me pœniteret. Quàm multa enim bonis præceptoribus, qui rectè instituunt pueros debemus, tam multis plagis sunt onerandi indocti pædagogi, qui precios issimum ætatis tempus perdunt, & ea docent, quæ dediscere multo labore necesse est. Si enim (quod omnes fateri debent, nolint uelint, qui Maximilianum rectè norint) à pueritia rectè fuisset institutus, breui enclyopędiam omnem edidicisset, tã insigni fuit ingenio, tam acri iudicio, tam tenaci memoria. Primus enim inter omnes Principes nostra ætate, singulorum genealogias indagauit, missis per Italiam, Franciam, & Germaniam nuncijs, qui omnia cœnobia, omnes bibliothecas, omnia archiua Principum disquirerent, euoluerent, ac perscrutarẽtur. Atq; ob id Annales singularum prouinciarum, qui situ delitescebant ac squalore tineis absumebantur, eius opera reuixerunt, & in lucem commigrarunt. Quotusquisque enim Principum nostri seculi atauum suum norat? Philosophabatur nonnunquam, & ingeniosè de rebus sæpè naturalibus disputauit, in nulla re socors. De rebus sacris nonnunquam acriter, sed non sine lumine (ut Pythagoras docuit) disseruit. In medicinis sæpè magna quædam experimenta exhibuit. Solis iureconsultis, qui Bartoli Baldiq; opiniones pro oraculis afferebant, contrarius. Eius insuper ductu literæ Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ elegantiores quoq; disciplinæ, quasi in Germania primùm ortæ sunt, ac paulatim succreuerunt, & tandem ui ac impetu quodam eruperunt. Quia bona studia fouit, literatos amauit euexitq;, ac præmia digna largitus est: agnoscens sese in pueritia malè institutum. Prouectiori ætate doctos libenter audiuit, cum ijs commentatus liberius in secreto, multa ab ijs perdidicit. Animum dehinc ad scribendum, sed patria lingua, adiecit. Et licet palàm (quia malè in pueritia institutus) poëticam aspernaretur, ad poëticam tamen natus, poëtice opus de diuersis suis periculis edidit, cui gentili lingua Dewrdanck indidit. Fingẽs inuidiam & curiositatem, quasi personas quasdam comicas, quas ratione & prudentia sua uitauerit uicerit q; ac prostrauerit, ut olim Hercules, qui relicta uoluptate, laborem sequutus est per saxa per ignes. Pulchrumq; opus cõfinxit: quod Portam honoris appellauit, à Stabio uiro erudito erudite concinnatum, & picturis uenustatum. Quia re effecit, ut docti omnes nostræ Germaniæ undiq; abditas eruerent historias, omnes schedas perlustrarent. Et quę diu auos nostros latebant, prodirent in lucem. Eius à sacris Ladislaus Sunthemius ex Rauenspurgo, Viennensis canonicus, Franciam atq; Germaniam omnem diligẽtissimè perlustrauit, ut nostrorum Principum genealogias cum rebus gestis perdisceret, & Cæsari offerret. Qui me testamento hæredem suorum laborum scripsit, è quibus etiam in hoc uolumine haud pauca congessi. Chunradus Peutingerus Augustensium Archigrammatæus, uir haud indiligens & antiquitatis studiosus, omni studio curauit uetustissima chronica euoluere, & quod mentem Cæsaris plurimùm afficeret, congerere, & Principi offerre. Friburgensis ille Iacobus Manlius, quicquid summo labore assequutus est, illi obtulit. Nauclerus item, & innumeri alij qui in literis uersati, Cæsari complacere studuerunt. A quibus edoctus Cæsar Maximilianus, multa profectò intellexit, multa cognouit, multa proprio marte adinuenit. Quæ quidem indicia sunt magni ingenij: quod à primis annis habile fuit atque capax ad arduas res capessendas, si doctorem habuisset, qui bonarum artium semina spargere nouisset. Sed ab indocto imbutus præceptore, 32ã castrense Latinum, uel (ut uulgus loquitur) militare didicit. Cùm interea Fridericus, ob duos competitores episcopatus Colonienſis, Lotharingiæ ducem &

mille quadringentos, ad Nussiam descenderet, ubi Carolus Burgundiæ Dux, bellum gerebat Palatino infestus, per Cardinalem Hesler Herbipolensem, qui Patauiensis fuit episcopus, mira arte effecit, ut unica Caroli filia Maria Maximiliano filio desponderetur. Occiso itaq; paulo pòst in prælio Carolo, cùm Maximilianus decimumoctauum ætatis attigisset annum, ex Vienna honesto comitatu nobilium in Flandriam à patre mittitur, ut nuptias cum sponsa perficiat sua. Quæ ilicò eo uiso, ipsum ardentissimè amare cœpit, atque paucis annis, quibus simul concorditer uixêre, Philippum, Franciscum, Georgium filios, ac Margarittam peperit, ut paulò inferius narrabimus. Sed quum post obitum Caroli, insignis quidã Baro de Cordis, qui Artheſij & Picardiæ præses fuerat, ad Ludouicum Francię Regem defecisset, uxore Maria, ex bellicosissimo Principe nata, instigãte, Maximilianus prima belli auspicia orsus, Ludouicum bello aggressus, fortunam habens propiciam, ad Terbonam uno die uiginti millia militum Francorum cum paruo exercitu suo strauit, fudit, fugauitq;. Et cùm castra eius, quibus octo millia militum tenebantur, ab hoste essent capta, cæsiq; milites, ea forti manu recuperauit denuò, hostemque suis castris exuit, ac uictor eo die maxima præda abacta triumphauit, quo primogenitus Philippus sibi natus est, anno nostræ salutis millesimo, quadringentesimo septuagesimooctuo, cùm paucis ante mensibus tota Gelria in eius deditionem uenisset, unà cum capto Duce per suos milites. Quid plura? fortunatissimus in bellis extitit in hac sua iuuentute, quæ uno libro scribi non possunt, aliud opus exigunt, & quidem insigne. Vixit cum hac sua coniuge tranquillissimè, nec unquam post eius mortem usque in obitum suum, illius memoriam sine lachrymis habere potuit. Nam paucis ea uoluptas annis durauit. Quippe cùm sexto anno matrimonij iterum esset imprægnata, ex equo delapsa casum facit. Quem quum occultasset, uerita amantissimi coniugis dolorem, in morbum incidit, quo extincta est, ut infrà scribemus. Mutata est Maximiliani fortuna, cum morte uxoris. Nam & paulo antè Franciscus filius diem suum obijt, atque Georgius. Flandrenses filium Philippum in suam acceptarunt tutelam inuito patre. Margaritta filia Carolo Octauo, Ludouici Regis Franciæ filio desponsata, in Galliam iam abducta erat. Omnes prouinciæ quas in dotem ab uxore receperat, ab eo alienati sunt. Imò deficientes contempserunt, adeò ut qui paulo antè fortunatissimus omnium Princeps habebatur, amissa coniuge, liberis spoliatus, deficientibus prouincialibus, omnium esset sua tempestate miserrimus, inediam sæpè perpessus & irrisionem à suis, ne dicam grauiora. Non tamen animo consternatus, æquissimè tulit aduersitates. Mulctatis ciuibus qui authores defectionis fuerant ac castigatis, post biennium omnes recuperauit prouincias. Ab his denuò homagium accepit, filium suum Philippum complexus, eius se tutorem gessit, omnia dominia sua rexit fœliciter, & iam fortiori omnino freno gubernauit. Egit interea Fridericus Imperator cum Electoribus imperij, ut Rex Romanorum eligeretur. Cùm itaque Principes imperij Franckofordiam conuocasset, anno salutis humanæ millesimo, quadringentesimo octuagesimosexto, decimasexta die Februarij, unanimi Principum consensu Romanorum Rex eligitur. Ac postea reuersus in Flandriam, se adornauit ad futuram coronationem, publico gaudio à suis exceptus. Dehinc cum mille quingentis electissimis ac ornatissimis equitibus rediit, coronam accepturus. Vbi pater Fridericus filio non sine ingenti lætitia occurrit, paternè ab eo amplexatus. Ac simul urbem ingressi, mox Aquisgrani honorificè inunctus coronatur. Repetens itaque patriam, biennio post à suis est captus, millesimo, quadringentesimo octuagesimooctauo anno, ac Brugis in Aromatarij cuiusdam domo custodiæ per nouem menses datus, decollatis plerisque in eius conspectu nobilioribus aulicis suis, non sine horrendo ac stupendo quodam timore. Credebatur enim & ipse mox uitam amissurus

furus suam, ita sæuiebat ignobile uulgus. Ipse rex noctu priusquam caperetur, singula artificũ collegia adibat, submisse rogans, ne in suum naturalem Principem sæuirent. Habuerant eñ in media urbe castra ueluti in campo, & ne elaberetur clausis portis omnia custodiebant. Eius autem nobilitas quæ euasit manus sanguinolentas perfidorum Brugensium, omnes urbes ac uillas ferro ac flammis populabatur, euastabat cuncta, omnia diripiebat, quoad Fridericus Imperator genitor, cõmoto uniuerso imperio, cum nõnullis imperij Principibus aduenit, adducens triginta duo millia militum. Gandauum obsidens, filium redemit, ac ex faucibus perfidorum Brugensium eripuit. Quos Deus ac natura dein adeò puniuit, ut mare, quod suo uado ripas ciuitatis alluebat, retrò cesserit, nobileque emporium (quod prius celeberrimum omnium Flandriæ erat) destituerit. Sunt etiam ciues nonnulli factionis Principes puniti, & in perpetuam damnationem delecti. Vno enim die cepit Fridericus Imperator cum suo exercitu septingentos ciues Brugenses, præter eos qui hac strage fuerant occisi: qui à militibus postea sunt uenditi & distracti. Excita sunt tum undique bella & cum Rege Franciæ & Duce Gelriæ. Cum quibus plerunque parua manu magnas copias hostium ac uires strauit, & uictor Maximilianus abijt. Carolus aũt Rex Franciæ, Ludouico patre defuncto Margaritam filiam Maximiliani sibi desponsatam, remisit in Flandriã, ac Annam Franciſci Ducis Britanniæ filiam Maximiliano desponsatam, ui eripuit, ac in uxorem duxit: Alexandri sexti Roman. Pont. dispensatione interueniente, qui Carolum uehementissimè timuit, & accepta pecunia liberalissimè thesauro Ecclesiæ usus est. Habuit tum Maximilianus Rex comitia Principum imperij Norinbergæ, quum mors Matthiæ Regis Hungariæ nunciaretur, qui Viennæ anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo, in uigilia cœnæ Domini mortuus est, quum iam Austriam annis pene sexdecim occupasset, libenterq; cum Rege Maximiliano, si pater admisisset, ante mortem suam conuenisset. Coactis igitur copijs descendit in Austriam, dehinc in Hungariam: expugnataque Alba regali urbe insigni, in qua Reges Hungariæ coronari consueuerunt, Hungaros cò penè redegit, ut se Regem Hungariæ agnoscerent. Et si peditum pertinacia, qui ulterius progredi recusabant, ditati præda quam in Alba regali ceperant, non obstitisset, capta Buda regni Metropoli, uiolenter regnum occupasset. Iudex enim Budensis, cum nonnullis ciuibus iam urbis claues, obuiam progressus, afferebat, quod eius ex ore ipse audiui. Sedcùm fata obstarent, reuersus in Austriam Maximilianus, cùm Hungari ductu Beatricis reginæ, uiduæ Matthiæ Regis in Vladislaum consentirent, quem illa optabat maritum, anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, in Posonio facta est compositio & tractatus unionis, quòd si Vladislaus nullam ex lumbis suis masculam prolem produceret, ut ad hoc regnum Hungariæ solus Maximilianus, aut sui hæredes recta linea descendentes, liberè sine omni impedimento transirent. Interea titulo uteretur, quemadmodum tractatus Posoniensis, longè latéque in se continet. Subsequuta est deinceps mors Friderici Tertij, anno salutis nostræ millesimo, quadringentesimo nonagesimotertio, mense Augusto, Maximiliano tum existente in Flandria. Qui mox Austriam petijt, multis imperij Principibus comitantibus: ac dein mense Decembri, festo Sancti Nicolai confessoris, pientissimè patri parentauit, Viennę honorificentissimis exequijs habitis: astantibus Oratoribus summi Pontificis, Regis Franciæ, Cardinale Rothomagensi, Duce Auraniæ, Eduardo Rege Angliæ iuniore, Regis Hungariæ Oratoribus, Thoma laurienſe tum Episcopo, Cancellario regni, pòst Cardinale: ac alijs proceribus, Alberto Saxonum Duce, Alberto Bauarorum, omnium'que penè totius imperij Principum Oratoribus. Quemadmodum peculiari quodam opusculo exequiæ ille magnificentissimæ sunt descriptæ, quo ordine sint peractæ, & qua serie cuncta or-

dinatissimè processerint. Hinc pestis ingens Austriam uastauit, quæ totam pe
nè Europam circuibat. Maximilianus autem cùm iuissetad Oeni pontem, hoc
est, in Insprugk, secundas nuptias cum Maria ducis Mediolanēsis filia, splendi-
dissimè toto mense celebrauit. Iam enim Sigismundus archidux Austrię, Maxi
milianum heredem suarum prouinciarū instituit. Priusquam enim Fridericus
Imperator ex imperio, in quo quinq; annis semper cum octingentis equitibus
oberrabat, dum Matthias Hungariæ rex Austriam euastat ac populatur, redi-
ret ad Insprugk, archidux Sigismundus, Alberto Bauarorum duci filiam Fri-
derici Kunegūd in uxorem collocauerat, insscio & inuito patre. Comitatumq;
Tyrolis cum adiacentibus superioris Austrię regionibus promiserat, quod Fri
dericus ægerrimè tulit, coëgitq; Sigismundum ut omnia in publica diæta reuo
caret, cùm non liceat alicui Austrię archiduci, uendere dominia sua, uel aliena-
re alteri extraneo. Ob id Sigismundus pietate motus in Maximilianum, cùm
uideret hunc suis inuisum, sponte omnes suas terras (uiuente adhuc Friderico
Imperatore, qui nullum Ducatum durus pater filio dare uoluit) illi donauit, re
seruatis sibi unde uiuere posset redditibus ac censibus. Sed uix biennio super-
uixit: Sigismundus enim post Fridericum mortem obijt, anno nostræ redem-
ptionis millesimo quadringētesimo nonagesimoseptimo, relicta omni sua hæ
reditate Maximiliano Regi. Itaq; curiam ex Principibus tum habuit, qualem
ætas nostra neq; uidit neq; uidebit. Seruiebat tum Regi Maximiliano Frideri
cus dux Saxoniæ, iam imperij elector, Ioannes eius frater, Bauariæ dux Geor-
gius, Guilelmus dux Iuliacensis de Meckelburg, comites de Anhalt, Nassauu,
de Zolnaren, Oetingen, Furstenperg, Dierstein, Sunnenberg, Pitsch, & innu-
meri alij, quos enarrare magnus labor esset. Celebrata sunt inde comitia Vuor
maciæ, quibus comes Eberhardus Barbatus, Vuirtenbergensis creatus est pri
mus Dux, ac Henricus Pruesthenck Baro, Comes factus de Hardeck, &
Maximilianus Rex cum Claudio de Batre duello congressus, in omni Princi-
pum conspectu stupendum, sed fortitudinis suæ non leue argumentum aspe
ctaculum exhibuit.

Sunt deinceps à Maximiliano Rege grauissima & uaria gesta bella, quibus
ancipitem expertus est fortunam: ac nonnunquam insignem perpessus cla-
dem, periculum mortis uix euasit. Vt Italicum quod Pisis contra Carolum
Francorum Regem egit, Liburnum aliquot dies oppugnans, ab Alexandro
Benedicto Veronensi in suo Diario descriptum. Vt Helueticum, quod cum
Suitensibus, hominibus bellicosis, non sine grauí suorum iactura gessit, anno
nostræ salutis nonagesimonono, post mille quadringentos. Vt Bauaricum,
quod in fauorem suorum nepotum ex sorore Ducum Bauariæ Guilielmi,
Ludouici & Ernesti, contra Rupertum Palatinum Rheni strenuè egit. In quo
sua manu Bohemos haud longè à Ratisbona strauit fudit'que & fugauit, Vir-
ginei partus anno millesimo quingentesimo quarto. Vt Hungaricum, quod
tamen sua natiuitate Ludouicus Rex (qui iam Hungariæ & Bohemię mode-
rator præest) diremit, sexto anno post mille quingentos. Vt Venetum quod
octauo anno post mille quingentos inceptum, uario euentu, non sine suorum
incommodo tractauit, ut alia obmittam, quæ in Frisia & Gelria cum perpe-
tuo hoste gessit. De quibus succinctè ideo scribo, immo digito tantum signo,
quia peculiari egent (ut ab initio dixi) opere, quo clarius describantur. Cur ge-
sta, quo ordine, quot annis, quibus uiribus, quanto exercitu, quibus Ducibus,
quæ alijs narranda relinquimus, contenti perstringere paucis actę uitę seriem.
In hoc Veneto bello implicitus, cùm regem Franciæ atq; pontificem Rom. in
fœdere haberet contra Venetos, maximoq; exercitu Patauium obsideret, oc-
cupata iam Verona & toto agro Vicentino, cum omnibus adiacentibus oppi
dis & uillis, ne urbem hostili manu ingrederetur, Pontifex Romanus ueritus,
illi Tridentum usq; bullam obuiam misit, Cęsaremq; electum ac Imperatorem
declara-

declarauit. Sunt deinde cum Venetis inducię actæ, redditis quibusdam urbibus. Cæterùm cùm Maximilianus Philippum haberet filium, & filiam Margaritam, ut posteritatem suam propagaret, animum adiecit, quo honestis amplissimisq; familijs insereret, filioq; Philippo Iohannã Ferdinandi senioris Aragonum Regis filiam ex Isabella despondit uxorem, regnaq; Castellę, Legionis ac Granatæ in dotem suscipit. E qua filios peperit & filias, Carolum scilicet Cęsarem potentissimum Christianitatis Principem, & uigintiocto regnorum Regem, et sacrum hodie Imperium Romanũ fœliciter moderantem, & Ferdinandum Hispaniarum Principem, Austriæ Archiducem, qui hoc anno quo hæc scripsimus, Annam Vladislai Hungarorum Regis filiam uxorem duxit, in Lynzióque nuptias celebrauit. Filias quoque quatuor progenuit, Leonoram primogenitam, Emmanueli Portugaliæ Regi desponsatam, Isabellam quam Christiernus Daciæ Rex coniugem duxit, filiósque procreauit, generaturus plures. Mariam Ludouico Hungariæ Bohemiæq; Regi desponsatam, quarta Decembris, hoc anno uigesimoprimo, supra millequingentos, coronatam in Alba regali, ac Catharinam posthumam Iohanni Friderico Saxoniæ Duci desponsatam, quæ nondum mare traiecit. Sed non diu lætatus est hac fœlicitate Philippus Rex, qui paucis annis uiuens, uigesimumoctauum ætatis annum quum attigisset mortuus, parenti Maximiliano grauem post se luctum reliquit. Cometa mortem eius in Augusto, anni sexti supra mille quingentos portendente. Margaritæ autem filiæ eiusdem Ferdinandi Regis Aragonum filium Iohannem dat maritum: qui intempestiua morte sublatus, nullam post se prolem reliquit. Sed post illius obitum Philiberto Sabaudiæ Duci desponsata, quum tranquillissimè simul degerent, breue eorum fuit gaudium, mox ex humanis Principe sublato. Idcirco infortunata mulier, quum primùm sponsum Regem Franciæ Carolum complecti non posset, & à duobus sequentibus maritis morte fuisset intempestiua separata, noluit deinceps alteri nubere, licet potentissimi Principes hanc peterent, & Vladislaus Hungarorum Rex, priusquam Annam coniugem duceret, à Maximiliano hanc uehementer efflagitaret. Defuncto itaque Philippo Rege, ex uniuersa Flandria, Hollandia, Selandia & alijs regionibus Oratores insignes ad Maximilianum missi sunt, ut tutelam nepotum susciperet cum ducentis electis equis: quos ipse audiuit benignè in Irnst oppido, Cancellario Brabantię perorante elegantissimè & doctissimè. Quibus obsequutus Maximilianus, post celebratum Principum Constantiæ conuentum, ingressus Flandriam tutoris nomine, res ordinauit summa cum diligentia, ne quid nepotibus accideret mali, misso in Hispaniam Carolo, & educto in Flandriam Ferdinando. Non autem sine magna prudentia nepotes atque neptes in diuersa regna sic distribuit, ut suam familiam propagaret ac extenderet. Hac enim re effecit, ut totam penè Hispaniam, in qua uirilis antiquorum Regum Hispanorum iam sexus defecit, sua familia ex domo Austriæ instauraret. In qua iam longè lateq; dominatur, mariq; traiecto insulas ac maritima Aphricæ loca occupauit, occupatura, ut speramus, ac in Deum confidimus, breui Orientis imperij partem haud contemnendam: modò Deus suum nobis largiatur auxilium. Semen præterea in Daciam missum, si radices (ut cœpit) altius egerit, Septentrionem implebit. Nec puto defuturam in Hungaria uersus Orientem, huius prosapiæ fertilitatem, debita fœlicitate accedente. Haud enim mediocriter pius parens laborauit, ut hęc quoq; matrimonia fœliciter succederent. Pro quibus ego cum quibusdam meis collegis decem annis legationes plures, non sine periculo (quibusdam re fragantibus Regulis) obiui. Et Maximilianus, ut res tantas firmaret, insignem conuentum Viennæ fecit cum regibus Hungariæ & Bohemiæ, Vladislao patre Ludouico filio, Sigismundo fratre Poloniæ, cui est tum reconciliatus: nam simultates prius illi cum eo interceserant. Incidit autem hic conuentus in

annum milleſimum quingenteſimum decimumquintũ, in menſem Iulij. Deci moquinto enim menſis Iulij egreſſus Maximilianus Cęſar Viennã, occurrit regibus in Auſtrię & Hungarię cõfinibus, campo quodã latiſſimo, cui patria lingua Hart eſt nomen inditum: fraterniſq; ſeſe amplexibus mutuò ſalutatis, non ſine ingenti triumpho reuerſi ſimul altera die in Viennã, matrimonia Marię neptis cum Ludouico, Annæ cum altero nepote concluſerunt. Quàm grauiter aũt ac prudenter in quadam arcis Viennenſis aula, Senatum Regum & Principum, archiepiſcoporum & antiſtitum, conuocãs, perorauerit de ſtatu uniuerſi imperij et Chriſtianitatis coram iſs tribus regibus, Thoma Strigoniẽſe, Matthęo Salisburgenſi cardinalibus, archiepiſcopis Bremenſi, Gregorio Colocienſi, ac aliis epiſcopis, Ladislao Vacienſe cancellario regni Hungarię, Patauienſi Vuigileo, Ratisbonẽſi Ioanne Palatino Georgio, Quinqueeccleſienſi, Ioãne Boſnanienſe, Matthia Vladislauienſi, Stanislao Olomucenſe, Petro Primislaenſe regni Polonię cancellario, coramq; Principibus Bauariæ, Guilelmo & Ludouico fratribus, Vlrico duce Vuirtenbergenſe, ac innumeris comitibus, baronibus ex imperio, regnis Hungarię, Boëmiæ & Polonię conſiliarijſq; ſuis, quos enumerare faſtidium generaret: quàm prudenter, inquam, dixerit clementiſſimus Cęſar, quo pacto ſe purgauerit, cur in eum uſq; diem nunquam ſibi licuerit contra Turcos progredi, ac cum iſs manus conſerere (æmulis ſuis renitentibus) hoc ſatis ſit argumenti, quòd pluribus lachrymas eduxerit, fletumq; mouerit ſua oratione. Poſteaquam aũt regibus ac principibus cõuiuia inſtituit, ac ludos militares exhibuit, Cęſareis muneribus donatos ſecum in Nouam ciuitatẽ duxit, uenationes ceruorum, hinnulorum, damarumq; exhibuit, illiſq; dehinc ualedixit: Vladislao Rege per Sempronium oppidum in Hungariã cum filio redeunte. Sigiſmundo uerò per Viennam in Poloniam. Ipſe uerò Maximilianus Imperator conceſſit in imperium, ac ſequenti anno comitia Principum imperij Auguſtę celebrauit: ſummo ſtudio enixus, ut in ſua uita Carolũ nepotem conſortẽ imperij faceret. Nihil enim æquè curauit, ac ut nepotes potentiſſimos poſt ſe principes relinqueret. Quod ſanè dieſq; noctesq; meditabatur, ac omnes eò conatus ſuos tetendit, effecitq; ut electores imperij bonam ſpem illi futuræ electionis darent. Quæ ſuum effectum deinceps ſortita eſt, poſt Maximiliani obitum. Succeſſit dehinc mors uxoris regis Polonię Sigiſmũdi, cùm à Vienna domum repedaret. Ob id Cæſar curauit ut illi D. Illuſtriſſima Bona, Mediolanenſium et Barri ducis filia collocaretur uxor, quam per ſuos accepta uit, in oppido S. Viti, in flumine per mare fœliciter huc appulſam, comitante ipſam Proſpero de Columna: & per Stiriam Auſtriamq; in Crocauiã uſq;, per Caſimirum Brandeburgẽſem Marchionem alioſq; (quibus ego quoq; adiunctus fui) honorificentiſſimè traduxit. Nec diu poſt Viennẽſem regum conuentum, Vladislaus Hungariæ Rex ſuperuixit, relicto filio Ludouico annos uix decem nato ſuperſtite impuberi: editóque teſtamento, quibus Maximilianum Cæſarem & fratrem Sigiſmundum Poloniæ Regem tutores filij conſtituit. Et licet Hungari proximo poſt mortem Regis conuentu eoſdem acceptaſſent, Oratoribusq; utriuſq; Principis tutelam addixiſſent, ſemper tamen deinceps abnegauerũt. Qua re effectum eſt, ut dum timẽt Hungari, nequid autoritatis ſibi hi principes in regno uendicent, dũ ſuos conſiliarios (ut benè rex educaretur, ut regni cenſus debitè Regi conſignentur, ut confinia cum limita-
323 neis militibus, machinis bellicis, commeatibus cæterisq; neceſſarijs benè prouideantur) in curia Regis Ludouici habere in rem ſuam moliuntur, neutri confidentes, regnum penè deſolatum, ab omni parte hoſtibus prædæ fuit, undiq; confuſiones, undiq; factiones regulorum ſubortæ ſunt. Rex autem egenus, in ſuis ſæpè neceſſitatibus, uix annos pubertatis egreſſus, ſæpè defectum patitur, mille periculis obruitur, infirmitate moleſtatur, & partem regni (amiſſo prius patre genitore, dehinc Cæſare Maximiliano altero parente) improuidè

amittit,

amittit. Turci enim post Cæsaris Maximiliani obitum, uidentes nullum esse Principem, qui res Hungaricas curet, quum Sigismundus Poloniæ Rex infestetur à Tartaris, à Moschis, à Prutenis, triplici que oppressus bello, patrueli succurrere nesciat, licet inuitus, impetum in Hungariam faciunt, Belgradum fortissimum omnium arcium munimentum, in Saui & Danubij confluente situm, adoriuntur, incendio uastant, incolas inedia macerant longa obsidione, donec expugnent: quod prius nunquam à Turcis fuit oppugnatum, sed sæpius inde profligati ac cæsi, crudelissimas passi sunt strages. Latius hinc serpunt, & nemine resistente Schabatiam fortissimam arcem, cum multis adiacentibus oppidis & uillis, paucis diebus expugnant, ui rapiunt, incendijs dehonestant, homines ut pecora abducunt. Et licet Rex haberet exercitum, Ferdinandus pariter Princeps Hispaniarum, & Archidux Austriæ, sorore Regis Ludouici Anna, eius coniuge instante, etiam pro auxiliaribus tria milia electissimorum peditum mitteret exercitum, cum machinis bellicis necessarijs, qui malè non ab hostibus, sed ungaris sunt tractati. Licet etiam ex Polonia, Bohemia, Slesia alijs que regionibus auxiliares uenirent copiæ, & tamen nemo ex ijs ullum unquam uidit Turcum, nemo manus conserere cum Turco tentauit, inclusi omnes ueluti oues in septis, non ensem, non lanceam in hostem torserunt: sed in seipsos ob odia priuata arma uerterunt. Hæc non fuissent facta, si Maximiliano uita hactenus fuisset prolata, & si primates regni dum uiueret, non excæcati odio, suos à consilijs admisissent, quibus cura fuisset hæc omnia prouidendi. Sed dum isti sine ratione, sine Ducibus, sine machinis bellicis, sine militibus, omnia contemnentes externa, se satis esse ad omnia falso putantes, omnia tamen sibi friuolè usurpant, in eam rediguntur necessitatem, ut patriã perdant inscij, sese & suum Regem periclitantes. Et nisi insignis & præstãs ille Caroli Cæsaris Orator Andreas de Burgo, prudentia singulari, industria ac ingenio eminenti, Regi Ludouico astitisset in hac necessitate, sine dubio inter Germanos Bohemósque milites, qui simul erant iuncti & Hungaros, miserabiles fuissent suborti cõflictus, ut inde hostibus uictoria multò facilior cessisset. Sic eius quoque dexteritate coronatio Mariæ Reginæ Hungariæ honestè processit, alioqui tumultuosa & seditiosa. Non hæc assentandi gratia scribo, quòd multa mihi familiaritate uinctus, etiam collega bis in legationibus fuit, sed quòd uiro nunquam satis laudato, uerum testimonium perhibere ueritas ipsa me cogit & impellit. Quod si Dux Mediolanensis Maximilianus huius uiri paruisset consilio, non amisisset simul cum uita Ducatum & omnem (ut sic dixerim) domus suæ splendorem. Cæterùm, ut ad Maximilianum Cæsarem reuertar, dum post Viennensem Regum conuentum in Imperio, pro Carolo nepote cum Principibus agit, quo Rex Romanorum creetur, ac cum Romano Pontifice, Cardinalibúsque res magnas tractat, interim anno Virginei partus milleſimo, quingentesimo decimooctauo, mense Iunij, horrenda oritur Solis eclipsis, genesim Maximiliani uehementer offuscans, eíq; periculosa ac letalis. Quæ ubi in cœlo Viennæ apparuit, ea ipsa hora horrendum excitauit incendium, qua platea amœnissima urbis, quæ Cantorum dicitur uulgò, magna parte depurgata est. Maximilianus autem in Oeniponte cum suis agens, in iram commotus, febrim incidit occultam. Quam animi angustiæ auxerunt, adeò ut quum Vuelsam superioris Austriæ oppidum attingeret, apertè langueſcere cœperit. Moxq; ad se accersitis ex uarijs cœnobijs uiris religiosis, de salute animæ cœpit sollicitè cogitare (omnibus secularibus negocijs relictis) his scelera sua confessus. Dum à suis admoneretur, ut Christiani Principis opera perficeret: Dudum (inquit) quæ uos admonetis sponte perfeci. Petijtq; sibi sacram offerri eucharistiam, quam deuotissimè & summa cum humilitate accepit Christianissimus Princeps. Adeò autem de salute suæ animæ anixus, ut quamprimum corporis defectum sentiret,

licet,

licet,ut paulo antè meminimus, religiosos plerosq; secum haberet, tamen pro Gregorio quodam Cartusiensi,uiro doctissimo & simul religiosissimo confessore suo ueteri, Friburgum usque misit. Quem aduenientem in lecto decubans,ubi aspexisset,animo exhilaratus, leuato capite:Hic (inquit) uiam mihi in cœlum præmonstrabit. Manuq; hominem complexus, affabiliter eum ac humanissimè excepit,ut erat sua ætate omnium humanissimus Princeps. Cum eo multa commentatus, religiosè & Christiane multa disseruit: & quæ ad animæ salutem spectabant, cottidie tractabat. Noctu autem, quia graui insomnio laborabat, audiuit Iacobum Manlium res suas & maiorum suorum gestas prælegentem, quibus oblectabatur: erat enim & historiarum studiosissimus. Et cùm familiam suam præclaram Austriæ, diu in tenebris obsitam ac iacentem, in lucem produxisset, afficiebatur plurimùm, si in pulchram redacta seriem scripta sibi prælegebantur. Affuerunt duo eruditi ac insignes uiri medici Viennenses, Gulielmus Polymnius, ac Georgius Collimitius mathematices etiam peritus, quos per suos familiares aduocari fecit ex Vienna, quasi Gymnasij publici res acturos, non ipsum medicaturos: ita suum occultabat morbum. Qui uicissim uigilando noctu cum eo multa conuersabantur ac disputabant, quos multum amabat tanquam doctos & eruditos uiros. Quandoquidem eorum agnouit doctrinam & eruditionem cum diligentia, quam strenuè & impigrè impendebant. Libenter enim suum Principem seruassent, si Deus suam attulisset opem. Semper autem in sua ægritudine admisit & Consiliarios & Oratores, nixus premere altum (quem sub corde gerebat) dolorem. Sed cùm ineuitabile fatum nulli parcat, intelligens fatalem adesse horam, ultimam uoluntatem suam in scriptis redigi fecit. Qua cauit,quid fieri post eius obitum cum corpore, quid cum sepultura, quæ in pium usum constitui debeant. Sanxit præterea ut suarum Prouinciarum rectores ac præsides, cum omnibus officialibus in suo quisque statu, quoad alter nepotum huc commigraret, perseueret. Multa deinde de sepultura sua (pro qua hactenus multa milia aureûm nummorum erogata sunt) statuit. Dehinc secretius multa cum suo confessore Cartusiano commentatus, quæ superstitiosa multi arbitrantur,sed non ea esse Cartusianus ille doctus ac religiosus pater,cui ea concredidit,optimè nouit,qui eius secreta tenet. Præcepit enim,ut mox sibi subligaculum indueretur,ne pudẽda eius post mortem quispiam uideret. Erat enim omnium mortalium uerecundissimus,adeò ut nemo unquã ex cubicularijs suis uiderit naturę opera exercentem. Nemo neque meiere,neque egerere. Paucissimi medici eius urinam,dum ægrotaret,uiderunt,tantæ erat uerecundiæ. Dehinc præcepit,ut postquam animam efflaret,pilis eius tonsis toto corpore,omnes dentes euellerentur,in foueaq; suppositis carbonibus ac igne in cimiterio obruerentur. Corpusq; eius flagellatum triplici sacco, ex lino, serico albo, ac quod uulgò uocamus, damasco inuolueretur cum calce ac cinere mixto. Impositus pheretro, quod secum annis quinq; & amplius in eum usum facto circumduxit, interius ferramentis optimè munito. Licet quidam à secretis pro repositorio rerum suarum gestarum eo uteretur illis annis, nescius cur Cæsar ita fabrefactum ferreis tot repagulis munire iussisset. Tandẽ egit,ut postquam animam Deo reddidisset:hoc corpus suum integro die palam omnibus ipsum adeuntibus ostenderetur, ac postremò incluſum pheretro, in Nouam ciuitatem Austriæ ductum, in sacello arcis, Sancto Georgio dicato, sub magno altari sepeliretur,ita ut à pectore ad caput foris cadauer extenderetur. Sacerdos autem diuina mysteria celebrans,pedibus pectus calcaret. Omnia cùm ritè ordinasset,salutatis omnibus suis familiaribus,Christo Deo post percepta sacramenta,suam animam commendauit: strenuè ipsum adhortãte Cartusiano suo confessore,cui uiriliter respondit. Et cùm uox deficeret,signis se militem Christi professus est. Prędixerat hanc Cæsaris mortem futuram,uir insignis,mathematices

matices peritissimus Georgius Tanstetter annis penè sex integris ob solis eclipsim, quæ anno xviij euenit, & episcopo Viennensi Georgio, Laurentio Sauurer quæstori Cæsaris & mihi, quos testes adhibuit futurę huius calamitatis. Et ideo iussus Cæsarem ægrotum adire, ægrè obtemperauit, sciens se frustrà itu- 324
rum, Sic itaq; duodecima Ianuarij, post noctem mediam hora tertia, anno humanæ salutis millesimo, quingentesimo decimonono, spiritum suum Deo reddidit: profluuio uentris, ut olim Fridericus eius genitor, anno eius ętatis quinquagesimonono, mẽse nono, die uicesimaprima, Imperij uerò trigesimosecundo, mense undecimo, non sine maximo luctu omnium astantium, qui et lachrymis & fletu recedentem ex hoc seculo prosequebantur. Positus dehinc in lectum, ut iusserat, ab uniuersa plebe urbis Vuelsæ est cum dolore conspectus: nonnullis ululatum emittentibus præ dolore. Inclusus deinceps pheretro, primùm in templum de more delatus, parentatum est ei. Dehinc per uillas ac oppida Viennam allatus XXIIII eiusdem mensis, in Diui Stephani templo, astante uniuersa Austriæ nobilitate, & Viennensi antistite Georgio sacra celebrante, exequiæ peractæ sunt cum maxima omnium astantium tristicia. Post triduum in Nouam ciuitatem delatus, sub ara Diui Georgij sepultus, à Philippo Gundelio professore humanitatis Viennensi, elegantissima oratione funebri ac artificiosissima decoratus est. Mortuus est autem pientissimus princeps, cùm in uniuersa Germania, Francia, Italia, Hungaria, & penè toto Christiano orbe pax esset, quod nemo sperauit, quum in omni ætate sua bellicosissimus princeps innumera gessisset & atrocia bella. Sola patria sua Austria intestinis & ciuilibus seditionibus æstuauit. Cùm enim corpus Diui Maximiliani in Noua ciuitate (ut iusserat) sepelitur, Viennæ in publico Prouincialium conuentu tumultus suboritur. Rectores Prouinciarum, quos odio habuerãt, plerique suo magistratu priuantur, noui eliguntur sine Archiducum fratrum consensu ac uoluntate. Qui arreptis redditibus ac Prouinciæ censibus, moderari Austriam cœpêre. Veteres autem Prouinciarum præsides furorem uulgi insanientis timentes, in Nouam ciuitatẽ abierunt. Nam et ciues Viennenses, nobilium sequuti dissensionem, in duas scindebantur partes. Quidam em̃ Principis defuncti uoluntatem sequi cupientes, libenter obtemperassent mandato Cęsaris ultimo. Alij uerò furibundi & nouitatis cupidissimi, grauiter abeuntes Præsides criminabantur. Erant qui hoc temperamentum suaderent, ut ueteribus adijcerentur gubernatoribus ex uniuersa Prouincialium multitudine, quotquot uellent, sed ij irridebantur. Electi igitur sexaginta ex Baronibus, nobilibus, prælatis, in quibus & Cartusiensis Mauuerbacensis Prior quidam, atro refertus ueneno, cùm potius nemore & solitudine iuxta suæ religionis professionem gaudere deberet, quàm subsellijs & strepitu forensi, quantum potuit factiones auxit. Ex ciuibus pariter illis assidebant, qui odio, rancore, & inuidia laborabant. Missi sunt ex ijs aliquot in Hispaniã ad Carolum. Sed quantum placuit Regi illa dissensio, ex sua responsione, quam in omnes terras hæreditarias antè præmiserat, quàm hi fines Germaniæ attingerent, satis constat. Tumultuatum est itaque biennio in Austria, nonnullis antiquis regentibus, nonnullis nouis adhærentibus, non sine periculo urbis Viennensis. In qua plerique boni uiri & innocentes insolentiam factiosorum trepidi indies expectabant, sibi'que de seditione plurimùm timebant. Non fuit pax aut quies urbis, quoad Carolus nepos Maximiliani ab Electoribus imperij unanimi consensu in Franckofurt legittimè iuxta auream bullam Caroli Quarti designatus est Rex Romanorum. Sperabant enim factiosi ipsum mare non traiecturum, sed triennio in Hispanijs ob bella intestina permansurum. Ob id non quieuit omnino in Austria seditio (quoniam Carolus nondum mari traiecto ad coronationem uenerat) sed pertinaciter quisque suam tutatus sectam, horribiliter tumultuabantur, literis que se proscindebant famo-

famosis. Et ignauissimus quisq; inter ciues Viennenses gubernaculum urbis appetebat. Boni senatores coacti se submittere, factiosis obtemperabant, his blandiebantur, administrationem urbis istis permittebant. Quandoquidem mãdata commissariorum supremi regiminis, quos Carolus rex absens his suis terris dederat, contemnebantur, spernebantur, & nihili fiebant. At postquam Carolus traiecit mare, Aquisgrani splendidissimè coronatus, diuertit Vuormaciam, publicum celebraturus electorum & Germaniæ Principum conuentum (in quo feruntur, quod hac hominum ætate nunquã contigit, affuisse sexagintaduo Principes) missis literis, præcepit Viennensibus factiosis deponere administrationem, quam sibi ui usurpauerant, ac uiuere moribus magis compositis. Paulo pòst dehinc Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam fratri tradidit Ferdinando Principi Hispaniarum, Archiduci Austriæ possidendas. Qui Annam Vladislai Regis Hungariæ & Bohemiæ filiam uxorem duxit, ac illas iam fœliciter Australes regiones moderatur. Deus Optimus Maximus illi talem concedat sobolem, quæ, quemadmodum ipse Maximilianum in facie refert, ita eius prudentiam, iustitiam, magnanimitatem, ac heroicas uirtutes imitetur, ut hæc fœlicissima domus Austriæ, quæ per nouem generationes à primo Rodulpho Rege Romanorũ creuit, septemq; Cæsares in hunc diem produxit, decimam etiam sortiatur generationem, productura multos adhuc Cæsares et Christianitatis principes, qui Christi hostes abigant, cruce Christi prosternant, conculcent, ac conterãt: Christoq; Deo Optimo Maximo suum adornent mundum, fidemq; augeãt, ut eiectis Christi hostibus, uni pastori, unum constituatur ouile, Amen.

Habuit autem (ut ordinem scribendi nostrum etiam huc usque obseruatum sic finiamus) uxores treis. Primam Mariam Caroli bellicosissimi Burgundionum Ducis filiam, qua cum unanimis uixit, summa cũ uoluptate, corporis forma elegãtissimam. Cuius in omni sua uita nunquam sine suspirio & lachrymis meminit. Ex hac genuit Philippum primogenitũ, Castellæ, Legionis & Granatæ Regem. Qui ubi adoleuit, uxorem duxit Ioannam Arragonum Regis filiam, ex eaq; Carolum V Imperatorem Rom. & Ferdinandum Austriæ Archiducem, cum quatuor filiabus progenuit, Leonora, Isabella, Maria, & Catharina, Regibus Portugaliæ, Daciæ, Hungariæ, ac Saxonũ Duci desponsatis. Genuit & Maximilianus ex hac Maria filiam Margaritam eleganti forma fœminam primùm Regi Franciæ Carolo, tum Aragonum Iohanni, dehinc Philiberto Sabaudiarum Duci desponsatam. Quæ hodie uidua, summa fœlicitate moderatur Flandriæ prouincias. Genuit tum Franciscum & Georgium filios, qui in pueritia mortui sunt. Mortua ipsa ex casu equi. Nam cùm equitaret imprægnata, currẽtibus alijs nobilibus, equum ipsa suum moderari nescia, quoniam effrenis erat & lasciuiens, soluta sella, in dorsum decidit, in gremio à sella equi multum molestata. Dolorem diebus multis dissimulauit, donec intempestiue immaturum ederet partum. Verebatur enim Maximiliano dolorem ingerere, sanam se simulans, donec fati necessitas eam ex hac uita subtraxit. Alterã uxorem accepit Annam, Francisci ducis Britanniæ filiam, quã per Vuolffgangum de Polhaym Austriæ baronem, & deinceps Australium terrarum supremum capitaneum, suum Oratorem condormiuit: sed non traduxit. Quandoquidem Carolus Octauus Rex Franciæ uiolenter illam surripuit, remissa eius filia Margarita, quã prius sponsam aliquot annis in Francia habuit. Tertiam duxit uxorem Mariam Blancam, Galeacij ducis Mediolanensis filiam, cum qua annis sedecim tranquillissimè uixit, sed sine sobole, in Stams monasterio sepulta. Promisit insuper Viennæ in conuentu Regum Bohemiæ, Hungariæ & Poloniæ se ductrum Annam Vladislai Regis filiam, nisi alter nepotum infra anni spacium illi desponderetur. Missis itaq; Oratoribus cum mandato & consensu regis Caroli, Ferdinando despõsatur. Qui uigesimoprimo anno post mille quingentos,

gentos, matrimonium cum ea Lincij in superioris Austriæ oppido cõsumauit, ut paulo antè scripsimus. Duo admiranda censeo in huius Maximiliani morte obseruãda: quòd, ut olim pater Fridericus Cæsar, in summa pace obijt: & quòd post eius mortem, biennio tanta sequuta est mortalitas, qualem ætas nostra nõ uidit. Nam post Friderici genitoris obitum, qui nonagesimo tertio anno post mille quadringentos obijt, pestilitas nonagesimo quarto & quinto, multas ciuitates & uillas penè desertas reliquit. Post mortem uerò Maximiliani, tam crudelis, tam seua, tam stupenda biennio pòst oritur pestis, quę oppida integra depascitur, ac deserta facit, adeò ut frumenta in agris non secta maneant, à nemine neq; colligantur, nullam arcem, nullum castrum, nullũ oppidum, uillam, uicum absq; tabe relinquat. Aestimatur tertia pars hominum in Austria esse hac peste sublata. Deus opt. max. nostri misereatur, & iram suam iam auertat à nobis.

Hæc habui quæ succinctè & obiter de uita Maximiliani Cęsaris pij, fœlicis, Christianissimi & religiosissimi Principis perstringerem. Quis enim uno uolumine eius res præclarè gestas triginta tribus annis, quibus prefuit Imperio, cõprehendere posset? Vt ea etiam intermittantur, quæ in iuuentute gesserat fortunatissimus Princeps. Cuius eximia bonitas cum summa liberalitate fuit coniuncta, adeò ut plerique nihil in eo reprehendendum duxerunt, q̃ quòd sępe ob penuriam rei pecuniariæ res magnas prosperè inchoatas, deserere coactus sit. Non tamen unquam, etiam in summa necessitate uoluit auream argenteam q̃, & ex gemmis multis seculis cõgestam supellectilem, à patre, auo, socero, ac maioribus suis distrahere aut alienare, sed integram in Noua ciuitate Austrię reliquit nepotibus, donec Ferdinãdus Archidux iussu fratris Caroli Cęsaris, aperto thesauro ac uiso, obstupuit tremebundus, atq; incredibilẽ ac inæstimabilem thesaurum, fratri suo in Flandriam traduxit. Adeò ut qui eum pauperem ex tot bellis gestis arbitrabantur, mirati sint tantas post se reliquisse diuitias. Fuit aũt humanissimus Princeps, statura quadrata, in qua Cęsarea Maiestas eluxit ac resplenduit. Nemo non hunc Imperatorem esse, etiam externus inter triginta maximos Principes, antea non uisum agnouit, tanta erat oris probitas. Corpus erat laborum patientissimum, adeò ut in multam noctem crebrò scriberet, consuleret, res magnas ageret, sæpe etiam arma tractaret, hastis concurreret cum Principibus in ludis, & serie cum hostibus: æstum ac frigus, inediam & commeatus penuriam iuxtà ferret. Erat alioqui par uictus, frugalitas: licet quotidie uesceretur splendidè, adeoq; mundè, ut nemo non ipsum uideret non sine magna animi uoluptate aut cœnantem aut prandentem. Inter prandia rarò bibebat, in mensa ut plurimum ter: atq; ideo ualetudo illi usq; ad periodum uitæ prospera semper fuit. Si quis uerò cum eo cõuersatus est, humanissimũ & affabilissimum reperit Principem. Qui sæpe uerecundos & timidos sua humanitate adeò confortauit, ut reiecto timore, liberius cum eo quæcunq; cupiuerant, pertractarẽt. Memoriæ tam tenacis, ut cùm semel aliquem secum loquentẽ uiderit, post longam temporis intercapedinem denuò agnouit. Ingenij acerrimi ac cõsilij prope diuini. Non ueritus tamen in rebus arduis minimos quosq; consulere & rogare quid sentirent. Prudẽtiam uerò suam quisq; intelliget, qui uidet familiam suam sua industria in Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem ab eo transplantatam, ut hodie domus Austrię uniuerso sit Christiano orbi decantatissima. Et cùm præterea paulò diligẽtius aliquis animaduertit, quoties æmuli abrogare illi imperium moliebantur frustrà, prudentiam non uulgarem inueniet. Ita enim eos eluśit, ut quum olim Principes conuenticulum celebrarent contra eum, quò administrationem Imperij illi auferrent, in castrum illius principis sponte ingressus, qui autor factionis erat, cum uxore eius pransus est hilariter & intrepidè. Vt olim Traianus fecit Cæsar, qui Licinij Suræ domũ ingressus est, & cum eo pransus post delationem factam. Si autem prudentię eius argumenta copiosius recensere uellem, quæ cum Rege Franciæ, summoq; Pon-

tifice fecerat,nouũ ſurgeret opus. Omnes ad hæc bonas diſciplinas plurimùm uenerabatur:Muſices uerò ſingularis amator.Quod uel hinc maximè patet, ꝙ noſtra ætate muſicorũ principes omnes, in omni genere muſices, omnibuſq; inſtrumẽtis in eius curia,ueluti in fertiliſſimo agro ſuccreuerint,ueluti fungi una pluuia naſcuntur. Scribere catalogum muſicorũ quos noui,niſi magnitudinem operis uererer. Pari ratione militarem diſciplinam excoluit,ut quaſi abolitã reuocaret ab inferis. In qua miro ingenio,mira arte nouas excogitauit machinas,noua inſtrumenta,quibus turres deijciuntur,muri ſolo æquantur,mœnia conquaſſantur,adeò ut nulla arx tam excelſa, tam munita ſit, uel arte uel natura,quę tuta ab his ſubſiſtere poſſit. Nolo afferre teſtimonia,ne bilem quibuſdam moueam: ſed unicus fuit in terris(pace aliorum dixerim)qui exercitũ cogere,aciem inſtituere,& arma tractare nouerat. Verus Dux & Imperator,patientiſſimus ſimul & uigilantiſſimus, adeò ut ſi particulatim priſcorum Imperatorum uirtutes enarrare liceat,ſingulas congeſtas in hoc uno oſtendam, quem poſteri ueluti ſtatuam Polycleti, in ordinandis aciebus, & omni militari diſciplina obſeruare debent. Criminantur autem pleriq;,quòd nimium uenationibus indulſerit, quodq; eas ita exercuit, ut ſæpe periculoſiſſimis obiectus periculis,dum in altiſſimis rupibus capreas ſectaretur,de eius uita dubitatũ ſit. Pariter quòd aucupijs plurimùm oblectatus ſit, multa prodegerit nutriendis canibus & falconibus,multa uenatoribus ſit largitus. Sed ij non animaduerterũt Regum hæc eſſe & Principum exercitia, quibus non in plateis aut uicis obambulare(ut populares ſolent,qui ſibi hinc ex motu famem aſciſcũt)licet, ſed potius ceruos,hinnulos, damas,urſos,apros ſectari,ut corpora hinc reddantur uegetiora,audaciora,& ad pericula quæq; ſubeunda paratiora.Nunquid prę ſtat in his captare uoluptatem Principi,quàm alienos uiolare thoros,parẽtibus rapere filias,aut lenonũ opera in his abducendis abuti? A quibus ſceleribus pudiciſſimus Imperator lõgè multumq; abfuit. Quòd ſi honeſtas matronas aut uirgines, aut in cõuiuium uocabat aut choream, pudicè cum his aut luſorijs luſit, aut coram illis mimos egit in oblectamentũ omniũ, citra omnium pudorem. Quòd ſi illud quoq; æmuli uitio uertant, cogitent ipſum hominẽ fuiſſe, qui ſine uoluptatis ſpecie uiuere nequiuit.Omnes aũt mulieres cuiuſcunq; conditionis fuerint,quę illũ adierunt,uerecundè affatus eſt,nec unquam imperioſè deterruit,familiariter illis uerba faciens,ut timorẽ abijcerent:nec ſingulari numero eas alloquutus,ut ſuperbi faciũt Principes.Oblocutiones uerò & detrectationes inuitus & ſurdis(ut aiunt)auribus audiuit,Alexandrũ Macedonem imitatus:qui ſemper alteram aurem delatori,alterã reo reſeruauit, & ob id ſibi Cleobuli unius ex Græcię ſapientibus uerbũ uſurpauit,peculiareq; fecit ac ſemper in ore habuit:Mediocritas optimũ. Omnem itaq; ætatem ſuam ſic egit, ut nemo etiam ex capitalibus hoſtibus,ſi eum alloquebaꝰ non deamaret. Vidi pleroſq; qui domi indignati horrenda contra clementiſſimũ Principem uerba efflutirent,ubi de facie ipſum aſpexerunt, poſito furore, ſolo uerbo mitigati ſunt. Sic in bello,cùm milites ob penuriam nonnunquam ſtipendij, horribiliter clamarent,benignè hos allocutus,dicto citius placauit. Quantũ autem gaudebat factis ſuis præclaris apud poſteros fieri percelebris, tantum uerebatur laudari in faciem:id ego ſanctè deierare poſſum. Cùm aliquando uiri eloquentiſſimi ac ſimul doctiſſimi Panegyricos coràm dicerent, inſigniterq; (ut fit) efferrent immodicis laudibus,egoq; ab eo iuſſus, illis ex tempore reſponderem: Caue, inquit, ne me laudes, ſordeſcit enim in ore laus illa propria (ut uulgus loquitur) Sed quid pergo ſingulas recenſere clementiſſimi Principis uirtutes fruſtrà? Qui bello acerrimus,uirtute eximius, aliquando fortuna,animo ſemper maximus, conſilijs Dux,miles manu,odio in hoſtes, ut olim in Romanos Hannibal? Vno uerbo omnia complectar,& quidem Virgiliano parum mutato: Fuit enim hic Maximilianus

Vir

Vir bonus & sapiens, qualem uix repperit ullum,
Millibus è cunctis hominum, nostra aut prior ætas.

De quo etiam nostrum de more subscribere libuit tetrastichon, ut sic opus nostrum eodem tenore finiamus:

Eximius bello Princeps & pace, uerenda
Maiestate oris Maximilianus erat.
Maiores superans, priscos æquauerat, atq; hinc
Regnandi norma hic posteritatis erit.

IACOBO VILLINGER CAESARIS MAXIMILIANI THEsaurario, Ioannes Cuspinianus Præfectus Viennensis, felicitatem, ac S. P. D.

MEmini inter Philosophos magnam esse altercationem: an conueniat sic uiuere, ut nemo te uixisse sentiat, ut ille dixit: Crede mihi, benè qui latuit, benè uixit. Et illi potissimum qui cæteris uolunt esse religiosiores hoc suadent, quasi sic uideãtur humanam contemnere gloriam, cùm ipsi sint ambitiosissimi & glorię auidissimi. Hi qui etiã libellos de contemnenda gloria scripserunt, cùm suum nomen proponunt, nunquid ipsi gloriam affectant? Nempe hoc sudamus, ob hoc laboramus, ob hoc mille pericula & in mari, & in terra subimus, ut quasi merces laborũ gloria nos sequatur. Cur igitur arbitrantur illi sic esse uiuendum, ut nemo nos uixisse sentiat, quasi omnia debeãt ignorantia & tenebris occultari, cùm nihil magis exoptet homo quàm scientiam, & natura scire desideret, et animi etiam nobilior pars sit lux ac lumen: quandoquidem planè omnibus insita est cupiditas cognoscẽdi, nõ modò mundana, sed & quæ supra nos sunt, ac quæ uix capere intellectu nostro possumus. Sed ex plebe nemo est tam excors, qui non uelit aliorum regnorũ ac prouinciarum non libenter indagare, et ritus, et mores, et res gestas, si habere copiam possit. Ob id cum Plutarcho sentio, hominem nihil omnium æque refugere, ac ignorantiam et tenebras: atq; ideo nõ esse uiuendum, ut nemo nos uixisse sentiat. Sed ita potius uiuere, ut aliquo momento, si fieri potest, nos uixisse testemur. Hic post se liberos, hic libros relinquit, hic prędia, hic possessiones, hic ædificia, hic bonam famam, omnes bonum nomẽ conemur post nos relinquere, alioquin uita nostra mors potius est. Ego ita pro uirili semper elaboraui, ut me uixisse testarer, quibusdam monimẽtis, quæ extant. Nec passus sum illud etiam ignorari, quod hic nobiscum iam actum est, quod certò scio, multi homines utriusq; sexus, libenter etiam in remotissimis regionibus uehementissime exoptabant. Quis enim bono ingenio prædituς nollet scire, quomodo ille celeberrimus Regum conuentus inchoatus, ac perfectus esset? & quo pacto mutuò sese amplexi essent, clementissimi illi Principes, qui se de facie prius non nouerant, & si sanguinis uinculo prius erant astricti? Licet autem tu mi Iacobe tanquam cõsiliarius Cæsaris, non inter postremos numerandus, affueris, & oculata fide omnia intellexeris, tamen aliquando ea quę faciliora sunt è memoria labuntur, quæ libenter in senectute relegimus. Amore tui omnia collegi, quæ & uidi, & quibus interfui. Quinq; enim annis, ut scis, uoluo hoc saxum, quibus uigesies & quater in Hungariam Orator iui, atq; hæc negotia tractaui. Quantum igitur potui rem uerissimè, simpliciter tamen, sine turgida oratione perscripsi. Quicquid id est boni consules, & me ut soles, amabis. Ex Vienna, uigesima Augusti.

DIARIVM IOANNIS CVSPINIANI PRAEFECTI VRBIS VIENNENSIS, DE CONGRESSV CAESARIS MAXIMILIANI Augusti, & trium Regum, Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ, Vladislai, Ludouici, ac Sigismundi, in urbe Viennensi facto, xvij Iulij. Anno Christi M. D. XV.

CAESAR Maximilianus ut est ingenio singulari, ac propè diuino, animo uoluens, nihil esse præclarius bono Principi, quàm prouincias & regna sua solido aliquo robore stabilire, in omnes orbis angulos oculos suos coniecit. Et nobilissimum quenque Regem affinitate sibi deuinxit, ut inde prouincijs suis perpetuam relinqueret quietem. Sic filium Philippum in Hispaniam mittens, Regem Aragonum sibi conIunxit. Cùm autem diuus ille Philippus numerosam post se prolem relinqueret, noluit Cæsar quamcunq; amittere occasionem, ex quatuor filiabus, quę secunda est post Leonoram, cui nomen Isabellæ, Regi desponsauit Daciæ: sed hoc aliquanto pòst. Ex Septentrione Cęsar in Orientem migrauit, ut semen eius undequaq; coalesceret: uidit pientissimum Hungarię & Bohemię regem Vladislaum, nobilissimis liberis à Deo optimo maximo donatum, Ludouico & Anna. Mox animo concepit, illosq; sibi deuincire, Austrięq; prouincias inferiores robustissimo muro circumuallare. Ludouico Hungarię & Bohemiæ regi, tertiam neptem Mariam in uxorem, & Annę unum ex nepotibus, aut Carolum, aut Ferdinandum in maritum dare cogitauit, ut prouincię illæ contiguę & regna, mutuis uiribus robustiores essent, contra impetum Turcorum, & quorumcunque hostium. Id consilio & opera, tunc Matthęi Episcopi Gurcensis, hodie uerò Cardinalis, qui & extremam manum huic operi imposuit, & Iohannis Varadiensis Episcopi professi ordinis sancti Francisci, primum inchoatum est. Accesserunt dehinc plericq; Oratores, quos Cęsar aliquot hinc annis in Hungariam misit, qui inter cætera negocia matrimonia hæc duplicia simul sollicitarunt, Ianus Mraxij miles, præfectus arcis Dronsdorff, Comes Leonardus de Hag. Vuolfgangus de Rogendorff Baro, Ioannes de Puchã. Hinc annis quinq; continuis Orator iuit in Hungariam Cuspinianus Præfectus Senatus Viennensis, qui uulgò Anabaldus dicitur: postremò & Laurentius Saurer uicedominus Austriæ, Orator cum cęteris iuit.

Interim Cęsar, licet grauissima bella gereret, & annis iam ferè octo superbiam Venetorum castigaret, nullam occasionem omittens, ut suum sortirentur finem concepta iamdudum matrimonia, ex Flandria in Austriam misit charissimam suam neptem Mariam, sponsam Lodouici Regis, quę Viennam appulit, duodecima die lunij, Anno milesimo quingentesimo decimoquarto, honorificentissimè excepta, non tam à clero, quàm uniuerso populo Viennensi, & deducta ad arcem Viennensem, ubi hodie adhuc habitat.

Prius autem Cęsar in Austriam descenderat animo cõueniendi regem Hungarię Vladislaum, & tractandi, non tam de liberorum communium matrimonijs, quàm de cæteris suarum prouinciarum, & regnorum necessitatibus. Sed insperato erupit quędam incondita rusticorum multitudo, quæ Cruciatorum appellabatur. Proximis enim ante mensibus Cardinalis Strigoniensis, Legatus Apostolicus, cruciatam detulerat in Hungariam, cũ plenissimis indulgentijs, è quare, unde subsidium sperabatur, crudelissimum uenenum ortum est. Nam longè lateq; desęuijt in Hungaria hęc crudelissima pestis, & omni pestilentia

lentia ſequior, in utrunque ſexum indiſcriminatim uenenum inijciens, rapiebantur liberi ex matrum ſinubus truncabãtur ut ferę, & abijciebantur. Stuprabantur paſſim uirgines, & matronæ, in parentum ac maritorum conſpectu. Sacra prophanabantur, ſpoliabantur templa, ciuitates, oppida, arces, uillę, euaſtabantur & incendio corruebant: denique nihil tam ſanctum, quod ab ijs Cruciatis non defœdaretur. Horum dux Georgius quidam Ceculus (gentis nomen eſt, Ceculi enim prope Tranſſyluaniam habitãt) aſciuit hic ſibi comitẽ Laurentiũ presbyterum, qui crudelitate omnes ſuperauit. Erat etiam ex ducibus quidam Michaël Monachus, ita hęc peſtis nullum ordinem intactum reliquit. Ex minoribus Ducibus multi erãt, quorum nomina ſcribere eſt ſuperuacaneum. Hi quoſcunq; nobiles apprehenderant, palis affixerunt, mulieres ac liberos eiecerunt, prius tamen ſtupratis, bona ſurripuerunt. Erat animus illorum uniuerſam delere nobilitatem, & in toto regno, quod quatuor & decem habet Epiſcopales ſedes, unam ſolã relinquere. Scribi non poteſt qua crudelitate uſi ſunt. Hoc ſatis ſit indicij, cum auxilio diuino rabies hæc extincta foret, ductu Ioannis Comitis Zepuſienſis, Veiuodæ Tranſſyluanię (qui Ducem illorum, nouo quodam tormenti genere, à ſuis dentibus laniari iuſſit) & hinc decollari. Et dum ſe Nouembri illius anni facta eſſet regnicolarum in Buda congregatio, patria lingua Rackuſch appellatur, hic publicè narratum eſt, hoc tumultu ruſticorum qui uix quadrimeſtris erat, deſiderata eſſe in Hungaria utriuſque ſexus ſeptuaginta millia hominum, in quibus quadringenti fuerunt nobiles.

Quod ſeculum mihi narrabit ſimile facinus? Quis unquam talia aut legit, aut audiuit, ſed longè maiora ſunt, quàm quę ſcribuntur: multa enim ob pudorem ſcribere nemo audet.

Fuit in iſta congregatione ſiue conuentu, nomine Cæſaris Orator Cuſpinianus: nomine Regis Poloniæ Chriſtophorus Schidlouiczki. Et quum illic etiam de concordia Cæſaris & Regis Poloniæ, inter cætera negocia ageretur, uiſum eſt Oratoribus differentias illas facilè non poſſe complanare, niſi ſimul coirent Cæſar, & uterque Rex Hungarię & Polonię fratres. Nam Cæſar iam à Rege Hungarię pro ſuo fratre rogatus, indulſerat quę in eum fecerat, & ipſum arbitrum et mediatorem differentiarum delegerat, pro ſedandis diſcordijs quę inter illos erant.

Remiſſus eſt itaq; Cuſpinianus à Buda ad Cæſarem, qui tum in Ponte œni, Inſprugk uulgò dicitur, morabatur, ut Cæſarem ſollicitaret, pro conuentu tam ſancto horum Regum: qui non modò utilis ſuis regnis & prouincijs, ſed etiam hoſtibus plurimùm formidoloſus futurus erat.

Cæſar tum pluribus occupatus, uenire ad finem Februarij, in Poſonium, ut deliberatum erat, non potuit: tum propter Heluetiorum formidabilem inconſtantiam, tum propter ſubitam & inſperatam mortem Regis Franciæ Ludouici, qui prima Ianuarij Pariſijs anno decimoquinto expirauit. Tum etiam propter Carolum Archiducem Auſtriæ ac Burgundiæ, nepotem, quem ex annis tutelę Cęſar emãcipauerat. Alijs quoq; multis de cauſis Cęſar nequibat, quod uterq; Rex petebat, adimplere.

Decreuit itaq; Cęſar, reuerendiſſimum in Chriſto D. Matthæum S. Angeli Cardinalem Gurcenſem, & coadiutorem Saltzburgenſem mittere, qui cũ pleno mandato cum utroq; Rege omnia agenda perageret & tractaret.

Pręmiſſus eſt itaq; Cuſpinianus Budam, qui hęc Regi renunciaret. Et ut dies conuentus in diem Dominicã Quadrageſimę, qua in Eccleſia Romana cantatur: Lætare Hieruſalem, differretur. Placuêre omnia regi Hungarię, qui illico nunciũ expediuit, Cracouiam uerſus, ut hęc fratri regi Polonię referret. Ne tamen res tã ſancta ullius fraude interciperet, D. Ladislaus de Sternberg Cancellarius Boëmię iter arripuit, et regẽ eduxit, perſuaſitq; ut nullis literis inceptum iter deſereret, ſed ad Poſoniũ uſq; cõtinuaret, expectaretq; fratris regis & Cæſaris aduentum.

Narrauit mihi Georgius Thurſo, uir ſpectatæ fidei, & integritatis haud contemnendæ, Regis Hungariæ Camerarius: Montium egreſſuro Regi Poloniæ Sigiſmundo, qui Cracouiam quinta Martij deſeruit, Matthiam Mechouitam ſingularem tam in medendo, quàm in prognoſticando magnæ eruditionis uirum annunciaſſe: ipſum neque uiſurum Cæſarem, neque expediturum quippiam. Quod cùm miraretur Rex, ut eſt animi inconcuſſi & firmi, conſtantiſſimè perſeuerauit in propoſito: Eundum, inquit, eſt, quò Deus & fortuna uocat, promiſi, promiſſum ratum ſeruabo, nemo me à propoſito alienabit. Videbo Cęſarem, ſi Deus uolet & fratrem conueniam. Nihilominus interim per quoſdam ſecretarios mandat, ut diligentius ab eodem doctore inquirant, ſerio, ne an ioco loquutus fuerat: Aſſerit idem Mechouita, Regem non uiſurum Cæſarem, niſi expectare uelit Iunium. Et ante feſtum diui Iohannis Baptiſtæ, Cæſarem omnino non uiſurum: cùm Rex ſe rediturum in menſibus duobus ad ſummum ſperaret. Exiuit igitur Rex bonis auibus, & cùm tam longa mora traheretur, ſæpe illius doctoris memoria ſubijt. Hoc idem Mechouita Andreæ Koſtilitzki Theſaurario perſcripſit, Regem ſcilicet ſuum, uix Cæſarē ante feſtum Alexij uiſurum, quod & euenit, ut paulo pòſt ſcribemus: decimoſexto enim Iulij, hoc eſt, in profeſto Alexij, mutuò ſeſe uiderunt.

Vigeſima igitur tertia Februarij, anno præſenti M. D. XV. reuerendiſſimus dominus Cardinalis Gurcenſis applicuit Viennam, quàm honorificè ab uniuerſa nobilitate, plebeq; Viennenſi ſuſceptus: parumq; quieſcens, genio indulſit ad triduum, tum ad Nouam ciuitatem profectus, conuentum prouinciali indixit, iuſſu Cæſaris. Interea ut ſui aduentus certior redderetur, Rex Hungariæ, mittit D. Cardinalis Doctorem Vitum de Furſt Budam, ut Regem excitaret ad Poſonium, locum conuentus deſignatum. Nam quidam ex nobilioribus refragabantur, ex quo Cęſar non ueniret, facilius poſſe Budam cōuenire Regem Poloniæ & Cardinalem aſſerentes: ſed ſanior pars pręualuit, & Rex ſe Poſonium uenturum promiſit. Continuato igitur itinere, firmatus iam animo Rex Poloniæ Cracouiam deſerit, & Poſonium uerſus pergit.

Cardinalis interim Gurcenſis, conuocatis Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæq; prouincialibus, res ſibi à Cæſare commiſſas, ſtrenuè exequitur, ſed perficere non potuit, audiens regem Hungariæ decimooctauo Martij Poſonium ueniſſe, crebris nuncijs die noctuq; ſingula indagat, ut eſt diligentiſſimus, nullam uoluit occaſionem amittere.

Tum xxij Martij, ne ulla re indiligentiæ culparetur, mittit Oratores ad Regem Hungariæ Poſonium, qui ſe ſuaq; offerrent, & aduentus ſui diem exquirerent. Dominos Marquardum de Stein Prępoſitum Bambergenſem, Ianum Mraxij de Naſcau militem, Cuſpinianum doctorem, Vuolfgangum Hemerle ſecretarium Cęſaris. Hi iuſſa exequuti, per nuncios ſingula D. Cardinali adaperiunt, & eidem in Hamburgo xxvij Martij occurrunt, de ſingulis ipſum certiorem facientes, quęcunq; uiderint aut intellexerint. Nam antè uigeſimoquarto ſcilicet die, ſabbato illius dominicæ, qua canit in Eccleſia: Iudica me Domine. Rex Poloniæ Sigiſmundus cum celeberrima pompa ingreſſus eſt Poſoniū, quem ex Teruania uſq; conduxerunt, epiſcopus Quinqueeccleſienſis Georgius, & Georgius Marchio Brandeburgēſis, iuſſu regis Hungariæ. Ipſe autem rex Hungariæ Vladislaus, in curru ei cum filio Ludouico occurrebat, ſequentibus ipſos epiſcopis Colocēſe, Vacienſe, Boſnenſe, Sirmiēſe, & uniuerſa eius nobilitate, quę ornatiſſimè, more patrio eſt inſtructa. In campo ubi uidit fratrē aduentantem, iuſſit ſe ex curru in terram ponere in ſella, quem rex Poloniæ fraternè amplexus, prouocauit in lachrymas. Rex Ludouicus mirę indolis, patrum exoſculatus benigniſſimè excepit: repoſitus in currum ſenior Rex. Filius Ludouicus equum aſcendit, & in latere ſiniſtro cum patruo urbē ingreſſus eſt, magno cum faſtu, præcedentibus innumeris equitibus, nobilibus & curribus.

Ducebat

Ducebat autem Rex Poloniæ plus mille quingentos equites, & partim more Hungarorũ, quos Husserones appellant, uestiebantur, partim habitu Alemanico ornati erant, sed erant præter Polonos Ruteni, Pruteni, Moschi, Turci captiui, & Tartari in suo equitatu, cum multis tibicinibus, qui tubas amplas sonoras, & à nostris dissonas, non sine honore stridẽtes, ut in magno ęstu solent uespæ & crabrones, inflabant. Erat & Turcus quidam cum tibia, qui nobis inauditam harmoniam et auribus nostris inacceptã edebat, cum puero tympanum ambabus uiolenter manibus percutiẽte. Sed & nostrates habuit tibicines, qui belle sonabant, & nostram musicam referebant.

Erat secum magna nobilitas, qui partim in equis anteibant deaurati, & torquibus aureis redimiti, partim peditibus ipsum cingebant, equo insidentem et ueste purpurea amictum, Veiuoda Valachię, D. Nicolaus Virla, Palatinus Sandomirienſis, Nicolaus Palatinus Vilnenſis, Palatinus Liblienſis Andreas, cancellarius Schidlouiczki, Nicolaus Palatinus Marburgenſis, Thesaurarius Andreas Costiliczki, D. Lucas capitaneus Poloniæ, dominus Raphaël, & multi alij insignes & uiri egregij utriusq; ordinis. Comitabantur uerò illum tres episcopi, Matthias Vladislauienſis trium regum Alberti, Alexandri & Sigismundi olim cancellarius, Iohannes Posnanienſis, & Petrus Premislienſis, cum prępositis, secretarijs & alijs prælatis. 326

Durabat hic ingressus ab octaua usq; ad primam horam, ñam summo manè ingrediebantur currus, qui feruntur fuisse penè quingenti, in quibus quandoque quatuor niuei equi, quandoque nigri, quandoque rubei, quandoque alterius coloris, nunc sex, nunc octo in eodem curru uehebantur: immixtæ erant & bigæ, licet paucæ erant.

Vigesimaoctaua Martij Cardinalis Gurcenſis ex Hamburgo soluit naui, & uenit Posonium horam circiter nonam. Cui omnis multitudo obuiam egressa, ripam Danubij ita adimpleuit, ut eques uix subsistere posset. Incessit ipse in habitu Cardinalium, quem Archiepiscopus Colocenſis Gregorius, Comes de Frangepanibus, regni Hungariæ Cancellarius, in latere Regis Ludouici obuiam Cardinali, nomine patris & patrui missi, benigna & pulchra oratione susceptit. Ipse uerò Cardinalis humanissimè respondit. Aderant hic utriusque Regis proceres & consiliarij, episcopi & nobiles, ac summo cũ honore ipsum quàm honorificentissimè usq; ad hospitium conduxerunt, cum ingenti tubarum sonitu ac plausu.

Sequenti die, hoc est, xxix Martij, ingressus est urbem reuerendissimus cardinalis Strigonienſis Thomas legatus de latere: cui & D. cardinalis Gurcenſis cum omni curia sua (ductabat aũt electam nobilitatẽ Austrię & Stirię) & utriusq; regis proceres occurrebant. Ipse sexingentos habuit equos demptis curribus, magnę undiq; factę sunt cerimoniæ (quandoquidem maior pars omnis ætatis humanæ in ijs conteritur) Occurrebat & clerus cum pueris, & reliquiæ sanctorum deferebantur obuiam tanquam Metropolitano.

Prima Aprilis, quæ erat solennis illa dies Palmarum, omnibus Christianis ueneranda, Cardinalis Strigonienſis in Ecclesia maiori Diui Martini præsentibus tribus Regibus, & Annæ Reginulæ sacerdotale expleuit officium, cum cerimonijs debitis ac cum indulgentijs plenarijs. Cardinalis autem Gurcenſis huic officio interesse non potuit, aduersa ualetudine detentus: alia uniuersa nobilitas erat congregata.

Altera die iterum conuenerunt in hoc templo tres reges cum cardinalibus ambobus: Strigonienſis celebrauit officiũ de spiritu sancto, quo finito, admonita est plebs per suffraganeum Strigonienſem, ut deuotissimè pro concordia Cæsaris & Regum Deo supplicarent: lingua Latina, Hungarica, Boëmica, & Alemanica, pronunciatæ sunt interim indulgentiæ plenariæ.

Recta inde uia tres Reges, duo Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi, pro

ceres & consiliarij in domum Regis Hungariæ profecti sunt, & facto magno consilio Cardinalis Gurcensis, oblatis literis suæ credentiæ de more, latissimè & profusissimè cur & ob quam causam uenerit, in summo silentio locutus est, bene audientibus Regibus & consiliarijs Cæsaris, ac utriusq; regis, qui omnes erant plus quinquaginta. Cui finita oratione benignissimè simul & elegantissimè respondit Cardinalis Strigoniensis: durauit hoc consilium ad horam circiter secundam post meridiem.

Tertia Aprilis, Cardinalis Gurcensis comitante ipsum curia sua & pulchra nobilitate, uenit ad hospitium regis Polonię, qui ei egressus obuiam, humanissimè ipsum excepit in plateis, ac ubi ambo in pręsentia consiliariorũ resederũt, Cuspinianus iussus literas Cæsaris cum quadam salutatione obtulit breuiuscula, ambo dehinc mutua colloquia sed non diu fecerunt.

Eodem die uenit triste nunciũ de obitu illustris ducis Bartholomęi de Munsterberg, qui à Cæsare festinans ad hunc conuentum, in Danubio haud longè à Hamburgo ab fluctibus obrutus, submersus est. Quod in primis affecit, Vladislaum regẽ & in lachrymas excitauit. Deinde cardinalẽ Gurcẽsem, qui eum unicè amabat, utpote uirum bonum & strenuum. Ex cuius morte quidam malè de futuro conuentu augurabantur. Nam & pridie magnificus Iohannes de Messeritz, capitaneus Morauiæ, qui etiam sæpius orator in hoc negocio fuit, subita morte expirauit. Et Vitus de Furst qui regem plurimũm ad hunc conuentum sollicitauit, Viennę mortem oppetijt. Ita tres Oratores sese ex ijs negocijs liberarunt, & superum conuentum adierunt.

Hinc iterum in hospitium regis Hungariæ conueniũt, omnes hi Principes, & tractatum incipientes, inueniũt rem esse morosam in tanta multitudine per tot suffragia esse consulendum, redigunt itaq; ad minorem numerum singulorum regum consiliarios. Et D. Cardinalis Gurcensis accipit secum Consiliarios Cęsaris, D. Ianum Mraxij, Laurentium Saurer Vicedominum Austriæ, Cuspinianum doctorem, & Gabrielem Vogt secretarium Cęsarium: nomine uerò regis Hungariæ erat cardinalis Strigoniensis, Archiepiscopus Colocensis, Episcopus Quinqueecclesiensis. Rex autem Poloniæ misit Petrũ episcopum Premislienſem, Christophorum Schidlouiczki Cancellarium, & Palatinum Vilnensem Nicolaum.

Hi quoties articuli propositi fuerunt referebãt ad Reges, sed plenè concordari non poterant, licet plerosq; dies consumerent, et consilium in tertiam usq; horam post meridiem sæpius pertraherent.

Vndecima Aprilis institutus est ludus pro cursu equorũ. Primus brauiũ accepit argenteum deauratum poculum. Secundus pannum aureum pro ueste. Tertius simplicem pannum pro tunica. Cucurrerunt undequadraginta equi uelociſſimi & pulcherrimi, sed Georgius comes Zepusiẽsis omnes præcessit.

Visa est hic res memoratu digna, quidam Moschus insidebat equo Turco, & de more ducebat alterum in manu dextra, cùm aũt uehemẽtissime curreret cũ ambobus equis, salijt ex uno equo in alterũ, in medio cursu, semper alterum manu seruans ne discurreret. Erat pulchrũ spectaculum, corã regibus & principibus. Nam tres reges egrediebantur pulchro ordine: similiter & cardinalis Gurcensis, ac omnes episcopi, cũ uniuersa nobilitate. Moschi tum etiã ac Tartari artem suam iaculandi sagittas in aërem miro ingenio ostentabant.

Duodecima Aprilis, concluserũt interim quędam esse renuncianda Cęsari. Et ideo data & accepta salute cũ summa reuerentia, & exhibita munera regia, cardinalis Curcensis Posonium relinquit, cùm prius ex suis præcipui aulici, frater eius uterinus Iohannes Lang, magister domus Ioannes Schenk, Vuolfgangus de Keutschach, & Christophorus Graff de Rattstat, in die Paschę, expleto diuino officio, quod à cardinale Strigoniẽsi celebrabatur, essent militari cingulo & honore ornati à tribus Regibus, in tanta diei festiuitate.

Reuer-

Reuersus Cardinalis Gurcensis Viennam, mox duos cõsiliarios Cęsaris D. Vuilhelmum de Rogendorff, & Laurentium Saurer uicedominũ per postam mittit ad Cęsarem, qui licet quatuor diebus ascenderint festinanter Augustam usq;, tardè tamen reuersi sunt, ob negocia emergẽtia quotidie, & interim urbs Posonium inopinato & subito incendio plus media comburitur.

Vndecima Maij, D. Cardinalis Gurcen. cũ sex Cęsareis consiliarijs D. Marquardo de Stein Præposito Bambergensi, Vuilhelmo de Rogendorff, Iano Mraxij, Laurentio Vicedomino, Cuspiniano, & Gabriele Vogt secretario, iterum in naui descendit Posoniũ ad utrumq; regem, tractaturus & concluſurus tam matrimonia, quàm fœdera pacis & cõcordię. Et licet clàm sine pompa intrare uellet urbem, mox tamen certiores facti antistites & principes, Ludouicum regem eduxerunt cardinali obuiam cum omni utriusq; regis familia. Cardinalis etiam Strigoniensis, quasi omnia neglexisset, festinabundus circa portam urbis cum omni sua familia occurrit. Similiter & alij episcopi & archiepiscopi somno exciti obuiam prodierunt.

Septem hinc diebus arduè disputatum & tractatum est de singulis, & matu rè omnia deliberata sunt, in articulos redacta & scripta, ac ultrò citroq; pensita ta. Nunc enim consiliarij utriusq; Regis in hospitio Cardinalis tractauerũt & consultarunt. Nunc uerò Cardinalis regem Polonię adijt, & secretius quędam amotis arbitris tractauit, nunc uicissim dominũ Cardinalem de suis negocijs sollicitant: nulla quies, nullum ocium, omnia labore plena erant.

Vigesima Maij, mane à septima hora usq; in primã post meridiẽ, uterq; rex cum duobus cardinalibus & consiliarijs deliberarũt, et deliberatis omnibus in prędentia consiliariorũ Cęsaris et amborum regũ articulos legi fecerunt, qui fuerunt ipsorũ manibus subscripti & sigillis muniti, cum omni fauore & plausu.

Sequenti die rex Hungarię instituit conuiuium regale, quo regaliter & opiparè accepit fratrem suum Regem Polonię, Cardinalem Gurcensem, & prędatos sex consiliarios Cęsaris.

Reuersus Viennam cardinalis Gurcensis xxiij & xxv Maij exiuit ut prælocuta Cęsari narraret, ipsumq; abduceret. Interim ambo reges non sine ingenti fastidio longam morã traxerũt in Posonio per totum Iunium, licet crebrò mitterentur literę, nunc à Cęsare, nunc à Cardinali Gurcensi, quas Vicedominus, ut est suarum rerũ diligens exequutor, & nocte & die mox regibus transmisit, ut impatientiam eorum leniret crebris literis mittendis.

Sed non contenti reges quòd cardinalis iuisset ad Cæsarem, miserunt ambo Oratorem Hieronymum Balbum Prępositum Posonienſem, ut per eum intelligerent si Cæsar esset uenturus nec ne certo. Is Cęsarem in Insprugk apprehendit, sed responsum in Rottenburg ab eo accepit. Subsequutus est hunc alius Orator Regum (tam impatienter longam hanc morã tulerunt) dominus Protesilaus de Schmihau Boëmus, quem Cæsar secum detinuit.

Post hũc alij duo missi Nicolaus Ceculus Hungarus, & Petrus Polonus milites ab utroq; Rege ad Cęsarẽ, ut eius aduentum sollicitarent. Quibus honestè expeditis, promisit se uenturum: & ut bono animo essent reges, eosdem literis & responsione hortatus est fraternè & quàm humanissimè.

Vbi ergo Reges iam animo firmati, aduentũ Cęsaris crediderunt, honestatis & emerendi fauoris gratia, Oratores sex, singuli tres insignes uiros miserunt. Rex Hungariæ Episcopum Quinqueecclesiensem Georgium, Ladislaum de Sternberg Cancellarium Bohemiæ, & Moysen de Buslai magistrum curiæ.

Rex Polonię item tres, Episcopũ Ioannem Posnanienſem, dominũ Lucam capitaneum regni Polonię, Christophorum Schidlouitzki cancellariũ, qui Viennã ingressi sunt, equis penè quingentis phaleratis, & more suo ornatis compte et elegãter, sexta Iulij, cùm antea Casimirus Marchio Brandeburgẽsis, cum

Comitè

327 Comite Bertholdo de Hennenberg, cum equis centum & quadraginta sex ca-
taphractatis, & nobilissimè armatis à Cæsare præmissus urbem introisset splen-
didissimè ornatus cũ pinnulis, armis, simul etiã cum uexillis albis, paruis ac ma-
ioribus, et Thomas Fuchs cum centũ quinquaginta equis benè armatus more
Germanico, Ioannes Iacobus item de Landauu cum totidem, & alij multi no-
biles ac aulici, qui Cæsarem prȩuenerunt & ibi eum expectarunt.

Octaua Iulij rediit Cardinalis Gurcensis cum Archiepiscopo Bremensi D.
Christophoro, Ducibus Bauariæ Guilhelmo ac Ludouico, Duce Alberto de
Meckelburg, Duce Vldalrico de Vuirtenberg, quibus ad ripam Danubij oc-
328 currerunt, Ioannes Episcopus Ratisbonensis Palatinus Rheni, Episcopus Pa-
tauiensis Vigileus, qui pridie aduentarunt, & quorundam Principum Ora-
tores ac legati.

Decima Iulij, Cȩsar circa horam noctis decimam Viennam sine pompa in-
gressus est. Cùm biduo ferè quieuisset fatigatus ex itinere in castro quodam cir
ca syluam Viennensem, cui nomen est Hecking.

Vndecima Iulij Cȩsar prȩfatos sex Oratores Regũ in arce Viennense audi-
uit in prȩsentia principũ & consiliariorum, & Episcopus Quinqueeccleſiẽsis,
longa oratione pro expeditione contra Turcos cohortatus est amplissimis uer
bis. Quib. benignè Cȩsar per doctorẽ Petrũ Mottã Hispanũ respõdit breuiter
ac simul elegãter, illisq; dimissis iussit corpora sua curare, ac in hospitia redire.

Duodecima Iulij uocatis in arcẽ Oratoribus, eos absoluit ac abire iussit, sunt
cum summo honore per Episcopos ac Principes extra portam deducti quàm
honorificentissimè sequenti die mane, hoc est xiij Iulij.

Eodem die Cæsar ad excipiendos Reges, misit obuiam Oratores suos Ar-
chiepiscopum Bremensem Christophorum, Marchionem Casimirum, Vuil-
helmum de Rogendorff, et Cuspinianum Regi Hungarię, qui xiiij die Iulij in-
uenerunt Regem Hungarię Vladislaum cum liberis suis in quodã castro Kott
see, cui adiacet uilla prope Danubium, & facta salutatione mãdata sua exequu
ti sunt, inuitaruntq; ut Viennam ueniret.

Similiter ad Regẽ Polonię Cȩsar misit Oratores ad Hamburgum (illic enim
traiecerat Danubium Rex Poloniæ, ut erat ordinatum, quò expeditius equi
& currus Danubium in diuersis uadis superarent) Ducem scilicet Bauariæ
Vuilhelmum episcopum Labacensem Christophorum, Prȩpositum Balthasa
rem Mercklin de Vualdkirch, & Mraxij qui similiter ut superiores exequen-
tes sua mandata, Regem nomine Cæsaris exceperunt ac inuitarunt.

Decimaquinta Iulij exijt Viennam ac prodijt obuiam Cæsar Regibus, in le
ctica adornata, instructissimo & electissimo exercitu cum multis equis cata-
phractarijs, cum splendidissimis militibus, ac nocte quinq; miliaribus à Vien-
na in castro quodam Trautmansdorff pernoctabat. Cùm Rex Hungarię in op
pido Prugk prope Leyttam fluuiũ, Rex uerò Poloniæ in Hamburgo eam no-
ctem consumerent.

Nocte ferè media uenit Cuspinianus ad Regem Hungarię à Cȩsare missus,
qui dabat ordinẽ conueniendi, ne fieret confusio. Iussus est Rex manere in sua
lectica: nam & ipse quoq; uehebatur lectica, quam Cæsar pulchrè adornatam
cum optimis equis Regi donauerat pridie. Et reuersus iussus est à Cardinale
Gurcense ire ad Regem Poloniæ, ut idem ei narraret, quem reperit in campo
haud longè à tentorijs, quæ illic extensa erant. Arbitrabãtur enim nonnulli Cæ
sarẽ, id quod maximè recusauit, disputaturũ de præloquutis in tẽtorijs aut sub
diuo. Cæsar autem arborem excelsam iussit in planitiem latam, quæ poterat
alongè conspici, sub hac uoluit conuenire Reges. Et quasi fœlici captato au-
gurio sub diuo apertè uoluit alloqui fratres Reges & eos salutare, ac mutuis
complexibus exosculari.

Mane itaq; horam circiter sextam, xvi Iulij egressus est Cæsar cum omni suo
exercitu

exercitu à Trautmanſdorff ad locum illum deſignatum, in planitie quadam, iu xta ſyluam cui nomen eſt patria lingua Hart: Hic erat collis intumeſcens aliquãtiſper à dextris ſylua, à ſiniſtris uepribus ac modicis ſpinis conſparſus monticulus, ab hoc deſcendens Cæſar poterat tam ab Hungaris quàm à Polonis laetiſſimè conſpici, armis illuceſcentibus. In meridie præſertim, iaculante ſole radios uibrantes in exercitum.

Proceſſit autem hoc ordine Cęſar: Capitaneus Nouę ciuitatis Melchior de Manſmunſter in equo cataphractato, & ſui armati rubeis ueſtibus induti, ipſum ſequentes, ductabat aciem, quem ſequebantur in primis aulici & familiares Cęſaris inermes ac prouinciales, cęteriq; nobiles, & qui ad hoc ſpectaculum concurrerunt ciues & mercatores, ſed ornati & benè ueſtiti ac elegantes; alioquin excludebantur & eijciebantur. Multi aureis torquibus redimiti & uarijs monilibus conſpectũ reddebant amœniorem. In ſingulis membris quinq; equitabant. Hos ſequebantur ducis Vuirtenbergenſis familiares armati, & ſagittarij. Necnon domini reuerendiſſimi Cardinalis Gurcenſis aulici, ſine armis quidem, ſed honeſtè ueſtiti, fuerunt circiter octingenti.

Pulchra dehinc ſerie progrediebantur equi Cæſaris tredecim, quos tredecim pueri equitabant, nigro ueluto ueſtiti perquam elegantes.

Poſt quos equitabant Erhaldi ſuo peculiari habitu amicti cum duodecim tibicinibus, & duobus tympanis magnis.

Tum ſequebantur Antiſtites, Archiepiſcopus Bremenſis Chriſtophorus, ex domo Ducum de Braunſchuueig, Epiſcopus Ratisbonẽſis Ioannes ex domo Palatinorũ, Epiſcopus Patauienſis Vigileus, Epiſcopus Labacenſis Chriſtophorus, Dux Bauariæ Ludouicus, Dux de Meckelburg Albertus.

Poſt hos ſuccedebant Cæſaris Ianitores cum albis uirgis in manu de more præcedentes Cæſaream maieſtatem.

Tum ferebatur in lectica Cæſar, quæ panno & purpureo de ſcarlaco & nigro ueluto, forma quadrata erat cooperta eodem habitu pueri & ſeruus, qui equos ducebãt. Prope lecticã in latere dextro Cardinalis Gurcenſis, habitu ſuo ornatiſſimè equitabat, in ſiniſtro Orator Regis Angliæ. Multi uerò nobiles, omnes ueluto nigro ueſtiti de equis deſcendentes, pedites circa lecticam ambulabant. Hos ſequebantur in equis pariter nigro ueluto ueſtiti aulici proceres, Vuilhelmus de Rapolſtein magiſter curię, Ciprianus de Serentein Cancellarius, Iacobus Villinger Theſaurarius, Ioannes Schnaydpeck Auſtrię Cancellarius, & conſiliarij, & regentes Iacobus Fucarus, Balthazar Mercklin Præpoſitus in Valdkirch, Marquardus de Stein Præpoſitus Bambergenſis, Melchior Phintzing Præpoſitus Nurenbergenſis cum fratre Vdalrico Prępoſito, & pluribus cõſiliarijs & aulicis Cæſareis, qui omnes ſericeis ueſtibus & torquibus aureis ac precioſis monilibus erant compti & ornati.

Tandem ornata phalanx ſplẽdidiſſimè incedebat tota armis cooperta, cum tibicinibus & tubis ductilibus. Præibat cum equo cataphractato Leonardus Rauber Cæſaris marſcalcus, ducens ſecum familiares nigro habitu ueſtitos, quibus rota in brachio pro inſigni erat, aureã ipſe ueſtem ſupra arma gerẽs. Tum ſerie pulchra ſequebantur, Vuilhelmus Dux Bauariæ æreus totus cum equitibus ſuis, ſuo peculiari colore ueſtitis, qui canem in brachio pro inſigni ferebant. Hinc Caſimirus Marchio Brandeburgenſis, in equo cataphractato, ueſte aurea & rubea, cum electiſſima familia, quæ rubeis ueſtibus erat ornata, & pluribus aureis cathenis ac precioſis pinnulis, cum gemmis ac monilibus. Penes eum erat Bertholdus Comes de Hennenberg, & nobilitas Franconiæ inſignis, equites cuſpides albis uexillis paruis ornatas, duo pueri alba uexilla lata & pulchra gerentes. Subſequebantur deinde Comites, ſuo quiſque colore ornatus, ſed cataphractatis equis, Comes Georgius de Montfort, Comes Georgius de Schaunberg, Comes Hoyr de Mansfeld, Comes N. de Veſterburg,

329

Comes

Comes Iohannes de Hardeck, qui mirum in modum margaritis ac gemmis adornatus resplendebat, coopertus erat equus gemmis & perlis & superbissimè incedebat. Dehinc nobilitas Austriæ supra Onasum electissimo instructa exercitu subsequebatur. Cataphractarijs similiter equis Vuolfgangus Iorger, Capitaneus in Lyntz, Sigismundus, Ludouicus de Polham, Ciriacus de Polham, Rudolphus & Sebastianus fratres de Hohenfeld, Iohannes Iacobus de Landauu, Thomas Fuchs, qui omnes erāt excellēter ornati. Et agebant equos plus quàm octingentos, in quibus erant cataphractarij lxxx circiter. Hoc ordine incessit Cęsarea maiestas, & ubi appropinquauit arbori terrę infixę circa iactum bombardę, accesserunt reges propius cum suis cateruis & militibus qui more suo erant simul ornati.

Hos antecedebat immensa multitudo Husseronū, qui uexillis bipartitis rubeo & albo colore præibant.

Subsequebantur Moschouitę siue Moschi, ceruleo colore uestiti, cum albis longis pileis ac arcubus armati. Tum Tartari, in quibus multi captiui, cum tubicinibus suis, de quibus superius scripsimus, qui sonabant horrendum.

Eregione seorsum immensa multitudo Husseronum, qui Regis Hungariæ erant, pariter de more suo albis & rubeis uexillis armati.

Quos succedebant utriusq; Regis tubicines in aëra usque clangentes, more
330 Germanico ornati & uestiti, cum tympanis sonoris.

Tum incedecant ornatissimè instructi uestibus & torquibus aureis, et equis phaleratis multo argento domini Barones ex Hungaria & Boëmia, in quibus erat Marchio Brandeburgēsis Georgius frater Casimiri habitu Husseronum. Dux Carolus de Mūsterberg, tres fratres de Schmihau. Ambrosius Sthercko, Michaël Paluci magister cubiculariorū, Petrus Carlaczki, Franciscus Ortzag de Gotz, Banus Nandoralbensis, et Emericus Ortzag magister cubiculariorū Regis Ludouici. Ioannes Pethen de Gerse, magister curiæ serenissimorum liberorum, Stephanus Perenni, Ioannes Bornamissa, Moses de Bulsai cum filio Ladislao magistro curiæ, Ladislaus de Caniza, Iohannes Banffij de Lyndua, pincerna Regis, Ioannes Doczij cubicularius Regis, & pleriq; alij nobiles ac magnifici ex Hungarię & Boëmię regno, qui mihi magis de facie, quàm nominibus sunt noti, quandoquidem nomina horum uix memoria teneo, quia difficilè scribuntur hæc nomina.

Post hos sequebatur Ludouicus Rex iunior aurea ueste rubea intertexta purpura ornatus, capillis extēsis bireto ex ueluto fusco capite tectus, pulchro & phalerato equo insidens, quem undiq; cingebant ex utroq; regno Barones & domini pedites incedentes ad obsequium.

Comitabatur hunc Regina soror eius Anna, aurea ueste & pulcherrima torque mirum in modum multis gemmis & monilibus ornata, quæ in amplissimo curru deaurato ac imaginibus exornato, octo equis candidis trahebatur, quam multi etiam nobiles pedites cingebant undiq;. Inter quos erat Marchio Georgius Brandeburgensis, & Comes Petrus dē Posing, qui de equis descenderant pedites.

Tum Rex Polonię Sigismundus purpuratus & serico pileo tectus pulchro equo uehebatur, undiq; nobilioribus Proceribus amictus, qui pedites circumdabant ipsum, uestibus & ornamentis splendidi.

Postremò Rex Hungariæ, pariter ut Cęsar lectica ferebatur, quę ueluto rubeo nobilissimo erat cooperta, quemadmodū pueri qui hanc cum equis gestabant. Hæc nuper erat donata Regi & Cæsare cum equis & instrumentis.

Aderat hic ingens Prælatorum & Procerum caterua ex Hungaria, Archiepiscopi & Præsules, Cardinalis Thomas Strigoniensis, Archiepiscopus Colocēsis Gergorius, Quinqueecclesiensis Georgius, Ladislaus Vaciensis, Michaël Posnensis cū Suffraganeis, Prępositis, & Archipresbyteris multis. Ex Polonia

Matthias

Matthias Vladislauiensis, Iohannes Posnaniensis, Petrus Premislienſis, cum Capitaneo, Cancellario, Thesaurario, Palatinis & Veiuodis, quos superius nominauí, spectabilis & elegantissima caterua.

Vndique strepitus & hinnitus equorum audiebatur, tubarum concentus, tympanorum sonitus: spectaculum sanè dignum, quod omnis mirabitur posteritas.

Cæsar, ut appropinquare uiderat Reges, iussit cooperimentum lecticæ deponi, quò palàm ab omnibus uideretur, & apertè omnes conspiceret: data dextera Regibus & Reginæ, perquam concinnè inquit: Hæc est dies quam fecit Dominus, gaudeamus, exultemus & lætemur in ea. Rex item Poloniæ respondit: Vtinam felix ac faustus sit ille noster conuentus uniuersæ Reipublicę Christianę. Paucula uerba in similem sententiam Rex Hungarię proloquutus, quæ uix sine lachrymis efferre potuit. Ludouicus, ut erat institutus, ex equo summa cum reuerentia Cęsari dixit, & tanq; patrem salutauit, nec auertere faciem à facie Cæsaris potuit, quasi aspectu non posset saturari. Regina in curru surrexit, nam altus erat, & obseruantiam in Cęsarem uerbis, uultu & gestis ostendit.

Fuerunt tum nonnulla disputata ab ijs qui inuitus ibant Viennam, & aliqua mora facta est, donec Cæsar inuitatis Principibus ac Regibus iussit securè secũ migrare Viennam. Rex autem Poloniæ, ut est summæ dexteritatis Princeps, suis & Hungaris dixit, sub confidentia Cæsaris, quem mihi multi grauissimum hostem prędixerunt, huc ueni, sub cõfidentia ipsum sequar Viennam, quisquis mihi confidit me sequatur, si quis timet, remaneat. Fratremq; cohortatus Regem Hungariæ ut tutò simul ueniret, qui alioquin Cęsarem semper amauit, incunctanter Viennam eundum esse concluserunt. Cæsar intelligens tam promptam Regis Poloniæ in se uoluntatem: Hic, inquit, Rex me compellit ut quandoque uros siue bisontes amore eius in uenatione uideam.

Dissoluta conuentio fortè post horam cum media, itum est ad uenationem, capti aliquot ceruí, iterum ingens excitus tubarum clangor. Plures enim erant tubicines, tot Regum, Principum, ac Præsulum.

Ordinatum est ut Rex Hungariæ cum liberis iret Trautmansdorff, ubi prióre nocte Cæsar decubuit. Cardinalis Strigonienſis ad sanctam Margaretam, cęteri Episcopi ac Proceres ad Suadorff, Rex uerò Poloniæ cum suis decessit ad Entzesdorff, Cęsar ad Laxendorff cum Cardinale Gurcensi. Multa sunt castra & uillæ adiacentes, quæ familiares utriusque Regis capiebant, pars uerò Viennam petebat ut hospitia disponeret. Erat dies ille calidissimus & amœnissimus, pro huiusmodi spectaculo aptus, licet mane pluuiam minaretur nubecula quædam.

Sequenti die, hoc est, xvij Iulij, Cęsar ex Laxendorff uersus oppidulũ quoddam uenit, cui nomen Scheuchat, opperiendo illic Reges. Rex Polonię citius, tardius Rex Hungarię uenerat.

Ingrediebantur toto die Viennam, currus, quadrigę & bigę Hungarorum & Polonorum, uehebantur multi in curribus illis uelocibus, quibus nomen est patria lingua Kottschi, magnaq; omniũ fuit expectatio illius ingressus tot Regum ac Principum. Sed ne omni careret infœlicitate suborta est pluuia, quæ paulatim incepit & primùm tenuis, tota dehinc penè die durauit.

Ex urbe sunt obuiã egressi Cæsari & Regibus, electissimi pedites mille quin 331
genti, quorum magna pars rubeis uestibus decorata fuit, ex ciuibus & filijs Viennensium, quos pręcesserunt in equis sex senatores armati. Hos urbs Viennensis, ante Cæsaris aduentum diu in eius honorem prędordinauit: post hos trecenti alij pedites, quos Cęsar ex imperio huc præmiserat, ferè omnes lanceati: pauci secures, aliqui bombardas manuales gestabant, sed electissimi erant omnes & singulari ordine decori.

332 Ad portam urbis usque egressus est uniuersus clerus: Primùm quatuor ordines mendicantium, Canonici regulares apud sanctam Dorotheam, Monachi ordinis sancti Benedicti, qui omnes reliquias sanctorum deferebant. Exin de parui scholastici ciuium Viennensium liberi in magna multitudine, singuli deferebant uexilla cum armis et insignibus, hi arma imperij, aquilas, hi insignia Regis Hungariæ, hi insignia Polonię, hi insignia Boëmiæ, illi arma Austrię, illi Burgundię, hos sequebantur sacerdotes seculares singulorum templorum urbis Viennensis.

Tum immensa multitudo studentum studij generalis Viennensis, primùm scholares, posthac baccalaurei, dehinc magistri, tum doctores singularũ facultatum, medicę, iuridicę, ac theologię. Postremò rector uniuersitatis Doctor Theologię Christophorus Kulber.

Egressa sunt etiam omnium artificum collegia, quę Zeche uulgò dicuntur, singulę cum uexillis ac cereis quę numero sunt sexaginta circiter omnis generis artifices, qui uspiam in una ciuitate reperiri possunt: fabri lignarij omnis generis, fabri ferrarij item omnis generis, serat ores, fibulatores, acufices, & qui ferrũ ac cuprum, & qui aurum argẽtumq; fabricant, setarij et qui pectines faciunt, fullones, pileatores, pistores, molitores, piscatores, lanij, cerdones, sutores, sartores, phitigiones, calceatores, institores, uinitores triplici ordine, calones, aurigę, carbonarij, pelliones, uenatores, pannifices, figuli, obsonarij, rasores, rotarij, mensarij, tornatores, balneatores, funifices, chirothecarij, & qui peras ac marsupia consuunt, fusores, gladiatores, tinctores, pictores, & lapicidę, & lathomi, muratores, corarij, sufferratores, & id genus alij opifices, qui latinis uocabulis uix exprimuntur.

Pluuia autem effecit ne omnes ordine pulchro ingrederẽtur urbem. Nam quandoque inualuit & multos coëgit relicta statione sua ingredi: præterea interuenerant currus, qui iter aliorum impediebant, tamen nihilominus post quintam horam ingressa est primùm familia Cardinalis Gurcensis, deinde Ducis Bauariæ Vuilhelmi circiter centum sexaginta benè armati, pòst Husserones, tum tibicines, dehinc Casimirus Marchio cum Comite de Hennenberg ac suis familiaribus, tum equites lanceati Domini Vuilhelmi de Rogendorff, & familiares Leonardi Rauber Marescalci. Post hac familia Cæsaris, Comites prænominati, de Montfort, de Schaunburg, de Mansfelt, de Vesterburg, de Hardeck, qui omnes ut suprà scripsimus fuerunt elegantissimè ornati uestibus, gemmis, aureis torquibus, & monilibus. Hos sequebantur nobiles utriusque Austriæ cum trecentis & quinquaginta equis. Et Iohannes Iacobus de Landauu cum nonaginta, ac Thomas Fuchs cum centũ quinquaginta, & alij plures.

Tum ingressi sunt urbem Husserones cum equis tectis, & Moschi sagittarij cum suis tubicinibus ac Tartari. Pòst Hungari cum suis uexillis, ut scripsimus, tum habitu Turcali quidam rubeis uestibus uestiti, familiaq; utriusq; Regis ac episcoporum Principumq; qui numerari non poterant, quòd pluuia ordinem destruxit. Nunc enim Alemani, nunc Hungari, nunc Poloni, nunc Bohemi, nunc Moschouitæ & Tartari, promiscuè ingressi sunt. Quamuis certe magnus undique ornatus uisus fuit. Multi pueri uisi, qui brachia perlis onusta gesserũt. Multi Poloni habitu Germanico uestiti, à nostris nosci non potuerunt. Diuersus pòst habitus uisus est, & magna caterua equitum Regis Poloniæ, sed immixti & Germani, quoniam Ludouicus Dux Bauariæ cum suis adequitabat. Iterum Hussérones Hungarici & tubicines Hungarici, pòst equi Cæsaris, & tredecim illi pueri quos superius scripsimus nigro ueluto uestiti. Leonardus Rauber Cæsaris Marescalcus in equo cataphractato, quem ponè sequebantur archiepiscopus Bremensis, episcopus Patauiensis, episcopus Labacensis, episcopus

pus Kyemenſis, Epiſcopi quoque Hungarici prædicti Colocenſis, Quinque-eccleſienſis, Vacienſis, & Polonici, Vladislauienſis, Poſnanienſis & Premisli-enſis, Ludouicus Dux Bauariæ, & Vdalricus Dux Vuirtenbergenſis. Subſequebantur Oratores ſummi Pontificis, epiſcopus Veltrenſis, & Regis Arragonum. Pòſt duo miniſtri Cardinalium, quos uulgò Macir appellamus, qui ſce ptra horum deferebant. Tum Cardinales Strigonienſis & Gurcenſis ſimul in rubeo habitu Cardinalium; Strigonienſem tanquam Legatum de latere, præcedebat quidam ſacerdos cum cruce argentea deaurata, undiq; cingebantur ambo ſuis parafrenarijs & miniſtris.

Hinc ante Reges, primores conſiliarij ex utroq; regno, optimè ornati, tum Cæſaris Erhaldi cum tubicinibus optimis.

Hos ſequebantur duo Reges, Sigiſmundus Poloniæ à dextris, & Ludouicus Hungariæ & Bohemiæ à ſiniſtris, cincti baronibus & nobilibus, qui pedites circa eos ambulabant.

Hinc Cæſar & Rex Hungariæ duabus lecticis ferebantur, & multa nobilitas circa hos ambulabat optimè tam ueſtibus quàm monilibus ornata.

Deinde Anna filia Regis uehebatur in pulcherrimo deaurato curru, in quo octo candidi equi incedebant. A latere eius equitabat Marchio Georgius, & Comes Petrus de Poſingen. Currum antecedebat dominus Proteſilaus de Schmihau magiſter domus cum fratre. Sequebatur hunc alius currus deauratus, cum ſex niueis equis, & quatuor alij currus in ſingulis quatuor equi unius coloris, repleti uirginibus & matronis quæ Reginæ ſeruierunt.

Comitabantur octuaginta equites bene ueſtiti, in diuerſis coloribus uiridi, croceo & fuſco, familiares Marchionis Georgij, poſt quos multi currus, uarij equites ſine ordine, nam pluuia creuit & quiſq; hoſpitium quærebat iam madidus, neceſſe ideo fuit ordinem interturbari.

Quando iam Cæſar cum Regibus attigit templum ſancti Stephani, præteriens arcum domus in qua quotannis ſolent oſtendi reliquiæ ſanctorum, ſtabat in ſummitate huius Antiſtes Viennenſis Georgius, in habitu Epiſcopali cum pleriſque ſacerdotibus, & dicens quaſdam orationes, dedit benedictionem Regibus & Principibus. Capella autem Cæſaris concinnè cantabat ſuauiſſimis concentibus canticum illud, Te Deum laudamus. Aſcenderunt itaque ſimul ad arcem. Sed Rex Poloniæ declinauit ad ſiniſtrum & in hoſpitium ſuum, inſignem domum, quæ uulgò leporum domus dicitur, diuertit. Nam Rex Hungariæ cum liberis recta uia ingreſſus eſt arcem, Cæſar autem per hortum intrauit. Omnibus enim uiribus Cæſar laborauit, ut ſummum honorem Regibus oſtenderet, nec ullis unquam pepercit expenſis, ubique ſollicitus & circumſpectus.

Durauit hic ingreſſus horis duabus, & numerati ſunt equitum qui in ordine intrarunt, tria millia quingenti, præter hos qui paſſim & ſparſim ingreſſi ſunt, qui plures fuerunt ſexingentis. Nimirum pulcherrimus ingreſſus & rarò uiſus, etiam in pluribus ſeculis, ſi non pluuia ordinem conturbaſſet, & hanc ſolam fœlicitatem abſtuliſſet.

Decimaoctaua lulij quieuerunt: ſed Cæſar qui paruam quietem habuit, undiq; anxius & ſollicitus apertis ciſtis ſuis theſauros ſuos recognouit, quos precioſiſſimos aduexerat, Regiq; Poloniæ, Regi Ludouico ac Annæ ſorori, primùm nobiliſſimum pannum aureum, hactenus rarò uiſum, ſingulis pro ueſte ampliſſima muneri mittit, ut eodem habitu omnes incederent.

Decimanona, mane circiter octauam, Reges ſimul cum Cæſare in arce conuenerunt cum ſuis conſiliarijs, & locatis tribus ſellis ornatiſſimis, quibus duo Reges, Cæſar uerò in medio ſedit, Ludouicus autem à latere patrui Regis Poloniæ, in feneſtra duo Cardinales, tum Oratores ſummi Pontificis

ac Regis Arragonum, tum Archiepiscopi & Episcopi utriusque Regis, deinceps Proceres regni Hungariæ, Poloniæ ac Bohemiæ, à dextris Principes & consiliarij Cæsaris, erant omnes plus centum. Occurrebat mihi aspectus, qualis olim Senatus Romanus ex centum patribus fuit. Vbi factum est silentium, Cæsar loqui incœpit, & præter omnium expectationem Reges ita commouit, ut eos sibi maximè deuinciret. Gratias enim illis amplissimas egit, quòd tantam moram tam patienter tulissent, donec aduentaret. Licet hoc Deo acceptum referret, qui uoluisset eos tam diu expectare quoad conuenirent, pro communi uniuersæ Reipublicæ Christianæ commodo & tranquillitate. Deinde aduersus impios Turcos pro sumenda expeditione prudentissimè loquutus, de modo & uia, & nonnulla alia, quæ nunc referre importunum est. Tota autem ferè hora loquebatur, non tam honestè quàm prudentissimè, omnium in se ora atque oculos conuertit, eosq; ita demulsit, ut multi qui non boni Cæsariani fuerint, sed ab eo multum alienati, iam se submitterent, palamq; faterentur, eam humanitatem, prudentiam ac dexteritatem nunquam in Cæsare ac tanto Principe expectasse. Aperteq; Cæsarem extollebant, ac eminentissimè laudabant, non tam eius egregiè res gestas, sed singula dicta factaq;. Vbi perorauit Cardinalis Strigonienſis, utrunque Regem adiens, & simul Colocensis, item Quinqueecclesiensis, ut ab eis quid respondendum foret, intelligerent: Ac mox dehinc Cardinalis Strigonienſis, amborum Regum nomine respondit elegantissimè, ut homo est raræ prudentiæ & doctrinæ. Iussus est dehinc à Cæsare Cardinalis Gurcensis ut uerba faceret, qui etiam elegantissimè diu loquutus coram Cæsare, Regibus, & uniuerso Senatu. Etre uera potuit hic Senatus comparari centum patribus Romanis, dum olim Roma floruit, tam honestus erat senatorum ac Principum aspectus. Dimisso Senatu, quisq; in ædes suas diuertit.

Eodem die post cœnam hora sexta, facta est chorea in arce, iussit Cæsar ut singuli Reges quinquaginta tantum secum afferrent, uigintiquinque spectatores, & totidem qui choreas ducerent, ne ex multitudine nimia fieret perturbatio: sed Principes indiscriminatim cum suis irruebant, & maxima præter spem conuenerat multitudo, licet omnes ianuæ diligentissimè custodirentur. Fuit autem hæc chorea instituta, ut domina Maria Archiducissa Austriæ, filia Regis Philippi, & Cæsaris neptis, susciperet Reges & dominam Annam quos nondum uiderat. Vbi ergo Cæsar, Rex Hungariæ & Poloniæ tribus sellis confederant, Rex Ludouicus, & soror domina Anna seorsum suas habuerunt sedes: Tum ingressa est domina Maria præcedentibus Principibus, Ducibus Bauariæ, & alijs quotquot hic erant Comitibus & Baronibus, & magistro curiæ domino suo de Rottal, quam multæ nobilissimæ matronæ, Comitissæ, & Baronum uxores, cum multis uirginibus sequebantur. Quæ postquam regiam Cæsaris ubi eam operiebantur intrauit (nam extra arcem tum habitabat in domo Comitis Ciliæ) decoro motu flexis genibus, ut est morigeratissima, & à cunabulis rectè instituta, primùm Cæsarem auum, tum cæteros Reges ac dominam Annam salutauit. Locata illi sedes erat prope Regem Vladislaum à dextris, ad quam accessit, sed non sedit, donec Valthazar Mercklin Præpositus in Valdkirch nomine suo, Reges & sponsum suum benignissimè excipere, pulchra ac affabili comitate. Rex Poloniæ accersito suo uicecancellario D. Petro episcopo Premislienſi, illi mandauit, ut nomine fratris et nepotis Ludouici ac Annæ responderet, quod & factum est. Nam Petrus Episcopus uir haud contemnendus, siue ex tempore oporteat loqui, siue prę meditatè, bonarum literarum optimus patronus.

Peractis cerimonijs post mutua colloquia chorea est incepta, clangentibus tubis & benesonantibus, quas Cęsaris tubicines inflabãt. Primamq; choream duxit

duxit rex Ludouicus cum sorore sua Anna, præeuntibus duobus Comitibus de Mansfelt & de Vesterburg, ac duobus Principibus, Casimiro & Duce de Mechelburg cum quatuor cereis, comitantibus duobus magistris curiæ Prothesilao de Smihau & Petro Carlaczki. Secundam choream duxit Dux Bauariæ Vuilhelmus cum domina Maria Cæsaris nepte, cui duo Comites præibant de Hennẽberg & Hardeck. Tertiam choream iterum rex Ludouicus cum magistra curiæ dominę reginæ Marię, domina Rottalerin uxore domini Georgij de Rottal. Pòst cæteri domini Comites & Barones choreas duxerunt. Et circiter decimam horam noctis quisq; domum suam reuersus est.

Duobus sequentibus diebus, consultatum est super negocijs, pro quibus conuenerant, & semper usq; ad horam secundam post meridiem & lõgius protractum est consilium, ut prandium cõsiliariorum & Principum fieret circa tertiam. Nobiliores uerò in militia, interea sese exercebant in palęstra, Marchioq; Brandeburgensis Georgius cum hastis concurrebat cum Comite de Hennenberg, in arce Viennensi cum duobus alijs militibus.

Vigesimasecunda die, quæ erat diuæ Mariæ Magdalenæ, institutus est dies pro contrahendis sponsalibus inter Principes & Reginulas, ideo uniuersa nobilitas simul cum Regibus ad arcem confluxerat, in obsequium quisque ut potuit exquisitissimè ornatus, non tam uestitu quàm preciosis monilibus ac clinodijs, ut dicitur. Cęsar cum Regibus ac consiliarijs secretiora quędam tractauit in priuato, quæ referre non est operęprecium. Tum accersita Anna, eam corona aurea donauit, & capiti suo imposuit: quæ res seniorem Regem Vladislaum prouocauit in lachrymas, uicissim ipsa Cæsarem preciosissimo serto exornauit. Elegantissimo igitur ordine Cæsar cum Regibus Poloniæ & Ludouico in equis, Seniore uehente in lectica & Reginulis in curribus, præcedente & comitãte nobilium caterua insigni, post nonam horam descendit ad templum sancti Stephani, quod erat elegantissimè ornatum. Chorus aulæis aureis & sericeis contectus. In dextra stabant Cæsar, rex Vladislaus, rex Sigismundus, omnes aureis uestibus ornati. Cæsar maxima torqui ex margaritis lapidibus preciosissimis conspicuus omnibus erat. In bireto monile ex adamantibus preciosissimum gestabat, æstimabatur eius ornatus una milione auri. Post Ludouicum stabat Orator Regis Angliæ, Orator Archiducis Caroli Austriæ & Burgundiæ, Dux Vuilhelmus, Marchio Casimirus, Dux de Mechelburg, Dux Vuirtenbergensis, Orator Ducis Ferrariæ, & dehinc insigniores ex regnicolis Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ. In medio chori duo erant pulpita aureis pannis contecta, in quibus duæ Reginę stabant, Anna & Maria, circa quas à lateribus Orator Regis Aragonum, & Ludouicus Dux Bauariæ, Marchio Georgius, & Comes Petrus de Posing cum plerisque alijs nobilibus inseruiebant Annæ. Ponè stabat ingens multitudo matronarum & uirginum, quæ Reginis subsequebatur sedula ad obsequium. A sinistris locati erant primùm Cardinalis Thomas Strigonienſis Legatus Apostolicus, Cardinalis Gurcensis Mattheus nuncius Apostolicus, Episcopus Veltrensis, Archiepiscopus Colocensis Gregorius, Archiepiscopus Bremensis Christophorus, Episcopus Quinqueecclesiensis Georgius, Episcopus Matthias Vladislauiensis, Episcopus Olomucensis Stanislaus, Episcopus Ratisponensis Iohannes, Episcopus Vaciensis Ladislaus, Episcopus Posnaniensis Iohannes, Episcopus Patauiensis Vigileus, Episcopus Labacensis Christophorus, Episcopus Premisliensis Petrus, Episcopus Bosnensis Michaël, Episcopus Kiemensis Bertholdus cum multis Prælatis & Præpositis. Episcopus Viennensis celebrauit summum officium, quod cum summa reuerentia & amœnissimis concentibus diuersorum musicorum peragebatur.

Quotusquisque enim Princeps est hodie in orbe nostro, qui singularia in-

genia musicorum ita ueneratur & appreciat, sicut Cęsar. Sub eo itaq; noua instrumenta musicęs excogitata atq; inuenta sunt, quæ uetustas non habuit, seculum nostrum non uidit, sicut in diuersis generibus fistularum patet. Et in illo ipso instrumento quod Regale appellatur, sine fistulis & cordis ab aurifabro inuentum, & in illo mirabiliori, quod nuper monachus excogitauit, quod fistulas nullas habet, sed quasdam concauitates in latum lignum excisas, in modum serpentum ambulantes, quod sonorum admodum edit concentum: & ex Rheno nuper allatum est instrumentum, quod uoces auium repręsentat. Quę omnia Paulus musicorum Princeps, cum illo simul quod ipse reperit ex cornibus aptissimè tangebat, & simul cum cantatoribus diuersis uocibus.

Finito officio Richardus Perusinus, reuerendissimi Cardinalis Gurcensis Capellanus, dicere incœpit, ut est eloquentissimus, sed strepitu nobilium, quia audiri non potuit, in medio destitit. Hic etiam tribus libris, quos Odeporicon uocat conuentum hunc celebrauit. Interea Imperator quodam secretiori loco regalibus amictus & coronatus, ut Cęsar introiuit chorum, cui desponsata est domina Anna per reuerendissimũ Cardinalem Strigonien sem per annuli subarrationem. Tum Ludouicus rex, & domina Maria per eundem dominũ Cardinalem copulati & coniuncti sunt.

Residente tunc Cęsare in solio maiestatis: à lateribus cingebatur tribus prędictis Regibus, quibus singulis nudus est datus ensis, ut milites insignirent. Accurrebat uniuersa nobilitas, in qua intermixti etiam fuerunt nonnulli noui homines & plebei. Creati sunt tum à Cæsare & tribus Regibus plusquam ducenti milites siue equites aurati, ut uulgus loquitur. Quo perfecto, ascendit Cardinalis Strigonien sis ad summum altare dans benedictionem, cuius suffraganeus sua & domini Gurcensis autoritate pronunciauit plenariam indulgentiam. Mox omnes inflatæ sunt tubæ, & mirabilis auditus est concentus: simul cantores, Te Deum laudamus pronunciabant. Et in organis magister Paulus, qui in uniuersa Germania secundum non habet, respondit. Vsq; in primam horã post meridiem durauit hæc festiuitas. Quisq; dehinc in suum hospitium diuertit ad sumendum meridianum cibum.

Post prandium ad spectaculum hastiludij omnes conuenerunt, & Cæsar & Reges, Reginulæq; eadem habitatione prospectabant concursum eorum qui hastis luserunt. Erant autem primi, Comes Iohannes de Hardeck, & Dauid de Kneringen: dehinc Casimirus Marchio, & Ioannes Iacobus de Landauu: pòst Georgius Marchio, & Adolphus de Bibrach.

In principio noctis conueniunt omnes Reges cum Cæsare ad cœnam, quia nuptias hac nocte celebrabant, dominus Sigismundus de Dietterichstain, & Barbara uirgo, filia domini Georgij de Rottal, parata erat cœna regia innumeris dapibus. Collocabatur in principio tabulæ rex Hungariæ Vladislaus, dehinc sponsa Barbara, tum Cæsar, pòst domina Anna, tum rex Poloniæ, tum domina Maria, pòst rex Ludouicus, tum eius magistra curię, pòst archiepiscopus Bremensis, tum Ratisponensis Præsul, tum cęteri Duces sępius nominati, quibus semper immiscebantur matronę & uirgines, tum utriusq; Regis consiliarij & familiares, semper immixtis puellis. Durauit hæc cœna in horam decimam noctis splendidissima & opipara, qua finita Cęsar & Reges in aliud descendentes palatium, choreas duxerunt. Et hinc quisq; diuersorium suum petijt.

Vigesimatertia Iulij, Cæsar uirginibus dominæ Annæ plus sexingentis ulnis de ueluto & alterius generis serici pro uestibus muneri misit, Regi autem Poloniæ duos equos cataphractatos, quorum unus armatus erat usque ad ungulas, quod à paucis aliàs est uisum: Quos cum tanta gratitudine acceperat, ut illum totum æneum equum inspiciens, cum animi iucunditate diceret ipse sine interprete: Accipio hunc equum gratissimo animo à Cęsarea maiestate, in quo

promptus

promptus ero ad mandata illius, quando mea utí uoluerít opera,& comparebo ubí uolet, donec hæc mihí uita ſupererit. Cantharum deinde argenteum faberrimè factum, cuius labor æquabat preçium,& in quo admirabilis erat ueneranda uetuſtas, Vladislao regi. Regi uerò Ludouico equũ cataphractatum 333
& arma pro corpore ſuo deaurata,& ingenioſiſſimè fabrefacta,à paucis hactenus ſimilia uiſa.

Vigeſimaquarta,ante prandium conſilium habebatur: poſt prandium Cæſar & reges ad ſpectaculum haſtiludij conuenerunt,quod horis penè quatuor durauit. Rex Polonię ad ſuum hoſpitium, Cæſar cum alijs duobus regibus & reginulis ad arcem diuertit,& ſimul cœnam duxerunt lętiſſimam:qua finita,allata ſunt numiſmata aurea & argentea,magna pręter ſolitũ, cum imagine Cęſaris,quę Cæſar regibus & reginulis diſpartitus eſt, & ad chartam ludere cœperunt. Sed rex Ludouicus, domina Anna & Maria maiorem partem numiſmatum abſtulerunt,Cęſar nihil, Vladislaus rex parum lucratus eſt. Fuerunt multa iocoſa in hac cœna prolata.

Vigeſima quinta Iulij,inſtitutus eſt ludus militaris, Torneamentũ uulgò dicitur,antiquus ludus Troianus,ſimulachrum ueri belli. Fuerunt in eo triginta duo in equis cataphractatis toto ærei,optimè armati. In galeis criſtati cum ſuis inſignibus, cuilibet lancea & enſis erat. Primùm fuit concurſus cum lanceis, deinde abiectis haſtis & clipeis,concurrebant cum enſibus,ſeſe mutuò uerberantes, donec qui ad hoc ordinati erant ſectores, bellũ dirimebant. Fiebat hoc in latiſſimo foro prope templum fratrum Carmelitarum, ubí quondam Henricus filius ſancti Leopoldi, Marchionis Auſtriæ,primus dux à Friderico Eneobarba Imperatore creatus,qui cœnobium Scotorum Viennæ,hic ſepultus,fundauit,arcem & curiam habuit. Vnde & hodie adhuc locus ille Curia appellatur. Circa hoc templum extructum erat theatrum temporarium latiſſimum,ad quod aſcenderant Cæſar,reges & reginulæ,duo Cardinales,Archiepiſcopi & alij Prælati, cum principibus & baronibus, cum magna & inſigni nobilitate. Eregione huius erat alia domus, in qua clipei & arma perduellionum pendebant, & ubi tibicen triplici concentu ter concurrentes prouocabat. Erhaldi quoque hic proſpectabant, qui uictoriam & palmam merebantur. Erat locus hic quadratus et duplicibus palis circumuallatus,in medio ſtabant atmigeri et lanceati, ciuium Viennenſium mille quingenti, qui benè ornati, ut ſuperius ſcripſimus, hic excubabant. Erat & tertia domus extructa,in qua uxores & filiæ ciuium hoc quoq; ſpectabant ſpectaculum. Nam omnium domorum adiacentium feneſtræ non modò repletæ erant, ſed tecta quoq; hominibus cooperiebantur,tam ingens hominũ frequentia hic aderat. Magna tamen undiq; habita diligẽtia & cuſtodia,ne qua ſeditio,néue tumultus aliquis inter tot homines tam diuerſas nationes,tam diuerſas ſectas exoriretur. Prouiderunt hæc multo, antè ſingulari prudentia ſenatores Viennenſes, qui cuſtodiam in portis urbis nocturnas ac diurnas uigilias in ſingulis turribus urbium, in monaſterijs ordinauerunt,& ſi fortè incendium oriretur, artifices cum inſtrumentis ſufficientiſſimis adhibuerũt,ac in tumultu,ſi fortè excitaretur,præſto eſſent. Nihil itaq; ijs omnibus diebus aut publicè aut priuatim ortũ eſt. Timebant omnes incendium aut ſeditionem aliquam inter tam diuerſas gentes, quia hic Alemanni, Itali,Hiſpani,Franci, Hungari,Poloni,Boẽmi,Morauí,Sleſitæ, Moſchi,Tartari,& Armeni, & Tuſci ſimul iuncti fuerunt,ſed Deo optimo duce tranquilliſſimè omnia peracta ſunt.

Durauit enim hoc ſpectaculum plus duabus horis,quo finito, Cæſar in eodem theatro multos milites in præſentia Regum & Principum inſigniuit:lanceati autem & armigeri ciuium Viennenſium,facta pulchra ordinatione,& circuitu in orbem de more ſuo,abierunt.

Fuerunt autem hi in Torneamento, qui hoc pacto primùm bini, & bini concurrerunt, & tandem omnes simul uno impetu.

Dux Vuilhelmus Bauariæ, & Marchio Casimirus Brandeburgensis.
Dux de Mechelburg Albertus, & Georgius Marchio Brandeburgensis.
Comes Vuolfgangus de Montfort, & Comes Bertoldus de Hennenberg.
Dominus de Verona debuit concurrere cum Domino Iohanne Comite de Hardeck, sed nescio qua causa idem dominus fuit absens, ideo eius locum succedebat Dominus Leonardus de Liechtenstain, qui bis concurrebat.
Dominus de Rapoldstain, & Sebastianus de Hohenfeld.
Dominus Hieronymus de Stauffen, dominus in Ernsels, & Iohannes de Schuuartzenperg.
Vdalricus Marscalcus de Sappenhaym, & N. de Geroltzeck.
Vuolfgangus de Schellenperg, & Sebastianus de Veittmul.
Caspar Vintzerer, & Sigismundus de Hesperg.
Albertus Pencker, & N. Bellitzki.
Vuilhelmus de Greis, & Georgius Kongel.
Valthasar Tanhauser, & N. de Emerszhofen.
N. de Losenstain, & Dorle Polonus.
N. Kietscher, & Vuolfgangus Grosuuein.
Leonardus de Liechtenstain (bis ut dixi congressus est duello) & Christophorus Mindorffer.
Dominus de Dana.

Inuitati sunt omnes principes & barones post cœnam ad choreã. Ad quam facta cœna, uenerunt reges & principes cum uniuersa nobilitate. Erat curia arcis mundata, & auleis pulchris exornata, tot cereis illuminabatur, ut tenebræ noctis uincerentur cereis splendoribus. Sedebãt longa serie nobiliores matronę & uirgines ex una parte. In alia Cęsar, tres reges, duę reginulę, magnus principum & nobilium numerus. Cęsar cum domina Anna choreã duxit, Ludouicus cũ domina Maria, pòst rex itẽ Poloniæ cũ domina Anna. Pòst sunt serta & munera donata principibus & nobilibus, qui illo die in torneamẽto duellum fecerunt. Dehinc post aliquot choreas Cæsar ascendit cubiculum. Reges autem in quoddam palatiũ cum Reginulis, Principibus & uirginibus, ubi parata erat regalis collatio mellarijs & fructibus, illic omnis generis potus et abundãtia. Sic usq; in horam penè secundam post mediam noctem deductum erat illud conuiuiolum, dehinc quisq; in suas ædes diuertit.

Maturabant dehinc singuli suum discessum, diu enim uterq; rex aberat à regno suo: & Cęsar ab Heluetijs sollicitabatur, sed nondum conscriptæ erant literæ contractus. Biduum igitur, hoc est, xxvij & xxviij dies Iulij, cõsumptum est in scribendis literis, & dandis uicissim muneribus. Sed ne Cęsar ullũ humanitatis officium omitteret, nemine sperante cum suis consiliarijs & aulicis descendit ad hospicium regis Poloniæ, & ipsum uisitauit (nam rex Hungariæ erat secum in arce) & tum ad ædes cardinalis Strigoniẽsis, quem etiam sua præsentia honorauit, ut est clementissimus & humanissimus Princeps. Præterea cursus equorum etiam factus est: habuit primus pulchrum argenteum deauratum poculum quod faberrimè factum erat.

Hinc rex Poloniæ de nobilissimis pellibus Zobelinis honorauit Cęsarem, dehinc Cæsaris consiliarios, & eos pręsertim qui his negocijs interfuerunt. Cęsar uicissim largissima munera ordinauit utriusq; regis consiliarijs liberalissimè de auro, argẽto, poculis, uasis omnis generis, torquibus & sericeis uestibus. Iudico ego & puto me non falli Cęsarẽ in hac festiuitate exposuisse pro impensis (nam

(nam utrunq; regem ſuis alimentis liberaliſſimè cum liberis quoq; aluit) & mu neribus ſupra centum quinquaginta millia nummûm, erogaſſe: tanta liberalita te uſus eſt erga reges & principes & conſiliarios.

Vigeſimaoctaua die, de nocte poſt cœnam, hora penè ſeptima conueniunt Reges Cęſarem (iam enim de ſingulis erat concluſum) & poſtquam tribus ſel lis locati erant, in quarum medio Cæſar, in latere Ludouicus, pòſt duo cardina les, dehinc cæteri Principes & cõſiliarij reſidebãt, Cæſar, ut eſt humaniſſimus, alloquutus Reges ſuauiſſimis ſermonibus, tandem iuſſit Cuſpinianũ pronun ciare, quod decreuiſſet. Cuſpinianus debita inclinatiõe flexus ad latus regum ſtans alta uoce, Latina & Germanica lingua, ut ab omnibus intelligeretur, in hanc formam proclamauit cunctis benè audientibus:

De mandato ſacratiſſimæ Cæſareæ maieſtatis, & ſereniſſimorum Vladiſlai & Ludouici Hungarię & Boëmię, ac Sigiſmundi Polonię Regum. Notum ſit uniuerſis, quòd ad laudem omnipotentis Dei, & glorioſę uirginis Marię, & to tius curię cœleſtis, necnon ad incrementum & conſeruationẽ totius Reipub. Chriſtianę, & pręcipuè regnorum, dominiorum, & ſubditorum ſuorum, inter ſe inerunt, contractarunt, concluſerunt & confirmarunt, ueram, ſyncerã & in uiolabilem atq; firmã concordiam, amicitiam, unionem & intelligentiam con fœderationis, perpetuò & indiſſolubiliter duraturam. Ad mutuam protectio nem & defenſionem contra eorum hoſtes quoſcunq;, & præſertim contra ho ſtes infideles, & ad hoſtium ſuorum futurorum perniciem. Et quò magis hæc unio inter eos ſtabiliatur, ultra neceſſitudinem, quæ aliàs inter hęreditates eo rum intercedit, etiam nouam affinitatem & cõnubium inter ſe, & nepotes, & li beros eorum contraxerunt. Quod fœlix fauſtumq; maieſtatibus præfatis, regi nis & dominijs eorum ſit, Amen.

Vigeſimanona Iulij, horam circiter nonam: Cæſar in equo cataphractato, ornatiſſimis armis à capite ad pedes tectus, & precioſiſſima torque, ex unioni bus & gẽmis, cum Ludouico rege ijſdẽ armis & equo cataphractato ornatus, quibus à Cæſare donatus erat, cum omni exercitu principum, baronũ ac nobi lium, urbem Viennam egreſſus, ad Nouam ciuitatem perrexit, eodem penè or dine qui ſuperius ſcriptus eſt, comitantibus peditibus Viennenſibus. Sed Lu douicus Viennam repetit: Cæſar Nouam ciuitatem ingreſſus eſt.

Trigeſima Iulij, Cuſpinianus munera Cæſarea, quæ pridem Cæſar ordina uerat, ex manibus Theſaurarij domini Iacobi Villinger acceperat, Regis utri uſque conſiliarijs detulit, quæ plurima ac precioſa erant, ac ſingulis, ut iuſſus erat, diſtribuit.

Vltima Iulij, tres Reges, duę Reginulę, duo Cardinales potiores ex curia re gis Polonię, uniuerſi uerò Hungari, ſimul à Vienna ad Nouam ciuitatem pro fecti ſunt, & recepti in arce, humaniſſimè à Cæſare tractati.

Prima Auguſti, mane ante prandium, Ludouicus, domina Anna & Maria ingreſſi ſunt uiuarium prope arcem, ubi innumeri hinnuli, cerui, damæq; alun tur, & ſagittis iaculati damam ac ceruam, patri ſuo Regi Vladiſlao obtulerunt, quaſi prædam à ſe captam. Poſt prandium uerò Rex Poloniæ, & Vladiſlaus egreſſi Nouam ciuitatem ad Cęſarem, qui iuxta ſyluam illos expectabat, pul cherrimam uenationẽ ceruorum illis exhibuit, ac ea finita illos ad Nouam ciui tatem reduxit, ac ibi cœnauit. Pòſt egreſſus eſt in Egenfurt, ubi honoris cauſa pernoctare ſolebat, ut integram arcem Regibus relinqueret.

Secunda Auguſti ingreſſus Nouam ciuitatem Cęſar, facto ibi prãdio, ad ſe ſe conuocauit utroſque Reges ſeniores, & adhibitis duobus Cardinalibus, & pauciſſimis cõſiliarijs, tribus continuis horis cũ ijs tractauit, ac pòſt ualedixit: dehinc ad gynęceum deſcendens, Ludouicum amplexus optimè ualere iuſſit, Mariam oſculo patrio more ſalutauit. Dominam Annam brachijs amplexus deſeruit,

deſeruit, multisq; poſt ſe deſiderium reliquit. Dehinc conſcenſo equo rediit in Egenfurt, & ſequentibus diebus per Auſtriam uerſus Lintzyum iter arripuit.

Tertia Auguſti, Rex Poloniæ fratrem Vladislaum & nepotem Ludouicum, ac duas reginulas ualedixit. Poſt ſubſcriptas manu ſua, & fratris, ac ſigillatas literas, iter ad Viennam reſumpſit. Rex autem Vladislaus cum maximo gemitu ac lachrymis filiam Annam ſalutauit. Ortus eſt ingens utrobiq; eiulatus, hinc pater, hinc filius, hinc filia etiam aſtantibus lachrymas excuſſerunt, coacti ſunt conſiliarij ui patrem abducere, qui unà cum filio eo die adhuc Sup pronium cum omni ſua curia cónceſſit, Sempronium iudico appellari debere, quòd Romani illic Duce Sempronio præſidia habuerunt: ſed omnia ea loca nominibus corrupta. Hodie enim Poſonium appellatur, quod Piſonium à Piſone rectius uocabitur: & Scaurinum hodie laurinum uoce nihili dicitur: & Strigonium quod etiam teſte adhuc patria lingua Iſtroganum uocabitur, ſed de his aliàs: Nos ad noſtra redeamus. Rex autem Poloniæ Viennam dehinc conceſſit.

Volebat hinc Rex Poloniæ trajicere Danubiũ, ſed uiolentia aquæ pons ruptus, coactus eſt manere uſque in ſextam Auguſti, qua die egreſſus eſt rex, comitante cardinale Gurcenſe, & cæteris ducibus qui ſupererant. Sed priori die, hoc eſt, quinta Auguſti, caſtrum & arcem Viennenſem ingreſſus eſt ad ſalutandum & ualedicendum Annam & Mariam, cum quibus choreas duxit, & uniuerſa eius nobilitas. Mutuis dehinc amplexibus ſeſe ſalutarũt & ualedixerunt. Alteraq; die mane Viennam egreſſus eſt. Dehinc & Cardinalis, & Duces Cæſarem ſequuti ſunt.

Sic ſumma cum tranquillitate ſolutus eſt celeberrimus ille Regum conuentus, ſine diſſidio, ſine rãcore, ſine tumultu, ſine ſeditione: quod fœlix fauſtumq; ſit. Deus Optimus Maximus largiatur ſua gratia, ut Rex Ludouicus ac Reginulæ ætatem ſortiantur debitã, qua numeroſam de ſe prolem relinquant, & Cæſar hoſtes ſuos caſtiget, & unionem cum omnibus Chriſtianis Principibus faciat, quò poſſit facilius ſumi expeditio cõtra immaniſsimos Turcos, & fidei Chriſtianæ perfidiſsimos hoſtes,

Amen.

AD

AD LECTORES.

HAbetis candidi lectores, rem ut gesta est syncerè & simpliciter scriptam, non affectatè, aut tumidè, nec phalerata oratione, aut uerborum aliquo lenocinio, sed ut uicinus etiam intelligat, qui & numisma noscit, cui publica forma est: atq; ideo necesse est in quotidianum & usitatum loquendi modum, etiam usq; ad barbariem quandoq; descendere. Malui enim rem apertè proponere, quàm propositam à multis abscondere & uelare. Nanq; haud uideo qua ratione res illæ sint nimium exornandæ, quæ per se sunt ornatissimę & insignes. Reuoluat aliquis multorum seculorum Annales, Chronica & historias, dicat si quando uiderit simul congregatos Cæsarem Romanum, tres coronatos Reges, duas Reginulas, ac duos Cardinales, cum tot Principibus, proceribus, ac nobilibus diuersarum nationum. Nunquid hoc pulchrum symposium et excellens? & apud posteros memorandum? Sed quod magis laudandum est & admirandum, quòd inter tot diuersas nationes & sectas religionum, nullus est ortus tumultus, nulla seditio, nullum incendium, ex magnatibus ac proceribus nullus mortuus est. Cum omni felicitate coierunt, cum eadem separati sunt: & quod amicissimum, nullus rancor interuenit, nullum dissidium. Fuerunt ab initio nonnullæ friuolæ suspiciones, quæ sublatę sunt, uisa uera integritate & amicitia: omnium rerum copia, nullus defectus, nec impensæ difficiles, licet inundatio Danubij obstitit, quòd non omnia fuerint longè uberiora & copiosiora. Hæc enim Austriæ pars, quæ trans Danubium est, & Marchię adiacet, unde & nomen habet, horreum nostrum est. Sed quanquam sola hęc felicitas nobis defuit, quòd crebræ erant pluuiæ: sperandum est tamen Deum optimum maximum gratiã suam pluuia influxisse, ne altercatio aliqua suboriretur, omnia acta sunt feliciter ac tranquillè, non sine ingenti gaudio ac tripudio. Deus optimus maximus faxit, ut is conuentus exemplo sit omnibus Christianis Principibus, quò redeant in mutuam unionem, ac cõcordiam, ad extirpandum fidei hostes, & ut religio Christi lòngius, latiusq; per uniuersas illas nuper inuentas regiones propagetur & extendatur, ac semen Mahumeti excindatur radicitus & euellatur, ut uno ore omnes laudes altissimi decantemus, per uniuersum dicentes: Tu solus Dominus, tu solus altissimus Iesu Christe, Amen.

FINIS.

VOLPHGANGI HVN geri Baioarii Aquiburgenſis, Iurecoſ. in Ioannis Cuſpiniani Cæſarum Hiſtoriam, Annotationes.

In quib. tum innumera huius autoris, tum aliorum quoq; Hiſtoriographorum, ueterum & recentiorum, permulta loca à mendis uindicata, natiuæ lectioni reſtituuntur, & quædam clarius explicantur: admixtis ſubinde parergis, Lectori Hiſtoriarum ſtudioſo cognitu perquàm iucundis.

Acceſſit locuples Rerum & uerborum in iiſdem memorabilium Index.

Cum Cæſ. Maieſt. gratia & priuilegio ad annos decem.

BASILEAE, PER IOANNEM OPORINUM, & Nicolaum Brylingerum.

VOLPHGANGI HVNGERI BAIOA-RII AQVIBVRGENSIS IVRECOS. CANCELLARII FRISINGENSIS, in Ioannis Cuſpiniani Cæſarum Hiſtoriam, Annotationes.

1

EX PRAEFATIONE.

Pagina 2. Verſu 19.

Vm mos Romæ repetitus eſt, uni prorſus parendi, prorege Imperatore, uel ſeueriori nomine Auguſto appellato.) *Vt Romanæ linguæ periti omnes ultrò fatebuntur, plus maieſtatis, religionis ac reuerentiæ ineſſe Auguſti quàm imperatoris aut Regis nomini: ita opinor concedet nemo, plus etiam ineſſe ſeueritatis. Equidem Suetonius Tranq. in Auguſti uita, Cap. VII ſcribit, referente & ipſo Cuſpiniano inferius ſub initium Auguſti: Quum in Senatu uariarent ſententiæ, quibuſdam Octauianum cenſentibus uocandum eſſe Romulum, præualuiſſe, ut Auguſtus potius uocaretur, non tantùm nouo, ſed etiam ampliore cognomine: quòd loca quoq; religioſa, & in quibus auguratò quid conſecratur, Auguſta dicantur, ab auctu, uel ab auium geſtu, guſtu ue. Conſentit L. Florus, ſub finem hiſtoriæ ſuæ ita ſcribens: Tractatum etiam in Senatu, an, quia condidiſſet Imperium, Romulus uocaretur: ſed ſanctius & reuerentius uiſum eſt nomen Auguſti, ut ſcilicet iam tum, dum colit terras, ipſo nomine ac titulo conſecraretur. Hæc Florus. Ego deniq; haud diſſimile uero duxerim, ab Octauiano id nomen eo quoq; libentius receptum fuiſſe, quòd Imperatoris, perinde ut Domini ac Dictatoris, aſperius duriusq; eſt, certè apud milites quàm paganos notius & gratioſius: hoc autem, humanius ac benignius, tum & inuidioſum minus, ea de cauſa, quoniam neq; priuato prorſus inconueniens, ut pergraphicè Valerius Max. dicit: Clarorum uirorum, deq; Repub. bene meritorum maieſtas, etiam ſine tribunalium faſtigio, ſine apparitorũ miniſterio, potens eſt in amplitudine ſua obtinenda. Grato namq; & iucundo introitu animis hominum illabitur, admirationis prætextu uelata: quam rectè quis dixerit longum & beatum honorem eſſe, ſine honore. Sed ne in re clara teſtimonia quæramus nõ neceſſaria, ſciendũ eſt, hunc locũ ex Sex. Aurelio Victore deſumptũ, ſed per amanuẽſem ſcriptũ perperã. Habet uerò ita Victor: Anno Vrbis cõditæ* DCCXXII, *ab exactis uerò regibus* CCCCLXXX, *mos Romæ repetitur uni prorſus parendi, pro rege Imperatori, uel ſanctiori nomine Auguſto appellato.* Pag. præced. V. 35. *pro* turbulenta, *lege* turbulentum.

EX C. IVLIO CAESARE.

Pag. 3. Verſ. 1.

2 Quaternas enim tantarum rerum epiſtolas pariter librarijs dictare, ac ſi nihil aliud ageret, ſeptenis ſolituserat.) *Eſt hic quoque locus mendoſus, ſed hercle non adeò, ut eum ſenſum reddat quem Hædio interpres finxit, uocem* interdum *de ſuo adijciens. Quò autem plana fiant omnia, nec quiſquam uerſu præcedenti dictionem* uolucri *cum dictione* igne, *iuxta Hædionis uerſionem, ſed potius cum uigore celeritateq; coniungat, ac deniq; intelligatur parentheſin (ut Plinius ait) poſt aliquot demum uerba multo rectius poni, adſcribere libet ipſa Plinij uerba, qui Naturalis hiſtoriæ lib.* VII *cap.* XXV *ipſum Cæſarem ita collaudat: Animi uigore præſtantiſſimum arbitror C. Cæſarem Dictatorem. Nec uirtutem conſtantiamq; nunc commemoro, nec ſublimitatem omnium capacem quæ cœlo continentur: ſed proprium uigorem, celeritatemq; quodam igne uolucrem. Scribere & legere ſimul, dictare & audire ſolitum accepimus. Epiſtolas uerò tantarum rerum quaternas pariter librarijs dictare: aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas. Idem ſignis collatis quinquagies dimicauit: ſolus M. Marcellum tranſgreſſus, qui undequadragies dimicauerat. Nam præter ciuiles uictorias, undecies* C *&* XCII M. *hominum occiſa prælijs ab eo, non equidem in gloria poſuerim: tantam etiam coactam humani generis iniuriam, quod ita eſſe confeſſus eſt ipſe, bellorũ ciuilium ſtragem non prodendo.* Hæc Plinius. *Sabellicus libro* X *Exemplorũ, cap.* IX. *de memoria & humanorum ſenſuum præſtantia, iiſdem propè uerbis narrat, inquiens: Superfuit & Cæſari Dictatori id bonum, qui ſcribere & legere uno tempore, dictareq; & audire ſit ſolitus. Epiſtolas magni ponderis quaternas pariter dictabat: aut ſi non aliud egiſſet, ſeptenas.*

IBID. Verſ. 14. & 28.

3 Multis euidẽtibus cauſis obiere, dum calciantur maturino duo Cæſares, Prętor & prætura Pop. Rom. functus Dictatoris Cæſaris pater.) *Vel ipſa rerum natura apertè loquitur, pro* Multis, *legi hic oportere* Nullis. *Interpres tamen & hic amanuenſis, erratũ non reddit modò, ſed etiam auxit: nimirũ dictionẽ* euidentibus, *pro* grauibus *uertens: quum conſtet, Plinium hos Cæſares ideo inter mortes repentinas atq; mirandas retuliſſe pro exemplo, quòd duo eadem ex familia diuerſis locis, temporibus, ætatibusq;, planè ſimili euentu, nulla euidenti certa'ue ex cauſa ſubitò uita excederent. Duarum autem dictionum inittales ſyllabas, ſcilicet* Po. Ro. *ſuſpicor non per amanuenſem, ſed ipſum Cuſpinianum adſcriptas, ac deſumptas ex Philippi Beroaldi Commentarijs in cap. I. uitæ Iulij Cæſaris apud Suetonium. Ex eodẽ enim tum præcedentia ſunt tranſcripta, nempe de cognominibus Regum apud quaſdam nationes. Tum ipſius Plinij uerba lib.*

ba li.7. cap.53. in caſtigatis editionib. hodie ita habẽt: Nullis euidentib. cauſis obiere, dũ calceantur matutino duo Cæſares, prætor et prætura perfunctus Dictatoris Cæſaris pater: hic Piſis exanimatus, ille Romæ.

Pag. 4. Verſ. 18.

4 Octingẽta cepit oppida, trecẽtos ſubiugauit populos: aduerſum trecentas inſtructus myriadas, centum quidem ferro cæſis, totidem uitæ reſeruatas captiuas habuit.) *Dicerem depraua tam poſteriorem huius periodi partem, adeò eſt ambigua: niſi totidem ſyllabis legerẽ in uita Cæſaris apud Plutarch. uerſa ſiue per Angelum Scarparinum, ſiue Guarinum Veronẽſem. Mihi uidetur ſenſus hic eſſe: Bello duntaxat Gallico, de quo nunc autor loquitur, per annos nouem Cæſarem diuerſis locis ac temporib. armatũ contra hoſtes pugnaſſe, ut ij una in ſumma collecti conſtituant tricies centena hominum millia: atq; ex ijs decies centena millia occidiſſe, totidemq; fecíſſe captiua. Conſentit ferè id quod ipſe Cuſpinianus ſuprà initio huius Iulij, uerſ. 18. ex Plinij loco paulo antè citato attulit, de numero occiſorum in prælijs per Cæſarem, extra ciuiles uictorias. Malo tamen, ut Lector Græcum Plutarchi codicem conſulat.*

Ibid. uerſ. 21.

5 Cum contra Heluetios (quos Squados etiam uocari Eutropius aſſerit) ſuo ſeculo Tugurinos, Neruios, Sicambros, Sueuos, Heduos, Germanosq; exercitũ duxit, bellaq; generoſiſsima confecit.) *Dubium nõ eſt, parentheſim hic demum poſt ſeculo claudendã: nec* Squados. *ſed* Quados *legendum eſſe: quia Heluetijs priſcis iam deletis, Quadi natio Germanica horũ ſedes, ipſa Eutropij ætate (quæ fuit circa annũ ſalut.* CCCLXX, *Valente, Gratiano & Valentiniano Imperatorib.) tenebat: qua de re pulchrè doctiſsimus Alciatus in Annotat. ſuper lib. 7. Cornelij Taciti, & pluribus idem pertractat diligẽtiſsimus ille patriæ ſuæ illuſtrator Io. Rhellicanus Tigurinus, in Annot. in lib. 1. Comment. Cæſ. de bell. Gall. Faciuntq; hi unà cum Cuſpiniano, ut planè mihi perſuadeam, hodie in nouiſsima Eutropij editione, cui Antonius Schonhouius nũcupationem præfixit, uocem* Quadi *temerè eſſe mutatam in* Sequani. *Porrò & in exordio huius periodi liquet, pro* Cum *legi oportere* Tum: *ite* Tigurinos, *pro* Tugurinos. *ac præterea ſuſpicor ego à Cuſpiniano ſcriptum fortè non generoſiſsima bella, ſed grauiſsima, ſcilicet iuxta ipſa Eutropij uerba. Mirandũ uerò, hic Hædionem adeò nõ aduertiſſe animum, ut Eutropij ſenſum non agnoſceret, & Heluetijs eos annumeraret populos, quorum pars tam longè ab ijs aberat, quàm ſunt ipſi Heluetij à Roma.*

Ibid. uerſ. 47.

6 Nam cum homines nimios in ſe reciperet, conflauit in ſe odium.) *Sequentia clarè oſtendunt, autorem non ſcripſiſſe* homines, *ſed* honores: *idq; ſumptũ eſt ex Suetonij cap. 76. Iulij Cæſaris, ubi is ita inquit:* Nõ enim honores modò nimios recepit, ut continuum Conſulatum, perpetuam Dictaturam, præfecturamq; morum, inſuper prænomẽ Imperatoris. *Sic & in Claudio cap. 12. idem Sueton. inquit:* Ac in ſemet augendo parcus atq; ciuilis, prænomine Imperatoris abſtinuit, nimios honores recuſauit. *Pag. 6. altero Auſonij hexametro, pro* geſta, *legi debet* geſtum: *item initio alterius pentametri,* perculit, *pro* pertulit, *iuxta caſtigatiores eius poetæ codices.*

EX OCTAVIANO AVGVSTO.

Pag. 6. Verſ. 43.

7 Exprima uxore Ancharina Octauiam maiorem, ſed & minorem Octauiam filias tulerat: ex altera Actia, & hunc Auguſtum filium.) *Vt nemo eſt Cuſpiniano in Genealogijs diligẽtior, credo non eius per inſcitiam, ſed potius phraſim non ualdè anxiam, & librarij prauam diſtinctionem, erratum hic irrepſiſſe. Sueton. cap. 4. ita hæc narrat: Pater obijt ſuperſtitib. liberis, Octauia maiore, quam ex Ancharia: & Octauia minore, item Auguſto, quos ex Accia tulerat. Cõueniet Cuſpinianus, ſi ita eius uerba legãtur:* Ex prima uxore Ancharia Octauiam maiorem, ſed & minorem Octauiam, filias tulerat: ex altera Accia, & hunc Auguſtum.

Pag. 7. Verſ. 38.

8 Contra eundẽ & Actiacum, circa promontorium Actium: ultimum Philippẽſe, ſecundum in cãpis Philippicis cõtra Brutum.) *Sunt hæc uitioſe diſtincta, atq; hoc modo ordinanda:* Circa promõtorium Actium ultimũ, Philippenſe ſecundum, &c. *Fuit enim Actiacis bellorũ Auguſti ciuilium nouiſsimum. Eſt uerò totus hic locus decerptus ex Sueton. Auguſto, ca. 9. id quod hac pag. V. 9. præcedit de adoptione per Octauianũ de more priſco ſuſcepta apud Prætorẽ C. Antonium: itidẽq; quod inferius V. 32. narratur, quomodo Octauianus perfectis ſacris ſe iterũ parẽti in adoptionem dederit lege* Curiata (*ſic enim pro* Curiatia *legẽdum eſt*) *intelliges cõmodè ex Auli Gellij cap. 19. libri 5. Noct. Attic. & Alciati Parergon lib. 9. cap. 5. Sanè interpretes Suetoniani ca. Auguſti 65. ubi locus eſt de adoptione lege Curiata facta, quiduis potius quàm hæſitantẽ lectorẽ expediunt. Quòd uerò idẽ Alciatus ueterẽ illũ morẽ rogationũ (ſcilicet quo ea adoptionis ſpecies, quæ arrogatio dicitur, nõ niſi per populi rogationẽ, lataq; lege fieri poterat) cẽſet iam olim tẽpore Tyberij Imp. exoleuiſſe, ita cõceſſerim: ut tamẽ adijciam, Neronẽ quoq; à Claudio Imp. rogata lege adoptatũ, inq; familiam Claudiorum & nomen Neronis tranſiuiſſe. quod diſertè commemorat Corn. Tacitus Annalium lib. 12. Quin et Galba iam Imp. apud eundem lib. 17. Piſonem ita alloquitur: Si te priuatus lege Curiata apud Pontifices, ut moris eſt, adoptarẽ.*

Verſu 32. huius pag. nõ tricenos, *ſed* trecenos *legi oportere, probat Sueton. in fine capitis 83. Iulij Cæſaris. Quantum autem ſit diſcrimen inter* trecenos

cenos, *ac* trecenos, *docuimus nos in Annotationibus in eundem Suetonij Iulium, cap.* 38.

Pag. 8. uerſ. 47.

9 Sueuos, Cattosq; & Sicambros in Gal liam tranſtulit (ut uerbis utar Aurelij Sex.) & in proximis Rheno agris collocauit, ut Tranquillus narrat.) *Apud Sex. Aurelium poſt* Cattosq;, *ſequitur uerbũ* deleuit: *& prætermiſſum id hoc loco ab amanuenſe, ſatis arguit enclytica* q;, *propè abſq; hoc otioſa. Suetonius tamen cap.* 21. *Auguſti, narrat, ex Germanis bello ultra Albim fluuium ſummotis, Sueuos & Sicambros, dedentes ſe, traductos in Galliam, atq; in proximis Rheno agris collocatos. De numero eorum qui traducti fuêre, eo in loco, Sueton. non meminit, ſed in Tyberij cap.* 9. *ita ſcriptum reliquit:* Exhinc Rhœticum Vindelicumq; bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum geſsit. Rhœtico atq; Vindelico gentes Alpinas, Pannonico Breucos & Dalmatas ſubegit: Germanico quadraginta milia dediticiorum traiecit in Galliam, iuxtaq; ripam Rheni ſedibus aſsignatis collocauit. Verùm ſanè *Eutropius lib.* 7. *non* quadraginta, *ſed* quadringenta *captiuorũ milia translata fuiſſe, his uerbis memorat:* Vicit autem prælijs Dacos, Germanorũ ingentes copias cæcidit, ipſos quoq; trans Albim fluuium ſubmouit, qui in Barbarico longè ultra Rhenũ eſt. Hoc tamẽ per Druſum priuignum adminiſtrauit (ſicut per priuignum alterum Tyberium, Pannonicum) quo bello CCCCC milia captiuorum ex Germania tranſtulit, & ſupra ripam Rheni in Gallia collocauit. *Mihi Eutropij numerus tum ſincerior uidetur, ut qui notis ſcriptus numeralibus, non ita facilè quàm Suetonij integra dictio potuit deprauari: tum & uero propior eſſe, quòd omnibus hiſtorijs atteſtantibus notum ſit, Germanicas olim nationes maximo ſæpe numero in omnes terras ultrò demigraſſe, ac præſertim Galliæ fertilitati ſuperato Rheno ſubinde incubuiſſe. Quid quòd demum per Carolum Magnũ decem milia Saxonum, unà cum uxorib. ac liberis in Galliam tranſportata fuere? Equidem Io. Rhellicanus apud Sueton. perinde ut Eutropium, legit de quadringentis milibus captiuorum in Galliam traductis.*

Infrà autem Verſ. 9. *Pag.* 9. pro raptæ, *uidetur legendum* captæ.

Pag. 10. *uerſ.* 17.

10 Minimi enim erat cibi, & uulgaris, ui ni aũt parciſsimus.) *Quum apud Sex. Aurel. legerem,* Cumq; eſſet cibi ac uini multi, *aliquatenus uerò ſomni abſtinens, &c. putabam hic fortè pro* mini mi *ſcribendum eſſe* nimij. *Cæterùm ubi à Suetonio cap. huius Auguſti* 76. *diſertè ita ſcriptum uidi,* cibi minimi erat, atq; uulgaris ferè. *& cap. ſeq.* ui ni naturà parciſsimus erat: *ſtatim deprehendi non hic Cuſpiniano, ſed ipſi Aurelio ſuccurrendum, eumq; ita reſtituendum eſſe:* Cumq; eſſet cibi ac uini non multi, &c. *Requirunt hanc negationis ſuppletionem, & quæ ipſum apud Aurelium ſtatim ſequũtur, ſcilicet:* ſeruiebat tamẽ libidini uſq; ad probrum uulgaris famæ. *Namq; iuxta paræmiam, medijs deſumptam è Phyſicis natum eſt, ſine Cerere & Baccho frigere Venerem. Quem mox de Auguſti oculis citat Plinij locum, is extat lib.* 11. *cap.* 36. *Meminit eiuſdem rei & Cælius Rhodiginus libro* 15. *capite* 11.

EX TYBERIO.

Pag. 15. uerſ. 32.

11 Ne ulla ſedes mortuo nec inter impios diceretur.) *Vt nihil dubito pro* diceretur, *legendũ eſſe* daretur: *ita non facilè dixerim, an pro* nec, reponi debeat nisi, *quemadmodum eſt apud Sueton. cap* 75. *his quidẽ uerbis: Morte eius ita lætatus eſt populus, ut ad primum nuncium diſcurrentes, pars (Tyberium in Tyberim) clamitarent: pars terram matrẽ, deosq; manes orarent: alij uncum & Gemonias cadaueri minarentur. Interpretes agnoſcunt hanc lectionem, ut genuinam. At ſi iuxta gentilium priſcam perſuaſionem paulo accuratius hanc rem expendas, non multo ineptiorem, certè non prorſus explodendam cenſebis Cuſpiniani lectionem. Equidem L. Apulcius in lib. de Deo Socratis, locutus de Dæmone & Genio, ſuperadijcit: animum humanum exutum corpore, & liberum uitæ ſtipendijs, fieri Genij ſpeciem, uetere lingua Latina Lemurem dictum. Ex hiſce aũt Lemuribus, inquit, qui poſteriorũ ſuorum curam ſortitus, pacato & quieto numine domum poſsidet, Lar dicitur familiaris. Qui uerò propter aduerſa uitæ merita, nullis bonis ſedibus in terra uagatione, ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterùm noxium malis, hunc pleriq; laruam perhibent: cum uerò incertum eſt quæ cuiq; eorũ ſortitio euenerit, utrum Lar ſit, an Larua, nomine Manem deum nuncupãt, & honoris gratia Dei uocabulum additum eſt.* Hæc Apuleius. *E' quibus fit perſpicuum, ſceleratos aliquando nec ad impiorũ ſedes admitti, ſed uagatione perpetua puniri.* Hoc ſupplicij genus fortè Romanos Tyberio iam mortuo imprecatos, *innuunt ſanè quædam Sueton. uerba: nempe dum ait,* quòd pars terram matrem rogaret, *quaſi optarẽt Tyberium ab ea nuſquã recipi, nullaue prorſus ſede dignari. Item quòd* pars Tyberium in Tyberim clamarent: *nimirum idem precantes, alludentesq; ad morem illum patrium, quo parricida, iuxta L. Pompeiam (ut recitat Iuſtinianus noſter lib.* 4. *Inſtitut.) neq; gladio, neq; ignib. neq; ulli alij ſolenni pœnæ ſubijciebatur: ſed inſutus cũculeo, cum cane, gallo gallinaceo, uipera & ſimia, & inter eas ferales anguſtias comprehenſus, ſecundum quod regionis qualitas ferret, uel in uicinum mare, uel in amnem proijciebatur: ut omnium elementorum uſu & uiuus cærere inciperet, & ei cœlum ſuperſtiti, terra mortuo auferretur. Nolim tamen contra uulgatam illam alteram Suetonij lectionem, eius ue interpretes quicquam adfirmare pertinacius. Interpres, ut hic in uerbo* diceretur, *mendam apertiſsimam non potuit non uidere, ita Pag. præcedenti, uerſ.* 12. *quod ſcribitur,* iudices religionis ac noxæ adhorta-

tus, *ineptè transtulit. Germanum uerò Cuspiniani sensum eo in loco clarius colligere licet ex Suetonij cap. 33. huius Tyberij.*

EX CAIO CAESARE.

Pag. 17. *uers.* 31.

12 Caliguleq; nomen conuicium & probrum esse nonnunquam existimabat.) *Qui alumnus legionum dici uoluit, qui Caius salutari ægrè tulit, qua causa quæso Caligulæ nomen probrum duxit? Videbatur itaq; hic pro* nonnunquam, *rectius legi* non unquam: *quasi qui Caligulæ nomen nunquã abhorruerit. Sed sæui ac superbi principis hæc erat uæsana inconstantia, quæ clarius liquet ex ipso Seneca, sub finem lib. 2. de Tranquillitate uitæ. Eius uerba, quia & sequẽtis periodi explent malè omissam uocem* iratus, *huc adscribam: At idem Caius, inquit, omnia contumelias putat: & fuit ferendarum impatiens, faciendarum cupidissimus. Iratus fuit Herennio Macro, qui illum Caium salutauerat: nec impunè cessit primipilario, quòd Caligulam dixerat. Hic enim in castris natus, & alumnus legionum uocari solebat, nullo nomine militibus familiarior unquam factus: sed iam Caligulam conuicium & probrum iudicabat. Hæc Seneca.*

Ead. pag. *uers.* 39.

13 Se alere natricem & phytonem sibi & po.Ro.) *Ita hæc fuisse scripta ipso ab autore, neq; ullam subesse amanuensis culpam, satis probant sequentia. At hercle Sueton. cap. 11. scribit, Tyberium aliquoties prædicare, exitio suo, omniumq;, Caium uiuere, & se natricem populo Romano, Phaetontem orbi terrarum educare. Et sanè hæc multo dicuntur concinnius, nimirum Romanis serpentem domi, & quasi in sinu educari: externis uerò omnibus commune incendium. Inciderat opinor Cuspinianus in corruptum Suetonij codicem, nec aduerterat idem bis propemodum dici, si* Phytonem *legamus. Nam & Pytho serpentis genus est, à quo occiso Apollinem quidam censent cognominatum Pythium. In hoc autem eo facilius labi potuit Cuspinianus, quòd patrum memoria, seculo minus adhuc literato, Phyton dici scribiq; passim solebat. Et hinc etiam Phytonissa, pro diuinatrice muliere, in Decretis 26. q. 3. c. Igitur. ex Augustini libro de Natura dæmonum, ualgò legitur: cùm Pythoisa legi oporteat: quemadmodum Alciatus libro 2. Parergon, cap. 41. eundem in libris de ciuitate Dei scripsisse asserit. Mox autem Vers. 45. ubi scribitur,* Tyberio gemello solum, &c. *uidetur τὸ* solum *superfluum esse, nec succurrit quid pro eo substitui possit commodè. Suetonius capite 14. hanc rem ita eloquitur: Irrita Tyberij uoluntate, qui testamento alterum nepotem suum, prætextatum adhuc, cohæredem ei dederat, ius arbitriumq; omnium rerum illi permissum est.*

Pag. 10. *uers.* 6.

14 Claudiam appellat Tacitus, quam cõiugio accepisse scribit. Auo Tyberio Capreas discedenti.) *Hæc distinguuntur perperã, & apud Tacitum circa medium lib. 5. aptius his uerbis extant: Sub idem tempus C. Cæsar discedenti Capreas auo comes, Claudiam M. Syllani filiam coniugem accepit, immanem animum, &c.*

Ibid. *uers.* 37.

15 Hanc omnino ex se genitam, illo demonstrauit argumento, quòd ueritatẽ paternam imitaretur.) *Quis obsecrò hic ambigat, legendum esse* feritatem: *tum ipsis ex Caligulæ moribus sæuissimis, tum ex mox sequentibus. Hædio tamen* ueritatem *agnoscens, uix adeò uerum sensum extorsit. Narratio autem hæc sumpta est ex Suetonij cap. 25. Caligulæ.* Pag. *præcedenti, uers. 45. pro* Iannanis, *lege* Lamianis: *ut cap. 58. habet idem Suetonius.*

EX CLAVDIO CAESARE.

Pag. 22. *uers.* 40.

16 Quem puberem amisit, iactu piri crudeliter.) *Videtur à librario prætermissum hic uerbum* enecatum, *aut aliud consimile. Sueton. cap. 27. huius Claudij, ita hanc rem narrat: Drusum Pompeium puberem amisit, pyro per lusum in sublimè iactato, & hiatu oris excepto strangulatum, cui & ante paucos dies filiam Seiani despondisset. Quo magis miror fuisse, qui traderent, fraude à Seiano necatum. Claudiam ex liberto suo* Botere *conceptam, quamuis ante quintum mensem diuortij natam, aliq; cœptam, exponi tamen ad matris ianuam, & nudam iussit abici. Hæc Suet. Quæ omnia ideo retuli, quòd hoc loco Cuspiniani codex malè sit distinctus. Mox uers. 49. pro* adulterij, *lege* adulterijs, *iuxta Sextum Aurelium.*

Ibid. *uers.* 52.

17 Vt magis uideretur sub Imperatore uiro, quàm Imperatori nupta esse.) *Vt semper suspicatus sum hic mendæ aliquid subesse, quanquam planè totidem syllabis extet apud Sext. Aurelium: ita pòst inueni, doctissimum uirum Philippum Beroaldum in Commentarijs super caput uigesimumsextum Claudij Cæsaris apud Suetonium, legere non* uiro, *sed* uir. *Confirmatur hæc lectio per ea quæ statim subijcit Aurelius, inquiens: Ita liberti eius potestatem summam adepti, stupris, exilio, cæde, proscriptionibus omnia fœdabant. Hædio sensum uerteudo hic reddidit alium, sed quem nusquam præferunt ipsa Cuspiniani uerba.*

Pag. 23. *uers.* 16.

18 Iurauit dehinc se permansurum in coelibatu Claudius, sed durauit minimè. Nam qui se præturam abdicare coactus, moriq́ue initio anni iussus est.) *Tam fœdè & insulsè hic locus ab amanuensi confusus est, ut quiuis facilè perspiciat, non esse sincerum. Quãdo enim Claudius coactus est se prætura abdicare: quando initio anni mori iussus? Ex Cornelij Taciti libri 12. initio apertè colligitur, hunc totum locum ita in le-*

g itimam

gitimam seriem reducendum esse: Nam pater duorum liberorum tulit ex hac Messalina filiam Octauiam, quam primò L. Syllano desponsatam, qui se prætura abdicare coactus, moriq; initio anni iussus est: & filium, quem primo Germanicum, mox Britannicum nominauit. Iurauit dehinc se permansurum in cœlibatu Claudius, sed durauit minimè. Nam consilio Narcissi Aeliam Petinam, &c.

Ibid. uers. 44.

19 Claudius irrisæ priuato in tempore uitæ, In regno specimen prodidit ingenij.) Ausonij codices quidam habent, irrisus. Videri posset etiam priuatæ legendum esse, pro priuato. Vsitatius enim dici opinor priuatam uitam, quàm priuatum tempus. Sed Ausonio hanc dicendi formam fuisse quasi familiarem, liquet infrà ex tetrasticho in Vespasianum. Operæprecium uidetur etiam ex Eutropij codice in hoc ipso Claudio labeculam paucis tollere. Legitur in eo hunc ad modum: Hic Mediæ imperauit. Tu lege mediè: ut euidenter postulant ea quæ ipse Eutropius continua uerborum serie subijcit, inquiens: Multa gerens tranquillè atq; moderatè, quædam crudeliter atq; insulsè. Vtitur aduerbio mediè & Corn. Tacitus, lib. 17. Et patrum, inquit, fauor aderat, multi uoluntate effusius, qui noluerant mediè, ac plurimi obuio obsequio priuatas spes agitantes sine publica cura.

EX NERONE.

Pag. 24. uers. 13.

20 Hic Domitius ex Antonia maiore filia Octauiæ & Antonij genitus, & apud amitam Lepidam enutritus.) Apparet hic aliquid desiderari, à librario prætermissum. Nam ipse Claudius Nero non ex Antonia, sed Agrippina matre natus fuit (quod & ipse narrauit autor) & eius pater Domitius Antonia quidem natus, sed non educatus unquam apud amitam Lepidam. Fortassis igitur hoc modo locus à uitio uendicandus fuerit: Hic Domitius ex Antonia maiore filia Octauiæ & Antonij genitus fuit: ex hoc uerò Claudius Nero natus est, & apud amitam Lepidam, &c.

Pag. 25. uers. 30.

21 Eoq; progressus est, ut neque aliorum pudicitiæ parcens.) Iuxta Sex. Aurelium hæc ita restitues: Eoq; progressus est, ut neq; suæ, neq; aliorum pudicitiæ, &c.

Pag. 27. uers. 32.

22 Aeneadum generis qui sextus & ultimus heros.) Sic in omnibus quidem legitur Ausonij, quæ ego uidi, exemplaribus. Sed quis credat, Neronem hunc, omni probro inquinatissimum hominem, uel potius hominis monstrum, ab argutissimo Poeta dignatũ fuisse heros nomine? Haudubiè germana est lectio, hæres: quoniam hactenus domus Iulia, quæ Iulium Aeneæ filium præferebat autorem, continua successione tenuit imperium, atque in hoc Nerone, ultimo scilicet hærede, defecit. quod Cuspinianus statim ipse ex Plinio & Suetonio clarius commemorat.

EX GALBA.

Pag. 28. uers. 50.

23 Inter Quindecimuiros, sodalesq; Titios, item Augustales coaptatus.) Hæc ex Sueton. Galba cap. 8. trãscripta sunt: sed is in quibusdam codicib. habet, cooptatus: quæ uerissima uidetur lectio. Neq; annotassem hoc, ut nimis minutũ & apertum, nisi tot alijs in locis apud Sueton. adeoq; Io. Ludouicum Viuem, auctario uitæ C. Iulij Cæsaris, coaptatus legerem: qui se de industria Suetonij phrasim eo scripto imitatũ profitetur. Sed quicquid sit, ego hercle tribuenda ea omnia librariorũ culpæ censeo.

Pag. 29. uers. 7.

24 Proditurus est ex Hispania Imperator.) Hæc præcedentibus rectius conuenient, si maiuscula ab illis disiungas, atq; accipias tanquam ipsa carminis fatidici uerba, quemadmodum & Suetonius sub finem cap. 9. ea refert: Oriturum quandoq; ex Hispania principem dominumq; rerum. Pag. ead. uers. 47. qui libertus Itellus nominatur iuxta Sueton. is Tacito Hycellus, & Sex. Aurelio Cælius est. Taciti uocem opinor esse castigatissimam, ut quia alicubi & in Suetonij margine additũ sit Icellus.

Pag. 30. uers. 1.

25 Rarò libertatem in ciues Romanos exhibuit.) Non modò ex Suetonio & Tacito notissima est Galbæ auaricia, sed & mox sequentia clarè ostendunt hic legendum esse liberalitatem.

Mox V. 21. ante suspectos, *insere particulã* ut.

EX OTHONE.

Pag. 31. uers. 28.

26 Libertinam Aulicamanum amauit.) Inauditum hoc mulieris nomen cum esset, statim habebam suspectum, ac ueram lectionem ex Suetonio cap. 2. Othonis uenatus sum, qui ita habet: Post patris deinde mortem libertinam aulicam gratiosam, quò efficacius coleret, etiã diligere simulauit, quamuis anum, ac penè decrepitam. Hædio tum hic, tum superiore loco, amanuensis hæc quamuis crassa errata facilè pertulit. Paulo inferius uers. 36. item 40. clariora erũt omnia, si post uxorem, & post esset, periodos puncto non finias: & pro nec, legas ne.

Pag. 32. uers. 3.

27 Qui se nec principem uiuere non posse asseruit.) Ex Suetonij cap. 5. euidenter liquet, pro nec legendum hic esse nisi. Inquit ille: Neq; enim dissimulabat, nisi principem se stare non posse: nihilq; referre ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Sic & Iulium Cæsarem reputantem magnitudinem æris alieni, cùm mane ad comitia descenderet, idem scribit Suetonius, prædixisse matri osculanti, domum se nisi Pontificem non reuersurum.

Ibid. uers. 9.

28 Distulit tamen in sextum diem Pisonis adoptionem.) Quum constet, Pisonem nõ ab

Othone, sed Galba adoptatum, ipsum uerò Galbam per Othonem occisum 18. Cal. Febr. quum Pisonis adoptio iam antè facta esset 4. Idus Ianuar. ut ea omnia sigillatim narrat Tacitus: sequitur hic legi oportere, in sextum diem post Pisonis adoptionem: quomodo & Hædio uertit. Et desumpta hæc fuisse ex Tacito, apparet ex eo, quòd statim, iuxta eiusdem narrationem, de ædibus antiquis inspiciendis per Othonem subijcit: quum Suetonij historia de ædibus uænalibus loquatur.

EX A. VITELLIO.

Pag. 33. uers. 54.

29 Nobis hęc flamma illuxit.) Sueton. cap. 8. huius Vitellij, habet alluxit: idq; ferè significantius est. Deinde Pag. 34. uers. 9. pro promptiora, lege propiora, iuxta Tacitum in lib. 18. &c.

Pag. 35. uers. 40.

30 Quasi paratũ ad scelus uenenum habuisset.) Potuit & hoc fortassis certo iudicio, nullaq; ueri mutatione ita scripsisse Cuspinianus: sed tamen lectorẽ ignorare nolim, apud Sueton. cap. 6. extare hæc uerba: & quasi paratum ad scelus uenenum ex conscientia hausisset. Pòst Vers. 49. pro tulere, lege detulere. Deniq; obseruandum, quum uulgò Ausonij exemplaria priore Pentametro tibi habeant, Cuspinianum legisse sibi: meo quidem iudicio longè conuenientius. quasi eo epiphonemate, Sic sibi fata placent, Poeta diceret: Sic ludunt fata seu fortuna in rebus humanis, ut etiam indignissimos aliquando ad imperij culmen euehant.

EX VESPASIANO.

Pag. 36. uers. 36.

31 Tricies & bis cum hoste conflixit.) Suetonius in hoc Vespasiano cap. 4. Initio, inquit, tricies cum hoste conflixit. Sed ne quispiam erratum aliquod hic subesse putet, sciendum, ab Eutropio narrari, tricies & bis eum in Germania Britanniaq; cum hoste conflixisse. Vtrôbi ueritas sit, parum ego compertum habeo. Vt Suetonius fuit Vespasiani temporibus propinquior, eoq; dignior fide: ita uicissim procliuius multo, in eius codice omitti, quod scriptum oportuit, quàm in Eutropio quicquam adijci.

Pag. 36. uers. 46.

32 Thraciam, Ciliciam, & Comagenem ditionis regiæ usq; ad id | tempus, in prouinciarum formas redegit.) Extant hæc apud Suetonium totidem uerbis, adeoq; syllabis, in Vespasiano cap. 8. quo loco interpretes tã muti sunt, quàm pisces, quod dici solet. Sext. Aurelius in Vespasiano ita habet: Syria seu Palæstina, necnon Cilicia, Trachęa & Comagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, prouincijs accessere. Eutropius uerò inquit: Item Thraciam, Ciliciam, Trachęam Comagenem, quæ sub regibus amicis erant, in prouinciarum formam redegit. Apud Eusebium in Chronicis, anno sexto Vespasiani, ita extat: Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, Thracia, Sicilia, Comagene, quæ liberæ antea, & sub regibus amicis erãt, in prouincias redactæ. Ego quum ignarus non essem, apud Am. Marcellinum lib. 27. extare, post aliquot Thraciæ nationes à compluribus Romanis ducibus tentatas & domitas, tandem sub Lucullo Thracias omnes in ditionem Romanorum conceßisse: mirabar equidem, quid Vespasiano in eadem belligerari necesse fuisset: & uerbum Thraciam, hisce omnibus in locis statim suspectum habebam, neq; tamen melius quicquam adferre poteram, donec apud Strabonem libro 14. Geographiæ, Ciliciam quæ extra Timaum est, diuidi in Ciliciam Trachęam & Campestrem uiderem. Depingit uerò ille utriusq; terminos: tum & hoc adijcit, quòd Trachea etiam aliquando Tracheotis uocetur, & incolæ Trachęotæ. Scribit idem initio lib. 12. Trachęam Ciliciam ab Archelao duodecimam Cappadociæ additam præfecturam. Hinc autem satis conijciebam, in locis iam suprà citatis omnibus, dispungi oportere mendosas uoces Thraciam & Siciliam, citraq; distinctionem aliquam legi Ciliciam Trachęam, aut Trachęam Ciliciam. Cùm tamen apud Sueton. cap. 37. in Tyberij uita legerem, etiamnum ipsius Tyberij tempore suum Thraciæ fuisse regem, scilicet Rhascypolin, siue Rhescuporim, ut de eodem Corn. Tacitus lib. 2. rem omnem plenè narrat, quasi demum sub Vespasiano fortè tota ea regio in prouinciæ formam transierit: subdubitabam, an nõ saltem apud Eutropium uox Thraciæ esset relinquenda, ut qui suprà quoq; Ciliciam Trachęam eandem habeat. Sed coniecturas nostras facilè postea confirmauit locus Alciati nostri, in quem aliud agens incidi, nempe lib. 1. Prætermissorum, ubi tum ex castigatiore S. Aurelij codice, quàm meus est: tum certa illa ratione, quòd teste ipso Eusebio, Thracia anno 6. Claudij electis regib. in prouinciæ formam erat iam redacta, Suetonij mendam dispungit, & pro Thracia Cilicia reponit iunctim Trachea Cilicia. Neq; tamen quas iam coniecturas ipse conscripseram, delendas censui: quæ saltem candido lectori ipsæ quoq; testificabuntur, pro uirili nostra nos eniti, quò sua ubiq; bonis autoribus sit incolumitas.

Pag. 39. uers. 15.

33 Tentatis & agitatis minutis alui lubricæ monitionibus.) Nemo unquam (puto) dixit alui monitiones, hoc quidem sensu, quem statim sequentia exigunt. E Suetonij Vespasiano in promptu est, ueram lectionem asserere. Inquit ille cap. 24. quo morbum eius fatalem describit: Consulatu suo nono tentatus in Campania motiunculis leuibus, ac protinus urbs repetita. Cuspiniano, ut medico, magis arrisere ibidem Philippi Beroaldi Commentatoris uerba, qui has leues motiunculas exposuit, pro minutis alui lubricæ motionibus. Librarius Cuspiniani, siue indoctus, siue oscitans, mutauit tandem in monitionibus. In Tito Vespasiano mendæ sunt paucæ, adeoq; manifestæ, ut ultrò Lectori etiam semidocto pateant.

EX DO-

EX DOMITIANO.

Pag. 42. Vers. 46.

34 Adolescentiæ tempora tanta inopia ob infamiam gesit.) *Opinor legi debere* & infamia: *ita enim habet Sueton. in* Domitiano, *cap. 1. è quo reliqua tota hæc periodus ad uerbũ est decerpta.*

Pag. 43. Vers. 40.

35 Histrionibus cœnam interdixit.) *Quis ex re ipsa quæso hic non statim intelligat, legendum esse* scenam? *Vt taceam ita extare apud Suetonium cap. 8. Ideoq; nunquam hoc attigissem, nisi & Hædio cœnam miseris eripuisset histrionibus. Haud multo in histriones mitior fuit Tyberius, qui, ut eius cap. 34. idem scribit Suetonius, ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum resciſsis.* Mox *pag. 44. uers. 2. pro* Daluidieno Orsico, *iuxta eundem Sueton. lege* Saluidienum Orficum. Et *pag. 45. in Ausonij carmine*, æternum, *pro* extremum.

EX COCCEIO NERVA.

Pag. 45. Vers. 24.

36 Cùm uerò in Curia à Senatu gratanter exceptus est, solus ex omnibus Arrius Antonius, uir acer, eiq; amicissimus, conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, gratulari se ait Senatui & populo, prouincijsq;, ipsi autem nequaquã. Cui satius est, malos semper principes eludere, quàm tanti oneris uim sustinentem, aut molestijs modò, aut periculis subijci. Sed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum esse obnoxium, qui cum se mereri omnia præsumant, si non quod concupiuerit extorqueant, atrociores hostibus fiunt.) *Hac in Periodo mendam subesse, nimirum in clausula*, aut molestijs modò, aut periculis subijci, sed famæ etiam inimicorum, &c. *facilè ab unoquoq; animaduertitur: sed germana lectio non nisi per eum facilè restitui potest, qui Sext. Aurelium, è quo hic locus totus desumptus est, inspexerit. Eius uerò autoris uerba in Frobenio-rum editione magna ita habent: Qui cum in curia à Senatu gratanter exceptus esset, solus ex omnibus Arrius Antonius uir acer, eiq; amicissimus, cõditionem imperãtium prudenter exprimẽs, amplexus eum, gratulari se ait Senatui & populo, prouincijsq;, ipsi aũt nequaquam: cui satius fuerat malos semper principes eludere, quàm tãti oneris uim sustinentẽ, nõ molestijs modò & periculis subijci, sed famæ etiã inimicorũ pariter & amicorũ: qui cũ se mereri omnia præsumũt, si quicquã nõ extorserint, atrociores sunt ipsis quoq; hostib.* Porrò *nec illud hoc loco cõmonere piguerit, cum Sex. Aurel.* (*quẽ præceptor noster & amicus honorãdus* IO. SICHARDVS, *tã literarũ humaniorum & linguæ Romanæ, quàm iuris utriusq; insigniter doctus, aliquãdo emisit in lucem, pòst alijs in locis sæpe recusus*) *ita habet*, aut molestijs modò & periculis, &c. *uidetur natiua fuisse lectio*, haud molestijs modò & periculis, &c. *deinde à librario quopiam dictãtis aspirationẽ haud satis perci piente, deprauata: ita ut castigator Frobenianus, negationis particulã, quã locus omnino postulat, rectè quidem reposuerit, sed nõ eam ipsam quæ ab Aurelio scripta fuerat. Et hæc cõiectura est. Quia alia quædam hac in periodo Cuspinianus ab Aurelio uariat, non codicum est uitium, sed Cuspiniani ipsius uoluntas, qui non uno loco sensa eius autoris ita suum in opus trãsposuit, ut uerba uel adderet, uel detraheret.*

Pag. 46. Vers. 6.

37 Ne tamẽ accessu maleuolorum terreretur, Iunij Mauritij cõstantis uiri dicto ita admonetur, ut scribit Aurel.) *Cùm hoc loco mox adulterina et incepta uideretur dictio* terreretur: *& tamẽ in Sichardi nostri Aurelio ob hoc ipsum edito, eandẽ legerẽ: conijciebã utrobiq; legendũ esse* teneretur, *aut* uteretur. *Nõ diu pòst reuidẽs ista, & Frobenianã editionẽ consulẽs, inuenio tereretur. Aptius quidẽ hoc est quàm uerbũ* terreretur: *sed tamen teri aliquẽ accessu maleuolorũ, pro corrumpi, perdurũ est, & uix Latinũ. In Panegyrico ad Constãtium Cæsarẽ, cuius exordiũ est: Si mihi Cæsar post diuturnũ silẽtium, &c. ubi de Frisijs, horũdemq; uicinis ab eo Cæsare domitis, sermo est, lego* obsequijs teritur: *pro eo quod est, seruitiũ sustinet. siue iussa facit, sed istud nihil quidẽ ad locũ præsentẽ. Teneri aũt accessu maleuolorũ, ita proculdubio dixit Aurelius, quẽadmodum dicimus, Teneri ludis, põpa. spectaculis, studijs his aut illis, pro delectari, gaudere. Sic Iustin. lib. 11. loquẽs de Alexãdro Magno: Post deuictum Darium, inquit, militib. quoq; suis permisit, si quarũ captiuarum consuetudine tenerentur, ducere uxores. Vel exponi potest hoc loco* teneretur, *pro obnoxius & addictus esset. Sed prior sensus noster & simplicior est, & huic loco multo omniũ conuenientissimus.* Mauricus *aũt legendum esse hic, pro* Mauritius, *tũ ex multis Plinij epistolis deprehẽditur, tum maximè ea quæ lib. 4. ad Sempronium Rufum ita incipit: Interfui principis optimi, &c. Et quia is Plinij locus praua distinctione, iuxta Cratandri quidẽ editionem, in sensum lõgè alium detortus extat, quàm hic Cuspinianus rectè narrat: nõ piget huc totum adscribere, quò alter alteri uelut Commentarij uicem exhibeat, lucemq; inferant. Quum sententiæ, inquit, perrogarentur, dixit Iunius Mauricus (quo uiro nihil firmius, nihil uerius) non esse restituendum Viennensibus agona: adiecit, Vellem etiam Romæ tolli posset. Constanter, inquis, fortiter. Quid ni? Sed hoc Maurico nouum non est. Idem apud Neruam Imperatorem non minus fortiter: Cœnabat Nerua cum paucis, Veiento proximus, atq; etiam in sinu recũbebat. Dixi omnia, cũ hominẽ nominaui: Incidit sermo de Catullo Messalino, qui luminib. orbatus, ingenio sæuo mala cæcitatis addiderat. Nõ uerebatur, nõ erubescebat, nõ miserabatur. Sæpius à Domitiano nõ secus ac tela, quæ & ipsa cæca & improuida feruntur,*

in optimum

in optimum quenq; contorquebatur. De huius nequitia, sanguinarijsq; sententijs in commune omnes super cœnam loquebãtur. Tum ipse Imperator: Quid putamus passurum fuisse si uiueret, & Mauricus nobiscum cœnaret? Longius abij, libens tamen. Hæc Plinius. In quo postrema uerba quo modo legi oporteat, ex Cuspiniano liquet, nempe ita: Tum ipse Imperator (scilicet, dixit) Quid putamus passurum fuisse, si uiueret? Et Mauricus (intellige, subiecit, seu respõdit) Nobiscum cœnaret: nimirum quia & Veiento, qui delator æquè ac Catullus Messalinus fuit, pernic. osus & infamis, nobiscũ nunc. ô Imperator, hac tua in mensa cœnat. Eundem ad modum refert Eras. Apopht. lib. 8. nisi quòd pro Catullo nominat Catulũ. Putauit fortè Plinianæ editionis præfectus, uerba passurum & cœnaret, non congruere aliter, quàm si ab uno essent prolata: sed profectò minus accuratè ea quæ præcedunt animaduertẽs. Si enim hæc omnia uerba uni Neruæ Imp. tribuantur, quid quæso Mauricus ipse apud Neruã fortiter dixit? Hos ipsos uerò, de quibus diximus, Catullum Messalinum & Veientonẽ etiam Iuuenal. sub finem Satyræ 4. in alba potentiorum, & cum primis pernicioſorum sub Domitiano Cæsare adulatorum recenset, & utriusq; genium falsè depingit. Postremò uerò, cùm in hac ipsa Cuspiniani periodo scribitur multis occultis criminationibus, *legi oportere* multos, *apertius est quàm ut monitionem ullam desideret.*

EX VLPIO TRAIANO.

Pag. 47. Vers. 28.

38 Licet Sex. Aurelius ex urbe Tudertina natum esse scribat, Vlpiumque ab auo dictum, Traianum uerò à Traio paterni generis autore, ac de nomine patris Traiani appellatum.) *Hic quoque uel ipsum Cuspinianum, uel eius amanuensem dormitasse, uerba ipsius Sex. Aurelij apertè cõprobant, quæ quidem in Frobeniana editione longè omnium emẽdatissima sic habent: Vlpius Traianus ex urbe Tudertina, Vlpius ab auo dictus Traius (Sichardi Aurelius perperam uidetur habere Troio: hinc enim Troianus potius quàm Traianus fuisset nominatus) paterni generis autore, uel de nomine Traiani patris sic appellatus. Periodus quoq; à uerbis suprà relatis apud Cuspinianum mox sequens, perperàm habere uidetur,* coniuncto, *pro* coniuncta, *eq; distinctione prauа in rectam ita restituendus, ut sequitur:* Quem dignum principatu fecerunt, morum simplicitas, coniuncta spectatę fortitudini, uno per omnẽ uitam tenore integritas atq; iusticia, ac ualetudo prospera cũ omni uigore, qualis in ætate florentissima est: quæ neq; adolescentiæ impetu effertur audacius, neq; rursum senili languescit tarditate. Secundum enim & quadragesimum annum agẽs, suscepit imperium, ut Eusebio placet, & Dioni: licet Suidas quadragesimo ætatis anno sumpsisse imperium scribat, principem iustum, ac corporis robore præstantem. Vtcunq; tamen sit, hæc ætas imperio digna est. Iuuenis enim princeps nimium audet ac credulus est, senior uerò imbecillis ac timidus. Sed media ætas, quę (teste Hesiodo) optima est, iure conuenit Imperatori, ut Onosander scribit in aureolo illo opere, De eligẽdo Imperatore. *Dion uerò, è quo potissimũ superior periodus desumpta uidetur, sub initium uitæ Traiani, Georgio Merula interprete, ita narrat: Cui integræ ac solidæ uires, robustum corpus, animi uigor, mores generosi ac simplices superessent. Secundũ enim & quadragesimum annum agebat, cùm primùm imperare cœpit. In qua ætate ita ei omnia suppetebant, ut neq; per iuuentutẽ quicquam stultè ac temerè aggrederetur: neque item per senectutem languescente corpore segnis ac timidus à magnis rebus retardaretur.*

Pag. 48. Vers. 28.

39 Studiosus optimi cuiusq;, ac bellicosi.) *Censerẽ* bellicosissimi *ab autore scriptũ, iuxta Latinitatis communẽ usum, ac præcedentẽ superlatiuum* optimi: *nisi prorsus ita extaret in Aurelio. Quanquã & de illo scriptum compendiariè fortassis esse potuit* bellicosiss. *inde à librario minus uel lectum, uel intellectum, & in positiuum detruncatum.*

Ibidem proximè consequitur:

40 Dãt enim ei aliqui uitio nimium rei bellicæ studium, cùm tamen corrigendis augendisq; suis, & hostium euertẽdis rebus nunquam deesset.) *Ne hæc ipsa secum pugnet periodus, & defensio uitij ipsum quoq; adstruat uitium, ego legẽdum putem* tantùm, *pro* tamen. *Et facilè quidẽ hæ duæ dictiones, maiorum uxta morem (qui nec hodie prorsus exoleuit) cõpendiariò scriptæ (hac scilicet forma, tm) solent per indoctos amanuenses corrũpi, & una pro altera perscribi. Quòd si dictio* tamen *rectè legitur, sanè autor ipsenõ satis commodè id uerbis explicuit, quod dicere cogitabat.*

Pag. 49. Vers. 10.

41 Sed nihilominus per ocium à bellis auocabatur à ciuilibus negocijs. Qui sæpe pro tribunali litigantes audiuit, ac ius frequentissimè in foro Augusti ac porticu Liuiæ dixit.) *Aequè hoc perplexum, adeoq; autoris sensui (quem res ipsa palàm ostendit) aduersum est, ac iam proximè relatum. Quid enim autor dicere hoc loco uoluerit, paulò infrà, scilicet uers. 36. alijs uerbis & ipse repetit, ita inquiens: Necquicquam tamẽ per ludos & ocium à bellis, segnior ad ciuilia commoda, &c. Et deprehenditur ex Dione, qui (eodem Merula uertente) hanc ipsam rem copiosius ita narrat: Sed in tãto bellorum studio, & gloriæ cupidine, armorumq; cura, res urbanas nunquam deseruit, ciuiliaq; negocia non minus intentè administrabat. Siquidem studio pugnæ à iure dicendo nunquam auocatus fuit. In Augusti fõro, nunc in porticu Liuiæ, & sæpissimè alibi pro tribunali litigantes audiuit, iudicia q; reddidit.*

Hæc ille.

Hæc ille. Dicerem ego, à Cuſpiniano fortè ſcriptũ, Sed nihilominus per ocium à bellis, uacabat ciuilibus negocijs: niſi ob oculos ipſi in his exarandis obuerſatum fuiſſe uerbum auocari, reliqua tota periodus, ferè ex Merulæ uerſione deſcripta euidẽter oſtẽderet. Stabit quidẽ ſenſus rectus, ſi expones, per ocium à bellis, id eſt, dũ eßet quies armorum, pacisq; tẽpus, auocabatur à ciuilib. negocijs, id eſt, per ciuilia negocia, ſiue ad illa, nẽpe curã da. Sed rudis ea ſanè, & ſcabra admodũ eſt cõpoſitio. Niſi aũt fallor, eſt tota hæc periodus parum aptè in Decibali hiſtoriam immixta, ſiue ipſe autor aberrauit, ſiue bene ſuprà infra'ue adhibitã amanuenſis oſcitantia huc traduxit. Mox uerſ. 18. uidetur iuxta uerbum demoliri, deſiderari uox munitiones, caſtella, aut ſimilis quæpiam, &c.

Ibid. Verſ. 21.

42 Victus eſt, etſi conſcius Traiano uitam & regnum reliquit.) Mendam hoc loco ſubeſſe, ſatis apparet. Videri autem poſſet, pro ſi legendum ſibi. Sed quia mox ſequentia non obſcurè arguunt, hunc quoque locum ex Dione eſſe deſumptum, malo opinari ab autore ita ſcriptum fuiſſe, uictus eſt, & necem ſibi conſciens, Traiano, &c. uel, & inuitus Traiano. Locus enim Dionis ita habet: At Decebalus, cum capta regia, uicina omnis regio in poteſtatem Romani populi uenißet, uſq; ad captiuitatem periclitatus, mortem ſibi conſciuit, cuius caput deinde Romam delatum fuit. Ita Dacia iuris & ditionis Romanæ facta eſt: quam mox Traianus in prouinciam redegit, urbes condidit, & colonos deduxit. Regios uerò theſauros, &c. Porrò quantæ uirtutis, quantæq; gloriæ fuerit Dacicum hoc conficere bellum, præter Hiſtoriographorum monumenta, demonſtrat Plinius quoq; Secundus libro 8. Epiſtolarum, ad Caninium quendam ſuum ita ſcribens: cur enim non adſcribam quòd tum hiſtoriæ præſenti bellè conuenit, tum præceptiones liferato homine non indignas habet?

C. Plinius Caninio ſuo S.

Optimè facis, quòd bellum Dacicum ſcribere paras. Nam quæ tam recens, tam copioſa, tam lata, quæ denique tam poetica, & quanquam in uerißimis rebus, tam fabuloſa materia? Dices, immiſſa terris noua flumina, nouos ponteis fluminibus iniectos, inſeſſa caſtris montium abrupta: pulſum regia, pulſum etiam uita regem, nihil deſperantem. Super hæc actos bis triumphos, quorum alter ex inuicta gente primus, alter nouißimus fuit. Vna, ſed maxima difficultas, quòd hæc æquare dicendo, arduum, immenſum etiam tuo ingenio: quãquam altißimè adſurgat, & ampliſſimè operibus increſcat. Nonnullus & in illo labor, ut barbara & fera nomina, in primis regis ipſius, Græcis uerſibus non reſultent. Sed nihil eſt, quod non arte curaq;, ſi non poteſt uinci, mitigetur. Præterea, ſi datur Homero & mollia uocabula, & Græca, ad leuitatem uerſus contrahere, extendere, inflectere: cur tibi ſimilis audentia, præſertim non delicata, ſed neceſſaria, negetur? Proinde iure uatum inuocatis dijs, & inter deos, ipſo cuius res, opera, conſilia dictaturus es, immitte rudentes, pande uela: ac ſi quando aliàs, toto ingenio uehere. Cur enim nõ ego quoq; poeticè cum poeta? Illud iam nunc paciſcor: prima quæq; ut abſolueris, mitte, imò etiam antè quàm abſoluas: ſic ut erunt recentia, ſi rudia, ſi adhuc ſimilia naſcentibus. Reſpondebis, non poſſe perinde carptim, ut contexta, perinde inchoata placere, ut effecta. Scio, itaq; & à me æſtimabuntur ut cœpta, ſpectabuntur ut membra, extremamq; limam tuam operientur in ſcrinio noſtro. Patere hoc me ſuper cætera habere amoris tui pignus, ut ea quoq; norim, quæ noſſe neminem uelles. In ſumma, potero fortaſſe ſcripta tua magis probare, laudare, quanto illa tardius cautiusq;: ſed ipſum te magis amabo, magis laudabo, quanto celerius & incautius miſeris. Vale.

Ead. pag. Verſ. 51.

43 Poſt in Armeniam expeditionẽ ſumpſit, qui Armeniorũ rex.) Non qui, ſed quia, ab autore & ſcriptum, & legendum eſſe, ſequentia apertè docent. Mox autem Pag. 50. Verſ. 5. deditionem legi debere, non equidem admonuiſſem, ut in re clara, niſi mox inferius in Marco Antonino, Pagin. 59. Verſ. 53. eadem extaret amanuenſis culpa.

EX HADRIANO.

Pag. 53. Verſ. 27.

44 Præſumptionemq; futuri imperij ex fano quodam Nicefori Iouis accepit.) Lege Nicephori. Fuit autem Iupiter quondã, præter cognomina alia propè innumera, dictus etiam Νικηφόριος, à Nicephorio urbe Meſopotamiæ: ex cuius reſponſo Hadrianum Imperatorem ſibi pollicitum quãdoq; imperium, nominatim teſtatur Aelius Spartianus: è quo Cuſpinianus hunc locum decerpſit. Alia quoq; ratione Iouem Nicephorium dici, non ignoro: ſed is cum hoc loco nihil habet commune.

Pag. 54. Verſ. 6.

45 Ne optimus Imperator morte amitteret triumphali dignitatem.) Leuicula hæc eſt menda, è ſuperiore uerſu huc delapſa. Sed ne quis indoctior cũ morte, forſan iũgat adiectiuũ triumphali, ſciat pro eo legendum eſſe triumphi: quam lectionem & Hædio interpres agnouit.

Eadem pag. uerſ. 40.

46 Tum in Siciliam nauigauit, ut ſolis ortum uideret.) Quum ſolis ortus ubique terrarum uideri poßit, non in Sicilia tantùm, quæ neq; præaltis montibus celebris eſt, uidebatur primùm hoc loco menda ſubeſſe: & legiſſem hercle hortum, pro ortum, ſi ullus mihi unquam autor meminiſſet de ſolis horto quopiam in Sicilia. Cæterùm ex Aelij Spartiani Hadriano palàm deprehendi, hunc locum nimis truncatè à Cuſpiniano inde translatum. Eius enim authoris uerba ita habent: Pòſt in Siciliam nauigauit, in qua Aetnam montem cõſcendit, ut ſolis ortũ uideret, arcus ſpecie (ut dicitur) uariũ. Hoc admonere libuit, quò ſubla-

quo ſublata obſcuritate, nemo poſthac ipſe ſibi ſomnium fingeret, aut illud noſtrũ, aut quiduis conſimile.

Pag. 56. Verſ. 19.

47 Hęc palàm iactabat, ſe quòd immane ingenium perſuaſiſſet elaboraſſe, ne ex eo humani generis pernicies grauidaretur.) *Hunc locum minus rectè habere, quiuis facilè uidet. Sumptus eſt autem è Sex. Aurel. Victore, qui hanc ipſam rẽ his uerbis narrat: Huius uxor Sabina, dum propè ſeruilibus iniurijs adficitur, ad mortem uoluntariam compulſa: quæ palàm iactabat, quàm immane ingenium pertuliſſet, & elaboraſſet, ne ex eo humani generis pernicies grauidaretur. Hæc Victor. Obſeruandum autem, uerbum* grauidaretur *accipi ſiue pro cõcipienti ingeneraretur, uel in conceptũ rerumq; naturam produceretur, ut explicationis ſimplicioris gratia ſic loquar rudius: ſiue, quod malim quidem, legẽdum apud ipſum quoq; Victorem* pernicie, *pro* pernicies, *ſcilicet ne ipſa uxor Sabina ex Hadriano marito pernicie generis humani grauida redderetur, ne' ue quicquam ex eo cõciperet: haud dubiè ſobolem a b ipſo, tam immanis & ſanguinarij ingenij homine procreatam, non niſi calamitati futuram fuiſſe orbi Romano, &c.*

EX ANTONINO PIO.

Pag. 58. Verſ. 1.

48 Cæterùm multa de uxore Antonini ob nimiam liberalitatem, & uiuendi facilitatem dicta ſunt, quæ iſte cum animi dolore compreſsit.) *Nõ quiuis hic ſentiat, ut puto, mendam quæ ineſt. Proditur autem ex Iulio Capitolino, qui in uita huius Antonini Pij ita ſcribit: De huius uxore multa dicta ſunt ob nimiam libertatem, & uiuendi facilitatẽ, quæ iſte cũ animi dolore cõpreſsit.*

EX MARCO ANTONINO.

Pag. 59. Verſ. 26.

49 Cùm Marcus omnib. horis Reipub. incuberaret.) Lege incubaret: *quod quidẽ uerbum nominatim apud Iulium Capitolinum, in huius Imp. uita eo loco extat, è quo tota præſens narratio deſumpta eſt.*

Pag. 62. Verſ. 4.

50 Quinimo ſenior Gordianus, referẽte Capitolino, fertur libris elegãtiſsimis uerſibus triginta uitas Autonini Pij & Marij ſcripſiſſe.) *Quanquam intelligatur, quo modo hæc uerba ordinãda atq; accipienda ſint: tamẽ ut cõfuſio & ambiguitas omnis tollatur, nõ piguit ipſa Capitolini uerba ex Gordianis adſcribere, ita quidẽ habẽtia: Adoleſcẽs cùm eſſet Gordianus, de quo ſermo eſt, poemata ſcripſit, quæ omnia extãt, & eũcta illa quæ Cicero ex Demetrio & Arato, & Alcionas, & Vxorium, & Nilum: quæ quidẽ ad hoc ſcripſit, ut Ciceronis poemata nimis antiqua uiderẽtur. Scripſit præterea, quẽadmodum Virgil. Aeneidos, Statius Achilleidos, & multi alij Iliados, ita etiam ille Antoniados: hoc eſt, Antoninum Pium & Antoninum Marium uerſibus diſertiſsimis, libris 30. uitam illorum, & bella, & publicè priuatimq; geſta perſcribens.*

EX COMMODO CAESARE.

Ead. pag. Verſ. 20.

51 Et cum ad Germanicum proficeretur bellum.) Lege proficiſceretur. *& mox infrà Verſu 22.* gladiatoribus conniueret, *lege* conuiueret. *Non ſolùm enim gladioribus indulſit, ſed familiariter etiam conuixit: nimirum non Marci ſuperioris laudatiſsimi omnium Imp. ſed cuiuſdam gladiatoris per matris Fauſtinæ adulterium filius, ut graphicè Capitolinus memorat. Mox uerſ. 43. & res ipſa, & Pentametri ratio dictant, pro* Quoniam, *legendum eſſe* Quàm.

Pag. 63. Verſ. 8.

52 Vendidit autẽ prouincias & adminiſtrationes, & ſuppliciorũ diuerſitates, imminutiones malorum, & ſepulturas.) *Non de nihilo hic ſubſiſtebã, etſi omnia bene uidcantur habere. Nã pòſt apud Aelium Lampridium in huius uita inueni hæc uerba: Vendidit etiam ſuppliciorum diuerſitates, & ſepulturas, & immunitates malorum, & alios pro alijs occidit.*

Ead pag. Verſ. 42.

53 Sed multo longius detulit Marciæ cõcubinę, quam uxoris probæ loco habuit.) *Veſanè quidem & flagitioſè Commodus hic, toti orbi Rom. incõmodus, plurima patrauit: ſed eò dementiæ tamẽ nunquam prolapſus, ut cum Martiam uxoris loco haberet, quiſquã dubitare debeat, quin probæ loco habuerit. Quare ſtatim occurrebat, ac præſertim è proximè ſequentib. uerbis,* nõ probę, *ſed propè ab autore fuiſſe ſcriptũ: idq; aduerbium in Cõmodo Herodiani, ab Angelo Politiano in Latinũ cõuerſo, poſtea inueni: unde hunc ipſum locũ autor deſumpſit. Porrò cùm in proximæ periodi uerbis illis,* Cùm legiſſet libellum quo ipſam Lætus, Electus, &c. *mẽdum apertũ ita caſtigaſſem,* Cùm legiſſet libellum, quo ipſamet, Lætus, &c. *deprehendi ex eadem Politiani uerſione eam quoq; periodum decerptam, atq; ita ſarciendã potius:* Cùm legiſſet libellũ, quo ipſa, mox Lætus, Electus, &c.

EX AELIO PERTINACE.

Pag. 64. Verſ. 10.

54 Tum à Marco in Senatũ allectus, ope Pompeiani Marci gener, prætor factus eſt, & primę legioni impoſitus.) Lege ope Põpeiani Marci (*ſcilicet Antonini philoſophi*) generi. *De hoc Pompeiano, Iul. Capitolinus in uita M. Philoſophi ita narrat: Proficiſcens ad bellum Germanicũ, filiam ſuam non decurſo luctus tẽpore, grandæui equitis Rom. filio Claudio Pompeiano dedit, genere Antiochenſi, non ſatis nobili: quem poſtea bis Conſulem fecit, cùm filia eius Auguſta eſſet, & Auguſtæ filia. Sed has nuptias & Fauſtina, & ipſa quæ dabatur, inuitæ habuerunt. Eiuſdem Capitolini in huius Pertinacis uita ſunt hæc uerba: Et poſtea per Claudium Pompeianum, generum Marci, quaſi adiutor eius futurus, uexillis regendis adſcitus eſt.*

Eadem pag.

EADEM pag. uerſ. 12.

55 Ex quo eminẽti induſtria, ſtudio M. Imperatoris Cos. eſt deſignatus.) Capitolinus habet eminente. Perexiguum hoc quidem uidetur, nempe unius duntaxat literæ mutatio: ſed ſenſum certè non eundem habet, quum illi ablatiui modum actionis deſignent, ſubintellecta particula Cum, ſiue Per: id eſt, ex quo per eminentem ſuam induſtriam, inde ſcilicet maximè ſpectatam, & per Marci Imperatoris ſtudiũ, &c. Hi uerò abſolutè poſiti, reſoluantur in coniunctiuum modum: id eſt, Ex quo dum emineret induſtria, Conſul eſt deſignatus, fauore Marci Imperatoris.

EADEM pag. Verſ. 15.

56 Sed cum ei iam diuiti ob Perhenniũ, qui magnæ erat authoritatis apud Commodum Imperatorem, dum in uita eſſet, non liceret urbem ingredi, in Liguria in uilla paterna triennio ſubſtitit.) Qui hic Perhennius, apud Aelium Lamprid. & Herodianũ ubiq; Perennis dicitur, homo ſceleratus. ſuperbiæ intolerandæ, omnia apud Cõmodum potens, ſed tandẽ condignum ſibi ac ſuis inueniens ipſe quoq; exitiũ. Ita autem hic diſtinguendum, ut intelligas, hunc Pertinacem non diutem factum ob Perennem: ſed non potuiſſe per illum, quàm diu uiueret, urbem ingredi. Præterea quod hic de diuitijs Pertinacis narratur, non ſatis conuenit cum eo quod mox uerſu 25 & 28. de eius paupertate narratur. Minus cum eodem conuenit, imò ex diametro pugnat, id quod ſequentis paginæ uerſu 4 & ſequentibus, de huius Pertinacis & priuati & Cõſularis, prouincias adminiſtrantis, auaricia et diuitijs ipſe Cuſpinianus cõmemorat. Scio quibus ex authoritatibus hæc ſingula ſint deſumpta: ſed tollendæ perplexitatis gratia, optarim ego tempora & euentus clarius fuiſſe diſtinctos. Cæterùm de hoc genere oſcitantiæ authoris noſtri, ſufficit in nuncupatione ſemel meminiſſe.

EX DIDIO IVLIANO.

Pag. 67. uerſ. 16.

57 Occiſo eo, filiæ nomẽ eſt abrogatum Auguſtæ, ſed conceſſum patrimonium.) Planè huic aduerſum ſcribit Aelius Lampridius, his uerbis: Filiam ſuam potitus imperio, dato patrimonio emancipauerat, quod ei cum Auguſtæ nomine ſtatim ſublatum eſt.

Pag. ead. uerſ. 58 & 59.

58 Dij bene quòd ſpolijs Didius nõ gaudet opimis,

Et citò periuro præmia dempta ſeni.) In ipſo Auſonij codice pro ſpolijs, lego ſceleris: ſed proculdubio uitioſum id eſt, ac ſpolijs ipſo ab Auſonio ſcriptum eſt. Dicuntur autem hæc ſpolia, quòd Iulianus hic à Pertinacis cæde, neq; ſucceſſione legitima, ut neceſſarius quiſpiam, neq; ſenatus authoritate, deniq; nec militum iudicio ad Imperiũ ueniſſet, ſed ingenti promiſſa pecunia id à prætorianis ceſtris fœdiſſimè emercatus, uelut prædo in ſuam redegiſſet poteſtatem. Ita namq; de hoc Herodianus, interprete Angelo Politiano, ſcribit: Igitur de more ſacrificio in caſtris peracto, exijt (ſcilicet hic Didius Iulianus recens à milite Prætoriano declaratus imperator) maiore militum comitatu, quàm cæteri conſueuerant: ſiquidem per uim contráq; populi uoluntatem, perq; turpitudinem & dedecus imperiũ emercatus, iurè impetum multitudinis uerebatur. Et idem Herodianus paulo pòſt: Nam cum neque uindex exiſteret ullus tam crudeliter interfecti principis, neq; promercale factum imperium fœdeq; nundinatum, id uerò initium cauſaq; militibus fuit, ut etiam in poſterum turpiſſimi, contumaciſſimiq; euaderent, ſic ut auaricia indies, ac principum contemptus, etiam uſq; ad ſanguinem proueheretur. Hæc Herodianus: quæ omnia & ipſe Cuſpinianus ſuprà Paginæ 66. uerſu 20. & ſequentib. plenius quodammodo enarrat. Spolia autem hæc putem ab Auſonio dici opima, non quòd ea hoſtis hoſti interempto detraxerit: ſed quòd illa Imperij nundinatiõe, perinde ac ſi præclarum aliquod facinus patraſſet, Iulianus ſibi applauſerit. Et habebatur ſanè ita, ut teſtatur Aelius Spartianus, quaſi Iuliani cõſilio eſſet Pertinax interemptus. In pentametro item malo legere adempta, quàm dempta, ſcilicet ex alio pentametro, qui mox ab eodem Auſonio in Seuero ita ſcriptus extat: Vi parricidæ regna adimat Didio.

EX SEVERO. Pag. ead. Verſ. 32.

59 Studiorum cauſa Romam uenit, moxque omen futuræ felicitatis ea hora qua hoſpes eius Adriani uitam legit, arripuit.) Vt procliue eſt uerba de uno uerſu in alterum tranſponi, facilè ego mihi perſuaderi patiar, ab authore hunc locum ita potius fuiſſe ſcriptum, ut ſubijciam: Studiorum cauſa Romam uenit ea hora, qua hoſpes eius Adriani uitam legit, moxq; omẽ futurę felicitatis arripuit. Certè minus ambiguitatis habet, quod apud Aelium Spartianum extat, his uerbis: Cum Romam ueniſſet, hoſpitem nactus qui Hadriani uitam Imperatoriam eadem hora legeret, quod ſibi omen futuræ felicitatis arripuit. Quum hæc iam annotaſſem, uidi demum in Præfatione NICOLAI GERBELII, (quo doctiſſimo optimoque ſene præſens ætas uix quenquam habet humaniorem, candidiorem, & reipub. literariæ ac literatorum omnium amantiorem) quòd hunc locum in archetypo quidem mutilum, ita ipſe expleuiſſet, quemadmodum eſt excuſus. Sed quia ea lectio cum Spartiano nõ conuenit, ut iam dixi, nec cum habet euentum è quo omen arripi poſſit: non herclè eo magis meæ emendationis me pœnitere debet: nihilq; dubito, quin ipſe quoq; noſter Gerbelius hanc ultrò ſit approbaturus, ſi expendat. Nam legenti uitã Imperatoris ſæpe interuenire poſſis: at q, Seuerus primùm Romã ingreſſus, fortè ad hoſpitẽ diuerterit, qui ea ipſa hora uitã Imperatoris Adriani legebat, id uerò mox pro bono omine accipi poterat.

Eadem pag. uerſ.39.

60 Et à Marco itẽ anno triceſimo ſecundo ætatis prætor deſignatus, ad Hiſpaniã miſſus eſt legionibus quatuor, Scythicæ deinde præpoſitus eſt circa Maſsiliam.) *Quum hic craſſum ſubeſſe mendum palàm intelligerem, neq; emendatio ulla ſatis apta occurreret, conſului authores alios: atq; apud Aelium Spartianum (unde & reliqua huius loci ſunt decerpta) locũ ſincerum ita extantẽ inueni: Legioni* IIII. *Scythicæ deinde præpoſitus eſt circa Maſsiliam.*

Eadem pag. uerſ.46.

61 Conſul deinde Germanico exercitui proponitur.) *Legendum hic eſſe* præponitur, *docet & res ipſa, & Aelius Spartianus, cuius hæc ſunt uerba: Deinde Læto ſuffragante, exercitui Germanico præponitur.*

Pag.68. uerſ.21.

62 Nullumq; nec iudicio damnatũ capite, bonis ue mulctatum iri.) *Hic quoque res ipſa mendũ prodit. Quid enim abſurdius, quàm nec iudicio quenquam ſontem damnatũ iri? Sic cuidam ad Charilli gloriã prædicanti, quòd pariter erga cũctos fuiſſet mitis et mãſuetus, Archidamidas Lacedæmonius prudentiſsimè reſpõdiſſe fertur: Et qua fronte laudetur aliquis, qui erga ſceleratos ſe mitem præbeat? Accinit porrò magnus ille noſter Eraſmus: Perſpexit uir egregius, manſuetudinem cum iuſticia coniunctam eſſe oportere. Alioquin principis in facinoroſos lenitas, quid aliud eſt quàm in bonos crudelitas? Quare iuxta Herodiani interpretis uerba (è quo et reliquus hic totus Cuſpiniani locus trãſſumptus eſt) ita leges: Nullum niſi iudicio damnatum capite, bonis ue mulctatum iri, non paſſurum delatores.*

Pag.69. uerſ.22.

63 OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS. OB REMPVB. INSTITVTAM, IMPERIVMQVE.) *Hæc ipſa, & quæ ſequuntur omnia, uſq; ad uerba, S.P.Q.R. ſuperioribus cohærent, eodemq; charactere perſcribi debent (id quod neq; Hædionem interpretem latuit) ac neutiquã ita ſciungi, quemadmodum prior habet editio, non ſine manifeſtaria totius inſcriptionis deprauatione.*

Ibid.uerſ.32.

64 Tandẽ fuſus fugatusq; Albini exercitus, direpta mox incenſaq; Londino, & Albino caput abſciſſum, perlatumque ad Seuerum eſt.) *Legendum eſſe* Lugduno, *ex præcedentibus ſatis colligitur, quæ ita habent: Coacto igitur exercitu Galliam intrauit, & primùm circa Lugdunum (ubi Albinus ei cum Britannicis & Gallicis militibus occurrit) ancipiti marte dimicatum eſt. Amanuenſi ſciolo Britannia, quæ & ſuperius, ubi ſermo de hoc Albino fuit, memorata, in memoria cum hæſiſſet, ac ſciret primariam Britanniæ urbem eſſe Londinũ, pro Lugduno illam ſuppoſuit, ſed perperàm. Nam & Ael. Spartianus nominatim in Gallia dicit rebellaſſe hunc Albinum, & proceres Hiſpanos & Gallos multos occiſos. et palam eſt, hæc uerba apud Politianum in Herodiani Scuero ita extare: Direpta mox, incenſaq; Lugdunũ, & Albino caput abſciſſum, perlatumq; ad Seuerum eſt.*

Pag.70.uerſ.50.

65 Latronum ubiq; hoſtis, crudelis tamen adeò, ut Senatus iudicauerit, illũ aut naſci non debuiſſe, aut mori, quòd & nimis crudelis, & nimis utilis Reipub. uideretur.) *Cenſet Io. Baptiſta Egnatius, in Caſtigationibus Spartiani (è quo hoc Senatus de Seuero eulogium totidem uerbis eſt huc tranſpoſitum) particulæ aut mori, addendã eſſe negationẽ, ut quæ melius reſpondeat illi parti, & nimis utilis Reipublicæ uideretur. Hæc Egnatius, nec plura. Ego quanquam ex Sex. Aurelio Victore didicerim, Cæſarem Octauianum Auguſtum mortuũ multis nouisq; honoribus à Senatu fuiſſe decoratũ: & cunctos uulgò iactaſſe, Vtinam aut non naſceretur, aut non moreretur: atque ita idem eulogium iterata negatione prolatum: attamen citatum Spartiani locum prorſus ſincerum eſſe opinor, & negatione altera nõ neceſſariò ſuppleri. Eſt namq; ea dicendi formula conceptus, in qua negatio altera ſponte ſua intelligitur, ſecus quàm in iſto Victoriano. Eraſmus quidẽ in Apophthegmatis, hoc ipſum Seueri eulogium non modò gemina negatione, ſed geminato etiam uerbo debuiſſe retulit. ſed uberrimum ille orationis ſuæ flumen ad Spartianicam breuitatem haud temerè ſolitus contrahere. Mox pag. 71. uerſ.10. pro* Huic Marciæ, *lege* Huius: *& uerſu præcedẽti, ne quis indoctior in ſenſus ambiguitate hæreat, poſt in honorem, diſtinguat.*

Pag.71.uerſ.15.

66 Habuit & filias, quas dotatas maritis Prælio & Etio dedit.) *At Spartianus ita ſcriptũ reliquit: Filias ſuas dotatas maritis Probo et Aetio dedit. Et eũ Probo genero ſuo præfecturã urbis obtuliſſet, ille recuſauit, dixit'que, Minus ſibi uideri præfectum eſſe, quàm principis generum.*

Ibid.uerſ.24.

67 Impiger è gelido mouet arma Seuerus ab Hiſtro.) *In Auſonij codice lego* egelido, *una dictione: idq; non modò uidetur rectius, ſed planè neceſſariò ita legitur, quum præpoſitio ab ſuis caſibus una ſufficiat.*

EX ANTONINO CARACALLA. Pag.ead. uerſ.42.

68 Summam poteſtatem nactus, medicos mox ſupplicio affecit, quòd ſibi parũ obtemperauiſſent, iubenti ſerius maturare necem.) *Torſit profectò hic me locus aliquandiu. nam neq; Serius comparatiuum à ſeriò unquam legiſſe memini, ut fortè ſerius hic poſitum quis putet pro ualdius, ſeu minus oſcitanter, aut ludibundè: neq; Serius maturare, pro nimis ſerò aut lentè, huic loco conuenit, imò fronte oppoſita repugnat: quum*

Caracalla

Caracalla iusserit patris sui necē quàm maximè acce lerari, & primo quoq; tempore per medicos illum tolli: ac neutiquam serius, hoc est tardius maturari. Scribit hoc nominatim Herodianus *sub finem Seueri, his quidem uerbis, iuxta Politiani uersionē: Quin longior quoq; patris ualetudo, ac mortis mora diuturnior, anxiū uidelicet adolescentem (nempe hunc nostrum Caracallam) habebant, sic ut medicis ministrisq; subinde conaretur persuadere, senem ut è medio quamprimùm quoquo modo tollerent. Mox ue* 10 *rò ibidē sequitur narratio, quæ huc uitiosè transcripta est, nimirum amanuensē mimus oculatè ad Politiani uerba respiciente, quæ ita habent: Igitur Antoninus mortuo Seuero summam potestatē nactus, confestim uniuersos ab ipso (quod aiūt) lare interficere cœpit. Nam & medicos supplicio affecit, quòd sibi parum obtemperauerunt, iubēti senis maturare necem.* Vides *lector, pro* serius, *legendum hic esse* senis: *uidesq; utē, quid scrupuli sæpe inuehat unius elementi mutatio.*

Pag. 73. uers. 21.

69 Quòd literas Macrinus acceperat, quibus se intellexit propediem ab Antonino occisurum.) Lege occisum iri. *Qua autem occasione Macrinus in eas literas, non quidē ad se, imò ipsum ad Caracallam scriptas, inciderit, plenè Herodianus memorat.*

Eadem pag. uers. 28. ubi extat: Hæc Iulia nouerca, uxor fuit Antonini, posteaquā Plautiani filiam.) *Vides lector, quòd tum res ipsa satis innuat, tum clarè demōstrent mox sequētia, dictionē* Nouerca *sine capitali elemento scribendā, & mox copulam inserendā, hoc modo, quo et Hædio uertit:* Hęc Iulia, nouerca & uxor fuit Antonini.

Ibid. uers. 33.

70 Quo audito, furor incōditus ad effectū criminis roboratus est, nuptiasq; eas celebrauit: quasi sciret se leges dare, cum uerè solus prohibere debuisset.) *Apparet Cuspinianum in mendosum Aelij Spartiani codicem incidisse, ac suppleta particula* cum *interpolare uisum, magis etiam ipsum corrupisse: qui suæ sinceritati relictus, habet epiphonema perquàm acutū, ac cuiuis Monarchæ perpetuò obseruandum. Et quia Spartiani uerba mendum quoq; proximè relatū explicant, lubet ea plenius, ut habent, adscribere: Interest scire, inquit Spartianus, quemadmodū nouercam suam Iuliam uxorem duxisse dicatur. Quæ quū esset pulcherrima, & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetq; Antoninus, Vellem si liceret: respondisse fertur, Si libet, licet: An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, nō accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est, nuptiasq; eas celebrauit, quas, si sciret se leges dare, uerè solus prohibere debuisset. Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) duxit uxorem, ad parricidium iunxit incæstum: siquidem eā matrimonio sociauit, cuius filiū nuper occiderat.*

EX OPILIO MACRINO.

Pag. 74. uers. 9. & 12.

71 Adeò, ut cum imperiū esset adeptus, statueret omnia rescripta ueterum principum tollere, & ut iure, non rescriptis ageretur. nefas esse dicens, leges uideri Commodi & Caracalli & hominum imperatorum uoluntates: cum Traianus nunquā libellis responderit, ne ad alias causas facta præferrentur, quæ ad gratiam composita uideretur.) *Apparet hoc loco plures subesse mendas, nempe superfluere copulam &, post uerbū* tollere: *& post* ageretur *puncto nō claudendum periodum, sed connectenda sequentia. Item pro* hominum imperatorum, *legendum esse* hominum imperitorum (*quod & postea apud Capitolinum in hoc Macrino inueni*) *aut* huiusmodi Imperatorum (*nempe subintelligēdo, improborum, & omnis iuris ac iusticiæ peruersorum*) *quum dictio* huiusmodi *compendiariè scripta, facilè potuerit per indoctum amanuensem deprauari in* hominum. *Quāuis uerò & apud ipsum quoq; Spartianum (è quo totus hic locus transcriptus est) uerbum* præferrentur *extet, nescio tamen an nō legi debeat* proferrentur, *quod Iurecōsultorū est uerbum peculiare, cum de lege aut iure in una facti specie loquente, ad aliam producendo, seu extendendo loquuntur. Puto enim hæc postrema uerba ita intelligenda, quòd Macrino, uel potius Traiano Imperatori optimo, ita uidebatur, plerūq; rescripta ad gratiā concipi: ac proinde libellis non debere cōmitti, aut edi, ne pòst in uniuersum ad quaslibet alias causas seu controuersias proferrentur, non sine manifesta alterius litigatoris iniuria. Plura hic non addo, quòd hæc Macrini censura iam olim tractata est à nobis latius in Annotationibus super Iustiniani nostri Institutionib. lib. 1. tit. 3. ubi de Rescriptis principū docet.*

Ibid. uers. 18.

72 Caracallum imperatorem suum occideret, tanta factione, ut ab eo non uideretur occisus.) *Tametsi & paulo inferius dicatur, Deinde Macrinū conscij factionis deligunt: attamen mihi uidebatur hic legendū esse fictione, pro factione. quasi dicat, tam artificiosa & subdola simulatione, ut nec oculatissimi quidem ac prudentissimi animaduerterent. At contrà, quo potētiore factione quis opprimitur, eo magis autor notescit, nec latēre potest. Pòst aūt inueni idipsum uerbum, quod coniectaueram, extare sincerum apud Capitolinum, qui & in periodi huius initio longè rectius habet, q̄ hic Cuspinianus, qui factorum seriem peruertere uidetur: certè sensum ipsum inuoluit ac peruertit. Capitolini uerba sunt hæc: Deinde cum esset Præf. Prætorio, collega ablegato, Antoninum Caracallam imperatorem suū interemit tanta fictione, ut ab eo nō uideretur occisus.*

Pag. 75. uers. 19.

73 Interemptus est sæpe filius cū patre,

quales olim Mezentius exhibuit.) *Videtur hoc loco omnino aliqua deesse clausula, qualiscunq; illa sit. Capitolinus latè commemorat, cuiusmodi hic sanguinarius Macrinus noua & horrenda supplicia sontibus irrogare solebat: nempe & uiuos mortuis illigare, & ad mortẽ cogere longa tabe cõfectos. Vnde etiã in circo, cum fauor publicus in Diadumenũ semper fuisset, refert acclamatũ Maronis illud:* Egregius forma iuuenis, *cui pater haud Mezentius esset. Quare fortassis à Cuspiniano hic ita fuit scriptũ, ac integer aliquis uersus ab amanuensi præteritus:* Interemptus est sæpe filius cum patre, & uiuus mortuo illigatus, & longa tabe mori coactus, quales olim Mezẽtius exhibuit. *Sed hæc coniectura esto.* Eadem *pag. uers.26. pro* Antoniani, *lege* Antoniniani.

EX M. ANTONINO VARIO Heliogabalo. Pag.76. uers.8.

74 Soror Iulię uxoris Seueri Pertinacis Afri, & mater Antonini.) *Legendum est,* matris Antonini, *scilicet Getæ: quod & Hædio aduertit, & ipse author suprà sub finem Seueri memorat, & ultima nostra Castigatione in Caracallũ extat quoq; expositũ. Oscitauit hic uel amanuensis: uel author memoria lapsus, uerba ipsa Politiani quædã è quinto libro Herodiani non ut debuit, huc transposuit, cum eiusdẽ periodi initiũ aliter quidem ipse Cuspinianus formasset. Verba Politiani sic habẽt: Mæsa erat quædam nomine, Phœnissa mulier, ab Emesa urbe Phœniciæ, cui soror Iulia fuerat, Seueri coniunx, ac mater Antonini. Ea uiuente sorore, multos annos in aula imperatoria uixerat, Seuero & Antonino principibus.*

Pag.77. uers.44.

75 De hoc publico iudicio, & humana peste prodiderunt, satis superq; sunt. Exigeret nũc institutio mea, ut Ausonij tetrastichon subiungerem: sed cum Ausonius hic deficiat, pro uirili supplebo.) *Nõ ociosè hic uno loco tot uerba authoris refero. Primũ enim, quũ uox* iudicio *hic nulla ratione quadraret, putabam primò legendũ esse* uitio. *Sed pòst ex Lampridio deprehendi* ludibrio *reponendũ, ut cuius hæc extant uerba: Cum hic Varius & Heliogabalus, & ludibriũ publicum diceretur. Deinde aũt, ut uerũ appareat, quod in Præfatiõe ad lectorem admonui, Cuspinianũ non undequaq; Latinæ elegãtiæ uel doctũ, uel obseruantẽ fuisse, ut qui institutionẽ pro instituto dixerit. Deniq; sciendũ, Tetrastichon subiectũ nõ totũ esse Cuspiniani, quod quidem ex eius uerbis facilè quis persuadere sibi queat: sed prius Distichon in ipsius Ausonij codicibus extare. In altero aũt hexametro legendũ esse, Antonine, palàm ostẽdit tum syllabarũ ratio, tum ipsa apostrophe, quã Cuspinianus iuxta Ausonij exordiũ compleuit. Quia uerò Distichon illud Ausonij nec uendicare sibi cogitauit Cuspinianus, apparet ex ipsiusmet confessione, quæ est tetr ticho proximè sequenti præfixa.*

EX ALEXANDRO CAESare. Pag. 89. uers.39.

76 Quam etiã marito charam gratamq; in primis. Eandẽ paulo pòst aula per omnem cõtumeliam exegit.) *Qui animũ aduerterit, facilè deprehendet hic unã esse periodũ, ac pro* Eandẽ, *legendũ* eadẽ, *scilicet Mãmea. Vers.14. hac eadem pag. pro* Illiro, *lege* Illyrico.

Ibid.uers.49.

77 Quæ unà cum matre Mammea obiecerunt Alexandro nimiam ciuilitatem, dicentes melioré sibi potestatẽ & contemptibiliorẽ imperio facere. Quibus respondit, sed securiorẽ atq; diuturniorẽ.) *Hanc quoq; periodum sibi nõ constare, nemini potest esse obscurũ: nempe quòd reprehensio ipsa, purgatioq; in idẽ prorsus recidãt. Quid quòd dictio* imperio *aliquantũ nebulæ inducat? Ad Lampridium confugiens, locũ sincerũ inueni, qui ita quidẽ habet: Denicq; cum ei obijcerent nimiã ciuilitatẽ, & Mammea mater, & uxor Memmia, Sulpitij cõsularis uiri filia, Catuli neptis, & sæpe dicerent, molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperij fecisti: ille respondit, Sed securiorem atq; diuturniorem.*

Pag.80. uers.1.

78 Vetuit quoq; matrem & uxorẽ suam à formosis mulieribus salutari.) *Huius loci sensus cum expeditus quidẽ esset, sed parũ aptus, diuinabam legi oportere,* à famosis mulieribus. *Atq; ita pòst apud eundem Lampridiũ inueni, cuius hæc sunt uerba: A' mulieribus famosis matrẽ et uxorem suam salutari uetuit. Inueni eandem quoq; rem pluribus uerbis relatam apud Io. Iouianũ Pontanum lib.1. de Magnanimitate, ca.ult. ubi hunc Alexandrũ ab animi magnitudine, uirtutũ simul omniũ munita præsidijs, cumulatè celebrat. Itaq; ut ipse, inquit Pontanus, cum amicis familiarissimè uiuebat, sic ad eius salutationẽ præter honestos & integra fama uiros nulli admittebantur: quando parum bonæ famæ mulieres ad conspectum matris atq; uxoris ne admitterentur, imperauerit. Hædio quoq; idem hoc mendũ uiderat, & germanam uerterat lectionem.*

EX MAXIMINO THRACE. Pag.ead. uers.21.

79 A' pueritia pastor fuit, & opilio, in mõtibus Thraciæ, dein corporis uastitate ac robore inter eius gentis tenuissimos procerus admodum adscitus, quasiq; manuductus à fortuna ad imperium uenit.) *Hæc periodus mutila uidetur, scilicet ex Capitolini, Politianiq; uerbis congesta. Capitolini uerba ita habent: Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnunquã procer, qui latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus uindicaret. Herodianus aũt initio lib.7. Politiano interprete ita loquitur: Quippe iam id tritum uulgatumq; apud omnes, opilionẽ fuisse in Thraciæ mõtibus: dein corporis uastitate ac robore inter eius regionis tenuissimos milites ascitũ, quasiq; manudu-*

manuductum à fortuna ad Romanũ imperium. Apparet itaq;, in Cuſpiniano ſupplendam dictionẽ milites. Cæterùm quid apud Capitolinũ ſibi uelit, q. dicit, nonnunquam procer, haud ſanè ego aſſequor. Fortaſſe pro nonnunquã, legendum nimiumq;, aut iuuenis, uti paulo pòſt idem Capitolinus inquit: Quum eſſet adoleſcens, longitudine autẽ corporis, &c. Hædio hic adſpergit (è ſuo nempe capite, quum Cuſpinianus hoc ne ſomniarit quidem) Maximinũ hunc à Thracib. breuis ſtaturæ hominibus, creatũ fuiſſe regem. Super hoc toto autem Maximini initio omniũ pleniſſimè ſcribit Iornandes in Geticis, & quidẽ ex lib. 5. Symmachi hiſtorici.

Ibid. uerſ. 44.

80 Sub Macrino militari deſijt.) Ne quis fortè militari iungat cũ Macrino, legendũ ſciat militare, ac eſſe infinitũ à milito. Capitolinus hoc ita narrat: Sub Macrino, quòd cum qui Imperatoris ſui filiũ occiderat, uehemẽter odiſſet, à militia deſijt.

Pag. 81. uerſ. 13.

81 Alios animalibus incluſis.) Lege incluſos: ne putes hominẽ unà cum fera alicubi concluſum (cuiuſmodi parricidarũ eſt ſupplicium) fuiſſe necatum. Apud Capitolinũ lectio eſt integra, ac ſententia magis plena, claraq;: Alios, inquit, animalibus nuper occiſis incluſos. Paulo pòſt uerſu 27. pro defenſionem, lege defectionem.

Pag. 82. uerſ. 19.

82 Dimiſsis Germanis auxilijs, quibus uolebat bellũ inferre.) Ne quis ambigua hæc uerba intelligat, Germanorum auxilia ideo per Maximum dimiſſa, quòd Germanis ipſis bellum inferre cogitauerit, libuit adſcribere Capitolini locũ, qui clarior eſt: Et Maximus quidem, quem multi Pupienũ putant, apud Rauennã bellum parabat per Germanorũ auxilia: qui ubi cõperit conſenſiſſe exercitum ſibi & collegis ſuis, occiſos aũt eſſe Maximinos, ſtatim dimiſsis Germanorũ auxilijs, quæ ſibi contra hoſtem parauerat, Romã laureatas literas miſit. Vocula cũ poſt quibus inſerta, tollet omnẽ ſenſus ambiguitatem. Neutiquam aũt ſuperuacaneè me annotauiſſe hunc locũ, & cõſimiles quoſdam, ambiguitatis aliquid lectori nõ ſatis uel docto uel attento obijcientes, arguit hic Hædionis uerſio, quæ nõ hunc Capitolini ſenſum, ſed illũ alterũ planè contrariũ reddidit.

EX GORDIANO CAESARE.

Pag. 83. uerſ. 7.

83 E' quibus ex conſulib. duos, Maximũ quem M. Clodiũ Pupienũ dicunt, Pupienum & Deciũ Gelium Balbinũ Auguſtos appellauit.) Vt hæc rectè legantur, pleniusq; intelligãtur, uidenda ſunt quæ mox pagina eadẽ, uerſu 16. ſequuntur, & quæ Capitolinus in fine Maximini iunioris ſcribit, ac pluribus uerbis repetit ſub finem uitarum Maximi huius & Balbini. Sanè ex acclamatione ſenatus, cum eſſet nunciata mors Maximinorũ, ut extat apud eundem Capitolinũ ſub finẽ Maximini ſenioris, apertè deprehẽdi poteſt, Maximũ Pupienũ unum uirũ, non diuerſos fuiſſe. Idẽ Capitolinus Gordianũ iuniorem ita exorditur: Poſt mortem duorum Gordianorũ ſenatus trepidus, & Maximinum uehementius timens, ex uiginti uiris, quos ad remp. tuendam delegerat, Pupienũ, ſiue Maximũ, & Clodium Balbinũ Auguſtos appellauit, ambos ex conſulibus. Hæc Capitolinus. Obſerua aũt, ex Cõſulibus dici, licet Maximus nunquã conſul, ſed duntaxat proconſul aliquoties fuerit. Suprà aũt paulo, ſcilicet ipſo in fine Maximini, pro Curius Fortunatiuus, lege Fortunatianus, cuius mox & ſub finẽ Gordianorum fit mentio.

Pag. ead. uerſ. 13.

84 Timebant enim ſeueritatẽ Maximini homines uulgares.) Lege Maximi. Neq; enim hic amplius ſermo de Maximino, ſed de Maximo, qui Cæſar unà cũ Balbino à ſenatu creatus erat cõtra Maximinũ, homo cũ primis grauis & ſeuerus. id quod paulo inferius hac ipſa pagina uerſu 21. 24. & 26 repetitur, & nominatim ſcribit Herodianus: Maximum (inquiens) in primis recuſantes, ſeuiorem ſcilicet, quàm ut eum leuis multitudo facilè pateretur. Eadem Capitolinus.

Pag. 84. uerſ. 7.

85 Qui cum à Balbino præſidiũ Germanorũ peteret, ſuſpicatus monarchũ, primũ fruſtratus eſt.) Hunc locum uix eſſe ſincerum, ex Capitolini uerbis, in horũ Imperatorũ uita, nõ obſcurè deprehenditur. Et quia inde etiã quiſq; ſuo arbitrio reſtituere poteſt, & Germanorũ perpetuã fidẽ (ut qui tũ quoq; Romanos duos longè optimos principes promptiſſimè tutabantur, quos ipſe Romanus miles contra ſacramenti præſtiti religionẽ crudeliſſimè trucidabat) pulchrè is locus ob oculos ponit, ac interim mendam è proximè ſequẽti uerſu tollit, non grauatus ſum totũ huc adſcribere: Quare, inquit Capitolinus, occaſio militibus data eſt, intelligentib. facilè diſcordes Imperatores poſſe interfici. Ludis denique ſcenicis, cum multi milites & aulici occupati eſſent, et in palatio ſoli cũ Germanis principes remaneſſent, impetũ in eos fecerũt. Turbantibus igitur militibus, cum primũ nunciatũ eſſet Maximo, turbã illam tempeſtatẽq; uix euadi poſſe, niſi ad Germanos mitteretur: & fortè in alia parte palatij Germani cũ Balbino eſſent, mittit ad Balbinũ Maximus, petẽs ut ei præſidium mitteret. Sed ille ſuſpicatus, q. cõtra ſe eos peteret, quem putabat monarchiã uelle, primùm fruſtratus eſt, deinde uſq; ad litem peruentum eſt. In hac tamẽ ſeditione illis contendentib. milites ſuperuenerunt, atq; ambos eos nudatos ueſtibus regalibus de palatio cum iniurijs produxerunt, et per mediã ciuitatem ad caſtra raptare uoluerũt, magna ex parte laniatos. Sed ubi cõpererunt Germanos ad defenſionem illorum ſuperuenire, ambos occiderũt, & in itinere medio reliquerunt. Hæc ibi Capitolinus. Eandem rem ſatis etiam copioſe commemorat Herodianus ſub finem hiſtoriæ ſuæ. Interpres in hoc quoque loco egregiè delirauit.

Ibid. uerſ.8.

86 Ambo ſunt mutati ueſtitu regali, & de palatio deturbati.) Ex uerbis Capitolini iã recitatis perſpicuè apparet, huc mendã irrepſiſſe oſcitãtia amanuẽſis: & ab ipſo Cuſpiniano huc inter alia Capitolini uerba trãſcriptũ fuiſſe nudati. Quis enim apud Latinũ ullum ſcriptorẽ legit, mutatus ueſte, pro eo qui ueſtem mutauit, aut ueſte exutus eſt? Indeq; nihil mirũ, hanc mendam et interpreti uiſam. Eadem pag.uerſ.30. pro frequẽtius prælijs pugnauit, lege frequẽtibus: & quia aptius hoc eſt, et ꝙ apud Capitolinũ hæc quoq; periodus ita extat.

EX M. IVLIO PHILIPPO

Arabe. Pag.86.uerſ.19.

87 Omnibus neceſſarijs prouiſus exercitus ſolertia Miſithei, ſoceri Gordiani, adeò ut omnes milites Gordianũ tanquã filiũ ac parentẽ diligerent.) Videtur mihi hic locus mutilus, ſibiq; ipſi cõtrarius, ac ita ſupplendus: Gordianũ tanquam filiũ, ac Miſitheũ tanquam parentẽ. Huius enim Miſithei, ut uiri lõgè omnium optimi, ac in repub. domi foriſq; ordinanda circumſpectiſſimi ac laborioſiſſimi, ſubinde meminit Capitolinus, indeq; omnibus uehemẽter fuiſſe charũ ſcribit. Poſſet etiam hoc modo legi: ac Miſitheũ tanquã eius (ſcilicet Gordiani) parentem. Sed prior cõiectura magis mihi, hoc quidẽ loco, arridet.

Pag.ead.uerſ.51.

88 Studens ſedare animos omniũ, cum inducto Perſis decreto, illis bellum indixit.) Obſcura ſunt hæc uerba, ex Læto tranſcripta. Etſi uerò ille paulo aliter habeat, nempe inducto cum Perſis decreto, tamẽ nihil ferè amplius inde colligo, niſi ut uerbum inducto accipiã pro diſpuncto (qua in ſignificatione Iureconſultis noſtris frequẽs eſt: & loquendi formula, inducto priore decreto, pro abolito, nominatim extat apud Suetoniũ in Iulio Cæſare, cap.16.) ac reſciſſo eo decreto, quo Perſicum fœdus ſancitũ. Ita ſenſiſſe Cuſpinianũ, ſatis arguunt præcedentia, quæ de facta cum Perſis pace, percuſſoq; fœdere ignominioſe loquuntur. Tenebo certè hoc, dum cõmodiorem ſiue lectionem, ſiue ſenſum inuenero. Hunc quidẽ ipſum & Hædio reddidit.

Pag.87. uerſ.4.

89 Onagros, equos, feras, & innumera alia animalia.) Res ipſa admonet, ineptè ita legi & diſtingui: atq; apertè conſtat ex Capitolino, in Gordiano iuniore, legendũ hic eſſe equos feros. Num cum is beſtias huius loci, & peculiari quidem enumeratione cõmemoraſſet omnes, & quaſdã etiã à Cuſpiniano prætermiſſas (ut hippopotamum, rhinocerotem, ac archoleontes) tandem addit: Onagri 20, equi feri 40, & cætera huiuſmodi animalia innumera & diuerſa. Pomponius Lætus, ut rectè hunc Capitolini locum de equis feris 40 tranſcripſit, ita uidetur perperàm cameleopardos ſuppoſuiſſe, pro camelopardalis, quod beſtiæ genus ita deſcribit Plinius libro 8. capite 18. ut cameleopardos in rerum natura unquã ueniſſe, ego nõ facilè perſuaderi queã. Eodẽ ex Plinio conſtat, oues feras (de quibus in Gordianis tribus mentio apud eundẽ Capitolinũ, ubi itidem equi feri memorantur) doctè ab Egnatio in Caſtigationib. expoſitas, id eſt camelopardalos, qui eas ait hodie appellari gyraphas, unãq; à Sultano Aegyptio donatam Laurentio Medici, Italiæ longo poſt uiſam tempore. Põtanus quoq; in lib. de Magnificentia, cap.19. ſcribit, Aſſyriorum regem ad Ferdinandum regem Neapolitanum inter alia munera camelopardalim miſiſſe.

Ibid. uerſ.11.

90 Theatrũ Pompeij exarſit, & ei propinquum hecatonſtylon.) Rectè hoc eſſe ſcriptum, ideo cõmoneo, quòd apud Euſebium in Chronicis hoc idem narratur, ſed corruptè & mutilatè. Ita enim habet Baſilienſis editio, cui Io. Sichardus noſter (aliàs quidem perſpicaciſſimus ac diligẽtiſſimus ueterum autorũ caſtigator) adfuit: Pompeij theatrũ incenſum, & echatroſtylon 40 miſſus. Ex hoc Cuſpiniani loco conſtat, aut ita, aut cõſimilem ad modum eſſe emendandum & implendũ Euſebium: Et hecatonſtylon, & ludis circenſibus exhibiti equorum 40 miſſus. Quin hoc ipſo in Cæſare apud eundẽ Euſebium, tum & Abbatem Vrſpergenſem, mendoſe legitur Thracia, pro Arabia. Nã Philippopolis Thraciæ urbs, quæ olim Poneropolis, Plinij ætate (ut apud ipſum extat lib.4.cap.11.) Trimontium, à ſitu dicebatur, compluribus ante hunc Philippũ Cæſarem ſeculis fuit cõdita. Pomponius Lætus, è quo autor noſter bonã magnamq; partem huius Cæſaris tranſcripſit, hanc ipſam rem plenius explicat his uerbis: In natali agro urbem ſui nominis condi iuſſit Philippopolim: et ne quis ambigat, aut nominis ſimilitudine decipiatur, altera eſt in Thracia Philippopolis, quã Scythæ diripuerunt, regum Macedoniæ opus. Euſebij mendũ Vrſpergenſi quoq;, itidẽ ut Cuſpiniano, impoſuit.

Pag.ead.uerſ.48.

91 Euſebius Sext. qui eius uxorem.) Ita potius lege & diſtingue: Euſebius ſeptẽ, quĩ eius uxorem. Variat autem Euſebij codex, in textu habens numerum 7. in margine 5. Ego ſanè malim de quinq; annis credere, tum ob Sex. Aurelij & Eutropij autoritatem, qui huic Philippo annos duntaxat quinq; tribuunt: tum quia Oroſius libro 7. cap. 28. ita ſcribit: Igitur mortuo, ut dixi, Conſtantio in Britannijs, Conſtantinus imperator eſt creatus, primus Imperatorũ Chriſtianus, excepto Philippo, qui Chriſtianus annis admodum pauciſſimis, ad hoc tantum cõſtitutus fuiſſe mihi uiſus eſt, ut milleſimus Romæ annus Chriſto potius q̃ idolis dicaretur. A Conſtantino aũt ſemper omnes Chriſtiani Imperatores uſq; in hodiernũ diem creati ſunt, excepto Iuliano, quem impia (ut aiunt) machinantem, exitiabilis uita deſeruit. Hæc equidem Oroſij uerba multo magis quinq; quàm ſeptẽ annis quadrant, quemadmodũ et Otho Friſingẽſis ſexto imperij anno occiſum ſcribit. ita ut nõ immeritò Cuſpinianus ſuſpicetur alibi, eum dem

dem Orosium,itemq; Cassiodorũ, perperàm habere annos septẽ. Quanq; & Niceph. Callistus lib.5.cap: 25.Ecclesiast.historiæ Philippo huic annos 7 tribuat.

Non pudet autẽ fateri candido lectori, ignorare me,quibus nam fretus autoribus Cuspinianus,paulo suprà hac ipsa pag.uers.40 scripserit,hunc Philippũ nõ ex animo Christianis mysterijs initiatũ fuisse, sed fraude Punica Christiani nominis cultum simulasse. Scio quidem eundem ad modũ retulisse Pomp.Lætũ, & à Io.Baptista Egnatio hunc Philippũ hisce uerbis (Sunt qui à Christiana pietate non abhorruisse Philippum tradunt, quorũ testimonio hominis perfidia fidem abroget) finitũ esse: sed herclè Eusebius Pamphilus,qui nõ toto pòst seculo uixit,tãtoq; magis certus & fide dignus est testis (quem & idẽ Niceph.sequitur) hunc Philippũ primum omniũ ex Romanis Impp. Christianũ fuisse, sine ulla exceptione, scribit in Chronicis Hoc ipsum prolixius testatur idẽ autor in Ecclesiast.hist.lib.6.cap.25.redditus ab interprete his uerbis: At Gordiano,cũ per 7.annos Romanũ gubernasset imperiũ,Philippus unà cum Philippo filio succedit.De hoc traditũ nobis est, q; Christianus fuerit: & in die Paschæ,id est,in ipsis uigilijs,cũ interesse uoluisset,& cõmunicare mysterijs, ab episcopo loci nõ prius esse permissum,nisi cõfiteretur peccata sua,& inter pœnitẽtes staret: nec ullo modo copiã sibi mysteriorũ futurã,nisi prius per pœnitentiã culpas,quæ de eo ferebãtur plurimæ,diluisset. Ferũt igitur,libenter eum quod à sacerdote imperatum fuerat,suscepisse,diuinũ sibi inesse metũ, & fidem religionis plenissimã rebus atq; operibus comprobans. Iterũ eodem lib.cap.29.ita scribit: Interea Philippo septem annis principatu administrato,Decius succedit.Qui pro eo quòd infestus esset Philippo,persecutionem ecclesijs suscitat. In qua Fabianus in urbe Roma martyrio coronatus,sedẽ sui episcopatus Cornelio dereliquit. Hæc omnia Eusebius. Idem uerò asserere etiã Paulum Orosiũ, iam ipsius uerbis relatũ extat: & consentire neotericos scriptores plerosq; omnes,tum historiographos,tũ iureconsultos ac philologos,notius est quàm ut ulla opus sit recensere nomenclatura. Certè è ueterũ nullo suam adsertionẽ Cuspinianus haurire potuit,ut qui mox pag.88. uer. 2.ipse ita scribat:Hæc paucula ex Orosio,Eutropio, Aurelio,Eusebio excerpsimus.Nam ex ueterib.nullus extat,qui Philippi uitam cõscripserit (hoc enim uerbũ substitues.pro eo quod mẽdose in Cuspiniano extat,nõ scripserit) quẽ in hunc quidem uiderim diem, præter Ioannẽ Monachũ Græcũ,qui aliàs Zonaras dicitur. Hæc Cuspinianus. Eutropij quidem uerba suspicionis aliquid inducere uidẽtur,dum scribit: Ambo inde ab exercitu interfecti sunt,senior Philippus Veronæ, Romæ iunior. Annis quinq; imperauerunt:inter diuos tamen relati sunt.Hoc enim de ea consecratione,qua defunctis quibusdã Cæsaribus diuorũ nomen & cultus deferebatur (Græcis ἀποθέωσις dicebatur is honos, cuius quidẽ ritus & ceremoniæ apud Herodianũ lib.4.prolixè describũtur) intelligi oportere,nemo paulo eruditior dubitare potest: ut quia Eutropij seculo necdum moris erat,per Rom.Põtifices quenquã in sanctos referri: atq; ipse, quantumuis angusta in Epitome, haud temerè hoc prætereat silentio,si quisquã Imperatorũ pagana illa deificatione consecratus fuit. Sed hoc honoris habitũ fuisse etiã ei principi qui à paganismo defecisset ad Christianismũ,equidem parũ est uerisimile.Ego, ut quod sentio,dicã breuiter,Zonaræ scripta neq; uẽdi unquã:neq; si ille cõtra Philipporũ Christianismũ sine probatis autorib.aliquid affirmet,plus fidei haberem q̃ Eusebio, Nicephoro, & receptæ in ecclesia Christiana persuasioni.Eutropius aũt & ipse posterior fuit Eusebio,& eius uerba Philippis Christi professionẽ necessariò haud adimũt.Potuit enim senatus, potuit exercitus diuinos honores defunctis decernere,parũ uel gnari uel soliciti, an Christi religiõe unq̃ fuissent initiati:uti cõstat etiã pessimis aliquot principibus istiusmodi consecrationẽ contigisse,ut Claudio illi,homini uerè fungino (cui quidẽ hoc negabat,& nimis uulgari hunc honorẽ falsè querebatur Ianus in concilio deorũ,ut extat in Apotheosi quã in Claudiũ lusit Seneca)itẽ & Domitiano,quẽ occisum ut populus indifferẽter tulit,ac senatus effusissimè lætat⁹ est: ita miles tam grauiter accepit,ut statim eũ Diuũ appellare conatus sit,teste Sueton.Præterea uerò suspicionẽ illã ex Eutropio collectã multo fortius diluit, id quod ipsemet Eutrop⁹ alibi disertè scribit,scilicet etiã Constantinũ magnũ Imp. meruisse in Diuos referri,quem Christianũ fuisse extra omnẽ omnino est controuersiã. Quin & eius patrẽ Constantiũ, quantumuis Christianis æquũ et familiarẽ,scribũt in deos fuisse relatũ. Egnatij quidẽ argumentũ de Philippi perfidia,est perfrigidũ:cum eodẽ multo facilius probare quis possit,neq; diuũ Paulũ, uas illud electiõis, Christianũ fuisse:ut taceã,innumeros alios Christo hostes aliquando infensissimos,pòst cultores eiusdem factos omniũ ardentissimos. Porrò uulgato autorũ serè omniũ cõsensui eo magis adhæreo,q; etiã in libris Passionũ,ac Chronicis qbusdã uernaculis lego, huic Philippo aliũ fuisse filium ex Seuera uxore, nomine Quirinũ,qui q; Christianus ipse quoq; esset,fuerit occisus à Decio: siue,ut alij tradunt, sub Claudio Imp. cuius corpus diu pòst per Oddariũ & Adalbertũ duces Baioariæ & Norici aduectũ sit è Roma in monasteriũ Tegersee,sub alpibus,ad lacũ omni genere optimorũ pisciũ refertissimũ,septẽ à Monachio miliaribus,ab ipsis conditũ,et sub diui patris Benedicti regula amplissimis reditibus exornatũ.A patruo meo Ioãne Hungero,presbytero,dũ uiuebat,& docto & pio,meæq; pueritiæ apud Monachiũ exactæ studioso formatore,ac multis modis de me optimè merito(qui in eodẽ cœnobio pestis cuiusdã tẽpore domicilũ diu habuit)itẽq; alijs testibus omni exceptiõe maioribus, iam olim cognitũ habeo, uix aliud in omni superiori Germania esse monasterium,ubi nostra patrumq; memoria maiore pietate, deuotione, frugalitate, ac omni regularis uitæ obseruatione fratres cohabitarent.

bitarent. Sanè quum anno Salutis M. D. X L. illac ex Oeniponte in Baioariã redirẽ, Abbas præsidebat D. Henrichus Kunzner Kopstainius, nõ magis quidem præesse, quàm exẽplo ac doctrina prodesse gnarus. Priorem aũt agebat D. Michael Pryhauser, uir ultra nostri & seculi & regiõis monachos eruditus & disertus. qui hospitali exceptũ prandio, æquè literatis pijsq; sermonibus, ac eleganti ciborũ lauticie pascebat: fratres alij ita morati, ut quasi chorus beatorum dici possent, quẽadmodũ D. Hieronymus de clericis Aquileiensibus laudatissimis quodã loco scriptũ reliquit. Sed redeo ad Philippi filiũ D. Quirinũ: è cuius quidem historia hæc eadẽ, quæ nos iam suprà diximus, in mediũ profert, ac collatis temporibus scitè & prolixius explicat doctiß. uir, et antiquitatũ, præsertim Germanicarũ, scrutator longè oculatissimus, Volphg. Lazius Medicus Viennens. li. 2. cap. 2. rerũ Viennensiũ. Per me tamẽ, de Philippis patre ac filio, Christiani fuerint an minus, lector eruditus, quod placebit, statuet: ego id quod suppetebat in præsentia, historiarũ studiosis candidè uolui cõmunicatum.

EX DECIO CAESARE.

Ipso exordio, Pag. 88. uers. 16.

92 Decius, teste Aurelio Sexto, è Bubali inferioris Pannoniæ urbe.) Quin omnibus in Aurelij editionib. hodie ita lego: Decius è Pannonia Bubalia natus. Pomponius Lætus habet Bibali. At Euscbius in Chronicis, item Eutropius & Egnatius, Bubaliæ habent. Non sunt autores nunc ad manum, qui doceant quidnam horum sit rectissimũ. Bubali tamen à Cuspiniano consultè hic scriptum esse, satis liquet ex eiusdẽ oratione ad principes Germaniæ contra Turcã exhortatoria, quam malè hactenus neglectam, Cæsarũ historiæ adiungi nos curauimus. In ea oratione, laudibus Pannoniæ hæc quoq; uerba Cuspinianus adijcit: Vt meritò olim hæc terra produxerit Cæsares & Augustos potentissimos, qui totum penè orbem rexerint: Deciũ scilicet è Bubali ortũ: Claudium II. qui urbẽ potentẽ Colos&war cõdidit, è Dalmatia oriundum: Aurelianũ, è Syrmio progenitũ: Probum Cæsarẽ, item è Syrmio: Diocletianũ, è Dalmatia, quæ regio huic terræ similiter adscribitur: Carum Illyricũ, cum filijs Carino & Numeriano: Valentinianũ seniorẽ, ex Cibala ortũ, cum fratre Valente: & Valentiniani filium Gratianũ, è Syrmio congenitum. Hæc Cuspinianus ibi. Hic aũt mox uersu 5. claude periodũ, post uocem dignitates. Inde uerò nouam periodũ ita prosequere, ut inter uoces militibus & Illyricianis ne distinguas quidem, tantum abest ut puncto finiente secernas: quo modo, cũ amanuense oscitante, hic somniauit Hædio.

Ibidem uers. 31.

93 Placidus & comis.) Rectè hoc: idq; cò moneo, quòd apud Sex. Aurelium, etiam in Frobeniana editione, pro comis, mendose legitur cõmunis.

Pag. 89. uers. 8.

94 Iornandes tradit, Deciũ cupientem Philopoli ferre opem.) Tum hoc loco, tũ mox uersu ab hoc tertio, ubi eadem est menda, lege Philippopolim (de qua Thraciæ ciuitate paulo antè in Philippo est annotatum) item uersu proximo Berœam, pro Beroã. utraq; uox sincera extat Pomponio: sed qui Iornandem, unde sua desumpsit, non ita ingenuè, atq; hic Cuspinianus, profitetur. Pagina sequ. uers. 10. pro occupatus, lege occupatas, puta urbes & prouincias.

EX GALLO CAESARE.

Pag. 90. uers. 18.

95 Vndiq; compluriũ urbium uastatione.) Lege cum plurium, ut habet ipse Pomp. Lætus: cuius uerbis totus fermè hic Cæsar, adiũcto & Aemiliano, est transcriptus. Hædio ut hic germaniũ sensum attigit, ita locum proximè annotatum sanè q̃ absurdè uertit, scilicet hoc modo: Hadrianus hat das, das ander zůhanden genommen, &wider zůweg bracht. id est: Hadrianus ea quæ alij occuparũt, ipse recuperauit. Cæcus fuerit, qui non uideat hæc opposita frõte pugnare cum mox sequentibus. Id enim potius & sentit, & clarè eloquitur Cuspinianus: Hadrianũ quidem hostibus restituisse urbes & prouincias quasdã (nempe pacis studio omnia trãs Euphratem ac Tigrim relinquentẽ, deficientibus nationibus quas Traianus subegerat, uti suprà in ipsius Hadriani uita autor memorat) per alios Imperatores eisdẽ hostibus bello ademptas. idq; fortè exemplũ ad Galli Imp. defensionẽ adduci posse: attamen uideri, istud magis Hadriani liberalitate, quàm fœda hostiũ formidine factũ. At uerò qui Rom. Imperiũ hostibus tributariũ fecisset, ante hunc Gallũ inuentũ esse neminẽ.

EX VALERIANO ET GALLIENO. Pag. 92. uers. 41.

96 Sed cũ & hic Mæonius spurcissimus esset, per errorem breui, ubi Imperator est factus, à militibus pro suæ luxuriæ meritis interemptus est.) Hic uerborum ordo turbatus est, unaq; obscuratus sensus. Trebellius Pollio omnia plana reddit, qui inquit: Sed hic quoq; spurcissimus fuit, quare Imperator appellatus per errorem, breui à militibus pro suæ luxuriæ meritis interẽptus est. Pag. 95. uers. 43. pro, hic unus uel potest addi, uel firmus: rectius leges, hic uel unus, aut, uel hic unus.

EX FL. CLAVDIO ET QVINTILLO. Pag. 96. uers. 40.

97 Pleriq; hunc, teste Aurelio Sex. Gordiano satũ ex Licensa muliere matura arbitrantur.) Nescio an data opera author hic noluerit rem ipsam tam apertè profari, quàm Aurelius ipse, qui dicit: Dum adolescens à muliere matura institueretur ad uxorem. Sed omnino procliuius est suspicari, Cuspinianum in Aurelij deprauatum codicẽ incidisse. Quid enim hæc superstitiosius dissimulet, qui Neronis, Caligulæ & Heliogabali nefanda flagitia sustinet commemorare? Profectò uocem adolescens rectè legi, ac pro ea in quibusdam Aurelij codicibus perperam extare à Licensa, nemo

tam indoctus est quim facilè intelligat. Hædio, si Aurelium ipsum consuluisset, non equidem Licensam mulierem ipsi Gordiano ridiculè feciſſet uxorem. An autem Cuspinianus, dum hoc loco scribit, Claudium Imperatorem è nobilissima familia Claudia fuisse natũ, sequatur classicũ autorẽ ullum, parũ mihi compertũ est. Equidem ex ijs quæ inferius in Philippo annotaui, uidetur omnino potius ex Flauia familia descendisse, atq; ad Imperium restituisse ueterem illam Vespasiani gentem Flauiam.

EX AVRELIANO.

Pag. 98. uers. 9.

98 Ob multa quæ tum puero acciderũt omnia, ꝓdigia, & auspicia imperij.) Res ipsa clamat, multa & omnia cõuenire nõ posse: ac legendũ esse omina, prodigia. Illa sigillatim recitat Flauius Vopiscus, cuius codices quosdã idem obsedisse mendum, liquet ex Egnatij castigatione.

Pag. ead. uers. 50.

99 Qui etiã scelera exercitus sui perferre nequiuit, sed Aureliano sponte prodidit.) Opinabar initio hunc quoq; locũ mendosum esse, atq; ita legendum: se Aureliano spõte dedit. Ita enim scribit Treb. Pollio: Et cũ multa Tetricus feliciter egisset, diuq; imperasset, ab Aureliano uictus, cum militũ suorum impudentiam & procacitatem ferre non posset, uolens se grauissimo principi & seuerissimo dedit. At nullam hic subesse mendã, pòst apertè cognoui, scilicet ex uerbis Euscbij & Eutropij. Ille in Chronicis ita inquit: Aurelianus, Tetrico apud Catalaunios prodente exercitũ suum, Gallias recepit. Eutropius eadẽ uerba repetiuit, inquiẽs: Ipse Tetrico prodente exercitũ suum. Item ex Fla. Vopisco, qui in hoc Aureliano ita scribit: Vehementer irascens quòd adhuc Tetricus Gallias obtineret, occidentem petijt: atq; ipse Tetrico exercitũ suum prodente, quòd eius scelera ferre non posset, deditas sibi legiões obtinuit. Deniq; se pro sed substituere, sine copula, præcedentibus parũ conueniret. Paulo pòst, scilicet pag. 99. uers. 6. pro cenophoriũ, lege ex eodẽ Vopisco Zænophruriũ: mansio nempe, quæ fuit inter Heracleam & Byzantiũ. In Tacito pag. 100. uers. 5. pro permisit, iuxta eundẽ Vopiscum, lege promisit.

EX PROBO CAESARE.

Pag. 101. uers. 13.

100 Valerium Flaccum, adolescentem nobilem, parentem Valeriani, è Quadorũ manu liberauit.) Ne fortè indoctis, tum & doctis, sed qui solam Ciceronis & felicioris illius seculi linguã Latinã cognouere, mirũ uideatur, qua ratiõe hic adolescẽs dicatur Valeriani, scilicet Imperatoris, iam grandæui, parens: sciendũ est, à Cuspiniano parentem hic, uti & à Fl. Vopisco, usurpari pro cognato siue propinquo. Hædio tamẽ nihil hoc loco uidit, quin parentẽ pro patre interpretaretur. Alciatus noster in l. appellatione parentis. ff. de uerborũ signif. docet, hodie uulgò parentes intelligi, qui sunt eiusdẽ gentis, & inuicem quoquo modo coniuncti. idq; nec latuisse D. Hieronymũ lib. aduersus Rufinũ 2. Hinc & parentelã, apud Capitolinum in Gordiano legi. Queritur sanè Io. Baptista Egnatius, Capitolinũ ea in uoce malè uti lingua latina. At herclè ibi nõ magis usurpata uideri potest parentela pro affinitate, quàm paternitate, ut ita loquar. Nam Misitheus, de quo ibi Capitolinus loquitur, nõ modò Gordiano iuniori despõsata filia socer factus est, sed inde semper etiã loco charissimi parentis habitus: id quod uel mutuis ex epistolis apertè cognoscitur, quarum tituli sunt, referente eodem Capitolino: Domino filio & Augusto Misitheus socer & præfectus: Imperator Gordianus Augustus Misitheo patri et præfecto. Et in hac quidem, uerba hæc extant: Mi pater, uerũ ais dias uelim. Probatur hoc idem ex loco quem suprà initio Philippi annotauimus, Annot. 87. Parẽtes aũt pro necessarijs seu propinquis, non hi tantũ, sed alij quoq; eiusdem ferè seculi scriptores pluribus in locis dixere, quàm ut recenseri conueniat. Vnũ tamen & alterũ, ut spero, proferam citra lectoris fastidiũ, qui simul & mendas quasdã tolli ex authoribus, & ambigua sedulò à nobis exponi cognoscet. Eiusdem igitur Vopisci in Tacito Imp. hæc extant uerba: Cornelium Tacitũ scriptorem historiæ Augustæ, quòd parentem suũ eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit: et ne lectorũ incuria deperiret, librũ per annos singulos decies scribi pollicitus in euicis archijs iussit, & in bibliothecis poni. In his Vopisci uerbis facilè quiuis intelligit, parentẽ multo rectius pro consanguineo quàm patre accipi, cum Tacitus Imperator ducentis fermè annis post Cor. Tacitum historiographũ uixerit. Itaq; Cuspinianus suprà in Tacito hanc rem ipsam quoq; narrans, parũ oculatè sic scripsit: Corn. Tacitũ historicũ patrẽ suum appellauit. Dictionem aũt euicis in Vopisco mendosam esse, ut nihil dubito, ita quã rectius substituã aliã, q̃ fortè cũctis, in præsentia equidẽ nõ inuenio: ideoq; lectori studioso amplius excutiendam relinquo.

Videtur porrò eundẽ ad modũ Constantinus Augustus quoq; in l. 1. C. de omni agro deserto, lib. 11. Diuũ Aurelianũ Imperatorẽ parentem suum nominasse, ut qui fortè aliquo necessitudinis gradu contigerit Claudiũ Imperatorẽ, è cuius familia descendit Constantinus. Sanè Lucas Pennatus, Constantinianæ legis interpres (magis ille quidem in bonorum authorum lectione uersatus, quàm superioribus seculis in Iura commentarios scribentium quisquam alius) censet, Aurelianum ita Constantino parentem dictum, quemadmodum in sacra Scriptura, itemq; Legibus, patris aut parentis nomine aliquãdo etiam aui ac reliqui ascendentes solent designari: ut extat D. Hieronymi in Danielem annotatio, relata in Decretalibus c. 2. de uerborum significatione: & scribunt Iureconsulti Caius & Paulus in Pandectis eodem titulo, l. appellatione parentis. & l. Iurisconsultus. §. parentes. de gradibus consanguinitatis. Sed ei sententiæ ego accedere non possum, tum quia nullius autoris

ris testimonio mihi probat, Aurelianũ inter Constantini maiores ullo gradu referri: tum quia potius huic cõtrariũ scio Fl. Vopiscũ in ipsius Aureliani uita scribere, his quidẽ uerbis: Aurelianus filiã solã reliquit, cuius posteri etiã nunc Romæ sunt. Aurelianus nãq; proconsul Ciliciæ, senator optimus, sui uerè iuris, uitæq; uenerabilis, qui nunc in Sicilia uitam agit, eius est nepos. Quidni uerò Vopiscus recensuisset longè magis ipsum Constantini patrem Constantium Cæsarem, ad cuius tempora uixit, si erat de Aureliani nepotibus? Idem deprehenditur ex eo, quod idem Vopiscus paulo pòst narrat hoc modo: Dicebat Aurelianum quodam tempore Gallicanas consuluisse Druydas, scisciantem utrum apud eius posteros imperium permaneret? tum illas respondisse dixit: Nullius clarius in Repub. nomen quàm Claudij posterorum futurum. Et est quidem iam Constantius imperator eiusdem uir sanguinis, cuius puto posteros ad eam gloriã, quæ à Druydibus pronunciata sit, peruenire. Quod idcirco ego in Aureliani uita constitui, quia hæc ipsi Aureliano cõsulenti responsa sunt. Hæc Vopiscus: è quibus constare quidem uidetur, Constantinũ inter Aureliani posteros referri non posse. ideoq; uerbum parentis, in iam citata Cõstantini sanctione, pro necessario seu propinquo accipi oportere: quacunq; tandem ratione Aurelianus Constantino coniunctus fuerit. Atq; hæc iuxta meliorem Latini sermonis usum, qui cum primis Iureconsultis nostris fuit proprius, ita sanè uidẽtur habere. Nam aliàs, ut apud scriptores quosdam à ueterum loquendi norma iam degenerantes non desunt exempla, ubi etiã collaterales, qui modò inferiores sunt, appellantur nepotes: ita nec uideo cur non ijdẽ collaterales, modò superiores ij sint, queant appellari aui aut parentes. quo sensu etiã Lucæ Pennati expositio locum habere potest.

Porrò Legũ codices, atq; ipsos Cõstantini necessarios semel ingressi, etiã aliud in iuris studiosorũ gratiam non inuiti huc adijciemus. Nempe cum doctissimus Alciatus lib. 5. Parergon, cap. 3. explicans Iustiniani nostri titulum, seu cognomenta, scripsit Imperatores orientis Flauij prænomen (in quo & neoterici quidam alij inter se rixantur) solitos sibi addere, ut ipse opinatur, ob Constantini Magni memoriam, qui huiusmodi fuit prænomine: optasse me aliquando & rationem aliquam ab Alciato expositã fuisse, unde ipsi Constantino hoc potius quàm aliud quoduis prænomen fuisset. Mihi equidem uidetur origo haud obscurè deprehendi posse ex uerbis Trebellij Pollionis, quæ in uita optimi principis Claudij ita habent: Talis in Repub. fuit (scilicet Claudius) ut eius stirpem ad imperiũ summi principes eligerẽt, emendatior senatus optaret. In gratiam me quispiam putet Constantij Cæsaris loqui, sed testis est & conscientia, &c. Paulo pòst adijcit ista: Ille uelut futurorũ memor, gentes Flauias, quæ Vespasiani & Titi, nolo aũt dicere Domitiani, fuerãt, propagauit. Præterea duas post pagimas ita narrat: Pugnatũ in diuersis regionibus, & ubiq; auspicijs Claudianis uicti sunt Gothi, prorsus ut iam tunc Constantio Cæsari nepoti futuro uideretur Claudius securam parare Rempub. Statim uerò relatis ibi sortibus quibusdã, unde intelligi posit genus Claudij ad felicitatẽ Reipub. diuinitus constitutum fuisse, idem subiungit: Quæ idcirco posui, ut sit omnib. clarũ, Constantiũ diuini generis uirum, sanctissimum Cæsarem, & Augustæ ipsum familiæ esse, & Augustos multos de se daturum, saluis Diocletiano & Maximiano Augustis, & eius fratre Galerio. Deniq; idem scribit: Quoniã res bellicas diximus, de Claudij genere & familia saltẽ pauca dicenda sunt, ne ea quæ scienda sunt, præterisse uideamur. Claudius, Quintillus & Crispus fratres fuerũt: Crispi filia Claudia. ex ea & Eutropio, nobilissimo gentis Dardanæ uiro, Cõstantius Cæsar est genitus. Fuerunt etiã sorores: quarũ una Constantia nomine, nupta tribuno Assenioriũ, in primis annis defecit. De auis, nobis parum cognitũ: uaria enim plerique prodiderunt. Hæc omnia Trebellius Pollio: quæ quidem apertè ostendunt, qua ex familia accesserit Iustiniano quoq; prænomen Flauij: nimirũ ea ipsa Flauia, quæ Vespasianũ, eiusq; filios dedit (quanquã recentioribus quibusdã Legũ interpretibus hoc ita usum est absurdũ, ut potius quiduis opinarentur aliud) ac Flauij uocem, potius nomen quàm prænomen, ipsi Constantino fuisse. Etsi enim apud Romanos uetères præcederẽt prænomina, unde & dicta: tamẽ usus ille postea sæpe uariatus fuit, quod in Cõmentarijs super Institutionib. titulo De exhæredatione liberorum, attestatur nobilis & magnificus D. VIGLIVS Zuichemus Phryſius, Iurecons. longè omnium doctiss. atq; in supremo aulico Cæs. Maiestatis cõsilio apud Belgas integerrimus præses: uir iam olim Ingolstadij erga me collegã immerentẽ tanta beneuolentia affectus, ut nõ modò præsenti genus omne gratiæ et officij benignè exhiberet, sed multos quoq; post annos absentis mei lõgissimè augendis cõmodis ultrò prospiceret: uir inquã, præter diuinũ ingeniũ, summam doctrinã, dicendi facultatẽ singularem, complurium linguarũ cognitionẽ, & maximarũ rerum amplissimam experientiã, tot præclaris alijs animi, corporis & fortunæ bonis exornatus, ut uix in omni uita ulla in natione oculis conspexerim, quẽ huic conferre possim. Atq; eius in me benefactis plurimis, etsi probè intelligã nudæ ac breuis orationis munere haudquaquã parem gratiã referri posse: tamen ipsius nomine ultrò nostris hoc loco incurrente lucubrationibus, gratitudinis eius quæ nobis, ut decet, memori mente fixa perpetuò inhæret, non potui nõ qualemcunq; testificationẽ hic quoq; edere, donec grauiore aliquo monumẽto eandẽ illustrius cõprobare liceat. Opinor aũt supradictam uariationẽ, quæ olim diuersis scriptorũ seculis circa usum prænominum enata est, ipsi quoq; Cuspiniano suprà initio Claudij impo fuisse, ut eum diceret ex nobilissima familia Claudia natum, scilicet qui à legeret Flauius Claudius: ideoque Flauij prænomen, Claudij autem nomen, familiam

miliam designans, opinaretur. Quòd autem principes eorum nomina, ex quorum sanguine uolebant uideri descendisse, olim sibi adoptabant, exemplum adfert Cuspinianus infrà in Cõstantino, scilicet pag. 115. uers. 31. de Licinio, qui se in publicis monumẽtis M. Iulium Licinium Licianũ scribebat, quoniã genus suum ad M. Iulium Philippum Augustum referebat, teste Capitolino. Qualitercunq; uerò Vespasiani uocabulũ ipso in Vespasiano accipias, certè in Tito eius filio constat cognomen fuisse. Eum namq; Suetonius ita orditur: Titus cognomine paterno, amor ac deliciæ generis humani, &c. nimirum ut Titus sit prænomen: Flauius nomen, familiã ipsam indicans: Vespasianus cognomen, sumptum, ut appareat, à gente Vespasia, cuius fuit Vespasia Polla, mater ipsius Vespasiani. Auus Vespasiani, scilicet paternus, dictus fuit Titus Flauius Petronius: patri cognomen fuit Sabinus, teste Suetonio cap. Vespasiani 1. Nicephorus Callistus lib. 3. Ecclesiast. historiæ, cap. 9. memorat Flauiam Domicillam, Flauij Clementis Consulis Rom. neptim, ob fidei Christianæ confessionem à Domitiano Cæsare in insulam Pontiam fuisse relegatam. Neq; uerò cum supradictis quicquam pugnat, quòd Iuuenalis Satyra 4. de Domitiano Cæsare ita scribit: Cum iam semianimũ laceraret Flauius orbẽ Vltimus. —— Nam quo tempore Iuuenalis satyras condidit, scilicet sub Traiano Cæsare, uidebatur, ob tyranni Domitiani uehemẽter etiamnũ exosam memoriã, ultimus ille Flauiorũ imperasse, nec quisquã ex illa gente posthac unquã imperaturus: cui tamen seu persuasioni, seu uoto, fata ipsa nõ addixere, quæ post annos fermè ducẽtos à morte Domitiani Flauiũ Claudiũ, eiusq; in de posteros aliquot ad Imperij fastigium reduxere. Langobardi quoq;, cum per annos decem sub potestate ducum interregnũ egissent, ac tandem cõmuni consilio Autharũ sibi regem XII. statuissent, eundẽ ob dignitatẽ Flauiũ appellauerũt. Quo prænomine omnes qui postea fuerunt Langobardorũ reges, feliciter usi sunt: teste P. Diacono li. 3. cap. 8. Langobardiorum. Sed hoc nihil ad gentem Flauiam, aut rem præsentem.

Postremò sciendum, ubi ipse Constantinus Imperatorem Aurelianũ Diuum appellat, idem interpres Pennatus hæc uerba adijcit: Diui dicuntur Imperatores, qui iustè & laudabiliter se gesserunt, Imperiũ & rempub. gubernando, quasi diuini uel cœlestes, diuo, id est cœlo digni. Ineptã esse hanc expositionem, perspicuum est ex ijs quæ de Principũ quorundam consecratione suprà ad finem Philippi Cæsaris annotaui. At Pennato quidem, cui seculum suũ meliora non tradebat, lõgè magis debetur uenia, quàm neoterici quibusdam scriptoribus, qui nimiũ crassa historiarum ignorantia, Imperatores quosuis nullo discrimine Diuos appellãt. Admonui aliquãdo amicum, celebris ciuitatis Senatorẽ, nõ probari mihi initium inscriptionis, quam eius ciues publicè in porta pontis fecissent, in Caroli V. Augusti (quem Dei clementia nobis diu saluum conseruare dignetur) honorem, ita exorsi: DIVO CAROLO, &c. Quis enim unquam princeps uiuens in diuos relatus, aut apud Latinos Diuus appellatus fuit? Nõ ignoro, Horatiũ Flaccũ imitio libri 2. Epist. Cæsari Augusto scribere,

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasq; tuum per nomen ponimus aras.

Sed fuit hic honos à priuatis (inter quos & ciuitates ipsæ habentur, teste Caio nostro in l. eum qui. de uerb. significatiõe: ne fortè quis de palma apud Tarraconenses in Augusti ara, quæ enata fuisse scribitur ipso superstite, cõtrà argutari conetur) Augusto habitus, uti quisq; in eũ erat animatus, fortè ob aliquod eius meritũ. ut exemplo est Tityrus ille Virgilianus, qui lætabundus cecinit:

O' Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit:
Namq; erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Et habet uulgata paræmia, Homo homini deus. Potuit etiam cultus ille Augusto seu priuatim seu publicè quoq; exhiberi, ob seculi illius Augustalis communem omnibus felicitatem. Porrò solebant Ethnici per nullius non Cæsaris Romani genium iurare: id quod liquet ex uerbis Vlpiani, in l. si duo patroni. tit. de iureiurando. Quo ex loco etiam apertè colligitur, quur Tertullianus dixerit: Citius per omnes deos, quàm per unum genium Cæsaris deieratur: cæterùm ab apotheosi Romanorum illa publica longissimè ea absuere omnia. An uerò Augustus uiuens Deum se uocari, aut adorari sineret? qui nec Domini appellationem ferre potuit, imò ut maledictum & opprobrium semper exhorruit: & statuas argenteas sibi positas conflauit, & Apollini dedicauit: de quibus omnibus plura Suetonius in ipsius Augusti uita, cap. 52. et seq. Scribit quidẽ Eutropius, Augustũ morientẽ appellatiũ Diuum: & ita uocari, tam frequens est Plinio & alijs, ut rarò Diui nomen omittatur. at pulchrè Seneca lib. 1. de Clemẽtia, cap. 10. inquit: Deum esse, non tanquã iussi credimus, bonum principem Augustũ, & bene illi conuenisse parentis nomen fatemur, ob nullã aliam causam, quam quòd contumelias quoq; suas, quæ acerbiores principibus solent esse quàm iniuriæ, nulla crudelitate exequebatur, etc. Marcus Antoninus, ut est apud Vulc. Gallicanũ in Auidio Cassio, ad Faustinã uxorem ita scripsit: Non enim quicquã est quod Imperatorem melius cõmendet gentibus, quàm clementia. Hæc Cæsarem deum fecit, hæc Augustũ consecrauit. Neq; aliter quàm secundum hæc ego putauerim accipienda, quæ Suetonius in eodem Augusto cap. 59. memorat, de templis, aris, ludisq; Augusto consecratis: & quæ Eutropius sub initiũ lib. 8. de Traiano scribit, inquiẽs: Ob hoc per orbem terrarum Deo proximus, nihil nõ ueneratione meruit, & uiuus & mortuus. Hinc Agesilaus, inclytus ille Lacedæmoniorũ imperator, Thasios populos insulanos, à quib. adhuc uiuens apotheosi honoratus fuerat, facetè et liberè derisit, ut extat apud Plutarchum in Apophthegmatis. In summa, ut tandẽ hæc finiamus, uiuorũ neminẽ olim inter diuos referri

referri solitum, probat euidentissimè Corn. Tacitus, qui ubi narrat de adulatione Senatus in Neronem, post detectam & punitã quorundam in ipsum coniurationem, libro 15. ita claudit: Reperio in commentarijs Senatus, Cerialem Anitium designatũ pro sententia dixisse, ut templum Diuo Neroni quàm maturrimè publica pecunia poneretur: quod quidem ille decernebat, tanquam mortale fastigiũ egresso, & uenerationem item hominum merito, quòd ad omina (sic enim pro uoce omnia, quam uulgò habent codices, legendũ est) olim sui exitus uerteretur. Nam deûm honor principi non antè habetur, quàm agere inter homines desierit. Hæc Tacitus.

Ibidem uers. 20.

101 Aurelianus illi Decumanos exercitus tanquam fortissimo tradidit, ut si sibi scienti contrarium aliquid eueniret, Probum principem faceret.) Decumanam legionem, Decumanos milites, cohortes legi: non autem decumanos exercitus. Itaq; aliter, ac cõmodius, hæc omnia uerbis extulit Vopiscus, inquiens: Probo Decimanos fortissimos exercitus sui tradidit. Et paulo pòst: Aurelianũ in animo hic habuisse, ut si quid sibi scienti prudentiq; eueniret, Probum principem faceret.

Pag. 102. uers. 16.

102 Reliquias ultra Nigrũ & Albim fluuios remouit.) In Vopisco extat Nicrum. Optarim mihi explicari, quis hoc in loco fluuius siue per Nigrum, siue Nicrum demonstretur. Ego quidẽ alium intelligere non possum, quàm eum qui hodie Neccarus uulgò uocatur, non ita longè à Danubio, propè caput syluæ Hercyniæ, puta supra Rotuilam, scaturiens, & peragrata Vuirtemberga infra Heydelbergam sese exonerans in Rhenum: à quibusdam etiam dictus Nicrus, Nicerus, & Nicer, uti autor Panegyrici Constantino Constantij F. dicti meminit Niceris fluuij. Licet enim Rhætia iam olim sub Augusto esset subiugata, tamen nõ ultra Danubium ea extendebatur: & poterat in eo tractu qui inter Danubiũ & Neccarum uersus Hercinia iuga bene amplus excurrit, maxima Germanorum multitudo degere: & cõmodius fortè Romanos recens in Germaniam inferiorem reuersos infestare, quàm Rhætiæ iam diu munitos tentare limites. Ita sanè ut sensus sit, Germanorum reliquias à Probo Cæsare bello repressas fuisse partim ultra Neccarum, scilicet uersus Meridiem seu Rhætiam, ac Hercyniã syluã: partim ultra Albim, in Septẽtrionẽ: adeò ut quà inter duo illa flumina protenditur Germania (hodie continens ferè Franciam, Hessiam, Thuringiam, Vuestualiam, & prouincias huic finitimas) nullæ tum essent Romanis metuendæ hostium incursiones. Equidem & Rhætiam postea per Probum pacatã, statim subiungit ipse Cuspinianus: quasi eæ Germanorum reliquiæ in Hercyniam reiectæ, atq; Neccaro inclusæ, Rhætiam tum inquietarent. Attamen re omni expensa paulo accuratius, uerisimilius uidetur, Germanos ultra dextram siue Septentrionalem Neccari ripam per Probum fuisse remotos. Mouet primùm, quòd audio in ea ipsa ripa adhuc extare compluribus in locis antiquissimarum munitionũ uestigia: & Cuspinianus hic narrat, Probum trãs Rhenum in hostico castrametatum ita excubias collocasse, ut semper pugnaret, in eã redigens necessitatem Germanos, &c. At Germanis in Hercynia iuga cõpulsis, dextra seu Septentrionalis Neccari ripa non erat ipsa Romanis hostica, sed potius sinistra. Deinde uerò quis credat, Probum omne id gentium ac terrarum, quæ amplissimo illo tractu inter Neccarum & Albim cõtinebantur, unica expeditione subiugasse: quum annis ferè trecentis totis Romani antea, quantumuis crebris & grauibus bellis, non adeò multum in Germania promouissent? Aequè uerisimile non est, hostes retrò in Rhætiã depulsos: cui magis ferè quàm Rhenano limiti, aut cuiuis alij prospiciundum erat. Postremò adducit in hanc me sententiam Annotatio quædam, ad Anacephalæosin Abbatis Vrspergensis in Cæsarem Henricum Quintum his uerbis in margine adsperſa: Hinc coniectura est, quicquid inter Rhenum est et Nicrũ, uelut in prouinciæ formam redactum, aliquot annos Romanis paruisse. Hinc tantum uetustatis reperias non solum in Nicri littore, sed in intermedijs etiã locis. Hinc apud Ettlingam, patriam meam, tabula lapidea fuit reperta, cui Neptunus erat insculptus, de qua in Paralipomenis meis infrà. Hæc annotator ille. Opinor itaq;, Probum à superiori Rheni regione Germanos ultra Neccarũ, & ab inferiore ultra Albim fluuios submouisse: nimirũ utrobiq; prolato in Septentrionem Rhenano limite. De Rhætia postea pacata quod adferebamus, nil prorsus obstat, cum ipsa & suis nationibus motu domestico turbari potuerit. Ac puto quidem eandem in sententiã, in Panegyrico cuius initiũ, Cum omnibus festis diebus, ad laudem quoque Maximiani Imp. ita referri: Ingressus es nuper illã quæ Rhætiæ est obiecta, Germaniam, similiq; uirtute Rom. limitem uictoria promulit. Et paulo ante eum locum inquit Panegyrista ille: Quicquid ultra Rhenum prospicio, Romanũ est. In alio ad Constantinũ Imp. Panegyrico, cuius exordium est, Facerem sacratissime Imp.) hæc extant de Rheno uerba: Vbi iam plurimos hausit amnes, quos hic noster ingens fluuius & barbarus Nicer, & Mœnus inuexit. Sed malo eruditiores hæc exactius rimari, & lecto Vopisco alijsq; probatis scriptoribus historiæ ueritatem eruere. Neccari seu Nicri totũ cursum à capite usq; ad eius ostia, & quæ in ipsum exonerent flumina, luculenter ob oculos ponit Iacobus Spiegelius, super librum 6. Austriados Richardi Bartholini: si tamen absit menda à librario inuecta, nempe dictione Rotenburgã post Taxagetũ dispuncta, atq; ante Tubingam suum in locum transposita. Hædio interpres hic quoq; pulchrè suo se functũ putauit munere, si ipsa Latina authoris nomina reliqueret. Sed quid ille in Geographicis curiosius observasset, aut restituisset, qui mox in sequẽti periodo non

non intelligẽs quid hoſticum eſſet (quia eam uocem a-manuenſis indoctus elemento capitali perperàm initiauerat) accepit ac uertit pro loci ſeu oppidi cuiuſdã nomine proprio, ita quidem, Ihenſit dem Rhein bey Hoſtico: id eſt, Trans Rhenum, iuxta Hoſticum. Ego ſanè inter annotandum eam mendulam, ut nimis minutam & apertam, tranſieram. *Quis enim hodie in Latinorum autorũ lectione uel paulùm progreſſus, ignoret hoſticum non modò adiectiuè accipi pro hoſtili, uerũetiam ſubſtantiuè pro hoſtili ſolo? uti continentem ſimpliciter dicimus pro terra quæ inſula non eſt, & eius generis alia plurima. Vlpianus noſter in Pandect. l. ult. de militari teſtamento, itemq; in Tit. de bonor. poſſeſ. ex teſtamento militis, ita loquitur: Omnes omnino qui eius ſunt conditionis, ut iure militari teſtari non poſſint, ſi in hoſtico deprehendantur, & illic decedant, quomodo uelint, & quomodo poſſint teſtabuntur. Plinius in Panegyrico ad Traianum: Quippe non ut ex hoſtico raptæ, perituræq; in horreis meſſes, nequicquam quiritantibus ſocijs auferuntur: deuehũt ipſi quod terra genuit, quod ſidus aluit, quod annus tulit. Nazarius rhetor in Panegyrico dicto Conſtantino Auguſto, deſcribens eius triumphum poſt deuictũ Maxentium, inquit: Nam captiui alienigenæ introitum illum honeſtauerunt, ſed Roma iam libera, nil ex hoſtico accepit, ſed ſeipſam recuperauit. Sic & Barbaricum ſimpliciter uſurpant Latini ſcriptores, pro terra quæ Barbarorum eſt. Eutropius in Auguſto: Vicit autem prælijs Dacos, Germanorum ingentes copias cæcidit: ipſos quoq; trans Albim fluuium ſubmouit, qui in Barbarico longè ultra Rhenum eſt. Idem in Decio: Cùm biennio ipſe & filius eius imperaſſent, uterq; in Barbarico interfecti ſunt. Aelius Lampridius in Alexandro Seuero: Milites expeditionis tempore ſic diſpoſuit, ut in manſionibus annonas acciperent: nec portarent ciboria decem & ſeptem (ut ſolent) dierum, niſi in barbarico: quamuis & illic mulis eoſdem atq; camelis adiuuerit, dicens: Milites ſe magis ſeruare quàm ſeipſum, quòd ſalus publica in his eſſet. Extat in Codice Iuſtiniani ſub tit. Quæ res exportari non debeant, lex Imperatorum Valentiniani & Gratiani, his uerbis: Ad Barbaricum tranſferẽdi uini, olei & liquaminis, nullam quiſquam habeat facultatem. Vt uerò Accurſius ibi rectè adijceret, Ad Barbaricum, ſcilicet ſolũ: puto edoctum fuiſſe tum ex locis Vlpiani iam relatis, tum ex lege Leonis Imp. quæ proximo titulo de Eunuchis, in Codice ſubſequitur, ubi id ſubſtantiuũ expreſsè adiungitur. Atq; hæc non ideo attigi, quòd animus ſit omnes interpretis in translata per ipſum Cuſpiniani hiſtoria lapſus exponere: ſed ne quiſquam temerè clamet, quoſdam locos, ut ſua ſponte apertos, prorſus ſuperuacaneè me annotauiſſe.*

Ibid. uerſ. 18.

103 Trans Rhenum in hoſtico caſtrametatus, excubias collocauit, ut ſemper pugnaret, in eam redigens neceſsitatem Germanos, ut non modò nomine Reguli ſupplices ad pedes Probi procumberent, ſed etiam.) *Videbam hic ſanè mendam, ut quam nemo non uideat: ſed reſtituere non poteram, donec Vopiſcum inſpicerẽ, cuius hæc ipſa eſt narratio & uerba, ſed ita ut pro* nomine *ſcriptum extet* nouem.

Pag. 103. uerſ. 8.

104 Ingurgitabat enim ſe ille perpetuò uini hauſtu, ueretroq; exonerabat.) *Vnius hic elementi eſt menda, ſed quæ tamen ignarum rei medicæ morari poſſit, utcunq; Hædio rem attigerit. Lege itaq;, ueratroq;. Eſt autem ueratrum Latinè, quod Græcè helleborus: de cuius ſpeciebus, itemq; ad uomitum concitandũ uiribus, copioſè lego apud Aëtium Tetrabibli 1. Sermone 3. cap. de uomitu, ſcilicet 119. & multis ſequentibus: & apud Io. Meſuæ Damaſcenum, & doctiſsimum eius ſcholiaſten Iacobum Syluium, lib. 2. ca. 30. quod eſt inſcriptum* De helleboro.

Pag. ead. uerſ. 28.

105 Confugientem eum in turrem ferratam, quam pro ſpecula exædificauerat, interemerunt, anno imperij.) *Ita quidem & Vopiſcus narrat, quaſi turris ea ferrea fuerit: ſed Euſebius magis uidetur innuere, ei turri nomen fuiſſe Ferratæ. nã is, inquit Probus, tumultu militari apud Syrmium in turri quæ uocatur* Ferrata, *occiditur.* Nõ *negarim, à ferro ſic dictam: ſed interim ſcripturam hic quoq; ita habere uelim, ut nomen turris peculiare quiſq; agnoſcere queat. Obſeruabis quoq;, poſt uerbum* interemerunt, *perperam eſſe puncto finitam periodum: atq; itidem mox in Caro, uerſ. 9 poſt uerbum* interfecerint.

EX DIOCLETIANO.

Pag. 106. uerſ. 46.

106 D. D. N. N. IMPP. CAES.) *Hæc inſcriptio bene habet, præterquam quòd uel totam maiuſculis exaratã oportuit, quomodo extat in Hædionis uerſione: uel meris minutis, non autẽ diuerſo charactere, quaſi non una eſſet, conuulſam. Apud Pomp. Lætum, in editione Frobeniana, depraua ta hæc extat inſcriptio: atq; hinc emendari poterit.*

Pag. ead. uerſ. 52.

107 Turba ruſticorum in Gallijs Bugãrida rum, uel, ut alij ſcribunt, Baugaridarum nomine, tumultus excitauit, ducibus Amando & Heliano.) *In magna hiſtoricorum uariatione ſcire non poſſum, quis huius factionis uerum prodiderit nomen, aut cuius codicis ſincera ſit lectio. Eutropij hæc extant uerba: Cùm tumultum ruſticani in Gallia concitaſſent, & factioni ſuæ Baucadarum nomen imponerent, duces autem haberent Amandũ & Aelianum. Euſebius in Chronicis, iuxta Sichardi editionem, ita habet: Diocletianus in conſortium regni Herculium Maximianũ aſſumpſit, qui ruſticorum multitudine oppreſſa, qui factioni ſuæ Baccharidarum nomen indiderit (puto uerò legendum, indiderant) pacem Gallijs reddit. Oroſius Vocaũdas nominat, Pomp. Lætus Bagaudas. Ego opinor Celtas factioni ſuæ nomen non niſi lingua ſua Celtica indidiſ-*

se. Ea aũt cùm non multũ discriminis habuerit cũ nostrate Germanica, ut doctorũ quidã cẽsent, reciperẽ potißimũ uocẽ Baucadarum, ut cui è nostra lingua omnium facilimè ac conuenientißimè expositio, non uno modo rei adcommodã, adferri possit. Hæc aũt ipsa rusticana conspiratio paucis uerbis perquàm luculẽter ob oculos ponitur in Panegyrico olim Diocletiano Augusto, & Maximiano Cæsari dicto, cuius exordium est: Cum omnibus festis diebus. Cuspinianus quidem paulo suprà, uers. 40. eum Panegyricum Eumenio rhetori tribuit: sed ex eius qui proximè in Panegyricorum uolumine, iam olim ipsum per Cuspinianum nostrum castigato consequitur, inscriptione liquet, potius Mamertini id esse scriptum. Et quisquis tandem sit author, ubi ille cumulatè Maximianum à cognomẽto Herculij cõmendauit, eumq; dixit non minus Diocletiani adiuuisse uictorias, quàm Hercules olim Ioui contra gigantes utilem ac necessariam nauarit operam, mox hæc uerba subiungit: An non illud malum simile monstrorum biformium in hisce terris fuit, quod tua Cæsar nescio utrum magis fortitudine repressum sit, an clementia mitigatum: cum militares habitus ignari agricolæ appetiuerunt, cum arator peditem, cum pastor equitem, cum hostem barbarum suorum cultorum rusticus uastator imitatus est. Quod ego cursim prætereo: uideo enim te, qua pietate es, obliuisci illius uictoriæ malle, quàm gloriam. Hæc ille.

Pag. 107. uers. 3.

108 Cum autem ea quoque tempestate Quingentiani Africam infestarent, Maximianus in Africam translatus, Quingentianos deuicit.) Miror cur hic Quingentianos uocet, quum statim ipse scribat, Quinquagenarios, & suprà eum numerum annorum milites fuisse, qui Africam diripiebant. Magis etiam miror in Læto, qui cum eodem exponat modo, tamen Gentianos appellat, nisi codicem mendosum dicas. Certè Eusebius, Eutropius, Orosius, & Iornandes, Quinquegentianos appellant.

Pag. ead. uers. 18.

109 Sed quum undique iterum noua nascerẽtur bella, & in Oriente per Narseum, & in Britannia Carausium, in Italia ambo Augusti, duos sibi adoptauêre Cæsares.) Locum hunc mutilum esse, maleq; distinctum, & à Cuspiniano aliter scriptum, facilè potest demonstrari. Neque enim lego hos duos Augustos unà fuisse in Italia, cùm duos sibi Cæsares adoptarent: sed fortè Diocletianum in Aegypto, & Maximianum in Gallijs. Præterea eodem tempore in Italia quoq; fuisse, qui aspiraret ad tyrannidem, nempe Iulianum, disertè scribit Sex. Aurelius, his quidem uerbis: Hoc tempore Carausio in Gallijs, Achilleus apud Aegyptum, Iulianus in Italia, Imperatores effecti. Attingit idem Abbas Vrspergensis, & mox infrà uersu 3 ipse Cuspinianus. Quare ita hunc locum implendum ac distinguendum ego putauerim: Et in oriente per Narseum, & in Britannia per Carausium, per Iulianum turbaretur in Italia, ambo Augusti, &c. Cui minus placet uerbum turbaretur, substituat tumultuaretur, rebellaretur, aut quoduis consimile. Poteram uerò hanc castigationem tribus absoluisse uerbis, si Eutropij li. 9. prius uidissem, qui hunc locum omni expedit menda, hæc scribens: Ita cùm per omnem orbem terrarum res turbatæ essent, & Carausius in Britannijs rebellaret, Achilleus in Oriente, Africam Quinquegentiani infestarent, Narseus Orienti bellum inferret, Diocletianus Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum, Constantium & Maximianum Cæsares.

Ibid. uers. 26.

110 Imò à militia strenua nomen & famã assecutus haud uulgarem. Qui apud Bonnam tractum Belgicæ pacandum mare susceperat, & obseruãda Oceani littora, quæ tunc Franci & Saxones infestabant.) Pro Bonnam, legendum esse Bononiam, docet res ipsa: tum quòd Bonna urbs erat Germaniæ secundæ, ut quidem Amm. Marcellinus sub finem lib. 15. Agrippinam (quam supra quarto miliario Germanico, eadem ripa est Bõna) & Tungros huius prouinciæ primarias ciuitates recenset, longius ab Oceano positas: tũ quòd contrà Bononia Oceano proximæ, & quasi eidem obseruãdo pro specula extructa. id quod eiusdem Marcellini uerbis, quæ libro 20. hunc in modum extant, clarum est. Et quoniam, cùm hæc ita procederent, timebatur Lupicinus, licet absens, agensq; etiam tum apud Britannos, homo superbæ mentis & turgidus: eratq; suspicio, quòd si hæc trans mare didicisset, nouarum rerum materias excitaret, notarius Bononiam mittitur, obseruaturus solicitè ne quisquã fretum Oceani transire permitteretur. Præterea nominatim arguit ac restaurat huius loci mendam Eutropius, cuius quidem locũ Cuspinianus, excepto narrationis initio, huc propè ad uerbũ transcripsit: Post hæc, inquit, tẽpora, etiam Carausius, qui uilißimè natus, in serenæ militiæ ordine famam egregiam fuerat consecutus, cùm apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepisset, quod Franci & Saxones infestabant, &c. Apparet itaq; hoc in loco non tãtùm pro Bonnam substituendum esse Bononiam, sed etiam pòst inserendam præpositionem per, hoc modo: qui apud Bononiam per tractum Belgicæ, &c. Nescio an hic Britanniarum occupator Romanus fuerit, an Celta quispiam: certè nomen ipsum quod dicitur à strenua militia adeptus (nisi nomen generaliter pro celebritate aut fama accipias) Germanica lingua ducẽ impigrũ non ineptè repræsentat. Carausius enim potest uideri appellatus fuisse, quasi exterminator hostium: ut exitium Germani figuratè uocant, den garauß. & exitium adferre, den garauß machen. Craußij autem nomen fortè habuit, quasi crispi, siue à capillo, siue à moribus, siue potius ab utroq;: quemadmodum uernacula paræmia dicere solemus, Crispus capillus, crispus

ſpus ſenſus: in eum ſcilicet, qui animoſior eſt, uarijſq; moribus. Sed fortuita hæc coniectatio eſt.

Pag. ead. uerſ. 50.

111 Pluribus regibus Sironitarum.) Pomp. Lætus habet Scionitarum: ut & paulò antè in nominibus regum Perſiæ uariat, pro Varrace & Vareane ſcribens Varoracem & Varoranem: ſiquidem ſincera eſt Frobeniana editio. Obſeruandum & illud, ſiquidem bene habet Læti narratio, abauum pro proauo, & atauum pro abauo, per Cuſpinianum non ſatis oculatè poſitum. Quid quòd, iuxta Læti genealogiam, Varraces Artaxerxem neq; atauum neq; abauum habuit: ſed Regnaum quendam, quem Artaxerxes ipſe olim Perſis præfecit, abauum agnoſcit? Zonarã cenſeo ſuper his cõſulat, qui habet. Quòd autem Eutropius hunc Narſeum ſcribit Hormiſdæ & Saporis auum, cum his non pugnat: ut qui nõ de his, ſed illo Hormiſda & Sapore intelligat, quo rũ inferius ſub finẽ Conſtantij fit à Cuſpiniano mẽtio.

Pag. 108. uerſ. 2.

112 Cui ante carpentũ per mille paſſus occurrit.) Quanquam Suetonius in C. Caligula, cap. 26. narrans quàm ille in Senatum quoq; irreuerens ac contumelioſus fuerit, ita ſcribat: Quoſdam ſummis honorib. functos, ad eſſedum ſibi occurrere togatos per aliquot paſſuũ millia paſſus eſt, &c. mihi tamen hic à Cuſpiniano ſcriptũ fuiſſe uidetur cucurrit: tum quia uerbũ occurrere hoc loco conſequentia uerba, ſcilicet antequã audiretur, non tam aptè recipitur, quàm apud Suetoniũ: tum quia alios potius ſcriptores hac in re Cuſpinianus ante oculos habuit, puta Euſebiũ, Eutropiũ & Abbatem Vrſpergenſem, qui omnes hanc rem narrant, & uerbo Currere utuntur: & præſertim Pomp. Lætũ, qui ita loquitur: Galerius purpura indutus (nam Cæſar erat) mille paſſus ante carpentũ indignati principis pedes cucurrit, ueluti homo gregarius, et auditus nõ eſt. Eutropius ſub finem lib. 9. hanc eandem rem ita narrat: Pulſus igitur, & ad Diocletianũ profectus, cum ei in itinere occurriſſet, tanta inſolentia fertur à Diocletiano exceptus, ut per aliquot paſſuũ millia purpuratus tradatur ad uehiculum cucurriſſe. Hæc ille. Vt uerò hanc contumeliam Diocletianus ueluti notam militarẽ Galerio inuſſit, ita ſæpe olim uiri etiam clariſs. cum ſummis principibus hoc officij genus honoris gratia ultrò exhibuerunt: id quod ex ſuperius adducto Suetonij loco apparet. Idem Suetonius in Galba, cap. 6. Ipſe maximè inſignis, q, campeſtrem decurſionẽ ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum imperatoris per 20 millia paſſuũ cucurrit. Eutropius in Auguſto: Multi aũt reges ex regnis ſuis uenerunt ut ei obſequerentur, & habitu Romano, togato ſcilicet, ad uehiculum uel ad equũ ipſius cucurrerũt. Neſcio uerò an hoc ipſo Eutropij loco uerba illa, togato ſcilicet, & uel ad equum, nõ ſint ſuperuacanea, & ex gloſſemate in textũ pertracta, ut alia quædam in alijs eiuſdem autoris locis, etiã poſt optimam omnium Heruagianam editionẽ extant. Nicephorus Calliſtus in Eccleſ. hiſt. lib. 18. cap. 19. conſimile quiddam narrat de Hormiſda rege Perſarum, qui Varamo duci exercitus ſui à Rom. deuicto præfectu ram ademit, & muliebrem ſtolam miſit. Hædio hic Carpentũ fecit nomen propriũ loci, ſcilicet quia ſcriptum erat litera capitali, cuius generis lapſum & ſuprà in Probo annotatione 102 retulimus. Tanti eſt, in mendoſis codicibus remiſſiore uerſari animo.

Ibidem, uerſ. 17.

113 Qui cum firmiſsimo ſubſidio Meſopotamiam conceſſerat.) Puto omiſſam præpoſitionem in: & eandẽ quoq; in Læto, cuius hæc ſunt uerba, deſiderari. Hanc enim poſt uerba motũ ad locum ſignificantia ferè addi appellatiuis, & maiorũ locorum uocabulis, etiam pueris notum eſt. Attamẽ author nõ rarò omittit, ut inferius in Gratiano pag. 142. uerſu 8. iuxta Vrſpergẽſis uerba dixit, Pannoniã ueniens: item pag. 149. uerſ. 43. Liguriam reuertitur: & in ſumma, ſæpius multo quàm ut amanuenſis erratum uideri poſſit. Eadem pag. uerſ. 25. pro ad Genſoriacum oceanum, lege Geſſoriacũ, ut apud Lætum extat.

Ead. pag. uerſ. 51.

114 Scripſit ſe prius peſte liberatum.) Sext. Aurelius, item Eutropius, Vrſpergenſis & Lætus hanc rem multo aliter narrant: nempe Diocletianum iſta reſcripſiſſe aliquando non Conſtantino & Licinio, ſed Herculio collegæ & Galerio genero, à quibus ad imperium recipiendũ ſtimulabatur. Cæterùm Conſtantino ac Licinio ad nuptias uocantibus, ſenectutem excuſauit. Cuſpinianus cum utrumq; haberet cognitum, perperàm confudit, quæ diuerſa erant. Mox infrà pag. ſequenti, uerſu 15. pro nonnulli, lege nonnullis.

Pag. 109. uerſ. 13.

115 Fuit aũt Valerius Maximianus Herculeus.) Quem hic apud Sextũ Aureliũ uocetur Aurelius Maximianus, ne quis hic mendum ſubeſſe opinetur, ſciendum eſt, huic utrumq; nonen præponi: quemadmodum ex inſcriptione quadã, quæ apud Lætum extat, licet cognoſcere, hoc modo: M. AVR. VAL. MAXIMIANO AVG. Apud Eutropium uno loco Maximinianũ, una ſcilicet ſyllaba nomẽ auctius, lego. De Maximinis duobus, uter, item an uterq; Maximianus, uide Lætum: & mox inferius ipſum Cuſpinianum, qui omniũ diligentiſsimè hoſce omnes uſq; ad Conſtantinum Magnum Imperatores & familia & nomine diſtinguit.

Ibid. uerſ. 22.

116 Sed Maxentium ſuppoſitũ ferunt arte mulieris, tenere mariti animũ laborantis, auſpicio gratiſsimi partus cœpti à puero, licet illi poſtea nunquã fuerit charus.) Apud Sex. Aurelium longè diuerſa eſt lectio, nempe hæc: Auſpicio prauiſsimi cœpti à puero: is Maximianus charus nulli unquam fuit, nec patri, aut ſocero quidem Galerio. Ego eam lectionem, quam Cuſpinianus ſuo in Aurelio uidetur habuiſſe, omnino ſaniorẽ

censeo: quòd illa admodũ est sensu hiulco & frigente: hæc autem apta breuitate, quæ Aurelio peculiaris est, idipsum satis exponit, quod res innuit: nimirum cum uxor Maximiani Herculij mariti animum cuperet sibi retinere deuinctum & obnoxium, ac ipsum enixè optare prolẽ intelligeret, simulauit se grauidam: uel cum reuera grauida esset, ac filiam enixa, subiecit filium Maxentiũ, quo partus primus per se marito gratus, fieret ob prolem masculam longè gratissimus. Hoc uerò ipsum est, quod Aurelius dicit, Tenere mariti animũ laborãtis auspicio gratissimi partus, cœpti à puero: id est, masculo. Neque enim hic puer pro infante accipiẽdus est, sed ad puellæ seu fœminæ prolis differentiam. Ex his uerò liquet, cætera quoq;, quæ in Aurelio proximè sequuntur uerba, esse mendosa: & ex Cuspiniano, qui uel sincerã suo in codice lectionem habuit, uel corruptam dextrè ac sanè percepit, non difficulter posse restitui, puta cum uerba Aurelij ita haberent: Is charus nulli unq̃ fuit, nec patri, aut socero quidem Galerio: adspersit sciolus quispiam glossema, quod postea in textũ est tractum. Is, scilicet Maximianus, ut de quo hactenus idẽ loquebatur Aurelius. Sed quis credat Maximianum illum cognomento Herculium, collegam Diocletiano in Augustali maiestate, fuisse generũ Galerij Maximiani Armentarij? (nam de altero Galerio, olim Daza dicto, ut posteriore, ne somniandũ quidẽ est) quem Diocletianus tunc demũ adoptauit, quum ipse Herculius Constantiũ Chlorum adoptaret, eidemq; priuignã suam Theodorã uxorem daret, scilicet iam ipse maritus, suumq; proinde habens socerum. Intelligi itaq; debuit Sextus Aurelius non de Maximiano, sed de Maxentio, qui tametsi à matre esset suppositus, quo mariti animũ illo ut charissimo pignore deuinctum sibi teneret: tamen is nemini unquã, adeoq; ne patri quidem ipsi, scilicet putatiuo (ut nostri loquuntur) Maximiano Herculio, aut socero Galerio charus fuerit. Simile est quod Suetonius in Tiberio Cæs. cap. 59. de ipsius sæuitia & improbitate ex Vrbani cuiusdam uersiculis ita memorat:

Asper & immitis, breuiter uis omnia dicam?
Dispeream, si te mater amare potest.

Sic & Virgilius lib. 7. Aeneid. de immanissima furia Alecto: Odit & ipse pater Pluton, odere sorores Tartareæ.-- Author quoq; panegyrici dicti Constantino, cuius exordiũ est, Vnde mihi tantũ cõfidentiæ: de Maxẽtio supposito pulchrè meminit, atq; ita quidem, ut locus uideatur hic relatu dignus: præsertim qui & alia quædã in his Cæsaribus à Cuspiniano memorata attingat: Vt enim omittã illa, inquit, quæ non decet comparari, q. erat ille Maximiani suppositus, tu Constantij P[illegible] filius: ille despectissimæ prauitatis, detortis solutis[illegible]bris, nomine ipso abusiua appellatione mutilato: [illegible] quod sufficit dicere, tãtus ac talis: ut hoc inquam omittam, te Constantine paterna pietas sequebatur, illum (ut falso generi non inuideamus) impietas: te clementia, illum crudelitas: te pudicitia soli dicata cõiugio, illum libido stupris omnibus contaminata: te diuina præcepta, illũ superstitiosa maleficia. Hæc ille: è quibus nimirũ abũdè constat, meritò hunc Maxentium nemini unquã charũ fuisse, ut qui tyrannus tam nefarius, omniq; uitiorũ genere cõtaminatissimus fuerit. Mox quoq; à puero mentem apparuisse in ipso parum sanam, & inamabile ingenium, satis fit uerisimile ex eo, q. cũ magna spurcitie tantum habuisse scribitur cõmercij, quã nemo bonus ac prudens unquã sectatus est. Deniq; nec mulieris pro muliebri malè uidetur legisse Cuspinianus apud Sextũ, cum sequatur: Tenere mariti animum laborantis. Etsi non negem, dictionem laborantis, ad artẽ muliebrem (quã inferius pag. 112. uersu ult. ubi hæc repetũtur, & ipse Cuspinianus agnoscit) rectè quoq; posse accõmodari, eundemq; ferè manere sensum. Quin mutata animi sententia, hoc ipsum ferè prætulerim, tum quia in omnibus Aurelij editionibus lego muliebri, non mulieris: tum quia idem Aurelius in Claudio Tiberio inquit, Dum arte muliebri corrupti custodes ægrum simulãt. Denique & doctissimus uir NICOLAVS GERBELIVS in præfatione, quam prorsus & necessariã & luculentam Cuspiniano præfixit, hunc locũ ita se restituisse profitetur. Illud probare non possum, q. idem Gerbelius legit capti, pro cœpti: cum durè atq; inusitatè, ni fallor, dicatur partus captus à puero, pro puerperio primo initiato à puero, seu masculo. Si uoles aptare cum dictione auspicio (ut sanè latinè dici, capere auspicium, nemo ambigit) certè nõ capti, sed capto legendũ est, quò suo cum ablatiuo congruat. Sed neq; tale quicquam in ulla Sexti Aurelij editione extat: neq; obscurũ est, ipsi rei quæ narratur lõgè cõmodius quadrare, Auspicio gratissimi partus cœpti à puero, eo nempe sensu quem nos paulo antè exposuimus. Malo tamen hæc omnia emunctioris naris censoribus expendenda subijcere, quàm pertinacius quicquã diffinire. Id uerò quod uulgò in Aurelij codicibus, ipso etiam Frobeniano, extat, scilicet Auspicio prauissimi cœpti à puero, nõ puto ulli docto placere posse.

Ad extremum, nec illud lectorem cõmonefacere graue fuerit: in Sex. Aurelio Victore, cũ primis hoc loco, Cæsarum inscriptiones parum aptè esse distinctas. Quòd enim caput uni tribuitur Galerio Maximiano, uix illum primis uerbis attingit, aliorũ ferè exitus perstringens: tum ijs expositis, uelut alterã narrationis præcipuam quandam instituens partem, mores singulorũ explicat: ita quidem, ut nõ nisi absurdè hæc omnia potuerint plura in capita secari. Ego itaq; in Sex. Aurelio, unà cũ ipso Diocletiano, quatuor proximè sequentium Cæsarũ nomina inscriberem, nec itẽ præterito Constantio & alijs, qui hoc capite seu Augusti seu Cæsares narrãtur: ac inde perpetua oratiõis serie procederẽ usq; ad Constantinũ.

Ibid. uers. 33.

117 Dehinc uiuum cœpit, tum decreto iussus eligere mortis genus. Postremò, fractis laqueo ceruicibus, occubuit.) Si hunc locum

locum desumptum dixerimus ex Aurelio, cuius cum narratione & uerbis bellè quidē conuenit, fatendum est, nōnihil quoq; mendæ eius adhæsisse, qua ipse Aurelius laborat in editione Sichardina, quæ ita habet: Deinde captus, pœnas mortis genere postremo fractis laqueo ceruicibus. In editione Frobeniana haud dubiè lectio Aurelij germana, certè integra & sensu arguto extat, hoc modo: Deinde captus, pœnas mortis genere postremo fractis laqueo ceruicibus luit. quasi dicat, perfidæ ambitiōis, seu potius impiæ perfidiæ in filiū ac generū pœnas, mortis genere omniū ignominiosissimo, nempe suspendio, luit. ut, fractis laqueo ceruicibus, sit appositiuè dictum, explicationis gratia: quo modo et Lætus his ipsis in Cæsaribus (nolim enim longius exempla petere, ut in re clara non necessaria) de Aegyptiaco rebellatore dicit: Achilleus uerò, inquiens, meritas luit pœnas, feris oppositus, & dilaniatus. Idē legisse uidetur Eutropius, qui inquit: Profugit Herculius Massiliā, ibiq; oppressus, pœnas dedit iustissimo exitu. Ex Cuspiniano quoq; mendam omnem tolles, si uocem Postremo, sine capitali scribas, neq; puncto sciūgas, ut sensus sit: iussus eligere mortis genus, postremo, scilicet genere, occubuit, puta fractis laqueo ceruicibus. Atq; hæc quidem aliquando nobis ita erant expensa, uisaq; lectori probè satisfactura. Cæterū ubi postea incidi in doctissimi & reipub. literariæ amantiss. Iurecōsulti Andreæ Tiraquelli cōmentarios de Nobilitate & iure primigeniorū, deprehendi demū quæ genuina esset hoc in loco S. Aurelij lectio, ad quā & reliquos omnes locos emendari oporteret. Nam ubi is cap. 20. numero 106. prolixè explicat, Græcorū & Latinorum adductis testimonijs, pœnā laquei omniū esse uilissimam, fœdissimā, & ignominiosissimā, tum etiā id genus mortis passim apud scriptores informe appellari, deniq; adijcit hæc uerba: Plinius lib. 2. ca. 25. Nat. hist. hanc pœnā scitè præposterā uocat: quia scilicet includitur spiritus, cui debet quæri exitus. Quē secutus Sex. Aurelius: Maximianus, ait, Herculius à Constatino apud Massiliā obsessus, deinde captus, pœnas mortis genere præpostero fractis laqueo ceruicibus. Et hanc sanè pœnā ueluti grauissimā & infamissimā iussit Deus O. M. quibusdā idololatris sacerdotib. infligi, Num. cap. 25. Atq; etiā Iosue iudex princepsq; Iudæorum hac pœna, ut atrocissima, plurimos reges ethnicos affecit, Iosue 7. itemq; 10. Hæc Tiraquellus, quē sua laude fraudare neq; debui, neq; uolui. Quia uerò autor Panegyrici, cuius initiū est, Facerem sacratissime Imperator, dicti Constantino Constantij filio, multo aliter narrat de Maximiani Herculij apud Massiliā interitu, nempe illum Constantini clemētia fuisse futurū saluū, nisi ultrò se uita abdicasset: libet eius autoris uerba subijcere, obiter quoq; à mēdis aliquot uindicata: Sed ô singularē, inquit, tuā Constantine pietatē, et sua semper officia, etiā inter arma, seruantem. Signū receptui dedisti, & uictoriā distulisti, ut omnibus tibi liceret ignoscere, ne quid atrocius faceret miles iratus, q̄ clementiæ tuæ natura pateretur. In quo licet optimi Imperatoris solicitudine caueris, ut inducti in fraudē milites pœnitendi tempus acciperent, atq; ultrò ueniā precarentur: nos tamē qui mitissimos sensus tuos intuemur (nihil enim est tam perspicuū, quam in pectore tuo bonitas) illi te intelligimus peperciss̄e, quem si prima copiam habuisset irruptio, eripere ferro nemo potuisset: ita quod ad pietatem tuā pertinet Imperator, & illū, & omnes quos deceperat, seruasti. Sibi imputet, quisquis uti noluit beneficio tuo: nec se uita dignū iudicauit, cum per te liceret ut uiueret. Tu, quod sufficit conscientiæ tuæ, etiam nō merentibus pepercisti: sed ignosce dicto, nō omnia potes, dij te uindicāt et imuitū. Hæc autor ille.

Pag. ead. uersu 48.

118 Vnde priusquam se imperio abdicarent.) Particula unde præcedentibus nullo modo cohæret: at nec sequētibus satis aptè. Quare ego fortè in autographo exaratū fuisse credo, Hi duo, pro unde, uel quiduis aliud. Paulum infrà, pag. 110. uers. 9. repetitur eadē narratio: Vnde postquā se imperio, etc. quò aut librarij oculus aberrauit, aut ipse autor hæc minus accuratè disposuit.

Ibidem, uersu 53.

119 Claudius uir fuit mitis.) Hic quoq; incuria quapiā scriptū est Claudius, pro Constantius, quem Eutropius & Lætus hisdem nominatim laudibus cōcelebrant, quas hic autor tribuit. Trebellius autē Pollio, qui hic ad partes uocatus, huius loci argumentū tractat in Claudio: ne quis imprudens in Constantio quærat, cuius ille uitam non scripsit.

Pag. 110. uersu 20.

120 Amiaballianū, qui & Gallus dictus est.) Librarij hic est lapsus: cū infrà autor ipse hūc aliquando iuxta Sex. Aureliū, & ferè alios, Annibalianū, aliquando iuxta Lætū appellat Anauallianū.

Ibid. uers. 25.

121 Scribit quidam Græcus, Constantiū ex nouacula cum esset moriturus.) Opinor Cuspinianū hic sentire de eo Græco, quem infrà Constantini uitā scripsisse, & Io. Capnionē uertisse memorat, quæ scripta ego nunq̄ uidi: ac proinde ignoro quid sibi uelint hic uerba ex nouacula. Suspicor herclè subesse mendam, & fortè ab autore scriptum fuisse, extrema uocula, uel extrema hora, uoce ultima, uerbo ultimo: aut deniq;, extremo articulo. Ibid. uers. 46.

122 Cōpressam dracone semen cōcepisse.) Apud Sex. Aureliū in utraq; editione pro semen, lego semet: quod ego quidem prætulerim.

Pag. 111. uers. 26.

123 Nec enim profuerat Christianis salutem recuperatus, sed ad solitā potius paruo interuallo redijt crudelitatē.) Hæc narratio nō modò cum Pomp. Læto discordat, sed etiā ipsa sibi est aduersa: cum statim dictū sit, nō ualuisse Christianorū preces pro cruento tyranno, ut sanè ad crudelitatem pristinā redire nec potuerit quidē. Itaq; uti Cuspinianus præcedētia fermè narrauit ijsdē quibus

Lætus uerbis, ita neq; hic ab eius sententia discessisse, atq; sic potius scripsisse credendus est: Nec enim profuturus erat Christianis salute recuperata (siue salutè recuperans) sed ad solitã potius paruo interuallo rediturus (seu redijsset) crudelitatem. De hoc tamen lector suo arbitrio ipse statuet.

Pag. 112. uers. 30.

124 Vltra ætatẽ & plus quàm anni promitterẽt, non modò hostes profligauit.) Parũ aptè hæc uerba cohærent, et puto ab autore ex Læto ita potius fuisse scriptũ: & plus quàm permitterent anni gessit, & non modò, &c. Paulo pòst ex eodem Læto, imò ipsa Grammatica, pro Hercules, lego Herculem.

Ibid. uersu 41.

125 Publica iumenta quaq; iter ageret, occiderit.) Cum ego meo in Cuspiniano, ac item Aurelio iam mutassem quaque, in quaqua, inueni pòst eodem modo emendatũ apud Aurelium in editione Frobeniana.

Ibid. uers. 47.

126 Potissimũ tamen Eroco Alemannorum rege.) Vrspergensis Croco habet, sed mendose puto: cum & apud Aurelium extet hic Erocus rex Alemannorũ, dignus profectò æternis literarum monumentis, q, eius auxilio Constantinus hic, princeps multis nominib. magnus, ad fastigiũ Rom. imperij ascẽderit. Mox pro assequu. lege assecutus.

Pag. 113. uers. 12.

127 Petijt à ministris orandi tẽpus.) Vt primo aspectu hic obijciebatur scrupulus, quod uerisimile nõ uideretur tyranni idololatræ & Christianis infensissimi satellites impios orationi dicendæ locum dedisse: ita pòst ex Læto clarè deprehendi locũ hunc deprauatũ, ac scribendum esse, Petijt à ministris le ornandi tempus.

Pag. 114. uers. 4.

128 Tyberinũ prætorẽ deuorasse, & statim euomuisse reciso capite. Quod uictor ante currũ spectaculo exhibuit, dum urbẽ ingrederetur.) Hic quoq; et res ipsa monet legendum patrẽ, & patet eodem ex Pomp. Læto, qui inquit: Sunt qui referant, Tiberinũ patrẽ indignatum deuorasse, & statim euomuisse, et caput recisum, adhuc sæuitiã ac libidines præ se ferẽs, spectaculo fuisse ante currũ uictoris. Dignius aũt fuerit super sanguinarij illius, ac Christianis infensi cumprimis tyranni miraculosa atq; ignominiosa nece referre eodem ex panegyrico, quẽ paulo suprà citauimus, locũ, prorsus decoro orationis filo contextũ, & cuiuis erudito pioq; lectori cognoscendũ, quin obiter et mẽda enormi à nobis expurgatũ. Ad primũ igitur, inquit autor, aspectũ maiestatis tuæ, primumq; impetũ totius tui uictoris exercitus, hostes territi fugatiq;, & angustijs Miluij põtis excluſi, exceptis latrocinij illius primis autoribus, qui desperata uenia locũ quẽ pugnæ sumpserant, texêre corporibus: cæteri omnes in fluuium abiere præcipites, ut tandẽ aliquod cædis compendiũ fessis tuorum dexteris eueniret. Cum impios Tyberis hausisset, ipsum etiã illum cũ equo & armis insignibus, frustra conatũ per abrupta ripæ ulterioris euadere, idem Tyberis correptũ gurgite deuorauit, ne tam deforme prodigiũ uel hanc obitus sui relinqueret famã, quòd alicuius uiri fortis gladio, telóue cecidisset. Et aliorũ quidem hostiũ corpora & arma præceps fluuius uoluendo deuexit: illum aũt eodem quo extinxerat loco tenuit, ne diu populus Rom. lætitia dubitaret, si putaretur aliquò profugisse, cuius mortis probatio quæreretur. Sãctè Tybris, quondam hospitis monitor Aeneæ, mox Romuli cõseruator expositi: tu nec falsum Romulũ diu uiuere, nec parricidã urbis passus es enatare: tu Romæ tuæ altor copijs subuehendis, tu munitor mœnibus ambiendis, meritò Cõstantini uictoriæ particeps esse uoluisti, ut ille hostem in te propelleret, tu necares. Neq; enim semper es rapidus & torrens, sed pro temporũ ratione moderatus. Tu quietus armatũ Coclitẽ reuexisti, tibi se placido Cælia uirgo cõmisit: at nunc uiolentus & turbidus hostẽ reipub. soluisti, & ne tuũ lateret obsequiũ, eructato cadauere prodidisti. Reperto igitur & trucidato corpore, uniuersus in gaudia & uindictam populus Rom. exarsit, nec desijt tota urbe, qua suffixũ hasta ferebatur, caput id piaculare fœdari, cum interim (ut sunt ioci triumphales) rideretur gestantis iniuria, cum alieni capitis merita pateretur. Hæc autor ille, Maxentij tyranni uita impijssima dignũ deridens exitium, quod & Nazarius rhetor alio quodã panegyrico his uerbis eloquitur: Non cõmemorabo hic tectas cõtinuis stragib. ripas, non oppletũ aceruis corporũ Tyberim, & inter congestas altè cadauerũ moles ægro nixu ac uix eluctantibus gurgitibus exeuntẽ: quodq; illum ipsum tyrannum non mors uirilis, sed fuga turpis prodidit, & dignum ignauiæ & sæuitiæ exitu fluctus sanguinei necauerũt. Ita Nazarius. Luculenter quoq; Nicephorus Callistus Ecclesiast. hist. lib. 7. cap. 29. eandẽ rem narrat: ad oculũ repræsentata tũ fuisse inquiẽs, quæ de Pharaonis tyranni, eiusq; exercitus submersione in mari rubro memorantur: ideoq; & magni illius serui Dei Mosæ ἐπινίκιον pro Ecclesia huc quoq; accinens. Eodemq; loco doctissimus eiusdem interpres & scholiastes Io. Langus, carmina quædã Prudentij, de Maxentij interitu percõmodè adducit. Vt uerò credam Hædionem in hac Cuspiniani historia alienis multa uertisse oculis, uel hic unus locus facilè mihi persuadet, planissimè suam iuxta mendam in uernaculum translatus.

Ibid. uers. 15.

129 Sed omnia accepta Deo, & imaginibus suis semper crucẽ adscribi iussit.) Quis non uideat, inter prima quatuor uerba desiderari uocem tulit, aut retulit, quod etiã Eusebij in historia Ecclesiast. lib. 9. cap. 9. locus clarè mõstrat. Eum uerò, q, tum hæc Cuspiniani uerba luculenter declarat, tum memorabilẽ cõtinet inscriptionẽ, libens huc integrum

tegrũ adiſciam: Tum uerò, inquit, læti omnes cũ coniugibus ac liberis, S.P.Q.R. ingenti peſte liberati, et iugo tyrannicæ immanitatis exempti, Cõſtantinum uelut ſalutis autorẽ, ac reſtitutorẽ libertatis excipiũt. Ille tamen nec in laudes acclamantis populi, nec in plauſum tantæ urbis, ac talis, animos relaxabat: neq; ſuæ uirtuti rem geſtã, ſed diuino muneri deputabat. Statim deniq; ubi imagines ſibi ob honorẽ triũphanti Senatus erexit, uexillũ Dominicæ crucis in dextera ſua iubet depingi, & ſubter adſcribi: QVIA IN HOC SIGNO SINGVLARI, QVOD EST VERAE VIRTVTIS INSIGNE, VRBEM ROMAM, SENATVMQVE ET POPVLVM ROMANVM IVGO TYRANNICAE DOMINATIONIS EREPTVM, PRISTINAE LIBERTATI NOBILITATIQVE RESTITVIT. Vide Nicephorum libro 7. cap. 30.

Pag. 115. uerſ. 12.

120 Sic Conſtantino Magno in ipſa meridiei hora coram omni exercitu ſupernè apparuit. Aliqui in ſomno.) Videtur ſuperiore in periodo, quo ſenſus ſit integer, ſuperaddi debere crux, aut crucis uexillum, aut ſimulacrũ, quæ uoces ſuprà pagina 113. à uerſu 35. uſq; ad 44. aliquoties extant, ſimiléue quidpiam interſerendum. Quia uerò Cuſpinianus hic memorat de miraculoſa illa ſigni crucis in cœlo apparitione, quæ maximum profectò religioni Chriſtianæ uidetur attuliſſe incrementum: libuit ſtudioſæ iuuentuti, quæ poſthabitis ferè ſacris authoribus, profanos tantũ ſectatur, hanc rem eodem ex Euſebio epiſcopo Cæſarienſe, qui ſub ipſo Conſtantini imperio uixit, ac præterea ex Sozomeno prolixius huc adſcribere, ad gloriã Domini noſtri IESV Chriſti, qui pro uniuerſi generis humani ſalute in ſacratiſſimo illo crucis ligno Deo patri uictima pependit. Ille igitur in Eccleſiaſtica hiſtoria, eodem libro 9. cap. 9. uti Ruffinus eſt interpretatus, ita ſcriptum reliquit:

Cum igitur anxius, & multa ſecum de imminentis belli neceſsitate peruoluens iter ageret, atq; ad cœlum ſæpius oculos eleuaret, & inde ſibi diuinum deprecaretur auxilium, uidet per ſoporem ad Orientis partem in cœlo ſignum crucis igneo fulgore rutilare. Cumq; tanto uiſu fuiſſet exterritus, ac nouo perturbaretur aſpectu, adſtare ſibi uidet angelos, dicentes: Conſtantine ἐν τούτῳ νίκα, In hoc uince. Tum uerò lætus redditus, & de uictoria iam ſecurus, ſignum crucis quod in cœlo uiderat, in ſua fronte deſignat. & ita cœlitùs inuitatus ad fidem, non mihi illo uidetur inferior, cui de cœlo ſimiliter dictum eſt: Saule Saule, quid me perſequeris? ego ſum Ieſus Nazarenus, &c. niſi quia hic non adhuc perſequens, ſed iam conſequens inuitatur. Exin ſignum quod in cœlo ſibi fuerat demonſtratum, in militaria uexilla transformat, ac Labarum (quem dicunt) in ſpeciem Dominicæ crucis exaptat: & ita armis uexilliſq; religionis inſtructus, aduerſum impiorum arma proficiſcitur. Sed in dextera ſua manu ſignum nihilominus crucis ex auro fabrefactum habuiſſe perhibetur. Vide Nicephorum libro 7. capite uigeſimonono. Sozomeni uerò in hiſtoria quam uocant Tripartitam, libro primo, capite quarto & quinto, hæc extant uerba, Epiphanio interprete: In his ergo ſollicitudinibus conſtitutus, in ſomnio uidit crucis ſignum cœlo ſplendidè collocatũ. mirantiq; uiſionem, adſtiterunt angeli dicentes: O Conſtantine, in hoc uince. Fertur autem & ipſum Chriſtum apparuiſſe ei, ſignumq; monſtraſſe crucis, ac præcepiſſe ut figuram ſimilem faceret, & in prælijs auxilium hoc haberet, quo uictoriæ iura conquireret. Euſebius itaq; Pamphyli, cum iureiurando, ipſo Imperatore dicente, audiſſe ſe refert: quia circa meridiem, declinante iam ſole, crucis ſignum ex lumine factum, & ſcripturam conſertam ei dicentem IN HOC VINCE, uidiſſet ipſe, & milites qui cum eo tunc eſſent. Pergente namque aliquò cum exercitu pariter: Hoc, inquit, ei miraculum eſt oſtenſum. Dumq; cogitaret quid eſſet, nox ſuperuenit, & dormienti Chriſtus apparuit cum ſigno quod uidit in cœlo, iuſſitq; ut fieret eius ſigni figuratio, quæ foret auxilium in præliorum congreſſionibus.

Cumq; iam non opus eſſet interprete, ſed apertè Imperatori monſtratũ fuiſſet, quid de Deo crederе cõueniret, mox die facta ſacerdotes Chriſti cõuocãs, de dogmate conſulebat. At illi ſacros libros offerentes, de Chriſto loquebantur, ſuaq; dicta ex prophetis comprobant. Signum uerò quod apparuerat ei, dicebant trophæũ eſſe uictoriæ aduerſus infernũ, quam uictoriã aſcendens in cœlos egit Chriſtus, crucifixus & mortuus, & tertia die reſurgẽs: ſecundũ quod ſperandũ eſſe dixerũt, quia poſt huius uitæ terminũ circa finẽ ſeculi præſentis, omnes homines reſurgãt et immortales exiſtãt: alij quidẽ ad præmia rerũ quib. bene uixerunt, alij ad ſupplicia eo q, ab eis mala ſint geſta. Eſſe tamen etiam in delictis quæ committuntur hic, occaſionem ſalutis, purificationẽq; peccati: nondum initiatis quidem baptiſmatis adeptionẽ, ſecundũ eccleſiaſticam legem: initiatis autẽ, cuſtodiam ne delinquant. Sed quia hoc agere omnino paucorum ſanctorumq; uirorum eſt, docebant quoq; purificationem ſecundam ex pœnitentia cõſtitutam. clementẽ enim eſſe Deum, & ueniam tribuere delinquentibus, ſi pœnitentiam agentes ſtudeant eam operibus roborare. Hæc ſacerdotibus explanãtib. admiratus Imperator prophetias de Chriſto ita promiſſas, iuſſit uiros eruditos ex auro & lapidibus preciosis in uexillum crucis transformare ſignum, quod Labarũ uocabatur. Hoc enim ſignũ bellicũ inter alia preciosius erat, eo quòd Imperatorẽ præcederet, & adorari id à militibus moris eſſet. Vnde præcipuè Conſtantinũ reor nobiliſſimũ decus imperij Romani in ſignũ mutaſſe crucis, ut frequẽti uiſione atq; cura deſueſcerẽt à priori more ſubiecti: & eum ſolum arbitrarentur Deum, quẽ coleret Imperator, uel quo duce atq; auxiliatore uteretur aduerſus hoſtes. Semper enim hoc ſignum proponebatur ante ordines uniuerſos, quod maximè

laborantibus aciebus in prælijs adesse præcipiebat. Cõstituit itaq; certos signiferos, qui in eo laborarẽt: quorum opus erat ut uicibus humeris id ueherẽt, & omnes acies ita lustrarent. Hæc omnia Sozomenus. Hædio uocẽ signum *hoc in Cusp. loco interposuit, quam sanè mireris animaduersionem, ut qui mox in crastioribus aliquot mẽdis nihil prorsus desiderauit. Idem perperàm hoc ipso in loco ex* somno, *fecit* somniũ. *Scribit quidẽ Sozomenus de somnio: sed Cuspinianus ipse, Eusebium secutus,* in somno *maluit dicere, id est per quietem: quæ Suetonio familiaris est locutio. Adde huc quæ diximus infrà in Theodosio, annotatiõe 163. Mox aũt uers.30.* Sed tum genus suũ ad Philippũ, *lege* tamen *pro* tũ, *ut præcedentia postulant. Præterea pag.116.uers.15. pro* Marimianũ, *lege iuxta alios historicos* Martinianũ, *quẽ & ipse autor paulo inferius nominat.*

Pag.117.uersu 4.

131 Deinceps in sobriũ tempus ac natiuũ cætera distulit.) *Etsi huius loci mendũ à quouis intelligi, & restitui, ac quidem citra autoris alicuius præsidiũ, posit, utcunq; Hædioni non obseruatũ: tamen libuit monere, nominatim in Sex. Aurelio extare* matutinũ, *pro* natiuum. *Et quia post* corrupta *deesse uidetur dictio* mẽte, *quæ est in Aurelio, ac postrema huius periodi uerba parũ aptè posita, et magis innuere q̃ dicere quod sentit autor, adscribam ipsa Aurelij uerba: Ingenio quieto, uini auidior, quo ebrius quædam corrupta mente aspera iubebat: qui cum pigeret factũ, differri quæ præcepisset in tẽpus sobriũ ac matutinum statuit. Ex his Aurelij uerbis conijci potest, hunc locũ per amanuensem depraua-tum, & ipso à Cuspiniano aptius fuisse scriptũ, hoc modo:* Vnde nõnunquam ebrius quædam corrupta mẽte iubebat asperius, deinceps ignorãs se quæ antea iusserat, præcepisse, in sobriũ tẽpꝰ ac matutinũ cętera distulit.

Pag.118.uers.11.

132 Et transmisso mari abiecerũt, Byzantium periti augurandi.) *Ita potius hæc distingue:* Et transmisso mari abiecerunt Byzantium. Periti augurãdi, &c. *Verba sunt Pomponij Læti. Mox, uersu 18. ne in scabrosa hæreas sententia, pro* scribit, *lege* scribat.

Pag.ead.uers.30.

133 Si quos priuatus dilexit, opibus honestauit, non dignitate.) *Putabã initio sic potius esse legendũ:* Si quos dilexit, priuatis opibus honestauit. *Sed inueni pòst apud Pomp. Lætum ita extare scriptũ:* Illud in eo principe laudabile memoratur, quòd si quos ex uulgo priuatus dilexit, opibus honestauit, nõ dignitate, &c. *Infrà pag.119.uers. 17. pro* conantes, *lege* conantis.

EX CONSTANTIO ET FRATRIBUS. *Pag.120. uersu 17.*

134 Constantio dissimulante.) *Sed quæ potuit esse dissimulatio, cũ ab eius factiõe occideretur? Putabã ergo aliquando hic pro* Constantio *legendum* Constantino, *aut* Constante, *quasi horũ alterutro cõscio Dalmatium Constantius curasset interfici. Cæterùm si animaduertas ad ea quæ infrà narrantur pag.127.uers.10. intelliges & hic et illic rectè scriptum Constantiũ. Nam & dissimulasse rectè dicitur, qui uel conscius non prohibuit, aut certè nocentes supplicio digno nõ affecit. Et hũc esse autoris nostri hoc loco sensum, ipsamq; historiæ ueritatem, potest ueluti ex cõmentario doceri ex uerbis Eutropij, quæ ita habent: Verùm Dalmatius Cæsar prosperrima indole, neq; patruo absimilis, haud multo pòst oppressus est factione militari, & Constantio patruele suo sinente potius q̃ iubente. Idem planè scribit Socrates in historia Eccleiast. Tripart. iuxta Epiphanij interpretationẽ, lib.4.cap.35. his uerbis: Sciendũ aũt, q̃ cum istis imperauit cõsobrinus eorũ, nomine Dalmatius, uocabulum patris habens: qui dum aliquantisper imperasset, à militib. interemptus est, non iubẽte Cõstantio ut occideretur, nec tamẽ prohibẽte.*

Pag.122.uers.7.& seq.

135 Apud Ticinũ plures fudit incautos. Et ut in uictoria solet audacius ꝓsequẽs, cupidus rursus dimicationis.) *Iuxta Sex. Aurelium potius ita lege & distingue:* Plures fudit incautius, &, ut in uictoria solet, audacius prosequentes. Cupidus rursus, *&c. Victus enim ipse Magnẽtius à Cõstantio in fuga erat. Quod aũt eodẽ in Aurelio pro* Ticinũ, *extat* Thicanũ, *sanè ego ubi ille sit in Italia locus, nõ habeo cõpertũ.*

Pag.ead.uers.32.

136 Exilio uictor multauit, dum esset in Gallia Britannion, quẽ &.) *Iuxta mox sequentia uideri posset, finiendam hic periodum post* multauit: *quẽadmodũ & Hædionẽ uertisse cõperio. Sed Pom. Læti uerba apertè ostendunt, finiendã esse post* Gallia. *Ibid.uers.37.*

137 Tum regno exiuit.) *Vide quid scrupuli sæpe inferat unius elementi transpositio. Hærebam hic in uerbo* exiuit: *nec tamẽ mutassem, ut qui nihil sanius inuenirẽ, nisi Aurelij (qui pro Britannio habet Vetranio, nimirũ corruptè, ut alia plurima) narratio fortè fortuna admonuisset, legendũ esse* exuit, *dicendi formula lõgè tritissima, quæ & suprà pag. 115. uers.49. autori nostro extat. Aurelij uerba hæc sunt: Huius morte cognita, Vetranio magister militũ, imperiũ in Pannonia apud Mursiã corripuit, quẽ Constantius nõ post multos dies regno exuit, grandæuo ætate non uitã modò, sed etiã uoluptarium ociũ concedens. Cum aũt pòst inuenissem hanc ipsam narrationẽ de Britannione relatã dilucidè apud Socratẽ libro 5.cap.4. historiæ Tripartitæ, nõ piguit integrã, ut uersa extat, huc adscribere: Imperator, inquit, interea in Illyricũ castrametatus est, cogebat eũ publica necessitas, et maximè Britannionis, qui per milites Augustus fuerat appellatus. Cũq; uenisset in Sirmiũ, mutuis fœderibus factis Britannionẽ uidit: actũmque est, ut milites qui eum constituerant, transirent ad si-*

ad fauorem Constantij. Quo facto, solũ Constantiũ Imperatorem Augustum uoce emissa clamauerunt. Cumq; de Britannione nulla memoria fieret, ille repente sentiẽs se proditũ, ad pedes se prostrauit Imperatoris. Porrò Constantius auferens ei coronã simul & purpurã, clementer ei locutus est, monens ut sub schemate priuato quiesceret: quod utique eius ætati potius conueniret, q̃ habere nomen sollicitudinibus onustũ: iußitq; ei sumptus uberrimos ex publicis functionibus exhiberi. Cumq; in Prusa Bithyniæ Brittanio ageret, Cõstantius scripsit ei, narrans q̃ multorũ bonorũ ei causa fuisset, quẽ à tantis cogitationib. & malis ipsi prouenientibus liberasset. Nec se bene feciße: quia quæ sibi præstare debuerat, illi potius impendisset. Hæc ille. Sic quidẽ Antiochus, uti narrat Val. Max. lib. 4. cap. 1. à L. Scipione ultra Taurum montẽ imperij finib. summotus, cum Asiã prouinciã, uicinasq; ei gẽtes amisisset, gratias agere pop. Rom. non dißimulanter tulit, q̃ nimis magna procuratiõe liberatus, modicis regni terminis uteretur. Perfecti- uè quoq; Alphonsus ille sapientiß. rex Neapolitanus dicere solebat, ab dijs olim, Ioue, Neptuno & Plutone, omnia tripartita fuisse, & sua quẽq; sorte parteq; contentũ agere: at principib. hodie neq; quod satis, neq; quod nimis esset (sic enim pro minus legi oportet) satis esse.

Pag. 123. uers. 9.

138 Anniballiano regij fratris filio.) Apud Marcellinũ, quẽ citat, extat (scilicet initio operis, ut acephalõ ad nos uenit) Aniballiano regi fratris filio.

Ibid. uers. 44.

139 Anno imperij eius undecimo. Persica palma præcepta semel est temeritate militũ ad Singarã.) Pomp. Lætus, è quo & reliqua huius narrationis uerba, satis quidẽ obscura & ambigua, transcripta sunt, ita habet: Anno imperij eius 11. Persica palma præcepta semel est, &c. Eutropius, quanq̃ & ipse epitomista, ac minimè redundãs, tamen eandẽ rem lib. 10 clarißimè exposuit, his quidem uerbis: Diuersa Constantis fortuna fuit: à Persis enim multa et grauia perpessus, sæpe captis oppidis, obsessis urbibus, cæsis exercitibus, nullumq; ei cõtra Saporẽ prosperũ prælium fuit: nisi q̃ apud Singarã, haud dubiã uictoriã ferocia militũ amisit: qui pugnã seditiosè & stolidè contra rationẽ belli, die iam præcipiti poposcerunt. Hæc Eutropius, cui consentit D. Hieronymus in Chronicis Eusebio subiectis, ipse eandem rem breuiter, sed planè narrans, & quidẽ anno imperij Constantij 11. à nato aũt Christo Iesu seruatore nostro 351. ita inquit: Bellũ Persicum nocturnũ apud Singariũ, in quo haud dubiam uictoriã militum stoliditate perdidimus. Neq; uerò ullum Constantio ex nouem grauißimis prælijs contra Persas grauius bellum fuit. nam, ut alia omittam, Nisibis obsessa, Bizabdæ & Amida captæ sunt.

Pag. 125. uers. 41.

140 Ab hoc Imperatore uenenũ Arrianę hæresis est infusum.) Lege Imperatori. &, Ab hoc, intellige presbytero (de quo proximè præcedens loquitur periodus, & Ruffinus lib. 10. Ecclesiasticæ historiæ, toto cap. 11. diligẽter hanc omnem rem narrat) scilicet instillatũ est ipsi Imperatori uenenum istius hæresis.

Pag. 126. uers. 18.

141 Sed ut fateor ingenuè ignoro cuius.) Lego fatear. Cæterũ quia autor noster paulo inferius in Valentiniano & Valẽte (scilicet pag. 139. uersu 51.) narrat duas fuisse Valentiniano filias, Anastasiam atq; Charosam, quas illi Martianus in Grãmaticis instituerit, & è quarũ nominib. Anastasianæ & Charosæ thermæ publicæ in Constantinopoli dictæ fuerint: uidetur alterutro in loco subesse erratũ. Sed utcunq; sit, censeo pro his extricandis omnino uidendum Sozomenũ in Tripartita hist. quẽ tum hic, tum illic autor citat. Mihi ad manũ si fuisset, nõ piguisset huic nodo inde cuneũ quærere. Nactus aũt post Sozomenũ, statim deprehendi, Cuspinianũ hoc in loco dormitasse, & eius autoris totũ caput uicesimũ libri septimi perperàm intellexisse de Constantio, cum de Valentiniano quidẽ narret, ac unum tantũ Constantij factũ uix tribus uerbis attingat: nempe q̃ is ueteres hæreses, excepta Arriana, quam ipse sequebatur, semel omnes sustulisset. At uerò cum idem Cuspinianus infrà in Valentiniano & Valente, ut dixi, eundẽ Sozomeni locũ rectè perceperit atq; retulerit, mirũ quidẽ uideri potest, ea quæ hic iam falso scripserat, Constantio hasce duas alienas filias attribuens, ipsum non dispunxisse. Quòd aũt Am. Marcellinus Anastasianas balneas cognominatas scribit à socero Cõstantini: ego sanè de Cõstantino Maximo dictũ opinor, cui fortè soror fuit Anastasia quædã nomine. Dissentit uerò ille & in alijs quibusdam ab autoribus Tripartitæ historiæ. ut dum in hoc ipso Valente narrat, Procopio tyranno deuicto et capto ceruicẽ reciſam: pariq; indignatiõis impetu Florentiũ & Barchallã, qui ipsius Procopij signa secuti fuerant, ac demũ uersa fortuna eundem cæperant, captumq; adduxerant Valenti, statim interfectos fuisse. Agilonem aũt exercitus Procopiani perfidũ ducem adeò nullo adfectũ supplicio, ut intercessor Araxio socero suo exilium insulare impetraret, è quo & breui euasit. Marcellũ aũt ductorẽ quendam Procopianũ, sulcatis lateribus acerrimè unà cum conspiratoribus quibusdam à Valente neci datum. At Socrates in historia Tripart. lib. 7. cap. 15. longè alia narrat, nempe his uerbis: Sequenti aũt anno, Gratiani & Dagalaiphi cõsulatu, bella pacabãtur. Cumq; tyrannus Procopius de Constantinopoli digressus, castra moueret aduersus Imperatorem, & hoc audisset Valens, uenit ab Antiochia, & cum eo congressus est circa ciuitatem Phrygiæ Nacoliam. Et prima quidem pugna deuictus est. Post paululum uerò Procopium cæpit, tradentibus eum Agelone Gomarióque militibus, quos etiam postea inopinatis quibusdam supplicijs iussit expendi. Contemnens enim iusiurandum quod eis præbuerat, ferris diuisos crudeliter interemit.

Tyran-

Tyrannum uerò duabus uicinis arboribus flexis (singulos in eis pedes eius ligari fecit) quæ dimissæ aerē repetentes, Procopium diuiserunt. Et hoc modo tyrannus interijt.

EX IVLIANO BYZANTIO.

Pag. ead. uers. 36.

142 Iulianus Byzantius filius fuit Constantij, Cōstantini Maximi fratris: ex alia tamen matre, Theodora scilicet, & Basilinæ nobilissimæ fœminæ.) *Hæc uerba, ex alia tamen matre, Theodora scilicet, si in parentheſi legas, sublata omni obscuritate, mox intelliges id dici: Constantium illum patrem huius Iuliani, fratrem quidem fuisse Constantini Magni, sed diuersa ex matre, scilicet Theodora, quæ fuit priuigna Maximiani: cum Cōstantino Magno fuerit mater diua Helena, de qua re suprà in eo ipso Cōstantio clarius est expositum.*

Ibidem, uers. 52.

143 Puerilem animum ad antiquorum crudelitatem flexerit.) *Et subodorabar pro* crudelitatem *legendum esse* credulitatē (*hoc est, superstitionem gentilium seu paganorū: quæ ueritatis cognitioni, id est religioni Christianæ, qua de hic sermo, tam aptè, quàm eidem absurdè crudelitas opponitur*) *& pòst ita inueniebam scriptum apud Pomp. Lætum.*

Pag. 127. uers. 13.

144 Instituebantur tum in Christiana religione in Cappadocia, & basilicam fratres extruebant.) *Antequam inspexissem historiam Tripartitā, opinabar à Cuspiniano hæc aliter fortè fuisse scripta, nempe ita:* & in basilica fratres exercebantur. *Et cōmendabat sanè Vrspergensis locus hanc nobis diuinationem, qui ita habet, ex eiusdem historiæ libri sexti initio iuxta Socratem de uerbo ad uerbum trāscriptus: Porrò (inquit post Socratem Vrspergensis) Iulianus crescens, in auditorijs Constantinopolitanæ urbis exercebatur in basilica, ubi doctores erant, habitu priuato procedens. Cæterùm legendo ad tertiū eiusdem lib. 6. caput progressus, inueni Cuspinianū hic Sozomeni narrationem attigisse, hoc quidem modo ab Epiphanio uersam: Cum adhuc pueri Gallus & Iulianus in Cappadocia agerēt, aiunt habuisse eos tunc studium, ut maximam basilicam ad sepulturā martyris Mamæ extruerent, & inter se diuiserūt opus. Cumq; ambo certarent in ædificio, ut alter alterum superaret, fertur quoddam prouenisse miraculum: & nisi hactenus superessent, qui hæc se audiuisse ab inspicientibus narrarent, uideretur forsitan incredibile. Galli namque pars augebatur, & omnino crescebat: Iuliani uerò labores, alij quidē fodiebātur, alij terra ipsa uomēte ruderibus implebantur. Aliquando deposita fundamenta terræ copulari nō poterāt, perinde ac si quædam uiolēta uirtus ex loco inferiore ea repercutiendo depelleret. Quæ causa cūctis apparebat esse prodigiosa. Ex illo namq; colligebant, non esse uirum illum in religione Christiana sanum, &c. Hæc omnia Sozomenus.* *Pag. ead. uersu 21.*

145 Vnde ille pòst in campis Argentoratensibus in paucis militibus.) *Lege,* cum paucis, *quemadmodum habet Sex. Aurelius, è quo & reliqua huius loci sunt transcripta. In eodem habet editio Frobeniana* Chonodomarius, *consentiente & Marcellino lib. 16. pro eo quē iuxta Sichardi editionē, & Vrspergensem, autor noster mox appellat* Nodomariū. *Vtrumq; nomen Germanus lingua sua potest agnoscere (quemadmodū & aliorum regulorum quos eodem in loco ex Alemannis Marcellinus memorat, puta Vestralpus, Vrius et Vrsikinus, Serapio, Suomarius: & Hortarius, Gundomadus, Medericus, & Badoncarius, pro quo hic Badomarius legitur) significationéque uaria induere. Propemodum inducor ut credā, hunc à suis uocatū fuisse Khüng Notmayr, id est, regem Notomarium: duasq; uoces Marcellinum & Sex. Aureliū pro una percepisse, Khonodomarium.*

Ibid. uers. 23.

146 Quadraginta ferè millia Romanorum, qui iure belli seruiebant, ab Alemannis recepit.) *Cum Pomp. Lætus narret duntaxat de undecim millibus captiuorū receptis, nescio an in alterutro scriptore subsit mendū, an potius diuersos in hoc ipsi sint secuti authores. Mirum uerò Alemannorum hac clade, quā adeò exaggerat Sex. Aurelius, cæsorū numerū neq; ab ipso, neq; Eutropio, neq; D. Hieronymo ad Chronica Eusebij, neq; adeò ab Am. Marcellino, huius Iuliani plus satis magnifico buccinatore, esse proditū, cū cladē à Cōstantio Cōstantini patre Alemannis nō diu ante ea tēpora illatā, hi pleriq; oēs ad 70 millia occisorū disertè cōmemorent.*

Ibidem, uers. 27.

147 Vrbem Argentoratū insigniorē addidit.) Lege reddidit, *nempe iuxta Læti expressiorem narrationē, qui inquit: Multos captiuos abduxit: undecim ferè millia nostrorum, qui belli iure seruiebant, ab Alemannis recepit: & prope Argentoratum urbē Galliæ, totū ferè Alemannorū exercitum perdidit. Iam inde barbaricæ cladis monumentū habuit, quod nisi cōtigisset, urbs minimè nota in obscuro esset. Porrò lector, si huius loci narrationē cum Sex. Aurelio, è quo desumpta est, cōferas, planissimè cōspicies hunc Iulianū apud eum autorē, etiā Frobeniana in editione, extare adeò confusum, ut quædam uix intelligas: inde nimirū, quòd pòst Syluani uitam duobus explicatā uersibus (ideoq; nō magis q̄ Vetranionis, Magnentij, Decentij, Nepotiani et Galli, à reliquo textu separata inscriptione secandā) præscriptus sit titulus Constantij, perperàm quidem, cū pauersus sequentes proximos decem sermo de uno tantum Iuliano habeatur. Quid, q. Cōstantij nomē ante eū quoq; Aurelij locū geminā occupat sectionē? prius, ut cōmuni unà cū Annibaliano et fratre Cōstāte: alterī, ut peculiari seorsim præscriptū: adeò ut loco alterutro superfluat Cōstantij nomē: tantū abest ut etiā*

tertio

tertio reponi conueniat, quo modo extat in Aurelio. Deniq;, eodem in Aurelio Iuliani tituli ibi demum noua sectio instituitur, ubi uix tria de ipso uerba supersunt: textusq; ipse uerborũ ita cohæret, ut tantũ abrũpi ineptè, dissui uerò cõmodè neutiquã possit. Palàm est, eius epitomatis sectorem primũ fuisse hominem egregiè indoctũ, aut supinè negligentem, ut qui Cõstantij titulum adscripserit, quoties periodus aliqua ab eius nomine ordiebatur. At nomen Iulianus, ubi media etiam uideret in periodo, tamen mox nouæ sectioni præposuit. Mihi breuiter mendæ illæ ex Aurelio uiderentur posse tolli omnes, si post narratam Diui Constantini Magni mortem, præscribatur titulus nouæ sectioni, hoc modo:

CONSTANTINVS, CONSTANS, CONSTANTIVS ET IVLIANVS.

Ita ad tres orbis Romani dominatio redacta est Constantino, &c. Inde uerò subijciatur historia perpetua, usq; ad Iouianum. Nam ut Constantium à Constantino & Constante utcunque disiungas, certè à Iuliano nulla ratione separabis, q, Aurelius ab hoc ad illum redit, ac utrosq; cõmiscet.

Nihilo dexterius sunt eodem in authore Augusti et Cæsares aliquot post Diocletianũ separatis titulis distincti, qui prorsus cohærent, ac nullam sectionem admittunt. Nam primò Aurelius narrat, quando, ubi & quo ordine singuli Augusti & Cæsares facti: deinde repetitis nominibus exitus, ac demũ quasi tertio narrationis capite mores eorundẽ fermè omniũ exponit. Itaq; scitus ille sector Galeriũ Maximianum nõ modò in capite De moribus, sed etiam exitũ, ubi quidẽ tribus tantũ uerbis attingitur, suo distinxit titulo. At eundem cur non etiam tertio capite quæso? cur non alijs itidem duas tresue sectiones addixit? cur Maximiano Herculio, qui ut diutius imperauit, pluraq; gesit, ita ab Aurelio uerbosius quàm pleriq; ibidem alij cõmemoratur, prorsus nullam? Fatendũ itaq; simul cum Diocletiano, rectissimè apud Aurelium Augustos ac Cæsares una inscriptione omnes comprehendi posse, usq; ad Constantinum magnum. Postremò autem cõmonere libet, eum ipsum Aurelij locum, qui Iuliani titulo media in periodo sectionem habet, etiam continuitati suæ (ut medicum agens, ac autorũ plagas pro mea uirili sanans, cum medicis loquar) restitutum, longè fore planiorem, si ea quæ sub finem huius paginæ Cuspinianus cõmemorat, itemq; Am. Marcellinus libro 20. de Iuliano in Gallijs per exercitum creato Augusto, & missis ultro citroq; inter ipsum & Constantium legatis & literis, ueluti cõmentarij cuiusdam uice adhibueris. Pag. 129. uer. 4. pro apicæ, lege apicẽ, aut caput.

EX IOVIANO.

Pag. 133. uers. 23.

148 Gallis tamẽ fortiter resistentibus, & Iouijs atq; Herculijs annitẽtibus, duo elephanti strati sunt, cum hostiũ plebe haud parua, tribunisq; Iuliano, Macrobio atq; Maximo.) Cum constet Persis talia nõ fuisse nomina, uidebãtur prima frõte hæc postrema uerba, tribunisq;, &c. ab autore ipso fuisse scripta post uocem tamẽ, aut certè post uocẽ Herculijs, aut annitẽtibus. Deinde opinabar mutandũ nihil quidẽ esse, sed ita intelligendũ, quòd hi quoq; pugnatores Romani iuxta beluas prostratas unà cũ hostibus oppetijssent. Sed cũ inuenerim deniq; apud Marcellinum lib. 25. hanc rẽ clarissimè narrari, uolui eius uerba huc adscribere, ne quis posthac unà mecum hæreret, erroneaq; diuinatione se fatigaret. Proinde egredi cœptantes (inquit) adoriũtur nos elephãtis præuijs Persæ: ad quorũ fremitũ accessumq; terribilem equis inter initia turbatis & uiris, Iouiani & Herculiani occisis beluis paucis, cataphractis equitib. acriter restiterunt. Deinde legiones Iouiorũ atq; uictorum laborantibus suis ferentes auxilium, elephantes duos strauerunt cum hostiũ plebe non parua: & in læuo prælio uiri periere fortissimi, Iulianus & Macrobius & Maximus, legionũ tribuni, quæ tunc primus exercitus obtinebant.

Ibidem, uers. 30.

149 Prima nocte Carras uentum est, ubi infelicitate Crasi tãta trepidatio nõ fuit. At herclè locus clade Romana notus, trepidationem potius augere debebat, ut eius rei exempla ex historijs produci possent. Quare mendũ subesse puto, & pro ubi reponendum nobiles, nimirũ iuxta Læti uerba, quæ ita habent: Vbi Carras uentum est, infelicitate Crasi nobiles, tanta trepidatio non fuit. Intelligè uerò, tantam trepidationem Romanarum legionum non fuisse, quanta scilicet diebus proximis fuerat: neq; ad Crasi cladem referto.

Ibidem, uers. 43.

150 Et plebem suam maxima fortitudine post terroré deformatã conspiciens.) Nescio an hæc integra sint: certè apud eundẽ quoq; Marcellinum clarius extant, his quidem uerbis: Et sciens populum suũ, post amissam maximam plebẽ, ultimis terroribus deformatum.

EX VALENTINIANO ET VALENTE. Pag. 116. uers. 20.

151 Gothi Thracias diripiebant, Africani eadem etiam incursabãt.) Ego herc le ut non legi Thraciam ullo seculo per Africanos infestatam: ita ex uerbis Amm. Marcellini manifestò deprehendi, locum hunc per amanuẽsem sciolum fuisse deprauatũ, atq; ita castigandum: Africam Austoriani incursabant. Dictio Austoriani cùm fortè minus claris characteribus ab autore esset exarata, & ea gens amanuensi prorsus ignota, & siue puderet, siue pigeret eum interrogare, mox suo ex capite somnium induxit, Africani eadẽ etiam, pro Africam Austoriani. Marcellin. enim li. 26 ita inquit: Hoc tẽpore, uelut per uniuersum orbẽ Ro. bellicùm canentib. buccinis, excitæ gẽtes sæuissimæ, limites sibi proximos persultabant. Gallias Rhetiasq; simul Alemanni populabantur, Sarmatæ Pãnonias & Quadi: Picti,

Picti, Saxones & Scoti, & Attacotti, Britannos ærumnis uexauêre continuis: Austoriani, Mauricæq; aliæ gentes Africam solito acrius incursabant: Thracias diripiebant prædatorij globi Gotthorum: Persarum rex manus Armenijs iniectabat, eos in suã ditionẽ ex integro uocare ui nimia properans, sed iniustè, causando quòd post Iouiani excessum, cũ quo fœdus firmarat, & pacem, nihil obstare debebat quo minus ea recuperaret, quæ antè ad maiores suos pertinuisse mõstrabat. Hæc Marcellinus. quæ ideo quoque adscripsi prolixius, quo intelligeretur mox uersu 22. particulã falso, quæ uerbo pertinuisse coniuncta est, ad uerbũ causatus syntaxi ipsa esse referendum. Porrò ut etiam clarius lectori innotescat, qui populus Austoriani fuerint, addam eiusdem Am. Marcellini locum super hoc alium, ex lib. 28. qui ita habet: Hinc tanquam in orbem migrantes alium, ad Tripoleos Africanæ prouinciæ ueniamus ærumnas, quas, ut arbitror, Iusticia quoq; ipsa defleuit: quæ unde instar exarsere flammarũ, textus aperiet absolutus. Austoriani his contermini partibus barbari, in discursus semper expediti ueloces, uiuereq; adsueti rapinis & cædibus, pauliſper pacati in genuinos turbines reuoluti sunt, hanc causam prætendentes ut seriam. Stachao quidam nomine, popularis eorũ, &c.

Ibid. uers. 32.

152 Quo tu rursus attingendi immunis esses, & mecum onus feras.) Videntur hæc inter se pugnare, & ipsum Zonarã requirere, è quo sunt decerpta. Ego tamen, tantisper dum eius authoris copiam habuero, hoc in loco putabo sensum subesse apophthegmaticum, adeoq; argutũ, qui lectori oscitanti non statim pateat: nempe cũ Salustius Præfectus Orientis missionẽ peteret, quasi iam emeritus, quiq; cum primis adiutor fuisset, quo Valentinianus ad Imperij fastigium esset euectus, hoc tulit ab Imperatore responsum, beneuolẽtiæ quidem & humanitatis plenum: Scio Salusti, te uti amicum fidissimum strenuè elaborasse, quo mihi imperiũ deferretur: sed cum ipse eodẽ esses dignissimus, ideo maximè in me reiecisti, ne ipsi tibi deferretur. Quare ipsum imperium, onus Aethna grauius, eo modo effugisse sufficiat, neq; graueris nunc portiunculam aliquam muneris mecum perferre. Qui uolet, alium facilè poterit cõminisci sensum, uel potius ipsum inspicere Zonaram. Ego, quod in mentem ueniebat, dixi sedulò: idq; cum aliquando relegerẽ, tanto minus displicuit, quòd interim apud Fl. Vopiscum in uita Probi fermè in eandem sententiam Tacitum recens Imperatorem factum, cum ipso Probo uiro et amico optimo egisse inuenerã. Locus Vopisci ita habet: Iam Claudij, iam Taciti iudicia de Probo lõgum est innectere: quamuis feratur in senatu Tacitus dixisse, cum eidẽ offerretur imperium, debere Probũ principem fieri. Sed ego S. C. ipsum inueni. Ipse autẽ Tacitus Imperator primam talem ad Probum epistolam dedit. Tacitus Augustus Probo: Me quidem Senatus principem fecit de prudẽtis exercitus uoluntate: attamen sciendũ tibi est, tuis nunc humeris magis incubuisse rempub. qui & quãtus sis, omnes nouimus, scit Senatus. Adesto igitur nostris necessitatibus, tuæ familiæ assere, ut soles, remp. Nos tibi, decreto totius Orientis ducatu, salarium quintuplex fecimus, &c.

Pag. 139. uers. 22.

153 Quo accrescentibus uenis, cum nihil sanguinis emitti posset.) Pro accrescentibus, lege arescentibus: iuxta Pomp. Lætum, cuius & reliqua hæc omnia sunt uerba. Am. Marcellinus libro 30. prolixè ac graphicè huius Imperatoris interitum describit, inter alia ita narrans: Vnus tamen repertus, uenam eius iterum sæpiusq; pungendo ne guttam quidem cruoris elicere potuit, internis nimietate calorũ ambustis: uel, ut quidam existimabant, arefactis ideo mẽbris, quòd meatus aliqui, quos hæmorrhoidas nunc appellamus, obserati sunt, gelidis frigoribus concrustati. Hædio tamen, uel potius eius optio, accrescentes uenas pro tumescẽtes uertit. At ista ratione tanto facilius uberiusq; sanguinẽ exire oportebat. Quid igitur hic aduertisset ustpiã mendarum, qui nec ad physicas quidem ratiões respexit?

Pag. 140. uers. 13.

154 Superato Istro, qui limes erat longè à regione trans Tanaim uenientis, uagi Pannonias.) Hæc & mutila & transposita, depraua taq;, restitues cõmodè ex uerbis Læti, quæ ita habent: Interea Hunni seu Alani, qui sunt Tartari, et Nomades Scythæ, qui longè antè à regione trans Tanaim uenerant, superato Istro, qui limes erat, uagi Pannonias, &c.

Ibid. uers. 20.

155 Atalarichus rex Geuitugiorum, quã bellicosi sunt Tanais accolæ.) Apud Marcellinum libro 27. lego, Greutungos bellicosam transIstrum gentem, eiusq; iudicem potentissimum Athanaricum. Pomp. Lætus hæc narrans, nomen habet Gruitugrorum: quod ego prætulerim, quasi hæc peculiaris Vgrorum (qui postea Vngari) fuerit natio. Vgros autem & Hunnos nõ esse diuersos, sed potius eosdem populos, satis uidentur innuere Agathius libro 3. de bello Gotthorum, & Iornandes initio Geticorum.

EX GRATIANO.

Pag. 122. uers. 32.

156 Exceptus itaq; à Gratiani legationibus Maximus.) Legi oportere legionibus, tum res ipsa, tũ Sex. Aurelius clarè ostendunt. Versu item præcedenti illuc lege, pro illinc: & uersu 39 annos, pro annis.

Ibid. uers. 50.

157 Velox corpore, qui cursu, palæstra, saltu coruos superaret.) Quis unquam coruos à cursu aut saltu non dico laudauit, sed laudare ullo modo potuit? Quare uel puer uideat, ab autore scriptum fuisse ceruos, pro coruos. Attamẽ Hædionis adiutori cõparatio hæc admodum uisa est bella, Gratianiq;

Gratianiq; Imperatoris laus insignis, quod coruis esset agilior. ô fidelem interpretem.

Ibid. uers. 52.

158 Summæ uoluptatis, diuinęq; artis destinata sibi ferire.) Cuiuis facilè apparet mutila hæc esse: sed non quiuis mox aptè suppleuerit inconsulto Aurelio, qui ita loquitur: Nihil aliud die noctuq; agere, quàm spiculis meditari: summæq; uoluptatis, diuinæq; artis credere, ferire peritè sibi destinata. Pag. 143. uers. 6. pro Quasi ad cognoscendam, lege, Qui si ad cognoscendam: ut ipso ex argumento, Egnatijq; narratione comprobatur.

Pag. 143. uers. 37.

159 Respondisse fertur, haud esse mirum si seruus contra dominum suum contemptui habuerit.) Nescio quid sibi uelit uox contra, nisi fortè pro uicissim accipias: & an hic locus satis sit sincerus. Res quidem ipsa, & responsi dati pungens argutia, ex sequentibus planè intelligitur. Traianus Magister militiæ, ut scribit Abbas Vrspergensis, missus cum exercitu contra Gothos, et ab ijs uictus, aq; Valente ipso Arrianorũ propugnatore, uti mollis & ignauus obiurgatus, responso fermè simili se defendit, inquiens: Non ego uictus sum, ô Imperator: sed tu, qui contra Deum pugnas, Barbaris nutum eius concilias. An nescis, quos ab Ecclesia expulisti, et quibus eas tradidisti? Attigit hoc loco & superiore genuinum sensum Hædio. His autem iam annotatis, inueni hanc ipsam rem plenè explicatam apud Niceph. Callistum in Eccles. historia lib. 12. ca. 21. Narrat ille, Theodosiũ Imp. ubi de successib. Maximi tyranni, qui orthodoxus erat, et de Valentiniani Imp. iunioris, qui Arrianos sequebatur, fuga cognouit, putauisse non mirandum esse, quod in tanto metu Imperator is esset: tyranno autem tantum suppetierit uirium, ut Imperatorem in fugam uerteret. Ille enim, inquit, rectæ fidei opinioni subsidium fert: Imperator uerò, dum rectam sententiam oppugnat, contra Deum bellum mouet. Et tu quidem cœlesti armatura nudatus, fugæ te commisisti: ille autem recta opinione munitus, superior est, & herum suũ uincit. Prorsus enim ueræ pietati, autor & legislator eius adesse solet. Atq; hæc quidem, cum longè adhuc abesset, Theodosius ad Valentinianum scripsit. Hæc Nicephorus.

Pag. 144. uers. 32.

160 Nam alter occisus penè quieuit.) Videtur legendum, nam frater (uel alter) ociosus penè quieuit. quasi dicat author: Satis est super uno Gratiano tetrastichon condere, cũ alter nihil memoratu dignũ gesserit, sed ferè ociosus desederit.

EX THEODOSIO.

Pag. ead. uers. 49.

161 Successorem fore Valentis habiturum nomen, cuius initium a theta Græca litera sumatur.) Quanquam author ipse hanc eandem rem suprà ipso in Valente, scilicet Pag. 138. ex Io. Zonora copiosè narrauit: tamẽ quia præsens locus ex Sexto Aurelio decerptus uidetur, isq; aptius hæc dicere, tametsi & ipse quibusdam in codicibus menda non carens: puto operæpreciũ, integrũ eius locũ ex editione Frobeniana huc apponere. De hoc etiam, inquit, oraculo in Asia diuulgatum est, eum Valenti successurum, cuius nomen è Θ & E, O atq; Δ literis initiaretur. Qua cognatione principij deceptus Theodorus, cum sibi imperium præsumeret, scelestæ cupidinis supplicia percepit. Socrates in Tripartita historia li. 7, cap. 35. paulo aliter, ac simplicius quidem, ut hominem Christianũ decuit, narrat, Valentem ex indicio dæmonis cuiusdam adiurati (prodentis quatuor literas, scilicet Θ E O Δ, nominis post Valentem imperaturi) plurimos tanquã imperium inuasuros occidisse. Aliter & Am. Marcellinus lib. 29. hanc rem narrat: nempe Patricium & Hilarium quendam de Valentis successore per tripodem ab ipsis consecratam diris auspicijs, ac tandem magicis motã ritibus, quos & ibidem depingit, inquisiuisse, ac duas elicuisse syllabas, è quibus Theodorum quendã portendi imperio capessendo cognouerint. Hinc uerò cædes et supplicia immanissima sontibus, iuxtaq; insontibus per Valentem irrogata, quæ ordine et prolixè ipso ab Marcellino perscripta, lachrymosæ loco tragœdiæ qui uolet legere poterit. Ibid. uers. 52. pro tam uultu quàm successu, lege incessu: uti res postulat ipsa, et habet idẽ Sex. Aurel.

Pag. 145. uers. 1.

162 Vinolentiam tamen, & triumphandi cupiditatem.) Hæc rectè habere ideo cõmoneo, quòd apud eundem Sext. Aurelium quidam codices pro uinolentiam, perperam habent uiolentiam. Neq; enim ullius uiolentiæ aut tyrannidis Traianus in historijs taxatur: sed uino ciboq; plus æquo deditum fuisse, nominatim id testatur Aurelius. Mox uers. 5. pro facit, lege fecit.

Ibid. uers. 10.

163 Fertur cum in somnijs.) Ego legerem, Fertur eum in somnis. Nam & suprà in Gratiano, Pag. 142. uers. 19. ita inquit: Quod Theodosius nocte quæ præcesit in somnis uidit, ab antistite scilicet Antiochensi chlamyde se uestiri, et corona ornari. Item inferius pag. 146. De felici pugnæ euentu in somnis uidit. & iterum ibidem: duos uiros in somnis uisos. quo modo & Vrspergensis loquitur. Atq; hæc solum de authoris consueta phrasi profero: neutiquam interim negans, quin & in somnijs uisum rectè dicatur, quomodo & Ciceroni alicubi, & Aelio Spartiano in uita Alexandri Seueri extat, dum scribit: Mater eius pridiequàm páreret, somniauit se purpureum dracũculum párere. Pater eadem nocte in somnijs uidit, alis se Romanæ Victoriæ, quæ in Senatu, ad cœlum uehi. Vide quiddam simile à nobis obseruatum suprà in Constantino Magno, Annotatione 130.

Pag. ead. uers. 33.

164 Imperator Maximum Victorem ac Eugenium tyrannos.) Distingue post Maxi-

mum, *ne unum intelligas, qui duo diuersi sunt: scilicet pater ac filius. de quibus idem Aurelius, & clarius infrà narratur uers. 49. Item uersu 42. pro* relato, *lege* relicto. *Vtramq; mendam Hædio quoque uiderat.* Pag. 147. *uers. 10. pro uerbo* graua tus, *habet Abbas Vrspergensis (cuius & reliqua hic omnia sunt uerba)* prægrauatus: *uti* celebrabat, *pro* celebrabant.

Pag. 148. *uers. ult.*

165 Mortuæq; ante diem nuptiarum obñſſent.) *Viui hercle obeunt, non mortui. Itaq; ab authore potius ita scriptum fuisse opinor, &* utræque ante, *&c. Arguunt hoc uerba Vrspergensis, qui ita inquit. Cuius duæ filiæ, Maria & Hermantia, altera post alteram principi Honorio desponsatæ sunt, sed utræq; uirgines defunctæ sunt. Posset etiã pro* obñſſent, *legi* essent. *Iornãdes ad medium fermè libri de rebus Geticis, hanc rem ita narrat: Stilico patricius & socer Honorij Imperatoris: nam utramq; eius filiam, id est Mariam & Ermantiã, quas sibi princeps unam post unam sociauit, utramq; uirginem & intactam Deus ab hac luce migrare præcepit. Hædionis bellus ille adiutor locum mendosum magis etiam mutilauit, ac insuper sensu tam inepto induit, ut referre pigeat.*

Pag. 149. *uers. 42.*

166 Victores inuocantes deos, quod ius gentium uiolatum sit indignati, furibundo animo Liguriam reuertuntur, unde iam transierant, eius q; spoliis potiti Emiliam pari uastatione populantur. Flamineq; aggerem inter Picenum & Thusciã usque ad urbem Romam) *Pro uictores, legi oportere* ultores, *uidet opinor unusquisq; paulo eruditior. Reliqua uideor commodius emendare non posse, quàm si Abbatis Vrspergensis, è quo hic locus decerptus est, uerba adscripsero, quæ ita habent: Iam in Gallias pergere nolunt: sed furibundo animo cœptum iter deserentes, in Liguriam, quam iam transierant, reuertuntur: eamq; spoliantes, Aemyliam pariter & Flaminiam deuastãt. & per Thusciam usq; ad Romam discurrentes, quicquid ex utroque latere fuit, in prædã diripiũt. Hæc ille: sed, quod postea demum comperi, ad uerbum penè transcripta ex paulò antè adducto Iornandis loco ad medium libri de rebus Geticis. Strabo lib. 5. scribit, C. Flaminum collegam M. Lepidi in consulatu, uictorem Ligurũ, strauisse uiam Flaminiam ex urbe Roma per Thusciam & Vmbriam, usq; Ariminum. Aemilius autem collega uiam Aemiliam à Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminũ produxit. Quin & Octauianus Augustus, ut in ipsius uita capite XXX scribit Suetonius, quo facilius undiq; urbs adiretur, aliquando sibi desumpsit Flaminiam Ariminotenus muniendam. Constat autem, Flaminiam postea cõprehensam ferè sub Exarchatus nomine, cuius quidem ditionis erant, Rauenna, Cesena, Cernia, Forum Liuij, Forum Ruentinorũ, Forum Cornelij, Bononia, Mutina: quæ omnia Pipinus Romano Pontifici olim donauit, comprobantibus eam liberalitatem deinde filio quoq; Carolo Magno, & nepote Ludouico Pio, Imperatoribus, indito nomine Romandiolæ: ut abolita Exarchatus Græca appellatione, lubentioribus animis ac constantiore fide Romanam urbem caput agnosceret.*

Pag. 151. *uers. 19.*

167 Rauennæ factæ sunt.) *Ab amanuensi male siue aurito siue oculato, omissa est uox* nuptiæ. *Ver. 36 pro* filios, *lege* filias: *et* integritate, *pro* integrate: *tum alia quædam hac ipsa & sequenti pagina distingue rectius, quàm sunt excusa.* Pag. 153. *uers. 26. ut hexametrum priorem confusum restituas, pro* frater & Honorius, *lege* & frater Honorius. *Item Pentametro altero lege* pari, *pro* patri.

EX MARTIANO.

Pag. 161. *uers. 16.*

163 Vandalis omnino infestantibus.) *Videbatur primùm pro* omnino, *legi oportere* omnia. *Sed post lecto Abbate Vrspergensi, deprehendi potius desiderari dictionem* regnum. *Sic enim ille: Nam cum Parthis & Vandalis omnino regnum infestantibus pacem instituit.* Pag. 161. *uers. 26, pro* Nonades, *lege* Nomades: *quo modo idem Abbas Vrspergensis habet. De Blemmyis autem, quorum ibidem mentio, Aethiopiæ populis, ita scribit Plinius libro quinto, capite octauo: Blemmyis traduntur capita abesse, ore & oculis pectore adfixis. De eisdem quoque extat leuiuscula quidem, sed prorsam argutia narratio, sub finem sermonis genethliaci à Mamertino rhetore dicti quondam Maximiano Herculio Augusto. Id quod ego operæ iampridem sumpsi in emendandis omnibus ijs panegyricis qui apud Viennam Austriæ uno impreßi uolumine extant, olim ab ipso quoq; Cuspiniano nostro, ut quidem testatur nuncupatio, castigati, lubens aliquando studiosis communicabo: interim & hunc ipsum Mamertini locum ita referens, quemadmodum citra codicis ullius antiqui fidem mihi uisus est legi posse syncerius. Vbi igitur inter reliquas seculi sui felicitates recenset, quòd barbaræ nationes omißis Romanis se ipsæ mutuis cladibus pessundent atq; conficiant, tum ita subiungit: O magnam uim muneris uestri, non istæ modò aliæq; gentes, quæ uiribus terribiles, quæ fiducia instructæ, ad perniciem immanitatis utuntur armis: sed etiam Blemmyes illi, ut audio, leuibus modò adsueti sagittis, aduersus Aethiopes quærunt quæ non habent arma, & penè nudis odijs prælia interneciua committunt. Hæc ille.* Eadem uerò pag. uers. 42. perfidissimum, *dissolue in duas uoces.* Pag. 162. *uers. 16. pro* Licerius, nepos Augustulus: *lege & distingue,* Liberius, Nepos, Augustulus: *quem admodum infrà sub finem Seueri pag. 164. 165. copiosius hi tyranni memorantur.*

EX

EX SEVERO.

Pag.164.uerſ.3.

169 Eurichus uerò Veſogothorum rex Auarnam Galliæ ciuitatem occupauit.) *Videbatur pro* Auarnam, *uoce nihili, fortè legendum* Auaricum. *Sed mox uerſ. 38. clarè oſtendit, legendum eſſe* Aruernam: *populum nimirum etiam proximiorem Tholoſatibus, ubi tum* Eurichus *ille* Veſogothis *imperitabat, teſte* Iornande, *è quo hæc ſunt deſumpta. atq; etiam uerſ.13. uerba quædam, ſed perperàm tranſcripta, quæ emendatè ſic leges: Gallias ſuo iure niſus eſt occupare. Deniq; uerſ.31. huius pag. opinor pro* Ciliacus dolor, *legendum eſſe* cœliacus. *Hædionis uicarius cum fortè non intelligeret, atq; pigeret inquirere quid hoc eſſet morbi, ſimpliciter dolorẽ uertiſſe ſatis duxit. Quis autẽ ſit morb. cœliacus, lege apud Galenũ de Locis adfectis li.6.ca.2. copioſè apud Aetiũ Tetrabib. lib.3. Serm.1. cap.37. item apud Cornelium Celſum lib.4. cap.12.*

DE ZENONE.

Pag.168.uerſ.28.

170 Sed neq; hoc omittendum cenſeo, quod ſub hoc Imperatore Anaſtaſio.) *Quis non uideat, hæc quæ ſequuntur omnia, ad finem ipſius Anaſtaſij, qui mox ſequitur, nõ huius Martiani. pertinere? Videtur autẽ ipſe author inter relegendũ quæ iam abſoluerat, incuria appendicẽ hũc loco nõ ſuo adſcripſiſſe: id quod Hædio quoq; rectè uiderat:*

EX ANASTASIO.

Pag.169.uerſ.19.

171 In Eunuchis ac Dioſcuri lapſus hærem.) *Legendum eſſe* Eutychis, *pro* Eunuchis, *docet nos res ipſa: tum uerſ.3. pag. proxi. & uerſ.23. pag.171. Reliqua huius paginæ errata aperta ſunt. Eadẽ hac pa.169. uer.25. emẽdata erit lectio, ubi pro nomen illis, poſt uerbum* ſcripſimus *tranſpoſueris: quo modo & Hædio legit. Item uerſ.50 diſpungenda omnino parentheſis. Nec porrò ſcio, an uerſ. 1. pag.170. pro* appoſitas, *rectius legeretur* oppoſitas. *Et mox uerſ.46. hæc tria uerba,* Sed Selimantheum Longinum, *per incuriã repetita, induces: & omnia quæ poſt ſemel nominatum Longinum Selimantheum ſequuntur, uſq; ad uocem* mititiç, *in parentheſi leges. Item pag.171. uerſ.45. ex* truxit, *pro* extraxit: *ut rectè utrunq; uertit Hædio. Et pag.173. uerſ.7.* percitus, *pro* paratus.

EX IVSTINIANO CAESARE.

Pag.174. uerſ.8.

172 Ob factionem Venetam & Parſinam, in qua XL. ferè hominum milia occiſa ſunt.) *Pro* Parſinam, *lege* Praſinam. *Has autem factiones aurigatorum fuiſſe, quæ à coloribus veſtis, aut cærulea aut uiridis nomen indeptæ, ludis Circenſibus olim contendebant, ſuas unaquæq; populi habens partes ac ſtudia: tũ præterea fuiſſe alias duas, ſcilicet albam & ruſam, quibus* Domitianus *Imperator, teſte Suetonio, duas ſuperaddidit, unam panni aurati, alteram purpurei, nemo eſt paulò doctiorum, qui ignoret, opinor. Quanquam Hædionis uicarius ſanè parum intellexiſſe hæc uidetur, ut qui & Venetos & Parſinos hominibus etiam Germanicè tantum callentibus Latinè reddidit: ac bona quidem fide, nempe mendoſè, uti extabant.*

Quũ uerò in urbe Chriſtiana, ſub Auguſto Chriſtiano, hiſce duabus ex factionib. tanta clades emerſerit, quis iam miretur ethnicos ſpectatores, dũ pars huic, pars illi fauet ac plaudit factioni, toties in calamitoſas prorupiſſe pugnas & dimicationes: aut A. Vitelliũ, ut ſcribit Suetonius, quoſdam de plebe ob idipſum quòd Venetæ factioni clarè maledixerant, interemiſſe: aut Baßianum Caracallam in populum Romanum atrociter deſæuiiſſe, quòd unum aurigatorem ludibrio habuiſſet? Atq; hinc eſt, quòd Plinius in panegyrico ad Traianum, inter eius quoq; laudes recenſet, ſub ipſo libera eſſe ſpectantium ſtudia, & ſecurum fauorem. Nihil autem omnino horum euenißet populo, ſi obſeruaſſet modò breuem illã, ſed planè aureolam doctrinam, quam Epictetus philoſophus in Enchridio præſcripſit eis qui ad ludos aut ſpectacula accedunt. Quia uerò in hanc hiſtoriam incidere poſſunt uetuſtatis Romanæ minus quoq; periti, aut his de factionibus duntaxat è uulgatis Grammaticorũ cõmentarijs edocti, libet huc adſcribere Plinij Secundi è lib.IX. epiſtolã, breuẽ quidem illam, ſed quæ admodum graphicè populi Romani in ſpectandis Circenſibus iſtis morem, ſtultãq; uoluptatẽ, ſeu potius inſanam libidinẽ depingit. Apud Blondum lib. Romæ triumphantis II. eius epiſtolæ initium ſub Ciceronis nomine perperàm refertur, tum mendoſè mutileq;. At nec in Aldi et Cratandri editionibus eadem Plinij epiſtola uitijs undequaque caret. Ego ita eam legerem, atq; diſtinguerem:

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Omne hoc tempus inter pugillareis ac libellos iucundißima quiete trãſmiſi. Quemadmodũ, inquis, in urbe potuiſti? Circenſes erant, quo genere ſpectaculi ne leuißimè quidem teneor. Nihil nouum, nihil uarium, nihil quod nõ ſemel ſpectaſſe ſufficiat. Quo magis miror, tot millia uirorum tam pueriliter identidem cupere currẽtes equos, inſidentes curribus homines uidere. Si tamen aut uelocitate equorum, aut hominum arte traherentur, eſſet ratio nonnulla: nunc fauent panno, pannum amant: & ſi in ipſo curſu, medioq; certamine, hic color illuc, ille huc tranſferatur, ſtudium, fauorq; tranſibit: & repentè agitatores illos, illos equos, illos quos procul noſcitãt, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta autoritas, in una uiliſſima tunica. Mitto apud uulgus, quod uilius tunica: ſed apud quoſdam graues homines, quos ego quum recordor in re inani, frigida, aßiduò tam inſatiabiliter deſidere, capio aliquam uoluptatem, quòd hac uoluptate non capiar. Ac per hos dies libentißimè ocium meum in literis colloco, quos alij ocioſißimis occupationibus perdunt. Vale.

Quemadmodum uerò & idem Romanus popu-

lus annis ferè trecentis post Plinij ætatem, in Ludos Circenses adhuc insanierit, exponit Am. Marcellinus lib. XXVIII. quo loco mores studiaq; uniuersi populi Romani speciatim ac graphicè quidem depingit, ita scribens: Hactenus de Senatu: nunc ad otiosam plebem ueniamus, & desidem: in qua nitent & nominibus cultis quidam calceorum expertes, Cimessores, Statarij, Semicupæ & Serapini, & Cicimbricus cum Gluturino & Trulla, & Lucanicus cum Pordaca & Salsula, similesq; innumeri. hi omne quod uiuunt, uino & tesseris impendunt, & lustris & uoluptatibus, & spectaculis: eisq; templum & habitaculum & concio & spes omnis Circus est maximus. Et uidere licet per fora & compita, & plateas & conuenticula, circulos multos collectos, in se controuersis iurgijs ferri, alijs aliud, ut fit, defendentibus. Inter quos hi qui ad satietatem uixerunt, potiores autoritate longæua, per Ianos & fora clamitant sæpe: rempublicam stare nõ posse, si futura concertatione quem quisque uindicat, carceribus non exiluerit princeps, & circumflexerit metam. Ex optato die equestrium ludorum inlucescente, nondum solis puro iubare, fusius omnes festinant præcipites, ut uelocitate currus ipsos anteeant certaturos: super quorum euentu disscißis uotorum studijs, anxij plurimi agunt peruigiles noctes. Præterea uerò eiusdem quoq; Am. Marcellini lib. XIIII. ubi idipsum tractauerat argumentum, extant hæc uerba: Hæc nobilium instituta. Ex turba uerò imæ sortis & paupertinæ, in tabernis aliqui pernoctant umarijs: nõnulli uelabris umbraculorum theatralium latent, quæ Campanam imitatus lasciuiam Catulus, in ædilitate sua suspendit omnium primus: aut pugnaciter aleis certant, turpi sono fragosis naribus introrsum reducto spiritu concrepantes: aut quod est studiorum omnium maximũ, ab ortu ad uesperam sole fatiscunt, uel pluuijs, præmia aurigarum equorumq; uel præcipuas delicias scrutantes. Et est admodum mirum, uidere plebem innumeram mentibus ardore quodam infuso, cum dimicationum curulium euentu pendentem. hæc, similiaq;, memorabile nihil uel serium agi Romæ permittunt. Hæc ille.

Ignotum mihi esse ingenuè fateor, quibus nam ex authoribus Cuspinianus hauserit ea quæ infrà sub initium Phocæ Imperatoris Pagina 187. scribit: scilicet Prasinam & Venetam factionem per Orientem & Aegyptum ciuilia & intestina bella tum multa fecisse: esse autem Prasinos & Venetos populos Erythrei sinus accolas, iam inde ab Antonini Veri principatu non ignotos Romanis legionibus, qui ad belligerantes inter se duos hos populos aliquando missæ sunt. Ego de Prasina & Veneta aurigatorum factionibus, ea quæ iam retuli, tum plurima legi alia: de Prasinis populis, aut Venetis in Erythreo sinu, nihil uspiam. Zonaram nunquam ipse uidi. Procopius & Paulus Diaconus ad manus non erant hæc lucubranti, quos aliàs quidem hac de re consulere non prætermisissem. Pòst uerò inueni P. Diaconum Longobardicorum libro quarto, capite undecimo, ita quidem scribere, quòd tempore Phocæ Imperatoris Prasini et Veneti per Orientem & Aegyptum ciuile bellum fecerint, ac sese mutua cæde prostrauerint. Sed eas ut Erythrei sinus gentes non memorat, ita ego de factionibus aurigatorum intelligere malo: quæ etiam paulo antè Constantinopoli tum in se, tum in alios multa atrocia patrauerunt sub Iustiniano nostro Cæsare, qui Venetam factionem usq; ad insaniam adamauit & fouit, teste Nicephoro Callisto in Eccles. historiæ lib. 17. cap. 21. qui de eisdem libro quoq; decimo octauo capite quadragesimo narrat, sed non ut Erythrei sinus gentibus. Inquirat, si libet, ipse lector philologus. Cæterùm præcedente Pagina 173. uersu 47. pro impn, lege imperñ. Item Pag. 175. uers. 13. ut sensum commodè expedias, produces parenthesim usq; post uerbum coegit, ac proximè sequentem copulam Et dispunges. Item uersu 40. pro Qui, leges Quem. et pag. 176. uersu 1. Porsena, leges persona. & Pag. 177. uersu 19. indiceret, pro induceret. & ibidem uersu 23. fauentis. & uersu 28. hunc, pro huc. Pro complenda autem huius Imperatoris uita, huc adijcies eum appendicem, quem ad Martiani finem perperam adspersum suprà annotauimus.

EX IVSTINO MINORE.

Pag. 180. uers. 17.

173 Anno salutis quingentesimo centesimo quinquagesimo.) Hinc quoq; deprehẽdis amanuensis crassam imperitiam. Quid enim suspicari possis aliud? Dubio procul Cuspinianus numerum notis ita scripserat, anno salutis D.CXX. Amanuensis clarius uolens perscribere, putauit, quemadmodum nota M. per mille effertur, sic quoq; D. nõ nisi sua uoce Quingenti peculiariter posse exprimi, nec ulla Centena admiseri. Dixit ergo, Quingentesimo centesimo: cũ una uoce dicere debuisset, Sexcentesimo. Super eo uerò quod author hic memorat, Exarchatum durasse annos CLXIIII. uide plenius rem omnem infrà sub finem Constantini, ubi narrat durasse annos CLXXV.

EX TIBERIO.

Pag. 181. uers. 44.

174 Postquã ex duobus principalibus in cognominẽ sibi regiã.) Pro duobus, legendũ esse ædibus, nemo opinor negauerit. Sic in Cõmodo apud Lampridiũ pro Palatinis diebus, Alciatus noster emendauit Palatinis ædibus. Hædio ut ædes addidit, ita duas reliquit: perinde ac si Sophia etiã ante emigrationẽ duobus regijs habitasset domicilijs, quasiq; duab. sedisset sellis, quod dicitur. Pagin. præcedenti uer. 48. pro Cepheu, lege iuxta P. Diaconũ Clebẽ, seu Clephẽ, hocq; ipsum etiã in M. Palmerij annalib. pro futili dictione Daphõ repone. Pag. 182. uer. 1. lege eloqui, pro alloqui. & Pag.

& pag.185.uerſ.25.proſequatur,pro proſequi tur. Neſcio an pag.186.uerſ.18.legendum ſit ſan xerat,aut fecerat, pro fixerat.Ibidem uer.27.le ge debilitatus, pro debilitato.

EX PHOCA.

Pag.186.uerſ.51.

175 .Vt libertatem uerbis tutaretur.) Et uita Mauricij proximè præcedens, & res ipſa demõſtrat,hic pro uerbis,legi oportere urbis. Reliquit tamen interpres eam uocẽ, qua hoc in loco nihil poteſt fingi abſurdius. Quid enim ſummo Pontifici erat præſidij, ſi adflictam Italiam Imperator contra Longobardos uerbis tutaretur? Equidem præceptor noſter Vdalrichus Zaſius, dum uiueret, idem Germaniæ noſtræ, quod Italiæ quondam Papinianus, Legum ille uertex, & tot illuſtrium Iureconſultorum ueluti parens & educator, Reſponſo XV. falſè taxat Præſulem quendam Germaniæ hippocentauris prædonibus plus iuſto indulgentem: qui negociatori cuidam ſpoliato, ipſumq; ut ditionis, in qua numis exutus fuerat, dominum ad accepti damni reparationem in iudicio conuenienti, inde uolebat ſatisfacere, quod edicta in prædones publicè propoſuiſſet, utcunq; uiarum cuſtodiæ manum militarem, aut nullam, aut non niſi ſimulatò adhibuiſſet. Hunc enim ſcitè diluit colorem Zaſius, inquiens: Qui ſolis edictis tutelam & ſecuritatem territorij parare uolunt, ſimiles ſunt his qui ex muro (ut in prouerbio eſt) ad pugnam hortantur. Itaque & uerbis & facto ipſo, manuq; & cuſtodia militari paranda eſt quies publica in territorijs, & cuſtodienda contra prædones itinera. Mox autem Pagina 187.uerſu 22. inter Praſini Veneti, inſere copulam &.

Pag.187.uerſ.40.

176 Et regis metu ſoluti, undique irruebant.) Videtur hic alicubi interponenda omiſſa dictio hoſtes. Colligis hoc infrà Pagina 189. uerſu 20.dum inquit: Perſę metu liberati, ex Aegypto Africam inuadunt. Cum hæc iam diuinaſſem, inuenio poſtea uocem hoſtes non deſiderari: ſed legi oportere reges, pro regis. Sic enim Lætus: Itaq; ex omni parte regis ſoluti metu irruebant. Intellige autem, Reges Barbarorum, ſiue hoſtium.

Pag.188.uerſ.30.

177 Ita comitatus Tribunus, quos diſcerpi uolebat.) Legendum fortè ira concitatus, Tribunis quos, &c. aut iuxta præcedentia, quæ de ſæuitia in ſuos narrant, pro Tribunis legendum utriſq; : id eſt, genero & filiæ. Vtcunque ſit, mihi locus parũ ſincerus uidetur. Ibid.uer.43.ubi ex tat, ad hunc in modum.) ſiue an legendum eſt pro ad, ſiue ne, pro in: hoc rectius cenſeo. & mox uerſu 45. eam pro ea legito. Pag.190.uerſu 1.pro cum, lege tum. Et ibidem uerſ.35. reliqui, pro reliqua. Pag.191.uerſ.3. repone mutuis, pro mutus, niſi cum Hædione malis legere multis.

EX HERACLIO.

Pag.191.uerſ.4.

178 Hinc fœdere cum Heraclio percuſſo, omnes captiui Romæ qui apud Perſas erant, Tyberi reſtituti.) Quis obſecro puer non uideat, pro Tiberi, hic legendũ eſſe liberi? Hædionis tamen uicarius & hic ſuo more Tiberim facit oppidum, in quo ſit facta captiuorum reſtitutio. Eadem propè inſcitia eſt, mox uerſ.10. pro labe, non legiſſe lege.

Pag.eadem,uerſ.51.

179 Eius permiſſu fecerunt.) Quæſo quid liberis Gothorum & Francorum Regibus, Romanoq; Imperatori tantum non imperantibus, opus erat Heraclij permiſſu? Itaq; legendum cenſeo precibus, pro permiſſu: quemadmodum diſertè Vrſpergenſis & Regino memorant, Heraclium hoc à Dagoberto petijſſe, ut Iudæos omnes baptizaret, aut regno ſuo expelleret.

EX CONSTANTE.

Pag.193.uerſ.38.

180 Inſulam q; Rhodon receperunt.) Non lego Rhodum priùs unquam Saracenorum fuiſſe. Itaq; legendum hic eſt ceperunt. Et ni fallor, particulare ex præcedenti uerſu à uerbo libere, per librarium oſcitantem huc eſt decerpta. Mox pag. 194.uer.21.diſpunge parẽtheſim ante Tot enim, etc.

EX IVSTINIANO MINORE.

Pag.197.uerſ.34.

181 Fuiſſet Zacharias à Pontifice Romano primo ingreſſu deſcriptus, niſi Pontificis authoritas interceſsiſſet, qui eum periculo ſeruauit. Scripſerat author fortè, à Po. Romano. Amanuenſis indoctus mox ſcripſit Pontifice: quum quidem ſequentia uerba clarè oſtendant, legendum à populo Romano. Item diſcerptus, pro deſcriptus. Verſu 40. pro proficiſcenti Cæſari, lege proficiſcente Cæſare.

Pag.199.uerſ.36.

182 Eò compoſito ad ſupplicium rapiebatur.) Præcedentia ferè perſuadent, ut ipſo ab authore hic ſcriptum fuiſſe credam è ſympoſio, pro eo compoſito. Interpres cum hæſitaret, maluit hæc uerba tranſilire, quàm uertere. Ibidem uerſ.38, & infrà locis pluribus pro Oomuſio, lege Homouſio. Qua autẽ cura & conſtantia ſancti illi orthodoxi patres id uerbum, id eſt filij Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum Deo patre conſubſtantialitatem contra Arium hæreticum, eiusq; ſectatores defenderint, luculenter memoratur (præter Concilio rum libros, & theologorum ſcripta) initio lib. X. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, per aliquot capita. Item in hiſtoria quam uocant Tripartitam lib.1.à cap.XII. uſq; ad eius libri finem. & lib.2.itidem capitibus aliquot primis, & copioſius VII. capite. & lib.4.capite 24. & lib.5.cap.7. & 8. & cap.34. Diui Hieronymi

nymi in Chronicis ad Eusebium hæc sub Iouiano extant uerba: Synodus Antiochiæ à Meletio & suis facta, in qua homousio & homusio reiecto, medium inter hæc homoiusion Macedonianum dogma uindicauerunt. Libet in Lectoris philologi gratiam apponere hac de re breuem, sed bene perspicuum Cælij Calcagnini, uiri literatissimi, locum, ex lib. Epistolarum 2. In sacro Concilio, inquit, quod Arimini annis abhinc plus mille celebratum est, accipimus sanctissimos patres Arianorum astu traductos atque illusos fuisse. Quum enim disceptaretur, an inter personas Diuinitatis pater ac filius eiusdem essent substantiæ, quod ὁμοούσιον Græci uocant: nonnulli damnati dogmatis professores in uiros simplices, sed sinceros interrogasse dicuntur: An uero uos Deum unum trinumq; agnoscitis, an magis colendum putatis? At boni uiri quid esset ὁμοούσιον prorsus nescientes, se Deum unum, trinumq; agnoscere ac uenerari, ὁμοούσιον uerò ignorare, atque adeò abhorrere fatebãtur. Ex quo eorũ dolo senatusconsultum factum est, Christianos nequaquam ὁμοούσιον credere. Ad quam maculam eluendam, proximis annis opus fuit Niceense concilium cogere, in quo anteacta retexta sunt, & ueræ sanctiones assertæ. Hæc Calcagninus. Item uersu 44. pro dediti, lege deleti. & Pag. 200. uers. 19. & 26. pro odio & tum, lege ocio & tamen: quæ nec interpretem fallere potuerunt mendæ.

Vide Nicephorũ Callistum in diuersis locis eccles. historię.

EX PHILIPPICO BARDANIO.

Pag. 201. uers. 31.

183 Imperium Principis postulatum.) Præcedentia satis innuunt, aut impium, pro imperium (quod mihi equidem arridet, tum ex re ipsa, tum ipsius authoris uerbis, quæ sunt infrà Pagin. 210. uers. 50. ubi Iconomachicum itidem edictum uocat impium) aut prolatum, siue propositum, legendum esse pro postulatum.

Ibidem uers. 45.

184 Non planè impius & uecors.) Pro nõ, lege aut uir, aut homo. Et pag. proxima uers. 16. regendam lege, pro agendam. Porrò in Theodosio tertio, pag. 203. uers. 27. animaduerte quòd ab authore unus memoratur Orientis præfectus, scilicet Leo, qui et Conon: cum Egnatius duos recenseat diuersos, scilicet Leonem & Cononem.

EX LEONE ISAVRO.

Pag. 205 uers. 3.

185 Qui grauissimæ classi præerat.) Lege grandissimæ, uti statim uers. 5. dicitur: nam numerosa classis. Et uersu 10. irruit, pro irripuit: quæ rectè uertit Hædio, ut & sequentia quædam minutá.

Ibidem uersu 29.

186 Bizantium etsi defenderetur sine armis.) Etsi hæc quoq; sensu non careant, ego tamẽ germanã lectionẽ esse censeo, à Saracenis, pro sine armis: & expono, id est contra Saracenos. Et uers. 51. pro parricidæ, lege parricidij. Pag. 206. uers. 3. abtrudunt, pro obtrudunt.

EX CONSTANTINO QVINTO.

187 Cum Arabibus mouisset.) Deesse hic dictionem bellum, facilè quiuis intelligit: nisi fortè subintelligi quis eam uocem putet, ut cum dicimus, Cæsar ab urbe mouit, scilicet castra. Item pag. 210. uers. 31. pro motu, lege monitu. Et in Nicephoro Pag. 215. uer. 19. uidetur corruptè legi, paulo antè enim cum, & reponendum, Paulo antè etiã quum. Pag. 116. uer. 7. Pro Bebengarius, lege Babẽbergius. Et ibidem iuribus, pro uiribus. In Carolo magno, Pag. 219. uers. 14. quod author uocat bellum Limonicum, dicitur Eginhardo Hilinonicum, & Vrspergensi Lilonicũ. Ego planè nullum istorum intelligo.

Pag. 221. uers. 38.

188 Græcorum proceres, ne Irene suis nuptijs Græcorum spem omnem in Franciam deferret, Lesbum in insulam deportata est.) Vtcunq; res ipsa intelligatur, tamẽ hoc loco uerba non cohærere (ne dicam desiderari uocem ueriti) manifestum est. Videtur autem Cuspinianus scribere uoluisse, in insulam Lesbum eam deportarunt. Cæterùm cogitatione, ut fit, aliò abreptus, nec aduertens quà uerborum fórma periodũ inchoasset, finijt aliter quàm debuit: quemadmodũ & in mediam Nicephori Constantinopolitani Cæsaris, simulq; eiusdem filij Stauratij, uitam & res gestas, non satis cõmodè Carolum Magnũ immiscuit.

Pag. 222. uers. 28.

189 Erat enim miserabilis, omniumq; auarissimus.) Quis non uideat legendum esse insatiabilis, pro miserabilis: utcunq; uidere non potuerit Hædionis optio. Complura manifestaria errata huiusce paginæ, ac itidem in Carolo Magno, lector ipse sibi emendabit. Item in Michaele Raucabe, pag. 224. uers. 14. leget ablata, pro allata: & uersu 47. exercitus, pro excitus. quem locum interpres glossemate non necessario explens, perperàm uertit. & uersu 49. qui, pro quæ. Et Pag. seq. uers. 20. ante dictionem ignarus, interserre quasi, aut uelut.

EX LEONE.

Pag. 226. uers. 32.

190 Verba hæc ubi nuncius Regi simul cum donis retulit, paueſcens, alioqui ad religionem mobili, Meliseno.) Puto à dormitante amanuense iustum uerborum ordinem confusum, atq; ita reponendũ: Verba hęc ubi nuncius paueſcens Regi, alioqui ad religionẽ mobili, simul cum donis retulit, Meliseno, &c. Hunc ordinem Hædio quoq; reddidit. Pagina seq. uersu 30. lege fugati, pro fatigati. Et Pagina 228. uersu 15. quidam, pro quidem: & uers. 18. interpretatio, pro interpretantem. & uers. 141. fortè audendum, pro adeundum:

& Pag.229.uerſ.4.uirilibus,pro uiribus. Neq; enim unquā ego legi exectis uirib. pro genitalibus.

EX MICHAELE THRAVLO.

Pag.233.uerſ.30.

191 Ac per Deum in omnibus iurādum cenſuit.Iudæ ſalutem ominabatur.) Quam uerò ſalutem Iudæ,nempe Iſcharioti, potuit atheos ille Imperator ominari? qui de reſurrectione nihil prorſus credebat, futuras promiſſiones etiam ridere ſolitus? Videbatur itaq; pro Iudæ fortè legendum Inde: quaſi diceret, per Deum ideo in omnibus iurandum cenſuit,quia id tanquam boni ominis,ac ualetudini ſalubre exiſtimaret. Hædio tamen tria hæc uerba ita uertit: Aiebat quòd Iudas quoq; eſſet futurus ſaluus. Qui ſenſus ſanè non diſplicet. Capiti enim tam inſano & impio, contrarias etiam inſediſſe ſententias,mirum non eſt: præſertim cum non defuerint hæretici Caiani dicti (quia Cain fratricidam adorarent) qui Iudam proditorem aliquid diuinum putarunt, ſcelus eius iactantes beneficium ingēs. Præſciſſe enim quantū humano generi Chriſti ſeruatoris paſsio eſſet profutura, ideoq; Iudæis prodidiſſe. Poſſunt uerò Cuſpiniani uerba ſic accipi, quòd etiam Iudæ ſalutem precari ſolitus fuerit. Dum uerò ſtatim hoc loco præcedit, adulteria paſsim promiſit,lege permiſit.

Ibid. uerſ. 35.

192 Cum de monacho in philomilio ſcri beremus.)Nō herclè intelligo quid hoc ſit philomilio. Hædio nomen oppidi facit, loci ue alterius proprium. At ego ſuſpicor uocem eſſe nihili,ab amanuenſi imperito ſuppoſitam: & pro ea legendum, in uita Leonis(id quod ſanè placet) aut diuinaculo. Vide hac de re ſuprà principio Vitæ Leonis, Pag.226. Pag.235.uerſ.5. & ſequentibus,neſcio an uerborum ordo ſatis integer ſit.

EX THEOPHILO.

Pag.237.uerſ.12.

193 Cum autem homuncio ille Reginam interrogaret,ecquid hoc eſſet? Reſpondit, calami eſſe Ninia.) Quid hoc in loco ſibi uelit dictio calami,an pro ea legendum ſit fortè thalami,an cælata(ob uerbum, ſtatuas, quod quarto uerſu præcedit)an quiduis aliud,num uerò ut adulteria diſpungi debeat,planè me neſcire fateor. Hoc quidem ſcire ſatis uideor, nullo modo probandum eſſe, quod interpres uertit pro calamo aromatico, ſcilicet hoc modo: Antwortet ſye/es weren Calmeß,Ninia. Aequè uerò obſcurum & incognitū mihi eſt,quod Pag.238 uerſ.53.extat: poſt pugnæ meritum reuertitur. Legendum fortè, iuxta ea quæ ſtatim ſequuntur,poſt pugnæ initium.

EX LOTHARIO.

Pag.240.uerſ.24.

194 Comprehenſus, in cœnobium tondendus traditur Sueſsione ad S.Medardū. Sed duplus monachis conſentientibus opem q; ferentibus,fuga dilapſus.) Quū ſcrupulum ſanè injiceret, uox Duplus adij Reginonem monachum, qui horum temporum annales ſcripſit: meq; in geſtis Anno D.CCC.LIII ille ſtatim expedijt, nimirum eandem rem his uerbis narrans: Captum cum conſilio Epiſcoporum & procerum attondit, & habitu monaſtico indutum Sueſsionis in monaſterio S. Medardi miſit: inde duobus monachis conſentientibus, ſimul & opem ferentibus, fuga dilapſus eſt. Interpres ſenſum commodum ilico ipſe ſibi ex uerbo quamuis incōmodo inuenit, hoc modo uertens, Als er aber zwifach vnd falſch war: id eſt, Sed cum eſſet duplex & doloſus, &c.

Obſeruandum uerò eſt, ne cum hoc facto permiſceatur aliud quoddam neque euentu neq; tempore adeò longè ab hoc remotum, ſcilicet de Caroloman no, quem pater Carolus Caluus à ſacris ordinibus, quibus initiatus fuerat, prolapſum ad prophana, imò teterrima quæq; facinora, tandem in monaſterio Corbienſi recluſit: ſed qui poſtea duorum pſeudomonachorū nixu inde profugit, ut ſcribit Gaguinus, hunc quidem apoſtatam Carlonem perperàm uocans: & narrat de eiuſdem Carolomanni apoſtaſia & ſupplicio ipſe Cuſpinianus infrà ſub finē Caroli Calui, Pag.258.item Regino prolixius in geſtis Anno D.CCC.LXX.ubi id monaſteriū,quod eidem Carolomanno profugo & excæcato Ludouicus rex Germaniæ patruus cōmiſeratione motus ad uitæ ſubſidium conceſsit, Abſternatum uocat: Cuſpinianus uerò, Epternacū. Siquidē monaſteriū hodie Echternach uocatū, atq; trās Rhenū alicubi ſitum, diuo Vuilibrordo dicatū eſt,cuius nomine & Regino & Cuſpinianus ſua iam dicta monaſteria demonſtrāt, facilè adducor,ut eorū uerbis mendā ineſſe, et hoc ipſum intelligi monaſterium credā. Id quidē cœnobiū,quodcūq; tandē fuerit,pertinuiſſe ad portionē Ludouici regis Germaniæ,ſatis liquet ex Regino ne,dum in geſtis Anno D.CCC.XLII, diuiſionē regnorum inter tres Ludouici Pij filios, Caroli Magni nepotes,deſcribit. Et quia amplius aliquid ineſt quàm paulo ſuprà Cuſpinianus retulit,nempe cuius eo tēpore Roma fuerit, & quo merito ac iure alijs eccleſijs reuerētius habita, libuit totum Reginonis locum huc adſcribere.

Anno Dominicæ incarnat.D.CCC.XLII.tres ſupradicti fratres imperiū Francorū inter ſe diuiſerūt,& Carolo Occidentalia regna ceſſerunt,à Britannico Oceano uſq; ad Moſam fluuium,Ludouico uerò Orientalia, ſcilicet omnis Germania uſq; Rheni fluenta, & nonnullæ ciuitates cum adiacentibus pagis trans Rhenum,propter uini copiā. Porrò Lotharius, qui & maior natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter utroſq; incedēs,regnū fortitus eſt,quod hactenus ex eius uocabulo Lotharingia nuncupatur: totamq; Prouinciā,nec nō omnia regna Italiæ, cum ipſa Romana urbe, quæ & modò ab omni ſancta Eccleſia propter præſentiam

apostolorum Petri & Pauli, speciali quodam uenera-
ratur priuilegio, & quondam propter Romani no
minis inuictam potentiam, orbis terrarum domina
dicta fuerat. Paulo autem suprà in hac Cuspiniani
Pag. uers. 21. pro Austrata, lege Austrasia: &
uers. 15. pro imperij, lege impij.

Pag. 241. uers. 3. & sequentib.

195 Sed cum iam decẽ annis imperasset Lotharius, &c. Ludouicũ consortẽ Imperij fecit.) Nihil equidem his in uerbis desidero: sed ideo citra annotationẽ non transeo, quò interpretũ Decreti error ille cõmunis tandẽ explodatur, dum c. lectis. LXIII. dist. aiunt de eo ipso facto loqui, quo de agitur in c. Reatina, & c. Nobis. eadem dist. tribuuntq; Papæ Stephano Tertio. Hoc ut dubium est, ita illud falsum esse clarè docet ipsa temporũ supputatio. Cum enim in c. Reatina. ad Lotharium & Ludouicum Augustos (nempe Ludouici Pij filium & nepotem) scribat Papa Leo Quartus: quomodo potest ille Canon, Lectis. super eodem facto loqui, & esse Stephani Tertij, qui plus minus annis LXXVII anteceßit Leonẽ Quartum, Papis octo intermedijs? Quin ut Stephano Quarto eum ipsum c. Lectis. adiudicemus: attamẽ de eodem negocio quod in c. Reatina. tractatur, loqui non potest, cum ipse quoq; Stephanus Quartus Leonem Quartũ (creatum Pontificem An. Sal. D. CCCXLV. Lothario post è uiuis demigrante Anno D. CCCLV. ut mox narrat Cuspinianus) præcesserit annis circiter XXXV. quo sanè tẽporis tanto interuallo uerisimile neutiquam est, ecclesiam Reatinam Episcopo semper caruisse. Esse autem eum c. lectis. nõ Stephani Tertij, sed Quarti potius, innuere uidetur Guido interpres. Licet enim ibidem ipsum Leonem Quartum, utpote patria Romanum, timiditatis crimine suggillans, nimium amarulentè, ne dicam calumnioſe, Stephanum quoq; Tertium adspergat, ut qui citò flexus noluerit lapidari, quemadmodum Stephanus protomartyr: tamẽ cum ex historijs constet, Stephanum Quartum suæ electionis confirmationem à Ludouico Pio petijsse, conijcere licet, de hoc Guidonẽ & sensisse & scripsisse: omissa uerò per amanuensem una numeri nota, III pro IIII irrepsisse. Cuiuscunq; uerò tandem Stephani Papæ sit epistola in eodem c. Lectis. an meritò ea culpetur, iuxtaq; duæ illæ Leonis Quarti, ne istam fortè litem uidear libenter meam facere uelle, non excutio: sed malo legi ipsam Cuspiniani eo de negocio censuram, suprà ab initio Ludouici Pagina 232. uers. 53. Quamuis sanè, quod Guidonem & alios eiusdem farinæ scriptores mouere potuerit, ut optimos illos Pontifices istiusmodi criminationibus onerarent, iuxtaq; inculpatißimis quibusdã Imperatoribus tyrãnidis notã impingerẽt, neq; nobis inferius in Ludouico Bauaro citra præuaricationis culpã licuit omnino dißimulare. Paulo infrà in Michaele Cæsare, Pag. 244. uers. 35. pro cõperta, lege cõparata: & uers. 40. miseræ, pro miserè: & Pag. 246. uers. 43. minutißimas, pro munitißimas.

EX LVDOVICO. II.

Pag. 249. uers. 10.

196 Vxoris neq; nomẽ, neq; familiã, licet studioßißime disquisierim, inuenire potui: Filiam lego Hermingardim relictã.) In Genealogijs Ducũ Bauariæ uernaculis quibusdã in nominati authoris, de quibus infrà in Ludouico Bauaro plura, ego inuenio huic Ludouico II. Cæsari, Lotharij Cæsaris filio, uxorem adiungi Theodebergam, filiam Caroli Calui, ipsius Ludouici patrui. Sed cum ibidẽ adijciatur, ex his natum filium unum Carolum nomine, item filiam unam Gillam, quam pater dederit uxorem cuidã Bosoni, eum ipsum & Burgundiæ Ducem faciens: non satis equidem scio, an ulla insit rerum fides. Enimuero de Caroli Calui filia unica tãtum lego, scilicet Iuditha, nupta primum Edelhulfo regi Angliæ, ac deinde Balduino Flandriæ primo Comiti, ut clarè narrat Cuspinianus infrà sub finẽ Caroli Calui. Præterea à Genealogijs istis innominati authoris, de filia è Ludouico II. Cæsare nata, tum hic, tum magis infrà in eodem Caluo, circa medium Pag. 256. dissentit idem Cuspinianus. nimirum scribens eam uocatam Hermingardim, à patre Ludouico II. Cæsare desponsam quidem Basilio Græcorum Imperatori, sed à Caluo uxorem datam Bosoni, qui deinde ipsa instigante ac annitente Rex prouinciæ creatus sit per eundẽ Caluum, scilicet Bosonis ipsius sororium. Hoc amplius idem Cuspinianus infrà in Berengarijs, sub finem Paginæ 277 scribit: ex Bosone rege prouinciæ & Burgundiæ, eiusq; uxore Hermingarda natum filium Ludouicum, qui à Principibus Italiæ inuitatus ut regnum Italiæ Berengario auferret, sibiq; usurparet, ab eodem ipse Veronæ captus & excæcatus fuit. Et habet sanè Cuspinianus, quod ipsum Bosonis & Hermingardæ ad coniugium attinet, suæ narrationis idoneum authorem, puta Reginonem: cuius uerba ut obiter menda expurgem haud mediocri, huc adscribam, quæ ita habent.

Anno Dominicæ incarnationis D.CCC.LXXVII, Carolus senior Romam secundò profectus est, ubi iampridem Imperatoris nomen à præsule sedis Apostolicæ Ioanne ingenti precio emerat, regnumq; Italiæ magis in transeundo uidit quàm fruendo potitus est, ab urbe Roma in Longobardiam reuersus, Bosoni germano Richildis reginæ Hermingardem filiam Ludouici Imperatoris in matrimonium iungit, &c. Dedit insuper eidem Bosoni Prouinciam: & corona in uertice capitis imposita, eum regem appellari iußit, ut more priscorum Imperatorum regibus uideretur dominari.

Hæc ille. è quibus etiã liquet, Io. Bucheto fidem non adhibendam, qui in Epitaphio Caroli Calui negat hunc Ludouicum ullos reliquisse liberos: nihiloq; magis Nicolao Gilleo, qui hanc ipsam filiam Ludouici II. Cæsaris uocat Bichildẽ, præsertim cũ

perperàm

Carolus magnus. Vxor ei tertia fuit Hildegardis, filia Hildebrandi Ducis Sueuiæ.

Carolus destinatus à patre regno Frãciæ & Imperio, sed ante patrẽ mortuus sine liberis.

Pipinus rex Italiæ, & Dux Bauariæ, ante patrem mortuus, relicto filio.

Altera Ludouici uxor Iuditha filia Velphonis primi Com. Altdorfensis in Sueuia, soror Ethitonis.

Ludouicus Pius rex Frãciæ & Imper. Vxor prima Hermingardis, filia Ingrami Ducis Saxoniæ.

Carolus Caluus, rex Franciæ, & Imp. uxor eius secunda Hermentrudis.

Pipinus à patre Aquitaniæ præfectus. Vxor Theodorici Com. Matricen. filia.*

Lotharius rex Italiæ, & Imperator. Vxor Hermingardis.

Ludouicus rex Germaniæ, dictus senior. Vxor Hema, mulier pudicis, & nobilis.

Bernhardus rex Italiæ.

Carolus Aquitaniæ rex.

Ludouicus 3. cognomẽto Balbus rex Franciæ, & Imper. uxor 1. Anfgarda 2. Adelhaidis.

Carolomannus apostata, tandem à patre excæcatus.

Pipinus ab auo Lud. Pio Aquitania donatus: sed postea cũ patre Carolo in monasterio detrusus per **

Ludouicus 2. rex Italiæ, & Imp. De uxore uide Annot. nostrã in Cuspin.

Carolus rex Prouinciæ.

Lotharius rex Lotharingiæ & Austrasiæ. uxor Thietburga, quam repudiauit ob pellicẽ Vualdradam.

Carolus 3. cognom. Crassus, alicubi iunior, rex Germaniæ, Italiæ, Franciæ, & Imp. Vxor Adelburga filia regis Gra*

Carolomannus. Vxor sterilis. Cõcubina quædam nobilis Charentana.

Ludouicus. Vxor.

Placentia. Vxor Conradi 1. Imperatoris.

Ludouicus.

Carolo mannus.

Carolus simplex rex Franciæ. Vxor Elginia regis Anglorum filia.

Hermingardis, per Carolũ Caluũ nupta Bosoni, creato regi Prouinciæ.

Lotharius rex Lotharingiæ. Vide Cuspinianum pag. 283. & seq. & pag. 280.

Agnes filia regis Græcorũ: Vxor prima.

Arnulphus rex Germaniæ & Imperator.

Deytha, seu Luitgarda uxor secunda.

Ludouicus malè feriatus.

Ludouicus Quartus, rex Franciæ.

Ludouicus rex Italiæ, per Berẽgarium Veronæ exc[illegible]catus.

Hugo Comes Aretatẽsis, rex Italiæ.

Boso Marchio Thusciæ.

Arnulphus malus (uel, ut complures habẽt Arnoldus) Dux Bauariæ.

Vernherus Comes in Scheurn.

Bertha filia, nescitur utra ex matre. Ipsa Luithardi Comitis Cleuẽsis uxor.

Ludouicus Quartus rex Germaniæ, & Rom. Vxor Mathilda Luithol fi Ducis Sax. filia

Conradus Comes, pater Conradi primi Imperatoris.

Lotharius rex Franciæ.

Carolus dux Lotharingiæ.

Ludouicus Quintus rex Franciæ.

Hunc secutus est ex alio stemmate Hugo Capetus, exclusо huius Ludouici Quinti patruo Carolo Duce Lotharingiæ.

* Ante patrem obijt.
** Carolum Caluum patruum.

* natæ, iuxta Trithemium.

Hunc Ludouicum, sine liberis defunctum, asserunt quidam in regno Germanico Carolingorum fuisse ultimũ, quum ijdem per Carolum Simplicem in regno Occidentali longius progrederentur.

Arnulphus autem Imp. filium quoq; habuit nothum, è concubina nobili, Zuendebaldum, regem Lotharingię.

perperam eidem fratres faciat Carolum & Carolomannum, belligerãtes contra Carolum Caluum: qui quidem non huius Ludouici II Cæsaris, sed Ludouici regis Germaniæ, seu Baioariæ nostræ, laudatißimi patris fuere filij laudatißimi. Sed susque deque ferenda hæc essent in scriptoribus ijs Gallorũ uernaculis (quãquã Buschetus sanè egregiã nauauit operã, & exiguo libello multa bene explicauit, & scriptorũ quorundã errata sarciuit) nisi & Robertus Gaguinus, rerũ Francicarũ scriptor, uel eo nomine præcipuus, quia ad hoc usque seculum Latinè easdẽ pertexuit, hãc Bosonis uxorẽ faceret Ludouici regis Germaniæ filiã, tum alibi perinde multa in his & sequẽtibus aliquot Carolinæ familiæ principibus permiscet. Et persuadet cũprimis hæc operis pars, ut credã esse propè undequaq; uero cõsentaneã, quam idẽ Ioãnes Buchetus in epitaphio Henrici eo nomine primi regis Franciæ, hunc ad modũ de Gaguino censuram profert: Attamen Gaguinum (inquit Buchetus, ibidem errorem quendam bene crassum eiusdem Gaguini clarè prodens) nõ culpo, ut qui in tota sua Chronica secutus est librum quendam barbarum & uiciosum, inscriptum, Chronica magna Franciæ: neque sollicitus fuit, ueritatem ex antiquis historiographis, qui fidem merentur, inquirere. Hæc Buchetus. Porrò ut monachus Rhegino nusquam fortè à uero aberret, tamen quia annorum seriem strictim sequitur, neq; stemmata ulla digerit, ipse quoq; lectorẽ hac in parte haud promptè iuuat. De Annonio, Sigisberto, Paulo Aemilio, ac alijs Regum Franciæ scriptoribus, quorũ copia nõ est, ut nihil pronunciare possum, ita facilè suspicor in his quoq; nonnihil desiderari: nimirum quia Cuspinianus, qui omnes uidit, & quod res ipsa docet accuratè euoluit, sæpe ac sine cuiusquã exceptione queritur, in huius seculi Cæsaribus Ludouicis, itidemq; Carolis, multa per scriptores esse cõfusa. Sed utcunq; sit, debent historiarũ studiosi saltem eo nomine Cuspiniano, quòd ex uulgatis pleriscq; Chronicis, itidemq; Cæsarũ scriptoribus errata multa sustulerit: ac hisce Caroli Magni posteris tantũ lucis, non equidem citra puluerem, quod aiunt, inuexerit, ut in horum Principum Genealogia ac gestis non adeò multum hodie desideremus, totumq; id seculum longè quàm antehac commodius legere possimus.

Ipse quoq;, dum legens Cuspinianum hæc commentor, typum Genealogiæ ita mihi cõcinnauerã, ut omnem Caroli magni posteritatẽ, quatenus quidem stirps uirilis perdurauit, ob oculos promptè clareq; exhiberet: ac quæcunq; offerretur quouis in scriptore harundem personarũ confusio, hinc primo obtutu me typus ille expediret. Sequebar uerò ipsum maximè Cuspinianum: ac præterea adhibebã Reginonẽ Monachum, ut qui eodem ferè seculo uixit, horumq; Principum quosdã uidere potuit, nempe Anno Sal. D. CCC.LXXXXII, factus Abbas Prumiensis cœnobij: septimoq; anno pòst dignitate per inuidiã deturbatus, Richarium successorẽ sustinuit, quemadmodum de se ipse memorat. Et hinc satis elucet, Reginonẽ ad annum Sal. D. CCC C. LXVII usq;, Annales suos pertexere non potuisse: imò posteriora quædã ab alio cœnobita fuisse adiecta, uti sub finem gestorum Anno Sal. D. CCC C. V, non abs re ita est insertum: Hæc Regino, quæ uerò sequũtur, addita fortasse sunt ab alio quopiam monacho. Hæc inquam uerba percommodè ibi sunt inserta. Qui enim totum id opus uolet Reginoni tribuere, idẽ uolet è duobus parũ uero similibus adserere alterutrũ: nempe, aut Reginonẽ fuisse creatũ Abbatẽ ualde iuuenẽ (id quod nemo facile credat, cũ ipsum patris nomẽ postulet ætatẽ maturiorẽ, eoq; præsertim seculo canones annarij graduũ Ecclesiasticorũ rigidè obseruarẽtur) aut ad summã uixisse senectutẽ, nẽpe annos circiter Centũ totos. Vt uerò typus hic noster nil ingenij habeat, tũ neq; laboris sanè multũ: & sint fortaßis hæc ipsa alijs aliorum in Genealogijs eundem ad modum, ac multo uberius collecta, & depicta quoq; ornatius: tamen quia studiorum iuuandorum gratia, ac beneuolo animo profertur in mediũ, spero bonis candide probatum iri, ac posse hãc opellam nostrã saltem tenuioribus prodesse, quibus itidẽ neq; bibliotheca locupletior, neque maior istius generis tabellarũ, quam nobis, est copia, uel noticia.

Pag. ead. uers. 13.

197 Despondit consobrino suo Bosoni.) Quo in significatu Cuspinianus hoc loco mihi uidetur usurpasse uocẽ Cõsobrini, nẽpe non illo uulgato, quasi Caluus et Boso duob. è fratrib. aut duab. sororibus, fratre ue & sorore essent prognati: sed potius pro adfine, quia eius soror Richildis Caluo esset nupta: uide infrà in Annot. à nobis pleniùs expositũ.

Ibidem uers. 35.

198 Hic Ludouicus uxorem habuit Lemniam, nobilissimam & pudicissimam fœminam.) Neque uspiam alibi hoc nomen mulieris proprium legi, neque uidere possum quid Baioarijs meis cum Vulcani patria cõmercij unquam esse potuerit. Quid uerò lectorẽ uerborum ambitu suspendam? Hemma hæc Ludouici coniunx uocatur Reginoni & Ioan. Auentino, extatq; uox integra ipsi quoq; Cuspiniano infrà initio Caroli Crassi, estq; sepulta (teste eodem Auẽtino) Ratisponæ in monialium cœnobio, dicto Oberminster. Recenset uerò bonus ille pater Regino, optimi regis Ludouici uirtutes, uerè Christiano principe prorsum dignas, eulogio tam breui, tam lucubrato, ut bonũ factũ putẽ, si eum locũ ad uerbũ (castigatiorẽ tamẽ ipsum quoq; quàm uulgò legitur, & una numerali nota x, quæ superflua est, dispuncta) huc adscripsero. Fortè enim Principum aliquis, ob operis nouitatem & rerum copiam malet Cuspinianum quàm Reginonem euoluere, simulq; in hæc nostra qualiacunque Annotamenta, saltem animi causã, puta ad discutiendũ cõtinuæ eodẽ in scriptore lectionis tædiũ, diuertens, in illo Ludouici regis encomio, quãtumuis breui, Principis uerè Christiani officiũ à Reginone ita expressum cõtuebitur, ut meliora uel ex Cyro Xenophontis

nophontis,uel Nicocle Isocratis,uel alijs aliorũ scriptorũ effigiatis potius q̃ uisis Principibus, multorũ dierũ lectione nũquã sit cogniturus. Regino ita habet: An. Dominicæ incarnationis D. C CC.LXX VI, Ludouicus rex apud Frãconefurt palatiũ, diem clausit extremũ, V. Kal. Septemb. sepultus est in monasterio sancti Nazarij, quod Lorashã nũcupatur. Fuit aũt iste princeps Christianissimus, fide catholicus, nõ solũ secularibus, uerùm etiã ecclesiasticis disciplinis sufficienter instructus: quæ religionis sunt, quæ pacis, quæ iusticiæ, ardẽtissimus executor: ingenio callidissimus, cõsilio prouidẽtissimus, in dandis siue subtrahẽdis publicis dignitatib. discretionis moderamine temperatus: in prælio uictoriosissimus, armorũ quàm conuiuiorũ apparatibus studiosior: cui maximæ opes erant, instrumẽta bellica: plus diligẽs ferri rigorẽ, quàm auri fulgorẽ: apud quẽ nemo inutilis ualuit, in cuius oculis perraro utilis displicuit, quẽ nemo muneribus corrũpere potuit: apud quem nullus per pecuniam, ecclesiasticã siue mundanã dignitatẽ obtinuit: sed magis ecclesiã probis moribus & sancta cõuersatione, mũdana deuoto seruitio & syncera fidelitate. Habuit autem hic glorioſissimus Rex, cuius memoria in benedictione est, reginã nomine Hemmã, sibi in matrimonium iunctã: quæ nobiliss. genere fuit: sed quod magis laudandũ, nobilitate mẽtis multo præstãtior, ex qua tres filios suscepit, excellentiss. indolis: uidelicet Carolomannũ, Ludouicũ, et Carolũ: q fœlici sorte post decessũ patris, ĩperij moderati sunt gubernacula. Hæc Regino.

Ibid. uers. 37.

199 Carolomannũ regẽ Bauariæ & ducẽ Corinthię in Ottinga sepultum suæ fundationis.) Etsi leuiculum hic ineſt erratũ, tamẽ quia geminum, præterire nolui. Pro Corinthiæ, quæ uox mendosa', & infrà initio Arnulphi ab indocto est repetita amanuense, lege utrobiq; Carinthiæ: ut alibi sæpe eodem in Arnulpho, sana habet lectio. Eam uerò prouinciam Ducatus titulo esse iam olim sub Principib. Austriacis, nemo ignorat. Regino in gestis An. D. C C C. L X X VI, ubi narrat quomodo Ludouici regis Germaniæ tres filij paternas inter se diuiserint ditiones, scribit, Carolomanno cessisse Baioariã, Pannoniã, & Carnutũ: quod corruptè, inquit, Carentanũ dicitur. Quo quidẽ ex Regionis loco nõ ineptè fortasis quis cõiecerit, Carinthiæ prouinciæ nomẽ emanasse à Carnuto seu Carnũto, celebri quondã superioris Pannoniæ ciuitate: qua de multa Volphg. Lazius in Vienna sua. Quòd Carnutũ in ripa Danubij fuerit (ut explicat idẽ Lazius) Styriæ propior quàm Carinthiæ, nõ admodũ obstat, quũ eo tẽpore Styriæ nomen nondũ esset auditum: ac simul eæ ditiones aliquot seu Carnuti, seu Carẽthaniæ, Carinthiæ ue cõprehenderentur uocabulo. Si quis tamẽ potius à Carnis, contiguis populis, nomen huic prouinciæ enatum uelit, æquè facile ego adsentiã. Ipsa Carinthia (inquit in Europa Aeneas Syluius) ab ortu Carnis, à Septentrione Styriæ iuncta est, ad occasum & meridiem alpes Italas & fòrũ Iulij attingit. Hoc rectè Aeneas. Illud prorsus præter ueri rationẽ, dum in eiusdẽ Carinthiæ luculenta quidem descriptione ita narrat: Multa huius prouinciæ ornamẽta fuisse cõmemorãt, multa priui legia. Facilè id creditu est, quãdo Imperatorẽ Ludouicũ eius terræ Ducatũ filio suo Arnolpho primogenito cõtulisse nõ ambiguũ est. Quis enim Imperator Ludouicus unquã habuit filium Arnulphum nomine? Nec puto operæpreciũ, ut in re aperta præter hoc unũ plura argumẽta attexã. Nimirũ ueritas rei, quæ Aeneæ cognita aliquãdo, sed è memoria minus fideli tum deprõpta, extat apud Reginonẽ in gestis An. Sal. D. C C C. L X X X, ubi ita scribit: Cõcessit aũt idẽ Rex (scilicet Ludouicus Ludouici regis Germaniæ filius, fraterq; Carolomanni, qui ipse Arnulphi pater iam obierat) Arnulpho Carantanũ, quod ei pater iampridẽ cõcesserat, scilicet Carolomanus. Hactenus de priore erratulo librarij, in hoc Cuspiniani loco. Alterũ est in uoce Ottinga, pro qua tũ hic, tum infrà in Arnulpho Pag. 269. uers. 44. & Pag. 272. uers. 12. leges Oetinga, quæ hodie quoq; inter Baioariæ inferioris potiora censetur oppida, celebris cum primis sanctissimæ Deiparæ uirginis Mariæ tẽplo: quod nõ modò populi uicini plerique, sed etiã Sclauonicæ nationes religionis ergò solent crebrò inuisere. Est uerò id tẽplum fundatũ à Carolomãno, unà cum collegio Canonicorum (de quare infrà loco iam citato plura Cuspinianus) et ad passus non multos ipso ab oppido exstructum, hodieq; Præpositũ habens nobilẽ & præstantẽ uirũ Dom. Ioan. Auuerum ab Odelzhausen Baioariũ, Canonicum Saltzburgensem, summa humanitate iam olim perspectũ & cognitũ, præsertim dum apud Biturriges priuatim mihi iura profitẽti se aliquãdiu auditorẽ, ac demũ anno Sal. M. D. X X X V I I I I. Gallias lõga profectione perlustrãti, unà cũ quibusdã alijs nobilibus Germanis scholasticis, comitẽ adiungit, ubiq; synceri & iucundi amici erga nos omnia cumulatè implẽs officia. Ex his aũt omni sublato scrupulo iã quiuis planè intelliget, id quod Regino sub Anno D. C C C. L X X X his uerbis scribit: Carolomãnus rex paralysi dissolutus diem clausit extremũ V I I. Nonas Aprilis, sepultusq; est cũ debito honore in Baioaria, in loco qui dicitur Hodingas. Siue enim uox ea est deprauata, siue ætate Reginonis Germanica lingua paulo aliter solebat scribi quàm hodie (quod equidẽ antiquitatis peritis extra cõtrouersiã est) cõstat de oppido hoc Oetinga intelligi oportere. Ideo & infrà in Arnulpho Cæsare Pag. 269. uers. 44. pro Ottinga lege Oetinga. Illustribus Comitib. ab Oetingẽ, quib. proximè Baioariã superiorẽ circa Nordlingã luculẽta est ditio, eũdem ad modũ familiæ nomẽ alicubi deprauari in Cuspiniano, diximus infrà in Alberto Cæs. Pa. 450. uers. 30.

Porrò quod Cuspinianus Pag. 272. uers. 8. et 34. refert, ab eodẽ Reginone scriptũ extare, Arnulphũ paralysi grauatũ diè suum obijsse: atq; ita pugnare cũ Luitprãdo et pleriſq; alijs, q eũ phtiriasi cõsumptũ fuisse scribunt: uidetur mihi quidem in hoc aut nulla subesse

ſubeſſe diſſenſio, aut quæ facilimè poſsit cõponi. Neque enim Regino ſcribit Arnulphũ paralyſi extinctum, ſed ſub Anno D.CCC.LXXXXVI hæc eius extant uerba: Inde reuertens (ſcilicet, ex Roma in Germaniã) paralyſi morbo grauatur, ex qua infirmitate diu lãgueſcit. Mortuũ uerò ſcribit triennio poſt demũ, ſcilicet An. D.CCC.LXXXXVIII: neq; de paralyſi neq; phtiriaſi aliõ ue morbo quicquam aut aſſerens, aut refellẽs. Cur autẽ Regino paralyſi correptum Arnulphum ſcriberet, cauſæ non defuerunt. Si enim Arnulphus ſumpto lethali poculo confeſtim tanta ui ſomni oppreſſus fuit, ut neq; ſtrepitu neq; cõtactu ullo expergefieri, imò & apertis oculis nihil ſentire, nihil loqui perfectè poſſet: ut hæc omnia Luitprãdus memorat, haud equidẽ mirũ fuerit, ſi uel prima fama de paralyſi percrebuit, uel etiã abſq; illa quiſpiam rei medicæ nõ ualde peritus eo ipſo morbo Arnulphũ fuiſſe correptũ cenſuit. Atq; hoc ideo quoq; attingere libuit, ne quiſquã pro paralyſi ſubſtituere conetur temerè uocẽ aliã, literis ſyllabisq;, ac magis etiã cõmuni aliorum hiſtoricorum narrationi conſentaneam, ſcilicet phtiriaſi: id quod mihi aliquando ueniebat in mentem, ſed re tota hunc ad modũ propius inſpecta, ilico diſplicebat.

EX LVDOVICO III. COGNOMENTO BALBO. Pag. 259. uerſ. 51.

Licet aduerſa factio Carolũ Caluum Cæſarẽ appellaret.) Licet Caluũ hoc loco repeti Hædio facile patiatur (qui & in præcedẽti periodo alia mutilè, alia perperàm uertit, puta indulgentes cuſtodes pro falſis) attamẽ res ipſa, et præſertim quæ proximè antecedũt, omnino hunc Caluũ reijciunt. nẽpe quũ diſertè narretur, Carolum Caluũ Auguſtũ iam fuiſſe uita defunctũ, eiuſq; filio Balbo, cui Pontifex Ioan. VIII ſtudebat, de Imperij Rom. gubernaculo tunc motã controuerſiam. Pro Caluo autẽ hoc loco reponi debere Craſſum, ne longius petã teſtimonia, apertè cõſtat ex ipſo quoq; Cuſpiniano infra Pag. 261. ſub finẽ huius Balbi, dũ narrat eodẽ anno à Ioan. Papa in Frãcia hunc Balbum, & Romæ Carolũ Craſſum Imperiali corona fuiſſe donatũ, ut in quẽ Romani magis inclinarẽt. idq; planè ipſum eſt, quod Cuſpinianus hoc loco attingit: Licet aduerſa factio Carolũ Craſſum Cæſarẽ appellaret. In ijs, quas à Ludouico II. uſq; tranſiluimus Pag. multas, nihil occurrit errati, niſi quod in Baſilio Pag. 251 uerſ. 10. pro annatũ, legi debet narratũ, ſiue annotatũ: & ibidem uerſ. 15. pro Modo, lege Vnde: & Pag. 255. uerſ. 9. pro uenenũq; lege, uenefiçũq;: & uerſ. 14. pro uenenatum, lege uenatũ. Numeros quoq; per incuriam in margine eiuſdẽ paginæ adiectos (191. 192) dele.

Pag. 260. uerſ. 27.

Carolomannus autẽ Northmannos aſtu duodecim milibus argenti puriè regno eduxit, duodecim annorũ inducias ſpondentes.) Prætermiſſam cum uiderem hac in ſumma ipſam ponderis ſpeciem, conſului Gaguinũ. Sed ille ut de XII annorũ per Northmannos promiſſis meminit inducijs, ita de redemptis eiſdem ulla argenti ſumma prorſum tacet: tum etiam perperàm ſcribit ibidem, inducias illas Carolo promiſſas. niſi fortè eam mendã librario malis imputare, qui Carolo, pro Carolomanno ſcripſerit. Fuere quidẽ & Carolo regi, ſcilicet Caluo, aliquando promiſſæ inducię à Northmannis, nempe graui obſidione in urbe Andegauẽſi clauſis, neq; alia cõditione exire ualentibus: ſed eædem mox perfidè uiolatæ, ut ſcribit Regino ſub finẽ geſtorũ Anno D.CCC.LXXIIII. In eo autem planè oſcitantẽ ſe prodit idem Gaguinus, dum ibidem ait, nullum ab hiſtoricis modũ aut tempus inueniri de morte Carolomanni illius, qui Ludouici Balbi alter fuit filius. Nã Regino in Anno D.CCC.LXXXIIII, diſertè eius mortem memorat, duas quidem diuerſas de eadem narrationes adferens, quibus mox hic Cuſpinianus noſter adjecit tertiam. Sed mitto Gaguinũ (à quo in his Caroli magni poſteris complura ſcribi confuſè & erroneè, iam ſuprà in Ludouico II à nobis poſt Cuſpinianum extat relatum) & ad locum præſentem reuertor, quem ſtatim cõſulto ipſo Reginone integrũ inueni, his quidem uerbis: Anno Dominicæ incarnationis D.CCC.LXXXIIII, Nortmani, qui ab Haslou receſſerãt, Sonũ fluuium intrant, ibiq; cõſederunt: quorũ creberrimas incurſiones cum Carolomannus ſuſtinere nõ poſſet, pecuniam pollicetur, ſi à regno eius recederent. Mox auidæ gentis animi ad obtinendã pecuniam exardeſcunt, & XII milia pondera argenti puri atq; probati exigunt, totidemq; annis pacem promittunt. accepta tam ingẽti pecunia, funes à littore ſoluunt: naues conſcendũt, & marina littora repetunt. Interea Carolomanus uenatum perrexit, ubi & ab apro grauiter uulneratus, poſt modicum uitam cum regno amiſit, ſepultuſq; eſt apud Sanctum Dionyſium. Aiunt aũt quidam, quod à quodã ſuo ſatellite, improuidè arma ferente, uulneratus fuerit: & quia non ſponte, ſed inuitus hoc facinus cõmiſerat: idcirco à rege cælatum eſt, ne innoxius morti traderetur. Hæc Regino. At Nicolaus Gilleus, uernaculus nouusq; apud Gallos Annalium racemator, hanc eandẽ rem longè aliter q̃ Regino & Cuſpinianus, narrat: nempe, Northmannis hoſtibus annorum duodecim pacem ſpondentibus, librarum argenti XII milia in annos ſingulos promiſſa fuiſſe: nec aſtu quidem per Carolomannũ, ſed nimia ignauia per Carolomãni filium, ſcilicet Ludouicum regem, eam ob rem Francis ilico exoſum, & cognomine male feriati notatum. Sed ut non pauca alia perperàm recitat Gilleus, ita neq; hic ullis claſsicorum ſcriptorum monumentis ſubnixum puto: ac in ipſum maximè omnium quadrare id quod Cuſpinianus infrà ſub finem huius Cæſaris conqueritur, ſcilicet res ſub hoc Carolo Simplice rege Galliæ & Carolo Craſſo Imperatore geſtas, præſertim cõtra Northmãnos à ſcriptoribus con-

bus confundi. Hædio hoc loco, in ſua uerſione, ad ſummam XII milium, adiecit libras, neſcio equidem an ex Reginone, alio'ue quopiam ſcriptore deſumptas, an ſuo potius diuinatu, quod res ipſa aut libram aut marcham potiſsimùm exigeret. Dicerem opinatum fortè ipſum, pro uoce puri, legendum eſſe pondo, niſi & rè puri non omiſiſſet.

Id quod hunc locum proximè antecedit, ſcilicet de Northmannorum copijs partim cæſis, partim in Vienna flumine demerſis, quò cuiuis lectori notius eſſe, & quaſi in re præſenti demonſtrari poſsit (uti res geſtas, ac præſertim profectiones, prælia & urbium oppugnationes, eiuſq; generis alia legẽtibus, nil ferè iucundius eſt quàm tabulas adhibere Geographicas, & oculis loca ſubijcere) ſciendum eſt, Viennam fluuiũ, quem Cæſar in Cõmentarijs (quod ſciam) nuſquam memorat, eſſe in Gallia Celtica ſuprà Lemouices ortum, qui ad caſtellum Lerum deſcendens, indeq; haud longè à dextra ripa relinquẽs Chinonem oppidum, infra Turonum ingreditur Ligerim. Gilleus quidem ſcribit, Northmannos uaſtatis Belgis irrupiſſe uſq; in Turones: & eo prælio Ludouico & Carolomanno regibus non procul ab Chinone, deuicta horum fuiſſe X milia. Neſcio equidem an de eodem prælio ſentiat Regino in geſtis Anno Salut. D. CCC. LXXXIII. ubi ſcribit, per Ludouicum Carolomanni fratrem uno prælio ſupra octo milia Northmannorũ gladio fuiſſe proſtrata. Narrat enim id factum eſſe in loco dicto Sodalcurch. Poteſt tamẽ hoc eſſe uel nomen pagi, campi ue alicuius prope Chinonem: uel ipſum fortè nomen Chinon aliqua cum adiectione certius prænotatum, perinde ac ſæpe fit, per librarios hoc modò fuit barbaram in faciem diſtortum. Nil tamẽ habeo quod in hãc uel illã partẽ certius ſuper hoc affirmẽ.

Obſeruatione quoq; cum primis cenſeo dignũ, id quod ſub finem huius paginæ Cuſpinianus attingit: ſcilicet Ludouicum Balbũ uxorem primã Anſgardam à patre Carolo Caluo ideo coactum repudiare, quod ſine ipſius Calui uoluntate eam duxiſſet. Regino ſub Anno Sal. D. CCC. LXXVIII (ſic enim diſpuncto uno X, numeri apud ipſum reſtituendi ſunt) eandem rem ita accuratè pleneq; narrat, quaſi uoluerit exemplum hoc planè citra ullam ambiguitatem poſteris notum extare. Ideoq; ipſius locum huc adſcribere libet, qui ita habet:

Paucis interiectis diebus, Ludouicus rex, filius Caroli qui Balbus appellabatur, eo quòd impeditioris & tardioris eſſet eloquij, ab hac luce ſubtractus eſt. Fuit uerò iſte Princeps uir ſimplex ac mitis, pacis, iuſticiæ & religionis amator. Habuit autem, cum adhuc iuuenilis ætatis flore polleret, quandam puellam nobilem nomine Anſgard, ſibi coniugij fœdere copulatam: ex qua duos liberos ſuſcepit elegantis formæ, ac ingentis animi uirtute præſtantes. Horum unus Ludouicus, alter Carolomannus uocabatur. Sed quia hanc ſine genitoris conſcientia, & uoluntatis conſenſu, ſuis amplexibus ſociauerat: ab ipſo patre ei poſtmodũ interdicta, & interpoſito iuriſiurandi ſacramento ab eius conſortio in perpetuum ſeparata. Tradita eſt autẽ eidem ab eodem patre Adalheidis in matrimonium, quam grauidam ex ſe reliquit idem rex, cum obiret: quæ tempore pariẽdi expleto, enixa eſt puerum, cui nomen aui impoſuit, eumq; Carolum uocitari fecit.

Hæc Regino: quæ me quidem haud ſemel cogitabundum ac ſuſpenſum tenuere. Si enim hoc repudium contra ſacrorum canonum traditionẽ factum fuit, non poſſum non demirari Romanum Pontificem hic tam altùm dormitaſſe: qui eodem fermè tempore, ut par fuit, indigniſsimè tulit, grauiſsimeq; damnauit id diuortium, quod Lotharius rex Lotharingiæ, filius Cæſaris Lotharij fecerat, dimiſſa uxore Thietberga: quamuis nec ſine iudicio duorum Archiepiſcoporum, ſcilicet Guntharij Colonienſis & Teugualdi Treuerenſis, adeoq; authoritate ſynodi cuiuſdam apud Mediomatricas contractæ, ea res fuiſſet confecta: ut loco decreti nõ uno extat relatũ, ſcilicet c. ſiue de coniugij. 33. q. 2. & c. Teugualdum. 11. q. 3. & copioſius in c. Lotharius rex. 31. q. 3. Sm uerò Ludouicus Balbus uxorẽ Anſgardam, eo quòd ſine patris ſui conſenſu duxiſſet, iure à ſe dimiſit: quod ſanè conijcere inde licet, quia litera nulla extat de cuiuſquam uel Epiſcopi uel Papæ reprehenſione: & unus Carolus Simplex, ſecunda ex uxore Adelheide ipſi natus poſthumus, legitimus filius, regnoque ſucceſſor exiſtimatus eſt: iam hercle diligentius quàm antehac diſpiciendum putarim iuris Pontificij profeſſoribus, quibus ſeu patrũ ſcriptis, ſeu Conciliorum decretis ſubnixi, tam fortiter hodie aſſerant, coniugia per filios filiaſue etiam contracta ſine parentum, in quorum ſunt poteſtate, conſenſu, eſſe legitima, ratáq;. Equidem ab hinc quinquennio, quum publica diſputatione quidã hoc axioma in ſchola noſtra propugnaret, ego animaduertere potui, rem iſtam non eſſe tam planam, quàm uulgò credidere hactenus Iureconſulti. Sed cum eandem rem attigerim in Caſtigationibus noſtris ad Ouidij Heroides, ſcilicet in epiſtola Hermiones: & plenius pertractarim in Annotationibus ſuper Inſtitutionibus, Tit. de nuptijs, quamuis tum hoc ipſo diuortij Balbiani exemplo mihi nondum obſeruato: malo lectorem ibi uidere, ſi ita libet, quàm ſæpius idem chartis illinere. Anno 1541.

Hac ipſa uerò in hiſtoria ſubit mirari, cum Regino toto in opere uix quicquã hoc Vualdradæ negocio memoret uerboſius, ac prorſus præter Annalium ſuumq; morem, interim nuſquam aperiat quo patre, matre, auo aut auia, uel ipſa Thietberga regina, uel Vualdrada eius pellex, fuerit prognata: ex Nicolai Papæ uerbis in c. Theugualdum. clarè conſtat, Thietbergam Huberti fuiſſe ſororẽ, & filiam Boſonis: item Engeltrudam fuiſſe uxorem Boſonis. Gloſſator addit, eidẽ Thietbergæ fuiſſe nouercam illam ipſam Engeltrudam adulteram, de qua mentio

in ſu-

in superius citato c. Engeltrudã, et c. Teugualdum. Optarim hoc certis authorum testimonijs mihi esse probatum: iuxtaq; explicatum, quis nam ille fuerit Boso, siue pater Thietbergæ, siue maritus Engeltrudæ? an is, qui à Carolo Caluo sororio factus est Rex Prouinciæ, simul data uxore Hermingarde filia Ludouici II Cæsaris, ut suprà est à nobis relatum: an uerò quispiam alius. De fratre Thietbergæ, scilicet Huberto, cognomento Abbate, Duce Transiurensis Burgundiæ, consentiunt Nicolao Papæ tum Regino ipse, tum Cuspinianus. Mirum id quoq;, Thietbergam per Reginonem demonstrari potius à fratre Huberto, quàm patre Bosone: nisi fortè cum Rex Lotharius eam duxit, iam pater Boso erat mortuus, ac potentia & nomine celebri florebat Hubertus. eoq; respexisse credas Reginonem. At multo uehementius demirandum, neque ab hoc, neq; Vrspergense, Gaguino, aut Gilleo (qui soli nunc mihi suppetunt Gallorum historici) de Bosone, quẽ Carolus Caluus sororius creauit regẽ Prouinciæ, certius quicquã proditũ, quæ ipsi origo, qui parentes, quæ & quot uxores, qui liberi, quis regni finis. Tempora quidem ipsa, ætasq; personarum ita congruunt, ut ferè persuadeant nõ de alio quàm hoc ipso Bosone intelligendam esse Nicolai Papæ epistolam. Quod si uerũ est, atq; Boso filiam Thietbergam ex priore uxore à Caluo data, scilicet Hermingarde, filia Ludouici II Cæsaris, sustulit, ac fortè ex eadem Hubertum quoq;: tum patet, Lothario regi anathematizato uxorem fuisse fratris sui neptem. Nam uterq;, scilicet Ludouicus II Cæsar, & Lotharius rex Lotharingiæ, Lothario Cæsare prognati fuere fratres germani, teste ipso quoq; Cuspiniano suprà in Lothario pag. 241. uers. 2. Quanquam & de alio quopiam Bosone illam Nicolai Papæ epistolam accipi posse, nõ inepte quis argumentetur ex eo, quòd Cuspinianus suprà in Ludouico II, Pag. 249. uers. 17. scribit, huic Bosoni, cuius soror nupta fuit Caluo, ex Hermingarde uxore, filia Ludouici II, natum fuisse filium Ludouicum regem Italiæ, demum à Berengario æmulo regni excætatum Veronæ. De Huberto autem filio, & Thietberga filia huiusdem Bosonis, neq; ibi uerbum ullum facit Cuspinianus, neq; inferius in Berengario, quo loco tamẽ plenius de hoc Bosone omnia se expositurum pollicetur. Itidem uerò Rhegino, quòd sciam, de nullis huius Bosonis alijs liberis narrat, quàm hoc ipso de Ludouico, cui quidem sub Anno D.CCCLXXXXIIII scribit, ipsius matre Hermingarde interueniente, ab Arnolpho Cæsare donatas quasdã ciuitates Transiurensis Burgundiæ, à Rhudulpho hoste prius occupatas. Eiusdem ad Longobardorum inuitationem in Italiam profecti, meminit idem Rhegino in gestis Anno D.CCCLXXXXVI. A Papa Romæ coronati, Anno D.CCCLXXXXVIII. A Berengario proditione Veronensiũ capti & excæcati, Anno D.CCCCIIII. Nec quicquam habent amplius Luitprandus Ticinensis & Vuitikindus Saxo, qui eorundem temporum res gestas attigere.

Non ignoro sanè, hunc Bosonem à Cuspiniano loco paulo suprà citato, scilicet in Ludouico II Cæsare, Pag. 249. uers. 13. dici consobrimum ipsius Caroli Calui. Sed cum consobrini Latinis dicantur qui duobus è fratribus, aut sororibus, aut fratre & sorore nascuntur, tradente Iustiniano nostro in §. quarto gradu. tit. de gradibus cognationis. libro 3. Institut. & de Calui patruis, amitis, auunculis & materteris satis constet, è quibus nemo prolem habuit uocatum hoc Bosonis nomine: nõ equidem succurrit quod credam dicam'ue aliud, quàm eo loco consobrinum præter receptam significationem à Cuspiniano dictũ pro adfine, nempe uxoris fratre: ceu sororius Latinè mihi dicatur non modo sororis meæ maritus, uerùm & uicißim ego illi. quomodo & doctißimus uir Volph. Lazius Lib. 3. cap. 2. Viennæ, Henricum Quintum Cæsarem uocat Leopoldi Quarti (qui in Diuos fuit relatus) Marchionis Austriæ sororium, nimirum quòd Henrici soror Agnes Leopoldo esset uxor. Quo minus & nos pudere debet, quibus in nũcupatione quadam, Sororij uox eodem significatu olim per incuriam excidisse citra exemplũ uidebatur. Iacobus Spiegellius ipse quoque, præter amplam rerum experientiam singulari doctrina, & iudicio acri præditus, super Lib. 5. Ligurini, uocat Othonem episcopum Frisingensem sororium Henrici Quinti Imperatoris: nempe ex eius sorore Agnete, Henrici Quarti filia, & Leopoldo Marchione Austriæ, natum. Quis autem est literatorum omnium, qui rerum qualicunq; cognitioni intentus, non alicubi ad uerba minus anxiè respiciat, facileq; delabatur in crebriorem loquendi consuetudinem, præsertim ratione aliqua fucatam? haud aliter sanè quàm patres familiàs occupatiores, æquo animo & accipiunt, & bona fide uicißim numerãt quamlibet minorem monetam, dummodo formam publicam ea habeat, et auribus tinnitu satisfaciat, de ipsa materiæ bonitate non plus solliciti quàm illa primo obtutu oculis repræsentat. Itaq; nõ negarim, sororium ad similitudinem fratriæ (quæ fratris est uxor) omnino iuxta analogiam rectius dici solum sororis maritum. At Cuspinianus præterita fortè, ut sæpe quoq; aliàs, Latinæ linguæ proprietate, Bosonem dixit Caluo consobrimum, scilicet à sorore Caluo nupta: quemadmodum sanè Iustinianus ipse tradit cõsobrinos propriè dici duabus ex sororibus natos: eis qui duobus è fratribus, aut fratre & sorore nascantur, fratrum patruelium, aut amitinorum nomen peculiariter assignans. Fulcit hanc nostram coniecturam, ni fallor, quòd Cuspinianus ibidem statim eam rationem subiungit: Nam hic Carolus Caluus Richildem, sororem Bosonis, primò concubinam, dehinc uxorem habuit. Quid hæc quæso ratio quadrat ad uerbum consobrini, si propriè aut usitatè accipias? Similiter uerò & infrà in ipso Caluo Pag. 256. uers. 22. et in Berengario pag. 274. uers. 53.

eundem Bosonem non aliter designat, quàm fratrẽ uxoris Calui. Quid multis? Bosonem Caluo neq; patruelem, neq; amitinum, neq; consobrinũ (dum proprie id uerbũ accipiamus) fuisse, uel hoc unũ euidentissimè probat, quòd hanc ipsam Richildem Bosonis sororẽ Caluus pro concubina aliquando usurpauit. An enim Caroli magni nepos & neptis ita inter se miscerentur cõmercio illegitimo? an hoc patre, hoc auo, hoc proauo genita heroina, se ulli uirorũ, nedũ consobrino in concubinatum fuisset datura? Si eludere hoc obiectum ita uelim, ut dicam Richildem fortè ex altero tantum parente Bosoni sororem fuisse, non modò desunt quos adducam ei rei authores idoneos, uerùm etiam Rheginonẽ aduersum habeo, qui Bosonem nominatim uocat Richildis germanũ, si modò eius authoris uerba ita ut à nobis suprà in Ludouico II Annotatione 396 emendata fuerunt, sincerè legantur. Sed fortè in his nimium ineptè me fatigo, quũ fortè alios apud scriptores extẽt plenius omnia. Ego tamẽ quod è paucis ijs qui nũc ad manũ erant historicis cognoscere poterã, sedulò exposui.

De nostri quoq; ordinis hominib. ut amplius merear, lubens & hoc adiecero: si Canonistæ studuissent historiarum ueritatem cognoscere, imò si Canones modò ipsos paulo accuratius inter se cõtulissent haud scripturos fuisse 3. q. 4. c. ultimo, ad suggestionem Engeltrudæ uxoris Bosonis à Lothario dimissam uxorem Thebergã, & superductã ipsam Engeltrudam. Cum enim Regino sub anno Sal. D. CCCLXVI. disertè scribat, Engeltrudã, filiam Matfridi comitis, ideo fuisse à sede Pontificia excõmunicatã, quia maritũ Bosonem Comitẽ deseruerat, ac Vuangerum uasallum suum in Gallias secuta fuerat: ac præterea prolixè narrat idem Regino, iam biennio antè à Lothario rege dimissam uxorem Thietbergam, et eius loco in coniugium adsumptam Vualdrada concubinam: non possum non ego mihi persuadere, eiusdem Engeltrudæ prorsus aliã fuisse causam, nec quicquam cum Lothariano illo decantatissimo repudio habuisse cõmune. Namq; Papa Nicolaus in citato c. Teugualdum, simul quidem ambas recitat cõtrouersias, tum Vualdradæ, tum Engeltrudæ: sed non ita, ut planè appareat esse unã, imò duas diuersas. Quanquam inficiari sanè nolim, quin Engeltrudæ quoq; negociũ Colonien sis ac Treuerensis cognitioni fuerit aliquando delegatũ, quũ & Papa Ioannes VIII. in eo loco, quem è 3. causa Decreti adduximus, nominatim scribat, anathema in Engeltrudã crebrò fuisse uibratũ: scilicet quæ à marito digressa, fortè neq; uno in loco, neq; in suscepta pœnitẽtia persisteret. id quod è Reginone haud obscurè deprehenditur.

Suppeditat is etiamnũ aliud quiddam, hoc ipso in tractatu opella nostra uisum haud indignũ: scilicet recentiores quosdã historiographos uix citra latæ culpæ reprehensionẽ tot iam à nobis citata eiusdem Reginonis loca, quibus & Luitprandus lib. 2. cap. 10. consentit, ignorauisse: atq; Ludouicũ, Bosonis regis Prouinciæ qui erat, fecisse Arnulphi Cæsaris filiũ, ut inferius in Berẽgarijs Buspinianus ipse quoq; de Volaterrano refert. Multo autẽ grauiore oscitantia Martinus Frechtus idem erratum reposuit in Annotationibus in lib. 1. Vuitichindi Saxonis, eo ni mirũ loco, qui cũ primis admonere ipsum poterat, nequaquã Ludouicũ Cæsarem Arnolphi Cæsaris filium, sed quemuis potius alium Ludouicum à Berengario fuisse captum & excæcatum. Vt enim taceam quod ibi narratur, Ludouicum Arnolphi, nempe huius nominis Cæsarem IIII, non multis annis uixisse à ducta uxore Luitgarda magni Ducis Otonis filia, quæ herclè excæcato (taceo quòd quidam Berengarium & genitalia Ludouico hosti excindi iussisse narrãt) nunquã fuit desponsata: apparet tanti Principis calamitatem tam miserabilem, si unquam euenisset, Vuitichindum minimè fuisse præteriturum, ut qui eundem Ludouicum aliàs non una, sed gemina nota demonstret.

Si omnino libebat Frechto eo in loco super Ludouico Arnulphi aliquid annotare, non decebat sanè cõtrà quàm res ipsa habet, fortu nam tam acerbam, ne dicã infamem, tam illustri Principi adfingere: sed potius mendam, quæ ea ipsa in demõstratione inest nõ leuicula, clara explicatione depellere. Locus Vuitichindi ad uerbũ ita habet: Vltimus uerò Carolorũ apud orientales Francos imperantium, Lothouicus ex Arnulpho fratruele Caroli, huius Lotharij regis proaui, natus erat. Hæc ille: quæ quidẽ duplici sunt nodo inuoluta. Nam & pueris notũ est, fratrueles Latinè dici duorum fratrum filios. At cuius Arnolphus ipse potest appellari fratruelis, cũ eius patruus utriq;, scilicet Carolus Crassus Cæsar, et Ludouicus rex, sine filijs decesserint, scilicet legitimis, & quì ad maturitatẽ aliquã peruenissent? Certè ex ijs progn atus Carolus celebratur nullus. Esto autem, Arnulpho fuisse fratruelem aliquem Carolum: cuius tamẽ quæso Lotharij regis ille Carolus fuit proauus? Obscura sanè & perplexa hæc sunt, sed utrunq; tamen præseferunt ipsa Vuitichindi uerba. Ne lectorẽ suspensum teneam, nostram hoc super loco sententiam pro uirili exponã: qua saltem candidè mecum utentur, qui meliorem ipsi non inueniunt: doctiores conatum quoq; nostrum boni, ut spero, consulent.

Fratruelis hic non uulgata illa, quam diximus, significatione accipiendus est, scilicet ut is mihi sit qui è patruo meo est natus: sed ipse fratris mei filius. Ac perinde eiusdem fratris nepos quoq; apud illos posteriores Germanicorum Cæsarum scriptores pleroſq; fratruelis mihi dicitur, qua de re aliquid à nobis est annotatum inferius initio Friderichi Barbarossæ. Itaq; dum Vuitichindus Arnulphum dicit fratruelem Caroli, nõ alium quidem designat Carolũ, quàm Caluum, scilicet Cæsarem & Regem Franciæ: cui frater erat Ludouicus rex Germaniæ, dictus senior: è quo filius Carolomannus, è quo Arnulphus: ita ut Caluus seu Ludouici fratris sui filium Carolomannũ, seu Carolomanni ipsius filiũ Arnulphũ, uocaret sibi fratruelẽ. Restat ut dicã, cuius nã Lotharij re-

rij regis ille Carolus Caluus fuerit proauus. Hic equidē aio corruptu mihi uideri Vuitichindi codicē, et pro Lotharij legendum esse Lothouuici. Sic enim hoc nomen ubiq; apud ipsum scribitur, ita ut in huiusce modi deprauationem scriptura fuerit perquàm procliuis. Et apparet Vuitichindum hoc loco in pronomine demonstratiuo (Huius) Germanismo usum, id quod in multis alijs ipsi familiare est: quasi diceret, præsentis, aut nunc regnantis Ludouici. Præterea cōsentit huc pulcrè de proauo Carolo, nimirum cum Vuitichindi ætate in Francia regnaret Ludouicus eius nominis Quartus, & regum Franciæ tricesimus tertius, iuxta Io. Bucheti supputationem, mortuus anno Salut. D.CCCCLV. postquam regnasset annis XXVII. Hic autē erat filius Caroli Simplicis, nepos Ludouici Balbi, pronepos Caroli Calui. Quisq; horum Franciæ regnū tenuit, præterq; illud auus & proauus etiam Augustali corona insigniti fuerunt. Et pro Lotharij, in eo Vuitichindi loco reponendum esse Lothouuici, uidetur apertè constare ex authoris uerbis, dum tertio inde folio, de diuisione inter filios Ludouici Pij facta ita scribit: Postea uerò facta inuiolabiliter mansit, quousque iure hæreditario hæc regna omnia cederent Carolo huius Ludouici proauo, de quo suprà mentionem fecimus. Hæc ipse: nimirum haud alium designans locum, quàm eum ipsum quē nunc tractamus.

Etsi autem hæc prorsum ita habere uideantur, prout etiam in Heruagiana editione hæsitans quispiam margini adiecit, pro Lotharij fortè legendū esse Ludouici: tamen libet non dissimulare, imò fateri ingenuè, non deesse, quæ nostram sententiam oppugnare uideantur. Primùm, quòd regna illa à morte Pij diuisa, non in Carolum Caluum, sed potius Carolum Crassum rursum coierint: sed qui Crassus inter maiores, uel ut cum nostris dicam minus ambiguè, inter ascēdentes Ludouici, tempore Vuitichindi regnum Franciæ possidentis, recenseri nulla ratione possit. Sed hanc obiectionem diluturus, respondere ego, Vuitichindum ad regna duntaxat Gallicana respexisse, quorum quidem pars multo maxima ad unum Caluum redijt, ut qui annis XXXVI regnauit, Pipinum & Carolum ex fratre Pipino nepotes (quos in monasterium detrusit) Aquitania exuit: & alteri fratri Lothario Cæsari, eiusq; filio Ludouico II. Cæsari superstes, primùm armis Lotharij regnum omne inuasit, ac postea transactione magnam eiusdem portionem retinuit: ita ut non alia ratione à Vuitichindo occidentalem Franciam, id est Gallicanam monarchiam, existimem sæpe dici Caroli regnum, quàm quod in Caroli illius Calui potestatem deuenerint tandem omnia, excepta Lotharingiæ parte, & quantum terrarum Bosoni uxoris suæ Richildis fratri, à se creato regi Prouinciæ, sponte donauit. Equidem à Carolo Magno, aut Carolo Crasso id nomen regno Gallicano relinqui non potuit, quia uterq; non magis Galliæ quàm Germaniæ imperauit. At Caluus ut in Gallijs omnia, exceptis quæ iam diximus, ita in Germania ne cespitem quidem unum possedit unquam. ideoq; Gallia non abs re id nomen (scilicet Caroli regnum) accepit, atq; etiam diu post eiusdem Caroli Calui mortem retinuit: puta ut solent multa ea appellatione designari, quam olim habuere, licet in præsentia nō habeant. qua de re Alciatus noster in præfatione ad Commentarios in titulum Pandectarum De uerborum significatione, prolatis exemplis disseruit.

Alterum quod restitutioni nostræ in istum Vuitichindi locum, uidetur inijcere scrupulum, inde surgit: quòd author ille historiam de gestis Saxonum, usq; ad Othonis Magni obitum, hoc est annum Salut. D. CCCCLXXIIII pertexuit: quo tempore non Ludouicus Caroli Calui pronepos, sed Lotharius illius filius, Calui eiusdem abnepos in Francia rerum potiebatur, & iam tum rex qui fuerat annis XVIII. ita ut Lotharium omnino potius quàm Lothouicum scripsisse uideatur. Ad hunc obicem fortè non prorsus absurdè dixero, Vuitichindum in historia illa condenda complures fortassis insumpsisse annos, ut solent ferè qui suorum temporum gesta referunt in literas: ac primum librum elucubrasse, cum adhuc in Francia regnaret Ludouicus: ideoq; de ipso rectè loqui potuisse, adeoq; locutum, tanquā de superstite. Certè initio libri tertij, ubi memorat quo modo Imperator Otho primò in eiusdē Ludouici generi sui gratiam sumpserit grauem expeditionem in Gallias contra Hugonem Comitem Parrhisiensem, ad regnum adspirantem, ac bis terq; nominatim eundem Ludouicum refert, nihil istius modi admiscet demonstrationis: non quia tum esset mortuus (quī enim Lugdunum & Remos, urbes armis tum expugnatas, Otho Ludouico restituisset?) sed quia cum ista posteriora Vuitichindus conscribebat, iam Ludouicus ille erat sublatus è Medio, atque eius in locum rex surrogatus filius Lotharius.

Si cui fortè hæc alterius scrupuli dilutio minus uidebitur probabilis, idem cogitabit, si ab illa nostra in priorem illum Vuitichindi locum emendatione abeatur, secuturum uicissim quiddam multo magis absurdum. Quum enim duo iam citati eiusdem authoris loci opposita fronte inter se pugnēt, scilicet prior de Lothario, de Ludouico loquens posterior, qui quidem ad priorem diserte lectorem ablegat: consequitur necessariò, ut uel hic illius, uel ille huius mendam clarè prodat. Amplius uerò, quū Lothario regi, qui sub Cæsaris Othonis magni excessum præfuit Franciæ, auus inueniatur Carolus Simplex, abauus Carolus Caluus, cæterùm proauus (quæ uox utroque in Vuitichindi loco integrè extat) Ludouicus Balbus: consequitur, neq; à nostra emendatione esse deficiendum, neq; Lotharij nomē magis in priore quàm posteriore Vuitichindi loco, sed potius utrobiq; Ludouici nomen legendum, scilicet ea ratiōe quæ suprà à nobis clarè est exposita.

Opinabitur fortassis quispiam, alia quoq; sup-

putatione posse inueniri alium Ludouicum (scilicet eo nomine Quintum Galliarum regem) & eidem alium æquè inueniri Carolum proauum, in quo regna Galliarũ rursum coierint, puta eum qui cognomento dictus est Simplex, & Ludouico Quarto regi Galliæ pater, Lothario auus, & Ludouico Quinto proauus fuit. Et quisquis ita fortè opinabitur, is huic sententiæ non obstare dicet, quod Vuitichindus historiam suã non produxerit ultra Othonis magni excessum. Quid enim uetet, quo minus aliquot annis pòst, iam regnante in Gallijs Ludouico Quinto, eandem scribere potuerit, & de illo tanquã tum rerum potiente uerba facere, & demonstrationẽ aliquam rebus adijcere? Quinimò si ipse Liuius, alijq; classici historiographi sæpe κατὰ τὴν πρόληψιν rem quampiam eo nomine simpliciter eloquuntur, quod uix multis seculis post eam ætatem, qua de ipsi scribunt, eidem est inditũ: quãto est tolerabilius, de præsentibus ad præterita quicquam ita admiscere, ut tamen expressè id indicetur, quemadmodũ à Vuitichindo est factum. Sed non modò hæc opinio nunquã mihi probari potuit, ut quæ hactenus quidem uidetur pulchrè subsistere: sed Arnulphum Carolo Simplici fratruelem nulla ratione tueri potest, id quod æquè in Vuitichindi extat demonstratione: uerùm etiam tota eiusdem historia accuratius excussa, priorẽ nostram sententiam & emendationem facilè repudiaui, nempe uidens apertè hunc in Vuitichindo cluũ, prorsus quidem salebrosum et difficilem, alia ratione complanari rectius posse, scilicet quia ea omnia quæ de Ludouici Balbi uxore prægnãte, de filio posthumo Carolo, eiusq; tutore Odõe alij, quotquot uidi, scriptores magno consensu memorant, ipse Vuitichindus in illo ipso loco posteriore ad Carolum Caluum ita refert, quasi Ludouicus Balbus nunquam in terris fuisset. In hoc, etsi toto, quod solet dici, cœlo aberret Vuitichindus, tamen cum ea persuasio illi insederit, undecunq; tandem hausta: patet, inuertendã planè esse nostram sententiam, atq; posteriorem potius locum è priore esse emendandum, scilicet Lotharij nomine, quod in hoc extat, in illũ quoq; relato, dispuncta uoce Ludouici. Et hac ratione ultrò cedũt pleriq; omnes scrupuli, de quibus iam dicebam, quũ & demonstratio in Lotharium adhuc sub finem historiæ Vuitichindianæ superstitem, regnoq; potientem rectè quadret: & proauus alius assignari eidem non possit præter Caluum, è quo Carolus Simplex, è quo Ludouicus Quartus, dictus transmarinus (ille ipse scilicet, quem prior nostra emendatio iuxta aliorum scriptorũ consensum rectè huc adrogabat) è quo hic Lotharius. Atq; hæc deniq; emendatio quàm alijs historijs, ipsiq; ueritati est aduersa, tam in erroneo hoc Vuitichindi loco (quem nostrum nõ est mutare) uidetur congrua & recta: attamen doctiorũ acriore censura semper salua. Video enim trita illa nostris testatione necessariò mihi hic esse utendum, quòd non ignorem apud Abbatem Vrspergensem in Henrico Aucupe hunc posteriorẽ uniuersum è Vuitichindo locum aliter multo referri, nempe adiectis & permutatis quibusdam uerbis, & narratione Vuitichindi aliquanto plenius exposita: sed ita quidem, ut cum Vuitichindi & uerbis & sententia expositio illa planè dissideat: imò & ipsi Vuitichindo longè plures, quàm de quibus suprà diximus, implacabiles nodos induat. Nam quod Vuitichindus inquit, tandem iure hæreditario regna omnia cessisse Carolo huius Lotharij proauo, de quo suprà se ait scripsisse: id narrat Vrspergensis nominatim de Carolo Simplice, Ludouici filio, Caroli Calui nepote, cui regna illa omnia cesserint. Sed uelim hoc mihi Vrspergensem respondere, si ut ipse exponit, intelligendus sit Vuitichindus de Carolo Simplice, quòd scilicet in eum regna omnia deniq; reciderint, atq; is Odonem filio posthumo tutorem dederit, qui nam quadrare possit, quod apud eundem authorem statim ibi subijcitur, his quidem uerbis: Quumq; post mortem patris filius nasceretur, Odo eum & regno pariter, & nomine paterno declarauit, &c.

Fuit ne Carolo simplici ullus filius, patris referens nomen? Fuit ne ullus omnino, præter Ludouicum Quartũ? At Vuitichindus ita rem narrat, quasi Caroli Calui filius fuerit posthumus ipse Carolus Simplex: quæ narratio omnẽ hanc difficultatẽ ultrò tollit, atq; euidenter ostendit, utrobiq; eo in authore legi debere non Ludouici, sed Lotharij nomen: et per Carolum intelligi non Simplicem, sed Caluum, nimirum iuxta falsam illam persuasionem, quam author sibi induerat, uti à nobis est explicatum.

Quæ uerò ibidem narrat idem author, de Carolo seniore per Arnulphũ Germania expulso: ego accipio de Carolo Crasso, qui ut præ Carolo Caluo dicitur Cuspiniano et alijs iunior, ita præ Carolo Simplice appellari potuit à Vuitichindo senior (nisi fortè in hoc quoq; hallucinatum credas Vuitichindum, neq; præter Caluum & Simplicem quenquam alium agnouisse Carolũ) postremis Imperij annis tam aduersam expertus fortunam, quàm initio fauentem, coactus Arnulpho cedere imperio Germanico, ac tandem Gallico quoq; regno: uti paulo infrà initio Arnulphi perspicuè & ipse recitat Cuspinianus. Quin Caroli Senioris nomine apud Vuitichindum non intelligi Caluum, apertè constare potest ex Reginone & alijs: qui scribunt Caluum diem suum obijsse anno Sal. D. CCCLXXVII. et Arnulphum totis decem annis pòst imperare cœpisse. Qui igitur Caluum è Germania ille eiecisset? Tum ut Carolo Simplici filius Carolus ullus fuisset (qui nullus sanè fuit, ut iam est dictum) neq; ea in parte Vuitichindi narrationem id quicquam moraretur: attamen simili ratione clarum fit, eundem Carolũ simplicem nihilomagis quàm Caluũ Germania expelli, aut ipsius filij regnũ occupari potuisse ab Arnolpho, et cui ipse Carolus Simplex plus minus annis XXIIII in regno superstes fuit. Verius ergo est, de Carolo Crasso Vuitichindum sensisse, quem Arnulphus deniq; non modò Germanico Imperio, uti iam diximus,

sed

Sed etiam regno Gallicano deturbauit: iuxtaq; ipsi Carolo Simplici obstitit, quo minus ad hoc regnum maturè peueniret, scilicet largiens idipsum Odoni: quo demum mortuo, Simplex ille uix rerum potiri potuit. Porrò quæ idem Vuitichindus eo ipso in loco narrat de Henrico rege (scilicet Germaniæ seu Romanorum) nunc contra Carolum Simplicem bel ligerante, mox eius calamitati opem adferre cupiente, uix dices bene cohærere: neq; satis commodè intelliges, nisi adhibeas, quæ in Auctario Reginonis scribuntur sub anno Salut. D.CCCCXXIII. & tribus proximè sequentibus.

Tam longè autem in explicandis duobus hisce Vuitichindi locis prouecti, adijciamus & tertium, paucis sanè in uerbis dupl ci, uel potius triplici menda uitiosum, præter eam quæ ex margine imminet quarta. Extat ille circa medium libri secundi post descriptionem pugnæ ad quã Otho Magnus in Gallica Rheni ripa per hostes, scilicet Henricum fratrem, & Giselbertum Ducem Lotharingiæ, sororium suum, celerius quàm metuebatur ingruentes adactus, cum exigua manu eorundem iustum fudit exercitum. Verba excusi codicis ita habent: Regiam autem post uictoriam, iussum est persequi fratrem suum, generumq;. Audiens uero de defectione urbium suarum, fractusq; recenti regis uictoria, cum nouis tantum armatis iter arripuit: Saxoniamq; iam tardius adiens, urbem Mersburg ingressus est. Ego rectius ita legi iudicauerim: Regi tam (siue fortè eam) autem post uictoriam uisum est persequi fratrem, generumq;. Audiens uerò de defectione urbiũ suarum, fractusq; recenti regis uictoria, cum nouem tantum armatis iter arripuit, &c.

Qui autem castigator in margine ibidem adsperſit, pro uoce generum, legi debere fortè sororiũ, locum germanè syncerum planè præter rem mutare conatus est. Idipsum quoq; mox Pagina proximè sequenti (ubi author eundem Gisilbertum Henrici huiusdem generum appellat) castigator ille sibi permisit. Vt enim extra omnem est controuersiam, Gisilbertum Lotharingiæ ducem Othonis Magni, ac perinde eiusdem fratris Germani Henrici, fuisse sororium, ut cui nupta esset horundem soror Gerbirga: ita castigator idem ignorare non debuit, ab eo scriptore plerunq; generum usurpari etiam pro sororis marito. Sic initio libri 3. Ludouicum regem Galliæ uocat Othonis eiusdem generum, ut qui Giselberto Duce iam submerso in Rheno, eandem Gerbirgam haberet uxorem. Itidem post initium lib. 1. narrans decessisse Hugam regem Francorum, relicta una filia legitima Amelberga, nupta Erminfrido regi Thuringorum, & Thiaderico filio ex concubina suscepto, appellat eundem Erminfridum aliquoties Thiaderici generum. quem locum ante nos obseruauit doctissimus Alciatus lib. Parergon 4. capite 5. adijciens, à Iustino quoq; lib. 18. uocem generi eodem planè in significatu usurpari, quum Sicheum maritum Didonis uocat generum Pigmalionis, qui ipsius Didonis erat frater. Constat itaq;, Vuitichindo nusquam hoc in uerbo mendam, sed potius quandam loquendi peculiarem consuetudinem inesse, scilicet ut qui uulgò sororius, id est sororis maritus, ipsi gener dicatur.

Qua autem ratione incomparabilis ille Erasmus Roterodamus annotauerit, apud Suetonium in Augusto cap. 19. progenerum dictum pro patre ipsius generi, ab eruditorum aliquo edoceri percupiam. Cum enim Lucio Paulo Censoris filio nupta fuerit Iulia Augusti neptis ex Iulia filia, ut clarius idẽ Suetonius narrat cap. 64. non potuit equidem Lucius ille Paulus, neptis maritus, uno uerbo dici aliter Augusto quàm progener. Finge in Augustum fuisse cõuuratum nõ à L. Paulo filio, sed patre, id quod clarè Suetonij uerba nequaquam admittunt: progener tamen ibi non pro generi, sed pro progeneri patre accipi debebit. Ego quidem aliud nõ uideo rectius dici posse, quàm summum illum uirum studijs grauioribus perpetuo intentũ (uel ut eximiæ eruditionis uir Petrus Nannius inquit, post tot lucubrationes marcidum uigilijs) dum perfunctoria opella effundit leuiora illa, cum bono Homero sub mandragora tum dormitauisse.

Quia uerò paulo suprà in forum Canonistarum, & dissertationem de uocabulo sororij sumus progressi, adijciamus illud quoq;: Alexandrum II Pontificem in Decretis c. quod autem 35. q. 5. scribere, marito sororis nõ extare proprium uocabulum, ut nec uxoris fratri. Hoc si uerum est, sequitur, sororij nomen nõ tam classico alicui deberi authori, quàm recentiorũ uulgatæ usurpationi, sed quæ reprehensione meritò caret. Qui enim minus rectè dicitur sororius quàm fratria, uel fratrissa, ut idem habet Alexander? si quidem ea lectio non est mendosa. Etsi autem Alexander soli maritò uxoris, & uxoris fratri non extare propria nomina scripserit: tamẽ ego hodie quoq; perinde desidero uocabulum, quo uxoris sororem nuncupem. Modestino Iureconsulto explicante in l. non facilè ¶. de gradibus cognationum, dubium non est, quin mariti frater dicatur Leuir, Græcis Δαὴρ: qua tamen in uoce etiamnum, post aliquot eruditorum contra Accursium annotationes, aberrat Rob. Stephanus, Leuirũ pro uxoris fratre exponens. Similiter iampridem per Alciatum, Rhodiginum, & alios, dispuncta è Modestino uoce nihili ianitrices, ac reposita Græca illa genuina Inateres, quæ significat duorum fratrum uxores: tamẽ adhuc hodie etiam doctiores quidã nostrates Grammatici in nomenclaturis rerũ, pueris ineptè nescio quas Lauitrices pro his pergunt, unus post aliũ, passim in omnibus editionibus obtrudere: quæ quidem altera mihi fuit causa, cur hæc quantumuis in speciẽ minuta huc adnecterem.

Gallis hodie lingua uernacula uideo sororios dici, qui Latinis sunt Aelij, siue ælij: hoc est duorum sororum mariti. Nam Hugonem magnum Comitem Parrhisiensem uocat Gilleus, Ludouici IIII Fran-

corum regis sororium (serourge) quod haberent nuptas duas filias Henrici Aucupis Imperatoris, hic Gerbirgam, ille Adelheidem. Ne autem quasi deserto Cuspiniano, aliorum potius scriptorum castigationem suscepisse uidear, aut in Labyrintho errare irremeabili, reuoco hinc pedem ad Leonē Quintum Cæsarem: in quo Pag. 265. uers. 10. pro seueris, lege sæuis, aut semiferis. Et in Alexandro pag. 269 uer. 8. pro ienticulatus, lege ientaculatus. Minuta alia errata, pleraq; officinæ typographicæ, quisq; per se emendabit.

EX ARNVLPHO CAESARE.

Pag. 272. uers. 11. & seq.

202 Indies magis inualescente ægritudine, delatum Ratisbonam, moritur in oppido Bauariæ Ottinga. IIII. Kal. Decemb. anno salutis humanæ octingentesimo nonagesimonono, in basilica S. Emerani sepultus: cuius quidem monumentū hodie cernitur. Duodecimo regni sui, Imperij uerò secundo anno. Nam à Carolo Crasso annis quatuordecim præfuit imperio.) Ideo hic plura appono authoris uerba, quòd partim mendosa sunt, partim aliorū narrationib. haudquaquā cōsentanea, ac uindice aliquo prorsus digna. Oetinga, & S. Hemerani, legendum esse, iam suprà in Ludouico II. Pag 249. uers. 37 admonuimus. Cæterùm quia de Arnulphi Cæsaris sepulchro est controuersia, quod nominatim testatur Io. Auentinus li. 4. Cōpendij in Chronica sua, cum quidā, authore Regimone, uelint ipsum Oetingæ iuxta patrem Carolomannum esse sepultum, alij uerò Ratisponæ in templo S. Hemerani, his q; Cuspinianus noster uideatur accedere, puto per amanuēsis negligentiā uerba hic quoq; ineptè confusa, & ipso ab authore ita potius fuisse scripta: moritur in oppido Bauariæ Oetinga, III. Kal. Decemb. anno sal. humanæ D. CCCLXXXXVIIII. delatus Ratisponam, & in basilica S. Hemerani sepultus (cuius quidem monumentū hodie cernitur) duodecimo regni sui, imperij uerò secundo anno. Parenthesim author haud ocioſe addidit, nimirū nō sua idipsum quod narrat adserturus fide, sed quòd Arnulphi sepulchrum Ratisponæ apud S. Hemeranum ostendi soleat. Porrò in subiecta etiam ratione super numero annorum regni & imperij Arnulphi, uidetur inesse menda, hoc quidem modo reponenda in integrum. Nam à Carolo Crasso annis duodecim præfuit imperio. Equidem præterquam quod Regino scribit, Arnulphum Anno salutis D. CCCLXXXVII, in locum deiecti Caroli Crassi à principibus adscitum, unóq; ore alij Chronographi, ut Abbas Vrspergensis, Hermannus Contractus, & Matth. Palmerius ipsi tantum duodecim annos regnorum tribuunt: conspicuum est, in eadem sententia ipsum quoq; esse Cuspinianum, ut qui initio huiusce paginæ ita scribat: Ingressus urbem, Imperator & Augustus à Pontifice salutatur, anno postquā Rex electus fuit, abiecto Carolo, decimo. Sic enim ibidem distingues uocem decimo, ineptè Carolo adiunctā. Si igitur Arnulphus anno regni decimo factus est demum Imperator, biennium postea duntaxat superstes, necessariò fatendum est, amanuensis culpa & hunc locū esse uitiatū. Ac facilè quidem, ubi author per cifras 12 scripserat, oscitans ille 14 potuit supponere. Perinde uerò & apud Vrspergensem cifræ extant corruptæ, dum scribitur Arnulphū imperasse annis 5. Nā in si duodecim in regno sedit, exordiēs anno D. CCCLXXXVIII, factusq; est Imperator anno D. CCCLXXXXVI, mortuus anno D. CCCLXXXXVIIII, ut ipse hæc omnia ordine narrat Vrspergensis: sequitur, duos eum tantum imperasse annos totos, ideoq; pro 5. reponendum esse cifram 2. Illud uerò præconium quo author mox cœnobitas S. Hemerani apud Ratisbonam celebrat, puta à religione, hospitalitate, & humanitate in uiros doctos, deprehendis etiam ex Chronicorum Io. Auentini cōpendio, ac præterea ijs quæ nos infrà in Henrico Aucupe, pa. 294. uer. 37. annotauimus. Eandē prorsus laudē cœnobitæ ijdem hodie quoq; egregiè tuentur, sub Reuerēdo patre Erasino, eius monasterij Abbate, uiro honestate uitæ et doctrina iuxta cōspicuo.

Annotatio ac 199.

EX LVDOVICO QVARTO.

Pag. 274. uers. 5.

203 Et Albertus filius sororis Henrici regis, nepos Bitonis Ducis Saxoniç.) Qui legerit uel Vuitichindum Saxonem lib. 1. uel Reginonem ipso in fine Annaliū (locos rebus ijs quæ hic narrantur clarè intelligendis equidem pernecessarios) is ultrò cognitum habet, pro Bitonis legi hic oportere Othonis, scilicet ut de eo accipiatur, qui ferè magnus dicitur Saxoniæ Dux, pater Henrici Aucupis. Quæ aūt hic eius innuatur soror, legis infrà sub initium ipsius Aucupis: nempe Baba illa uxor Henrici Comitis, à qua ciuitati Babenbergæ nomen est inditū. Altera ab hac periodus nō tam sensu uitiosa est, quàm hiulca compositione: cuius generis plura à festinante Cuspiniano, & rerū magis quàm uerborū studioso, admissa licet uidere. Cōmodius habebit tota orationis series, si pro præsentat, legas præsentatur. Obseruatione porrò digniſsimū iudico id quod Cuspinianus mox infrà scribit, scilicet hunc Ludouicum Quartū genealogiam Caroli Magni in Orientali regno clausisse: quū eadem in Gallijs per Carolum Simplicē aliquāto longius propagaretur. Eius quidem assertionis testes habet Vuitichindum, qui libr. 1 hunc Ludouicum dicit ultimū Carolorū apud Orientales Francos imperantiū. Similiter & Regino sub anno D. CCCCXI, regalem stirpē, scilicet Caroli magni, in hoc ait defecisse. Viderint itaq; ex neotericis quidā, qua ratione ipsi scribant Arnulphum Cæsarem Carolingorum ultimum, seu Caroli magni stirpem uirilem apud Germanos in Arnulpho defecisse. Non equidem ignoro, quid Regino sub Anno sal. DCCCLXXX hac de re memoret, summatim repetitū suprà initio Arnulphi. at is ut eo ipso tēpore historiā cōscribebat, ita eidē accōmodabat sermonē: ac præsertim Carolomāni narrans obitū,

de si-

de filio illegitimo Arnulpho opportuna declamatiuncula adiunxit: quẽ sanè potuisse unquã tot lucu lẽtis regnis potiri haud immeritò licebat mirari, quũ Carolomãnus nõ modò fratrẽ utrũq;, puta Carolũ & Ludouicum, sed huius etiã filium, itidem nomine Ludouicum, superstites relinqueret: ut nihil dicatur de Caroli Magni posteritate mascula, quæ in Gallijs adhuc supererat.

Sed ut quæ cœpi potius pergã, quum uideã Cuspiniano (qui hũc ipsum Carolinæ familiæ terminũ in hoc Ludouico, ut rẽ cũprimis memorabilẽ, tetrasticho quoq; cõplexus est) omnes scriptorũ omniũ historias & annales fuisse inspectos, qui modò hactenus extabãt, edoceri uehemẽter cupiã, quos nam authores uel Trithemius in genealogijs Principum Baioariæ, uel Charion in Chronicis sequantur, dũ scribũt, Conradum Cæsarẽ fuisse huic ipsi Ludouico ex fratre Conrado nepotẽ. Longius etiam à uero delapsus uidetur Alciatus noster in l. boues. ff. de uerborũ significatione, scribens Cõradum Ludouici filium occisum fuisse ab Adelberto Frãcorũ Comite, qui postea Hattonis archiepiscopi fraude Simonia circumuentus capite pœnas exoluerit. Certè Cuspiniano in recẽsenda cuiusq; Cæsaris origine, itẽq; relicta prole, nemo omniũ scriptorũ est diligẽtior. At ille neq; suprà in Arnulpho de ullo eius filio Cõrado meminit: neq; infrà Cõrado ipsi maiorũ quẽquã memorat, præter unũ Cõradum patrẽ Comitẽ. Itidẽ uerò neq; Io. Auẽtinus in genealogia Caroli Magni ullam memorat Arnulphi Cæsaris sobolem, præter unum Ludouicũ Quartũ Imperatorẽ: neutiquã taciturus alios eiusdẽ Arnulphi filios, si quos in Bauaricis annalib. aut ullis fidedignis monumẽtis inuenisset. Equidẽ Caroli Calui progeniẽ longius, & usq; ad Hugonẽ Capetũ iniustũ Gallici regni occupatorẽ, recẽsuit. Neq; idẽ Auentinus omisit Arnulphi filiam anonymã, Othoni magno Duci Saxoniæ uxorẽ, eandẽq; Hẽrico Aucupi Imperatori matrẽ facere: nõ dico q̃ uerè hoc, sed id quod iam colligebã argumentũ duntaxat suffulcio: scilicet lõgè magis filios ipsos Arnulphi Cæsaris ab Auentino memoratos fuisse, si modò præter Ludouicũ Quartũ Cæsarẽ de uno aliquo legitima extarent monumenta. Nõ equidẽ nescio, in Chronicis quoq; illis magnis olim Norimbergæ excusis narrari, Cõradũ hũc à quibusdã referri omniũ Carolorũ nouissimũ: neq; etiã uale dubito, quin nominatim eius rei autor aliquis adduci possit, ut Hermãnus Cõtractus, aut quis alius: sed herclè cũ Vuitichindo & Reginone, qui utriq; ea ipsa Cõradi ætate uixerũt, cuiusquã alterius scriptoris fidẽ cõferri posse, nõ facilè ego cõcesserо. Otho q̃dẽ Frisingẽsis, quẽ post hæc demũ annotata uidere licuit, nihil adfirmat sed quorũdã dũtaxat aliorũ hac de re opinionẽ li. 6. cap. 16. refert his uerbis: An. ab incarnatione domini 913. Cõradus Conradi, quẽ Albertus occiderat, filius, cõsilio præfati Ducis Ottonis, cõsensu omniũ, Oriẽtalis Frãciæ rex creatur. Hunc quidã Ludouici fratris filiũ fuisse dicũt, & ob hoc nouissimũ eũ Carolorũ ponũt. Hæc ille.

Fateor quoq; multa à Reginone eiusq; similibus scriptoribus prætermissa, quæ erãt memoratu non indigna: ac contrà leuia quædam in literas relata. Sed quis obsecro credat, à Reginone silentio tam pertinaci præteriri potuisse Conradum Arnulphi Cæsaris filium, eundemq; Ducem Lotharingiæ, in qua prouincia ipse Regino domicilium habuit: ideoq; res omnes à Zuendeboldo, quamuis illegitimo Arnulphi filio, ibidem gestas, satis accuratè perscripsit.

Mihi profectò ex Reginone ipso colligi apertè uidetur, Cõradũ illũ quẽuis potius alium q̃ Arnulphi filiũ fuisse, quo scilicet loco ita scribit: An. Dominicæ incarnatiõis D.CCCLXXXXVIIII, Zuẽdebold colloquiũ habuit cũ optimatib. Arnulphi et Caroli (scilicet regis Frãciæ) & suis, apud S. Goarẽ. Ex regno Arnulphi interfuerũt Hatto archiepiscopus, Chũradus et Gebehardus Comites: ex parte Caroli Haschiricus Episcopus, & Odacar Comes. Quid uerò in eodẽ cõuentu seorsum sine præsentia regis pertractatũ sit, postea cuentus rei luce clarius manifestauit. Hæc ille. An uerò Imperator Arnulphus legitimũ filiũ legaret ad nothũ? an ille se legari pateretur? Quod si eum cõuentum intelligimus fãctũ ignorãte Arnulpho, inq; eius fraudẽ, uti sanè Reginonẽ ipse accipio: tamẽ æquè nõ est probabile, legitimũ filium cum notho in parẽtis perniciẽ impiaclam cõtulisse cõsilia. Neq; potest quidẽ locus ille de alio Chõrado, q̃ Chonradi Cæsaris patre accipi (ne fortè quispiã eo colore argumẽtum nostrũ conetur eludere) cũ & in præcedentibus & sequentibus nullius prorsus Cõradi, q̃ huius ipsius, unaq; Chunradẽ filij mẽtionẽ Regino habeat. Præterea cum idẽ narret, Chunradum patrẽ ab Adelberto Comite Babenbergẽsi occisum, atq; mox prolixius ferè q̃ pro ratione Annaliũ exponat, quomodo idẽ Adelbertus à Ludouico Cæsare ad cõuentum Principũ, apud Trẽburias indictũ euocatus, ut de reb. à se patratis rationem redderet, atq; à pacis publicæ turbatione desineret, nõ paruerit: ideoq; à Ludouico in castro quodã obsessus, & tandẽ iudicio nobiliũ capite multatus fuerit: demiratu equidẽ uehementer dignũ est, in illa rerum narratione ne una quidem syllaba à Reginone innui, Cõradum illum Ludouici Cæsaris fuisse aut fratrẽ, aut filium. Idẽ æquè mirari liceat in Luitprando, qui lib. 2. cap. 3. equidẽ copiosè ac graphicè narrat omnẽ de Adelberto decollato historiã, recensens & ipsa capita accusationis, quã Ludouicus Imperator corã proceribus cõtra eum, ab Hattone Archiepiscopo iam, dolosè è præsidio in castra adductum, proposuit: sed nil prorsus de ullo fratre ipsius Imperatoris occiso meminit. At ipse quoq; Luitprãdus eis tẽporibus tã fuit propinquus, ut omnia à testib. oculatis haberet cognita (quod testatur in præfatione lib. 4. quo incipit demum ea scribere quibus ipse interfuit) ac præsertim res Germanicas haud ignoraret, nimirũ qui Francofurti ad Mœnũ, XX miliarijs à Moguntia, ut in 3. librum præfatur, aliquã partẽ suarũ lucubrationũ scripserit. Quin her-

clè si accuratius perpẽdatur eiusdẽ Luitprandi historia, uidetur nõ obscurè id deprehẽdi, Conradum Ludouico Cæsari nulla arctiore cognatione iunctũ fuisse. Nam eodem lib. II. cap. VII. ita scribit: Hac autem tempestate Ludouicus rex moritur. Conradus ergo Francorum ex genere oriundus, uir strenuus, bellorumq; exercitio doctus, rex cunctis à populis ordinatur. Quid? audis ne unam syllabam de Ludouici & Conradi cognatione? Francũ fuisse quid refert, cum eiusdem gentis & Babenbergenses Comites fuerint, à quibus Conradus occisus: neq; tamẽ Ludouici Cæsaris aut fratres, aut ex fratre nepotes. An uerò nõ æquè facilè erat Luitprando ita scribere, Conradus ergo Ludouici ex fratre nepos, quàm Francorũ ex genere oriundus? Amplius uerò in Catalogo Moguntinorum Præsulum lego, Ludouicũ Cæsarẽ Arnulphi Cæs. filium, è sacro baptismatis fonte leuatum ab Hattone, perfido illo & infami episcopo Mogũtino. In Augustanis lego, eundẽ Ludouicũ Cæsarẽ à S. Adelberto Comite Dillingense episcopo Augustano, uirò insigniter erudito, baptizatum, ac postea in literis institutum fuisse. De Conrado Arnulphi filio, neq; hæc, neq; aliud est quicquã, sed altũ ubiq; silentium. Porrò si Ludouici Cæsaris fratrem facimus ipsum Conradum, ab Adelberto occisum: quæso cur nõ & Gebehardũ, Rhudolphũ, ac Eberhardum, Cunradi fratres, itidẽ Ludouico Cæsari fratres facimus, iuxtaq; Arnolphi Cæsaris filios? Scio rationes non deesse, quibus Titius mihi frater sit, Actius eiusdẽ Titij frater nullo prorsus me iure attingat: sed quis historicus Conradum ab his fratribus ita distinxit, quasi cum Ludouico Cæsare eundem duntaxat patrem Arnulphum Cæsarem, cum tribus alijs eandem tantum matrem, diuersam à Ludouici Cæsaris matre, habuerit. Quamobrem hoc quoq; pro nostræ opinionis confirmatione, cõtra Trithemium, eiusque suffragatores, adduci potest: neminem Comitem facilè cum Conrado, aut ullo eius fratre de nobilitate & opibus in altercationẽ descensurum fuisse, si ipse quoq; erat Arnulphi Imperatoris filius, ac Caroli magni abnepos. Quid enim generosius, potẽtius et laudatius Carolingis, isto præsertim seculo? At herclè Regino sub An. D. CCCLXXXXVII, clarè pleneq; narrat, inter Rhudolp. hepiscopũ Vuyrzburgensem (scilicet Conradi huius fratrem) & filios Henrici Ducis, nempe Adelhardum & Henrichum, de nobilitate carnis & amplitudine terrenæ potestatis odiosas altercationes & planè implacabiles & exitiosas discordias surrexisse. Postremò nõ lego apud ullum historiographum, Othonẽ magnum Ducem Saxoniæ, quum ipsi mox à morte Ludouici Quarti Cæsaris Principes Germani imperiũ deferrẽt, ideo à se id reiecisse in Conradũ Francum, quòd frater defuncti regis esset: sed quia imperio à stirpe Caroli magni, iã in Ludouico extincta, trãslato, opus esset insigni aliquo Duce, qualem nimirũ ipse prædicabat Cunradũ Franciæ Orientalis Ducem, corporis animiq; robore, tum opibus, fide & maiestate sustinendis tantarum rerum oneribus parem: ut suprà initio ipsius Cũradi Cuspinianus eam Ducis Othonis orationem suasoriam, breuiusculam quidem, sed grauem & efficacem, recensẽt.

Ob hæc uerò & alia complura, quæ adduci possent, argumẽta nostræ opinioni cõsentanea, uidetur Cuspinianus (etsi omnia euoluisset historiarũ monumẽta, neq; ignoraret apud Vrspergensem in Ludouico Quarto, nescio ex quorũ sentẽtia Cunradũ, Cæsaris Cunradi patrẽ, pro Ludouici eiusdẽ fratre recenseri: & ab Hermãno Contracto scriptũ, in Conrado I. Cæsare defeciss Caroli magni progeniẽ) uoluisse Conradi Cæsaris genealogiam supra eius patrem repetere, ut de quo certius nil inueniret, quàm Reginonis & Vuitichindi fides mereretur: in quorum quidẽ sentẽtia est quoq; nõ indiligens genealogiarũ scrutator Ioan. Buchetus Pictauiensis, in epitaphio Odonis primi regis Franciæ: citãs alicubi in eius seculi Principibus Bernardũ Guidonis, scriptorem (ut opinor) paucis cognitum, certè Cuspiniano nusquam, quod sciam, memoratũ: in quo fortè idem Buchetus etiã de Ludouico Quarto Cæsare legisse potuit, eum è Caroli Magni familia fuisse ultimum.

Quæ in Reginone extant de Chunrado, eiusq; fratribus, iuxtaq; de Adelberto hoste & fratribus, nos in typum compendiarium collecta uoluimus sua cum declaratione ipsis lectoris oculis subijcere: tum ut hæc ipsa, quæ & infrà sub initium Conradi & Henrici Cuspinianus fermè repetit, clariora certioraq; fierent: tum ut genealogiarum studiosi, meliora inueniendi qualemcunq; ansam haberent.

A. CHVNRADVS
B. GEBEHARDVS
C. RHVDOLPHVS
D. EBERHARDVS
} fratres, Comites Franciæ Orientalis.

E. CHVNRADVS primus eius nominis Cæsar, filius CHVNRADI Comitis, litera A. designati.

F. ADELBERTVS
G. ADELHARDVS
H. HENRICVS
} fratres, Comites Babẽbergenses, nati ex HENRICO Comite, & BABA filia OTHONIS Magni Ducis Saxoniæ, sorore HENRICI AVCVPIS Cæsaris.

C. An. Sal. D. CCCLXXXXII, imperãte Arnulpho, Vuirzburgẽsis ecclesiæ uenerabilis episcopus Arno, suasu Popponis Thuringorũ Ducis, ad pugnam contra Sclauos profectus, in eadẽ occiditur. cuius cathedrã Rhudolphus, licet nobilis, stultissimus tamen, frater Chunradi & Gebehardi Comitum, obtinuit.

A. Pappo Dux Thuringorũ dignitatibus exspoliatur, & Ducatus quẽ tenuerat Chũrado commendatur: quem pauco tẽpore tenuit, & sua sponte eum reddidit. Deinde Burckardo Comiti committitur, qui eum hactenus strenuè gubernat.

C. contra G. H. An. Sal. D. CCCLXXXXVII, inter Rhudolphum episcopum Vuirzburgẽsem, &

sem, & filios Henrici Ducis Adelhardũ & Henricũ, implacabiles inimicitiæ exoriũtur, dum utrinq; superbia elati, de maiorum fumosis imaginibus ac potestatis terrenæ amplitudine cõtendunt, & subditos terrasq; suas mutuis cædibus, rapinis & incendijs in extremas calamitates adducunt.

A. B. *Anno Salutis* D. C C C L X X X X V I I I I, *Conuentus quem Zuendeboldus rex Lotharingiæ cum Arnulphi Imperatoris & Caroli regis Frãciæ optimatibus celebrauit apud S. Goarem, ex regno Arnulphi interfuere Chunradus & Gebehardus Comites, unà cum Hattone archiepiscopo Moguntino.*

F. G. H. *contra* D. B. C. *Anno Sal.* D. C C C C I. *Adelbertus cum fratribus Adelhardo & Henrico contra Eberhardum, Gebehardum & Rhudolphum fratres, bellum mouent: & ex castro Babenberg prosilientes, in pugnam congrediuntur. Ibi occiditur Henricus, capitur Adelhardus, & postea iussu Gebehardi decollatur. Eberhardus multis uulnerib. adfectus, paulo pòst moritur.*

F. cõtra C. *An. Sal.* D. C C C C I I I. *Adelbertus Rhudolphum Episcopũ de Vuirtzburgensi ecclesia fugat, & ecclesiæ eiusdẽ possessiones atrociter diripit. Filios quoq; Eberhardi una cum matre tam feudis quàm suo patrimonio exuit, & ultra syluã Speshart expellit.*

A. B. *contra* F. *An.* D. C C C C V. *Chũradus pater in loco Heßiæ Frideslar cũ copijs residebat, suspectas habens Adelberti incursiones, cũ eius frater Gebehardus in Vuederauia suos eandem ob causam cõtraheret. Cunradus* I I I. *Kal. Martij cum Adelberto pugna congressus occiditur, & Adelbertus cum ingenti præda Babenbergam redit: Cõradi corpus tollunt uxor eius & liberi, ac in Vuilemberg sepeliunt.*

F. *An.* D. C C C C V: *Adelbertus à Ludouico Cæsare ad conuentũ Triburias euocatus, nec aduemẽs, indeq; in castro Tetrassa ab eodem graui obsidione pressus, ac demum capitis pœna adfectus est.*

B. *Anno* D. C C C C X. *Gebehardus Comes in prælio contra Hungaros occubuit, relictis duobus filijs etiamnũ pueris, Odone & Herimãno, qui postea in Francia illustri fama effulserunt.*

E. *An.* D. C C C C X I. *Chunradus, filius Chũradi, ab Adelberto occisi, designatur Cæsar.*

De Eberhardo Comite Franciæ scribit idem Regino sub Anno Salutis D. C C C C X X X I, D. C C C C X X X V I I, *& duobus proximè sequentibus. Sed is alius fuit ab Eberhardo Cũradi fratre, fortè ipsius Eberhardi litera* D. *signati filius.*

Ex his omnibus obiter illud quoque elucet, Volphgangum Lazium in Vienna libro tertio, capite 2. à Reginone & Cuspiniano multum discrepare, dum Babam nõ Henrico Duci, ut eum uocat Regino, aut Comiti, ut Cuspinianus, uxorem facit: sed eius nepoti Alberto, scilicet Alberti à Ludouico Cæsare decollati filio. Atque ibidem neque de Lupoldo Marchione Austriæ, marito Richardis eadẽ scribit, quæ Cuspinianus infrà sub initium Henrici Aucupis. Sed ut inter hosce duos, qui ambo egregiè docti, ambo diligentes rerum inuestigatores, ambo in monumentis Austriacis uersati, nolim me interponere arbitrum, utrius nam uero magis sit consentanea narratio: ità contra Reginonem, præter testimonia omni exceptione maiora, nihil admittam. Quo minus autem ambiguitatis modò ex Reginone collecto typo alicunde posit irrepere, neque illud præteriero, apud Hermannum Contractum sub Anno D. C C C C I I *referri ociosos germanos fratres Beringerum, Riginoltum & Gerhardum. Hos autem non pro alijs quàm his ipsis Adelberti fratribus memorari (quanquam ualde equidem mirandum sit, tantam esse nominum diuersitatem, tresq; pro duobus recenseri) liquet ex Vrspergensi, qui nominatim eosdem facit fratres eius Adelberti, qui Conradum Ludouici regis fratrem (ut ipse scribit) eundemq; Conradi Cæsaris patrem anno proximo pòst interfecit. De annis ipsis utroque in facto dissident (ut sæpè alibi) Vrspergensis numeri, magis tamen de occisis tribus fratribus, quàm occiso Chunrado. Prorsus ab his sunt diuersi Erchangerus Dux, & Bertholdus, germani fratres, decollati* X I I. *Calendas Februarias, anno sexto Conradi Cæsaris, & Salutis humanæ* D. C C C C X V I I: *ut scribit idem Hermannus Contractus. Regino sub eodem Anno* D. C C C C X V I I, *inquit, Freckanger & Berchtold decollantur. Vrspergensis eadem habet nomina quæ Hermannus, nisi quòd rem in annum* D. C C C C X V I I I *reijcit, secutus fortè ecclesiæ Romanæ calculum: cum Hermannus & Regino Galliarum more, annum nouum ad festum Paschæ auspicarentur.*

EX BERENGARIO CAESARE.

Pag. ead. uers. 52. & sequentib.

204 Dat Papiensibus ducem Bosonem, Iudithæ uxoris suæ fratrem, ut superius scripsimus, cui desponsat Hermingardim filiam Ludouici regis, regem que Prouinciæ creat.) *Ne mendam hic subesse fortè suspicetur quispiam, quia hanc ipsam Calui uxorem, Bosonis sororem, frequenter Richildem hucusque uocauit: repetendus huc est locus è fine eiusdem, Calui, Pagina* 258. *uers.* 14. *ubi hanc Bosonis sororem ab alijs alio ait referri nomine, scilicet Richentis aut Richildis: & nunc primam, nunc secundam adiungi Caluo uxorem. Similiter Ludouicum regem non hic intelliges Ludouici Pij filium, Regem Germaniæ & Bauariæ, sed Pij nepotem, scilicet Ludouicum* I I *Cæsarem, cuius filiam Hermingardim Carolus Caluus isti Bosoni dedit uxorem, uti Cuspinianus narrat suprà in eiusdem Ludouici* I I *uita, initio Pag.* 249.

Pag. 275. *uers.* 2.

205 Per matres Francis, per auios Longobardis

gobardis aognatione iunctas.) *Quid pro auios uoce mihi dices legendum? Expuncta ne litera i, scribendũ* auos: *an ea relicta, & o permutato in a, legendũ* auias? *Ne longius te ablegem, habes integrã lectionẽ totidẽ uerbis ipsum apud Cuspinianum suprà in Carolo Caluo, Pag. 256. uers. 24. quo loco scriptum est,* auias.

Pag. ead. uers. 30.

206 Ac bellum ciuile Guidoni parit, rupto amicitiæ fœdere. Tum iuxta fluuium qui quinq; miliaribus Placentiam præter fluit.) *Tria hic insunt errata, duo minutula, & tertium paulo grauius, scilicet prætermissum fluuij nomen. Restitues omnia plane ex Luitprandi libro 1 cap. 6. ubi ita scribit: Copijs deniq; utraq; ex parte collectis iuxta fluuium Teruium, qui quinq; à Placentia miliarijs distat, ciuile bellũ parant. Hæc ille. Sic etiã mox infrà uers. 4. ipse Cuspinianus inquit,* Bellum Guidoni reparat.

Pag. 278. uers. 30.

207 Vt Luitprandus XX libro Antapodoseos tradit.) *Quid audio? tot ne libros historiarum ea sub inscriptione condidit Luitprandus? hi' ne omnes in Cuspiniani manũ uenere, unáq; cum ipso demum nobis intercidere? Equidem Ioan. Heruagius, inter potiores nostra ætate typographos cum primis laudatus, editione sanè quàm lucu lenta nobis Luitprãdi haud plures quàm sex libros exhibuit. Ideóq; apud Ioan. Trithemium in Scriptoribus ecclesiasticis, ubi huius Luitprandi (quem tamen ipse sub nomine Euthrandi refert) libros Antapodoseos memorat septem, crederem in cifris aut numeris aberratũ, & 7 pro 6, aut VII pro VI scriptum, nisi idem Trithemius aliud eiusdẽ operis indicaret exordium, scilicet:* Regnantibus, imò ualentibus, *&c. id quod ego non equidem ullius in libri initio lego, sed demum libri sexti caput sextum (quod toto in opere duntaxat quatuor sequuntur alia) ita initiari uideo. Quare adducor potius ut credam, impressum codicem esse acephalum, persuasus ipso quoq; lib. 1. capitis primi initio, quod prorsum tale est, ut antecessisse quædã alia apertè ostendat: rectéq; ibi quadret, quod post Bartolum hodie professores legum in exordium eius Pandectarum partis quæ uulgò dicta Infortiatum, ferè solent ita præfari: Hic non est caput totius cõpilationis. Desideratur fortassis totus liber primus, ac secundo eius in locum surrogato, ordineq; alijs perinde succenturiatis, sex hodie habemus pro septem. Dolet herclè ea iactura, cum neq; res gestæ eorum temporum sint ignobiles: neq; Luitprãdus ipse æqualium ullo inferior, imò pleriſque omnibus longè superior, ac unus ferè eo ex seculo commendandus à meliorum literarum & utriusque linguæ cognitione: ita ut bonam gratiam initurus sit apud studiosos, qui integrum Luitprãdum in lucem emitteret. Planè enim mihi persuadeo, eum qui sub ipsius barbariei tyrannide tot seculis stare potuit incolumis, demum ab Trithemij ætate non ita in cuiusquam hostis factum potestatem, quin per bonum aliquem & studiorum amantem uirum captiuitate liberari, & quasi postliminij iure statum integrũ recuperare posſit. Porrò & hoc me tenet ambiguum, ipsam nuncupationem in Heruagiana editione planè Trithemij indicaturæ conuenire, scilicet opus scriptum fuisse ad Raymundum ecclesiæ Liberitanæ in Hispania episcopum: in duobus uerò alijs inter se hæc dissentire. Trithemius enim opus à Luitprando inscriptum narrat Antapodosin, id est retributionem seu iniuriæ ultionem, uel (ut uno simplici uerbo Latino dicam) talionem: quia à Berengario secundo, cuius tempora & gesta cum primis tractat, pulsus erat in exilium. Editio uerò Heruagiana (præter hanc uidi nullam) demum in libri tertij Præfatione habet huiusce rei mentionem: nec ibi opus Antapodosis, sed Antidosis inscribitur. In utroque malim ego accedere Heruagio, tum quia constet demum eo ipso lib. tertio secundi Berengarij tyranni (nam priorem ubique ut bonum prædicat Principem) tempora exordium sumere: tum quia Luitprandus in eiusdem libri tertij Præfatione diserte scribit, se uelle id opus esse Antidosim, id est retributionem, tam impio Berengario & æmulis ob illatas calamitates, quàm uiris sanctißimis ob collata beneficia, dum scilicet horum uirtutes & bene gesta, illorum peßima scelera posteritati exhibet. Accedit, quòd neque Heruagium citra uetusti exemplaris copiam temerè quicquã molitum existimem. Patet uerò, totos ferme septem libros in Luitprando desiderari, siquidem bene habet indicatio Trithemij: ut qui demum post libri sexti medium totius operis capto exordio, tamen eiusdem libros asserit numero septem. Sed qualitercunq; hæc habeant omnia, quæ quidem doctioribus censenda exactius lubens defero: neutiquam difficile est ex Cuspiniani hoc loco tollere mendam, utcunque primo obtutu absurdã & immanem. Quum enim liqueat, Luitprandum hac ipsa de re, in cuius fidem hic adúocatur testis, scribere ipso libro secundo: expedita est diuinatio, ubi scilicet Cuspinianus compendij gratia more uulgato ita exarauerat, ut Luitprandus 2°. lib. Antapod. dormitator amanuensis 2°. legit, pro 20. atque pro cifris numeros Latinos ita reposuit, XX libro. Quò autem tum hoc ipsum, tum ea quæ nos suspicamur de Luitprando hodie quæ nondum integro, clarius liqueant, adijciam pòst hæc demum omnia deprehensum ipsius Cuspiniani testimonium, quod infrà in his ipsis Berengarijs initio Pag. 282. his uerbis extat: Hæc ex Reginone Abbate, & Luitprando, cuius tantum tres libros hactenus uidimus, licet plures scripsisse non dubitemus, ac nonnullis alijs Chronicis excerpsimus: plura scripturi, si integri ad nos uenissent. Hædio suæ uersioni non magis histori ab Eccle-

ab Ecclesiasticis scriptoribus, quàm profanis, aut ethnicis conditas adhibens, Viginti, quæ inuenit, reddidit.

Pag.281. uers.23.

208 Sed cum tyrannidem iterum exercerent, superbeq; ac auarissimè imperarent, Italiam iterum sunt iussu Othonis, per Luidolfum filium eius debellati. Et cum ipse denuò ingrederetur.) *Transferenda est uox* Italiam, *quæ ut priore in periodo redundat, ita in posteriore desideratur. Interpres etiam priori accommodauit, sed præter rem.* Pag. 282. uers. 1. *semidoctus & audaculus amanuensis cum in archetypo non satis perciperet uocem* piraticam, *pro ea reposuit nobis* patriciam, *tam quidem absurdè, ut interpres quoque mendam deprehenderit. Sic uerò & supra* Pag. 240. uers. 38. *in Lothario, loquens de Nortmannis, inquit: piraticam exercentes. Et Iustinus libro 22. ait: Piraticam aduersus patriam exercuit. Cicero dicit piraticè facere.* Pag.283.uers.2.*pro* porregię, *lege* Eporregiæ, *uti infrà etiam nominat uers.16. ubi desideratur uox* Marchionis.

EX CONSTANTINO PORPHYROGENITO.

Pag.286.uers.39.

209 Pro charissima, *lege* charissimus. & Pagina sequente uers. 40. *pro* à uento contrario flante, *malim legere*, uento à contrario flante. Pag.288. uers. 3. *pro* Zenon, *lege* Zeon. *Diligenter autem studiosis obseruãdum est, id quod initio huius Cæsaris Cuspinianus scribit, scilicet unde quidam Cõstantinopolitani Cæsares cognomen habeant Porphyrogeniti, uel potius Porphyrogennetæ. Neq; enim Iacobus Spiegellius, ut ingenuè fatetur in Scholijs super lib. 1. Ligurini, hoc scire potuit, destitutus omnibus, quotquot consuleret, Græcorum Lexicis: sed inuenturus quidem, si Luitprandum historicum consuluisset lib. 1. cap. 2. Gregorius Haloander in præfatione super Nouellis constitutionibus Iustiniani nostri, testatur huius constantini Porphyrogennetæ Nouellas hodie quæ apud se extare.*

Pag.290.uers.33.

210 Huius cadauer abscisum est à iuuentute.) *Hic quoque amanuensem attulisse suam saliuam, & legendum esse* à uiuente, *tam est euidens, ut nec interpretem latere potuerit. Prætergredior iterum complura errata leuicula.*

EX CVNRADO CAESARE.

Pag.293.uers.17.

211 Habuisse fertur uxorem Placentiã, filiam Ludouici senioris regis Germaniæ.) *Quàm hæc uerba sunt plana, tam mihi de re ipsa est dubium, quòd neque apud Cuspinianum suprà ad finem Ludouici II. Cæsaris, ubi Ludouici quoque senioris regis Germaniæ liberos recenset: neque apud Reginonem, qui solam Hildegardem memorat: neque apud alios, quorum mihi est copia, scriptores, ullam huius Ludouici regis filiam Placentiam legam. Sanè Ioannes Buchetus in Epitaphio Hugonis Capeti regis Franciæ, scribit, huic Cunrado Cæsari uxorem fuisse Placentiam: sed eam filiam Ludouici Quarti Imperatoris, ac proinde Ludouici illius senioris regis abneptem: senioris inquam, quia ex hoc Carolomannus, ex Carolomanno Arnulphus, ex Arnulpho Ludouicus Quartus, ex Ludouico Placentia. Et quia Buchetus ibidem texit genealogiam prorsus illustrem (de eius ueritate uolo periculum penes ipsum authorem esse) quæ & Cuspiniani loca tum superius sub finem Ludouici Quarti, tum infrà initio Henrici Aucupis, attingit: non grauabor in Germanici lectoris gratiam locum illum Bucheti facere Latinum, atq; huc adijcere, qui ad hunc modum habet: Et quoniam poeta Dantes scripsit, Hugonem Capetum ex laniena prodijsse: atque Dantem in hoc secutus est Franciscus Villanus, ueræ historiæ Francicæ calumniator ille: tum etiam, quia idem Capetus eo iure ac titulo sibi adrogabat Franciæ regnum, quod à rege Pipino se descendere iactaret, uidetur omnino operæ precium, eiusdem genealogiam habere cognitam. Ad intelligendam uerò illam, repetendum est, ex Pipino rege natum Carolum magnum, ex hoc Ludouicum Pium: ex Pio Carolum Caluum regem Franciæ, Lotharium Imperatorem, & Ludouicum Ducem Baioariæ, regemque Germaniæ. Ex hoc Ludouico nati sunt porrò tres filij, Ludouicus, Carolus & Carolomãnus, & filia Luitgarda. Carolomanno fuit filius Arnulphus, factus imperator. Huius Arnulphi filius fuit Ludouicus, qui post patrem & ipse imperauit. Luitgarda iam dicta, fuit data uxor Othoni Duci Saxoniæ. Ludouicus autem imperator, filius Arnulphi, duas tantum reliquit filias: scilicet Mechtildem & Placentiam. Ex Othone & Luitgarda natus est Henricus, qui uxorem duxit eam ipsam Mechtildem, filiam Cæsaris Ludouici, consobrinam suam. Placentia autem, quæ fuit maior natu, nupsit Conrado, qui quidem per illam post Ludouicum socerũ suum Cæsar & ipse factus est. Et quia idem Conradus & uxor Placentia nullos suscepere liberos, iam dictus Henricus maritus Mechtildis imperauit post Conradum, atque ex Mechtilde complures habuit liberos: scilicet Othonem Imperatorem: Henricum, qui multas possedit terras in Germania: Brunonem, qui fuit Archiepiscopus Colonienſis: Gerbergã, uxorem Ludouici Quarti, regis Francorũ XXXIIII. Aliam quoq; filiã, quæ fuit nupta cuidã Duci Aquitaniæ, uti in meis scripsi Annalibus: & Aegondã, quæ fuit uxor data Hugonimagno Comiti Parrhisiẽsi, quib. parẽtibus natus est ipse*

est ipse Hugo Capetus. Hæc Buchetus: quæ unde consarcinarit, nescio. Hoc scio, ut cætera uera sint omnia (quorum sanè fidem, ut dixi, penes ipsum Buchetum esse uolo) de Henrici Aucupis uxore à Vuitichindo prorsus dissidere, qui libro 1. scribit, Henrico Cæsari, filio magni Ducis Othonis, uxorem fuisse Mathildam, filiam Thiaderici, cuius fratres erant Vuidekind, Immot & Vuidekindi, qui bellum potens gesserat contra Carolum magnũ per triginta fermè annos: quæ omnia & Cuspinianus infrà sub finem Henrici memorat, uerbo nullo attingens Ludouici Quarti Cæsaris filiam Machtildem, quæ uxor unquã fuisset Henrico: cum quidem concubinam eius Mechtildem, è qua Danckhardum suscepit, ex antiquissimorum annalium fide idem Cuspinianus non reticeat. Præterea & in eo uidetur mihi rerum similitudine deceptus Buchetus, cũ scribit, Conradum per uxorem Placentiam Ludouici filiam, post soceri obitum euectum ad imperium: quum Cuspinianus infrà initio eiusdem Henrici Cæsaris narret, ipsi Othoni Duci magno Saxoniæ, patri Henrici Cæsaris, ante Conradum per principes ideo quoq; delatum imperium, quia esset frater Luitgardis uxoris Ludouici Cæsaris, quæ prole caruit. Cæterùm Ioan. Auentinus lib. 5. Compendij Chronicorum suorum, facit eundem Othonem magnum Ducem Saxoniæ, Cæsaris Arnulphi generum: & Henricum Cæsarem, eiusdem Othonis filium, facit Arnulphi Cæsaris eiusdem è filia nepotem. Sed mirandum herclè, illam Arnulphi filiam neq; ab Auentino nominari uspiam, neq; ab Cuspiniano, qui quidem eiusdem Othonis & familiam & liberos recenset non indiligenter, tum initio huius Conradi, tum suprà ad finem Ludouici Quarti. Sed hæc omnia multo rectius expendent ij, quibus maior quàm mihi scriptorum, & huius generis monumentorum est copia: atque studiosis impertient ipsam, quam inuenerint, rerum ueritatem. Nos ex uetustioribus, Regino ne & Vuitikindo, quod licuit, in medium protulimus.

Pag. ead. uers. 24.

Officium læto moriturus reddit amici,
Qui patris accepit munere tale decus.)

Aut magis argutum est hoc distichon, quàm ut ego assequar: aut pro læto, uox quæpiam alia à Cuspiniano scripta fuit. Certè in poetis nõ sum ego adeò uersatus, ut sciam quenquam dixisse læto mori, pro mortem obire. Quid si pro læto *adcommodandũ sit uoci munere? Quid si fortè legendum fuerit* lecto, *quod in acie non occubuerit Cunradus, ac demum in lecto moriturus, Imperij sceptrũ Henrico quasi legauerit? Posset non ineptè quoq; legi* nato pro læto: *quasi hic carmine repetierit author idipsum quod ead. Pag. uers. 4. ità narrauit:* Chunradus author fuit ut Henricus Othonis Saxonũ Ducis filius (cuius beneficio ipse ad imperium peruenerat) Rex atq; Augustus creatur. *Commonuisse lectorem satis habeo, qui suo iam arbitratu de hoc districho statuet.*

EX HENRICO AVCVPE.

Ibid. uers. 49.

213 Genuit hic Otho filiam Babam, Henrici Comitis coniugem, quæ urbi Babenbergæ nomen dedit, matrem Alberti Comitis & fratrem.) *Legendum esse, & fratrum, perspicuè licet uidere ex ijs quæ suprà in Ludouico Quarto, Annot. 203. prolixè disseruimus: singulorum fratrum & nomina & res gestas typo compendiario ex Reginone collecto exhibentes lectoris oculis.*

Pag. 294. uers. 38.

214 Postquã enim huius S. martyris corpus è Frãcia fuit sublatum, nunquam bella uel intestina uel externa cessauere.) *Non equidem possum hoc loco Cuspinianum oscitantiæ culpa absoluere. Neque enim uel Vuitichindus, qui lib. 2. hanc rem accuratè narrat, uel Abbas Vrspergensis, de S. Dionysij corpore olim è Frãcia translato loquuntur: sed S. Viti, qui inde fuerat deportatus Corbeiam in Saxones, quo cum uidebatur Gallis unà demigrasse bona salus & fortuna: ac successisse ipsissima Ate Homerica, cum omni calamitatum sobole. Deceptus est fortè Cuspinianus Vrspergensis narratione, qua post oblatum à Gallico legato S. Dionysij brachium, mox de S. Martyris anonymi corpore loquitur, ac deinde similiter hæc uerba subiungit: Neq; enim, postquã corpus eius translatum est, &c. Sed statim herclè ibidẽ Vrspergensis subijcit claram explicationem, scilicet de S. Vito legatũ innuisse. Potuit etiã Cuspiniano hoc ipsum imponere, quòd ex ijs quæ scripsit suprà initio Arnulphi Cæsaris, constat persuasissimum ipsi fuisse, corpus S. Dionysij iam olim per eum Cæsarẽ è Gallijs auectum Ratisponam ad Germanos. Ideoq; narratione Vrspergensis non integrè perlecta, putauit mox omnia de eodem S. Dionysio dici. Nolim ego antiquæ de S. Dionysij sepultura controuersiæ iudicem me profiteri: sed tamen si uera sunt quæ Vuitichindus ac Vrspergensis scribunt, fatendum est, totum S. Dionysij corpus per Arnulphum Ratisponam non fuisse transportatum, saltemq; brachium unum in Gallijs relictũ, quod Carolus Simplex postea Henrico Cæsari dono misit. Nisi quis malit, alterius fortè Diui brachium pro Dionysiano oblatum, & à religioso Principe citra ullam fraudis suspicionẽ, pro uero suppositicium pio adfectu fuisse acceptum. Equidẽ Aeneas Syluius lib. 2. Parallell. in Ant. Panorm. de dictis & factis regis Alphonsi cap. 4. de his ipsis fortè Vuitichindi & Vrspergensis locis recordatus, uidetur diploma Leonis Noni Papæ, per Abbatem S. Hemerani sibi aliquãdo exhibitum, super S. Dionysij corpore illuc è Gallijs translato, minus uerè ad Henricum quendam Cæsarem detorsisse. Quòd autem uterque Cuspiniani locus, tum hic, tum ille alter relatus suprà in Arnulpho,*

pho, plenius certiusq; explicẽtur, uisum est ipsa Syl uij uerba huc adscribere, eo fortassis paucioribus co gnita, quòd historiam perpetuam eo in opere nemo requirit.

Ratisbona, inquit, super Danubij ripa apud Baioarios magna et insignis urbs est: hic sancti Emme rani uetus monasterium cum uiseremus, Abbas qui loco præerat, reconditũ nobis ostẽdit corpus, quòd diui Dionysij Areopagitæ esse asseuerauit. Cum nos Dionysium apud Parisios obseruari diceremus, Leo nis Papæ literas in medium attulit, quæ testarentur, Imperatorem, si rectè meminimus, ex Henricis unũ, cum regem Frãciæ inuisisset, ac Parisijs ageret, hæc ossa furatum huc detulisse: appellatq; sanctus Ponti fex pium Imperatoris furtum. nos regis pium spoliũ dicere possumus, quo sanctissimus Aloisius ex Massi lia in Valentiã translatus est. Hæc ille. D. Laurentius Hochuuartus Canonicus Ratisbonensis & Patauiensis, uir tum sacrarũ tum humaniorũ literarũ bene doctus, & ueterum monumentorum auidissimus inquisitor, amicus noster, putabat aliquando hanc controuersiam ita componi posse, ut S. Diony sium episcopum nõ unum, sed et alterum credamus fuisse, atq; alterius corpus iuxta Parhisios, alterius Ratisbonæ adseruari: inq; eius rei testimoniũ exhibebat, quæ ipse ex antiquo martyrologio olim hic uerbis descripserat:

V. NONAS OCTOBRIS.

Natalis S. Dionysij Areopagitæ, qui ab apostolo Paulo ad fidem conuersus, ab ipso primus Athenarum Episcopus ordinatus est, & sub Hadriano principe post clarissimã fidei confessionem, & grauissima tormentorum genera martyrio coronatus.

VII. IDVS OCTOBRIS.

Apud Parhisium passio Dionysij episcopi, Eleutherij presbyteri, & Rustici diaconi, qui beatus Epi scopus à pontifice Romano in Gallias directus, præ dicationis operam populis cum fide exhibuit. tandẽ Parhisiorum ciuitatem deuenit, & per aliquot annos sanctum opus fideliter & ardenter executus, à præfecto Fescennino Sisinnio cõprehensus, & cum eo S. presbyter Eleutherius & Rusticus diaconus martyrium compleuerunt.

Pag. 296. uers. 20.

215 Adelheidẽ Ottonis Comitis parisiensis uxorem, matrem Hugonis Capucij Regis Francorum.) Pro Ottonis, legendum Hugonis, nõ est cur ullo doceatur testimonio: cum notissimum sit, Capucij regis patrẽ uocatum fuisse Hugonem, magnum Comitem Parrhisiensem. In eiusdẽ regis Epitaphio à Ioanne Bucheto hanc Adelheidẽ aliter uocari, ac præter hic enumeratas filias Henrici quandam recenseri nuptam Duci cuidam Aquitaniæ, iam suprà in Conrado, Annot. 211. à nobis relatũ est. Ver. 2. antè hũc, pro functo, lege functus.

EX OTHONE MAGNO.

Pag. 298. uer. 14.

216 Si cui uerò Regem adire placeret, rui nę locus esset.) Videbatur prima fronte hic locus ad uerbum desumptus esse fortè ex scriptore aliquo, qui Germanicam uocem pro Latina usurpasset (ut quidem in Reginone, alijsq; eiusdem classis scriptoribus, talia inueniuntur non pauca) nempe ruinam pro pœnitudine: cum pœnitere Germanicè dicatur, reuuen, & iuxta quorundam regionum pronunciationem ruyen, & pœnitentia ruye, & quia alibi ruinæ uerbum ita positum aliquando me uidisse opinabar. Sed consulto Vuitichindo & Vrspergen se, statim uidi, amanuensem strabum uocem ueniæ, quæ in utroq; clarè extat, ita distorsisse in peregrinam faciem. Hædio bene uertit, fortè quia res ipsa sensum hunc solum reciperet, cui neq; nostrum quidem discrepabat somnium: quod te lector, utcunque ineptum, ideo cælare nolui, ut unà mecum uel hoc exemplo disceres, quàm sit procliue in hoc genere castigandi labi & aberrare: nilq; esse cõmodius, quàm priorum scripta, hoc est ipsos fontes adire, si quid in posteriorum monumentis consimilibus desideres. Pag. prox. uer. 34, pro gener, lege genero: uel potius, dum socer cogitaret Cuspinianus scribere, id quod res ipsa satis innuit, per incuriam uox gener excidit.

EX ROMANO IVNIORE.

Pag. 304. uers. 15.

217 Et cubicularij præfecto commisit.) Videbatur legendum cubiculi: sed cum infrà non semel legam præfectos cubiculariorum, uidetur hic quoq; eadẽ uox per amanuensem malè truncata, eum ad modum debere compleri. Vers. 35. dictio hostis, post uocem redacta, aut superflua est, aut præcedentis periodi ad finem pertinet, quod magis probauerim. Pag. 305. uers. 15. inducunt me præcedentia, ut pro paternis, legendum censeam Palatinis: sed lector ipse dispiciat.

EX NICEPHORO PHOCA.

Pag. 306. uers. 52.

218 Cum Saracenis intret.) Legerẽ, iniret, uel ineat. Tum pagin. 307. seq. uers. 24. pro abijt, quod solœcismo non caret, legerem adijt. Et uersu 41. superioris, pro superiores. Item pag. 309. uers. 19 pro actum, lege auctum. Et uersu 26. pro uendicans, lege uenditans. In Otone II. pag. 315. uers. 29. pro sacrarum, lege sacratum: & uers. ult. pro uenustiss. lege uetustiss. In Basilio pag. 319. uers. 26. pro usq;, lege ijsq;: & ibidem uers. 33. pro regi, lege regij. Item pag. 321. uers. 20. & seq. considera an ordo uerborum non sit turbatus. & Pag. 323. uers. 36. an pro interficiente Cephia Phocam, legendum sit potius, interficiente Cephiam Phoca.

EX HENRICO II.

Pag. 325. uers. 26.

219 Bolizlaum enim.) Opinor ab authore scriptum etiam, pro enim, quod præcedentia & sequentia innuunt. Parentheſim quoq; quæ uers. 30. sequitur, ut ineptè positam, dispunge. Item pa. 326.

uer.5.pro Antistites, Antistes:uti uer.9.detractionẽ pro detractationẽ.Et uer.42.pro diruti,lege diruit.Deniq; pag.329.uers.17.ne sensus introducatur absurdus in altero districho, distinguespost gentẽ,ac uerbũ coluit cũ sequẽtib. cõiunges.

EX CONRADO SALICO.

Pag.330 uers.21.

220 Inde per Pyreneum in Franciam rediens.)Mirandis profectò ambagibus usus est Imperator,si è Roma in Gallias redijt per Pyreneos montes,qui Hispanias Galliasq; separant. Quid igitur,si per Pyreneum fortè id Alpium iugum intelligat,quod itinere Tridentino euntibus(quo nec ullum est aliud ex Italia in Germaniã frequentatius) uulgò uocatur der Brenner,nimirum à uentis urentibus,qui haud temerè ibi absunt?Ne uerò è grammaticastris illis supercilioſis quispiam importunius hanc nostram coniecturam flagellandam sibi arripiat(ut nihil non temerè & insulsa malignitate facile præ suis contemnunt literis,quas solas censent lectu & admiratu dignas)lubens mihi hac in lite consortem accerso Georgium Fabricium Chemnicensem,uirum cum primis & doctum & eloquentem,à quo post hæc demum elucubrata legi in ipsius Hodœporico V.hũc ipsum comitatus Tyrolis montem Brennerum uocari Pyreneum:quanquam dubius ille hæreat,neq; lectori expromat qua de causa id nomen monti inditum.Ipsius Fabricij,de Sterzinga loquentis,hi sunt uersus:

Comiter hic habiti:nec enim gens aspera cultu,&
Moribus,Alpinis quamuis in montibus erret,
Visa fuit:magnis mo cimbribus atq; graui austro,
Scandimus aerij latera ardua Pyrenei.
Incertum Hispanis an nomen traxerit ille
Montibus,aut alia qua sit ratione uocatus.
Huic niue tincta coma,et glacie riget aspera barba.

De Latino uocabulo ut ipse quoq; nihil certæ rationis habeo,neq; adeò scio ubi apud classicum scriptorẽ ullum mons ille uocetur Pyreneus:ita de Germanica à nobis indicata etymologia nihil prorsus dubito. Simili ratiõe in Brisgoia,ipso sub capite syluæ Hercyniæ,qua Basilea itur Friburgum,puto Susenhartũ uocari,nempe à ualido murmure uentorũ quibus uno excepto Euro locus ille undequaq; expositus est.Sic idem Georgius Fabricius,in itinere Argentoratensi,montẽ Thuringiæ Horselbergũ non iuxta significationẽ uernaculã,sed uocis nomenclaturam fictione non inscita Latinè appellauit Horrisonũ.Atq; hæc cum aliquãdo fortè fortuna domi nostræ exhiberem doctißimo poetæ iuxta & Iureconsulto,Marco Tatio Alpino,ueteri nostro amico et compatri,postq; in Iudicio Cameræ collegæ charißimo:approbabat sanè arridentẽ sibi eã nominis etymologiã:hoc adijciens,montẽ quoq; illũ qui suũ natale solũ,hoc est Encadinã,à Monstela,uel Munstertale,Simonis Lemnij sui(quondam & nostri in schola Petrina apud Monachiũ cõdiscipuli) patria separat,à simili uentorũ uehementia,Folderam:nec non & uicum quondam in eo,nunc desertum, olim propter argentifodinas celeberrimum,Buffalorã,à uehementi uentorum flatu,Rhæticolatino idiomate uocitari.Folderam enim aliud nihil esse, quàm follẽ auræ uel uenti.Nam & ipsis Rhæticolatinis,föll esse föllem:& ora uel ara,auram uel uentum significare:au diphthongo in primum suum elementũ a reducta:literam uerò d' interpositam, articuli uice. Esse enim tres uoculas, föll de ora, quas si scribendo iungas,atq; adeò in unam dictionem contrahas, au in a contracta,& uocali e per syncopen expuncta, iam statim resultare illam folderã,id est föllem auræ, aut flatus, uel uentorum: Homerica fortè alluſione,ad Aeoli & Vlyßis fölles.Quam fabulam adeò nõ ignotam ei nationi dicebat,ut se puerum,et alias etiã tum Homeri,tum Ouidij, tum aliorum quoq; poetarũ similes fabellas, quemadmodum & Caroli Magni, Rolandiq; atq; plerorunq; heroum historias,uel ex senibus ac mulierculis didicisse profiteretur:hodieq; paræmiæ loco frequẽs esse apud eos,ut alicuius incõparabile ingenium atq;eruditionẽ notaturi,eum uel Homero uel Vergilio magis literatum esse,dicere soleant Eadem ratione et uicum illum supra memoratum,non procul à uertice eius montis Folderæ, nuncupatũ fuisse Buffalorã affirmabat:propterea quòd ei gẽti hæc uox buffare,idem ipsum quod plenis buccis atq; adeò uehementer flare, quadã quasi onomatopœia,significat:cui & altera illa uox,ora uel ara (est enim apud illos inter o & a medium quiddam) quæ auram uel flatũ,aut potius uentum denotat,annexa est,P litera,quæ iterum articuli uicem sustinet, interposita:redditq; uici illius nomẽ Buffalorã,quasi dicat,locũ uehementib.uentis perflatilem uel flantem,ut reuera talem esse dicebat: ideo quòd illius & alterius aduersi montis conuallis in septentrionem patens,undequaq; exponatur perpetuò furenti Boreæ,quẽ ibi incolæ Brusam uel Bryscham,à brusare, id quod ipsorũ lingua per frigus adurere significat, appellant,fortè à Virgiliano illo,

Boreæ penetrabile frigus adurat.

Et ab eo quidem, nec ipsum Pyrenei etymon, apud Diodorum Siculum lib.6 cui ab adurendo dicitur,multũ abhorrere. Et hæc quidem Tatius noster tum ex tempore.E' quib.colligi ipse aiebat, Aegidiũ Tschudum,uirũ alioquin doctißimũ,cap.15. Rhætiæ suæ,minus rectè censuisse,eum montem olim à Rhætis pedem Falarium appellatum:cuius ratio sibi non cõstaret.sed in professo id esse,quod mõs ille gentile suum nomen etiamnum retineret.Porrò quum ego illud quoq;dubitare me dixissem,an hoc loco Cuspinianus pro Pyreneũ,fortè scripserit Burgundiã, ut quæ tum latius etiam trans Iuram patuit,atq; alicubi legitur ex Italia Imperatores per Burgundiam redisse in Germaniam:aut fortè scripserit Pæninum, quo nomine alpes sunt in eadem regione:incidens in nos paucos post dies idem literatißimus M. Tatius, admonebat quidem etiã cuiusdam montis Piri, trans Rhenũ,in quo munimentum,celeri militũ opera extructum

tructum à Valentiniano, non minus quàm reliquam Rheni oram, magnis molibus ab eodem communitã, Ammianus Marcellinus li. 28. scribat. Si fortè is mõs Pirus esset: ea enim loca Romanis Imperatoribus, et post hunc Salicum, frequentata fuisse, nec ita procul à Burgundia sita esse, apud eundem Tschudum facilè patère. Admonuit item et alterius loci, apud Plinium, in panegyri ad Traianum, eodem uitio, Pirenęus, Alpes, pro Pæninis Alpibus, corruptè lecti, atq; à Ioachimo Vadiano cõmodè restituti (etsi ego in meis ad omnes ueterum Latinorum panegyricos Castigationibus Vadiano haudquaquã isto in loco sub scribã) ita ut arbitraretur Tatius eorum alterutrum hic reponi posse, ut uel Pirũ, uel Pæninũ montem hoc loci, pro Pyrenæo legeremus, propterea quod is ipse mons Peninus, hodie à Rhetis r litera mendosi iterum intermissa (mont Pernin uel Perlin) hoc est mons Perninus uel Perlinus dicitur. Quæ fal sa pronunciatio facile ignaros induci potuit, ut Peninũ istũ (qui hodie est Perninuel Perlin) et Pyreneũ montẽ, unũ eundemq; esse autumarent: quod fortè et Cuspiniano nostro acciderit, maximè sicubi apud Germanũ historicũ legit, diser Kayser were über den Perlin in Franckreich gezogen. Sed ut nihil certi Tatius super his adfirmare uoluit: ita mihi, hoc quidẽ loco, de Pyreneo omnino magis arrideret ea sententia, ut Brennerũ is innuat, comitatus Tyrolis montẽ illũ de quo diximus, nisi Othonẽ Frisingensem li. VII. ca. XIIII. ita ordiri postea obseruassem: Anno abhinc tertio ex omnib. regni uisceribus infinito contracto exercitu, Romam iturus, per montẽ Iouis Pyreneũ trãsijt, ac in plano Italiæ residẽs, iuxta Padum militem recensuit. Hinc enim apparet, alium esse Pyreneum montem, longè à Tyrolensi illo Brennero distantem, per quem ex Germania in Italiam commeari soleat: nempe cum montẽ Iouis cum ipsum esse constet, qui hodie dicitur mons maior S. Bernhardi, uti luculenter exponit idem Dom. Aegidius Tschudus ca. 19. Rhetiæ Alpinæ. Quoniam autem Cuspinianus tum alibi montis Iouis meminit, tum infrà in Rudolpho Habspurgensi, pag. 438. uersu 19. eius situm quasi obiter innuit, sed parum aptè: uideor ad omnia ea rectius cognoscẽda ipsum Tschudi locum non abs re huc transcripturus, qui iuxta Munsteri uersionem ita habet: Hi autem omnes, uidelicet Seduni & Veragri, fuerunt postea uno nomine uocati Vualliſſer, sicut & libellus Prouinciarum uocat Octodurum ciuitatem Vallensium. Est proinde Octodurus sita in prouincia Alpium, quæ scilicet Pæninæ appellãtur: nam mons Pæninus apud Veragros est, sicut & Liuius dicit lib. 1. dec. 3. eos accolas esse montis Pænini. Scribit autem in uertice illius montis olim honoratum fuisse deum à montanis illis hominibus, quẽ Pœninum appellarunt, unde et huic monti nomen hoc relictũ est: sicut et eadem ratione à quibusdã Latinis mõs ille Mons Iouis uocatus est. Cum autẽ incolæ illius regionis ad Christianismum conuersi essent, cœpissentq; detestari dæmonum cultum & idololatriam, quam in monte illo exercuerant, ubi scilicet dæmonum oracula & responsa accipere consueuerãt: aduenit monachus quidam Bernhardus nomine ex ciuitate, Augusta, & abegit per exorcismum humani generis inimicum, coegitq; in fœdam quandam illorum montium cauernam, ut fama incolarum habet. atq; inde aiunt montem illum dictum, Maiorem sancti Bernhardi montem, in cuius summo uertice est extructum monasteriolum hospitij loco. Sunt autem qui montem Pœninum alibi statuere conati sunt, quod tamen satis probare nequeunt. Pro mea sententia est Strabo lib. 4. qui claris uerbis sic scribit: Salassorum ager claudentibus rupibus utrinq; cinctus, Italis una per eam uallẽ uia est. Sunt autem Salassi hodie in ualle Augusta, uulgò Ougstaler appellati, inhabitantes uallem longã, ex qua multæ allæ ualles utrinq; in montes segregantur. Tota autẽ regio ipsa cincta est rupibus, ut ex Italia seu Taurinis angusta quædam uia in eam pateat: intrinsecus autem planicies quædam grandis inueniatur, quæ Germanicè & Italicè Bart uocatur, sicut & olim quoq; Bardum appellata fuit. Post quædã alia eiusdem Strabonis, Plinij & Liuij testimonia, deniq; Tschudus ita rem cõcludit: Hæc satis probãt, Pœninum montem esse eum qui hodie uocatur mons maior sancti Bernhardi. Sed & uallis ipsa quæ est supra Augustam iuxta hos montes, omnino astipulatur nostræ sententiæ, quippe quæ à monte ipso uocatur Vallis Pœnina, & in lingua incolentium Vall Pelinna.

Hæc Tschudi diligentißima explicatio confirmari quoq; & illustrari potest, tum & montis Iouis situs digito quasi demonstrari, ex uerbis Luitprandi li. 1. ca. 9. dum de Arnulpho Cæsare à Romana expeditione reuertẽte in Germaniã ita scribit: Quod Arnulphus cernens (scilicet suorum apud rebelle Ticinum cædem) quoniam per Veronam non potuit, per Hannibalis uiam, quam Bardum dicunt, & montem Iouis, repedare disposuit. Cumq; Sporegium peruenisset, &c. Regino Monachus sub anno Sal. D. CCCLXXXVIII. ita scribit: Per id tempus Ruodolfus filius Chuonradi, nepos Hugonis abbatis, prouinciam inter Iuram & Alpes Pœninas occupat: et apud sanctum Mauritiũ, accitis secum quibusdã primoribus et nonnullis sacerdotibus, coronam sibi imposuit, Regemq; se appellari iussit. Radeuicus lib. 3. cap. 25. rerum Aenobarbi, scribens ipsius copias diuersis itineribus è Germania contra Mediolanum præmissas, inquit, Dux Bertolfus de Zaringen, uel potius Burgundiæ, cum Lotharingis per uiam Iulij Cæsaris, quæ modò mons Iouis dicitur. Cur uiã illam Luitprandus dixerit Hannibalis, deprehendere licet ipsa Tschudi ex commentatione, qua tam exactè itinerum diuortia ostendit. Cur hanc per Pœninum seu montem Iouis Radeuicus dixerit uiam Iulij Cæsaris, uidetur percommodè explicari ab ipso Cæsare, dum lib. tertium Commentariorum de bello Gallico hac narratione exorditur: Cum in Italiam

proficiſceretur Cæſar, Seruium Galbam cum Legione duodecima, & parte equitatus in Antuates, Veragros, Sedunosq; miſit: qui à finibus Allobrogum, & lacu Lemanno, & flumine Rhodano ad ſummas Alpes pertinent. Cauſa mittendi fuit, quòd iter per Alpes, quò magno cum periculo, magnisq; portorijs mercatores ire conſueuerant, patefieri uolebat. Hæc Cæſar. Præterea autem & alios in recentioribus hiſtoricis locos obſeruaui, ubi ſcribitur, Cæſares Germanicos alioſue Principes per montem Iouis aut Pœninum in Italiam ſeu tranſgreſſos, ſeu inde reuerſos fuiſſe. Sic enim Regino idem de alia Imperatoris Arnulphi expeditione ſub anno Salut. D. CCCLXXXXIIII ſcribit: Peruenit autẽ uſq; Placentiam. Inde conuerſus per Alpes Pœninas, Galliã intrauit, & ſanctum uſq; Mauritium peruenit. Rudolfũ quem quærebat nocere non potuit, quia montana conſcendens, in tutiſſimis locis ſe abſconderat. Regionem inter Iuram & montem Iouis exercitus grauiter attriuit. Hermannus Contractus de Leone nono Papa, qui prius Leucorum fuerat Epiſcopus, ita ſcribit: Idem in hebdomada Pentecoſtes aliã ſynodum Papiæ cogregauit, indeq; per mõtem Iouis cum pluribus Romanorum in Ciſalpinas partes deuenit. Obſeruabit autem Lector, hic, ut ſæpe alibi, ab Hermanno non Italiæ, ſed Germaniæ loca uocari Ciſalpina, nimirũ ad ſuum reſpiciente domicilium. Luitprandus li. 5 cap. 4. ſcribit, Berengarium tyrannũ, cum Hugo rex eum deprehendiſſet rebus ſtudere nouis, ideoq; oculis priuare uellet, Italiam mox deſeruiſſe, ac per montem Iouis ad Hermannum Sueuiæ Ducem properaſſe: uxorem uerò Vuillam partui propinquam eõdem ablegaſſe per aliam uiam, nempe montem Auium, quo ego deſignari puto montẽ Latinis Adulam, et Germanis Vogel dictum: de quo graphicè idem Tſchudus cap. 31. Rhetiæ diſſerit. Feſtiuo autem carmine ſtomachatur ibidem Luitprandus in utrumq; montem, & Auium & Iouis, qui peſtilentem Berengarium cum uxore improbiſſima ſaluum tranſmiſerint media bruma, cum præſertim Adula æſtiuo ipſo ſolſtitio aliàs uix unquam ſoleat eſſe peruius. Hæc autem omnia eò faciunt, ut quod iam antè quoq; cunctabundus diuinabã, ſcilicet hoc in loco Cuſpiniani pro Pyreneum fortè legendum eſſe Pœninum, id nunc citra omnem hæſitationem ſecurus adfirmem, repudiatis omnibus alijs tam noſtris quàm cæteris Tatij noſtri coniecturis. Pyreneum in Comitatu Tyrolenſi, quem fabricatus eſt Fabricius, tueri commodè poterit, ſcilicet poetico more ludendo: cõgruam rei iuxta & uocis adfinitatem, quanquam diuerſa in lingua, ipſe libenter amplexus. Aequè uerò et apud Othonem Friſingenſem citato iam ſuprà Cap. XIIII. legendum eſt, per montem Iouis Pœninum tranſit. & in rebus Aenobarbi lib. I, cap. XIX. Qua Pœninos montes attingit Alemannia: hic uoce adulterina Pyreneos, illic Pyreneum diſpuncta: utcunq; Othonis exemplar Chronicorum (nam Aenobarbica deſunt) manu in membranis ſcriptum, quod in Friſingenſi Bibliotheca ſeruatur, impreſſis codicibus cõſentiat: quia elegantèr magis, quàm eruditè ac emendatè id eſſe exaratum, paſſim deprehendere potui.

EX ROMANO ARGYRO.

Pag. 332. uerſ. 52.

221 Quibus cum Romana claſsis conceſſa.) Legendum eſſe congreſſa, & ſenſus poſtulat, & innuit periodus proximè ſequens, in qua dicitur Quibus Rom. triremes occurrentes: ſubaudi, ac confligentes, plurimos interfecerunt, et reliqua. Mox in Michaele Cæſare, pag 334. uerſ. 24. lege rei pro regi: nimirum quòd Michael non rex eſſet, ſed de eo rege conſtituendo tum laboraretur.

Pag. 338. uerſ. 44.

222 In extremã uſq; ſpiritus emanſionẽ.) Dubio procul legendum eſt emiſsionem. Suſpexit amanuenſis ad uerſus præcedentis uerba, quæ ſunt, in æternas tranſmigrauit manſiones. Hædio ut hoc loco rectè, ita in præcedentibus duobus nihil uidit.

EX MICHAELE ÇALAPHATE.

Pag. 343. uerſ. 13.

223 Apud Hiſpanos.) Legendum puto aliud quoduis ſeu gentis ſeu oppidi nomen, quòd eo tempore Hiſpania Orientali Imperatori non ſubeſſet. Neq; tam longè Tornitiũ à Conſtantinopoli abiiſſe, imò ne abiiſſe quidẽ, ſequentia innuũt. Pag. proxuer. 34. res ipſa docet, pro territus, ab authore ſcriptum eſſe territans: ut & paulo pòſt uerſ. 40. corripuit, pro corrupit. & uerſ. 50. pro illuſtri, lege illuſtris. Tum pag 345 uer 4. cooptatur, pro coaptatur. & uerſ. 24. adductus, pro addictus. Item uerſ. 43. pro Hæc, lege Nec, uti præcedentia exigunt. Tum in Theodora Imperatrice pag. 347. initio uerſus 14. adijce omiſſam præpoſitionem ad, nempe legens ad negocia. In Henricho III. pag 349. uerſ. 50. pro & ab ea, lege ab eo. Neq; enim ibi amplius ſermo eſt de Machtilde, ſed de Imperatore, &c.

EX HENRICHO IIII.

Pag. 350 uerſ. 45.

224 Agnetis Pictauienſis Comitiſſæ & Bauariæ, ut uulgo loquuntur, Duciſſæ.) Quum paulo antea dixerit, hanc Agnetem filiam fuiſſe Guilielmi nobiliſſimi Pictauiæ Principis, & Aquitaniæ Ducis, uideri poſſit hic quoq; pro Bauariæ legendum Aquitaniæ. Cæterùm ex uerſ. 25. prox. ſeq. paginæ ſatis apparet, illam Bauariæ quoque Ducatum aliquandiu tenuiſſe. Pag. 352. uerſ. 4. pro caluminatori, lege caluminator. Et paulo pòſt uerſ. 10. pro uenientes, lege ueniens.

Pag. 352. uerſ. 44.

225 Quod ſynodo Vormacienſi.) Apparet deeſſe uerbum huic clauſulæ. Lege igitur, quod adhæſiſſet, uel præſens fuiſſet Synodo Vormacien-

macienſi. Conſentit huic loco Vrſpergenſis pag. 234. copioſius de Synodo ita ſcribens: Anno Domini M.LXXVI. habitum eſt concilium apud Vuormaciam, ubi præſente rege Heinrico unuerſi penè Teutonici epiſcopi, præter Saxonicos, Hiltebrandum papam abdicarunt, mittentes ad illum epiſtolam poſt multas culpationes in illum iniectas, ita concluſam: Quia ergo & introitus tuus tantis perturijs eſt initiatus, & eccleſia Dei tam graui tempeſtate per abuſionem nouitatũ tuarum periclitatur. & uitam per conuerſationem tuam tam multiplici infamia dehoneſtaſti, obedientiam quam tibi nullã promiſimus, nec decæterò ullam ſeruaturos eſſe renunciamus: & quia nemo noſtrũm, ut tu publicè declamabas, tibi hactenus fuit epiſcopus, tu quoq; nullũ nostrũm amodò eris Apoſtolicus. Hædio ex Synodo facit conuentum Principum Imperij, eundemq; ab Henricho cõgregatum. Mox pag. 353. uer. 9. pro Longobardiã rem earet, lege in Longobardiam. ni mauis admittere ſolœciſmum, quẽ ſanè alibi in hac dicendi formula author ſæpius non adhorruit. Pag. 355. uerſ. 27. puto legendum, pax cõmuni cõſenſu cõſtituta: dictiones (iam eſſet) diſpungendas ut ſuperfluas, & ex ſuperiori linea in hanc repetitas per incuriam.

Pag. 357. uerſ. 25.

226 Coloniæ Iuliaci, Bunnæq; ac Veronæ impetrat, atq; adiacentium oppidorũ.) Conſentit quidem & Vrſpergenſis pag. 261. his uerbis: Coloniam, Iuliacum, Bunnam q; & Veronam, cæteraq; partis illius oppida, &c. Sed quum in Rheni tractu nullum oppidum Veronam ſciam, puto ea in dictione hic ſubeſſe mendũ. Cæterum huius pag. uer. 2. pro immores, lege immemores. Et Pa. 358. uerſ. 20. pro Hermanni, leges Hemerani. nam ædes illa Diuo Hemerano eſt ſacra, cuius nomẽ & ſuperius in Carolo Magno, eiusq; poſteris, ac præſertim Arnulpho Cæſare, in Emrami & Emerami deprauatum extat. Verſ. 6. huius pag. pro Marchionem, lege Marchionis. Pag. 362. uer. 23. ubi legitur, Simul enim itaq; Lichudes &c. nemo oculatus ambiget, ab authore ſcriptum fuiſſe non itaque, ſed atq;.

EX ROMANO DIOGENE.

Pag. 367. uerſ. 47.

227 Veloces ſunt quidam.) Lege quidem, nempe ita uſurpatum, quemadmodum Eraſmus ſuper Officijs Ciceronis annotauit, ei authori particulam quidem ferè uſurpari, ut ſequatur exceptio aliqua. Pag. 368. uerſ. 1. pro expugnabilia, opinor legendum eſſe inexpugnabilia. Pag. uero 366. uer. 36. pro occupat, lege occũbat uel occidat. Et rurſus pag. 367. uerſ. 6. pro adhibiturum, exhibiturum.

Pag. 368. uerſ. 8.

228 Rurſus uerò illuceſcente.) Legendum eſſe uere, pro uerò, & res exigit, et oſtendit eadem clauſula mox ſæpius repetita. Verſ. 20. monent ſequentia, pro Sebaſtiani, legi oportere Sebaſtiã. Verſu 38. ibidem, pro Emmanuelem, lege Manuelem. Pagina 369. uerſ. 1. pro Ad hæc, lege At hæc. Verſ. 11. pro eo quod extat, pro commeatu offerendo, leges rectius afferendo, ex ſequentibus. In Michaele Parapinaceo pag. 373. uer. 1. pro Mittitur, lege Mittit: & paulo antè pag. 372. uer. 51. cõdetur, pro conditur. Et rurſum pa. 373. uer. 43. pro, ipſiusq; imperatoris in utilitatem, lege inutilitatẽ, una dictione: id eſt, quia Imperator planè erat ignauus, & imperio inutilis, quemadmodum & Hædio uerterat.

EX ALEXIO COMNENO.

Pag. 378. uerſ. 17.

229 Vnde facta omnia ad uexationem ſubditorum, illi uerò ab omnibus adſcribebantur.) Tum res ipſa, tum ſequens proximè periodus clarè oſtendunt, pro uerò legendum eſſe uni. Pag. 379. uer. 1. pro Epidamicum, opinor legendum Epidamnium, præſertim cum mox ſequatur Dyrrhachij mentio. Notum eſt enim, uel Plinij teſtimonio, Epidamnum Romanorum coloniam in Macedonia, propter inauſpicatum nomen à Romanis appellatum fuiſſe Dyrrhachium.

Pag. 379. uerſ. 12.

230 Quiſi ille pugnam adoriretur terga uerteret.) Ne quid te ſuſpenſum turbet, diſtingue poſt Qui: nempe ut iungatur cum clauſula terga uerteret, ac Adrianum ſignificet.

Pag. 380. uer. 11.

231 Sed ſententiæ habitu ac animi ignobilitate minimè reſpondens robori corporis.) Legendum eſſe nobilitate, in confeſſo eſt. Sed quid pro ſententię habitu legi potiſſimũ debeat, doctis liberam coniecturam relinquo.

Ibidem uerſ. 25.

232 Emerſit per hęc tempora hæreſis abominabilis Bogomilorum: cuius præco, & Magnus magiſter ac potior apud eos ipſis diſcipulis Baſilius quidam nomine, profeſsione medicus: habitu quidem monachi tectus, ipſum uerò reuera indutus Satanã.) Hic quoque doctos expendere uelim, num qua ſubſit menda. Mihi tamen uidetur locus rectè habere, ac ſola uerborum copia in mendæ ſuſpicionem adduci. Pro Magnus, non dubitem reponere magnus. Mirum uerò, huius hæreſis Bogomilorum, aut eius præconis Baſilij, nullam fieri mentionem apud Henricum Luzemburgum, qui noſtra ætate Catalogum hæreticorum congeßit. De Iſidoro, hæreſium plurimarum item nomenclatore, Etymologiarum lib. VIII. Cap. V. (quod & Gratianus in Iure Pontificio uigeſimoquarto, q. 3. c. quidam hæretici, recenſet) nihil mirandum, quòd hos non me-

moret, cum tempora huius Alexij Comneni aliquot seculis antecesserit. Pagin. 381. uers. 39. pro Philippolim, lege Philippopolim: de qua & suprà in Cæsare à nobis dictum est.

EX HENRICO V IVNIORE.

Pag. 385. uers. 38.

233 Qui tum in indignationem Regis maximam tandem uenit.) Haud dubiè legendum est. qui tamen: ut præter rem, & hanc ipsam periodum, ea quoque innuunt uerba quæ Pagina proxima uersu 17. sequuntur, ex Abbate Vrspergense desumpta.

Pag. 390. uers. 15.

234 Regem quoq; Daciæ.) Hic quidem non menda librarij, sed authoris lapsus subesse uidetur, qui per Daciam intellexerit Daniam (uti & in Carolo Quarto, circa medium Paginæ 478) quæ regiones sunt diuersissimæ. Sed hic error plurimorum scriptorum communis est. Quanquam Cuspinianus alibi Daniam suo nomine appellat, ut mox infra Pag. 392. uers. 34.

EX MANVELE.

Pag. 398. uers. 9.

235 Vnam Germanicam Conradi Imperatoris uxorem.) Locum hunc mutilum ac deprauatum esse, apparet suprà Pag. 396. uersu 51. ubi memorat, quòd Conradus rex, Gerdrudis uxoris sororem Manueli sponsam miserit. Legendum itaque hic Conradi Imperatoris uxoris sororem. Probatur hoc ipsum euidentissimè ex Guilielmo Tyrio archiepiscopo, dum in historia de Bello sacro libro decimosexto, sub finem capitis uigesimitertij de Conrado Ramanorum & Manuele Græcorum Imperatore ita scribit: Erat enim inter eos affinitatis uinculum, quia eorum uxores sorores erant, filiæ Berengarij senioris Comitis de Sulzbach, magni & egregij Principis, in regno Teutonicorum potentissimi. Vide eadem de re copiosius apud Othonem Frisingensem libro primo rerum Aenobarbi, cap. 23.

EX FRIDERICO I. COGNOMINE AENOBARBO.

Pag. 402. uers. 43.

236 Erat enim Henrichus Iunior de Saxonia fratruelis Vuelphonis, filius auunculi sui. Henricus uerò de Austria frater Luipoldi, filius patrui sui.) Quanquã hæc ipsa uerba apud Vrspergensem, è quo & reliquã ferè huius loci narratio mutuo est accepta, eodem planè ordine extent: mihi tamen sub finem mendam uidentur habere, ac initio quoq; commodam postulare interpretationem. Nam Henricus Iunior de Saxonia, non fratruelis fuit Vuelphonis, sed eius ex fratre, scilicet Henrico Superbo nepos, ut suprà in Conrado rege Pagina 392. uersu 37. apertè colligitur. Fratruelis autem mihi dicitur, ut tradunt iureconsulti nostri, proprietatis Latinæ linguæ obseruantissimi, qui ex patruo meo, non qui ex fratre meo natus est. Sed hoc leuiculum est, & hominibus Germanis, quos & secula sua tuentur, meritò condonandum. Sic etiam suprà Pagina 394. uersu sexto, Hunc Barbarossam appellat, iuxta eiusdem Vrspergensis uerba, & inscriptionem primi capitis secundi libri rerum Barbarossæ apud Othonem Frisingensem, Conradi regis fratruelem, qui & ipse Barbarossæ fuit patruus. Hædio hic non uocem fratruelis, sed rem ipsam rectè reddidit, fortè casu magis quàm iudicio: aut certè non tam uerba intelligens, quàm rem ipsam habens cognitam, quæ uerba postrema, scilicet filius patrui sui, in Henricum Austriacum nequaquam admittit. Fuit enim Henricus filius Luipoldi Austriaci, ex uxore Agnete, filia Henrici IIII Imperatoris, auia ipsius Barbarossæ. Itaque erat Henricus hic Barbarossæ patruus, non patrui filius: puta qui cum Barbarossæ ipsius patre eandem habuerit matrem, scilicet Agnetem prædictam. Ideoq; Otho Frisingensis, libro secundo cap. septimo, atq; iterũ cap. uigesimoseptimo & trigesimosecundo, rerum Barbarossæ, de hac ipsa pacificatione loquens, hunc Henrichum Austriacum eiusdem Barbarossæ patruum uocat: ipse quoque Otho eiusdem Henrichi frater germanus, & Barbarossæ patruus, uti non modò nepotis ad hanc epistolæ præferunt, sed etiam Radeuicus libro tertio capite decimotertio, & libro quarto capite quarto rerum Barbarossæ nominatim exponit. Quod si legere hic uoles ita, Frater Luitpoldi patrui sui (quasi censeas dictionem filius è superiore uersu per amanuensem malè huc repetitam, ideoq; omittendam) nihilo magis te expedies, cum ipse Henricus, ut dictum est, æquè ac Luipoldus, Barbarossæ patruus fuerit, puta eiusdem Agnetis quoque filius, tum fratre Luipoldo non ignotior, ita ut eius adiectione demonstrari nihil necesse habuerit. Ego sic denique legerem: Henricus uerò de Austria, Luipoldi filius, frater patris sui. Sic enim hunc quoq; Henricum, non minus quàm Henricum iuniorem de Saxonia, uidetur author gemina uoluisse explicare nota.

Idem uers. 51.

237 Vt Henricus de Saxonia ducatum Bauariæ reciperet, quem & pater & auus possederant: licet Conradus rex paterno ducatu ob rebellionem deturbasset.) Posterior clausula, licet Conradus rex paterno, etc. nõ est apud Vrspergensem, è quo ferè ad uerbum transcripta sunt reliqua omnia. Est uerò ab authore quasi explicatiõis gratia nõ incõmodè addita, si esset incorrupta. Si enim Ducatũ tam auus quàm pater possedit, quæso qua ratione dicitur paterno

potius

potius quàm auito Ducatu Henricus iunior deturbatus? Quid quòd Henricus hic iunior Cõrado regi nunquam rebellauit, sed Vuelpho patruus: neque ipse Henricus, sed eius pater Henricus cognomento Superbus, Ducatu Bauariæ fuit exutus? Euidenter itaque apparet, legendum hic esse patrem, pro paterno, quasi diceret author: Aequum fuit Henricum in eum Ducatum restitui, quem pater & auus possederant aliquãdo. Nam patrem Conradus ipse non adeò multos ante annos inde expulerat. Pag. 404. uers. 20. ubi ita legitur: Eiecerũt regno & Bolitzlaũ, qui filiam Leopoldi Marchionis Austriæ Gerdrudim uxorem habuit. Misertus itaque exulis & sororis suæ.) Cum eius loci menda imprudentẽ me præterijsset, admonuit nobilis & magnificus iureconsultus Vuiguleus Hund, amicus nobis cumprimis honorandus, cuius emẽdationes suprà quoq; sæpe adduximus, pro sororis legendũ esse amitæ: puta quia Agnes Henrici Quarti Imperatoris filia, & Barbarossæ auia, post mortem Friderici Comitis de Hochenstauffen mariti primi, denuò nupserit Leopoldo Marchioni Austriæ, è quo XVIII liberos sustulerit, inq; eo numero hãc Gerdrudim Poloni uxorem, quæ proinde Barbarossæ amita fuerit: hoc est, eiusdem Barbarossæ patris, qui Fridericus dux Sueuiæ, soror uterina. Cæterùm quia dictio amita nimium longè recedit à dictione sororis, quæ est apud Cuspinianum, uidetur legi posse uxoris, nempe intelligendo ipsius Bolitzlai exulis Poloni: uel sobrinæ, scilicet impropriè loquendo: quomodo & Radeuicus præpositus Frisingensis libro 3. cap. 11 rerum à Barbarossa gestarum, hãc ipsam Polonicam expeditionem, de qua hic est sermo, memorans, multo etiam absurdius hanc Gerdrudem Imperatoris, scilicet Friderici I. neptem appellat: & quo modo Ioan. Trithemius in Scriptoribus ecclesiasticis, ipsum Othonem Frisingensem dicit à quibusdam scribi nepotem Friderici: quum euidentissimum sit, eundem Friderico primo patruũ fuisse, puta ex eadẽ matre Agnete fratrem uterinum Friderici ducis Sueuiæ, qui Barbarossæ pater fuit. Nisi fortè quis contra Cuspinianum opinari malit, Gerdrudem eam nõ Diui Leopoldi Marchionis filiam, sed eiusdem ex filio Leopoldo, eius nominis Quarto, neptem fuisse: qua ratione & Barbarossa & Gerdrudis eandem Agnetem pro auia æquè agnoscerent, & se paulo rectius inter se sobrinos aut consobrinos appellarẽt, tum & Radeuici uerba commodius aliquanto haberent. Atq; hæc sanè opinio etiam nullo recto authore suffulta, eo tamen minus uidetur explosu digna, quòd idem Radeuicus libro 4. capite 2. de rebus Barbarossæ, inter istius Diui Leopoldi & Agnetis liberos nominatim recenset Gerdrudem Ducissam Bohemiæ, & Bertham Ducissam Polonorum, nimirum amitas Barbarossæ. Cum autem perrarum sit, ut idem pater duos habeat filios filiasue eodem nomine superstites, uerisimile est, aut hic de Gerdrude Diui Leopoldi nepte, Leopoldi Quarti filia, Barbarossæ sobrina intelligi oportere: aut à Radeuico & Cuspiniano filiarum nomina confundi, & Gerdrudem pro Berta, aut uicissim, malè in Poloniam elocari: simulq; seu neptis seu sororis, aut sobrinæ nomen perperàm huc accommodari. Sed lectori harum rerum studioso libera esto coniectatio.

Pag. 405. uers. 7.

238 Ac pacem sub anno firmauit.) Non obscurum est legi hic oportere, sub banno: id est, sub pœna proscriptionis, quasi Germanicæ linguæ cõsuetam ad formulam dicat, Er hat einen Landfriden auffgericht bey peen der Acht. Innuit autem dubiò procul Cuspinianus, eam Barbarossæ sanctionem, quæ adhuc hodie extat Vsibus feudorum subiecta, hac quidem inscriptione: De pace Constantiæ composita inter Imperatorem Fridericum, & filium eius Henrichum, & quosdam nobiles Alemanniæ ex una parte: & ciuitates Lombardiæ, Marchiæ, Romandiolæ ex altera. Extant & duæ aliæ eiusdem Barbarossæ super pace memorabiles sanctiones, una inscripta De pace tenenda, & eius uiolatoribus: altera, De pace tenenda inter subditos, & iuramento firmanda, & uindicandâ, & de pœna iudicibus apposita, qui eam uindicare & iusticiam facere neglexerint. Similes de pace & tranquillitate publica tenenda sanctiones edidere tum Imperatores alij, tum Maximilianus & Carolus V. Augusti inuictissimi, uterque Vormaciæ, ille quidem Anno Salutis M. CCCC LXXXV, hic uerò M.D.XXI. Et huius quidem sanctio cum Latinitate donata sit per Iustinum Goblerum Iureconsultum, doctum sanè hominem: licet iam etiam Gallis clarius intelligere locum Frossardi historici uernaculi, dum libro III ita scribit: Carolus Quartus instituit ducem Venceslaum à Bohemia, ut esset supremus custos cuiusdam ordinationis, quæ uocari solet in Alemania la Landfride, id est, ut uiæ conseruentur tutæ ab omni uiolentia & iniuria. Perperam extat in Frossardo la lange fride. Nam dicitur hæc pax lingua nostrate Landfride, quasi dicas Prouincialis pax, seu uniuersarum prouinciarum, seu totius Imperij, aut Germaniæ, quod idem est. Pacem enim uocamus Frid, prouinciam autem Land: & ferè cuiusque regionis proprium nomen huius particulæ adiectione efferimus, uti Bauaria, Sueuia, Franconia, Bayerland, Schwabenland, Franckenland. Imò quasdã nemo aliter lingua nostrate rectè efferre posit, ut Germania, Italia, Teütschlãd, Vuelschland, &c. De pace illa publica extat etiam in sanctione Caroli V. de Capitalibus iudicijs, uersa & commentario illustrata per eundem Goblerum, capite 129. Alias autem quasdã Aenobarbi sanctiones super feudis memorat Guntherus poeta in Ligurino, sub finem lib. VIII. ubi doctissimus interpres Spiegelius refert, Aenobarbi leges ijs uerbis

quibus conceptæ sunt extare apud Radeuicum cap. VII. lib. IIII. gestorum Aenobarbi: tum & Mediolani, ut quidam asserant, in codice qui uulgo liber Lombardus uocatur. De banno autem, cuius gentis ea uox sit propria, & quomodo olim hodieq; Germanis usurpari solita, & quædam eius generis alia, non omnibus, ut opinor, literatoribus obseruata, nos copiosè disseruimus in Notis quas scripsimus in Tabellas Gallicanarum uocum Caroli Bouilli Samarobrini, theologi Parrhisiensis. Mox uers. 52. & duobus sequent. extant mendæ cõplures, tum ob literas, tum ob distinctiones ita inuersas, ut alicubi totum sensum à uero distrahant. Eas uerò omnes sustuleris, si iuxta Vrspergẽsem, unde locus est desumptus, ita castiges: Sæuissima pestilentia orta exercitum inuasit, & Episcopos, Coloniensem, qui author mali fuerat, Spirensem, Ratisbonensem, Pragensem, Verdunensem, ac Leodiensem: tum Duces, Fridericum Conradi Rom. regis filium, Vuelphonem iuniorem.

Pag. 407. uers. 4.

239 Primam Adilam Marchionis Theobaldi de Vobburg in Bauaria filiam.) Apud Vrspergensem in hoc ipso Friderico corruptius legitur Hochburg. Corruptissimè apud Nauclerum Generatione XXXVIIII, Vogspergium. Vera est lectio Vobburg: uti idem quoq; Vrspergensis habet in Lothario Saxone, ubi narrat de Vuelphone V. cuius filia Mechthildis nupsit Diepoldo filio Marchionis de Voheburg. Extat uerò hodie quoq; id burgum seu oppidulum, in dextra Danubij ripa, duobus sub Ingolstadio miliaribus. De hoc Theobaldo Marchione, & quomodo ciuitas Egra, cuius itidem erat dominus, unà cum filia ex ipsius Marchionis manu ad imperium transierit, plura congessit Caspar Bruschius, qui lingua uernacula Egrã descripsit. Hanc autem Friderici uxorem primam ipse nõ Adilam, sed Adelheidem nominat. Vnde & suprà Pag. 353. uers. 40. ubi Cuspinianus Rudolphi Ducis Sueuiæ contra Henricum Quartum aliquando designati Cæsaris uxorem Adelhaydẽ ait à quibusdã uocari Ancillã, opinor ego legendũ esse Adilam. Pag. proxima uers. 3. pro ac mille infinita, puto legendum esse ac alia, siue, talia infinita.

Obseruatione quoq; cumprimis illud dignum existimo, quod Cuspinianus dũ suprà initio Pag. 406. uers. 35. narrat de pace inter Aenobarbum & Alexandrũ Papam composita, nullum uerbum ipse adijcit de eo quod à pleriscq; aliis hodie memoratur, scilicet humi prostratum Cæsarẽ, pedibus à Papa calcatum fuisse, cũ famosa illa insultatione, Super aspidẽ & basiliscũ ambulabis, &c. Moueor hoc quidem, ut eo magis totã illam narrationem credam esse uanã, uti antè nos ex Georgij Merulæ historia obseruauit Iacob. Spiegellius, atq; annotauit in Scholijs super lib. X. Ligurini. Et quia hæc res uulgo persuasissima est omnibus, citius autem, quæ ad Cæsarẽ spectant in ipsorum uitis, quàm uspiam quæruntur alibi, adscribam ipsa huc Spiegellij uerba, qui cum ex Annalibus Conradi episcopi cuiusdam recitauit, quod ubi schisma durasset XVIII annis, tandem Christianus archiepiscopus Moguntinus, uir longè prudentissimus, se interponẽs inter Papam & Imperatorẽ, ambos ad concordiam reuocauerit: tum hæc quæ sequuntur de suo Spiegellius adiungit:

Quod autem Friderichus capto filio Othone (quem ei fuisse Annales nostri, apertissimeq; suprà Poeta etiam, prodiderunt, & obiter attactum quoq; à nobis est, quamuis Merula perneget: cui tamen in cæteris, quæ ad hanc pacificationem attinẽt, maior fides adhibenda est) apud Venetias sub pedibus Alexandri subcubuerit, ueniã præteritorum petendo, dicens: Non tibi, sed Petro, ut exprimit pictura, quã ego ipse uidi in Comitio (locus est in Palatio Veneti Ducis, in quo noui magistratus creari solent) cum ipso Merula poeticum magis argumentũ, quàm fidem historiæ crediderim: eoq; magis ad Merulanam sententiam accedendum puto, quòd uideam neq; naualis pugnæ, neq; Othonis capti, ne uerbo quidem meminisse Platinam: cuius historia de uita & moribus Pontificum aliquanto uerior est existimanda, quòd eam ex publicis tabulis & diplomatib. alijsq; legitimis documentis deprõpserit. Conuenerat iam Venetias (inquit ille) Alexãder componendæ pacis Italiæ causa: eò & Fridericus accedens, in uestibulo sancti Marci Põtificis pedes osculatur: simul deinde ad altare maius profecti, accepta datá que salute, de fœderibus pacis inter se multum diuq; collocuti sunt, quæ postea sequenti die ex sententia confectar est. Certè nisi existimasset fabulam Platina, nõ reor prætermisisset memorabilem rem siletio, quam nõnulli commenti sunt, scilicet Alexandrum Friderici collum pede comprimentem, dixisse: Scriptum est, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Hæc Spiegellius.

Equidem eodem modo licet hic ratiocinari: Cuspinianus rem adeò notabilẽ taciturus non erat, nisi fabulosam potius credidisset. Videtur & Albericus Rosatus de Aenobarbo pedibus Papæ proculcato nihil sciuisse, sed quod duntaxat is capite inflexo Papæ honorem exhibuerit. Nã in Dictionario, uerb. Imperator. planè mihi de ipso Aenobarbo sensisse uidetur, dum ita scribit: Imperatores debent Pontificibus caput inclinare. c. Valentianus. 63. dist. & c. duo. 96. dist. Quod uerum est, ut Pontificibus, non ut hominibus. Vnde quidam strenuus Imperator cum inclinaret caput Papæ, ait: Non tibi, sed Petro. Hæc Albericus. Lector utrum nunc potius uelit credere, per me quidem est liberum.

EX HENRICO SEXTO.

Pag. 408. uers. 40.

240 Et ut regnũ Siciliæ citra ultraq; forũ arripiat.) Qui recentiores inspexere historiographos,

graphos, facilè equidem intelligunt, tum hic, tum Pagina proxima uerſ. 29. ubi idem eſt mendum, pro forum, legi oportere Farum: cæterùm quis limes, aut ubi loci ille ſit Farus, fortaſſe non quiuis, præſertim è Germanis, aliſs ue non Siculis, aut Siciliæ uicinis, mox dixerit. Ego cum hactenus neſcio qua ratione mihi perſuaſiſſem, fluuium eſſe Farum, qui Siciliam ipſam diuideret: quemadmodum Hiſpania ulterior citeriorq; Ana flumine, lineaq; inde ad mare mediterraneum ducta apud Ptolemæũ distinguitur: item Auſtria ſupra infraq; Anaſum flumen, & ſunt huius generis exempla alia plurima: tandem loci huius occaſione motus, inueſtigare certum uolui ſuper Faro. Interrogati autem amici quidam neque ueterum hiſtoriarum indocti, & recentiorum in primis gnari, nihil cunctati reſpondebant idem, quod ego hactenus opinatus fueram. At iuſſi opinionis ſuæ authorem aliquem laudare, hærebant un à mecum, nec fluuium Farum tota in Sicilia monſtrare uſquam poterant.

Porrò autem cum animum aduerterem, in titulo inuictiſſimi Imperatoris Caroli V. duntaxat regni utriuſque Siciliæ mentionem extare, prætermiſſo Neapolitano: mox ſubibat, Faro limite non ipſam diuidi Siciliam inſulam, ſed ab eadem ſecerni regnum Neapolitanum, & Siciliam citra Farum uocari. Ratio limitis uera cum necdum mihi eſſet nota, ſomniabam fretum illud, quo fabulantur Siciliam olim ab Italia abruptam, fortè hodie Farum dici. Neque ſomnianti hæc ſanè deerat nominis huius ratio quædam, non prorſus uiſa abſurda. Cum enim Nordmanni, natio Germanica, Siciliam diu tenuerint: ac inde Sueuiæ Duces, qui & legibus, hodie quoque florentibus, eandem fundarunt, ac oppidis ædificijsq; non paucis auxerunt: & deniq; conſtet, locorum nomina Germanica extare in Sicilia plurima, quæ Germanica lingua ſtatim agnoſcit, ſuoq; ſibi iure uendicat: putabam ego fieri poſſe, ut hoc quoque nomen anguſtiſſimo freto, quaſi Boſphoro impoſitum, à Germanis exordium haberet, qui omnem locum quà naui flumen tranſcitur, Far appellant, uti eum quà uadari poteſt Furt, de quo Cuſpinianus ipſe ſuprà ad finem Lotharij Cæſaris meminit. Hæc quanquam prorſus inania, tamen Lectori ideo paucis referre libuit, ut uel hoc exemplo cõmonitus iuxtà mecum intelligeret, quàm ſit uarijs obnoxius lapſibus, qui ignotum quicquã nudis aggrediatur cõiectationibus: ſimulq; quãtam induxerit rerum caliginem, & errãdi occaſionem, corrupta nominum orthographia.

Demum enim, quinam & ubi locorum Farus ille limes eſſet, didiciſſe uideor ex Cl. Mario Aretio, cuius in Siciliæ deſcriptione ſtatim initio hæc extant uerba: Eius tria promontoria, quibus Trinacria & Triquetra appellata. Pelorus unum, ad Italiam & aquilonem uergens, contra Scyllam, decem miliaribus ab Meſſana diſtat, à Peloro Annibalis nauis gubernatore nomen ſortitum: qui eò delatus, dum inuium pelagus, ſeſeq; deluſum putaret, illum interfeciſſe fertur. Eſt in promontorio turris recens, non quòd maris defendat anguſtias, ſed procul uenientibus, quà trãſeant, uadum oſtendat. Scylla ſcopulus in continenti, ubi oppidũ Scyglum, Scylæum à Plinio adpellatum. Charybdis uorticoſum mare, Galoſarus, quaſi Caloſaros, à noſtris nuncupatum. Ibi enim fares noctu accendũtur, nautis portum petentibus ſignum. Vorticibus terra ipſa, quà Meſſanæ portus efficitur (brachium ſancti Raynerij hodie) reſiſtit. utrunq; nauigijs exitio. Hæc Marus omnia: è quibus Lector ſatis deprehendis, ubi locorum ſit Pharus illa, quæ quaſi limes Apuliæ ſeu Neapolitano regno alterius Siciliæ nomen induxit. Equidẽ niſi hæc ipſa ſit Pharus, uulgò Farus dicta, quam ultra utraq; geminæ Siciliæ regnũ uno nomine comprehẽditur, neſcio quem dicam limitẽ alium hoc nomine deſignari. Noſtrum igitur ſomnium, ut in loco ferè nihil, ita re ipſa aberrauerat toto (quod aiunt) cœlo. Ab eodem tamen haud multum abfuiſſe, certè Farum pro illo ipſo mari anguſto accepiſſe Othonem Friſingenſem, poſtea comperi, cum eius uerba Aenobarbicorum libro 2. cap. 12. in deſcriptione Italiæ hæc extent: Illa uerò quæ poſt emẽſionem montium Campania excipitur, unde & à re nomen trahens Campania adhuc dici ſolet, ac uſque ad Farum, brachium maris, nauibus ob Syrtes importunum, Siciliam à ſolido ſeiungens producitur. M. Antonius Sabellicus libro X. Exemplorum, Cap. VIII. loquens de Conſaluo Agridario, qui Gallos eiecit regno Neapolitano, ita inquit: Regnumq; id omne demum, quod Siciliæ citra Pharum appellant, Aragoniæ familiæ reſtituit.

Illud opinor etiam mediocriter doctis ſatis liquêre, nimirum Plinio tradente, à Pharo illa quæ prope Aegypti Alexandriam turris nauigantibus nocturno tempore lumẽ præbebat, reliquas omnes in hoc exſtructas dici Pharus. Libet ipſa Plinij uerba libro XXXVI. cap. XII adijcere. Magnificatur, inquit, & alia turris, à rege facta in inſula Pharo, portum obtinente Alexandriæ, quam conſtitiſſe D. CCC talentis tradunt: magno animo, ne quid omittamus, Ptolemæi regis, quod in ea permiſerit Soſtrati Gnidij architecti ſtructuræ ipſius nomẽ inſcribi. Vſus eius, nocturno nauiũ curſui ignes oſtendere, ad prænuncianda uada, portusq; introitum: ſicut iam tales compluribus locis flagrant, ut Puteolis ac Rauennæ. Periculum in corruatione ignium, ne ſidus exiſtimetur, quoniam è longinquo ſimilis flammarum aſpectus eſt. Suetonius in Claudio Capite XX inquit: Congeſtis pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim, in exemplum Alexandrinæ Phari: ut ad nocturnos ignes curſum nauigia dirigerent. Idẽ de Pharo ad Oceanum Germanicũ ædificata per Caligulam, meminit in eius uita capite XL VI. De Pharo turri quæ terræmotu Capreis cõcidit

ſub mor-

ſub mortem Tyberij, narrat ipſius cap. LXXIIII. Egeſippus de excidio Hieroſolymitano lib. III I. cap. XXVII, Alexandriæ ſitum pergraphicè depingens, hæc ſcripta reliquit: In dextra uerò portus inſula eſt breuis, & in ea turris maxima, quam Pharum in commune Græci ac Latini ex ipſius rei uſu appellauerunt, eò quod longè uideatur à nauigantibus, ut priuſquam ad portum appropinquent, nocturno maxime tempore, terram finitimam ſibi eſſe, flammarum incendio cognoſcant: ne decepti tenebris, in ſcopulos incidant, aut ueſtibuli limitem non queant comprehendere. Hæc Egeſippus. Matthæus Afflictus, Iureconſultus cumprimis celebris, in opere quo collegit ſententias, quas ipſo quoque Aſſeſſore Senatus Neapolitanus in cauſarum cognitionibus pronunciauit, Cap. CCCXCII, recitat uariam admodum lectuq; dignã facti ſpeciem, de quodam cui rex Ferdinãdus primus beneficij loco permiſit, in mole magna ciuitatis Neapolitanæ fanonem ſeu laternam (ſic enim ipſe loquitur) pro incolumitate noctu nauigantium exſtruere, eoq; nomine ab ipſis certum quoddam exigere uectigal. Appellat & turrim cum fano. Ego ut de laterna probè intelligo, ita de fanone ſeu fano nihil prorſus. Extat apud Robertum Gaguinum lib. 4. de geſtis Francorum, Ludouici Pij Imperatoris & regis Frãciæ epiſtola, qua is ridiculum quoddam factum ſuum memorat: nempe cum Sueßione in monaſterio S. Medardi à filijs in cuſtodia adſeruatus, ex uigilibus quendam præter meritum ipſi infenſiorem, nocte quapiam ſomno uinoq; ſopitum, ac circa fundamina baſilicæ ante cuſtodiam ſolo proſtratum, & enſem ab eo dimotum uidiſſet, mox ſe ſcalam, quæ ad accendendos fures in angulo fuerat repoſita, apprehendiſſe, funiculum ocioſum ſoluiſſe à laquearibus, & haſtæ, qua uexillum tẽpore letaniæ ſuſpẽditur, alligaſſe, perq; eam in ſublime enſem ad ſe traxiſſe, ac in altas proieciſſe latrinas: & mox excitatum uigilem habuiſſe ludibrio. Quæ de Peloro nauta Hannibalis ſuprà ex Mario Arctio breuiter retulimus, ea extant integrè apud Val. Max. libro 9. cap. 8. quod ita quidem claudit: Igitur anguſti atq; æſtuoſi maris ex alto tumulo ſpectatrix ſtatua, tam memoriæ Pelori, quàm Punicæ temeritatis, ultra citraq; nauigantium oculis collocata indicium eſt. Pandulphus Collenutius, cuius poſt hæc omnia iam elucubrata mihi demum facta eſt copia, ubi libro 3. hiſtoriæ de regno Neapolitano ſcribit, Rogerium ſecundum Ducem Apuliæ, tertium uerò eius nominis è ſanguine Normannorum, adempta Græcis Neapoli, primum fuiſſe coronatum regem Siciliæ per Anacletum antipapam contra Innocentium tertium, tum breuiter hæc adijcit: Atque ita Rogerius primus fuit, qui unquam uſurpauit ineptum iſtum titulum, ut diceret, ſe regem utriuſq; Siciliæ, citra ultraq; Farum. Idem paulo poſt inquit: Rogerius amiſit omnia quæ acquiſierat in Italia uſq; ad Farũ de Meſſana. Hædio de Faro ſuo uertit arbitratu: uti etiã inferius in Roberto Antiſiodorenſi Pag. 418. uerſ. 14. ubi uerba, Cum uerò inde Byſantium reuertitur, parum aptè præcedentibus cohærent. Plana autem erit, ac pulchrè ſibi conſtabit periodus, ſi iuxta Egnatium, è quo eiuſdem periodi potior quidem pars deſumpta eſt, pro Cũ uerò, legatur atq;, uel quæuis copula ſimplex alia.

Quoniam uerò ea quæ Cuſpinianus paulo poſt, itemq; ſub finem huius Cæſaris Henrici VI. ſcribit de Conſtantia eius uxore, longè aliter ab alijs quibuſdam hiſtoricis narrantur, huc adſcribenda duxi: & quidem ipſis Iacobi Spiegellij uerbis, qui hiſtoricos adducit quos mihi ne uidere quidem unquam licuit. Is igitur in Scholijs ſuper 1 libro Ligurini ita ſcribit: Conſtantia Rogerij ſecundi filia, ſoror Guilielmi, itidẽ ſecundi Siciliæ regis, uirgo annum tam agens triceſimũ, nupſit Hẽrico tum Germanorũ regi, ut ſcribunt Viterbienſis, Vrſpergẽſis & Otho de ſancto Blaſio. quibus accedit Aemilius Veronenſis, qui de hac ipſa Conſtantia loquens: Eam ſcio, inquit, à pleriſque tradi ac uulgo credi in ſacro parthenone educatam uotiua uirginitate: quòd Ioachimus fatidicus uir ceciniſſet, ex ea, ſi nupſiſſet, funeſtam Italiæ facem exorituram: eandem plus quinquaginta annos natam, auſpice Pontifice Maximo, ne regnum Siciliæ ad nothum recideret, Henrico Cæſari nupſiſſe. Exin cum prægnans eſſet, ſuſpicioq; exoriretur, eam uterum mentitam, partum ſibi ſuppoſituram, medio in Meſſanæ foro, tabernaculum illi uirum iußiſſe ſtatui, ubi uentre cuſtodito, nulla matronarum excluſa páreret. Ita editum Fridericum ſecundum, Cæſarem futurum. Hãc omnẽ fabulam uanitatis arguũt Germani. Aenobarbo Cæſare uiuo, filium Henricum, Conſtantiam ætate florentem collocante Guilielmo duxiſſe, conſtanti ore affirmant: atque ita res in ſuos quanq; annos digerũt, ut pudeat pigeatq; tantæ aſſeuerationi diligentiæq; fidem abrogare. Hactenus Veronẽſis.

Hæc autem omnia ad uerbũ eo libentius ego adſcripſi, quòd ſciam pleriſq; legum interpretibus de partu Conſtantiæ iam quinquagenariæ idem quod uulgo perſuaſum eſſe, ſcilicet ex authoritate Archiepiſcopi Florentini Chronographi. His lectis mutabunt fortè ſententiam poſteri: aut ſaltem in dubium adducti, minus temerè adſentient. Simul uerò & illud lector hinc obſeruabit, Cuſpinianum ſupra Pag. 407. uerſ. 15. rectius ſcripſiſſe, hanc Conſtantiam fuiſſe filiam Rogerij regis Siciliæ, Guilielmi neptem: quàm quòd deinde hac ipſa Pag. 408. uerſ. 42. & iterum Pag. 410. uerſ. 25. hanc Guilielmi ſecundi, regis Siciliæ, facit filiam.

EX FRIDERICO. II.

Pag. 420. uerſ. 1.

241 Ottone IIII. ab imperio deiecto uigeſimum tum agente annum.) Legendum eſſe agens, pro agente, multa arguunt. Primùm, quòd inquit adoleſcens adhuc: quod in Othonẽ

(ad

(ad quẽ alioqui uox agente refrenda esset necessariò) non quadrat, tum ob ipsam uerborum hic syntaxim: tum quia constat ipsum haud adeò iuuenem tum fuisse, ut quem Innocentius III. Papa, odium in Barbarossæ progeniem infinitum gerens, contra Philippum iam olim curauerat designari Imperatorem. Deinde uerò ipse Cuspinianus suprà in Othone diserte narrat, Philippum Francorum regem scripsisse ad quosdam Imperij Electores, ut Fridericum Siciliæ regem uigesimum tum agentem annum, Cæsarem crearent. Sed quomodo cum his conciliabimus ea quæ inferius Pagina 425. uers. 14. & 15. idem Cuspinianus scribit? scilicet Fridericum hunc II. obijsse anno ætatis LVII: Anno autem Imperij XXXII. Nam si hos ab illis subducas, palàm erit, ipsum Fridericum ad Imperium euectum fuisse anno ætatis XXV. Dicemus ne hic ab authore fortassis ita fuisse scriptum, uigesimumquintũ agens annum, ac si amanuensis omissa cifra, syllabam tum solam exarasset? Sed obstat non modò locus iam ex Othone adductus, sed etiam aliorum historicorum testimonium, qui Fridericum hunc scribũt electum Imperatorem anno ætatis uigesimo: ut Iacob. Vuimphelingius in Epitome rerum Germanicarum, Cap. XXXV, & Chronica magna Norimbergensia in Ottone IIII. Dicemus ne ergo mendum esse in altero Cuspiniani loco, atque ibi scribendum fuisse, Fridericum obijsse LII ætatis anno, non autem LVII? quò anni tum uitæ, tum Imperij aptè consentiant. At cum alij quoq; historici totidem uitæ annos, scilicet LVII tribuant, sequitur ut nec addere nec detrahere quicquam liceat. Nihilo magis de imperij annis demere licet, nisi electionis tempus etiam longius ultra XXV ætatis annum producere, & maiorem concitare discordiam uelimus.

Reliquum est igitur id unum, ut iuxta quorundam scriptorum narrationem (qui exauthoratione huius Imperatoris factam per IIII Innocentium Papam fortassis iurè contemnunt) imperij annis huius Friderici quinquennium adijciamus, & pulchrè tum consentient inter se omnia. Nam ætatis anno XX imperare cœpit: anno LVII, pariter ut uiuere, ita & imperare desijt: atq; ita imperauit per annos XXXVII. Cum itaq; hæc Cuspiniani loca aliter concilitari non possint, suspicor planè inferius XXXVII ab eo scriptum fuisse, (præsertim qui summorum Pontificum gesta in Cæsares paulo iniquiora laudare nunquam soleat) & notam V per librarium malè omissam. Certè si relinquis imperij annos XXXII, prout Papales tradunt: sequitur necessariò, è duobus quæ Cuspinianus scribit, alterutrum esse falsum: scilicet uel non XX, sed XXV ætatis anno hunc electum fuisse Imperatorem: uel annos uixisse tantum LII, nõ autem LVII. Fatendum igitur, Cuspinianum ad eos respexisse, qui annos imperij huius Friderici II scribunt fuisse XXXVII.

Porrò non possum omnino silentio præterire, quod author noster in hoc ipso Friderico II, infrà Pag. 423. de Guelphis & Guibellinis memorat, præsertim cum & nostræ professionis scriptores, puta Bartholum (sic enim ibidem pro Bartholdo leges) & Panormitanum ad partes uocet. Inquit uerò Cuspinianus, se non uidere quo modo Italiæ factiones pestilentissimæ Guelphorum & Guibellinorum, á duobus illustribus in Germania principum familijs ortum nomen' que habere potuerint: nempe quòd primùm hæc nomina sub hoc Friderico sint exaudita: cum iam olim per ipsius aui Friderici Barbarossæ ad imperium electionem fuerit sublata diuturna illa Henricorum ex Gueybling, & Vuelphorum ex Altdorff discordia. Ego, ut ingenuè dicam quod sentio, per hanc Cuspiniani rationem à diuersa aliorum sententia dimoueri non possum. Nam in multis alijs ita uidemus euenire, ut quæ una in natione uiguere nomina, nonnunquam diu pòst in aliam transeant: adeo' que rebus ipsis iam sublatis, tamen nomina eadem adcommodentur ad consimilia quædam, ac tenacius seruentur quàm eo in loco quo primum enata fuere. Præclarè enim Val. Max. initio lib. IX. de C. Sergij Oratæ et Aesopi Tragœdi filij immani luxu scribens, ita inquit: Quorum alterius senis, alterius adolescentis sectam secuti, longius manum porrexerunt: Neque enim ullũ finitur uitium ibi, ubi oritur. Quid quòd non desunt, qui censeant hæc factionum nomina Italis quoque sub Aenobarbo ipso fuisse exaudita atque arrepta? ita tamen, ut temporis progressu plus discordiarum, ne dicam furoris & rabiei inferrent. Videtur huius sententiæ esse Alciatus noster libro Parergon V. capite XII. ubi cum ex Othone Frisingensi plenius commemorasset, quæ Cuspinianus hic breuiter attingit, cur scilicet a principibus fuerit Fridericus Aenobarbus electus Imperator, tandem ita accinit: Potuerunt quidem Germani rebus suis pacis' que studijs hac electione consulere: Italorum quidem animos tali contagione infectos acrius exarsisse constat, suborta inter ipsum Aenobarbum & Alexãdrum Pontificem simultate, quæ deinde in apertum bellum prorupit. Hæc Alciatus. Porrò & apud Gaudentium Merulam de Gallorũ Cisalpinorũ antiquitate lib. III. cap. VIIII. putat Castilionæus, ætate Lotharij Saxonis Imperatoris, eiusq; antagonistæ Cunradi Sueui, Guelphorum & Gibellinorum pernicioſa nomina in Italia primum cœpisse. Id' que mihi admodum uerosimile uidetur, cum constet non modò Lotharium Imperatorem, Romani Papatus fidelem adsertorem à genero Henrico Duce Bauariæ, fratre Vuelphonis ultimi, id est Sexti, contra Conradum Imperatorem, eius' que fratrem Fridericum, Sueuiæ Duces, strenuè adiutum: sed etiam prioribus seculis Vuelphonum generationem inclytam & nobilissimam, & Deo semper deuotam, Romanæ Ecclesiæ (id quod diserte testatur Abbas Vrspergensis) semper

semper adstitisse, & Imperatoribus sæpe restitisse. Denique cum Vuelphones illi etiam Marchiam Veronensem, aliaq; Italiæ loca possederint, ut ex eodem Vrspergense liquet: mirum non est, ab illis, ut præcipuis Ecclesiæ propugnatoribus, omnes Pontificiæ sectæ addictos Vuelphorum cognomen maturè inuenisse.

Quoniam uerò post hæc iam conscripta, incidi in Naucleri locum Generatione XXXVIII, qui horum nominum funestorum originē copiosè, nec sine probatis authoribus exponens, apertè hanc ipsam nostram, Cuspinianoq; aduersam sententiam confirmat, ac memorabile quoddam matronarum Germanarum facinus recitat, ac multum lumen ijs infert quæ Cuspinianus suprà in Cūrado III. Pag. 394 breuius narrat, libuit eum locum his Annotationibus adijcere. Rogerius iam, inquit, Siciliæ rex declaratus, ut refert Anto. post Gotfridum Viterbien. cum nullum præter Cunradum haberet obstaculum, Guelfonem Bauariæ ducem, Henrici Superbi fratrem, aliàs irritatum contra Conradum, pecunia concitauit: qui magnis hinc inde comparatis Siculorum exercitibus, rebellare Cunrado cœpit. Motus etiam ex eo, quòd sciebat fratrem Hēricum regis gratiam perdidisse. Sed & rex Hungariæ eundem Cunradum metuens, Guelfonem data pecunia ad rebellandum instigauit. Nec desunt qui uolunt, etiam Innocentium Pontificem cum Rogerio sensisse, impediuisseq; Cunradum quòd ad imperium non ueniret. Refert Hermannus hoc ideo factum, ne regnum Apuliæ & Siciliæ recuperaret. utcunque sit, ex Italia stipendio auctus fuit Guelfo contra Cunradum, eumq; impediuit, quòd ad Italiam tunc uenire nō potuit, ut princeps Capuanus Robertus, cæteriq; ex regno pulsi, uenientes ad regem Cunradum postularant. Placuit Henrico Superbo, ut negocium Cunrado fieret, Guelfonemq; adiuuabat. ipse enim iam senectute cōfectus, bellare nō poterat. Contrà hos Cunradus rex copias ducit, occurritq; Guelfoni propè cœnobium Neresheim, uel (ut alij uolunt) propè castrum Flochberg, in minori Rhetia: & commissa pugna, uictoria regi cessit, multis ex parte Guelfonis profligatis ac fugatis. Ipse uerò Guelfo cum paucis euasit. Hunc conflictum aliqui scribunt ultimum habitum Guelfoni ignominio sum: neminem tamen fuisse occisum, plures autem captos. Altera uice, ut refert Gotf. Viterb. Henricus filius Cunradi, qui si uicisset, post eum fuerat regnaturus, eundē Guelfonē propè Vuinsperg & ante uillam Elnhofen bello uicit. Nā rex Cunradus oppidum Vuinsperg obsedit, & in deditionem accepit: ex gratiaq; matronis concessit, ut quæcunq; humeris portare possent, liceret efferri: quæ neglecta supellectili, maritos suos quotquot potuerunt, uidentibus cunctis, & industriam mirantibus, exportauerunt. Et Fridericus frater regis contradicens: De uiris, inquit, non est cogitatum. Cui rex: Non decet, inquit, uerbum regium immutari. & mulieres laudauit. Hæc Abbas Spanheimen. Verùm concisso bello, cum ex more inter præliandum qui Guelfoni adhærebant clamarent, Hic Guelff. uicissim uerò regales, Hic Gibelin: quia Henricus in uilla eius nominis ablactatus fuit, significare uolentes, quòd potentia lactis pugnaret: Italici, Longobardi & Siculi cum Guelfone pugnantes, interrogant quid esset dictum, Hic Gebelin: quibus declaratum fuit, ut ait Hermannus, quòd Papales eo die significati fuerint, per Guelfonem propugnatorem: & Imperiales per Gibelinos. unde ab illo euentu, ait, usque in præsens Papæ adhærentes in Italia, significantur per Guelphum: & qui Imperio adhærent, per Gibelinos. Et licet alij de his factionibus aliter scribant, tamen historia hæc rebus satis consonat. ex quo uidetur non errasse Anto. qui scripsit multos extimare, ab ipso Guelphone Guelphos appellatos esse: quod satis facit pro Hermanno, qui scribit Innocentium unà cum Rogerio fuisse contra Cunradum. Idem Abbas Spanheimen. Hæc ibi Nauclerus.

Vides lector, iam olim sub Cunrado III. Imperatore Siculos, Longobardos, aliosq; Italos, hæc factionum nomina (condignum sanè impiæ suæ militiæ, puta contra optimum ac legitimè designatum Imperatorem pro tyrannis ac rebellibus sumptæ, stipendium) ex Germania domum reportasse. Idem Nauclerus paucioribus hoc ipsum repetēs, ac quasi ex professo nostram sententiam defendens, Generatione XLII ita scribit.

Atq; interim Fridericus II Cæsar, cum pro tantarum rerum auspicijs uires reparasset, aliquot mēses Pisis agebat: è qua primum urbe discordijs & cōtentionibus omnis Hetruria est infecta. singulos enim ciuitates, singula oppida pertentans, qui suas, qui Roman. Pontificis partes essent secuturi, uoluit intelligere. Et diuisæ sunt factiones etiam nominibus. nam qui Pontifici & ecclesiæ fauebant, Guelfi dicti sunt: qui Cæsaris arma sequebantur, Guibelini. nomen hoc apud Pistorienses aiunt primò auditum. Sed utriusque sanè appellationis antiquior origo, sub Cunrado III. qui circiter annū Domini 11 imperium inierat, in pugna quadam cœpit, quum Guelfi auxiliares copiæ symbolum quasi hoc sibi haberent, Hic Guelph: qui uerò sub Cunradi Cæsaris signis erant, Hic Guaibelin, clamarent. Cunradus enim Sueuus in eo pago uetustæ nobilitatis Vuaiblingen ferebatur nutritus. hinc Cæsariani Guibelini, pontificis socijs Guelforum nomen mansit, quod olim Guelfus Italica auxilia contra Cæsarem Cunradum duxerat. Eius rei suprà in Generatione XXXVIII meminimus, bonorum scriptorum autoritate freti. Sed ut ad institutum redeamus, serpsit hoc factionū studium adeò latè, ut nulla ciuitas, nullum oppidum, nullus populus ea labe pernicioſissima manserit intactus. Vrbs enim in urbem, prouincia in prouinciam, populi pars in alteram, nulla impellente alia quàm harum partium causa, gessere abinde usque ad nostra tempora bella. Nec

modò

modò diuisa sunt insignia in prælijs deferenda: sed colores, terræ fructus, uestium habitus, ipse hominis incessus, digitorum concrepitus, & oris hiatus, suarum habent partium significationem. Hæc Nauclerus.

Eadem omnia scribit Iacobus Bracelleus lib. II. belli Hispanienſis, nisi quòd pro Henrico memorat Fridericum Cunradi Cæsaris filium: in quo uides & Nauclerum uariare, dum nunc Henricũ, nunc patrẽ ipsum Cunradum ait in pago Vuaiblingen nutricem habuisse. Quod enim apud eundem Bracelleum nomen uillæ Helenefõn legitur, scriptor ipse à Nauclero non dissentit: sed deprauatum est ab Italis hominibus, asperius nomen pagi Elnhofen non ualentibus pronunciando assequi. Vnde apparet hallucinatum Iacobum Spiegellium, dum in Scholijs super lib. 1. Ligurini ita scribit: Emendanda est eo loci in Bracelleo dictio Helenæfõn, quam miror nostros non animaduertisse deprauatam. Heleponam enim suspicor scripsisse authorem: ut Italis & Gallis familiare est, inflectere externa. Signat autem indubiè oppidum Imperij etiam celebre Haylprun, quod salutis fontem interpretari possis. Hæc ille. Sed profectò de Salutis fonte, pago aliquo (nam de oppido eius nominis intelligendum non esse, indicat demonstratio adiecta ab alio oppido Vuinsperg, longius quidem dissito) Bracelleus non sensit, sed de Elnhofen: neq; id nomen latinè uertit, aut ullo modo deflexit: sed quantum in ipso erat, Germanicum reliquit. Sunt autem hæc Bracellei uerba, quæ ipsa quoq; nostram sententiam pulchrè tuentur:

Nec multò post id bellum, id quod non modò Italiæ, sed summis quoq; Germaniæ studijs gerebatur, maximis rursum copijs utrinque reparatur, commisso q; iterum prælio haud longè à Vinsperg urbe Saxoniæ, ante uillam quam Helenefõn nominant, uictus iterum Guelfõ, ac cæsus est. Hæ autem erant & in castris & in pugna de more adhortationes, ut hinc Guelfõ Guelfõ, illinc Guibelling conclamaretur, nomen sanè non uiri, sed uallis seu regionis, in qua Fridericum educatum ferebant. Hæc feralia nomina cum redeuntes Rogeriani milites in Italiam ad uexissent, eas postea populis clades intulere, quarum quotidie uestigia oculis cernimus, nec ætas quoque nostra omnino expers fuit. Hæc Bracelleus. in cuius uerbis nimirum & dictio Saxoniæ deprauatè legitur, & pro eadem Sueuiæ reponi debet.

Quo autem certius teneatur, qua in prouincia aut natione Altdorffium illud fuerit, quod Otho Frisingenſis Vuelffonib. natale solum facit: adijciẽdus est Hermãni Contracti locus, qui in rebus gestis sub Henrico Tertio Imperatore, Anno Sal. M.XLVII ita scribit: Idem Imperator eo tempore Vuelffum Comitem Sueuigenam, Vuelffi dudum Comitis filiũ, Carentani Ducem promouit. Ab Iacobo Vimphelingo, homine Germano & docto & diligente, alia expectassem super Guelffis et Guibellinis, quàm scripsit in Epitome rerũ Germanicarũ cap. XXXVI.

Pag. 422. uers. ult.

242 Pluribus cladibus adflictis Mediolanenſib. Viterbium, Fauentiam, Perusium, Cremonam deuicit.) Nihil hic quidem est mendarum, sed quia res gestas multas ac maximas Cuspianus nimium breuiter perstringit, neq; ullo annorum numero discernit, libet ex Pandulphi Collenutij Ferrarienſis lib. 4. historiæ regni Neapolitani integrum caput nonum, quo eam pugnam, qua Friderichus fœderatos Longobardos apud Curiam nouam ingenti clade adfecit, memorat, Latinitate donare, & huc adijcere: sperans eum locum cum primis nostræ professionis ac nationis hominibus hoc quoq; nomine gratum fore, quòd graphicè describit, quid olim fuerit carociũ. Ego quidem apud Baldum & alios Iuris nostri interpretes, ubi tractant locum aliquem uarijs controuersum opinionibus, sæpissimè legi dicentes: Tu adhæreas carocio, id est glossæ: sed quid carocium esset, aut qua similitudine pro glossa positum, in hunc usq; diem non habui explicatum. Collenutius uerò hunc ad hunc modum narrat.

De magna uictoria Friderichi contra Mediolanenſes, & alios Longobardos, & quomodo illorum cœperit Carocium, & quid Carocium fuerit.

Post hæc mense Nouembri anno M. CCXXXVII. Friderichus secundus commisit graue prælium in loco dicto Curia noua, ubi omnes Longobardi fœderati, puta Brixiani, Placentini, legatus Apostolicus & alij se coniunxerant. Eo in prælio ipse Friderichus summam uirtutem sui corporis labore ostendit, & perrupit ac dissipauit fœderatos Longobardos, cœpitq; carocium Mediolanenſium: & cum ipso Magistratum eorundem, dictum Potestatem, qui caput quidem erat fœderis, nomine Petrus Tiepolus, nobilis Venetus, filius Iacobi Tiepoli, tum Ducis Venetiarum: eumq; Friderichus captiuum misit in Apuliam. Parta autem tam insigni uictoria, ingressus est Cremonam ad modum ducis triumphantis, ducens secum carocium, super quo erat deligatus Potestas, altero brachio ad lignum in sublime reuincto, laqueum collo ferens, & uexillis Longobardorum conuolutis inter captiuos sequentes carociũ incedentibus. Trahebatur uerò carociũ ab elephanto, & super eiusdem castello, ex lignis adfabrè exstructo, residebant tubicines, unà cum Friderichi uexillis explicatis, et loco maximè conspicuo suffixis. Et his eum ad modum antecedentibus, in signum uictoriæ sequebatur cum copijs suis ipse Friderichus. Ea uictoria planè talis fuit, ut in epistola quadam eo ipso tempore cuidam de significando eo prælio scripta, Latina hæc uerba inuenerim: Hæ occisis nõ sufficiunt sepulturæ, nec Cremonæ palatia multitudinem capiunt captiuorum. Cæterùm ipse Friderichus in quadam epistola, ad collegium Cardinalium de gaudio huius uictoriæ scripta, non meminit præterquam de decem milibus hominum, simul & ca-

Carociũ quid. ptorum & cæsorum. Nunc porrò ut plenius omnia cognoscantur, sciendum est, carocium fuisse genus carri, quo tum utebantur in Italia, ualde quidem amplum, & à multis boum iugis trahi consuetum, circumdatum undequaq; gradibus ad modum tribunalis aut suggestus, pulchrè elaboratum, & multo ornatu excultum: eoq; gestabantur signa & uexilla populi, cuius id erat carocium, simulq; ciuitatum fœderatarum: & erat carocium in exercitu perinde ac prætorium quoddam, seu tribunal, ad quod se recipiebant milites tanquam ad munitionem, & locum potiorem totius exercitus, & in quo ipsi magistratus uniuersum robur, & pars melior copiarum ueluti in subsidio consistebant. Atq; tum quidem prorsus censebatur exercitus fusus & superatus, quando deuincebatur carocium. Præ omnibus autẽ alijs inuenio Mediolanenses, Bononienses, Parmenses & Cremonenses hoc genere carri multum usos: & fieri id solitum in signum fœderis, & quo minus essent ad fugam prompti, nimirũ conspicientes præcipuũ robur exercitus, & uexilla haud facilè suo loco posse moueri, aut aliqua celeritate se pugna subtrahere, ob ipsius scilicet ædificij molem. Taleitaq; erat carocium à Friderico in triumpho Cremonã ductũ.

Pag.425.uers.15.

143 Anno imperij trigesimosecundo, ætatis uerò quinquagesimo septimo.) Hunc locum esse depravatum, aut saltem pugnare cum ijs quæ suprà Cuspinianus ipse non uno loco scripsit, exposuimus nos Annotat. 1. in hunc Friderichum: pro XXXII, reponentes XXXVII.

Ibidem, uers.18.

144 A Manfredo adolescente spurio ex concubina eius, nobiliori iniecto puluino suffocatus est.) Quius etiam puer uideat, ineptè hic distingui ante nobiliori. Sed cur matrem Manfredi appellat concubinam nobiliorem? An non satis erat, nobilem uel illustrem dixisse? An quia Montisferrati Marchionissa, uti ipse quoq; author sub finem sequ. Paginæ id adserit, ideo quam Principis Antiochiæ filia, quæ & ipsa huic Cæsari concubina fuit, nobilior erat? Mihi quidẽ uidetur librarius dormitator duas dictiones in unam contraxisse perperàm, atq; à Cuspiniano ita fuisse scriptum: Manfredo adolescente spurio ex concubina eius nobili, ori iniecto puluino, suffocatus est. Iacobus Aluarotus initio tituli, De pace tenenda, in Vsibus feudorum, huius Cæsaris mortem referẽs, pro puluino usurpat uocem Germanicã, inquiens: Manfredus filius suus naturalis, timens ne conualesceret, cußino super facie posito, suffocauit. Cæterùm super ueritate huius rei (quanquam & P. Iouius initio uitæ Matthæi Magni Vicecomitis eandem adfirmet) plenius consule ea quæ ex Pandulpho Collenutio scriptore Italico ad calcem huius Friderici nos uertimus, atque adiecimus.

Pag.426.uers.8.

145 Licet quidam condemnant Leopoldum, Henrichi prędicti filium, cognomento Virtuosum.) Paulo accuratius hanc periodũ intuenti, dubium esse non potest, ab authore scriptũ fuisse contendant, ac uerbum Condemnant hic nullum habere locum: id quod Hædio quoq; repudiauit. Obseruatu autem dignum est, quòd mox narrat Cuspinianus, quum hic Friderichus secundus Imp. Archiducatum Austriæ instituerit, ac priuilegijs donarit, neminem tamen ex stirpe uel Leopoldina, uel Habspurgiana per annos ferè centum, eo unquam titulo fuisse usum, usq; ad Rudolphũ Quartum, Alberti regis nepotem, & Rudolphi Cæsaris pronepotem, uti author ipse infrà pag. 459. uer. 7. in uita Alberti regis memorat.

Ibidem uers.27.

146 Alteram Iolen, Ioannis Comitis Bronæ, & regis Hierosolymitani filiam.) Vtbie locus legatur emendatius, pleniusq; intelligatur, uertam & apponam ex Pandulpho Collenutio, quæ is in historia de regno Neapolitano lib.4.cap.7. eadẽ de re lingua Italica ita scripsit: Eodem tempore Soldanus Damiatam in Aegypto, & Hierosolymam receperat, Christianos in Syria grauißimè persecutus. ut narrant historiæ Orientales. Eaq; de causa Ioannes Comes de Brenna, rex Hierosolymitanus, anno Sal. M. CCXXII. Romã uenit, auxilia implorans. idq; tandem apud S. Pontificẽ effecit, ut Friderichũ Cæsarem in bonam ipsius gratiam reponeret, nimirum quò posset eius niti ope in recuperanda Syriam Friderichi longè maxima erat eo tempore potentia, & nomen per uniuersum orbem celebre. Et quo amplius ipsum Friderichum ad eam rem sibi deuinciret, dedit ei in matrimonium filiam unicam, nomina Yolantam, cuius & nuptiæ Romæ sunt celebratæ. Et cum hac uxore Friderichus in dotem accepit titulum & omne ius quod Ioannes in regno Hierosolymitano sibi arrogabat: indeq; cœpit, quod quidam dicunt, ut omnes reges Neapolitani titulũ Hierosolymitani quoq; regni sibi usurpauerint: quã quam nos inferius suo loco aliam eius rei proferemus rationem. Hæc Collenutius: cuius rationem illam alteram mox infrà initio Annotationis 248. à nobis Latinitate quoq; donatam uidere licet. Idem author cap.4. eiusdem libri, narrans quo pacto Sibylla uidua Tancredi Nordmanni regis Siciliæ, filiã suam natu maximam consilio Philippi regis Franciæ, desponderit uxorem Gualthero de Brenna, eius familiæ patriam & domicilium his uerbis planè exponit: In eo conuentu, scilicet per regem Franciæ apud Meldunum contracto, inter alios barones aderat quidam percelebris eques auratus è Campania, homo è nobili familia, & magni animi, cæterũ egregiè inops, nomine Gualtherus de Brenna: è quodam oppido sito in Comitatu Barri, super flumine Aube, qui filius erat Comitis Girardi de Brenna, & frater Ioannis de Brenna, postea regis Hierosolymitani, de quo infrà suo loco narrabimus. Hæc quoq; Collenutius, memorabili mox historia attexẽs, quo modo

modo Gualtherus ille Francus glorioſus paulo poſt in regno Neapolitano, quod uxoris nomine repetitum ibat, ab Theobaldo quodam Comite è Germania, intempeſtiuo & nimio ſuo faſtu, ultro ſibi exitium adſciuerit.

Pag. 427. uerſ. 7.

247 Tumulatur in diui Dominici tẽplo marmore aurato, hac inſcriptione.) Poſt quatuor huiuſce inſcriptionis uerſus literis maiuſculis exaratos, deſiderari narrationem ipſam, ac ſequentia parum cohærere, quæ & ipſa maiuſculis excuſa oportuit, facile quiuis deprehendit. Sed Cuſpinianus ideo fortaſſe omiſit, quòd iam ipſe ijſdem uerbis iſtã rem expoſuerat. Facturus ego operæ preciũ uidebar, ac lectori ſtudioſo non ingratũ, ſi totam inſcriptionem, uti hodie extat Bononiæ inſtaurata, hic inſererem, ut quidem ipſo ex ſaxo deſcriptã integerrimus lurecos. Chriſtophorus Clammerus, Cæſarei fiſci aduocatus, amicus noſter, aliquando exhibuit, hac ſcilicet forma.

CHRISTO OPT. MAX.

Viator quiſquis es, ſiſte gradum, & quod ſcriptum eſt perlege: ubi perlegeris, penſita. Homo is cuius cauſa ſcriptum eſt, fieri rogat. Orto inter Bononienſes & Mutinenſes bello, Cæſar Fridericus II. Romanorum Imperator, filium Hentium, Sardiniæ ac Corſicæ inſularum Regem, Mutinenſibus ſuppetias ferre iubet. Qui inito apud Diui Ambroſij pontem certamine, à Bononienſibus capitur, nullaq; re ut dimittatur impetrat. Cum pater minis, dein precibus & precio deprecatoribus uteretur, cum tantum auri pro redimendo filio polliceretur, quantum ad mœnia Bononiæ circulo aureo cingenda ſufficeret. Sic captiuus XXII annos, menſes IX, dies XVI tenetur, alituṙq; regio more, publica Bononienſiũ impenſa. Defunctus magnificentiſſime, ac pientiſſimè funeratus, hic tumulatur. Præterea ſimulacrum hoc in perpetuum monumentum & hoſti & captiuo S. P. Q. B. poſ. Anno Sal. M. CCLXXII. II. Idus Mar. Hoc uolebam ut ſcires. abi & uale. Inſtauratum ære publico, authoribus Io. Franciſco Aldromando dictatore, conſulibusq; Menſium Ianuar. & Februar. M. CCCCLXXXX. Prid. Cal. Mar. Sarnapeus edidit. Ex his autẽ quæ paulo ſuprà Pag. prox. uer. 49. Cuſpinianus ſcribit, nempe ex Blanca Marchioniſſa Montisferrati concubina Friderico natum alterũ filium nothum Encium, ab alijs Hencium appellatũ, quod idem eſt in lingua Germanica cum Henricho, qui uulgò breuitatis cauſa (et ut Germani natura ſolent omnia uerba monoſyllaba aut habere, aut facere) Heinz dicitur, ſatis conſtat, Paulum Aemiliũ li. VII de geſtis Francorũ, uana coniectura pro Encio ſuppoſuiſſe Laurentiũ Sardiniæ regem, Friderichi ſecundi Cæſaris filium.

Ibidem, uerſ. 18.

248 Ex filia Antiochiæ concubina genitus.) Quæ fuit illa quæſo mulier, Antiochiæ nomine, cuius filiam Fridericus concubinam ſibi uſurpauit? Ego dicerem hic ab amanuenſe malè prætermiſſam uocem principis. Nam Antiochiæ principes in ſuperiorum ſeculorum hiſtoriographis ſæpe leguntur: & Friderichо illuſtres fuiſſe concubinas, teſtis eſt Blanca illa Montisferrati Marchioniſſa, Manfredi mater, de qua paulo antè relatum extat.

Atq; hanc noſtram ſententiam inueni poſtea apud Pandulphũ Collenutiũ, iureconſultum & equitem Ferrarienſem, lib. 4. hiſtoriæ regni Neopolitani, quã is lingua uernacula Italica accuratè & fide optima ante annos fermè ſexaginta conſcripſit, ita relatã, ut appareat hunc Friderichum illegitimũ Friderichi Imp. II. filiũ, fuiſſe principẽ Antiochiæ dictũ, fortaſsis ex matris iure ac titulo. Collenutij narrationẽ uertere atq; adijcere libuit, tum quia memorabilẽ apud Florentiã inter Guelphos et Gibellinos ſeditionẽ paucis cõplectitur: tum quia eandem prorſus ſilentio præterijt in annalibus Matthæus Palmerius, Florentinus quidem ille, ſed ubiq; Friderichi ſecundi impudentiſſimus calumniator. Collenutius igitur ſcribens Friderichо Imperatori, dum condita urbe Victoria Parmenſes obſidet, duplicẽ felicẽ nũciũ allatum, ita narrat: Alter nuncius adferebat, menſe Ianuario anni M.CCXLVIII, Guelpham & Gibellinam factionem arma ſumpſiſſe, atq; alterã alterius ædes incendiſſe, ita ut mille ædes igni abſumerentur. Cæterùm à Gibellinis in auxilium accerſitũ Friderichum principem Antiochiæ, qui cum eſſet gubernator Thuſciæ, duobus ab urbe miliarib. aberat, & urbem ingreſſus nomine patris ſui Imperatoris, eandẽ diripuerat. Vnde Guelphi attoniti relictis bonis, uxorib & liberis, Bononiã ſe receperant: & quia nolebant Florentiã redire & fidelitatis ſacramentum præſtare, bonis fiſco adiudicatis, et euerſis domibus banno fuere proſcripti, et Florentia ſub iugũ Imperatoris redacta. Hæc ibi Collenutius. qui et poſt aliquot paginas, memorans quid Friderichus nuper à Parmæ obſidione deiectus, porrò agendũ ſibi ſtatuerit, hoc modo ſcribit: Anno M.CCXLVIIII. menſe Aprili, exceſſit Lõgobardia, in Apuliã profecturus, et Auguſto proximo reuerſurus in Longobardiam. Itaq; Thuſciã tranſiens, inuenit principẽ Antiochiæ filiũ ſuũ unà cum Florẽtinis, caſtrametatis ante Caprarã, quò ſe receperant Guelphi, ipſi rebelles, qui et uniuerſam Thuſciã ad defectionẽ ſollicitabãt, etc. Hi autẽ loci, itemq; alius his planè conſentiẽs, ſub finẽ cap. 13. eiuſdẽ li. 4. ac deniq; alius quidã ipſo in calce li. 3. de Antiochiæ principib. memorans, prorſus conferendi ſunt cum eo, quod idem Collenutius lib. 5. cap. 3. ſcribit: nimirũ de puella Maria, filia principis Antiochiæ, quæ anno Sal. MCCLXXVI, Carolo ſecundi nominis primo regi Neapolitano, fratri Diui Ludouici regis Francorũ, omne ius quod ipſa habebat in regno Hieroſolymitano donauit. unde et is ſe regẽ Hieroſolymitanũ coronari uoluit, et reges Neapolitani in hũc diẽ oẽs eum ſibi uſurpant titulũ. Totã uerò illam narrationẽ Collenutius hoc modo claudit: Quis autẽ fuerit pater iſtius puellæ Mariæ, & qua ex cauſa ipſa ſibi quicq; iuris in regno Hieroſolymæ uendicauerit, equidẽ hactenus nõ legi. Boni

uiri officio fungetur, qui hoc aliquãdo inuentũ, huic historiæ adiecerit. Hæc ille. Mihi, ut ingenuè fatear, nihil amplius quàm ipsi Collenutio hucusq; cõpertũ est. Et quia Cuspinianus noster super hoc Friderichо II. in uberrimâ scribẽdi materia uix potiora carptim degustauit, uolui locũ quoq; aliũ eiusdẽ Pandulphi Collenutij ex eodẽ li. 4. historiæ regni Neapolitani integrũ latinitate donare, et nostræ nationis hominibus, qui linguã uel italicã uel Gallicã (nam et in eã nuper à Dionysio Sauuagio cum primis nitida orationis puritate cõuersus est) nõ norunt, uel authores quosdã à Collenutio citatos (puta Andreã Dandolũ ducẽ Venetiarũ, Maynardinũ episcopũ Imolensem, et alios) nõ magis quàm ego uiderũt, uelut auctariũ huc adijcere. Præterq; enim quòd in hoc Cæsare Cuspiniani narrationes quasdã is Collenutij locus pulchrè uel supplet, uel declarat (nominatim et hoc ipsum quod de principe Antiochiæ nunc in manu est, iterũ attingens: ac præterea exhibens illustre exemplum, fatidicos spiritus nõ consulendos homini Christiano: & Friderichi huius insignẽ pietatẽ, prudentiam singularem, & opes immensas clarè memorãs) potest interim quoq; plurimũ cõmodare ad ea quæ mox in Conrado, & infrà in Ludouico Quarto de impotenti et nunquã expiabili Romanorũ pontificum in optimos Imperatores odio differentur. Malo enim potifecijs assentatorib. si quis fortè horũ cõtra hæc latrare cupiat, hominẽ Italũ, et qui ante annos fermè sexaginta scripsit, opponere: ne si nostræ gentis, aut huius seculi quãuis probatos, sinceros et pios scriptores producam, ipsi quo iure qua iniuria mox Lutherani probro tela omnia conentur repellere. Nõ ignoro, à Conrado Gesnero in Bibliotheca, Pandulphi Collenutij cõpendiũ historiæ Neapolitanæ excusum typis referri: atq; inde uideri id opus iam antè latinũ extare, cum non nisi latinos scriptores ille recenseat: sed quia alijs ipsius multo minorib. lucubrationib. suas officinas, in quib. excusæ fuerint, disertè adijcit, unà uerò in hac tacet, in eam fermè trahor sententiã, ut magis credã Gesnerũ de Italica Collenutij scriptione excusa aliquid cõpertũ habuisse, quàm Latinã eiusdem uersionẽ usquã uidisse extare. Illud equidẽ satis cõstat, Sauuagio interpreti Gallico, paucos etiã antè annos, nõ magis quàm mihi (huiusmodi historias quãuis diligenter coemere solito) ullius Latini exemplaris fuisse copiã: ut appareat eã historiã, etsi Latinè fortassis extet, tamẽ paucis hodie esse cognitã: ideoq; nostra uersione, quantũ ad Cuspiniani illustrationẽ inde excerpimus, ac nostratib. passim cognitum cupimus, haudquaquã esse indignam. Collenutij igitur narratio magis fide bona quàm eleganti sermone à nobis uersa, hunc ad modum habet.

DE MORTE FRIDERICHI IMPEratoris, & regis Neapolitani, eiusq; testamento. Cap. XVI.

Hoc stratagemate tam feliciter cõfecto, Friderichus relinquens sancti Miniati oppidũ, rectà Senas cõtendit, Florentinorũ territorũ nusquã attingens: atq; inde Foggiã in Apulos, anno salutis M.CCL. ubi cognouit filiũ suum regem Sardiniæ à Mutinensibus in auxiliũ uocatũ contrà Bononienses, duobus milibus passuũ à Mutina fortiter dimicantẽ, ab eisdẽ esse captum, & Bononiã abductũ in custodiã mense Maio. Ideoq; legatũ Apostolicum, cæterosq; pontificios unà cum Guelphis uastare Longobardiã, Romaniã et Thusciã, puta liberos omni metu ob ipsius Friderichi absentiã, et Hencij regis Sardiniæ captiuitatẽ: tum uero et omnes præsides Imperiales rebellare et deficere, partim ad proditionẽ illectos, partim uiadactos, aut transactione permotos. Vnde Friderichus maiore animo quàm unquam antea statuit cõtrahere et pecuniã et copias, ut in Longobardiam reuerteretur. Nec quicquã dubito, perfecturũ fuisse res longè maximas, nisi terminus omnibus mortalibus ex æquo cõmunis, infelici isto anno, & ipsius conatibus tum maximè aduerso, cum minimè putaret et timeret, ipsum prohibuisset. Cum enim esset in ipso floreuirilis ætatis, et prorsum uegetus: ac quidam hariolus, qui spiritũ familiarẽ sibi iactabat adesse, ipsi prædixisset, moriturũ eum aliquando super territorio Florentino: credebat nuspiã se alibi moriturũ q̃ Florentiæ, aut in eiusdẽ urbis territorio. Itaq; extrema ida de Thuscia in Apuliam profectione omni studio terrã Florentinã uitauerat. Sed tandẽ cognouit se deceptũ: nimirũ cum febri grauiter decũberet in arce quadã sex milibus passuũ distante à Luceria, quod Florentinũ uocabatur, uti princeps singulari sapientia et ratione sublimi præditus, reminiscens et prædictionis harioli, & nominis Florentini, intellexit finẽ uitæ sibi adesse. Qua de causa primũ peccata sua recognouit, atq; inter manus Archiepiscopi Panormitani, et cõpluriũ aliorũ religiosorũ, cõsilioq; quorundã hominũ sapientum, se addixit obedientiæ sacrosanctæ matris nostræ Ecclesiæ, iurans se omnibus eiusdem præceptis obtemperaturũ et staturũ: simul, uti bonũ decet Christianũ, tanta cõtritione & pœnitentia confessus est, ut Maynardinus episcopus Imolensis, qui plurima de eo conscripsit, narret, ex tali confessione credi posse, ipsum hominem fuisse à Deo electũ. Itẽ Guilielmus de Puteo in suis Chronicis, et Dandolus sua in Historia scribunt, quòd Friderichus pœnitens super peccatis suis, sub mortẽ interdixerit aulicis suis, ne funus ei lacerent tam sumptuosum et magnificũ, quàm solet esse Imperatoriũ. Post hæc testamentũ condidit, in quo legauit multa milia unciarũ auri militibus Templarijs, Hierosolymitanis, et Hospitalarijs S. Ioãnis: ueluti cõpensationem faciens eorum fructuũ, quos debitos ex ipsorũ beneficijs in regno sitis, per bella nunquã potuerant percipere. Reliquit et aliã ingentẽ summã pecuniæ ad Terræ sanctæ recuperationem, quæ quidem summa impẽdenda esset iuxta prædictorũ militũ arbitriũ ac prouidentiã. Condonauit culpam magna cordis contritione omnibus suis inimicis et rebellibus, imperioq; malè fidis: exceptis solis regni sui subditis, qui

Itaq; apud Matthæũ Palmeriũ in annalibus, pro Tarentinum repone Florentinum: scilicet sub anno 1250.

qui non dicenda ingratitudine proditionē in ipsum fuerant moliti, ipsorū crimina iusticiæ arbitrio cō mittens. Præterea filijs suis præcepit, ut omnes captiuos, ubicunq; locorum ipsius iussu detinerentur, liberos abire sinerent: insuper disponens, ut omnes ditiones ad Ecclesiam spectantes, eidem cum omnib. iuribus & pertinentijs liberaliter restituerentur. Filium suum Conradum, regem Germaniæ, uniuersalem hæredem in regno Neapolitano, atque toto imperio Romano constituit. Henrico filio suo legitimo secundogenito, præter centum millia unciarum auri, reliquit regnum Siciliæ ultra Pharum: id quod tamen iuxta Conradi arbitrium possidere debebat. Friderico nepoti suo, legitimo filio Henrici filij ipsius primogeniti in carcere defuncti, reliquit Ducatum Austriæ, cum decem milibus unciarum auri. Manfredus filius eius naturalis, princeps Tarenti, confirmatus fuit per ipsum gubernator in annos decem, omnium ditionum Imperalium, quæ sunt à Papia usq; Tarentum: totoq; in regno Apuliæ Conradi uicarius, donec ipse Conradus præsens adesset. Denique filijs suis omnibus præcepit, ut Conrado, tanquam uero Regi & Imperatori, in omnibus rebus obedientiam & fidem præstarent. Et sic quidem erga Deum & mundum suo functus officio, nimirum reddens Cæsari quæ sunt Cæsaris, & animam suam quæ à Deo uenerat, Deo commendans, deuotè ex hac uita in aliam migrauit, cum uixisset annos quinquaginta quatuor, & trigintatres Imperium tenuisset. Atq; hoc modo obijt Friderichus: ut reijciamus falsam istorum opinionem, qui scriptum reliquere, fama circumlatum, à Manfredo filio naturali mortem eius acceleratam, ut qui ipsum culcitra plumaria suffocarit, quam ori eius iniecerit. Hoc enim nec possibile, neq; ulla ratione uerisimile est: & contrarium apud quosdam homines ecclesiasticos, qui eo tempore uixerunt, scriptum inuenitur. Obijt autem die S. Luciæ sacro, puta decimotertio Decembris, Anno M. C C L. in arce cui nomen Florentino, in Apulia: & non Florentini in Campania Romana, neque in territorio Florētinorum. Idq; ipsum potest esse loco exempli, sed non admodum noui, impostura spirituum diabolicorum, & fatalis necessitatis & prædestinationis, dum Friderichus Florentiam fugiens, tamen haudquaquam mortem effugere potuit: & spiritus uaticinator sub confusione unius nominis, cæterùm pluribus rebus communi, eius curiositatem fefellit. Defuncti corpus filius Manfredus insigni pompa & honore portari curauit ad Montem regalem supra Panormum in Sicilia, ubi honorificè fuit sepultus: & in testimonium uirtutis & magnitudinis ipsius tres uersus insculpti, à presbytero quodam Aretino compositi, & prælati compluribus alijs epitaphijs, quæ uiri literati eius temporis illuc afferebant. & recinunt ij hunc in modum:

Si probitas, sensus, uirtutis gratia, census,
Nobilitas orti, possent obsistere morti,
Non foret extinctus Friderichus, qui iacet intus.

De uita Friderichi in uniuersum.

Postquā igitur de hoc inclyto rege narrauimus, quantum quidem ad pertexendam historiæ nostræ de regno Neapolitano seriem uidebatur necessariū, haud alienū fuerit, si ob honorem uirtutis eius, quasi epitome quadam super eodem reliqua colligamus: tum quia uir fuit longè præstantissimus, tum quia diuersa de eo scripta extant, scilicet uno ipsum laudante, alio uituperante. Nam factionis Ecclesiasticæ quicunq; scripta reliquerunt, ut persecutorem Ecclesiæ criminati sunt. Vtcunq; uerò hoc sit, authores probati, & homines sancti, dicunt eum fuisse pulchrum & corpore scitè formatum, iusta & quadrata statura, membris decoris, capillo subruffo, oculisq; lætis. Prudētia naturali erat præditus insigni, & prouidentia omnes homines sui seculi antecellebat, præclarus artifex in omni scientia mechanica, si cui fortè ingenium intendere licebat: egregiè literatus, & complurium linguarum peritus. Loquebatur enim Latina, uernacula Italica, Germanica, Gallica, Græca, & Saracenica. Magnificus erat, liberalis, fortis, & optimam referens gratiam benefactis & seruitijs eorum qui fidem ipsi seruabant: & uicissim asperrimus in uindicta proditorum. In omnibus potioribus oppidis regni Apuliæ, & insulæ Siciliæ, tot splendida curauit exstrui ædificia, ut nimis prolixum fuerit ea omnia recensere. Verùm inter alia cōdidit in Brutijs ciuitatem Aquilam, Neapoli arcem Capuanam, turrim & pontem Capuæ, arcem Tranensem: in Thuscia arcem Prati, et arcem Sancti Miniati in rupe edita: consimilem in rupe Cesenæ, Berinori, Fauentiæ, & Ceruiæ, atq; hinc inde palatia & templa. Leges complures edidit pro honore religionis Christianæ, & libertate Ecclesiastica conseruanda, & tranquillitate Italiæ, commodo agricolarum, & mare nauigantium: item pro scholasticis et literatis, quos præcipuè amabat. Suntq; omnes ipsius Leges insertæ & approcatæ in quodam libro iuris ciuilis, qui uocatur Codex Iustinianeus. Præterea librum composuit, qui itidem receptus est, & in omnibus Academijs prælegitur, inscriptus de Vsibus feudorum, siue Collatio decima: & similiter librum dictum Constitutiones regni. Curauit quoque eas fieri translationes operum Aristotelis, & scriptorum medicinæ, ex lingua Græca & Arabica, quæ in hunc usque diem in scholis lectæ sunt, atque etiamnum leguntur: & Bononiam easdem misit, ut Academiæ offerrentur, quod eius ex epistolis apparet. Instituit Academiam Neapolitanam cum multis priuilegijs, quæ ipse uidi & legi, eoq; adsciuit omnium disciplinarum doctores. Semper circum se habere consueuit aliquot uiros eruditos, inter quos fuit præfectus generalis domus Roffredus Beneuentanus, unus è nostris iuris interpretibus,

bus, cuius opera adhuc hodie habentur in manibus. In armis fortißimus fuit, animo inuicto: & ex aucupio incredibilem capiebat uoluptatem. Quòd autem magno, adeoq; unico ipsi dabatur uitio, hoc quidem erat, quòd nimius erat in amore mulierum, & plures habebat concubinas, & ubique locorum secum trahebat gregem formosarum puellarum. Tres habuit uxores, unam quidem post aliam: nempe Constantiam, sororem regis Castiliæ: Yolantam, filiam regis Hierosolymitani: & Isabellam, sororem regis Angliæ: è quibus omnibus liberos suscepit, ut in præcedentibus potuit cognosci. Liberos multos habuit, tam legitimos quàm bastardos: ex Constantia Henricum primum, qui fuit rex Germaniæ: ex Yolanta Conradum, qui post ipsum rex fuit Neapolitanus: ex Isabella Henricum, regem Siciliæ, prima ætate defunctum. Inter bastardos fuit Encius rex Sardiniæ, Manfredus rex utriusque Siciliæ, Friderichus princeps Antiochiæ, & plures alij, de quibus suo loco arborem concinnabimus. In diuitijs potentißimus fuit: ut qui suprà iura Imperij, quod obtinebat, rex esset utriusque Siciliæ per matrem, rex Hierosolymitanus per uxorem, rex Germaniæ per electionem, dux Sueuiæ ex patrimonio maiorum suorum. Inter tot dona, totque gratias à Deo concessas, habitus & dictus fuit persecutor Ecclesiæ: id quod uerisimile quidem uidetur propter sententiam ab Innocentio Papa eius nominis quarto contra ipsum latam, quæ canonisata est, & approbata in libro Sexto Decretalium. Ideoque bonum fortaßis esset plura super eo non dicere: attamen ut apparet ex eius gestis suprà memoratis, pluribusque alijs rebus quas inuenire licet à claßicis authoribus scriptas, & quantum iudicari ex epistolis, & desumi ex scriptis eius potest, nescio equidem an ipsum Ecclesiæ persecutorem ideo pronunciari fecerint, quòd ueritatem dixerit hominibus Ecclesiasticis, & ostenderit longißimo interuallo ipsos uitam & sanctos mores Apostolorum haud quaquam sequi: an quia uoluerit propugnare & tueri iura Imperij sui, an uerò quia ipsis inuitis nimium potens esset in Italia. Ego censuram huius rei ijs committo, qui eius gesta priuatum citra animi adfectum legent. Cæterùm ubi cogito à IESV CHRISTO, cuius Papæ sunt uicarij, ipsis dictum esse, uti se imitentur, & tanquam præceptorem, cuius sint discipuli & ministri, sequantur: ac præterea ab eodem iussos gladium suum reddere uaginæ, & culpam inimicis non tantum septies, uerùm septuagesies septies condonare: tum quidem prorsum eregione horum omnium uideo tantum insidiarum atque perfidiæ aduersus Friderichum, tot legatos, uiros Ecclesiasticos, dictos pastores, in regno, in Marchia, & Romania contra ipsum emissos, tot oppida huius rei gratia direpta & destructa, tantum Christiani sanguinis effusum, ut considerando inter hæc omnia tamen ipsum semper uictoriosum, & uicissim qui à Pontificibus summis erant aduersum ipsum delecti, fuisse infortunatos, malè consultos, & denique neci datos: haud equidem scio aliud quidquam adferre, nisi planè uerum esse id quod scribit Papa Pius in historia Austriæ: scilicet, non fieri ullum insigniter grande malum in Ecclesia uniuersali, quod non exeat, & initium suum capiat à presbyteris: aut certè iudicia Dei nimis esse ardua, & nobis occulta. Legi sanè multas Friderichi epistolas ad Papam, Cardinales, diuersos principes Christianos, & homines quoque priuatos scriptas: sed in eis profectò non licet inuenire quicquam substantiæ fidei nostræ contrarium: nihil ibi extat hæreticum, nihil in contemptum sanctæ Ecclesiæ, nihil quod factionis aut rebellionis odorem ullum habeat. Inuenio quidem querelas, lamentationes & admonitiones super auaricia & ambitione cleri, super odio pertinaci Papæ (iustas excusationes, & iura Imperij auscultare nolentis) & super conspirationibus, quæ in ipsum concinnabantur. Si cui libet contemplari ueritatem harum rerum, & uirtutes magnorum Principum: is legat unam ex eius epistolis, scriptam ad omnes Principes Christianos, cuius initium est, Collegerunt Principes Pontifices & pharisæi concilium, &c. Et aliam scriptam collegio Cardinalium, consulens illis ut discordiam inter Ecclesiam & Imperium dissuadeant. initium eius hoc est: In exordio nascentis mundi, &c. Et præterea aliam quæ incipit, Infatibilis ueritatis testem, & supremæ iusticiæ iudicem obtestamur, &c. In qua summatim hoc dicit: Nobis nihil quidem est discordiæ cum sacrosancta nostra matre Ecclesia, sed propulsamus iniuriam atque uim istius Papæ Romani, tuentes iura imperij nostri: & interim semper desideramus pacem cum ipso habere, quam & hodie desideramus. Quinimo & alia legatur eius epistola ad principes Christianos scripta, in qua fermè sensus horum uerborum inuenietur, quæ ego huc adieci magis ob ueritatem quàm elegantiam, & quia homo quispiam ingeniosus ea aliquando possit percommodè in usum proferre, uti huic nostro seculo pulchrè conuenientia. Sensus talis est: Credite ea quæ legati nostri uobis attulerunt, & tam certa habete quàm si ipse sanctus Petrus eádem iuratus adfirmasset. Sed quicquid nos dicamus, ne existimetis per sententiam contra nos prolatam, quæ è dignitate nostra nos conatur deijcere, magnitudinem Imperialis maiestatis deprimi: quoniam conscientiam puram de eo quo insimulamur, & proinde Deum nobiscum habemus: quem ipsum & in testimonium uocamus, nostræ uoluntatis haud aliam esse intentionem, nisi ut omnem clerum, cuiuscunque sit professionis, & præcipuè sublimiores, inducamus, quò tales in fide perseuerent, quales olim in primitiua fuerunt Ecclesia, dum sequebantur uitam Apostolorum,

& humilitatem domini IESV CHRISTI imitabantur, quo tempore solebant conspicere angelos, facere miracula, sanare ægrotos, suscitare mortuos, & deuincere Principes, non quidem armis, sed uitæ sanctitate. Cæterùm qui hodie uiuunt, homines sunt mundo addicti, affluentes delicijs & uoluptatibus, qui Deum post tergum abijciunt, & abundantia diuitiarum suarum Christianitatem suffocant. Oportet igitur ipsis adimere opes superfluas, quæ eis sunt & noxiæ, & degrauant ad damnationem, omniq; à charitate abstrahunt. Ad quod opus uocamus simul nobiscum adesse omnes Principes, scientes quòd ij qui superflua relinquunt, & modico sunt contenti, Deo benè seruiunt. Vt igitur Deo possint benè seruire, debetis omnem adhibere operam, ut quod nimium est, ipsis præcidatis, &c. Fieri potest ut his de causis Prælati putarint, Friderichum promeritum esse nomen persecutoris Ecclesiæ: super quo, ut suprà dicebamus, iudicium nos alij permittimus: atque ei quod de Friderichо secundo in narrationem uenit, hoc loco finem facimus. Hæc omnia Collenutius: quæ quidem Gregorij noni & Innocentij quarti in Papatu successores, modis omnibus magis uitiosi, & eisdem artibus studijsq; pernicioſis in optimos Principes plerique omnes grassati tam illustria, certaq; fecerunt, ut hodie in uniuerso orbe Christiano non sit tam cæcus aut stupidus quisquam, quin & superiora illa sub Friderichо secundo gesta clarè uidere ac dijudicare possit. Quia uerò ex superiore Collenutij narratione, præsertim super testamento Friderichi, perspicuè apparet, de numero ac nominibus filiorum ipsius Friderichi, & qua quisque matre natus fuerit, ipsi haudquaquam conuenire cum Cuspiniano, à quo & alij quidam scriptores, neque minus ipsi ijdem inter se dissentiunt: facturum me operæprecium, & lectori non ingratum opinor, si paucis ostendero, quid nobis in unaquaque harum controuersiarum saltem uerosimilius uideatur. Primùm narrat Collenutius, Friderichо duos fuisse filios, Henrichos nomine: cum Cuspinianus ubique de uno tantum scribat. Ego Collenutio fidem non facilè equidem abrogo, ut qui historiographos quosdam Italos uulgò non cognitos, & ipsi Friderichо, qui non minores, neq; pauciorib⁹ annis res in Italia quàm Germania gesit, synchronos, in colligenda historia sua Neapolitana consuluit: imò eo amplius fidei tribuo, quòd etiam apud doctißimum & diligentißimũ historiarum scriptorem Volphg. Lazium in Vienna, cap. quo Marchiones Austriæ ex prosapia Comitum Babenbergensium recenset, legam: Margaretam, è quatuor filiabus Leopoldi Austriæ Ducis natu primam, nupsisse Henrichо iuniori Friderichi secundi Cæsaris filio. Iuniorem enim, nisi senioris alicuius respectu commodè haud dici, præterquam à poetis, qui comparatiuum aliquando pro positiuo usurpant, quiuis intelligit. Interim uerò Cuspinianum quoque, qui tot diplomata è pulueribus eruta excußit, tot monumenta inspexit, & Principum genealogias tam accuratè digeßit, haud temerè, eoq; minus in hoc quoq; hallucinatum putarim, quòd eius sententia ex ijs quæ statim circa alias dissensiones proferemus, uideatur amplius ferè confirmari. Altera dissensio in eo est, quòd idem Collenutius eodem lib. 4. cap. 24 scribit, Conradinum Friderichо secundo Cæsari nepotem ex Henrichо seniore filio fuisse. Scribit quidem ad eundem modum Blondus quoq; Decadis 2. lib. 7. (quãquam idem mox libro 8. eius loci parum memor, Conradinum Conrado genitum narret) & eundem secutus haud dubiè Iacobus Vuymphelingus, cap. XL Epitomes rerum Germanicarum: cæterùm id nihilo magis ex fidedignis monumentis demonstrari potest, quàm quod Platina in Clemente quarto Papa euidenti errato prodit, Conradinum hunc fuisse Conradi Sueui nepotem. Ego quidem tam uerius, quàm uerosimilius longè id arbitror, quod historiographi Germani, præter unum Vuymphelingũ, magno consensu memorant, Conradum Sueuum Friderichi secundi Cæsaris filium, fuisse huic Conradino patrem: id quod etiam ipsum nomen Conradini una syllaba auctũ, & à patre rectà in filium, ut sæpe fit, transmissum satis arguit. Quanquam eodem libro 4. capite 24. ordiens idem Collenutius Cõradini expeditionem in regnum Neapolitanum, de eiusdem auunculo magno Henrico Senatore urbis Romæ, nempe fratre Constantiæ Castellanæ, Friderichi secundi uxoris primæ, & Conradini auiæ paternæ, adeò conuenienter narrat, ut fidem fermè mereatur: nisi tam ualidè obstet ille, quem dixi, Germanicorum scriptorum consensus. & præterea haud ab re quæri à Collenutio, & eius duce Blondo, ita possit: Cum Friderichus secundus Cæsar nepoti uni ex Henrichо seniore, iam præmortuo, scilicet Friderichо, ducatum Austriæ cum decem milibus unciarum auri testamento reliquit: cur non eiusdem quoque fratri, alteri nepoti, nempe Conradino, consimilem ad modum prospexit, imò silentio eum præterijt? Ad hoc quia difficile est respondere, perfacilè autem, si Conrado filium Conradinum relinquimus, scilicet ab auo Friderichо nepoti Conradino ideo nihil relictum fuisse, quòd pater ipse Conradus esset in medio, quem pater eius Friderichus hæredem uniuersalem in regno Neapolitano, ac toto imperio Romano instituit, ut ipse narrat Collenutius: non puto quenquam hac in re fidem ipsi habiturum. Nam si fortè contendas, Friderichũ nepoti Conradino ideo nihil legauisse, quòd tempore mortis eius nondum esset natus: breuiter respondero, ex abaco Chr[illegible] co contrariũ facilè colligi, dum cõstet An. M.C[illegible] Friderichum auum mortuum, & anno decimooctauo post Conradũ nepotem securi percussum. Quid,

Controuersia I.

quòd pater Cõradus mox à morte Friderichi in Italiam properauit, & uix biennium ibi fuit superstes, relicto domi sub matre Bauara Conradino paruulo: ut multo sit uerosimilius, ante aui mortẽ Conradinũ fuisse editũ: id quod ex alijs quoq; cõiecturis latius demõstrari posset. Adijciam tamen illum, de quo dixi, Collenutij locum, quo lector ipse, ac rectius fortè, tam hanc quàm reliquas cõtrouersias iudicare possit. Sed ut plenius cognoscatur (inquit Collenitius) cur eam expeditionem Conradinus susceperit, inuenio id euenisse hoc quidem modo. Ferdinandus, quartus eius nominis Rex Castellæ, inter cõplures alios liberos habuit tres: puta Friderichum, Henrichum, & Constantiam. Mortuo patre, Cõstantia à fratre Alphõso, eius nominis decimo, rege Castellæ, nuptũ data fuit Imperatori Friderichi secundo, uti suprà diximus: & ex ea natus est Henrichus, primo genitus Friderichi filius, in carcere extinctus. Hic Henrichus duos habuit filios, scilicet Friderichum, quẽ auus Friderichus reliquit Ducẽ Austriæ, uenено sublatũ Amalphiæ, ut suprà audistis: & Cõradinum, de quo iam nobis dicendũ est. Duo superius dicti fratres Constantiæ, puta Henrichus & Friderichus à Castella, cum essent haud magna in gratia patris, adhuc adolescentes reliquerũt Hispaniã, abiens Friderichus in Franciam, & Henrichus in Aphricam: ubi tempore multo stipendijs regis Thuneti uixit, uehementer inde locupletatus. Et quia frater erat Constantiæ, auiæ Conradini, sequebatur ut esset eiusdem auunculus magnus: & quia erat frater Alphonsi illius decimi, consanguinei Blancæ, filiæ Alphonsi octaui, matris Caroli Andegauensis, regis Neapolitani, hinc simul & ipsum consanguinitate attingebat. Eaq; de causa cum Henrichus ille audisset Caroli consanguinei sui uictorias, & regem eum esse Siciliæ, relicta Aphrica, comitatu opibusq; egregiè instructus, uisendi eius gratia in Italiam uenit: ubi diu Carolo pergratus fuit, cui & necessitate presso (erat enim per bella omnibus pecunijs exhaustus) quadraginta milia Ducatorum auri duplicium mutuò dedit. Hos autem ubi ad diem conuentam recuperare à Carolo non posset, ultrum se hoc tacitus ipse secum iurauit: sed animi rancorem dissimulans, tam prouidè sub Caroli fauore, & per amicitiam, quam cum Papa Clemente iunxit, rem suam egit, ut in ipsius Caroli regis locum Senator Romæ adsumeretur. Postea quàm maximè potuit commodè, studuit sibi conciliare gratiam & fauorem Romanorum: atque interim per nuncios quosdam occultos, quibus fidebat, neutiquam omittebat Conradino suadere, ut Principes Germaniæ sollicitaret, & pro recuperando regno aui ac patrui expeditionem sumeret, omnibus pro uiribus illi consilium studiumq; suum offerens, quæ & postea re ipsa egregiè exhibuit. Conradinus permotus Henrichi adhortationibus, & amicorum usus consilio, Italiam intrauit, comitem habens consanguineum quendam suum coætaneum Ducẽ Austriæ, &c. Hæc ibi Collenutius, è quibus tertia nascitur controuersia, nempe de Constantia prima uxore Friderichi, ut quam Cuspinianus scribit fuisse filiam regis Arragoniæ: contrà Collenutius, Ferdinandi quarti eius nominis regis Castellæ: eiusq; sententiæ authorem habere is potuit Blondum, dum lib. 8. Decadis 2. scribit, Friderico & Henricho à Castella fratribus germanis & filijs iam dicti Ferdinandi quarti, Conradinum fuisse pronepotem ex sorore Constantia. Cæterùm hoc erroneum esse, & Friderico secundo uxorem primam fuisse, non Constantiam filiam Ferdinandi quarti eius nominis regis Castellæ, sed Constantiam filiam regis Arragoniæ, apparet ex Alphonsi à Carthagena episcopi Burgensis Anacephaleosi regum Hispaniæ, cap. 83. ubi huius Ferdinandi liberos ex duabus uxoribus nominatim enumerans, ac præsertim Henrichum & Friderichum, nullam prorsus filiam eius nomine Constantiam memorat. Et ne fortè lectorum quispiam hoc testimonium ideo eleuare conetur, quia argumentatio ab authoritate, iuxta Dialecticorum præcepta, negatiuè nõ procedat: aliusue cogitare pergat, Collenutium narrationem paulo suprà relatam non de nihilo confinxisse, tam uero similem: atq; omnino eiusmodi aliquam sanguinis coniunctionem Conradino cum illis Castellanis fratribus, Ferdinandi quarti filijs, interceßisse: paucis, si potero, utrisque satisfaciam. Ex ijs quæ infrà in Alphonso X. Annotation. 251. exposuimus, contra ipsius quoq; Cuspiniani sentẽtiam abundè probatum putamus, Ferdinando illi quarto, regi Castellæ, uxorem primam fuisse Beatricem filiam Philippi Cæsaris, Hetruriæ ac Sueuiæ Ducis. Id cum uerum sit, iam obscurum esse non potest, quæ necessitudo cum eius Ferdinandi filijs Conradino interceßerit: nempe quod hic illos propatrui sui Philippi ex filia Beatrice nepotes, & uicißim illi hunc aui sui materni Philippi Cæsaris, ex fratre scilicet Henrico sexto Cæsare pronepotem rectè ac propriè appellauerint. Ideoq; uerum esse potest, Friderichum à Castella, (cuius frater Henrichus Senator, cum Conradino captus in prælio, carceri perpetuo iam erat addictus) à Cõradino fuisse hæredem relictum.

Locus extat lib. 4. cap. 6.

Blondus li. 8. Decad. 2. peregrinationes amborum inuenum inuenit, & multo aliter narrat.

Arbor subiecta eam sanguinis coniunctionem ad oculum demonstrat.

Friderich



Cæterùm iuxta Blondi & Collenutij ſententiã, Conradinus filius Ferdinandi regis Caſtellæ uocaſſet auunculos magnos: & illi eundem contra ſororis ſuæ, ſcilicet Conſtantiæ: nepotem, iuxta arboris ſubiectæ picturam:



Sed hæc omnia tum erronea ſunt: tum probant luculenter id uerum eſſe, quod Zaſius præceptor noſter piæ recordationis, ex Thoma Aquinate ſolebat in ore habere: Errorem principio paruum, in fine fieri maximum. Cum enim Collenutius falsò perſuaſum haberet, Conſtantiam Caſtellanam Friderichо ſecundo primam fuiſſe uxorem, reliquam omnem narrationem ita concinnauit, ut initio reſponderet: hoc eſt, ut uniuerſa erroribus conſtaret. Friderichо autem ſecundo Cæſari ex Conſtantia Arragonia prima uxore natũ eſſe Henrichũ Cæſarẽ, in carcere paterno defunctũ, nõ uerò Chonradum Conradini patrẽ, ſatis inde fit ueroſimile, quòd Henrichus longè prior, nimirum ut natu grandior, adeoque primogenitus, Cæſar factus eſt: atque per hoc quarta, quæ eſſe poterat, dubitatio nunc eſt expedita, ſcilicet utra Friderichо prior fuerit uxor, Conſtantia ne, an Yolanta: eoq; amplius ex his omnibus clarè conſtat, apud Paulum Aemylium lib. VII rerum Francicarum perpaucis in uerbis geminum, imò triplex extare erratum, quo loco ita ſcribit: Mortuo Tarenti Friderichо, Conradus iuſtus, eius non ex Brenna, ut nonnulli tradunt, ſed ex Conſtãtia regis Caſtãalonenſium filia, filius. Nam præterquam quod ex ſuperius dictis conſtat, pro Tarenti reponendum eſſe Florentini: & ueram matrem Conrado adimit Aemylius, & falſam inducit, ipſe quoque fortaſſis Blondum cæcum ducem ſecutus. Quinto loco illud quoque dubiæ apud me eſt fidei, quòd idem Collenutius non uno loco memorat, eundem Friderichum Cæſarem teſtamento reliquiſſe Ducatum Auſtriæ Friderichо nepoti ſuo, ex Henrico filio primogenito. Nam aſſertio ea inde non leuiter refelli uidetur, quòd hac de re neque Cuſpiniano noſtro, neque doctiſs. hiſtoriographo Vuolphg. Lazio in Vienna (ex profeſſo dominos eo in Ducatu inter ſe longa ſerie, etiam titulotenus, ſuccedentes ſcribenti) uerbum ullum extet: haudquanquam præterituro tanti Principis filium, ſi is unquam in eius Ducatus iura quoquo modo peruenisſet. Quia tamen uerum eſt, argumentum ab authoritate negando parum poſſe: & annales recenſenti clarè occurrit, Auſtriæ Ducatum Hermanno Marchioni Badenſi unà cum uxore Gertrude Henrichi Medlicẽſis Ducis Auſtriæ filia ceſsiſſe iam ante Friderichi ſecundi Cæſaris obitum, cum Hermannus ille eodem quo Friderichus ſecundus Cæſar anno, ſcilicet M. CCL, deceſſerit: non adeò uero diſsimile eſt, eundem Ducatum à Friderichо decretum & aſsignatum filio Henrico iuniori, cui (ut Lazius memorat) nupta erat ipſius Henrichi Medlicenſis ſoror Margaretha, è quatuor natu maxima, & quæ poſt mariti primi obitum Ottocaro iuniori regi Bohemiæ ſecundo marito eundem Ducatum, iam hæredibus deſtitutum, attulit in dotem, atque in Bohemiam traduxit. Eadem uerò Margaretha

Auſtria

Austria, Henrichi Medlicensis soror, & Leopoldi sexti filia, si nupsit Henricho natu maximo Friderichi secundi Cæsaris filio, & ex eo gemellos Henrichum & Friderichum sustulit, ut suprà in ipsius uita Pagina 428. uers. 19. & sequentibus scribit: quid uetat quo minus uel huic Friderichi nepoti Cæsar auus ex matris iure eum Ducatum, iuxta Collenutij narrationem, adsignare potuerit? Sed tum quidem superius in medium prolatæ quæstioni, par alia, scilicet, Cur non æquè Friderichus Cæsar auus alteri nepoti Henricho, ex eodem filio præmortuo, prouiderit, nondum erit sublata. Itaque & huius discordiæ arbitrium lectori permitto: cui ut amplius inuestigandi iudicandi que materia suppetat: & ea quæ de huius Friderichi secundi nepotibus Cuspinianus mox infrà in Henricho & Conrado paucis perstringit, copiosius extent: non pœnitebit huc adijcere eiusdem Collenutij caput XIX, eodem ex libro Quarto: ubi cum exposuisset, quomodo Conradus Friderichi secundi Cæsaris filius, è Germania ad capessendam paternam in Italia hæreditatem profectus, regnum Neapolitanum in suam redegerit potestatem, ac præsertim Neapolim, Capuam & Aquinum rebellantes ciuitates perdomuerit, deinde hæc subiungit: Conradus obtenta hunc ad modum regni Neapolitani possessione, id nemine amplius repugnante administrauit: de que eo restaurando mandatum dedit seni Henrico Comiti Riuelli, & Neapolis gubernationem cuidam dicto Brancaleoni. Cumq; ita paratis rebus, uoluptatibus operam daret, fratrum natu minimus Henricus, filius reginæ Ysabellæ, ex Sicilia, quam ei Friderichus reliquerat, honoris exhibendi gratia aduenit, comitatus à quodam capitaneo Saraceno, cui nomen Ioanni Moro, qui eum abduxit in cubiculum quoddam secretum in arce S. Felicis in Basilicata, & illic occidit, mandato super hoc nominatim accepto à Conrado, qui eam ob rem toto in regno grauissimam subijt criminationem, plenus crudelitatis existimatus: eo maximè nomine, quia Henricus ille dotibus naturæ erat perfectius auctus, cultu magis elegante, & maioris expectationis quàm alius ex omnibus Friderichi filijs quisquam. Vindicta igitur non multo pòst tempore est insecuta. Nam sub finem quinti mensis à morte adolescentis Conradus obijt, potione ipsi per Manfredum (ut creditur) data: ac præterea idem Manfredus iussit decapitari Ioannem Morum, & Marchionem Bertoldum, ut secundum iustum iudicium talem mortem ideo promeritos, quod præterquam supradictos ipsi occidissent, etiam procurauerant necem Friderichi iunioris, nepotis Friderichi Cæsaris, testamento ab auo relicti Ducis Austriæ, simul cum decies mille uncijs auri: uti suprà diximus. ob quam pecuniæ summam infelix adolescens, cum uenisset eam petitum, quo in Austriam proficisci posset, necatus est. Nam Ioannes Morus, cui Manfredus mandatum dederat de eo post mortem patris sibi prodendo, quasi pecuniam numeraturus Melphiæ ad cœnam ipsum inuitauit: & appositò pisce intoxicato, ex consilio Marchionis Bertoldi, uita exuit. Hic exitus miserabilis fuit modico temporis interuallo, duorum filiorum & unius nepotis Friderichi Cæsaris, atque item amborum qui neces horũ manu consilioq; adiuuerant. Hæc Collenutius.

Porrò in Henrico Cæsare Pag. 428. uers. 40. ubi ita legitur, & Ducem Carinthiæ cum ducentis & triginta milibus cepisset.) uideo immanem atq; adeò incredibilem captiuorum numerum, præsertim in bello inter Germanos, & à Duce contra Ducẽ gesto. Itaq; ab authore fortassis scriptum fuit, cũ ducẽtis & triginta militibus: nimirum per milites non propriè & iuxta classicorum authorum usum, eos qui authorati quoquo modo stipendia faciunt: sed potius ex recentioris barbariei uulgata usurpatione illos significans, quos peculiari nomine Equites auratos nuncupamus, lingua Gallica dici solitos Cheualier, à caballo: nostra Ritter, ab equitando. Horum uerò tantum uno prælio capi numerum, ut relatu est sanè dignum, ita neutiquam creditu difficile. Equidem in prælio apud Creciacum, inter regem Angliæ Edoardum tertium & Philippum Valesium regem Franciæ factò, Salutis anno 1347, narrat Frossardus occubuisse equites auratos mille ducentos, ex milite reliquo ad triginta milia. Sic anno 1415, pridie quàm principes Franciæ apud Azincurtum infeliciter pugnarent cõtra Henrichum Angliæ regem, creauerunt inter se nouos equites auratos circiter sexcentos. Desiderarunt autem eo ex prælio Franci ad decem milia hominum, è quibus fortè erant mille sexcenti famuli, reliqui omnes nobiles. Principes autem, Comites & Barones, uexillis suis illustres, occubuerunt ea in pugna circiter centũ & uiginti, teste Monstreleto, Volumine 1. capite 149. Mox uers. 43. huius Paginæ, pro Germani, lege germani, id est fratris: & ad totius eius loci narrationem adcommoda ea quæ statim sub finem Conradi Cæsaris author subiunget: tum uerò quæ eisdem de rebus copiosius scribit Lazius in Vienna, cap. de Austriæ Marchionibus ex prosapia Comitum Babenbergensium.

EX CHVNRADO CAESARE.

Pag. 429. uers. 21.

249 Friderichus itaque cum grandi exercitu Rhenum adit.) Quin Friderichus ipse hoc tempore in Italia res gerebat. Pro hoc itaque Chunradum hic leges, quemadmodum tum alijs ab historicis, tũ ipso quoq; Cuspiniano infrà à principio Hẽrici Cæsaris diserte scribitur, Chunradũ Friderici II. filiũ magno cũ exercitu uenisse, ut cõuentũ principũ ab Henrico Landgrauio Thuringiæ ac Hessiæ,

Hesiæ, qui iam designatus erat Imperator, indictū, interciperet: sed ab hoste fusum, non sine ingenti suorum strage. Pagina sequenti uers. 25. pro Chunradum, lege Chunradinum, & uide super eo loco quæ nos suprà in fine Friderichi secundi Cæsaris ex Pandulpho Collenutio uertimus, & de Chunradini patre auiaq; paterna copiosius disseruimus.

Pag. 430. uers. 24.

250 Dum fugę consulit Conradinus, Austriam peruenit cum Friderico.) Vel puer uideat, pro Austriam (quam haud dubiè amanuensis cæcutiens ex uersibus inferioribus huc traxit) quidnis legendum esse aliud. Quis enim Italiæ Comes Ducē Austriæ in ipsa caperet Austria, & Neapolim usque ad latrunculatorem abduceret? Sanè hic aliquid desiderasse uidetur Hædio quoque, ut qui Austriam non Osterreich more consueto, sed Osterland sit interpretatus. Ego, nisi memoria fallit, legi olim apud scriptorem quendam, hosce principes fuga ad mare peruenisse, atq; Pisas, seu nescio quò aliò traiecturos, ex piscatoris cuiusdam sermone, iuuenum facies liberales deprædicante, proditos. Qui recentiorum historiographorum (quorum mihi, desinente hic Vrspergensi Abbate, nunc ad manum nullus est) copiam habet, perfacile hoc loco ueram lectionem restituet. Nuper uerò ista, ut iam typographo promissa, perfunctoriè reuidēs, Blondumq; hac de re consulens, inueni Austurā, pro Austriam legendum. Et quia is lib. VIII. De cadis. II copiosè, uarijs que ex authoribus horum principum interitum narrat, non sum grauatus eius uerba huc adscribere.

Conradinus, inquit, interim & Austriæ dux adolescentes, ætate sicut & infortunio pares, signa, ubi toto prælij tempore fuerant, relinquentes secesserunt. Estq; locus in quo ecclesia extat, Sancta Maria inde De uictoria appellata. Anxij inde, & quid in ea fuga agerent animis perplexi principes, agasonis cuculione contecti per deuia latitarunt. Henricum senatorem affirmat Arago Cardinalis, deducentibus per notissimam regionem Romanis incolumem euasisse: quem Ptolemæus, Guilielmusq; & Villanus scribunt de fuga apud Reate retractum, in Caroliq; potestatem factum, diem in carcere obijsse. De Conradino Austrinoq; duce apud tres prædictos scriptores cum Cardinali conuenit, eos apud Asturam die ab accepta clade octauo recognitos, ad Carolum fuisse perductos, quos ille publico iudicio interfici iusserit: sed perductos de fuga Romam peruenisse, & à studiosis Guelfārum partium repulsos, solus inter prædictos Villanus facit. qui & alterum per errorem Romanum dicit fuisse uirum pecunia corruptum, à quo ipsi adolescentes in uinculis ad Carolum sint perducti: quum piscatorem fuisse asserat Cardinalis, quem ingenti promissa mercede adolescentes quoq; precibus euicerunt, ut piscatoria eos scapha in Senensis Pisani uę agri littora perduceret. & quum pecunia carens Conradinus, annulum in pignus dedisset, nautam per simulationem commeatus in scapham deferendi, ad proxima delatum castella, peritiores suæ patriæ annuli ualorem interrogatos, quid agere spopondisset edocuisse: eumq; multa subinde locutum de adolescentium facie liberali, & sordido indumento, suspicionem audientibus iniecisse, Conradinum esse, quem inter cæsorum cadauera nō inuentum, fama esset Carolum maxima diligentia perquiri facere. Ab hisq; oppidanis, qui cum piscatore iuerint, asserit Cardinalis infelicissimos adolescentes fuisse captos.

Hos autem illustrissimos duos Principes iussu Papæ fuisse capitali adfectos supplicio, ne quis à Germanis historiographis minus uerè proditum censeat, sciendum est, ea de re extare testimonium luculentum Angeli Vbaldi Perusini, clarissimi legum interpretis (cuius pater hanc rem uidisse potuit, ac florente quidem ætate) in l. generaliter. C. de secundis nuptijs, repetitum & ab alijs alibi, & à Iasone in l. si duo patroni. §. Marcellus. de iureiurando. Nota bene, inquit Angelus, quòd tantum est dicere, Non nego tibi licentiam: quantum est si dicam, Concedo. Et hoc uerbo fuit usus Papa, cum Conradinus captus fuit. Rescripsit enim, quod fieri de eo iusticiam non negabat. Et propter illa uerba, tanquam de mandato & authoritate Pontificis, ipse fuit decapitatus, & in eo finiuit inclitissimus sanguis Sueuiæ. Hæc Angelus.

Dignus equidem esset hic tam miserabilis casus, quem seu Rhetorum seu Poetarum aliquis iusta querimonia deploret. Non decet, inquis, traducere aut insectari summos Pontifices. At herclè multo minus decet ipsos, tam immania & nefaria crimina patrare. Equidem uitia ab omnibus taxari, & meritis probris adfici, publicè utile est. Vult Seneca in uicia asperè dici, uult luxuriam obiurgari, libidinem traduci, ambitionem illudi, & impotentiam frangi. Par culpa uidetur, non laudare uirtutem, & non reprehendere uicia: quum eo quidem modo neque boni præmium, neque malè pœnam commeritam inueniant. Vnde Archidamidus Lacon, prædicanti cuidam in laudem Charilli, quòd pariter erga cunctos fuisset mitis ac mansuetus, dixisse fertur: Et qua fronte laudetur aliquis, qui erga sceleratos se mitem præbeat? Et pulchrè alicubi Diuus Augustinus, Prælatis qui reprehendi nolunt, obijcit, à ueritate ipsa ita sancitum: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. c. præsumunt. 2. q. 7. Si nemo culpandus est hominum, præsertim defunctorum, quid Neronem, quid Domitianum detestamur? Si Pontificibus, ut aliquando Ecclesiæ columinibus, condonandum est aliquid, & malè audire ipsos non decet, quantumuis eorum quidam nequiter & scelerate multa egerint: certe ad uicia ipsa non conniuendū, quò minus alijs libeat similia audere. Ego in præsentia

id unum

id unum breuißimè dico, ipsos ethnicos Imperatores egisse longè religiosius & clementius. Nam Titus Vespasianus, ut author est Suetonius Tranquillus, Pontificatum maximum ideo se professus est accipere, ut puras seruaret manus: quem & tam sanctè gesit, ut nec author postea cuiusquam necis, nec conscius esset: quamuis interdum ulciscendi causa non deesset, sed periturum se potius quàm perditurum adiuraret. Imperator quoq; Marcus Antoninus in Senatu rogauit, ne sui principatus tempore Senator aliquis occideretur: causam adferens, ne ipsius pollueretur imperium. At quanto magis decebat summi Christianorum Pontificis imperium esse ἀναίμακτον? Quanta est obsecro infamia, Pontificem hoc scelere meruisse, ut etiam Nero immanißimus, saltem primo imperij quinquennio, ipsi longè sit anteponendus? Nam lib. de Clementia 1. cap. XI. Seneca his uerbis ad eum scribit: Præstitisti Cæsar ciuitatem incruentam, & hoc quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse: quo maius est mirabiliusq;, quòd nulli unquam citius gladius commissus est. Eant nunc uerò ipsi Pontifices, & gloriẽtur sibi utriusq; gladij esse potestatem, quo tam bellè utantur. Sed hæc, ut dixi, Rhetoribus aut Tragicis rectius reliquero, qui suis rem omnem depingant coloribus.

Nactus autem post hæc iamdudum elucubrata Pandulphi Collenutij historiam de regno Neapolitano, lingua Italica ante annos fermè LX scriptã, uidensq; huius Conradini, ipsiusq; nobilißimorum sociorum miserabilem interitum accuratè & copioſè ab eo describi, & quidem ex diuersis authoribus tam Italis quàm Germanis, uulgo haud notis, unũ ueluti corpus narrationis aptè colligi: simulq; recensseri, quid eo de negocio Iureconsulti quidam scelerati eius temporis responderint, prius nihil habui quàm in gratiam aliarum nationum, ac præsertim Germaniæ nostræ, totum eum locum latinitate donare. Collenutij narratio habet hunc ad modum: Prælio depugnato, Carolo prima cura fuit ut Conradinus, & præcipui eius socij toto campo inter occisos ac uiuentes quærerentur, crudelem se exhibens in captiuos, quorum complures suspendi, alios gladiorum ictibus necari, alios perpetuis carceribus mancipari iußit. Ex eorum numero qui prælio euaserant, fuit quoq; Henrichus à Castilia, Senator, qui postea fuit captus, & ad Papam adductus, per Abbatem monasterij Rieti, in quod se receperat. Comes etiam Girardus de Pisa, qui Romæ salutem quæsierat, per Papam captus fuit: & ambo simul traditi in manus Caroli, qui deinde Henrichũ relegauit in Prouinciam, ubi & uitam finijt. Quantum ad Conradinum attinet, ipse & Dux Austriæ, miseri iuuenes, comitati per Galuanũ Lanciam, & Galiotum eiusdem filium, habituq; asinariorum uestiti, cum toto triduo hac atq; illac per syluas oberrassent, ignari quò procederẽt, tandẽ mala agitante fortuna attigerunt syluã Asturæ, in ipsis limitibus dictionis Romeæ maritimis: ubi cõspiciẽtes nauiculã piscatoris, rogarunt eundẽ, ut ipsos in fines Senẽsium aut Pisanorum duceret, eam ob operam largiter eidem promittentes, qui & conditionem facilè acceptauit. Cæterùm cum neq; pro ipsis, neq; pro se panis quicquam haberet, & deesset pecunia quam numerarẽt, traditus ei fuit annulus, quem in oppido oppignoraret, ac panes compararet. Itaque piscator oppidum Asturam adijt, & illic de ualore annuli sui inquirens, pecuniam eo super pignore mutuò accepturus, uti fieri aliquando solet, cœpit garrire, duos iuuenes liberali facie, sed malè uestitos, ad ipsius ueniisse nauiculam, à quibus eum acceperit annulum: operamq; suam promiserit, ut eos longius ducat. Empto deinde pane, ad mare redijt: & apprehenso remo, cum uectoribus suis aqua propositum iter ingressus est. Ecce autem fama de annulo totum peruolans oppidum, peruenit ad aures Ioannis de Frange panibus, nobilis Romani, Asturæ domini: qui illico cogitauit, istorum iuuenum alterum esse fortaßis Cõradinum, quẽ Carolus tanta cura quæri iuberet. Itaq; raptim armari triremẽ, et nauiculæ piscatoriæ iter subsequi imperauit: et per eam triremẽ miseri principes nemine repugnante fuere capti, & Austram adducti. Eam rem mox ad Carolũ rumores attulerũt. qui ut ne perderet talem prædã, quàm celerrimè potuit Asturã terra mariq; suis cum militibus cinctum uenit. Quocunq; uerò consilio id fecerit, siue ut honori Ioannis de Frangepanibus parceret, qui se inuitum cogi adsimulabat (uti quidã sunt authores) siue quia flagrantißimè cupiebat Cõradinum suis habere in manibus: certè oppidum obsedit, adeò ut uoti compos fieret, simulq; cum Conradino omnes ipsius socios reciperet. Inde hos secum captiuos semper circumducens, Romam adijt, urbisq; negocia disposuit, suo loco Senatorem ibidem relinquens Iacobum Cantelanum. Et ubi peruenit Ghinazzanum, iußit decollari Galuanum, & Galiotum eius filium, nimirum in uindictam Mareschalli sui, in prælio interempti. Eo facto. Neapolim uenit, ibiq; in carcerem misit Conradinum & Ducem Austriæ: & per Annum uinctos tenuit, donec quid ipsi faciundum esset constitueret. Tandem Neapolim conuocauit omnes syndicos potiorum ciuitatum regni sui: atq; in frequenti consilio singulorum exquisiuit sententias, quid nam ei de Conradino esset faciundum: & tum omnes, præsertim Neapolitani, Capuani & Salernitani censuerunt, morte adficiendum. Quanquam est qui scribat, sententias tum ita fuisse dictas, prout ipse Carolus eas dici uoluit. Henrichus Gundelfingerus Constantiensis, in suis Chronicis Austriæ, scribit Carolum etiã Summi Pontificis consilium expetijsse, qui ipsi paucißimis uerbis ita respondit: Vita Conradini, mors Caroli: mors Conradini, uita Caroli. Ad Barones & nobiles Franciæ quod attinet, nullo modo ij tali sententiæ de necãdo Cõradino adsentiri uoluerũt: ac præsertim Comes Flandriæ, gener Caroli, nobilis &

lis & generosi pectoris heros, acerrimè & ualidissimè repugnauit, inquiens: nulla prorsus ratione morti tradendum esse iuuenem tam alti sanguinis, imò dimittendum liberum, iungendumq; amicitiæ adfinitate & fœdere. Et cõsimiliter iudicarunt multi alij nobiles uiri, quorum animi priuatis adfectionibus uacui erant: sed denique mortis sententia obtinuit. Anno ergo altero postquã capti fuerunt, die XXVI Octobris, medium forum Neapolitanum stragulis è serico uilloso coloris Carmosini prætenditur, in eo loco ubi columna posita est ante templum Carmelitarum, quam mater Conradini posteà erigi curauit: & illuc fuere producti in suprà dicta stragula extensa Conradinus: Dux Austriæ: Comes Girardus de Pisa, qui Thuscanos in prælio duxerat: & quidam auratus eques Germanus, nomine Hurnaiso, ipse quoq; eo dẽ prælio captus: & Dominus Henrichus à Castilia. Præter hos fuerunt eôdem producti etiam quatuor alij, Richardus Reburſa, Ioannes de Grutta, Marinus Capeccius, & Rogerius Bussus, in maximo hominum cœtu, non modò Francorum, & Neapolitanorum, sed omnium uicinorum oppidorum, qui ad spectaculum tam crudele accurrerant: quod ipsum & Rex Carolus spectauit quãquam is consisteret in turri quadam longè satis inde dißita, sed tamen uidens id omne quod agebatur. Cum captiui in locum iam dictum peruenissent, Magister Robertus Barensis, primarius Caroli scriba, suggestũ quoddam ad hoc ipsum extructum conscendit, & sententiam contra nouem istos captiuos ex scripto recitauit, omnes morti adiudicans: excepto uno Henricho à Castilia, qui carceri perpetuo fuit addictus: nimirum ut seruaretur fides data Abbati, qui eum ceperat, & omnino sibi promitti uoluerat, de duobus illis suis captiuis non sumptam iri mortis uindictam. Crimina præcipua, quorum causa fuerunt condemnati, erant in sententia hæc comprehensa: turbasse pacem Ecclesiæ, falsò usurpasse nomen Regis, uoluisse occupare regnum, & attentasse contra personam ipsius Regis. Quidam Neapolitanus, eius temporis professorum iuris unus, scribit, post sentẽtiam pronunciatam, Conradinum ad eum qui recitauerat dixisse lingua Latina hũc ad modum: Nebulo proditor, nebulo flagitiose, tu condemnasti filium Regis? an uerò nescis, pari in parem nullum esse imperium? Deinde negauit, unquam se uoluisse Ecclesiam offendere: sed acquirere uoluisse duntaxat regnũ ad se pertinens, quodq; per iniuriam alius retineret: sperare autem se, quòd sui gentiles, & domus matris suæ, cum Alemannis suis, & Ducibus Baioariæ suis necessarijs, non relicturi essent ipsius mortẽ inultam. His q; dictis uerbis, detraxit chirothecam è manu, ac uersus populum proiecit, inquiens: Se hæredẽ suum relinquere Dominum Friderichum à Castilia, amitæ suæ filium. Papa Pius scribit, eam chirothecam excepta fuisse per equitem quendam auratum, & deinde adlatam ad Petrum regem Aragoniæ. Hoc facto, Dux Austriæ primus fuit omnium cui caput amputaretur: idq; prorsus à corpore resectum, bis exclamauit MARIA. Conradinus autem illud sustollens, peramanter est exosculatus, & pectori suo adpressit, deplorans calamitatem socij sui: seq; ipse accusans, qui mortis ei occasio fuisset, scilicet à matre extra patriam in tam atrocem fortunã abducto. Inde ubi in genua se demisit, ac leuatis in cœlum manibus, ueniam peccatorũ suorum à Deo precatus, executor ei rei præpositus capite eum truncat: deinde Comitem Girardum, & equitem Germanum Hurnaiso uocatum. Ipsi uerò ministro qui Conradinum decollauerat, quidã alius in hoc ipsum paratus, idem fecit, quod is alijs fecerat: nempe caput ei amputans, ne unquam iactare posset, sanguinem adeò generosum sese effudisse. Quatuor alij Barones è regno, fuerũt in patibulo suspensi. Corpora capitibus truncata humi remansere iacẽtia, neq; ausus est quisquã ea tollere, donec Carolus sepeliri mandasset. Fuerũt itaque sepulti, & super Conradino tale positum epitaphium:

Asturis ungue leo pullum rapiens aquilinum,
Hic deplumauit, acephalumq; dedit.

Hunc calamitosum exitum habuit miser iuuenis Conradinus, quem planctu & deploratione prosecuti sunt omnes qui uiderunt, quo cum etiam longè nobilißima domus Sueuiæ finem accepit: quæ per lineam masculinam & fœmininam descenderat à Clodoueo & Carolo regibus Frãciæ, & ab imperatoribus de domo Bauariæ: quæ ipsæ domus produxere in Frãcia & Alemãnia multos imperatores, Reges, Duces & Principes alios innumerabiles. Multi qui eo tẽpore scripserunt, uehementer Caroli iudicium uituperarunt, qui Conradinũ mori fecerat, arbitrantes rẽ esse Regi aut Christiano neutiquã cõuenientẽ, exercere crudelitatem erga Principem talis ætatis, talisq; nobilitatis: nimirũ cum scriptum extet, Esse æque pulchrũ & gloriosum magnos Principes seruare, atq; eosdem debellare: & quòd post uictoriam gladius deponẽdus est, neq; amplius tingẽdus sanguine uicto, præsertim Christiano. Hoc amplius uerò uidetur id Caroli factum, ideo quoq; uel omnium maximè enorme & fœdum, quoniã ultra exempla quæ recens uiderat de seruãdis principibus captiuis, etiã ipsimet ac fratri eius regi Franciæ captis contigerat in custodia humaniter tractari: nec sanè à Christianis, sed ipsis infidelibus, qui hac in re solum obseruãt naturæ legem. Nã in expeditione quam rex Frãciæ Ludouicus (postea in diuorum numerũ relatus) sumpsit contra infideles, duxit secum Carolum fratrem suum ad Damiatam Aegypti: ibiq; in prælio à Saracenis ambo capti, & regaliter habiti, & regaliter dimißi sunt. Itaq; Petrus rex Aragoniæ epistola quadam Carolo improbitatẽ suam exprobrans, quia nõ obseruasset eandẽ rationẽ erga Conradinum, quam Saraceni erga ipsum Carolum, inter alia uerba hæc dicit: Tu Nerone Neronior, & Saracenis crudelior. Iureconsulti quoq; eius temporis lon-

gissimè aberrarunt in interpretatione cuiusdam sententiæ diui Augustini, quæ in Decreto posita dicit: Quòd victor est obligatus ut sit misericors erga victum, præsertim ubi nõ est suspicio pacẽ inde turbatã iri. Hugolinus Cõmentator Decreti ita interpretatur hoc uerbũ Præsertim, id est, solũmodò: pinde ac si diuus Augustinus uellet dicere, non debere ignosci nisi solũmodo eis, à quib. nulla turbatio metuatur, & non alijs. Et per eam inhumanam interpretationem à Latina significatione exorbitantem, & menti diui Augustini repugnantem, ait Ioannes à Lignano, excellens Canonista, quòd rex Carolus fecerit Conradino caput amputari. Atque hoc ipsum factum adeò quoque ipsiusmet Caroli amicis displicuit, quòd scriptum extet, Robertum Comitem Flandriæ, eiusdem generum, ira generosa percitum, gladio confodisse & extinxisse eum qui sententiam recitauerat, existimans eum uita indignum, qui infimo loco natus sententiam mortis contra principem tam alti sanguinis legere ausus fuisset. Habes nunc lector id uniuersum quod nos inuenire potuimus, de dominatione Alemannorum, domusq; Sueuiæ in regno Neapolitano: ideoq; librum hunc nostrum quartum, unà cum ipsis finiemus. Hæc omnia Collenutius, nostratibus, etiam eruditioribus, haud undequaque, ut opinor, percognita. Idem author lib. 5. cap. 4 præclarè describit memorabiles illas uesperas Siculas, quæ non adeò multis post annis Francos ad unum omnes una hora in ea insula trucidarunt & extinxerunt, proculdubiò diuina ira ita permittente, ut eorundem impotens in subditos dominatus, & contumelioſa ac nequam improbitas tandem grauius puniretur: simulq; Conradino & Comitibus, Baronibus, nobilibusque è regno Neapolitano fraude & proditione Cornetanorum sub id tempus captis, numero centum & sex, è quibus Carolus centum & tres suspendio necari, ac reliquos tres apud Amalphiam præcipitari iussit, parentaretur. Aeque memorabile, huicq; loco conueniens est, quod idem author cap. 5. eodem libro diserte narrat, cum Rogerius de Loria Calaber, præfectus maris pro Petro rege Aragoniæ, qui uxorem habebat Constantiam Manfredi filiam, eoq; nomine ad regnum Neapolitanum adspirabat, ingenti nauali prælio Carolũ principem Salernitanum, unicum filium Caroli Andegauensis regis Neapolitani, superasset: ac nouem eius triremes, in quibus magnus numerus baronum, ac ipse Carolus princeps Salernitanus inerat, cepisset: ipsum solum unà cum nouem socijs, quos Carolus suo arbitrio delegisset, ab eodem Rogerio de Loria retentũ, ac cæteros omnes captiuos in Siciliam missos, & Messanæ decollatos fuisse, nobiles numero ducentos, eoq; amplius, nempe in uindictam mortis Conradini. Quod uerò idem author mox eodem cap. subiungit, toti huic negocio tam pulchrè quoq; subseruit, ut facere non possim quin ita ut habet, bona fide uertam, & pro coronide huc deniq; adijciã.

Sub id tempus, inquit Collenutius, duo Cardinales, quos Papa Martinus in Siciliam legauerat, cum Petro rege Arragoniæ pacificaturos, cum pro uoto rem conficere non possent, aggrauarunt excommunicationem contra ipsum iam antè prolatam: neq; modò contra ipsum, imò in uniuersum Siculos omnes, qui id molestissimè accipiebant. Eaq; de causa di greßis iam Cardinalibus, in iram & indignationem exardentes, cum eo ipso temporis momento de Caroli regis morte nuncium accepissent, adcurrerunt subito ad carceres, ubi reliquiæ Francorum à Rogerio captorum tenebantur, eosq; occidere cupiebant. Quia uerò ij fortiter se defendebant, quò citius rem factam Siculi haberent, & se ipsos periculo liberarent, ignem carceribus iniecerunt, & simul omnes in eisdem exusserunt. Deinde conuocarunt omnes syndicos omnium Siciliæ ciuitatum, ut iudicarent de Carolo principe Salernitano, qui cum nouem suis socijs captus adseruabatur: imitantes in hoc eum morem, quem rex Carolus in iudicando Conradino obseruauerat: qui omnes unanimi sententia iudicarunt, Carolo principi caput esse amputandũ, quemadmodum ipsius pater Conradinum condemnasset. Hac sententia ita pronunciata, Constantia regina quadam feria sexta mane misit, qui iuueni principi mortem denunciaret, ac præmoneret, ut saluti animæ prouideret, quoniam mors ei subeunda esset, perinde ut Cõradino. Ei princeps in hæc uerba respondit: Contentus sum in patientia æquo animo hanc mortem suscipere, posteaquam succurrit, quod tali die, qualis est hodierna, nempe feria sexta, etiam Dominus noster IESVS CHRISTVS mortem & paßionem suam subijt. Vbi regina, quæ erat deuota & prudens domina, hoc ab eo datum responsum cognouerat, ad hunc modum locuta est: Postea quam Princeps respectu huius diei uult mortem tam patienti & æquo subire animo, ego uicißim statui, in honorem eius qui tali die mortem ac paßionem pertulit, ipsi esse misericors. Et sic locuta, præcepit eum adseruari, ita ut nulla ei inferretur molestia. Vt uerò populo satisfaceret, qui modis omnibus Caroli principis mortẽ efflagitabat, exponi fecit, in re tam ardua, & quam mala complura sequi possent, oportere haud quicquam constitui rege Petro ignorante. Atq; ita præcepit principem in Cathaloniam adduci, ibiq; uoluntati & iudicio regis Petri maritĩ sui relinqui: id quod factum est. Cæterùm hoc factum non adfert tantũ laudis prudenti illi Heroinæ, quantum Carolus infamiæ in se recepit, dum maluit se in inclyto sanguine regalis pueri crudeliter mergere, immoderatæ suæ cupiditati obsecutus, quàm gloriã immortalem sibi parare, si humanitate & clementia usus fuisset. Hæc Collenutius.

Vt uerò nos præsentem Cuspiniani locum, in quo pro Austria reponi debet Astura, tandem absoluamus: sciendum est, de hac meminisse Plinium libro 3. cap. 5. ubi flumen & insulam facit, post Ostiam & Antium recensens. Idem cap. seq. insulas Tyrrhenì maris

maris enumerãs, & ab occidentalibus ad orientales pergens, subiũgit: Ab his (scilicet Planasia & alijs) ultra Tyberim in Antiano Astura, mox Palmaria, &c. Plutarchus in uita Ciceronis scribit, eum, cum proscriptus esset, Asturam delatum, mare ingressum esse: mox mutato consilio, Asturã repetijsse. Seruius scripsit Asturam esse oppidum cum fluuio, non longè à Terracina. Videtur & Suetonio oppidum esse littorale: Augusti cap. 97. Meminit idẽ in Tyberio, cap. 72. In Cuspiniano aũt mox pag. 432. uers. 7. pro moretur, lege morereturet uers. 51. pro Luenburg, lege Luneburg. quod ideo admoneo, ne quis forte imperitior intelligat de Louemburg. & Pag. 433. uer. 12. pro Kongsfelol, lege Kongsfeld. & eadem Pag. uers. 49. pro Enicho comes de Lemigem, lege Emicho comes de Leyningen.

EX ALPHONSO X.

Pag. 436. Vers. 17.

251. Sed & ex concubina quadam Beatricẽ filiã genuit, quã tertio eius nominis Regi Portugalliæ in uxorem collocat.) Deesse hic nomen regis proprium, nemini obscurum est. Alphonso autem ei nomẽ fuisse, inuenio apud Alphonsum de Chartagena, episcopum Burgensem, in Anacephaleosi regum Hispaniæ, cap. 84. Ne uerò unis Hispaniæ scriptoribus nullam impendisse operã uideri posimus, libet eius authoris uerba quædam eodem capite expendere, et pro nostra uirili seu genuinam lectionem, seu ueritatem ipsam inducere. Ait ille, quoniã hic Alphonsus 10. eius nominis Hispaniarum rex, esset de domo Babariæ, uoluisse quosdam Electores, ut imperaret in Alemannia. Cogitabam ego adspectu primo, pro Babariæ fortè legi posse Bauariæ, quia mater Beatrix fuisset de domo Hollãdiæ, scilicet Guilielmi Comitis, ac postea Cæsaris filia, ut suprà initio eius uitæ testatur ipse Cuspinianus. Sed certe Hollandiæ Comitatus longo demum pòst tempore, puta per Margaritã filiã Guilielmi tertij eius nominis, Comitis Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, et domini Frisiæ, Ludouico Quarto imperatori, eidemq; Bauariæ Duci nuptam, in Duces Bauariæ nostræ peruenit. Arridebat mox ea sententia, ut legendum crederem Brabantiæ: præsertim cum Cap. præcedenti, scilicet 83, idem episcopus Burgensis matrẽ huius Alphonsi Beatricẽ, scribat fuisse filiam Philippi Ducis Barbariæ: uideri ut posit, ab ipso scriptum fuisse Brabantiæ. Id tamẽ ut dubium est, ita quidẽ negari haud potest, quin hic Alphõsus Decimus, siquidem eius patri Ferdinando (Burgensis tertium hunc numerat) uxor, ipsiq; mater, fuit Guilielmi Hollãdi Cæsaris filia, Mechtildẽ filiam Ducis Brabantiæ rectè appellauerit proauiam suam, ut quæ fuerit ipsius Guilielmi Hollandi Cæsaris mater, ipso quoq; Cuspiniano eodem loco id narrãte. Tandem uerò in mentem uenit, Bauariæ uocẽ pro Babariæ, ac Barbariæ apud Burgensem cõuenienter reponi posse, nõ quia rectè id fieri, sed quia tũ falsò ille persuasum habuisse uideatur, Philippũ illũ Cæsarẽ, Beatricis patrẽ, Ducẽ fuisse Bauariæ: tũ quia cap. 88. eodẽ modo primũ Babariæ, deinde ubi de iã dicto Ludouico 4. Imperatore Bauaro, et ca. 91. ubi de Ruperto Palatino Cæsare, itidẽ Bauaro, uox Barbariæ iterum deprauatè extet. Et hæc una causa est, quo minus credã in iam dicto cap. 83. & 84. ab authore aut scriptum, aut hodie reponendum esse Hetruriæ, pro Barbariæ aut Babariæ. Alioqui enim satis constat, Philippo Cæsari non minus Hetruriæ seu Thusciæ, quàm Sueuiæ Ducis titulum in historijs tribui. Cæterùm ut ego minimè sum dubius, eiusdem Philippi Cæsaris filiam fuisse primam uxorem Ferdinando quarto Regi Castiliæ, indeq; natos Friderichum & Henrichum: ita facilè quoq; mihi psuadeo, Burgensem ueritatis ignoratione (siue fama, siue scriptorum quispiam, siue quæuis alia causa ei imposuerit) Bauariæ Ducẽ credidisse ac dixisse Philippum, qui Sueuiæ erat. Fuisse autem Ferdinando illi quarto, regi Castellæ, uxorem primã, non filiam Guilielmi Hollandi Cæsaris, quod Cuspinianus paulo suprà in eius uita scribit: sed filiã Philippi Cæsaris, Ducis Sueuiæ et Hetruriæ: ex alio ipsiusmet Cuspiniani loco non obscurè colligi uidetur. Nam suprà in fine uitæ ipsius Philippi, scribit ipsum ex Irene uxore, Alexij Constantini imperatoris sorore, nullum suscepisse filiũ, sed filias quatuor. Ex ijs secundam, nomine Ethisam, datam primùm filio Ducis Brabãtiæ: sed cum eum repudiaret, regi Hispaniæ eam datam uxorem. Quum autem regis nomen Cuspinianus nullum exprimat, neq; inueniã ulli alij eius seculi regum Hispaniæ uxorem fuisse Philippi Cæsaris filiam, at ne è domo Sueuiæ quidem ullam: fieri potest, ut hac in re ipse aberret Cuspinianus: atq; magis subsistat id quod Burgensis, iuxta nostram castigationem lectus, scribit, scilicet quòd Ferdinando quarto regi Hispaniæ uxor fuerit non Guilielmi Hollandi Cæsaris, sed Philippi Sueui Cæsaris filia, indeq; tum Principes Electores in designando imperatore Alphonsi huius 10. si non ut Bauari, tamen ut materna ex linea consanguinei, rationem habuerint: tum Conradinus Sueuorum principum ultimus apud Neapolim capitis supplicium subiturus, Friderichum à Castilia amitæ suæ filium hæredem sibi nominauerit, uti Pandulphus Collenutius lib. 4. historiæ regni Neapolitani scribit: quem locum suprà in Cõrado uertimus, ac retulimus. Inde uerò apparet, Collenutium, si non in eadem cum Burgensi, certè consimili fuisse sententia: nempe Friderichi à Castilia, qui erat Henrichi Senatoris frater germanus, matrem fuisse ex Sueuiæ Ducibus, siue Philippi, siue potius (ut ipse sibi rem fingit) Friderichi secundi imperatoris filiam. Dictum uerò ab eodem Collenutio oportuit, quod Conradinus Friderichum à Castilia, propatrui sui Philippi Cæsaris nepotem, ex filia illa seu Ethisa seu Beatrice, Ferdinãdo quarto nupta, hæredem sibi nominauerit. Quanquã idem Collenutius alibi secutus est errorem Blondi lib. 8. Decadis 2. scribentis Conradinũ fuisse Henricho & Friderichо

richo à Castilia (fratribus germanis huius Alphonsi decimi) pronepotem, ex sorore Constantia: perinde quasi illa Friderichо secundo Imp. prima uxor fuerit, eiq; Henrichũ Cæs. in carcere mortuũ, peperit: isq;, iuxta Collenutium, Conradinum habuerit filiũ. Blondus quidẽ paulo ante eum locum rectè scribit, Conradinum è Conrado genitum: sed ita, ut hunc ex Constantia Castellana natũ malè crederet: & proinde illi, scilicet Cõradino, eandẽ auiã, atq; fratres Castellanos supradictos proauunculos faceret, quæ omnia uana esse, nos suprà in Friderichо secũdo, Annotatione 248. aperte demonstrauimus. Nihilo autem rectius idem Blondus mox sub finem eiusdem libri 8. Constantiæ filiæ Manfredi nuptæ Petro regi Arragoniæ, facit auunculum ipsum Conradinum, qui fuit ei consobrinus seu frater patruelis: scilicet cum Conradus Cæsar Conradini pater, & Manfredus pater illius Cõstantiæ, fratres fuerint: uterq; filius Friderichi secundi Cæsaris, hic bastardus, legitimus ille. Sed de his omnibus iudicium certius ijs quàm facilimè cedimus, qui principum Genealogias oculatius habent inspectas & obseruatas.

EX RVDOLPHO CAESARE.

Pag. 438. uers. 8.

252. Sed facta irruptione, compulit Ducẽ ut Basildam se cõferret cum Baronibus ac nobilibus suis, concordiamq; iniret.) Vertit quidem & Hædio Basildam. Sed ubi quæso terrarum extat locus hoc nomine? Dicesne Romanicum esse nomen loci alicuius in ipsa Burgundia? Sed quis credat, Imperatorem uictorem ad Ducem uictum accessisse? Ergo in Germania potius hic quærendus locus, qui & ultrò se offert, nempe ciuitas Basilea, & Burgũdo propinqua, et Rhodolpho uicinior: quãq; is sæpe adibat, amicus factus per Episcopũ, quem ibidem habuerat addictissimum, olim sibi à confessionibus sacris, Henricum dictum Gurtelknopf, quoniã è Franciscanorũ ordine ad Episcopatũ adscitus fuerat, de quo plura in Paralipomenis Abbati Vrspergensi subiectis. Proclive aũt fuit famulo typographico, in capsulis elementarijs planè contiguis manu aberrare: proq; e, arripere d. ac eo modo Basildam, pro Basileam excudere.

Ibidem uers. 10.

253. Priusquam enim Rudolphus ex montibus.) Nulla equidẽ hic præcedentium ratio redditur. Itaq; pro enim, lege aũt. Item uersu proximè præcedenti, lege uasalli. pro Vasolli. Quod autem mox Habspurgensis castri situm ex prospectu montis Iouis, ac alpium Iuliarum circa lacum Lemanum demonstrat, probandũ non est: imò certior eius castri descriptio petenda ex Germania doctissimi uiri Beati Rhenani, atque Stumpfij Heluetia, qui tanquam digito locum ostendit: tum & recentiores alij inspiciendi, qui Alpium loca & uaria cognomina uerius certiusque explicant. Et uers. 26. rem ipsam multo facies certiorem, si post Bauariæ, uocẽ inferioris inseueris.

EX ADOLPHO CAESARE.

Pag. 444. uers. 3.

254. Comites scilicet Phyretarũ ultra Ahenum.) Nõ attingerem huius loci mendum, ut quod unius duntaxat elementi est, scilicet uoce Ahenum pro Rhenum perperam scripta: nisi Paralipomena Chronicis Abbatis Vrspergensis adiecta, huius ipsius quoque Comitatus nomen prorsus immutassent. Inquiunt enim: In hisce motibus Adolphus rex comitem de Ferraria præsidem constituebat Alsatiæ, & Hartmannum de Gerolzeck præsidem ditionis cisrhenanæ. Hi duo cum equite aurato de Bergheim, grauiter nocebant Alsatiæ, &c. Imò uerò Comitatus ille, inscriptionib. serenissimorũ Archiducum Austriæ notissimus, à Germanis lingua uernacula nominatur Comitatus de Pfirt: Latina, Comitatus Pherretis, item aliquando Ferretis, & Ferrettæ. Nam hæc omnia in diplomatis Friderici 3. Imp. legi: Galli quoque sua lingua appellant la conte de Ferrette. Itaq; in Paralipomenis dispũgenda est uox Ferrariæ: ac Ferrette, seu potius Phyrrettæ eius loco reponenda. Quo autem titulo et quando Comitatus ille Phyrretæ accesserit Ducibus Austriæ, legis inferius in Alberto Cæsare, Pag. 450. uers. 5. & apud Volph. Lazium in Vienna. De eodem Comitatu patrum memoria per Carolum Burgundum publico commercio in ditionem Burgundicã redempto, an rectè loquatur Guilielmus Paradinus sub finem cap. 8. de Antiquo statu Burgundiæ, in præsentia non excutio: certè ibidem Sigismundũ Archiducẽ Austriæ perperã fecit Friderichi tertij Imp. fratrẽ.

Pag. 445. uers. 6.

255. Ab Argentinensibus undecim miliã militum, ab Episcopo mille trecentos accepit.) Nescio an dictio undecim, hoc loco germana sit. Quis enim unã Argentoratensem Remp. credat tot ciues aut potuisse, aut adeò uoluisse Imperatoris cõtrouersi in subsidiũ unius dimicationis aleæ subijcere? Certè eadem Paralipomena longè aliũ, magisq; uero congruentem numerum recensent, his nempe uerbis, quæ subijciam: Conradus de Liechtenberg episcopus Argentoratensis, Alberto octingentos nobiles sine eorum familia adducit. Argentoratenses ciues mille equitibus & peditibus obuiãt Duci apud Friburgum, & magnificè excipiunt. Quàm modicæ autem erat operæ, Hædionem à suis ciuibus certius super eo inuestigasse, quod à uero tam euidenter abhorrebat? Post hæc iam olim annotata, fortè datum est iungere amicitiam cum uerè nobili uiro Georgio Auuero à Gankhofen, Ducali inferioris Baioariæ saltuario, doctiss. uiri Henrichi Glareani, præceptoris nostri, discipulo bene erudito, qui mihi exhibuit, atque multos in menses commodato dedit uernacula chronica Argentinensia manu scripta, authorem quendam Iacobum de Kunigshofen sacrificum præferentia, & quinq; sectionibus cõprehensa, quarum tertia de omnibus Episcopis Argentinensibus, quarta de ipsa urbe, de bellis alijsq; rebus

ibidem

ibidē, & uicina in regione memorabiliter gestis tra ctat. In ijs aūt Chronicis de hac Alberti regis cōtra Adolphum Nassouiensem expeditione in hanc sententiam extat: Ad Rhenum quoq; Albertus rex adiutores habebat Episcopum Moguntinum, Argentinensem & Constantiensem, adducens militē copiosum ex Austria, Carinthia et Hungaria, cum hic omnibus transito Danubio ad Rhenum proficiscebatur. Tum uerò Episcopus Conradus à Liechtenberg cōtrahebat octingentos equites, tam auratos quàm nobiles, excepta eorundem familia. Argentinenses etiā ipsi cum quatuor milibus, partim equitibus, partim peditibus in eiusdem Alberti auxilium occurrebant apud Friburgum, & honorificè eum excipiebant. Sic Chronica illa.

Ead. Pag. uers. 45.

256. Sed dum bella parat, uitijs dū depra uat ęuum.) Vel puer intelligat, hunc hexametrum media in syllaba uerbi deprauat claudicare. Quare aut degrauat, aut quoduis aliud huc quadrans uerbū ab authore scriptū fuisse ego mihi persuadeo.

EX ALBERTO CAESARE

Pag. 446. uers. 20.

257. Qui comitem de Hayrla auunculum Alberti Ducis Austriæ occiderat.) Neq; hac de re historias anxiè perueſtigare uacauit: sed nisi cōiectura fallit, pro Hayrla, legendum hic est Haigerloch, uti hodie pronunciamus: siue Hagerloch, ut suprà ad calcem Adolphi extat, scilicet Comitem Albertum de Hagerloch, qui & ipse huic Alberto contra Adolphum in prælio adfuit, uiolenta morte, ut alios omnes in Adolphum coniuratos, occubuisse. Opinor uerò authorem intelligendum de ea ditiuncula, quam à domo Austriæ acquisitam possident hodie generosi Comites à Zollern: nimirum quia aliam hoc nomine non noui, & quia contigua est Dominio Hohēberg, cuius in hoc Rhodolpho sæpe quoq; fit mētio: ut quod erat Bernhardi Comitis, soceri ipsius Rhodolphi.

Eadem Pag. uers. 37.

258. Cui ob potentiam cū resistere nequiret ingenioso.) Vt potenti nihil admodum opus est ingenio contra imbecilliorem: ita prorsum necesse est ut imbecillior ad artem confugiat, quæ sæpe uiribus par, adeoq; superior est. Itaque post uerbum nequiret, distingues, ac pro ingenioso leges ingeniosè, idq; aduerbium referes ad uerbum contradidit.

Pag. 447. uers. 48.

259. Qui accepta regina Calisiæ relicta Vuenceslai Sexti uidua in uxorē.) De nulla ego Calisiæ regina uspiam legi: nec scio quæ prouincia, aut quis omnino locus Calisiæ nomen habeat. Calisium (ueteribus Caletes, quibusdam Caletum & Calesium uocatum) non ignoro, oppidum Belgarū longè munitissimū in Oceani littore, per annos iam amplius ducentos in Anglorum potestate: Alberti autem Cæsaris seculo in regis Franciæ manu, sed nō alio quidem nomine aut titulo quàm quoduis aliud ditionis Francicæ oppidum, ita ut nullus rex aut regina inde nomen usurparent regium. Nisi me omnia fallunt, debemus hanc quoque mendam amanuensis oscitantiæ, qui Calisiæ scripsit pro Elisabet, quo modo malè auritus aliquis dictantē uocem non satis percipiens, facilè potest aberrare. Nam in Aeneæ Syluij Bohemica historia Cap. 30. ubi hanc ipsam rē narrat, hoc modo lego: Id ægrè fert Albertus Imperator, qui repentè coactis copijs Bohemiā ingressus, Henricum regno deturbat, Rodolphumq; filium suū regem constituit: Elisabeth senioris Vuenceslai relicta in matrimonium ei tradita, quo regnū eius solidius esset. Caput id totum Syluianum, unà cum præced. & sequenti, si huc quasi commentarij uice adhibueris, ac simul ea quæ Cuspinianus infrà in Alberto Cæsare Pag. 449. scribit, cognosces plenius tū alia omnia, tū hac ipsa pag. uer. 46. pro Clomuncio legendum esse Olomucio: quanquam ea ciuitas sede Episcopali ultro satis est omnibus nota, præsertim Germanis, atq; alijs nationibus finitimis.

Pag. seq. uers. 19. opinor pro Rustat, legi oportere, Rastat, & intelligi oppidum Saltzburgensis ditionis, quod me puero in tumultu rusticano factū est celebrius. Pag. 449. uers. 3 pro Rysam, lege Rusam: quod Heluetiorum flumen olim Vrsam appellatum fuisse, testatur uir undequaque doctissimus atq; integerrimus, præceptor nobis perpetuò honorandus, HENRICVS GLAREANVS, in Annotationib. in Lib. 1. Comment. Cæsaris.

Pag. 449. uers. 37.

260. Quorum undecim iustam assecutæ sunt dignitatē.) Agnoscere & hic licet amanuensis scioli culpam, qui ad præcedentia tantum respiciens, dignitatē suppositit pro ætatem: quæ uox est huic loco propria, uti sequentia clarè ostendunt, & Hædio rectè emendauit. Nisi fortè ex ijs quæ sequenti Pag. uers. 29. scribuntur, uocem dignitatē tueri uelis, cū author inquit: Quinq; itē inuenio filias Alberti Principales dignitates assecutas.

Ibidem uers. 50.

261. Quæ duas reliquit filias, quarum altera Duci de Schuueidnitz, altera domino de Kussin Francię locantur uxores.) Videtur legendū, domino de Kusi in Francia. Lingua aūt Gallicana hanc familiā Coucy dictā, ex Frossardo liquet, qui nimirum de filio huius domini, quo de hic mentio est, passim multa narrat, præsertim post medium Vol. 1. puta quomodo pertæsus aliquando belli inter reges Francum & Anglum (quòd in utriusq; regno luculentas possessiones, ac filiam Angliæ regis uxorem haberet, natione autem Francus esset) è Gallia permissu regis abfuerit. Quæ Frossardus sub finem eiusdem Vol. 1. de illo ipso domino à Coucy, scilicet nepote Leopoldi Austriaci scribit, quia amplius ad præsentem locum & res Germanicas faciunt, interpreti Sleidano prorsus prætermissa silentio, bona fide à nobis translata apponemus: quan-

quam sanè Frossardus rem ipsam minus integrè uereq; uideatur habuisse cognitam, id quod & hic Cuspiniani locus haud obscurè testatur. Sed tamen operæprecium est cognoscere, quem ad modum externi de rebus in Germania nostra per suos iam olim gestis scripserint.

Circa id tempus, inquit Frossardus (qui paulò ante narrauit res gestas fermè sub annum Salutis M. CCCLXXV.) redierat in Franciã Dominus à Coucy, qui diu se continuerat in Longobardia apud Comitem Virtutũ, filium Domini Galeacij, belligerans contra Barnabouem, eiusq; fœderatos pro causa ecclesiæ & Gregorij Papæ 11. qui tum præsidebat, proq; sacro Cardinalium collegio. Hic Dominus à Coucy ex successione matris suæ, quæ soror fuerat Ducis Austriæ nouissimè defuncti, debebat esse hæres Ducatus: nam Dux ipse uita decesserat sine liberis legitimo ex coniugio procreatis: & Austriaci terram dederant cuidam, qui gradu quàm dominus à Coucy erat remotior. Sæpius autem hac de re conquestus erat apud Imperatorem Carolum à Bohemia. Imperator satis quidem intelligebat iustare à Coucio: sed non poterat commodè cogere Austriacos, qui in terris suis & loca munita, & bonorum bellatorum magnam habebant copiam. Bellum quidem ipsis aliquando Coucius intulerat, auxiliante quadam sua matertera, sorore eius Ducis è quo hæreditatis petendæ ius prætendebat, sed parum profecerat. Reuersus autem in Franciam Coucius, cum perhumaniter à rege haberetur, sic animo secum cogitabat, esse in Francia magnum numerum militum in ocio uacantium, neq; dari ubi eorum opera impenderetur, eo quòd inter Gallos et Anglos essent inducie, implorauit itaq; Coucius regis opem, quo per ipsum consequi posset turmas Britonum, quæ regnum bello uexabant, ducturus militatum in Austriam. Rex cupiens istas ubiuis quam in regno esse potius, adsensit. Tum etiam eidem mutuauit aut donauit (nescio equidem utrum horum factum) sexaginta milia Francorum, quam pecuniam inter turmales dispartiretur. Iter ingressi circa festum S. Michaelis uersus Austriam, adferebant calamitatis multum quacunque tendebant. Præterea autem his turmis auxiliaturi Coucium plurimi barones, equites aurati & nobiles se adiunxerunt, è Francia, Artheſia, Veromandia, Hannonia, Picardia: puta uicecomites à Melolis & à Daunoy, dominus Rodolphus à Coucy, Baro à Roy, Petrus à Bar, & nõ pauci alij qui dare uirtutis suæ specimen statuerant. Quum Austriaci & Germani cognouissent Dominum à Coucy aduenire tam ferociter belligeratum in Austriam, exusserunt ac uastarunt ultrò regionem suam secundum flumen ad iter tridui, & post se receperunt in montes & loca inhabitabilia. Quando equites, quorum caput erat Coucius, cogitabant inuenire commeatum necessarium, nullus aderat: & pertulerant toto eo tempore, itemq; per byemem, multum inopiæ, neque uidebant quò tandem excurrerent pabulatum, & unde uel sibi uictum peterent, uel equis suis, qui fame, frigoreq; periribant. Aduenientе igitur uere, abierunt retro in Franciam: inque plura dispartiti loca, sese reficiebant.

In annalibus autẽ manuscriptis cuiusdam Sancti Vdalrichi apud Augustam cœnobitæ, cuius patri nomen fuit Caspari Sendero Laugingensi, inuenio eandem rem sub anno 1375. uerbosè quoque narratam: atque nominatim additum, bellatorum maximum illum numerum è Britonibus & Anglis ad Rhenum confluxisse, causa domini de Cussin, qui totam Hegoiam iure quodam antiquo hæreditario ad se pertinere adfirmabat. Consilio autem Lupoldi Ducis Austriæ oppida & arces fuisse accuratè munitas, omnesque uillas per Alsatiam usque in Hegoiam exustas: atque ita hostes, quorum cum amplissima multitudine nemo congredi audebat, commeatus penuria depulsos, populoq; Alsatiæ nutu Dei, & prouidentia Ducis Austriæ uictoriam contigisse. In eodem autem bello occubuisse Comites de Nidaw et Ensin. Nisi uerò memoria fallit, legi aliquando eandem rem copiosius scriptam in Chronicis Heluetiorum, quæ uideri possunt.

Legendũ forte Ergoia, quod uero est dissimile, hostes Rhenum traiecturos fuisse in Hegoiam.

Frossardus autem loco iam suprà citato mox subiungit, quo modo idem Coucius totum se regi Franciæ tum dederit, uxore ad filiam iuniorem ablegata in Angliam. Hunc autem Dom. à Coucy germanam fuisse præclarissimæ domus Austriæ sobolem, cognoscere licet tum ex Ioannis Sleidani epitome Frossardica, quo loco narrat, in expeditione contra Turcas sub Sigismundo Imperatore (qua ad Nicopolim insignis est Christianis illata clades, Gallorum quidem superbia & temeritate) summam huius Coucij enituisse & prudentiam & uirtutem: tum planè apud eundem Frossardum Philippus Dux Burgundiæ, quum ipsum Ioanni filio in eam expeditionem ituro prorsus ita adiungens comitem & monitorem, ut olim Peleus Achilli Phœnicem, hoc eidem tribuit testimonium: è quo constet, eo seculo in omni Francia nobilitate, rerum experientia et uirtute neminẽ huic Domino à Coucy fuisse æqualem. Eiusdem etiam fuisse inter Gallos singularem quandam opinionem tusticiæ, fidei, omniumque earum uirtutum quæ pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem, & quibus multitudo quàm maximè acquiescit, ac quólibet impellitur, ad modum luculenter apparet ex alio eiusdem Frossardi loco, dum ante medium Vol. 2. narrat, rebellantibus atrociter Parrhisianis, & omnia miscentibus, adeò ut rex Carolus 6. unà cum patruis suis cogeretur urbe abscedere: hic Coucius non secus quàm alter Menenius Agrippa, omni è procerũ numero delectus fuit, q ad furentẽ se conferret populũ: quẽ & mox prudẽti et leni oratione ita pacauit, ut regi obsequerentur. Easdẽ uirtutes tribuit quoq; Vol. 3. ubi narrãs Francorũ cũ Genuẽsib. expeditionẽ contra Saracenos in Africã, Anno Salutis M. CCCXC.

Vide Lazium in Vienna, in Lupoldo primo, dicto Glorioſo.

& in

& in maxima cõmeatus penuria, ut inter sese Christiani id ipsum quod utcunque suppetebat, pio adfectu non aliter quàm fratres communicarent, & ualidi solarentur ægrotos, adijcit Frossardus in hanc sententiam:

In primis uerò fiebat nobilitatis concursus ad Dominum de Coucy, qui se illis norat ita humanum & mansuetum præbere, ut nulla ex parte illi conferendus esset Dux Borbonij, supremus eius belli capitaneus. Erat enim is elato animo, & uultu fastuoso ac feroci, neque unquam tam leniter & benignè quàm Coucius equites nobilesq; externos alloquebatur. In more autem habebat, ut maiore diei parte extra tentorium desideret, decussatim compositis tibijs: & necesse erat, ut quisque suum ei desiderium exponeret per aduocatum, & exquisitum deferret honorem: nec animaduertebat Coucij mores planè eos esse, qui ipsum multitudini longe chariorem efficerent, quàm ipse esset Borbonius. Et retulere mihi equites nobilesq; externorum remotißimi quidam, si Dominus à Coucy totius eius expeditionis summus fuisset ductor, geri ac confici potuisse res longè alias, quàm euenissent: & stetisse per unius Ducis Borbonij superbiam & culpã, cur præclara multa consilia ad rem nõ conferrentur, nec obsessa ciuitas caperetur. Paulo pòst exponit prolixe eiusdem Coucij circumspectißimum quoddam consilium, super quadam monomachia, in qua ex inconsultè facta promißione decem Gallici nobiles depugnaturi erant contra totidem Saracenos. Id consilium cum reliqui proceres Gallici contemnerent, & superbam probarent monomachiam, uno die amisere, nullo hostibus illato incommodo, circiter L X fortißimos equites auratos ac nobiles.

Hæc non potui non commemorare, pro ampliore laude inclytißimi Austriaci sanguinis, in qua hodieq; ut fortitudinem, magnanimitatem, constantiam, rei militaris peritiam, prouidentiam, ac reliquas uirtutes Imperatorias: sic etiam leniores illas, clementiam, liberalitatem, humanitatem, modestiam, mansuetudinem, comitatem, & consimiles, ita ineße uidemus, ut huius familiæ hæ quasi propriæ uideantur.

Postremò nec illud omiserim (dignißimi enim sunt tales heroes, qui posteritati tanquam omnis uirtutis absolutum exemplar plenè exhibeantur, & perpetua consecrentur memoria) ex solis proximè citatis Frossardi locis me deprehendere potuisse, hunc Domino à Coucy nomen habuisse Enguerrandus, & è prouincia fuisse Normania. Gaguinus nusquam aliter, quod sciam, appellat quàm Conciacum. Inueni postea & Pandulphum Collenutium libro quinto, historiæ de regno Neapolitano, sub annum 1384. quo occubuit eo in regno Ludouicus Andegauensis, narrare, quomodo Comes Enguerrandus, uulgò solitus nominari Dominus de Couci, in subsidium eiusdem Ludouici XII milia equitum è Francia adduxerit: sed Ludouici iter non insecutus, imò in Ecclesiam delatus, Aretiũ occupauerit, atque Florentinis uendiderit, quod hodieq; possideant. Præter hæc omnia, nisi planè fallor, de hoc ipso quoque Domino Enguerrano Coucyo intelligendum est, id quod Frossardus circa medium Vol. 3. in rebus gest. Anno Salutis M. C C C L XXXIX. scribit: scilicet, quòd cum ab Aquitania ex aula Comitis Fuxẽsis Lutetiam reuerteretur, inuentum ibidem sibi inclytum illum Dom. à Coucy, unum è patronis suis selectis, qui nuper iunctus fuerat matrimonio cum filia Ducis Lotharingiæ iuuencula, atque inde se in eiusdem comitatu profectum ad castrum uocatum Creuecueur, duabus leucis à Cameraco, & nouem à Valentiana distans, à Rege ipsi Coucyo donatum. Vers. 53. ubi scribitur, Comitis de Vrnberg in Effya filiam, emendabis hoc modo, Comitis de Virnberg in Eyffliа filiam. Quidam Eyfáliam uocant.

Hæc terra Comitum familias hodieq; plures habet, ac olim cum primis in ea floruit opibus ac non minis claritate præstans hæc familia Comitum à Virnberg: è qua fuit & Henrichus à Vuirnberg, Archiepiscopus Moguntinus, qui quod Ludouico Quarto ut legitimo Cæsari obsequeretur, per Papam imiquè èst præsulatu deiectus. Idem ab Alberto quoque Pighio theologo libro 5. Hierarchiæ eccles. in historia eiusdem Ludouici Quarti mendosè Henrichus de Vrnberg memoratus. De hoc uide plura inferius in Carolo Quarto, Annotatione 282. Pag. 450. uers. 23. pro Bernaboni, lege Bernabouis. Nõ iudicarem equidem has mendas tam apertas, nisi uiderem ipso ab Hædione, præter unam Eyffliam, relictas omnes.

Pag. 450. uers. 30.

262 Annam II. quæ.) Lege, II. Annam. Neque enim hæc Anna II. fuit dicta, uti nomina Regum Principumq; solemus discernere: sed numeris ipse filiarum hic nominibus ita præponitur, quemadmodum paulo antè in enumeratione filiorum huius Alberti Cæsaris.

Ibid. uers. 34.

263 Ludouici Bauari docti regis Roman.) Lege, Ludouici Bauari electi siue dicti regis Rom. Nam hunc Bauarum nostrum Imperatorem longè optimum literarum scientia caruisse, non sine suo damno & malo, ipse author infrà in eius uita Pag. 465. uers. 42. (si locus is sincerè, nẽpe iuxta restitutionem nostram legatur) diserte testatur.

Ibid. uers. 36.

264 Sororem Comitis de Vuittẽburg.) Non dubito, quin pro Vuittenburg, legi debeat Vuirtenberg: quod Hædio quoque animaduertit. Nam ut Vuittẽburg à Comitatu Oetingi longè abest in Ducum Electorum Saxoniæ (quanquam nec id oppidum ita, sed Vuittemberg dicitur) nõ Comitis cuiusquam ditione: ita Comitatus Vuirtember-

genſis (qui hodie Ducatus titulũ obtinet) proximus fermeq; contiguus eſt, ac olim cum Oetingẽſibus uicinis ſæpe coniugia inire ſolitus. Erratum hoc Hædio quoq; ſuſtulerat. Commodè huc illud adiecero, inferius in Friderico Pulchro Pagina 461. uerſ. 1. cum ſcribitur, à Duce Leopoldo Gutam ſororem matrimonio coniunctam Ludouico ſeniori de Ottingen, prorſus mihi uideri legendum eſſe Oetingen, & nimirum de huius ipſius Comitatus Domino intelligendum. Eadem eſt menda Pag. 468. uerſ. 52.

EX HENRICO VII.

Pag. 452. uerſ. 44.

165 Abeunte Henrico Duce in ſuam Carinthiam. Et cum.) Vt omnẽ tum huius, tum præcedentis periodi ſcabriciem effugias, & mendã quæ ex tranſpoſitis quibuſdam uerbis ineſt tollas, cenſeo hũc ad modum ut legas: regnum Bohemiæ tum occupauit, ſed à Baronib. deriſui habitus. Ioannes hic filius Henrici regis eligitur (abeunte Henrico Duce in ſuam Carinthiã) & cũm regina coniuge ſua Pragæ à Mogũtino archiepiſcopo (ad quem ius coronationis ſpectat) coronatur, pridie Nonas Februarij, anno ſaluationis noſtræ M.CCC XI. Vide ſuper hoc loco etiam ea quæ infrà in Ludouico Quarto ſcripſimus. Quo autem animo Henricus hic Septimus fuerit in illuſtriſſimos Principes Auſtriacos, qua de re Cuſpinianus ſcribit Pag. præcedenti uerſ. ult. habes non prorſus idem alijs ex ſcriptoribus relatum apud Spiegelliũ in lib. 2. parallell. Aen. Syluij ad Antonium Panormitam, de dictis & factis regis Alphonſi. Errata quædam alia leuicula huius & ſequent. Paginarum, ſciens tranſeo.

Pag. 456. uerſ. 22.

166 Eis q; poteſtatem reddendi adimit.) Neſcio equidem an hic pro uerbo reddendi aliud quoddã legendũ ſit, an potius omiſſa uox iura. Verſu altero poſt pro excitum, lege exercitũ. Pag. 457. uerſ. 41. ante uerbum macerauit, interſere uoculam ſe. Pag. 458. uerſ. 14. pro Alberti, lege Rudolphi: quia Ludouicus Quartus Bauarus Imperator filius fuit Mechtildis, filiæ Rudolphi Imperatoris, & ſororis Alberti regis, uti infrà initio eiuſdem Ludouici author ipſe narrat.

EX FRIDERICO PVLCHRO.

Pag. 461. uerſ. 33.

167 Admonitione haud indignũ fuerit, hunc Fridericum à quibuſdã ſcriptorib. prætermitti in Catalogo Cæſarum: cõtrà à quibuſdã referri, & quidem inter Fridericos tertium. Et de hoc proculdubio intelligendus eſt Iacobi Aluaroti locus, dum initio tituli de pace tenenda, in Vſibus feudorũ, de Friderico ſecundo, eius ſanctionis authore, narrãs, hæc uerba ſubiungit: Vltra iſtos reperio inſuper & alium Fridericũ tertium, de quo in iure noſtro nulla habetur mentio, cum regnauerit poſtquã omnia iura, etiam nouiſſima, emanauerunt, paucaq; de eo à ſcriptorib. mentio fiat, cũ pauca de ſe memoratu digna reliquerit: niſi quòd reperi libellum quẽdam editum per recolendæ memoriæ dominum Rolandinum de Platea compatriotam meum, ſibi intitulatum. Libellum uerò iſtum fuiſſe ſcriptũ de diuerſis regibus, ubi eorum in iure extet mentio, & qui inungantur & coronẽtur, & qui minus, deprehenditur ex eodẽ Aluaroto in tit. Quis dicitur Dux, comes uel marchio. Cum autẽ de Friderico tertio ut iam defuncto loquatur Aluarotus, ipſe mortuus Anno Salutis M.CCC CLIII, quo tempore Maximiliani Cæſaris pater, crebriore hiſtoricorũ conſenſu dictus Fridericus tertius nondũ diu imperauerat: præut poſtea annis plurimis imperio præfuit, liquet Aluarotum de hoc Pulchro eſſe accipiendũ. Pag. 460. uerſ. 10. pro Eytzging, lege Eytzing, cuius celebris & potentis in Auſtria familiæ gentilibus quondam proprium ferè fuiſſe, ut in dominos cornua erigerent, rebuſq; ſtuderent nouis, oſtendunt quicunq; eu ndẽ Fridericũ patrẽ Maximiliani ſcripſere: & Vlricum quidem Eytzingerũ, eiuſdẽ Friderichi Imp. conſiliarium, ſed tamen in ipſum improbè factioſum, narrat Cuſpinianus infrà in eodem Friderico, Pag. 509. uerſ. 50. & ſequẽt. & attingit Aen. Syluius lib. 3. in Ant. Panor. de dictis & factis Alphonſi regis, cap. 14. Pag. 461. uerſ. 32. ubi ſtratagema Auſtriacorum narratur, puto è multis eum quoque in Cuſpiniano locum unum eſſe, in quo tum uerba, tum narrationis ſeries quædam aptior deſiderantur. Quod enim ex Friderici ad exploratorem uerbis ſtratagema deprehendis? Videndus itaque hac de re Iacobus Vuimphelingus capite 44. Epitomes rerum Germanicarum, è quo hic locus tranſcriptus uideri poteſt. Secundò, inquit ille, maximis copijs comparatis ad Bruſcam Alſatiæ fluuium conuenere (qui fluuius Alſam per nobilem Argentinam ducit) ibi que longius ſtatuis collatis, prælium utrinque pepigere. Videns tum Fridericus Bauarum peditatu abundare, ſtatuit & ipſe equitibus equisq; dimiſſis pedes pugnare. quo uiſo ſtratagemate, Ludouicus Bauarus in fugam uerſus, in Bauariam ſe recepit. Hæc Vuimphelingus, omnino ad hunc locum & ſtratagema probè intelligendum perneceſſarius: præſertim quòd ea quæ apud Cuſpinianum præcedunt, de Ludouici numeroſo ualidoq; equitatu expreſsius aliquanto, quàm de peditatu perperàm commemorare, tantoq; plus ambiguitatis inducere uidentur. Attingitur hoc idem quoque ſtratagema in Paralipomenis Vrſpergenſi adiectis.

Pag. 462. uerſ. 19.

168 At Bauari pedites, qui ſe fugæ commiſerant, reuocantur.) Ex uerbis quæ ſtatim ſequuntur (ſcilicet, equis que dimiſsis, pedites prælium renouant) item que ſtratagemate conſimili, quod proxima Annotatione iam explica-

explicauimus, clarè liquet, ab authore equites hic ſcriptum: & à dormitante librario dictionem pedites, ex uerſu inferiore perperàm huc quoq; tractam fuiſſe. Velim quoque lectorem expendere id etymon, quod author paulo ſuprà uerſu 10. reddit de prato in quo pugna commiſſa, nimirum poſtea nomen ei inditum aſſerens Vehwiſen, à captis ibi hoſtibus. Non equidem abſurdum eſt, ac redditur idem etymon per Ioannem Auentinum in hiſtorijs (ſi modò rectè etiamnum memoria teneo, quæ raptim in ijs manuſcriptis aliquando apud amicum percurri potius quàm legi) attamen mihi aliquanto propius uero uidetur ita dictum hoc pratum à Veh, id eſt bello. Neq; enim dubium eſt, ſuperioribus ſeculis apud Germanos bellum dictum Vehd (quod Baioarij, Auſtriaci, & his finitimi alij populi uulgò pronunciant Veh: uti in legibus Longobardicis ferè ſcribitur Feda & Fedoſus, pro bello & hoſte) & inde Beueh den, id eſt bello impetere aliquem: qua de re uideri poſſunt, quæ ipſe copioſè ſcripſi in Notis in Tabellas Gallicanarũ uocum Caroli Bouilli. At huic prato eo magis quidem à bello nomen indi potuit, quod ibi non modò bellatum & pugnatum, ſed poſt multas dimicationes alias, inter hoſce duos principes iuſto prælio debellatũ fuit, Deo certam plenamq; tandem uictoriã Baioarijs largiente. Vt uerò hoc meum etymon (cui etiam locus ex uernaculis quibuſdam Genealogijs adſtipulari uidetur, Annotatione proxima afferendus in medium) aliquis genuinum eſſe neget: tamen mihi non perſuadebit, prius illud, à captiuis deſumptum, eſſe conuenientius: quoniam eo nomine potius Vahwiſen, aut Fangwiſen dictum oportuiſſet. Equidem ſocer quoq; meus piæ memoriæ Georgius Bohemus, cognomẽto Spies, Iurecos. & olim ſub illuſtriß. optimiſq; Principibus & Epiſcopis, Erneſto Baioario, et Philippo Palatino, Cãcellarius primum Patauienſis, deinde Friſingenſis, in Annalibus à ſe cõgeſtis, ſuaq; manu ſcriptis, hoc ipſum pratum Vehwiſer appellat, proximeq; Ampfing ſitum narrat. In Hædionis uerſione legitur Vuehwiſen, neſcio an culpa librarij magis: an quia fortè ipſe Hædio non ad uerbũ Vahen, id eſt capere, ſed captiuorum calamitatem reſpexiſſe Cuſpinianũ, & Veh dolentis particulam opinatus ſit.

Ead. Pag. uerſ. 48.

269 Cuiominoſum nomen Trawſint.) Nihil in hoc nomine ſiniſtri ineſt ominis. Apparet itaq; ab authore fuiſſe ſcriptum Trauſnitz, quod nomen arcis & alij hiſtorici produnt, lingua noſtrate Germanica idem ſonans, quod Latinè dixeris, ne fidas. Bruſchius quidem in uernacula deſcriptione Egræ ſuæ memorat, Friderichum à Ludouico prælio uictũ annos tres totos captiuum detẽtum in Trinſeneck, arce Auſtriæ. At uerò nec Auſtriæ partem ullam Ludouicus poſſedit: nec ſi poſſediſſet, hoſtem captiuum ad ipſos prouinciæ eius limites adducturus, atq; Auſtriacis cuſtodia eximẽdum quaſi ultrò oblaturus erat. Deniq; ubi locorum in Auſtria eſt hodie, olim uiſe fuit, arx illa Triſeneck? Ipſe igitur Bruſchius uiderit, quem iſta in aſſertione, adeò non uero ſimili, ſecutus ſit authorem. Nauclerus quidẽ Generatione 45. arcem uocat Triſeneck, ſed de Auſtria ille uerbum nullum. Fortè & ipſum nomen arcis, librarij apud Nauclerum deprauarunt. Quum hac ipſa de re mihi cum nobili Dom. Viguleo Hund de Lauterbach, uetere amico (uiro non minus hiſtoriarum perito, quàm iuris & iuſticiæ conſulto, hodie illuſtriſſimo Principi Alberto Comiti Palatino Rheni, utriuſque Bauariæ Duci, à ſecreto conſilio) incidiſſet aliquando ſermo, uidebatur ipſi, arcem oppidi Landshuot Friderico cuſtodiam fuiſſe, olim ſcilicet dictã Trauſnitz. Cæterum quia Landshuta iam diu ante Friderici captiuitatem condita, arcis nomen illud primũ obſcuraſſe, inq; ſuum tranſtuliſſe uidebatur: cẽſebam ego intelligendũ potius de arce Trauſnitz quæ in Norico eſt, non longè ab Hemmaq;: idq; ea quoq; coniectura, quòd Seyfridus Schwepermannus, qui capitaneus in prælio iſto egregiam in primis Ludouico operam nauaſſe ſcribitur, in monaſterio Caſtello, quod eodem eſt in Norico, tumulatur: nimirum eius regionis incola, & cui ſpectatæ uirtutis fideiq; uiro potius quàm cuiuis alij Friderico cuſtodiendum Ludouicus commiſit ipſo in Norico: præſertim cum amicum belliq; ſocium haberet Ludouicus, nõ modò Bohemiæ regem, ſed etiã Marchiones Brandenburgenſes, ac deinde Noricum undequaq; tutum. Iudicet lector ipſe, aut potius ex hiſtorijs aliquibus certius ſibi inueſtiget. Hæc quum iam annotaſſem, Lector candide, incidi in manuſcripta Chronica uernacula, ſeu potius genealogias quaſdam illuſtriß. Ducum Bauariæ & Comitum Palatinorũ Rheni.* Liber eſt anonymus, niſi quòd circa recentiora quidam Mathias à Kemnaten inſeritur, qui ſubinde neſcio quo ingenij impetu in diuerticula quædã cõcedens, ac præſertim Friderichũ illũ è Comitibus Palatinis patrum memoria bellatorem inclytum, Iouem nempe ſuum, magnificè prædicat, ac ſingula eius bellica facinora aliquot hexametris decantat. Ea ſanè Chronica quo loco noſtrum Ludouicum tractant, hac in controuerſia pro nobis pronunciant, ſi quidem uera ſunt quæ lingua uernacula ad hunc modum narrant: Anno Salutis M.CCCCXV. eligebatur Rex Romanorum Ludouicus à Baioaria: itidem Fridericus Auſtriæ Dux, qua de re in graue conſurgebant bellum. Itaque anno M.CCCCXXIIII. in profeſto Sancti Michaelis, inter Muldorfium & Oetingam, in prato cui lingua patria nomen Veichwiſen, magnum committebatur prælium, in quo uincebat Rex Ludouicus, & capiebat Ducem Fridericum, eum'que ducebat in arcem Treuſennitz uocatam, prope Nabpurg. Atq; eo ipſo anno electionis duorum regum tanta erat annonæ caritas, quòd ſcapha ſiliginis in Baioaria ueniret quinque libris Ratiſponẽſibus, & ſexaginta numis. Hæc Chronica illa. Latinum compẽdium deprauatè habet Trauſenitz propè Nabpurg, &c.

Quomodo hi contra Auſtriam hoc in bello ſteterint, narrat Æneas Syluius lib. 3. ad Panormitã. de dictis et factis Alphõſi regis, ca. 202

* Excuſum eſt nuper an. 1549. Francofurti apud Iacobũ Cyriacum mendoſe admodum eiuſdẽ ipſius operis Latinum compendiũ, Io. Trithemio abbati Spanhemẽſi authori adſcriptum.

Pag.464.uerſ.27.

270 Tantũ enim in amore coarcti flagrauit.) *pro* coarcti, *uoce nihili, legẽdũ eſſe* mariti, *quod Hædio uertit, uel* capti, *uel adeò utraque hæc, ſatis eſt perſpicuum ex ſequentibus.*

Pag.ead.uerſ.32.

271 Annam ſcilicet, quæ primũ regi Poloniæ Ludouico Romano, filio Ludouici Quarti Cæſaris Ducis Bauarię nupſit.) *Nũquam ego legi hunc Ludouicum Romanum Poloniæ regem fuiſſe. Quare hæc diſtinguẽda cenſeo, ac poſt Poloniæ interſerẽdam particulam* Deinde, *pòſt, aut conſimilem aliam, ita ut hæc Anna non bigama (quod alias Cuſpiniani contextus innuit) ſed trigama fuerit. His iam annotatis, cognoui ex nobili & magnifico domino Vuiguleo Hund, cuius & ſuprà nobis facta mentio, ipſi quoque hunc locum uideri inſigniter mendoſum, nimirum quòd prorſus noſtram iuxta ſententiam iſte Ludouicus Romanus non fuerit rex Poloniæ, neque adeò ſe legere maritum eum unquam fuiſſe. Vidiſſe autem ſe pictam Genealogiam Ducum Auſtriæ, ubi continebatur, Annam hanc cuidam Duci Poloniæ nupſiſſe, ſed de qua in Chronicis Poloniæ nihil inueniret. Nos, quod ſine authore conijcere dabatur, attulimus.*

Pag.465.uerſ.2.

272 Quarũ data ſunt Vlmæ, Anno Chriſti M.CCCXXVI. feria tertia, XII. die. XII. anno Imperij.) *Aut pro* feria tertia, *legendum eſt menſis alicuius nomen: aut pro uocibus* XII die, *legendum feſtum aliquod, præmiſſa dictione* ante *uel pòſt. Et hoc quidem magis arridet, quoniam & uerſu quarto ſuprà conſimilis extat Datæ formula, ſcilicet* Monaci, feria quinta ante natiuitatis Marię, &c. *Literas autem poſteriores, de quibus hic Cuſpinianus narrat, utriuſque partis rato adſenſu haud unquam ita conſcriptas atq; editas fuiſſe, ut ad effectum peruenirent, res ipſa loquitur: & nominatim in* Vienna Lazius ſcribit, hunc Friderichum cõtra Ludouicum Bauarum aduerſam expertum fortunam: ad poſtremum Galliæ & Hungariæ regum interceſſione liberatum, titulo tantum regni Romani contentum, paris deinceps munia in Auſtria obijſſe, &c.

EX LVDOVICO QVARTO Baioario Imperatore.

Pag.ead.uerſ.16.

273 Quam occidi iuſsit, ob falſam ſuſpicionem cum milite quodã in Vuerdea, in Cæſarea monaſterio ordinis S. Benedicti ſepulta.) *Geminum, niſi fallor, hic ſubeſt erratum: prius quidẽ circa diſtinctionem, quæ perperàm eſt ſcripta poſt* Vuerdea, *nempe innuens Imperatorem eo in oppido concepiſſe ſuſpicionem in militem iſtum, ut ab Auguſta adamatum, quum ſanè de ipſo loco ſiue affectati adulterij, ſiue domicilij militis parum conſtet: atque ſequentia, ut mox demonſtrabitur,* Vuerdeam, *ut oppidum in quo ſepulta iaceat Auguſta, deſignent. Alterum erratum eſt in dictione Cæſarea, quæ herclè primo aſpectu me eò induxerat, ut crederem hanc Imperatoris uxorem ſepultam in monaſterio quod appellatur Cæſarea, ſeu Cæſarienſe, paſſus mille plus minus à Vuerdea in ſeptentrionem diſtans. Sed cum ſcirem id monaſterium eſſe inſtituti Ciſtercienſis, conijciebam perperàm ſcriptum* Cæſarea, *pro* Cęſareo, *ac totũ locum ſic eſſe legendũ:* quam occidi iuſsit, ob falſam ſuſpicionẽ cum milite quodã, in Vuerdea, in Cæſareo monaſterio ordinis Sancti Benedicti ſepulta. *Per inſtauratam uerò dictionem* Cęſareo *intelligebam monaſterium S. Crucis, quod eſt Vuerdeæ, putãs nimirum & à Cæſare quopiam iam olim id eſſe fundatum (indeq; Cuſpiniano uocatum Cæſareum) & ordinis Benedictini, ut qui recordari uidebar ante annos plurimos in eodẽ mihi uiſos nigro ueſtitu monachos, etſi de neutro quicquam haberẽ ſatis explorati. Quumq; hoc ipſum recens in margine codicis mei annotaſſem, euenit fortè fortuna, ut idem Dom. Vuiguleus Hund, de quo & paulo ſuprà, ab illuſtriſſimo, deq; nobis optimè merito principe Vuilhelmo utriuſq; Bauariæ Duce ac Comite Palatino Rheni de componenda quadã controuerſia legatus, aliquot dies Aquiburgi in patria mea (ubi tum hæc per ocium cõmentabar, quẽadmodũ in Nuncupatione pluribus expoſui) commoraretur, et Cuſpiniano meo animi cauſa cõmodato utertur, atq; in primis hãc coniecturã noſtrã diſertè confirmaret: aſſerens ſibi teſti oculato conſtare, imperatricem illam, de qua hic mentio, ſepultam eſſe Vuerdeæ in monaſterio S. Crucis, in ſacello quodã, ſub elevato lapide, & ſua cum inſcriptione: idq; monaſteriũ eſſe profeßionis Benedictinæ. quod libuit ad tollendã omnem huius loci mendã & ambiguitatẽ adſcribere, præſertim quũ interpres non modò utrũq; amanuẽſis erratiũ rectà hic ſecutus ſit, ſed etiã ex Cæſarea ipſa nomẽ oppidi fecerit, ubi eſſet monaſteriũ id Benedictinũ. Sed quis ſcriptor Latinus in tali formula orationis præpoſitionẽ nomini proprio unquam addidit, appellatiuo aũt detraxit? Cõtrarium autem uſurpant omnes. uerbi gratia: Nemo dicit, in Roma ſepulta, monaſterio S. Pauli. Sed hoc modo omnes: Romæ ſepulta, in monaſterio S. Pauli.*

Ibid.uerſ.20.

274 Monaſterium in Bauaria ſupra Anram.) *Nihil dubito ab authore ſcriptum fuiſſe* Amram. *Nomẽ autem illius fluuij, qui locorum, patriæ & linguæ uernaculæ obſeruãtiores ſunt Bauari, ferè ſcribunt* Ambram, *diciturq; tractus omnis ſecundum eum fluuium ad aliquot miliaria* Ambergeuu, *id eſt* Ambræ rus, *Flumen ipſum, ut pleraque alia Bauariam ubertim irrigantia, ex Alpibus oritur: ac paulo ſuprà id monaſterium, de quo hic authori eſt mentio, lacum efficit ualde amplum & piſcoſum.*

Ibid.

Ibid.uerſ.27.

275 Qui Mechtildim Adolphi regis Romanorũ de Naſſauu.) *Hic opinor uerba librarij incuria eſſe tranſpoſita, atque hoc potius ordine ſcribenda, qui Mechtildim Adolphi de Naſſauu regis Romanorũ. Hanc uerò ipſam rem author narrat ſuprà quoque, ad finem Imperatoris Adolphi, Pag. 445. Item de Ludouici huius ſenioris tribus uxoribus, ſub finem Rhodolphi Imperatoris, Pagina 442.*

Pag.ead.uerſ.42.

276 Liberis caruit, unde maximã iacturam paſſus eſt.) *Pudendus hic quoq; ſubeſt eiuſdẽ librarij lapſus, ut quem ipſiuſmet Cuſpiniani narratio ſub finẽ huius Ludouici apertè prodit: ut taceam quæ paſsim de huius Imperatoris filijs idem commemorat. Maior etiam culpa eſt in Hædione interprete, qui erratũ tam craſſum non perceperit. Legendũ enim ſine omni eſt cõtrouerſia, literis pro liberis: id quod & proximè ſequẽtia uerba clarè oſtendũt, cum inquit, Etſi alioqui haud imprudẽs eſſet. Oſtenditur idem quoq; non obſcurè infrà ſub initiũ Caroli Quarti, ſcilicet Pagina 475. uerſ. 19 dum inquit author:* Nam in Ludouici dedecus atq; oppreſsionẽ, & quod literis ac multarum linguarum peritia ornatus eſſet, Carolum Cæſarem declarauit. *Non ſatis equidem ſcio, an Cuſpinianus hic ſpectauerit ad perfidum illud commentum, quo Imperator hic optimus per Cancellarium ſuum, Magiſtrum Vdalrichum Auguſtenſem, imprudẽs in ſummi pontificis Ioannis XXIIi iram, odiumq; nunquã expiabile ſcribitur fuiſſe delectus.*

Quomodo id euenerit, narrant Chronica Norimbergenſia, quæ & ipſa noſtram in hunc locum emendationem euidenter comprobant: & expoſita Papæ & Cæſaris diſcordia, ſubijciunt hæc uerba: Fuit autem uir prudens, ad regnũ idoneus, Latinam tamen linguam ſuo damno non intellexit. Ferunt igitur huius diſcordiæ inter Papam & Imperatorem, Vdalricum de Auguſta Secretarium ſuum extitiſſe authorem. Is ob diffamationem Norimbergæ per XV Prælatos ſe inſontẽ reddens, in uindictam literis regis inſeruit, ſummum Pontificem beſtiam ortam à mari, & alia conuicia eo ignorãte ſcripſit, quæ in ultima ætate fatebatur, de qua re Imperator admodum doluit. Sic Chronica illa.

Quanquam uerò eundem ferè ad modum inueniam narratũ in Genealogijs illis manuſcriptis Ducum Bauariæ, quas etiam ſuprà in Friderico Pulchro citauimus, ſiue Trithemius, id quod ueroſimilius uidetur, ſiue Kemnatenſis eas congeſſerit: attamen hoc uerum eſſe, non magis ego unquam in animum meum inducere potui, quàm quod bello inter Friderichum Aenobarbum, & Alexandrum tertium Papam quidam conſimile argumentum prætexunt: ideo nempe ortam inter ipſos ſimultatem, quæ deinde in apertum bellum proruperit, quia Papa ipſe quadam epiſtola ad Cæſarem ſcripſerat, ſe non modo coronam regiam, ſed quoduis præterea aliud beneficium libẽtiſſimo animo ipſi collaturum. Interpretatum enim Friderichum, beneficium, ex uulgari & barbara ſignificatione pro feudo: tanquam ſe patronum, Cæſarem uerò clientem nuncupaſſet. Mirum uerò Alciatum, uirum doctum & cordatum, narrationem Radeuici Præpoſiti Friſingenſis, rerum Aenobarbi libro primo, cap. 9 & 10. eum ad modum accipere uoluiſſe, ut accimeret: Ea fuit in ipſo Friderico, comitatu que ipſius doctrina, quæ tot ſcilicet ciuitatum excidio lueretur, quot deinde cõſtat ab ipſo Friderico tum fuiſſe dirutas. ut uerum ſit quod inquit Horatius,

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Nos certè hoc loco pro utriſque optimis Imperatoribus, Baioario et Aenobarbo elucubrata Apologia integra, luce ipſa clarius oſtendimus, & fabulam illam de Ludouico Baioario uanã, falſam & tralaticiã eſſe: & Aenobarbũ non tam de uerbis, quàm reb. ipſis cõtendiſſe, atq; in ſumma longè alias fuiſſe ſummis Pontificibus in hos Imperatores odiorũ cauſas: & quæcũq; tandẽ eæ fuerint, ſaltẽ negocia ipſa cõtrouerſa à Pontificijs ea animorum impotentia, faſtu & acerbitate tractata, ut horũdem Imperatorum ubiq; maior modeſtia, manſuetudo, humanitas, adeoq; innocẽtia, pietas & iuſtitia eluceat: utcunq; inſignis ille theologus Albertus Pighius Campẽſis, Ponficiorũ Hector, li. 5. cap. 14 & 15. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, cauſam huius Ludouici ita propoſuerit atq; explicarit, ut uniuerſam eam damnaret. Sed uoluiſſe ipſum eo m argumẽto, ac præſertim lib. 6. Romanorum Pontificum auribus aliquid dare, iamprid em etiam catholicum, ueritatis amantiſs. theologum, uirum eccleſiaſticum, doctrina & uitæ ſanctimonia, nuper dum uiueret, cum primis ſpectatum, ſcio pronunciaſſe: & ubi neceſſe ſit, ipſius cenſuram autographam ea de re in mediũ proferre poſſum. Neque uerò noſtro ex capite iſti Apologiæ noſtræ hoc glorioſè arrogamus, ſed potius cõcordi ex calculo amicorũ aliquot, tam eccleſiaſticorũ quàm laicorũ, qui catholica in religione iuxtà nobiſcum uerſantur, & eccleſiæ ſtatum à fœdis & perniciosis abuſuum & uitiorum monſtris repurgatum, ſartumq; & tectum (quod aiunt) iampridem pio zelo, ſed hactenus fruſtra optant, ac ſuper ea apologia ipſis exhibita conſulit, etiam ſcripto ſua ſinguli nobis candidè & liberè expoſuerunt iudicia. Attamen & ſponte noſtra, & præcellentis cuiuſdam amici beneuolo monitu, hoc tempore domi retinere eandem, quàm in publicũ edere maluimus. Vt uerò præſentem Cuſpiniani mendam deniq; finiã, illud unum breuiter adijcio: quæcunq; tandẽ huic Ludouico noſtro ex literarum inſcitia (quæ ſanè culpa non tam ipſi q̃ eius parẽtib. uel potius ſeculi ipſius infelicitati eſt imputãda) quoquo modo calamitas obuenerit, exẽplo ipſum eſſe, quòd nõ modò deceat, uerũetiam expediat, uiros Principes ſcire literas, præſertim

eas quæ

eas quæ rectè ac secus gestorum exempla commonstrant: id quod facit historia. Postremò qui super ijs quæ Pag. proxima, scilicet. 468. & Pag. 470 Cuspinianus narrat, de sanctißima constitutione quam Ludouicus Francofurdiæ in conseßu principum omniśq; nobilitatis Germanicæ super stabilienda electi Imperatoris potestate promulgauit, exactius omnia cupiat cognoscere, ipsumq; Constitutionis tenorem legere, is adeat doctißimum Hieronymi Balbi de Coronatione Imperatoris libellum, præsertim cap. 17. 18. 19 & 20. ubi & iuris Pontificij interpretes non immeritò taxat, qui absurda & mi qua multa adstruunt, dum ueteres Cæsarum non tenent historias.

Ibid. uers. 51.

277 Margaritam habuit uxorem, filiam Henrici regis Boemiæ, Ducis Carinthiæ ac Comitis Tyrolis, anunculũ uerò Meinhardi Ducis Carinthiæ, ex Anna Venceslai Boemiæ regis filia.) Hoc quoq; loco idem clariß. uir Vuiguleus Hund, cuius superius censurã semel atq; iterum adduximus, ad codicis nostri marginem sua ipse manu adscripserat, pro dictione auunculum, legẽdum esse neptem. Probari enim hoc putabat ex ipsius authoris uerbis, quæ suprà in Henrico VII. Pag. 452. uers. 41. ita extant: Henricus enim Carinthiæ Dux, filius Meinhardi Comitis Tyrolis & Ducis Carinthiæ, cũ sororem Venceslai iunioris Annam uxorem haberet, regnum Boemiæ tum occupauit. Hæc Cuspinianus ibi: è quibus sanè perspicuè constat, Margaritam fuisse Meinhardi neptem, scilicet ex filio Henricho. Peperit quidem & ipsa Margaritha Meinhardum filium ex marito altero, nempe Ludouico Marchione Brandenburgensi, filio huius Ludouici IIII Imperatoris, quod author mox narrat. Fiet autẽ præterea locus præsens, meo iudicio, aliquanto etiam clarior: si uerba ista, neptem uerò Meinhardi Ducis Carinthiæ, reijciantur omnino in periodi finem, aut certè in parenthesi legantur, ita ut planè intelligatur, quis, qua ex uxore Margaritam istam genuerit, & præterea quem ipsa auum habuerit, scilicet hoc modo: Margaritam habuit uxorem, filiam Henrichi regis Boemiæ, Ducis Carinthiæ, ac Comitis Tyrolis, ex Anna Venceslai Boemiæ regis filia, neptulam uerò Meinhardi Ducis Carinthiæ, &c. Nam & sæpe alibi solet Cuspinianus hoc in genere demonstrationũ non modò patrem, sed & auum utrunque recensere. Exemplum habes in adducta paulò suprà Pag. 452. uers. 23. dum inquit: cui desponsauit Elisabetham puellam grandiusculam, & proceræ staturæ, Venceslai senioris, filij Ottocari olim regis Boemiæ filiam, neptem Rodolphi regis Romanorum. Potuit uerò uox illa auunculum inde huc irrepsisse, quòd fortaßis author scripserat neptulam (quam uocem quidam non abhorrent: quum & Pautus sub finem Militis glorioßi, nepotulum dixerit) atq; amanuẽsis minus adsequens quod scriptum erat, dictionem spuriam pro germana suppoßuit: aut quod ipse quoque bene descripserat, ab operis typographicis postea fuit deprauatum. Quem interpres ipse sibi hic sensum effinxerit, contra historiæ ueritatem, ac Cuspiniani uerba, referri sanè indignum censeo. Mox autem Pag. 466. uers. 5. pro discessit, suspicor ab authore scriptum fuisse decessit. Mox, ubi scribitur, Imperator Ludouicus in Merauũ concessit, cum duobus filijs.) fortè rectius legetur Meranum. Quum enim Cuspinianus hic narret, Ludouicũ Imp. aliquot comitantibus Imperij principibus domo abijsse ad conficiundas filij Ludouici nuptias cum ea sponsa, cui Tyrolis comitatus, unà cum Ducatu Carinthiæ dotalis erat, haud dubiè in id oppidum itum intelligit, quod hodie quoque Comitatus Tyrolis caput est, ad Athesim flumen situ, Meranum appellatum: olim famigeratius à Ducibus inde nominatis, qui nempe hunc titulum præferebant, ut Marchiones Histriæ, Duces Meraniæ, & de Andechs (quod situm est in Baioaria, hodieq; uocatur Sanctus mons) domini Athesis scriberentur. Habent Cœnobitæ Vuiltinenses sub Oeniponte peruetustum diploma, in quo illustris Marchio Histriæ, & filius eius Berchtoldus Dux Meraniæ & Histriæ, tum huius quoque filij Ekebertus, Otto & Henrichus, hæreditario iure sibi succedentes memorantur. Atque hæc nos aliquando familiari in colloquio edocuit nobilis uir Christoph. Mellingerus, iuxta & utriusq; iuris & bonarũ omnium artium peritia & singulari facundia insignis, nuper Iudicij Cameræ Adsessor laudatißimus, nunc uerò Roman. regiæ M. Cõsiliarius aulicus, nobis quidem discipulus semper amicus, uereq; beneuolus & fidelis: imò uerò tanta gratitudine & pietate in nos adfectus, ut uix parentis Ludouici (quem adhuc in Senatu regio Oenipontano incolumem habet, uirum in omni uita longè optimũ, & ueritatis ubique cultorem seuerißimũ) posit esse obseruantior & amantior: facitq; mutui hæc nostri amoris arctißima coniunctio, ut pro uirtutib. ac meritis præclaris, quæ iampridem in hoc iuuene insigniter enituerunt, eius nomen hic ampliore prædicatione exornare non audeam. Quanquam qui eum habent cognitum, nihil me hic amicitiæ tribuisse, imò intra modum & merita ipsum à me prædicatum fatebuntur. Præterea autem idem D. Christoph. Mellingerus aiebat, spectabilem uirum Georgium Rhœschium, Secretarium regium apud Oenipontẽ, ex monumẽtis Principum Austriæ collegisse dictorum Meraniæ Ducũ genealogiam, atq; ultimum Ducem Bertholdum fuisse nominatum. Lazius in Vienna horum quoque Ducum pluribus meminit uerbis: sed Merauiæ ipse quoq; Duces appellans. Siue autem Meraniæ, siue Merauiæ hi Duces olim dicti fuerunt, non dubium est, apud Abbatem Vrspergensem, quo loco mortem

Friderichi

Friderichi Barbaroſſæ narrat, & Berchtoldũ Meraniæ Ducem recenſet, in margine à ſciolo malè additum, pro Meraniæ fortè legendum eſſe Morauiæ. Sic quoq; ſuperius in Friderichо I I. Imp. Pag. 422. uerſ. 24. quo loco cæteris inter Papam & Imp. pacificatoribus annumeratur Ottho Dux Merouiæ, credo prorſus non Morauiæ, ſed Meraniæ, aut Merauiæ reponendum eſſe.

Pagina 467. uerſ. 11.

278. Etſi alij Moloꝛciæ id factũ ſcribant.) Lege Modoꝛciæ. Abeſt hoc oppidum ad decimum lapidem à Mediolano, quondam regni Italici ſedes, quod Cuſpinianus noſter ſuprà in Lothario Saxone Pag. 389. uerſ. 24. ſcripſit: ibiq; coronam ferream ab Imperatoribus accipi ſolitam, idem author eſt ſuprà in Henrico 7. Pag. 453. uerſ. 47. Conſentiunt tum pleriq; alij, tum Io. Nauclerus Generatione 46. de Carolo Quarto Imperatore ita ſcribens: Mediolani uerò cum coniuge ſua, allata corona ferrea, quæ eſt in eccleſia Modoëcenſi apud S. Ambroſium, per Mediolanenſem archiepiſcopum coronatus eſt. Exactius uerò eam rem omnem Hieron. Balbus in libello de coronatione Imperatoris, ca. 21. et Iacob. Spiegellius in Scholijs ſuper Lib. 8. Ligurini expoſuere.

Quare autem facultas coronandi Romanũ Imperatorem à Mediolano translata fuerit Modoëtiam copioſè narrat Gaudentius Merula de Gallorum Ciſalpinorum antiquitate lib. 2. c. 9. quo loco & Moguntiacum ipſe uocat, & Radeuico Modoitium uocari refert: ac tandem Ludouicum hunc noſtrũ et ingratitudinis et perfidiæ nota aſpergere nõ ueretur, ſcilicet quòd Galeatiũ, de quo ſuprà ſermo, Imperatoriam dignitatem cõtra ipſum quoq; Romanũ epiſcopum propugnantẽ, Modoëtiam in carcerẽ abduxerit. Sed optarim ego ex Merula audire, quo iure, quáue authoritate ipſe Galeatius conatus ſit optimũ Imperatorem prohibere, quo minus pecunias à populo Mediolanenſi exigeret? Nuſquam hercle in hiſtorijs lego, Galeatij patrem Matthæum (quidã Maphæum uocant) Inſubriæ regem, aut Mediolani ducem fuiſſe: ſed tantum eius urbis adminiſtrationẽ ab Henrico 7. Imperatore ipſi, ut ualidioris factionis capiti præpotenti permiſſam magis quàm creditam: ac diu pòſt per Io. Galeazium Vicecomitem, Galeatij ſecundi filiũ, Stephani nepotẽ, huiuſq; Matthæi pronepotem, Ducatus Mediolani titulum à Vuenceslao ignauo illo Imperatore (Iouius ubiq; in Vicecomitibus hunc Ladislaum perperam uocat) Anno Salutis M. C C C X C V. florenorum centum milibus redemptum. Quid, quòd etiam ipſi Duces Imperij ſuppetias debẽt Impatori pro Rep. belligerãti?

At hunc Ludouicum Cæſarem optimum, pacisq; in primis ſtudioſum, ultro in Italiam maximis precibus ac pollicitationibus uix tandem Matthæus extraxerat, non tam Imperatori conſultum cupiens, quàm ſuæ tyrannidi timens à Guelphico fœdere, inter Carolũ regẽ Apuliæ, S. Pontificẽ, ac Florẽtinos inito. De utraq; re libet in medium afferre Blondi, hominis Itali, ac Germanis haud temerè æqui, teſtimonium. Is lib. 9. Decadis 2. ita ſcribit: Sub ipſum Caroli aduentum Ioannes Romanus pontifex Ioannẽ Vrſinum Cardinalem in Italiam legauit, cui factionis gratiam multos in Italiæ fauore, ſperauerit addituram: amboq; principes de rebus gerendis commentaturi, Florentiæ conuenerunt. Quantumq; hi Guelfos, tantundẽ Galeatius uicecomes Gibellinos de Hetruria in ſpem uictoriæ adnitebatur attollere: per quod tempus factionis Gibellinæ principes Itali Bauarum in Italiam precibus pollicitationibusq; uictũ deſcendere coegerunt, qui ſuperatis Alpibus Tridenti ſubſiſtens, nullis precibus, nullis promiſſionibus, ut progrederetur ulterius, adduci poterat: niſi eò delati Galeatius uicecomes, Guido Petra mala, Scaligeri, Carrarienſes, Eſtenſes, Bonacoſæ, & Caſtrutij oratores ui propemodum adhibita extraxiſſent. Brixiam itaq; Mediolanumq; peruenit. Tyrannicã autem fuiſſe Matthæi dominationem, idem de Henrici 7. Imperatoris in Italiam expeditione loquens, eodem lib. 9. his quidem uerbis teſtatur: Mediolanũ urbem familiæ duæ, Turriani & Vicecomites, potenta tu pares, & hoſtes magis aperti quàm æmuli, premebant, potius quàm aut ipſi gubernarent, aut à populo permitterẽt gubernari: Guidoq; Turrianus Guelfæ, Matthæus uicecomes Gibellinæ factionum principes erant. Hæc ille.

Cuperem uerò à Merula id quoq; comiter ac bona fide edoceri, quibus nam Vicecomitũ familia ſuæ apud Mediolanum dominationis initia, fundamẽta et progreſſum debeat, à quib. tandẽ in omni aduerſa fortuna adiuta, ſæpe exitium præſens effugerit, et in eum deniq; conſcenderit opum et potentiæ gradum, ut ipſis quoq; Ro. Imperatoribus Mediolani, quantum iuberent, aut uetarẽt, præſcribere Vicecomites ſint auſi. Equidem Paulus Iouius in Otthone Vicecomite diſertè memorat, deficiẽte Guilielmo Monteſerrato, & rebellantibus Soreſinis, ac Turrianis carcere liberatis, Otthonẽ ipſum à Cæſare Rudolpho magnis miſsis munerib. auxilia petijſſe: et Germanos equites ab eodẽ accepiſſe, qui in ſpeciẽ prætorianæ alæ corporis cuſtodiæ adeſſent: & qua una maximè poſtea cõtra Comenſes rebellãtes, aliáq; bella conſecit. Porrò quũ Matthæo Magno defuncto eius filij ita premerẽtur à S. Pontificis et Roberti regis Neapolitani & Florentinorum ualidiſſimo exercitu, ut per aliquot menſes obſiderentur, quis eos iuuit? quis Hercules Alexicacus ſuppetias tulit? Certè ab hoc ipſo Ludouico Baioario Imperatore (quod idem quoque teſtatur Iouius) auxilia equitum poſtularunt, et quingentos galeatos equites ſine mora acceperunt, quorum præcipuè uirtute & urbem tutati ſunt, & tandem hoſtem uniuerſum apud Vapriũ inſigni clade confecerunt. Quin & Actius Galeatij filius acciſis ac propè deſperatis rebus, iuxta eundem Iouiũ, non aliunde quàm ab hoc Imperatore opem quæſiuit: adq; eũ Piſas profectus, promiſſa pecunia ad ſummam quindecim myriadum, ut paternæ dominatio-

nis successor appellaretur, impetrauit. Quum autem hic paulo antè custodia egressus, tantum pecuniæ inuenire potuerit, quis non credat ipsius patrẽ & patruos, rebus undequaq; saluis, multo maiorem expeditu ros fuisse, si bona fide cum Cæsare egissent? Idq; uel inde liquidò apparet, quòd eiusdem ex fratre nepos Galeatius secũdus, cum Violanta filia, Leonato regis Britanniæ filio desponsa uxore, dotis nomine ducenta millia aureorum nũmũm soluerit, simulq; oppida aliquot tradiderit: tum & Isabella Caroli Franciæ regis soror Io. Galeacio filio uxor data Mediolanum ueniens, socero ducentis milibus aureorũ constitit. Immensum quod ibi in ludos, conuiuia & dona est profusum, sigillatim ipso à Iouio explicatum: qui & adijcit eum fuisse conuiuij nuptialis apparatum, ut relatæ demum dapes, ad decem milia hominum peruenirent, quum hercle Ludouicus noster uix tantum copiarum numerum secum in Italiam duceret. Amplius etiam stupendæ Vicecomitũ opulentiæ testimonium extat in Barnaba apud eundem Iouium, his quidem uerbis: Incredibile dictu est, quantum utriq; fratrum appetita oppugnataq; Bononia constiterit, quæ nouem bella ex hisdem causis rediuiua, cum supremo amittendi imperij periculo, paucis annis adduxerat. Ferunt enim in bellicos sumptus supra trecẽtas myriades signati auri expensas, ita ut mirum uideri possit tantas pecunias ex urbib. imperio subiectis imperari atq; exigi potuisse, quum ambo fratres pari atq; insatiabili mutuæ æmulationis libidine ad insaniam ædificantes, multo maiorẽ pecuniam in calcem & lateres contulisse uideamus.

Recenset uerò Iouius ibidem Barnabæ regia aliquot opera, ut paulo antè Galeatij secundi, eiusdem fratris, atq; mox subiungit: Sed uel immensas ærarij diuitias uni dotales sumptus exhaurire facile potuerunt, quum numerosam prolem filiarum nobilissimis Europæ principum domibus insereret: quarum omnium dotes, cum luculento mundi muliebris apparatu, uicies centena milia aureorum nummũm excessisse constat. Nec tot sumptus uel immodicè facti Barnabam deterrebant, ut quicquam de splendore uitæ remitteret, quum filios diuersis magnis in domibus, cum frequenti & liberaliter ornata familia alendas arbitraretur. Hæc omnia si Iouius uerè narrat, quod nemo quidem dubitat: nimis profectò auda citer, ne dicam aliud, idem scribit, auri potiundi dirã cupiditatem in Ludouico Imp. profundam atq; infinitam demum apparuisse, atq; insatiabili auiditate Mediolanensi ærario grauem: & importunum eum per tres menses cum exercitu fuisse, ueteris q; clientele, & recentis officij, & hospitalis amicitiæ iura facile resoluisse. An enim ipsis, uix Imperatoris uicarijs ad insanũ luxũ è Mediolano et Longobardia reliqua immensi thesauri colligi poterant: Imperatori ipsi non magis sua quàm ipsorũ causa belligeranti trium mensium stipendium solui non poterat? An non Mediolanum Imperatoris atq; Imperij erat, ac neutiquam clientum Vicecomitum? An non ijdem, ut suprà est dictum, Cæsari magis obnoxij erant, omnemq; suam fortunam meritò Cæsaribus referebant acceptam? ac omne officij genus, ut debitum, neq; ulli gratiæ imputandum, exhibebant? An ne soli Vicecomites tum in Cæsarem officiosi, & hospitales? an soli soluere pecunias? Adijciam unum pro multis, et quidem ex ipsis Iouij uerbis, quæ ita habẽt: Interfuit coronationi Ludouici Imp. apud Insubres et ipse Canis Scaliger, qui mille equites galeatos, & delectorũ peditum aliquot cohortes, ad augendum ornandũq; Cæsaris comitatum adduxerat, ut studium suum erga Cæsarẽ ostentaret. Hic prælta ambitione incensus, oblata ingenti pecunia, petebat à Cæsare, ut Mediolani Augustali iure princeps diceretur. Hæc Iouius. An uerò Ludouicus, legitimus uerusq; Cæsar, id præstare, simulq; Vicecomites uno diplomate omni dominatu & opulentia exuere non poterat? Hæc si aduertissent Merula et Iouius, simulq; humanius æquiusq; cogitassent, à Cornelio Tacito prudentissimè scriptum extare, neq; quietem populorũ sine armis, neq; arma sine stipendijs, neq; stipendia sine uectigalibus (quæ Princeps supremus pro re nata suo arbitrio, neq; cuiusquam alterius ad præscriptum instituit) haberi posse: nunquam puto dicturi erant, in Vicecomites ullum prorsus Ludouicum patrasse crimen: sed rectè ipsorum compescuisse tyrannidem, urbis Mediolanẽsis statum instaurasse, ac singulari prudentia futuris prospexisse belli casibus, nihilq; indomitum aut incompositum à tergo reliquisse. Nam præterquam quòd tum Italia uniuersa intestinis factionibus ita flagrabat, ut non modo populi populis, urbesq; urbibus, castella castellis internecino bello, sed ipsæ quoq; urbes, adeoq; priuatæ ædes ciuili ac domestica discordia inter se conflictarentur: intelligebat circumspectissimus Princeps, quàm mobilia essent Italorum ingenia, & per quantas sæpe difficultates ac rerum discrimina Cæsaribus Germanis è Roma in patriam fuerit remeandum, dum eos quoq; parum fides experiuntur, quibus subsidio uenerant, quiq; paulo antè solenni sacramento Imperatori fidem suam atq; deuotionem obstrinxerãt: quæ quidem causa fuit, cur Rudolphus Habspurgensis, Imperator cum primis cordatus, Romam non adierit: non minus prudenter quàm facetè uulpeculam in exemplum adducens Aesopicam, quæ aliarũ bestiarũ uestigijs retrò nullis ferentibus territa, leonis specum subire noluit. Inde & noster hic Ludouicus, cum urbem Italiamq; maturius quàm uellet relinqueret, pertæsus leuium populorum rebelliones, & proditionem ac uenenum, non arma ueritus, dixisse fertur, quod et Cuspinianus inferius memorat: Germanorum Cæsares multos ueneno, paucos gladio ex Italia depulsos.

Tantum igitur abest ut Ludouico ullius possit impingi ingratitudinis aut perfidiæ crimen, ut nisi Vicecomitum retudisset tyrannidem, ac se Imperatorẽ Romanum ostendisset, Mediolaniq; dominum: merè tò apud cordatos, rerumq; peritos æstimatores non sine

ſine timiditatis atque ignauiæ reprehenſione audiſſet, quod eius ſucceſſor Carolus 4. in conſimili negocio non ſimile faciens, à Franciſco Petrarcha audiuit, complurium hiſtoricorum monumentis in omnem poſteritatem propagatum. Cum enim Innocentius Papa ipſum Carolũ per duos Cardinales, in hoc à ſe miſſos, Romæ coronari ea conditione permiſiſſet, ut neq; Romæ, neq; in Italia diutius moraretur, ſcripſit ſuper ea re Petrarcha ad Nerium Foroliuienſem his uerbis: Omnis poteſtas impatiens conſortis erit, cuius rei ſi qua antiqua non ſufficerent, uereor ne recens nobis exemplum caſus attulerit, neu iam pontifex Romanus principem Romanum Romæ eſſe uetuerit, quod fama loquitur: quem nunc diadema te contentum ac Imperij titulo Romani non ſolum patitur, ſed iubet: & quem dici Imperatorem ſinit, imperare nullo modo ſiturus eſt. Ad ipſum quoq; Carolum 4. idem Petrarcha ita ſcribit: Neſcio quid Romano Pontifici pollicitus, iureiurando interpoſito, quaſi muro ualido ſeu monte inuio Ro. urbis aditu prohiberis. Quænã iſta ſuperbia eſt, principẽ Ro. publicæ libertatis authorẽ, libertate priuare: ut cuius eſſe debẽt omnia, ipſe nõ ſit ſuus? Hæc Petrarcha.

Cæterùm magnanimus ille heros Imperator Fridericus Aenobarbus, aliquando à Papa conſimili tentatus iniuria, reſcripſit Cardinalibus, ut eſt apud Radeuicum, his uerbis: Legatos ab Imperatore ad urbem non eſſe mittendos affirmat (ſcilicet Papa) cum omnis magiſtratus inibi beati Petri ſit, cum uniuerſis regalibus. Hæc res fateor magna eſt, & grauis, grauioriq; & maturiori egens conſilio. Nam cum diuina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar & ſim, ſpeciẽ tantũ dominantis effingo, & inane utiq; porto nomen, ac ſinere, ſi urbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa. Eundem prorſus ad modum potuit debuitq; Ludouicus reſpondere Vicecomitibus: Si ego Romanus ſum Imperator, ac proinde Mediolani dominus, cur ueſtrum ad nutum uel exactiones, uel iuſſiones alias temperem? Accuſat te ô Galeazi, cũ primis ipſe frater Marcus, utq; ſolus omnem Inſubrum dominatũ hucuſq; ad te trahas, ipſo excluſo: ſic ſolum obſtare ait, ne in ſtipẽdia exercitus noſtri neceſſaria expediatur pecunia, idem Marcus eius cõficiundæ copiam eſſe peramplã contendẽs, niſi tu fratresq; alij ueſtra factione imperata noſtra eluderetis. Quid igitur? an non fratri contra te credã? præſertim ea adfirmanti, de quibus res ipſa te fratresq; fraudis palàm conuincere poteſt? Hæc quidẽ optimo iure Ludouicus Imp. Galeazio ac fratrib. dicere potuit, eosq; donec cauſa liquidè cognoſceretur, in cuſtodiã adſeruandos dare. Atq; eã in re cum iſtis fratribus actum eſſe haudquaquam præter meritum, cogitur tandem poſt omnia ſuperius adducta, ipſe quoq; Iouius hiſce uerbis fateri: Galeazius cum Actio filio, Luchinoq; & Ioanne fratribus, in arce Modoëtiana duræ cuſtodiæ traditur, non equidẽ omnino iniqua ſorte, ut fabrefacti paulo antè ab ſe tetri carceris furnum, ita à depreſſa teſtudine uocatum, primus experiretur, quem aduerſarũ partiũ captiuis ad pœnam parauiſſet.

Diſcat igitur Merula ſcribere modeſtius, rerũq; geſtarum cauſas exactius penſitare: neq; ita ſuis affici tyrannaſtris, ut dum illos laudibus cumulet, non uereatur maximos optimosq; principes Germanos præter meritum pudendis criminibus calumnioſè onerare. Albericus Roſatus Iureconſultus excellens, qui ipſo ſub Ludouici imperio Mediolani egit, nihil equidem tale de ipſo conqueritur: imò non uno loco ut præclarum principem celebrat, in Rom. eccleſiam fortè plus quàm par erat iniquum, ſed tamen prius laceßitum perhibens.

Pag. 473. Verſ. 26.

279. Altera uxor Margarita nomine.) Iõannes Nauclerus Generatione XLV, nõ hanc Margaritam, ſed Beatricem facit, alteram Ludouici Imp. uxorem, dum ſcribit, Fridericum Marchionem Miſniæ à quibuſdam Electoribus contra Carolũ Quartum ſollicitatum, ut Beatricem relictam uiduam Ludouici Imperatoris ducat; & Imperij gubernacula aſſumat. Sed tum memoria lapſus eſt Nauclerus, ueriusq; Cuſpinianus narrat. Conſtat enim, Vilhelmorum tertium comitem Hãnoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, &c. uxorem habuiſſe Ioannam, Philippi Valeſij Francorum regis ſororem: & ex ea ſuſtuliſſe Vilhelmum Quartum, & hanc Margaritam, Ludouici Imp. uxorem, item Philippã Edoardo 3. regi Angliæ, deniq; tertiam filiam Comiti Iuliacenſi nuptã.

Hincq; clarius intelligis id quod Cuſpinianus ſcribit paulo ſuprà, Pag 470. uerſ. 28. ſcilicet q. Hannoniæ Comitis (Vilhelmi Quarti) mater monialis (nempe defuncto iam marito Vilhelmo Tertio) & Philippi (ſcilicet Valeſij) regis ſoror, & principis Ludouici (id eſt huius Quarti imperatoris) ſocrus, de caſtris in caſtra commeans, tandem inter ipſum Philippum fratrẽ, & Edoardum Angliæ regem generum ſuum inducias compoſuerit. Idẽ oſtendit Cuſpinianus, dum eodem in loco narrat, quo modo Francus, ſcilicet Philippus Valeſius, Imperatrici filiæ ſororis ſuæ, quam blandius Alemanniæ Dominam appellabat, ſupplicarit de conciliãda ipſi Ludouici Cæſaris mariti gratia. Hãc quoq; Margaritam duas habuiſſe ſorores, unam reginam Angliæ, alteram comitiſſam Iuliacenſem: & utraq; fuiſſe natu grandiorem: ac proinde patris ditiones, deficiẽte hærede maſculo, ſibi liberisq; ſuis uendicaſſe, ſcribit idem Cuſpinianus ſuprà Pag. 472. uerſ. 17.

Non poſſum equidem non demirari ego, cũ Gallicis ſcriptoribus genealogia Philippi Valeſij, ut qui in ſucceßione regni Franciæ cũ Edoardo Anglo (patrui ſui Philippi Pulchri ex filia Yſabella nepote) in bella propè immortalia, & Franciæ tantũ non exitialia inciderit, diſertè explicanda fuerit: quare neq; Gaguinus, neq; adeò Ioannes Buchetus, qui lingua uernacula Regũ Galliæ genealogias ex profeſſo cõpoſuit, huius Ioãnæ, ipſius Philippi Valeſij ſororis,

ullam faciant mentionem: quum interim minime taceant, quibus ipsæ Philippi filiæ, etiam posthumæ, principibus nupserint. Inde nimirum Nauclerus, nomen huius ignorans (nam eidem fuisse maritum Hollandiæ comitem, indeq; Imperatricem prognatam filiam, non nesciuisse ipsum, alia eius loca aperte ostendunt) alibi ita scribit: Rex Franciæ Philippus, ut auerteret Ludouicum, misit solennes nuncios Imperatrici, filiæ sororis suæ, quæcunq; ea fuit, uocans eam Dominam Alemanniæ: petiuit ut sibi Imperatorem pacificaret, multa promittens.

Perinde muti sunt de eiusdem Philippi Valesij matre. Ego ipsius patri Carolo Valesiæ Comiti nupsisse Balduini Secundi Constantinopolitani Imperatoris filiam, apud Platinã lego, in uita Bonifacij Octaui. An uerò ex eadẽ, alteraue quapiam natus sit Philippus ipse Valesius rex Francorum, eiusq; sorores Ioanna & Blancha, itemq; tertia quædam, nupta Roberto Artheſio, Baroni inter Francos longè nobiliſſimo (qui primùm ipsi Philippo Valesio in acquirendo Franciæ regno fidiſſimus adiutor, postea per eundem omni exterminatus fuit Gallia, eius uxore & filijs duobus Ioanne & Carolo adseruatis carcere perpetuo, narrante Froſſardo Vol. 1.) nihil habeo quod affirmem. Porrò & in Genealogijs illis manuscriptis, de quib. paulo suprà dixi, inueni, Vilhelmum Tertium Hollandiæ comitem uxorem habuisse Ioannam, Philippi Valesij sororem: exq; ea, præter liberos supradictos, procreasse Margaritam Ludouici Quarti Imperatoris uxorẽ. Quin & circa numerum ac nomina filiorũ (nam de filiabus omnino tacet) ipsius Ludouici, & quæ cuiq; ditiones cesserint, earũdem Genealogiarum author planè cũ Cuspiniano consentit. Et facit equidem consensus ille, quo minus ego fidei tribuam ijs quæ ex Abbate Spanheimensi Nauclerus refert, utcunq; ipsi propè ueriora uideantur. Iste Ludouicus, inquit Nauclerus, prodigus ante imperium fuit, ut quidam scribũt, & bona sua dilapidauit. Ideo duxit filiam cuiusdam Comitis propter dotem magnam, cum qua non habuit liberos. Ea mortua, duxit filiam ducis Poloniæ, ex qua procreauit Ludouicum Romanum et Otthonem. Abbas uerò Spanheimensis scribit, quòd Ludouicus uxorem habuerit Margaritam filiam Guilielmi Hollandiæ Comitis, quæ peperit ei sex filios: Ludouicum, postea marchionẽ Brandenburgensem: Stephanum ducem Bauariæ, postea in Landshut: Albertum, postea in Straubingen: Guilielmum, postea ducem Holandiæ: Ludouicum dictum Romanũ, & Otthonem, & fortè hoc uerius. Hæc Nauclerus: sed quibus ego non accedo. quia primis duobus filijs, scilicet Ludouico Brandenburgensi & Stephano Fibulato, Margaretha Hannonia non mater, sed nouerca fuit, uti Cuspinianus narrat.

Cæterùm quia his iam elucubratis, ex Froſſardo Gallorum uernaculo historiographo (cuius insperatò oblata copia) cõplura cognoui, quæ non hæc tantum, sed etiam alia quædã in hoc Ludouico Quarto clariora efficere possunt, operæprecium, atq; historiarum studiosis, qui Gallicos codices uel non intelligunt, uel non habent, gratum me facturum existimo, si huc ea adiecero, bona fide Latinitate donata. Scribens uerò sub initium historiæ suæ, quomodo Isabella Philippi Pulchri regis Franciæ soror, & regina Angliæ, à marito Edoardo 2. in exilium acta, aq; fratre deserta, in Hannoniam ad Guilielmum 3. comitem accesserit, cum filio suo Edoardo adolescente, ita narrat: Comiti Guilielmo tunc quatuor erant filiæ, Margarita, Philippa, Ioanna, & Isabella. Edoardus ad Philippam in primis animum oculosq; adijciebat, quæ et uicißim magis quàm sororum ulla ipsi se insinuabat. Regina Isabella per octiduum subsistebat apud Valentianam (Hannoniæ metropolim) cũ heroe optimo illo Comite Guilielmo, & eius uxore Ioanna Valesia. De eiusdẽ Guilielmi Tertij morte, fõl. 23. idem scribit hoc modo: Eo tẽpore mortuus est inclitus Comes Hannoniæ, nomine Guilielmus, die 6. Iunij, Anno Sal. M.CCCXXXVII. sepultus apud Franciscanos Valentianæ, ibiq; funeratus, sacra faciente Episcopo Cameracensi, in magna frequentia Ducum, Comitum & Baronum: quoniam in omni uita plurimum fuerat amatus & honoratus omnibus. Ipso mortuo, recepit se in Comitatũ Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, filius eius Guilielmus, qui uxorem habebat filiam Ioannis Ducis Brabantiæ. Erat uerò eidem dominæ, cui nomen Ioannæ, dotalis ditio Buich, quæ est terra bene pulchra & fructuosa. Domina autem Ioanna, ipsius (scilicet Comitis) mater, delegit sibi domicilium apud Fontanellã super Scaldi fluuio, inq; ea Abbatia uitam suam consumpsit, prorsum ita ut bonam & deuotam decet fẽminam, ac eum in locum fuit multum benefica. Hæc Froſſardus ibi: è quibus etiã clarè intelligitur illud, quod suprà Cuspinianus de matre Comitis Hannoniæ moniali memorat, quæ inter Francum & Anglum regem inducias apud Tornacum composuit.

Quæ idem Froſſardus, uol. eodem, narrans res gestas circa annum Salutis M.CCCLVI, de huius Margarithæ fratre Guilielmo Quarto Hannoniæ Comite, à Frisonibus occiso, scribit: ea quidem reddidit interpres Ioan. Sleidanus, sed ita pro instituta Epitomes ratione, ut omnino rei gestæ (quæ et hunc Ludouicum Bauarum, uxoris nomine præcipuè, attingit) plenior cognitio ipso ex Froſſardo haberi possit, qui ita memorat: Eadẽ tempestate Comes Hãnoniæ Guilielmus uersabatur Traiecti apud Hollandos (sic enim uerba Gallica, en la uille d'Autriche, ego accipio, cum Germani superiores Traiectũ appellent Vtrich) & multum temporis consumpserat, dum debita sibi iura uendicare contendit. Tandem uerò & obsidione & oppugnatione Traiectenses eò compulit, ut eius arbitrio se permitterent, & æquum facerent. Post uerò paulum circa Sancti Remigij festum, Comes numerum maximum contraxit equitum, tum auratorum, quos uocant, tum nobiliũ ex Hannonia, Flandria, Brabantia, Hollandia, Geldria

rhia & Iuliacensibus. Soluerunt aũt Comes eiusq; copiæ ex Dordraco Hollandiæ oppido, cum numerosa classe, & uersus Frisiam nauigarũt: quòd idem Comes regionẽ illam suam esse assereret. Et erat hercle Comitis petitio periusta, si modò Frisij ulla ratione ad æquũ & bonum potuissent adduci. Armis igitur rem experiebatur: sed occũbens magna cum multitudine equitum auratorum ac nobilium, quorum animabus Deus esse dignetur propitius. Ioannes Comes ab Hãnonia, alia quàm ipsius nepos Guiliel mus parte Frisiam ingressus, perinde ac si furore percitus esset, in Frisones pugnare ardebat: sed à militibus suis, cum ij uiderent iam fortunam aduersam, & præsertim à Roberto Gluuesio cubiculario etiam in uitus & reluctans in nauim reportatus fuit. Itaq; nudus lacerq;, paucis omnino cum impedimentis reuertens, appulit ad montem S. Gertrudis in Hollandia, ubi expectabat eius neptis Ioanna, natu maxima filia Ducis Brabantiæ, uxor quæ fuerat iam dicti Comitis Hannoniæ Guilielmi, tunc se recipiens in terram Buiche, quæ ipsi dotalis erat. Et hoc quidem modo uacauit aliquãdiu Comitatus Hannoniæ: cui præfuit gubernator ipse Comes Ioannes, donec eam in regionẽ accederet Domina Margarita ab Hãnonia, mater comitis Alberti, adiẽs hæreditatem relictam, possessionemq; capiens, Baronibus & uasallis sacramentum fidelitatis præstantibus. Hæc Margarita Comitissa Hannoniæ, erat uxor Ludouici Bauari, Imperatoris Romanorum & Regis Alemaniæ. Hæc ibi Frossardus.

Ex eiusdẽ 2. Volumine, folio CLXIIII, satis deprehenditur, Guilielmum Ludouici Quarti filium natu fuisse maximum, é Margarita uxore, ut qui primus maternam hæreditatem tenuerit: ac demum sine liberis moriens, in Albertũ fratrem Comitatus Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Frisiæq; ditionẽ transmiserit. Porrò copiosè ibidem narrat, quomodo Anno Salutis M.CCCLXXXV, Philippus Dux Burgundiæ cognomẽto Audax (filius Ioannis regis Franciæ, & patruus regi Caroli Sexti) filiam suam Margaritam uxorem collocauerit eiusdem Alberti Comitis Hannoniæ filio Guilielmo (qui & tũ Osternanti Comes uocari incipiebat, & paulo pòst equestri baltheo donabatur à Carolo Sexto rege Franciæ, ob strenuè nauatam operam in oppugnatione Dami, qui Flandriæ portus est) & uicissim idẽ Albertus Bauarus Comes Hannoniæ filiam suam, itidem nomine Margaritam, Ioanni ipsius Philippi Audacis filio uxorem dederit, nuptijs utrisque uno die, nempe in octaua Paschæ, apud Cameracum magnificentißimo apparatu, præsente etiam rege Franciæ Carolo Sexto, celebratis: coniugijsq; illis conciliatis præcipua, adeoq; sola opera Ioannæ Ducissæ Brabantiæ, cordatißimæ ac circumspectißimæ fœminæ, relictæ uiduæ à Vuenceslao Luxemburgio, fratre Caroli Quarti Imperatoris.

Albertum uerò illum Bauarum, Ludouici filium, principem fuisse cum primis iustum & prudentem, suisq; iuxta & externis charũ, adeoq; regibus Franciæ & Angliæ uno tempore amicum, quod non nisi summæ erat dexteritatis, perspicuum est ex ijs quæ idem Frossardus scribit Vol. 4. de ualidißima expeditione, quam Anno Salutis M.CCCXCVI, unà cum filio Guilielmo, in Frisiam sumpsit, & hostibus iusto prælio profligatis glorioſè confecit, ducens in exercitu supra centum milia armatorum capitum: & classe tam numerosa traijciens, ut sociorum naualium essent circiter triginta milia: Hollandis, Selandisq; tam promptè id bellum adiuuantibus, ut unum oppidum Harlemum mille ducentos nauales socios suppeditaret. Reddidissem & hunc Frossardi locum integrum, nisi ipse interpres Sleidanus, uberius quàm ferè solet pro Epitomes ratione, uertisset.

Eidem uerò Guilielmo Alberti filio primogenito, Ludouici Cæsaris nepoti desponsatam, prius fuisse primogenitam Caroli V. Francorum regis filiam, eamq; innuptam è uita exceßisse Anno Salutis M.CCCLXXVII, scribit idem Frossardus sub finem Vol. 1. Non longè quoq; post locum è uolumine 2. iam adductum, luculenter ac prolixè idem Frossardus narrat, quo pacto Fridericus Bauariæ Dux, Ludouici Quarti Imperatoris ex Stephano filio nepos, in militiam profectus, ad Regem Galliæ Carolum Sextum admodum iuuenem, & ab eiusdem patruis interpellatus de filia aut sua, aut agnatorum eu iuspiam, Regi in matrimoniũ iungenda, tandẽ eapse Brabantiæ Ducissa procurante, in Belgicã adduxerit Isabellã fratris sui Stephani Ducis Bauariæ (qui Ingolstadium domicilium habebat) filiam, puellam tam insigni corporis morumq; uenustate exornatã, ut Rex ipse primùm conspectam protinus amaret unicè, ac uitam propè sibi acerbam putaret, donec illa uxor adiungeretur: quæ ei postea filios quatuor, interq; eos Carolum Septimum, regem longè optimum, & filias quinq; peperit.

Reddetur forsan ille Frossardi locus integer à nobis alio in Opere: uti & alius qui extat de eiusdem Ysabellæ Bauaræ primo ad Parisios aducẽtu, qui summa cũ magnificentia celebratus fuit Anno M.CCCLXXXIX. Nunc delibasse libuit, quo clarius de Ludouici liberis nepotibusq; omnia pateant, quàm uulgò Germani norunt. Ipsa autem Isabella regina, mortua est Parrhisijs Anno Salutis M.CCCCXXXV. mense Septembri, & ad S. Dionysium iuxta Reges Franciæ sepulta, narrante Enguerrano Monstreleto lib. 2. Annalium.

Deniq; uerò, ut absoluamus locum in quo hic uersamur, nescio qui Cuspinianus in ista liberorum Ludouici Quarti nomenclatura, omisit eam filiam, quam infrà mox in Carolo Quarto Pag 476. uers. 50. & pag. 478. ipse narrat, uxorẽ fuisse Friderico Marchioni Misniæ, qui post Edoardũ Anglũ à quibusdam Electorib. ad imperij coronã inuitatus fuit, sed eandẽ ut humeris suis grauiorẽ ultro repudians.

Præterea non ignorandum, quòd Elisabetha illa Ludouici filia, quã Cuspinianus narrat uxorẽ fuisse

Vdalrici Comitis Vuirtenbergensis, indeq; peperisse filium Eberhardum Pacificum, siue Pium, formosissima fuerit: ac prius à fratre Ludouico Marchione Brandenburgensi matrimonio iuncta cum Masti no filio Canis Scaligeri Veronensis, è quo plurimos peperit liberos: ac demum Anno Salutis M.C C C LXII. secũdas inijt nuptias, nẽpe cum Comite isto Vuirtembergensi, ut author est Nauclerus Gener. XLVI. Porrò Pag. 475. uers. 30. exime parẽthesi dictionem electus: ac contrà Pag. 476. quantum est à dictione licet uers. 42. usq; ad dictionem haberet Vers. 44. parenthesi include.

EX CAROLO QVARTO

Pag. 474.

280. In typo Genealogiæ, quo loco Iodoci Marchionis mentio est, typographi duabus in uocibus erratum triplex ita emendabis: Iodocũ Marchionem Morauiæ, regem Romanorum. Vbi uerò Gutam legis, alteram Ioannis regis Boemiæ filiam, eamq; Caroli huius Quarti sororem, uxorem uerò Philippi Ioannis de Valesijs, regis Franciæ, dispunges uocem Philippi. Neq; enim hæc Guta Philippi Valesijs regis Franciæ, sed eius filij primogeniti Ioannis uxor fuit. Vnde mox Pag. sequenti uers. 4. author narrat, Philippi filium primogenitum Ioannem, Ducem Normanniæ primò, ac post Franciæ regem, Caroli fuisse sororium: hoc est, eius sororis Gutæ maritum, ea nempe forma qua fratriam appello fratris mei uxorem. Sic ipsius Philippi Valesij sororium ibidem hunc Carolum dicit fuisse, ut qui Carolus Philippi sororem Blancam habuerit uxorem.

Caroli autem Bohemi sororem nuptam fuisse Ioanni Valesio regi Franciæ, inde quoque colligo, quòd Robertus Gaguinus in historia Regũ Frãciæ, itemq; Nicol. Gilleus, Annaliũ Francicorũ scriptor uernaculus, Carolum Bohemum Imperatorem, appellant Caroli (qui erat Ioannis Valesij filius maior natu, pòst Quintus eo nomine Rex sapiens cognominatus) auunculum.

Eidem Ioanni Valesio aliam quoq; fuisse uxorẽ, nempe Ioannam Boloniæ dominam, scribit idem Gaguinus, eamq; fuisse relictam uiduam à Philippo Artheſiæ & Boloniæ Comite, Odeti Ducis Burgundionum filio, qui ad oppugnationem Aguilloni arcis munitißimæ uitam finijt, Anno Salutis M.C C C XLVI, lego in translato Frossardi Gallici scriptoris compendio. Videntur autem tum Gaguini uerba lib. 8, tum argumenta complura innuere, Bohemam Gutam Ioanni uxorem fuisse priorem. Per idem tempus, inquit eius libri pagella quarta, Ioannes Normannorum Dux, Philipi primogenitus, apud Meldunum Bohemorum regis filiam uxorem duxit. In ipso autem libri eiusdem calce scribit: Mortuis uerò uxoribus, Philippus, Blancham regis Nauarræ filiam, Ioannes eius filius Ioannã Bolonienſem uxorem accepit. Et hæc postea clarius legi apud eundem Nicolaum Gilleum, cuius quidem Lib. 2. folio 12, hæc est narratio: Eodem, inquit, anno (scilicet M. CCCXLVIIII.) obijt Domina Bona, uxor Ioannis Ducis Normanniæ, filia piæ memoriæ Regis Bohemiæ, desiderati in prælio apud Creciacum. Et fuit istius Bonæ corpus sepultum in Abbatia Monialium Maubußij, prope Pontheſium. Inde uerò die Februarij 11, qui erat Martis, atque ipsius Carnispriuij (hóc enim uulgi uerbum rudius quidem, sed significantius, cur refugiam?) idem dux Normanniæ duxit uxorem Ioannam Comitiſſam Boloniæ, quæ uxor fuerat Philippo filio Odeti Ducis Burgundiæ, qui deceßit ætatis anno XIII, in castro Ruueræo, prope Diuionem sito. Hæc Gilleus: è quibus primùm quidem deprehendit Germanus, nomen Gutæ esse neutiquam Bohemicum, sed Germanicum, quum scilicet Gallis eadem Guta dicta fuerit Bona: Germanica uoce Guta aliud quicquam non significante, quàm Bonam. Nec dubium, quin hoc nomen Bohemiæ sit illatum, factumq; notius & gratius per Gutam Rodolphi Habſpurgij Cæsaris filiam, fœminam prudentißimam, quæ uxor non adeo multos ante annos fuerat Sancto Vuenceslao Otthocari filio, Bohemiæ regi VI. è quo & filiam sustulit nomine Gutam, datam in matrimonium cuidam ex Vrsinis Romanis. Apud Aeneam Syluium Cap. XXVIII Bohemicæ historiæ, tam mater quàm filia perperam scribitur Iutha, quæ uox Germanis & ociosa est: & eorundem Annales Rodolphi filiam nominatim Gutam uocant, id est Bonam.

Deinde animaduertendum quoque, præterquam quòd Froſſardo non per omnia consentiunt ea quæ ex Gilleo tam recitauimus, sub finem quidem & ipsa sibi parum constare. Quis enim uxorem habere solet ante annum ætatis decimum tertium? Nisi fortè numeros deprauatos censeas, & pro XIII, legendum XXIII. Sed uideo quid erret Gilleus. Veritas enim ipsa breuiter sic habet. An. M.CCCLX, mẽse Nouẽbri, moriebatur in castro Ruueræo prope Diuionẽ Philippus Dux & Comes Burgũdiæ, Comes Artheſiæ (liceat mihi per censorem Boüillum, usitatum potius nomen usurpare, quàm Atrebates) Auerniæ, Boloniæ, Palatinus Brye & Campaniæ, ætatis XIII plus minus annorum, qui quidem Philippus tunc sponsalia contraxerat cum Margaritâ filia Comitis Flandriæ, eamq; pòst uxorẽ duxit Philippus filiorum Ioannis Franciæ regis Quartus. Et hæc quidem narrat ipse Gilleus Lib. 2. Annalium, fol. XXVIII. quæ & Froſſardo nihil aduersantur, & errorem suprà folio XII semel atq; iterum ab ipso Gilleo repetitum euidenter detegunt: nimirum quòd falso ibidẽ Ioãni Regi uxorẽ eam fecerit, quæ eiusdẽ filio Philippo nupsit. Tametsi enim Ioannam, nõ Margaritam scribat, tamen de hac potius Margaritâ eũ sensisse, sequens demonstratio de Ruueræo planè comprobat. Cõtrà autem idem Gilleus Philippo Odeti Ducis Burgũdiæ filio, diu post apud Ruueræũ ante pubertatẽ mortuo, uxorem æquè perperã adscribit Ioannam Comitiſſam Boloniæ: quũ illi quidẽ Burgundo apud Ruueræũ mortuo, nõ uxor ulla, sed spõſa tantũ fuerit Margarita, filia Comitis Flãdriæ.

Neque piget huc adijcere, quæ demum post hæc

hæc omnia iam exarata legi in ipsa Frossardi historia, oblata fortè apud amicum. Ille uerò Vol. 1. folio CII. hanc rem planissimè narrat hunc ad modum: Anno Salutis M.CCCXLIX, die XIX Februarij, qui erat Carnisprivij, Dux Normaniæ, filius primogenitus regis Fräciæ, uxorẽ duxit secundã, scilicet Ioannã Comitissam Boloniæ, quæ prius uxor fuerat Philippo filio Vdeti Ducis Burgũdiæ, qui Philippus occubuit lapsu equi in obsidione arcis Aguilloni, anno Sal. M.CCCXLVI. Ipsa Comitissa fuerat filia Guilielmi Comitis Boloniæ, & quidẽ ex filia Ludouici Comitis: & tenebat eadem Boloniæ Comitissa Ducatum Burgundiæ, ac Comitatus Artheſiæ, Boloniæ & Aruerniæ. Hæc Frossardus. Idẽ Vol 3. fol. 71. non modò de Bohema, Ioannis priore coniuge omnem scrupulum tollit: sed etiam disertè scribit, tum Carolum V. regem Franciæ, tum omnes eiusdem Caroli fratres, scilicet Ludouicum Ducem Andegauensem, Ioannem Ducem Bituricensem, & Philippum Audacem Ducem Burgundiæ, natos fuisse Ioanni Franciæ regi ex sorore Venceslai Ducis Brabantiæ & Lucemburgi, qui quidem erat frater Caroli Quarti Imperatoris. Vellem & de filiabus, quas idem rex Ioannes pari numero habuit, certum expressisset, utra ex coniuge fuissent susceptæ. Apparet autẽ non inscitiæ Gilleum reprehendi posse, sed negligentiæ tantum, aut obliuionis, & quidem percrassæ: ut qui priore loco diserte profiteatur, de eodem coniugio se siue plura, siue exactius dicturum, ubi ad res gestas An. M.CCCLX peruenirent. Neque solum ea narrat ibi, quæ iam suprà adduximus: sed etiam annis nouem præterea relatis, folio XXXIII & XXXIIII, hæc quoque copiosius adiungit: Die Martis, quæ erat XX. Iunij, Anno M.CCCLXIX, fuit celebratũ & consummatum matrimonium Philippi Ducis Burgundiæ, fratris regis (scilicet Caroli Quinti) & dominæ Margarithæ, quæ unica erat filia & hæres Ludouici Comitis Flandriæ, Artheſiæ, Niuerni & Retheli: & fuere coniuncti in templo S. Bauonis apud Gandauum, per Archiepiscopum Tornacensem, præsentibus plurimis Principibus Francicis, & Duce Brabantiæ, auunculo Comitis Flandriæ una cum uxore. Hæc Margarita prius uxor fuerat Philippi Ducis Burgũdiæ, qui obijt ætatis XIII, annorum apud Rouueræum, Anno M.CCCLXI. eoq; modo bis fuit Burgundiæ Ducissa. Hæc Gilleus ibi.

Porrò cum & ipse Philippus Valesius tot nominibus Carolo huic Quarto fuerit iunctus, non possum non hoc loco attingere scriptorum Francicorũ uariationem, circa posterius eius coniugium: si quis fortè post nos oculatior aut diligentior ipsam ueritatem inuenire possit. Itaq; Gaguinum scribere, Philippo Valesio secundam fuisse uxorem Blancham filiam regis Nauarræ, iam relatum erat. Ioan. Buchetus in Epitaphijs regum Franciæ narrat, eidem Philippo Valesio alteram fuisse uxorem, Blancham Ludouici Hutini filiam: id quod sanè non difficulter cum Gaguino queat conciliari, quòd cõstet eundem Ludouicum Hutinum, superstite adhuc parente Philippo Pulchro regem Nauarræ fuisse, & septennio quidem antè quàm Franciæ regnum moriente patre adipisceretur. Atque hoc quidem modo Philippus ille Valesius nuptã habuisset patruelis sui filiã. At Nicolaus Gilleus post initium libri 2 Annalium Francicorum memorat secundam Philippo Valesio fuisse uxorem Blancham, quæ filia erat regis Nauarræ defuncti, & Ioannæ filiæ Ludouici Hutini itidem mortui: ita ut hinc sequeretur, Philippo Valesio patruelis sui Hutini non filiam, sed neptem ex filia fuisse uxorem alteram. Idem Gilleus folio duodecimo pòst, ita scribit: Die III. Augusti, Anno Salutis M. CCCXLVIIII, idem Philippus Valesius rex Franciæ secundam sibi uxorem iunxit in oppido Brayra, Dominam Blancham, filiam defuncti regis Nauarræ, qui decesserat in expeditione contra Saracenos in Hispania: quæ quidem Blancha erat nata annos XVII, aut circiter, Domina admodum inclyta. Eodemq; anno Comes Fuxi uxorem duxit filiam Dominæ Ioannæ reginæ Nauarræ filiæ defuncti Ludouici Hutini, filij Philippi Pulchri: & fuere nuptiæ Parisijs celebratæ in arce Lupara, ac mẽse Octobri insequente obijt eadem Ioanna. Hæc Gilleus: quem sanè qua ratione Bucheto conciliem, non habeo. Cum Gaguino enim, qui huic Philippo Valesio filiam regis Nauarri indefinitè, hoc est nullis additis nominibus (nimirum hac in re ambiguus ipse quoq; hærebat, nisi fallor) iungere maluit, exacta est compositio. Deniq; uerò Ioan. Veraldus Cenomannus Iureconsultus, sub finem Tractatus de iuribus & priuilegijs regni Francorum, scribit, Ludouico Hutino unum tantum fuisse filium, sed defunctum quidem antequam coronaretur, ideoq; Regum catalogo nõ inseri. Similiter & filiam unam, quam in matrimonium dederit Carolo Comiti Ebroicensi, unde prognatus sit pessimus ille Carolus rex Nauarræ.

Quid super hac scriptorum discordia mihi uideatur, paucis dicam, nõ herclè tantam mihi rerum Francicarum arrogans cognitionem, ut earum scriptores ipse docere uelim: sed quò ueritati, quatenus possum, succurram: aut saltem, quod uero similius uidetur, offeram lectori candido. Quanquam Gilleus non rarò hallucinatur, ac personas confundit, falsis'ue nominibus repræsentat, itemq; annorum dierumq; numeros perperam recenset: tamen hac in re eius narratio uidetur mihi uera, ac cõtrà Bucheti erronea, ex rationibus quas breuiter subijciam. Primùm enim certum est, eodem Gilleo scribente, Margaritam priorem Ludouici Hutini uxorem, è qua filiam sustulit Blancham (quanquam reuera eidem non hoc, sed Ioannæ nomen fuerit, ut statim apparebit) obijsse diem paulo antè socerum suum Philippum Pulchrũ. At hic Anno Sal. M. CCCXIIII, uita defunctus est, iuxta eundẽ Gilleum, itẽq; Buchetum: uel potius An. M. CCCXIII, pridie Diui Andreæ,

iuxta Gaguini narrationem. Quin & illud constat, aliquandiu antè, nimirum superstite adhuc socero, in adulterio eam deprehensam, carceri que mancipatam, ex marito nihil amplius concepisse liberorum. Præterea in confesso est, Hutino ex altera uxore Clementia, Regis Hungariæ filia (quam ut Gilleus, ipsius Hutini fratri quoque Philippo Longo uxorem ineptè facit, nisi eam, quæ est apud ipsum repetitæ narrationis confusionem librarijs imputare malis: ita Pandulphus Collenutius libro 5. historiæ Neapolitanæ gemino ut minimum errore capitur, scribens Clementiam filiam Caroli secundi regis Neapolitani fuisse uxorem Carolo filio primogenito Philippi Pulchri regis Franciæ) nullam unquam natam fuisse filiam (ne quis fortè geminas ei Blanchas filias somniare conetur) sed filium duntaxat posthumum Ioannẽ nomine, qui non amplius quàm unum uixit octiduum. Deniq; uerò constat, ut iam ex eodem Gilleo extat relatum, cui & Gaguinus Frossardusq; propè consentiunt, Philippum Valesium posteriores cum Blancha celebrasse nuptias Anno Salutis M. CCCXLVIIII. Sequeretur ex his omnibus, si ullam Hutini filiam duxisset Philippus Valesius, eam nuptiarum tempore ut minimum natam fuisse annos XXXVI. eoq; amplius. id quod fuisse factum, equidem non est uerosimile. Tum ut ille iam grandæuus, puta annum agens iam LVI. ac anno insequenti è uita decedens, fortè tam natu grandem ducere uoluerit (quanquam seni iuuencula magis conueniat) tamen haud temerè unquam euenit, ut puellæ regiæ ad illud ætatis retineantur innuptæ.

Verius igitur est, id quod Gilleus & Feraldus recitant, Ludouico Hutino unam tãtum fuisse filiam, nomine Ioannam (minime uerò Blancham, quod Gilleus comminiscitur) quæ nupsit Philippo Comiti Ebroicensi (huius in locum Feraldus perperàm supponit Carolum) ipsius Hutini, iuxtaq; Philippi Valesij patrueli. Si quidem hi tres, scilicet Ludouicus Hutinus rex Franciæ, & Philippus Valesius, itidem post Franciæ rex, & Philippus Ebroicẽsis Comes idemq; rex Nauarræ, ex æquo singuli Philippũ eius nominis Tertium Franciæ regem paternum auum agnoscunt, nempe ex filijs eiusdem tribus, Philippo Pulchro rege, Carolo Valesio, & Ludouico Ebroicense Comitibus. Et quia sanè Henricus Nauarræ rex unicam reliquerat filiam, nomine Ioannam, quam rex Philippus Tertius penes se educatam ab ipsa usq; infantia, filio Philippo Pulchro uxorem collocarat, regno Nauarræ, prætereaq; Campaniæ Comitatu ab ea in dotem accepto, ac inde à matre in filium Philippi Pulchri natu maximum ipsum Hutinum translato, conuenienter & ipso moriente Hutino, unica tantum relicta filia itidem nomine Ioanna, auiæ suæ paternæ, scilicet Ioannæ, dotem, hoc est Nauarræ regnum, & ipsa marito suo nempe Philippo Comiti Ebroicensi adferre debuit. Narrat Gilleus sub initium libri II Annalium, id regnum Nauarræ demum à Philippo Valesio, cum primum is regnare cœpisset (quod quidem factum est Anno Salutis M. CCCXXVII.) Ludouico Ebroicensi Comiti, nempe patri ipsius Philippi, Ioannæ secundæ mariti, traditum fuisse. At ille idem Gilleus sõlio quarto ante finem libri primi narrat, eundem Ludouicum iam olim, scilicet An. Salut. M. CCCXIX. mortuum, & Parisijs apud Dominicanos proximè uxorem suam sepultum, iusta faciẽte Cardinale quodam Ioserano à summo Pontifice legato, ut pacem inter regem Franciæ Philippum Longum & Flammingos tum belligerantes cõponeret. Et sanè cum idem fõl. IIII, libro II scribat, Anno M. CCCXXX. Philippum Comitem Ebroicensem in, ciuitate Pampelunæ insignitum fuisse corona regni Nauarrici, quod ad eum pertinebat nomine uxoris suæ, filiæ Ludouici: satis apparet, locum iam citatum ex initio libri II, esse corruptum per librarios, & pro Philippo ibi malè repositum Ludouicum: præsertim cum & ibi disertè addat, id regnum à Franco translatum nomine filiæ Ludouici Hutini: quam certum est non quidem Ludouico, sed eius filio Philippo Ebroicensi Comiti uxorem fuisse. Atq; huic castigationi nostræ inueni postea nominatim consentire Ioan. Tilium in Chronologia regum Franciæ, ubi ait, & ab Paulo Aemylio, & Virg. Polydoro, Ludouicum ea in narratione falsò positum pro Philippo. Et Ioannæ filiæ Ludouici Hutini cessisse regnum Nauarræ demum mortuo utroque patruo, scilicet Philippo Longo & Carolo Pulchro, iamq; regno Francico ad Philippum Valesium translato, apertè constare uidetur ex Petro Iacobo Aurelianensi (quo pragmatico haud alius nobis extat meo iudicio commendabilior, siue doctrinam & rerum experientiam, siue iudicium sincerum, & homine Christiano dignas sentẽtias spectare uelis) qui ea ipsa ætate uixit, & in arbore de successione regum Franciæ scriptum reliquit, ideo ad filiam Ludouici Hutini peruenisse tandem regnum Nauarræ, quia sublati iam quoq; erant utriq; patrui, ut dictum est, neque ullus amplius extabat ex Ioanna Nauarra auia paterna, unde id regnũ accesserat, masculus, à quo potuisset Ioanna Hutini repelli. Et de regno Nauarræ, à compluribus qui sibi ut hæredibus id uendicarent, motam fuisse controuersiam demũ, ubi Carolo Pulchro nata filia posthuma, regnum Franciæ ad Philippum Valesium patruelem esset deuolutũ, narrat quoq; Gaguinus sub initium lib. 8. Vt minimè sit dubium, Nauarræ regnũ à Philippo Valesio concessum Ioannæ Philippi Ebroicensis uxori. Ex uerbis autem eiusdem Petri Iacobi non obscurè id quoq; deprehendas, cum Ludouici Hutini filius posthumus, Ioannes rex tam Franciæ quàm Nauarræ moreretur infans, Ioannam eiusdem sororem, & Ludouici filiam, haud bono iure à patruis utrisque, qui gradu erant remotiores, reiectam fuisse ab ipso quoq; regno Nauarræ, cum fœminæ essent eiusdem capaces.

Vtcunque uerò de Nauarrici regni traditione Ebroi-

Ebroicenſibus facta res habeat, nõ modò hoc uerius, Hutino illam unicam tantum fuiſſe filiam Ioannam, quæ nupſit Philippo Ebroicẽſi, quãdocũq; per eam Nauarræ regnum adepto: ſed etiã id uero proximis, Philippo Valeſio alteram uxorem fuiſſe Blancham, eiuſdem Philippi Ebroicenſis (qui idem rex fuit Nauarricus) patruelis ſui filiã, eandemq; Ludouici Hutini alterius patruelis quoq; ſui neptem, ut ſuprà ex Gilleo expoſitum eſt. Nam & compendium Froſſardicum, dum memorat res in Gallia geſtas, ipſum ante annum Salutis M.CCCL. ita loquitur: Valeſius rex id temporis alteram duxit uxorem, Philippi Nauarræ principis filiam. Froſſardus ipſe, cuius poſtea eſt mihi facta copia, certius narrat hoc modo: Anno M.CCCXLIX, rex Franciæ Philippus (ſcilicet Valeſius) apud Bryam dictam Comitis Roberti, die Martis XXIX Ianuarij ſecundam duxit uxorem, ſcilicet Dom. Blancham, filiam Philippi regis Nauarræ, qui deceſſerat in Hiſpania, quæ quidem erat ætatis annorum plus minus XVIII. Hæc ille. Adde uerò, iam dictis omnibus belle admodum quadrare, Blancham illam tum annos natam fuiſſe uix XVII, quod Gilleus narrat, cum Philippus Valeſius iam ageret annum LVI. Philippus enim Tertius rex Philippum Pulchrum, item Carolum Valeſium, Philippi Valeſij patrem, maturius ſuſtulit ex prima uxore Iſabella, filia regis Aragoniæ: Ludouicum autem Comitem Ebroicenſem, patrem ipſius Philippi ſeu Regis ſeu Principis Nauarræ, tardius procreauit, nempe ex ſecunda uxore, ſcilicet Maria Ducis Brabantini filia: ita ut Philippus Valeſius nõ modo alteram ſuam uxorem Blancham plurimis, ſed etiam eius patrem Philippum aliquot multis annis naſcẽdo potuerit præcedere, nimirum quia eius Philippi Valeſij pater Carolus Valeſius ut natu grandior, more hominum conſueto, haud dubie citius & maritus & pater fuerit factus, quàm frater iunior Ludouicus ipſe Ebroicenſis. Sic & Carolo Pulchro tertia contigit uxor, eiuſdem Ludouici Comitis Ebroicenſis patrui ipſius filia, ſcilicet Ioanna: nimirum quia prognata ipſa à patre ſerius edito, quàm erat patruus Philippus Pulcher, Caroli Pulchri mariti ſui parens.

Hæc ſi Buchetus conſideraſſet paulùm accuratius, nunquam puto in animum induxiſſet, Ludouico Hutino regi Franciæ pro una filia Ioanna duas fingere, alteri que nomen Blanchæ imponere. Habuit quidem Philippus Valeſius pro ſecunda uxore Blancham, ſed eam non filiam Hutini, ſed ex filia Ioanna neptem, uti iam eſt expoſitum. Et conniueri quidem poterat ad hanc Bucheti hallucinationem, niſi alteram adderet multo craſſiorem, atque adeò ipſe ſibi quoque eſſet contrarius: nempe nunc Blancham Hutini natu grandiorem faciens filiam, quæ regnum Nauarræ ad Philippum Ebroicenſem attulerit: nunc contrà eidem Ioannem filiam alteram cum dote eadem adiungens, inde'que natu habens ipſam priorem, & Blancham illam Philippo Valeſio addens uxorem. Nam in Philippo Tertio ita ſcribit: Attamen Ludouicus Hutinus habuit duas filias. Vna fuit nupta cum Philippo Valeſio, Franciæ rege Quinquageſimo: altera nomine Blancha fuit uxor Philippo, filio unico Ludouici Comitis Ebroicenſis: & per eam Philippus idem factus eſt rex Nauarræ. Cæterum pòſt in ipſo Ludouico Hutino idem Buchetus longè aliter narrat: Ludouicus Hutinus, inquit, ex priore ſua uxore, nomine Margarita, ſorore Roberti Ducis Burgundiæ, habuit duas filias. una, cui nomen Ioanna, nupta fuit Philippo Comiti Ebroicenſi, unde deſcendêre reges Nauarræ, (idemq; narrat in Philippo V, cognomento Longo, clarius etiam de Nauarrico regno iſti Ioannæ Hutini filiæ debito exponens) uti ſuprà in Genealogia Philippi Tertij eſt uiſum. altera filia, nomine Blancha, fuit uxor Philippi Valeſij, qui fuit rex Franciæ. Idem repetit in Philippo Valeſio, inquiens: Hic ex ſecunda uxore, nomine Blancha, filia regis Ludouici Hutini, nõ ſuſtulit ullos, dum uixit, liberos: ſed eam moriẽs gra uidam reliquit, enixam mox poſtea filiam poſthumam, quæ uocata Ioanna, nupſit Duci Gerronnæ.

Hæc Buchetus tum alijs hiſtoriographis, tum adeò ipſi ſibi aduerſa: quæ fortefortunà præſentem in locum occurrentia, & utcunque à me examinata, Genealogiarum ſtudioſis hominibus libenti animo communicaui, accuratiorem inquiſitionem ipſis demandans.

Ex his uerò elucet, obiter quoque deprauatum extare locum in Froſſardi Vol. 1 folio CIIII. ubi narrat deprecationem pro Carolo rege Nauarræ factioſo & homicida, per reginas duas factam apud Ioannem regem Franciæ, eius ſocerum: qui locus & Gaguino impoſuit, ſub initium libri IX. ut non modò de Blancha regina imperfectè dubiéque, ſed etiam de Ioanna falſò ipſam neceſſitudinem narraret. Quid ni igitur una modica opella, uel in Francorum gratiam, dum hoc prodeambulamus in diuerticulo, utrique ſcriptori opem adferamus? Froſſardi uerba ita habent: Et toſt apres la royne Iehanne ante de la royne Blanche ſeur du roy de Nauoerre: laquelle Iehanne auoit eſte femme. au roy Phelippe derrenier treſpaſſe uint en la preſence du roy de France lequel ilz inclinerent. Ego nihil dubito ab authore ita potius fuiſſe ſcriptum: Et toſt apres la royne Iehanne ante, & la royne Blanche ſeur du roy de Nauarre, laquelle Blanche auoit eſte femme au roy Phelippe derrenier treſpaſſe, &c. Non tamen negarim legi etiam poſſe, ante de la royne Blanche. Nam quæ Ioanna Caroli Nauarri amita fuit (puta toties iam memorati Ludouici Comitis Ebroicẽſis filia, & Philippi Nauarri regis ſoror) eadẽ fuit & eius ſororis germanæ Blanchæ amita. Sed Ioannæ nomẽ repeti profectò nõ poteſt, quia Philippo regi nouiſſimè mortuo, ſcil. Valeſio, ſuperſtes uixit uxor Blãcha, ipſa ſoror Caroli regis Nauarrij, Ioãna priore Valeſij uxore præmortua. Poſ-

tua. Posset quidem & Ioannæ nomen repeti, si pro Philippo substituas Carolum, scilicet Pulchrum, cuius Ioanna illa Nauarra fuit uxor. Sed multo pronius erat per librarium oscitantem Ioannæ nomen uitiosè repeti, quàm pro Carolo Philippum scribi. Quid, quòd ut de Carolo ociosè addebantur hæc uerba, nouissimè mortuo, quum non posset alterius Caroli regis Franciæ uxor superstes esse (nam Carolum hunc Quartum, nuncupatum Pulchrum, præcesserit quatuor propè seculis Carolus Tertius, XXXI Franciæ rex, dictus Simplex) ita Philippo adijciebantur necessariò, ut quem inter & Philippum Quintum, uocatum Longum, regnum duntaxat quinquennale Caroli Pulchri effluxit.

Quare ubi apud Gaguinum legitur: Carolus, scilicet Nauarræ rex, commissæ cædis ueniam postulauit, obtinuitq; interueniẽtibus reginis Ioanna eius sorore & Blancha, &c. emendandũ est ita: interuenientibus reginis Ioanna, & eius sorore Blancha. Vel hoc modo: Ioanna eius amita, & sorore Blancha. Tum enim non solum Blancham uiduam Philippi Valesij, sed etiam Ioannam uiduam eius prædecessoris Caroli Pulchri fuisse superstitem, imò & aliquandiu postea, diserte memorat idem Frossardus fol. CXXXI. qui locus, cum ea quæ iam contra Buchetum diximus, apertè etiam confirmet, ad uerbum à nobis reddendus est: Dedito, inquit, per Anglos oppido S. Valerij, Dux Normaniæ (scilicet Carolus, Ioannis captiui in Anglia regis filius) contraxit tria milia equitum, & Lutetia profectus obsedit Meldunum ad Sequanam, quod oppidum hostes Nauarrij tenebant. Illic inerant tres reginæ: una Ioãna, amita regis Nauarri, & uxor quondam Caroli regis Franciæ: altera regina Blancha, uxor quondam Philippi regis Franciæ, & soror regis Nauarri: tertia ipsa regina Nauarræ, eadẽq; soror Ducis Normaniæ. Hæc ille, qui & paulo post in gestis rebus circiter annum Salutis M.CCCLXIIII, de ijsdem ambabus reginis ita narrat: Prætered euenit illa ipsa hyeme, ut regina Ioanna amita regis Nauarri, & regina Blancha eiusdem Nauarri soror, tantum curæ & laboris impenderent, quò tandem inter regem Franciæ & regem Nauarræ pax conueniret. Hæc ille. Atque hanc locorum Frossardi & Gaguini emendationem omni carere scrupulo, deprehendi post ex Gillei uerbis, folio XIII. Vsus uerò hactenus Frossardo uetustæ editionis, & primo in uolumine aliquot foliis defecto, ac tandem (si qua fortè ueritatem ipsam de his & alijs quibusdam certius eruerem) alio recentiore commodato accepto à doctißimo Iureconsulto Christophoro Seldio Augustano, illustrißimi principis Alberti Ducis Bauariæ consiliario, amico nostro uetere, inueni isto in loco (qui est ea in editione folio LXXXII, ut posterior folio CIII) eandem prorsus mendam. Frater autem eius magnificus Dom. Georgius Sigismundus Seldius, sacræ Cæsareæ Maiestatis procancellarius, uir in omni studiorum genere cõsummatißimus, patronus mihi perpetuò obseruãdus, cuius ille erat codex proprius, & quẽ totum diligẽtißimè olim perlectum sua manu Latinè adnotarat, eum quoque locum, scilicet folio LXXXII, animaduerterat esse mendosum, & in margine adiecerat hæc uerba: Videtur error in nomine, ita ut pro Ioãna ponatur Blancha, & pro Blancha Ioanna. Sed nostræ castigationi, spero, facilè is nunc acquiescet.

Porrò præter hæc omnia, ne quenquam historiæ inuoluant, ut nihil dicã de Francorũ rege Philippo cognomine Augusto, ut his à tẽporibus remotiore, nimirum qui XLIII annorum rex decessit Anno Salutis M.CCXXIII. uxoremq; & ipse habuit cuiusdam Bohemiæ & Morauiæ Ducis filiã nomine Mariam, de qua Gallici scriptores itidem uariant: scien dum, & Carolo Pulchro Francorum regi (qui Philippi Pulchri tertius fuit filius, & Philippum Valesium regem, Ioannis patrem, Carolíq; Quinti eo nomine regis auum proximè in regno anteceßit) uxorẽ fuisse quæ Bohemi regis, scilicet ipsius Ioannis soror esset, Henrici VII. Imperatoris filia, huiusq; Caroli IIII amita, nomine Maria, apud Argimontem defuncta, teste Gaguino, uel potius apud Issodunum: quo tẽpore fortè redibat unà cum marito ex linguæ Occitanæ finibus, paulo antè enixa filium, qui mox à baptismate ad superos remigrauit: eumq; paucis post diebus consecuta mater, suspectis eam ob rem quibusdam, uti hæc narrant Buchetus & Gilleus: qui eandem sepultam quidem fuisse scribunt in monacharum æde quadam prope Argimontem, quem ipsa sibi in hoc locum delegerat. Cæterùm ut Gilleus falsò narrat, Mariam illam Caroli regis Bohemi fuisse sororem, cum amita quidem fuerit, quod iam est dictum: ita Buchetus pro Henrico eidem perperàm facit patrem Ludouicum Luzenburgensem Imperatorem. Itidem uerò Frossardus, ubi pugnam Crecianensem narrat, & de hoc loquitur cæco Bohemorũ rege, dicit eum quidem filium nobilis regis & Imperatoris Henrici, sed pro Ioanne Carolum uocat. quẽ lapsum, quamuis manifestarium (Imperatoris enim adiectio ut ipsum Ioannem filium clarè ostendit, sic Caroli nomen adscititicium neutiquã admittit) tãtum abest ut aduerterit ac sustulerit interpres Ioan. Sleidanus, ut alium de suo contra Frossardi uerba mentemq; ipse addiderit, nempe ita reponens: Succubuit in hoc prælio Henricus à Luzẽburgo, pater Caroli Bohemiæ regis. Aequè de suo assuit Henrici nomen lib. IIII, quo loco Frossardus ipse Caroli Luzẽburgi regis Bohemiæ electionem ad imperium attingit, sed neutiquam ipse Henricum ei patrem faciens. Similiter eodem lib. IIII. dum Frossardus incogitanter cladem illam miserabilem, quæ Gallorũ ambitione, interq; sese inuidia & æmulatione Christianis iuxta Nicopolim illata est à Turcis, refert in Henricum quendam Hungariæ regem: Sleidanus errorem accumulans, scribit regem illum Hungariæ Henricum, fratrem germanum Caroli Cæsaris fuisse. Vti enim plerosq; omnes uno ore memorare scio historiographos,

riographos, eam calamitatem acceptam fuisse sub Sigismundo Hungariæ tum rege, Caroli Quarti Cæsaris filio, pòst ipso quoq; Cæsare facto, ita eiusdem Caroli Quarti fratrem Henrichum lego planè nullum. Ioannem Henricum fratrem fuisse non ignoro: sed is ad Hungariæ regnum ne adspirauit quidem unquam, contentus Marchionatu Morauiæ, Comitatuq; Luzemburgensi. Et euenisse eam cladem Anno à Christi IESV Seruatoris nostri natiuitate M.CCCXCVI, & eiusdem Sigismundi regni Hungarici X, Cuspinianus infrà in Calepino V. Turcarum rege luculenter demonstrat, cui tum in hoc Gallici scriptores Frossardus & Gilleus diserte adstipulantur: tum uerò non obscurè innuunt, Basaitem (siue, quod idem est, Baiazetem) eo tempore Turcis imperitasse: non uerò Amurathem Mahometis filium, uti Cuspinianus contra Sabellici supputationem erroneam ibidem rectè contendit. Frossardus enim Basam, & alicubi Basent, itemque Basaac, uti Gilleus, eum regem nominat, uocem Basait utcunq; representantes.

Eandem uerò ob causam, de qua superius dixi, puta ob asserendam historiarum ueritatem, nec illud prætermerim, ipsum Ioannem Sleidanum imitio auctarij historiæ Philippi Cominæi adiecti, nihilo rectius narrare (quanquam idem Nauclerus quoque scribat) Francię regem Ioannem, de quo hic loquimur, in Anglia mortuum captiuum: quum is quadriennio antequam uita decederet, fuerit inde ex Anglia in regnum Francicum emissus liber, suaq; sponte ad uisendum Edoardum Angliæ regem eodem reuersus. Nisi fortè iuxta Iureconsultorum sententiam non liberum, sed captiuum censuere, qui datis uadibus dimissus fuerat.

Postremò autem ex hoc ipso typo Genealogiæ, quam Cuspinianus huic Carolo Quarto præfixit, etiam deprehendis, parum subsistere id quod in eiusdem Frossardi libro II legitur, & per interpretem his uerbis redditur: Anglus (scilicet Richardus Angliæ rex, Edoardi Tertij ex Edoardo filio nepos) in Germaniam missis ad Carolum Bohemiæ regem legatis, uxorem sibi dari cupiebat illius sororè: per anni spacium, & eo amplius, res cogitata, confecta est tandem. Vides enim lector quæ fuerint Caroli sorores, quibusq; nuptæ maritis, nimirum Anglo nulla. Quid, quod & tempora Richardi istius, & Caroli sororum, adeò non conueniunt, ut harum nulla ipsi Richardo iam planè puberi uxor esse potuerit, quæ non haberet ætatè annorum, ut minimum, XL. nam Anno Sal. M.CCCLXXVII, Richardus moriente auo, præmortuoq; patre, Angliæ regnum capessens annorũ erat XI. cum Ioannes Bohemiæ rex iam antè Anno Salutis M.CCCXLVI occubuisset. Denique cum idem Ioannes rex ab Anglis esset occisus, uero est persimile, nullam eius filiarum ad Anglos facilè fuisse migraturam, dolore odioq; nimium adhuc recente. Certè Ludouicus Comes Flandriæ (quò cõiecturam nostram etiam exemplo fulciamus, & quidẽ ex clade eadem ultro se offerente) persuaderi nunquam potuit, ut uxorem duceret Ysabellam filiam regis Angliæ Edoardi Tertij: ut à quo Comitis ipsius pater, Ludouicus & ipse nomen habens, in acie apud Creciacum esset occisus.

Et huius quidem assertionis nostræ apertam confirmationem post inueni ipsum apud Frossardum: qui licet primum Annam Caroli sororẽ dicat, tamẽ statim subiungit, eandem Annam cum ad sponsum Anglum proficisceretur, à Duce Brabantiæ (scilicet Venceslao) honorificè exceptam fuisse Bruxellæ, ut quæ ipsius fratris imperatoris Caroli esset filia. quod mirum quidem est non respexisse interpretem, præsertim cum idem lib. IIII. ubi eiusdem Annæ, mortuæ anno M.CCCXCIIII. magnificæ exequiæ describuntur, patrem Carolum nominet. quo loco etsi Frossardus ipse nullum nomen patris exprimat, tamen alijs notis ita demonstrat, ut digito non possit certius, nimirum pompam funebrem Annæ è marito rege ideo institutam tam sumptuosam scribens, quòd filia fuisset regis Bohemiæ, Imperatoris Romani, & regis Alemaniæ: quæ duo quidem posteriora in Ioannem Caroli patrem non cadunt. Suntq; hæc duo Frossardi loca omnino conferenda cum ipso Cuspiniano, ubi infrà sub finem huius Caroli Quarti scribit, eius filiam Helenam cuidam Angliæ regi cessisse uxorem. Quò autem ea quæ contra Gillei & Bucheti narrationes suprà exposuimus, de Philippi Valesij & Ioannis regum Galliæ, item Philippi regis Nauarræ coniugijs, clarius cuiuis pateant, subiecimus hic typum Genealogiæ, insertis ferè ijs tantum personis, quas argumentum desiderat.

Pag. 475. uers. 1.

281 Fuit ergo Carolus rex Bohemiæ, nepos ex filio quondam Henrici de Lucelburg, Imperatoris pronepos ex filia & nepte Rodulphi de Habspurg.) Ne qua suboriatur hic ambiguitas, transferenda est distinctio post uocem Imperatoris. Fuit enim Carolus Henrici de Lucelburg Romanorum Imperatoris hoc nomine VII. ex Ioanne filio nepos, quod monstrat Genealogia. Idemq; Carolus Rodulphi Habspurgensis Roman. Imperatoris pronepos fuit, nempe quod is Rodulphus filiam Gutam dedit uxorem Venceslao seniori regi Bohemiæ, quæ inde peperit filiam Elysabetham: hæc nupsit iam dicto Ioanni, filio Henrici Lucelburgensis Imperatoris, eiq; hunc Carolum peperit. Colliguntur hæc tum alijs ex historijs, tum ipso ex Cuspiniano suprà in ijs Cæsaribus, Pag. 441. 442 & 452.

Ibid. uers. 9.

282 Qui in oppido Ro. Rẽs nomine.) Ab authore nõ Romano, sed Rhenano scriptũ fuisse, quiuis puto facilè intelligit. Suprà Pag. 472. uers. 7 nullam, non oppidum appellat, dum dicit, quòd nouus

illo

Ille Moguntinus Antistes ut Papæ, è quo uno totus pendebat, morem gereret, Principes pro nouo deligendo rege conuocauit ad uillã Rens super Rheno. Vbi autem sit locus ille, euidenter apparet ex ipsius Cuspiniani demonstratione, dum Pagina proxima uers. 19. scribit, quorundam Electorum legatos conuenisse sub castro Leostain, eregione uillæ Rens. Est uerò hoc oppidulum, dictum Lonstain, uel potius Lanstain (ideoq; emendanda & in Cuspiniano corruptè scripta uox Leostain) supra Confluentiam situm, sed in dextra siue Germanica Rheni ripa, qua Lanus fluuius ex Hessia descendens in Rhenum illabitur, indeq; haud dubiè nomen accepit. Magis etiam corruptè apud Ioan. Nauclerum legitur, locum Rens ad Rhenum eregionè oppidi Hœst situm esse. Pro Hœst enim reponi debet Lanstain. Est namque Hœst, siue Hoechst potius scribendum fuerit, ad dextram Mœni ripam, paulo infrà Francofordiam, in ditione archiepiscopi Maguntini.

Operæ precium uerò existimo, id quoque obiter commonefacere lectorem, præsertim Germanum, nõ idem esse Hœchst, & Altam uillam (cuius in hoc Carolo IIII. & temporibus ei finitimis sæpe apud scriptores fit mentio) quòd prima quidẽ facie ita uideri queat: quum Germanus sua in lingua paulo attẽtior haud ineptè conijciat, Hœchst dici apud Rhenenses per contractionem, quòd lingua communi Hœchstet (quo nomine & alia sunt in Germania oppida) id est, ac si Latinè dicas Altũ oppidũ, seu Alta uilla, ut cum quibusdam loquar scriptoribus. Quanquam enim nec pueri hodie ignorent, tantum esse discrimẽ inter oppidum & uillam, quantum inter urbem Romam & pagum aliquem: tamen apud Neotericos quosdam, præsertim Gallos, uilla frequenter usurpatur pro oppido, adeoq; ciuitate. Nam & hæc duo Legulij nostri, si dijs placet, ita distinguunt, ut hæc Episcopum habeat, illud non habeat. Galli uerò id sumunt ex uernacula lingua, quæ oppidum ferè aliter dicere non solet, quam la uille. Horum uerba nostri imitati, oppida quæ sunt, sæpe & uillas iuxtà appellant. Sed ut absoluam id quod dicere cœperam, opinor per Altam uillam in istius quidem seculi rerumq; ad Rhenum gestarum historijs intelligi oppidulum lingua Germanica dictum Eltueld, paulò infra Moguntiam, in Germanica Rheni ripa situm: tum quia hoc admonet Adnotatio quædam in margine ad authorem τῶν Paralipomenon adiectorum Abbati Vrspergensi, hæc uerba adijciens: Alta uilla est, Eltfeld, Ringauiæ oppidum: tum quia ipse uidi diploma Caroli huius IIII, quo confirmat inuestituram à uasallo quodam Imperij de feudo (ut de re Latinis temporibus incognita nostrorũ uerbis loquar significantius) in alium Valuasorem factam. Dies datæ eius confirmationis, cui subscripserat Cancellarius Ioannes Nouiforensis, ita extabat: In castris ante Eltuil, Sabatho post festum Ascensionis, Anno Salutis M.CCCXLVIIII. Regni III. Iisdem in castris & ipsa inuestitura erat data, eodem Anno, festo S. Ioannis Baptistæ. Quam uerò ob causam tum ibi fuerit castrametatum, in historijs non lego. Conijcere tamen licet, itum fuisse in Henricum de Virnberg, per Papam præsulatu Moguntinæ Ecclesiæ deiectum illegitimè: nimirum ea sola de causa, quòd Ludouico Bauaro studeret, ac Carolo aduersaretur: cuius quidem Henrici iudices ius dixisse in Alta uilla, Nauclerus diserte memorat, quum Gerlaci à Nassau, qui non per ostium ouile ingressus, Papæ præsidio eundem sibi usurpabat archiepiscopatum, iudices Moguntiæ forum haberent. Porrò ubi idem author τῶν Paralipomenon scribit, Henricum Lucemburgensem electum fuisse Imperatorem in loco qui dicitur Rinsen, Treuerensis diœcesis: emendandum est, secundum iam dicta, & legẽdum Rens: uti sincerè habet idẽ Nauclerus Generat. XLIIII. Quanquam Cuspinianus dissentiens, Francofurdiæ electum scribat. Sed utcunque sit, non obscurum est, Principes Germanos tum temporis ferè eo in loco conuenire solitos fuisse: cuius quidem hodie nulla est celebritas.

Pag. 477. uers. 7.

283 Oppidoq; Norimberg.) Hæc uerba cũ periodi fine parum congruunt. Nescio an non aliquid uerborum hic desit: aut an potius ab authore scriptum, Oppidum quoq; Norimberg. Hædio hunc locũ ita uertit, ac si Albertus Austriæ Dux Norimberga Caroli fautores potentiores eiecisset, ac ibidem Marchionem Brandeburgensem recepisset, id quod cum præcedentibus prorsus quidem non cõuenit. Itidem mox inferius uers. 24. Periodi minus aptè inter se coeunt.

Ibid. uers. 20.

284 Obijcitum uxor Caroli, regis Franciæ, cui Blanca erat nomen, filia.) Nescio equidem, utrum potius hic oscitantiæ reum faciam: authorem'ne, qui sororem scribere animo habens, filiam subiecerit: an uerò librarium, qui rectè fortassis scriptum, incogitantia peruertit. Certè non potest ignorantiæ author ipse damnari, ut qui inferius diserte exponat, primam huic Carolo Quarto fuisse uxorem Blancam, Comitissam Valesij in Francia, filiam Caroli Comitis Valesij, & sororem Philippi de Valesijs, pòst regis Franciæ. Mox. uers. 42. pro Carienſis, lege Curienſis: quod tum res ipsa, tum uers. 30. Pag. 478. clarè ostẽdit. Deniq; statim pòst, scilicet uers. 9. lege eis, pro eius.

Pag. 479. uers. 8.

285 Delphinus Dux Viennæ primogenitus Ioannis regis Franciæ.) Nihil equidem hic desidero: sed ideo hunc locum silentio non prætergredior, quòd doctos expendere uelim, num uerosimilia sint, quæ Aeneas Syluius in historia Bohemica, sub initium cap. XXXIII scribit, nimirũ quid Carolus hic Quartus adhuc iuuenis, patreq; ipsius Ioãne adhuc superstite, somniauerit de Delphino regis Frãciæ primogenito: qui tum contra principem

Subaudiæ

Sabaudiæ belligerans, in obsidionem cuiusdam castelli, sagitta in incertum missa, confosso inguine occubuerit. Quum enim constet (siquidem Nauclero credimus, à quo nec Gaguinus Gilleusq; dissentiunt) Delphinatum ad Rom. spectantem Imperium, nempe è septem Arelatensis regni prouincijs unam, ab Humberto Delphino uenditũ fuisse Philippo Valesio regi Frãciæ Anno Salutis M.CCCXLVIIII. quæso ante id tẽpus quis, cuiusue regis Franciæ primogenitus potuit esse Delphinus? Quid, quòd ne tũ quidem Delphinatus Philippi Valesij primogenito Ioanni ceßit? sed filio secundo Philippo, qui et Dux Aureliæ fuit: uel, ut Gilleus narrat, Carolo eiusdem Philippi Valesij nepoti, puta Ioannis Normanniæ Ducis filio primogenito: id quod cum hisce Cuspinia ni uerbis planè consentit. Præterea uendito iam Delphinatu, Ioãnes pater Carolo Bohemo amplius superstes non fuit, cui somnium illud narrasset, quod Syluius scribit: ut qui Anno Sal. M.CCCXLVI. VII. Kalend. Augusti ab Anglis in prælio apud Syluam Creciaci fuerit occisus: cum Carolus ipse iam antè circiter Idus Iulij esset primùm designatus Ro. Imperator, annos habens (quod ipse Syluius asserit) XXXI. ipse autem anno uenditi Delphinatus, ut inferius ex ipsa Cuspiniani narratione colligitur, moriente uxore Francica iam uiduus, decennio antè pater, ac omnino tum grauioribus occupatus negotijs, quàm qui iuueniles in Italia sectaretur amores.

Deniq; nusquam lego, ullum Regis Franciæ primogenitum bellum tum habuisse cum Principe Sabaudiæ, aut in Castelli cuiusquam obsidione oppetijsse. Nisi fortaßis de Carolo Philippi Pulchri filio, cum copijs aliquando authore Papa Ioanne XXII, Vercellis, adiutum Guelphos, profecto, sentiat. Sed is neque Delphinus, neque regis Francorum fuit primogenitus, neque ipso uiuo Delphinatus in Francos unquam alienatus. Quid igitur censeam, nisi Syluium somniasse, dum miraculosum id narrat somnium: fortè per aliquẽ eius templi, quod Carolus fundarat, sodalium cõcinnatum, ut qui templo eidem hinc tanto plus uenerationis se conciliaturum opinabatur.

De ipso uerò Delphinatu complura cognitu nequaquam indigna, nec alijs relata, quod ego sciam, historiographis, licet colligere ex Decisionibus Guidonis Papæ, qui ante annos centum consiliarius diu fuit in parlamento Delphinati apud Gratianopolim, atq; omnis generis monumenta in archiuo lustrare, multaq; cognoscere potuit ad eam ditionem spectantia, uulgò nostris (ut opinor) haud temerè comperta: aliquando & alios memorabiles sui seculi euentus interspargere solitus, ut de Ioanna puella (quæ consilio iuxtà & armis hostes Anglos Francia fortiter, adeoq; prodigiosè expellens, Carolum septimum iam regno prope uniuerso exutum restituit) de expugnatione Constantinopolis, de bello intestino Regis Angliæ & Ducis Dyorti, de Cometa in Delphinatu uisa Anno M.CCCCLVIII, de morte Caroli VII, de coronatione Ludouici XI, et quædam alia.

Quomodo autem illustris Princeps Humbertus Delphinus Viennensis, de quo suprà dictum est, instituerit Anno Salutis M.CCCXL. consilium, q. Delphinale uocari uoluit, atq; domicilium habere perpetuum Gratianopolim, tributa eidem amplißima potestate iuris dicendi in uniuerso Delphinatu: scribit Guido ille Papa Decisione DLIIII, recitãs tenorem diplomatis ipso ab Humberto super ea re editi. Præterea ibidem narrat, cum eo tempore esset Academia publica omniũ disciplinarum Gratianopoli, disposuisse eundem Dom. Humbertum, ut inter consiliarios semper essent Doctores quatuor, non nomine, sed re ipsa professores iuris, duo quidem Ciuilis, ac duo Canonici. Deniq; Anno Salutis M.CCCCLIII, Ludouicum Caroli VII primogenitum Delphinum Viennensem, ac pòst regem Franciæ eius nominis XI, id consilium transformasse in Parlamentum, ad instar Centumuiralis illius magnifici Regij Senatus Parrhisiensis: qua de re etiam scribit Decisione XLIIII. Quid idem Dom. Humbertus & Ioannes episcopus Gratianopolitanus iuratis pactionibus inter se Anno M.CCC XLIII cõuenerint, super iurisdictione in ciues eius loci, narrat & prolixè discutit idem Guido, Decisione CCLXXV. Comitatus Valentinensem & Diensem eiusdem Caroli 7. temporibus per Delphinũ (nimirum Ludouicum filium) nondum maiorem annis XXV, parum considerate dimissos Ludouico Pictauiensi: ideoq; Regni sententia, in corpus eius prouinciæ retractos, scribit idẽ Decisione CCCII.

Porrò Decisione CXCI, recitat sanctionem quandam Imperialem integram (nisi quod conditoris nomẽ annusq; promulgationis desideratur (præscribens formam, qua magnates inter se bella denunciare poßint, siquidem iustã sibi quisquam putet esse armorum causam. Explicat uerò illam scripto commentariolo, in quem præfatur, eam quidem legem non esse in Corpore iuris Ciuilis comprehensam, sed in archiuum publicarum rationum Delphinatus ideo relatam, quò obseruaretur ijs temporibus, quibus Gubernatores eius prouinciæ erant uicarij Impiales: prout idẽ Decisione CLXXXIII, & CXCIIII, & CCLXXXI, refert nomina quatuor Gubernatorum, qui ab Anno M.CCC LXXXIX. usq; ad annum M.CCCCXXVIII, auspicijs Regum Franciæ ei prouinciæ præfuerunt.

Ego propè sacramento contendere ausim, eius sanctionis authorem fuisse Imperatorem Ludouicum Quartum Baioarium. Nam quo loco Frossardus memorat, quibus ceremonijs ac conditionibus Edoardus Angliæ rex fuerit ab ipso imperatore Ludouico factus Imperij Vicarius (de qua re & hic Cuspinianus) adijcit etiam hæc sequentia: Ibidem quoque renouatum ac confirmatum fuit Decretum seu statutum quoddam, temporibus iam præteritis in aula Imperatoris factum, quod tale erat. Quod quis-

quis uellet alij moleſtiam aut damnum inferre, deberet eidem denunciare diffidare uulgo uocant) legitimè triduo antè quàm ad factum deſcenderet: & qui cunque ſecus faceret, mali & infamis facinoris futurus eſſet noxius. Hæc Froſſardus. Quò autem dijudicari ea ab unoquoque poßint, ſubijciam nunc ipſam quoq; ſanctionem, non quidem ut apud Guidonem deprauatißimè impreſſa extat, ſed ſuæ integritati reſtitutam. Ipſe Guido huiuſmodi titulum præponit:

LEX IMPERIALIS SVPER DIFfidamentis, quæ quandoq; faciunt inter ſe magnates & alij nobiles, qualiter & quomodo fieri debeant, & qualiter puniantur aliter facientes, & de prohibitione iniuſtarum guerrarum.

Eos qui decæterò aduerſus aliquos iuſtam diffidationis cauſam ſe habere fingentes, ipſos in locis ubi domicilia non obtinent, aut ea communiter non habitant, intempeſtiuè diffidant: declaramus, damna quæcunq; per incendia, ſpolia, uel rapinas diffidatis ipſis cum honore ſuo inferre non poſſe. Et quia patrocinari nõ debet alicui fraus & dolus, præſenti conſtitutione in perpetuum ualitura ſancimus, diffidationes huiuſmodi quibuſcunque dominis aut perſonis, cum quibus aliqui fuerint in ſocietate & familiaritate, uel honeſta quauis amicitia conuerſati, ſic factas uel fiendas, in poſterum non ualere: nec licere prætextu diffidationis cuiuslibet quempiam inuadere per incendia, ſpolia uel rapinas, niſi diffidatio per tres dies naturales ipſi diffidãdo perſonaliter, uel in loco in quo habitare cõſueuit, publicè fuerit intimata, poßitq; de intimatione huiuſmodi per teſtes idoneos fieri plena fides. Quiſquis ſecus quempiam diffidare & inuadere modo præmiſſo non ſeruato præſumpſerit, infamiam eo ipſo incurrat, ac ſi nulla diffidatio facta eſſet: quem etiam tanquam proditorem, per quoſcunque iudices pœnis legalibus ſtatuimus caſtigari. Inhibemus etiam & damnamus uniuerſas et ſingulas ubiq; guerras & lites iniuſtas, cuncta quoq; iniuſta incendia, ſpolia & rapinas, indebita & inconſueta telonea, conductus, & exactiones pro ipſis conductoribus extorqueri conſuetas, ſub pœnis quibus ſacræ leges præmiſſa, & eorum quodlibet faciunt punienda.

Pag.480.uerſ.7.

286. Anno noſtræ Salutis milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octauo, uiceſimo ſeptimo Martij, ilico in morte diui Vẽceſlai cũ imperatorijs exequijs ac lamentatione ingenti honorificè ſepultus.) Equidẽ nihil ambigo authorẽ ſcripſiſſe, illicq; in monte: pro quibus ſanè uerbis amanuenſis, præſertim malè auri tus, à dictante excipiens, facilè potuit reponere, ilico in morte. Eſt autem templum eius Diui, ab ipſo Carolo ædificatum, quod paulo ſuprà author narrat, loco editiore ciuitatis Pragenſis ſitum, qui mons Sanctus Vuenceslai inde uocatur. Vt Hædio morte, uocem hoc loco euidenter ineptam, non potuit non pro in monte commutare: ita ilico reliquit, ſequentibus nihil omnino conueniens aduerbium. Quæ enim exequiæ poſſunt eſſe adeò pompoſæ, quæue ſepultura magnifica, quæ lamentatio ingens, ubi raptim omnia peragunturi

Pag.ead.uerſ.20.

287. Quam Carolus rex Francorum tam quam amicam ſuam Carolo Bohemo, tum Marchioni Morauiæ exiſtenti, uix ſeptenneũ deſpõſauit.) Quanquã Cuſpinianus in Latinæ linguæ puriore uſu alicubi impingat, adeoq; cũ uulgo ſolœciſet: hic tamen planè mihi perſuadeo, neq; amicam illum, neq; amitam pro cognata uſurpaſſe, ſed ſcripſiſſe amitinam: nempe quòd hæc Blancha Carolo Pulchro Francorum regi ita neceſſaria fuit, ut proprio uocabulo amitina eſſet, ſcilicet ipſius patrui Caroli Comitis Valeſij filia. Indoctum enim amanuenſem plurima alia longè hoc magis clara & aperta malè corrupiſſe, plus quàm uelimus notum eſt.

Ibid.Verſ.46.

288. Sed & alia Eliſabeth inuenitur filia Caroli, quæ uxor ceſſit Ioanni Galeatio Duci Mediolanenſi. E' quibus Valentina filia nata eſt, uxor Caroli Franciæ Regis. Margaritha item altera, quæ quibuſdam quinta Caroli filia dicitur, uxor data fuit Ioanni Burggrauio Norimbergenſi.) Vti annalibus Bohemicis, quorum fide hic Cuſpinianus hic innititur, quicquam derogare haud equidem cupiam: ita apud alios ſcriptores nullam Eliſabetham, Ioannis Galeacij illius primi, ac longè omnium potentißimi Ducis Mediolani uxorem inuenio. Vxores equidem duas habuit, ſed priorem Yſabellam, regis Galliæ filiam, ſterilem: Catharinam alteram, Barnabæ patrui filiam, è qua primo partu Valentinam, atque inde duos filios Ioannem & Philippum Marias ſuſtulit, uti in ipſius Ioannis Galeacij uita diſertè narrat doctißimus Præſul Paulus Iouius: qui tamen in eo hallucinari uidetur, quòd Yſabellam, priorem Ioannis Galeacij uxorem, facit Caroli Galliæ regis filiam, quæ Ioannem regem Galliæ patrem agnoſcit: quod in eius uita ſcribit Paulus Aemilius, narrans Yſabellæ pro dote Comitatum Virtutum attributum, eamque ditionem eſſe in finibus Campaniæ Francicæ. Adſtipulantur eidem Aemilio Froſſardus libro quarto, & Ioannes Buchetus in Epitaphijs regum Franciæ,

Franciæ, dum uno ore scribunt: huic Ioanni Galeacio uxorem fuisse Ysabellam filiam Ioannis regis Franciæ. Libet referre ipsam Frossardi sententiam: nec melius hac in re possum, aut breuius, quàm uerbis Ioannis Sleidani interpretis compendiarij. Quo loco igitur Frossardus narrat de statu reipub. Mediolanensis, & à tempore Ludouici Quarti Cæsaris orditur, ac demum de Ioanne archiepiscopo, et tribus ipsius ex fratre Stephano nepotibus, simulq; Ioanne Galeacio pronepote (quem ipsum quoque simplici patris nomine Galeacium appellat) plura attexit, eam partem Sleidanus perstringit his uerbis: Principum amicitias magna ui pecuniæ redimebant. Galeacius, Comiti Sabaudiæ, cuius sororem duxit, aureorum centum milia dependit. Filium habebat eiusdem nominis, qui regis Ioannis filiam uxorem habuit, depensis Francorum sexcentis millibus, pro liberatione soceri sui, Anglis obligati. Iunioris Galeacij filia Valentina, Caroli sexti fratri germano Ludouico Duci Aurelianensi nupsit: uerùm non prius, quàm ille futuro genero, decies centena Francorum milia numerasset, ingentem sanè uim auri: cuius aliqua parte, Comitatus Blesensis deinde emptus est. Hæc ille. Porrò ut pleriq; omnes sunt authores, Valentinam Ioannes Galeacij filiam, datam fuisse Ludouico Duci Aureliæ uxorem: ita neminem narrare uideo, illam ulli unquam Caroli regi Franciæ nupsisse: unde alterum hic Cuspiniani erratum proditur. Buchetus quoque ab Iouio perperam in eo dissentire uidetur, quòd Valentinam scribit ex Ioanne Galeazio & Ysabella Francica natam: cum Iouius Catharinam Barnabæ filiam eidem matrem faciat, uti iam suprà relatum est. Sed è quacunque tandem uxore Ioanni Galeazio filia Valentina fuerit nata, siue Bohema, siue Itala, siue Francica, satis constat, sublata ipsius Ioanni Galeazij omni legitima sobole, graue & diuturnum illud bellum super Ducatu Mediolani ab eadem usq; Valentina per Francos fuisse initio & excitatum, & subinde repetitum: qua de re eiusdem Iouij peculiaris extat narratio, & Gallorum apologiæ permultæ. Vtcunque etiam Cuspinianus hic citet annales Bohemicos, non obscurum est, hunc locum ferè ex Chronicis illis magnis Normbergensibus in uita Ioan. Galeacij huc esse transcriptum. Sed Chronicis illis & alia non pauca insunt, præsertim ubi narrantur quæ patrum & auorum memoria gesta sunt, & quorundā potius incertis narrationibus, quàm fidedignis scriptorum monumentis per rhapsodos accumulata.

Hoc est quadringẽtis milibus florenorum. Frãci enim tres, duobus ualent florenis, id est singuli baziis decem.

Post hæc omnia nec illud omiserim, quod quidem à nobili & magnifico D. Vuiguleo Hundio, multis suprà in locis à nobis memorato, edoctus sum: huic Carolo Quarto non modò Vuenceslaum & Sigismundum, de quibus author uers. 31. hac ipsa Pagina meminit: sed etiam tertium quendam fuisse filium, scilicet Ioannem Ducem de Gorlitz, & Comitem Lutzemburgensem, cuius unica filia Elisabetha primùm Antonio Duci Brabantiæ & Limpurgi, patri Ioannis, nupta fuerit. Eo defuncto, nupsisse eandem Ioanni Duci Bauariæ, Comiti Hollandiæ & Selandiæ, postquam ille administrationem ecclesiæ Leodiensis abdicauerat, ex quo nullos liberos suscepit. Demum etiam hoc Ioanne defuncto, cessisse ipsum Ducatum Lutzemburgensem Philippo Duci Burgundiæ, patri Caroli bellicosi, iuxta Chronica Hollandiæ & Brabantiæ. Ad huius autem rei inuestigationem aiebat se permotum inscriptione antiqui eius numismatis argentei, quod anno superiore Monachij spectandum nobis exhibuerat in conuiuio, apud nobilem & magnificum D. Vilhelmum Leschium, germanum fratrem Reuerendissimi principis D. Leonis Episcopi Frisingensis, domini mei humanissimi atque beneficentissimi, Consiliarium illustrissimi Ducis Bauariæ, simulq; pro Sereniss. & illustriss. domina Ducissa Curiæ magistrum, patronum nobis colendum. Cum enim id numisma, sub nomine Elysabethæ Ducissæ Bauariæ & Lutzemburgi inscriptum, nemo conuiuarum, qui aderant multi uiri docti, explicare posset, postea ipse magnificus D. Hundius è Chronicis illis rei ueram cognitionem, uti bona fide retuli, eruit.

EX GVNTHERO SCHVVARZENBERGENSI.

Pag. 481. uers. 35.

289. Guntherum comitem de Schuuarzenburg.) Cum hæc Comitum familia, cui hodieque in Thuringia luculenta est ditio, nostrate lingua ita appelletur, quasi Latinè dicas à Nigro monte, quod ipse quoque author paulo suprà uers. 29. meminit: consequitur, tum hoc loco, tum in ipsa huius Cæsaris inscriptione, aliosq; multos apud historicos perperam legi Schuuartzenburg: ueramq; appellationem esse Schuuartzenberg. Nam montem uniuersa Germania berg uocat: Burg autem castellum, quod quidem uocabulum à nobis desumptum etiam semilatinæ omnes nationes usurpant. Leuiculum hoc est, sed quia nec author ipse huius nominis expositionem contempsit, estq; alia in Germaniæ Francia Baronum familia, nomine à Schuuartzenburg: uolui rem undequaq; esse planam & certam, præsertim lectori externo.

EX VENCESLAO CAESARE.

Pag. 483. uers. 10.

290. Est autem electus in prato Rensee.) Pro ultimis tribus uerbis legendum hic esse, in oppido Rens, non obscurè colligi posse opinor ex ijs quæ suprà in Carolo Quarto, hoc ipso super Rhenano oppido Rens, amplius annotauimus.

Pag.484.uerſ.53.

291. Qui eos non perturbaret, nec perturbari alios ſineret.) *Perturbauit me hic unius elementi deprauatio. Deſumpta autem ſunt hæc uerba ex hiſtoria Bohemica Aeneæ Syluij, cap. XXXVI. ubi Venceslaus ſacerdos, cognomento Coranda, inter alia ad populum Pragenſem de rege Venceslao ita concionatur: Si non eſt eadem ſibi quæ nobis de religione ſententia, ritum noſtrum neq; ipſe perturbat, neque alios perturbare ſinit. Itaque & hic* perturbare, *pro* perturbari *legendum eſt.*

EX IODOCO BARBATO.

Pag.486.uerſ.8.

292. Diuortio ab ea ſeparata Marchioni nupſit, ut in Ludouico ſcripſimus. Altera autem uxor Ioannis Margarita Duciſſa Opauiæ fuit.) *Quanquam intelligatur quem hic author Marchionem deſignet, tum niſi fallor ab authore demonſtratio eidem alia nominatim fuit adiecta, ſcilicet uox* Brandeburgenſi. *Mox etiam poſt* Ioannis *ab amanuenſi omiſſam eſſe uocem* Henrici, *minus etiam dubium eſt. Fuit enim huius Iodoci Cæſaris pater binomius,* Ioannes Henricus *dictus: q; ſtatim author ipſe quoq; narrauit. Cum uerò hũc Iodocum ut ignauum, uanum, perfidum & latronibus amicum Cuſpinianus paulo infrà uituperet, legis omnino diuerſum ipſius eulogium apud Iacobũ Spiegellium in Scholijs ſuper libro 3. Parallellorum Aen. Syluij ad Anton. Panormitam de factis & dictis Alphonſi regis Neapolitani: ubi ad partes uocatur Albertus Krantzius, mihi nondum lectus. Itaque utrius, Cuſpiniani'ne an Spiegellij uerior ſit narratio, lector ipſe ſibi diſquiret.* Mox *uerſ. 36. pro* patruum, *lege* patruelem: *uti & uerſ. 23. eadem Pag. pro* conſobrinum *oportuit dictum* fratrem patruelem. *Carolus enim Quartus, pater Sigiſmundi & Venceslai, & Ioannes Henrichus pater huius Iodoci, fratres germani fuerunt: id quod etiam ſuprà in typo Genealogiæ eiuſdem uitæ Caroli præfixæ uidere licet. Sed linguæ latinæ proprietatem, in huius præſertim generis uocibus à Cuſpiniano ſæpe neglectam fuiſſe, ſatis iam conſtat.*

EX RVPERTO CAESARE.

Pag.487.uerſ.25.

293. Rupertus, ſiue ut alij, Ruprechtus, ab Italis Robertus, quod ualet pacis turbatorem.) *Apparet ab amanuenſe confuſum hic eſſe uerborum ordinem, eumq; ita reponendum:* Rupertus, ſiue ut alij, Ruprechtus, quod ualet pacis turbatorem, ab Italis Robertus. *Nam uox Ruprecht Germanis talem ſignificat, ſiue ut expreſſius dicam, quietis fractorem. Italis, pro linguæ ſuæ mollitie,* Robertus *pronunciatur commodius, quàm* Ruprechtus.

Ibidem uerſ.54.

294. Hic cum ſocordiam atq; ignauiam Vuenceslai.) *Hoc quoq; loco author uidetur magis ad rem quàm uerba ſpectaſſe: atque uix demum poſt quatuor interpoſitos uerſus, nouam ſubieciſſe periodum, quæ hanc quoque hactenus mancam utcunq; abſolueret.*

Pag.488.uerſ.3.

295. Annam ſcilicet, quæ Frederico ſeniori Duci Auſtriæ Comiti Tyrolis data fuit: altera uxor, mater Sigiſmũdi.) *Ne te hic quicquam inuoluat, diſpunge diſtinctionem poſt uerbum* fuit: *& quaſi commentarij uice huc adhibe, quæ author hac eadem de re infrà Pag.490.uerſ.32. & ſeq. memorat, nempe Friderichum ſeniorem Auſtriæ ducem bigamum, eiq; primam uxorem fuiſſe Eliſabetam Ruperti Palatini Rom.regis filiam: alteram uerò Annam, hanc ipſam Duciſſam Brunſuicenſem, matrem Sigiſmundi Archiducis, &c. De ipſo autem Friderico ſeniore Auſtriæ Duce recitat uir optimus, deq; bonis ſtudijs optimè meritus Iacobus Spiegellius, complura à nemine alio, quod ſciam, relata in literas, digniſſima licet cognitu in Scholijs ſuper libro 4. parallellorum Aeneæ Syluij ad Antonium Panormitã de dictis & factis Regis Neapolitani, capite quadrageſimooctauo.*

Pag.490 uerſ.23.

296. Licet diligenter, haud negligenter percontatus fuerim.) *Etſi non neſciam, alibi quoq; Cuſpinianum indiligentiam & negligentiam ueluti diuerſarum rerum uocabula uſurpare, ut cum ſuprà in* Berengarijs Pag.282. uerſ.22. *ita ſcribit,* cũ cæteros omnes & indiligentiæ & negligentiæ incuſent: *tamen hoc in loco potius mendum ſubeſſe uidetur, tum quia magis inepta hæc eſt tautologia, tum quia uerbum* percontatus *ablatiuũ deſiderat, ita ut nil dubitem ab authore fuiſſe ſcriptũ,* licet de illa haud negligenter perconctatus fuerim: *quum ob literarum affinitatem ſcripturæ deprauationi fuerit propinqua. Certè hanc dicendi formulam Cuſpiniano familiarẽ fuiſſe, docẽt tum loci alij, tum initium Ludouici II. ſuprà Pag.247. uerſ.28. ubi itidem in parentheſi (ut è compluribus eum potiſſimum locum adducam, obiterq; mendis expurgem) inquit,* quod etiam obſeruaui haud negligenter. *Et fortè non abſurdè quis dixerit, etiam in Berengarijs ſubeſſe mendã, & ſecundum ſequẽtia pro* indiligẽtiæ, *potius ab authore ſcriptũ* ignorantiæ, *qua tamen de re nil adfirmo. Verſu autem 3. poſt locum præſentem, pro* ac hic ſepelitur, *puto legendum,* ac ibi ſepelitur. *Niſi fortè quis germaniſmo authorẽ uſum, hic pro ibi poſuiſſe cenſeat, ueluti infrà Pag.504. uerſ.22. ubi inquit:*

In cœnobio Liliorum ægrotare incipiens, ilico moritur, & hic ſepelitur. *pro,* & ibidem.

EX

EX SIGISMVNDO CAESARE.

Pag.491.uerſ.21.

297. Eliſabeth autem uxor Ludouici, mater Mariæ à Ioanne Horuuathio Bauo clam aquis ſubmerſa.) Pro Bauo, opinor legendũ eſſe Bano (quæ uox lingua Hungarica Præſidem ſignificat, ut tradit quoq; Iac. Spiegellius li. 3. cap. 17. parallel. Aeneæ Syluij ad Ant. Panormitam, de dictis et factis Alphonſi regis) quemadmodum habet Ioan. Nauclerus Generatione XLVII. ubi hanc rem copioſius exponit, ſcilicet Carolum regem nõ ueneno ſublatũ, ſed Reginæ Eliſabethæ adſidentẽ, à Blaſio Forbachio, Palatini Garenſis cliente, fuiſſe ita uulneratum, ut breui pòſt uita excederet, ipſumq; palatinum Garenſem pòſt à Ioanne Horuuathio ad reginæ Eliſabethæ currum obtruncatũ. Ioannes Froſſardus Gallorum uernaculus hiſtoricus, circa medium Vol. 2. habet narrationem ſuper hoc Sigiſmundi priore matrimonio, noſtris planè incognitam: ſcilicet reginam Hungariæ defũncti regis uiduam legatos miſiſſe ad Carolum VI. Franciæ regem, petitum filiæ ſuæ maritum adiungi ipſius regis fratrem germanum Ludouicum, tum comitem Valeſium dictũ, accepturum unà cum uxore dotale regnum Hungariæ. Regem adſenſiſſe: miſſosq; legatos, qui non modò ſponſalia contraxerint, ac cæremonioſo illo accubitu, uti procuratores firmauerint, ſed etiã ipſum Ludouicum ſponſum iam Hungariæ regis titulum uſurpantem, uerſus id regnum accepto itinere comitante legatione Hungarica progreſſum fuiſſe uſque ad Troiam Campaniæ: quum ecce noua adferuntur inſperata: nempe, reginam Hungariæ uiduam unà cum filia expaciatam animi cauſà in caſtrum quoddam aduerſum Germaniæ limites: regem uerò Alemaniæ, qui idem & Romanorum ſe regem ſcribebat, explorato iampridem toto eius matrimonij negotio, maluiſſe fratri ſuo potius conſultum: ideoq; ſubitò ipſum aduolaſſe cum maximo equitum, nempe x. milium numero, & circumcluſam nimis q; exterritam reginam eò adegiſſe, ut ipſius fratri uicino potius quàm externo tam longè remoto filiam uxorem daret. Itaq; factum, ut Ludouicus Valeſius non ſine graui dolore & indignatione in Franciam rediret. Vt uera ſit hæc narratio (quæ quidem ex fide conſcripta eſſe poteſt quo ad Ludouicum Valeſium, & legationes in Franciam miſſas, niſi quod mirum eſt de re tanta & Gaguinum & Gilleum tam eſſe mutos) diſcunt tamen Galli ex hoc Cuſpiniani loco, itemq; alijs id Sigiſmundi coniugium narrantibus, quæ ipſo in Froſſardo debeant emendare, ſcilicet Regem Hungariæ non filias plures, aut Margaretam, ſed unicam tantum reliquiſſe Mariam, eamq; nupſiſſe non Henrico, ſed Sigiſmundo fratri regis Romanorum, ſcilicet Vuenceslai. Quum uerò Froſſardus regis Romanorum nomẽ proprium non exprimat ullum, haud equidem intelligo cur eiuſdem interpres Ioannes Sleidanus in Epitome nomen Caroli de ſuo perperàm adiecerit, præſertim in alijs interpres tam religioſus, ut etiam manifeſtè falſa uerteret, qualia inueniret. Quia enim Froſſardus ſcribit, alteram ex Hungaria legationem, quæ abductura erat ſponſum Ludouicũ, ad Carolum VI. Franciæ regem ueniſſe, quo tempore ipſe Rex non diu poſt celebratas cum Yſabella Baioaria nuptias (quas Gilleus refert ſub annũ MCCCLXXXV. ex hoſtibus Flandris Damum oppidum receperat, eaq; maximè de cauſa ultrà non progreſſus, quod fratris ſponſi profectionem inſtruere cupiebat: conſequitur, eius Marchionis, qui ſponſam interim præcipiebat, fratrem adiutorem tum eſſe non potuiſſe Regem Romanorum Carolum Quartum, ut qui iam antè Salutis anno MCCCLXXVIII. diem ſuum obierat. Sentire autem Froſſardum de Sigiſmundo, atq; ipſa de re nonnihil inaudiuiſſe, ſatis inde apparet, quòd Henricũ iſtũ uocat Marchionẽ de Blanquefort. Veritas enim habebat, atq; ſcriptũ oportuit (ſed quid Gallus, linguam noſtrã nõ edoctus, Germanica uocabula audiens non reddat perperam?) de Brandenburg: quũ conſtet Carolum Quartum filio Sigiſmundo donauiſſe Marchiam Brandenburgenſem, emptam à Ludouico Romano, filio Ludouici Quarti Cæſaris: uti & Bohemi apud Syluium cap. XXXIX. indignantur, Marchiam Brandenburgenſem poſtea per [illegible]iſmundum à corona Bohemica fuiſſe alienatam. [illegible]ſulenda etiã ſuadeo ſuper his omnib. Chronica Hungarica, quorum mihi nulla eſt copia. His omnibus elucubratis, incidi in Theodorici Nyem hiſtoriam de ſchiſmate inter Vrbanum ſextum et Clementem ſeptimum, qui hoc negocium lib. 1. cap. 15. ac plenius cap. 58. ita narrat: Ipſa etiam tempeſtate prædicta domina Eliſabeth regina Hungariæ, pulſo ui ab eodem regno Hungariæ Sigiſmundo rege, dictam dominam Mariam eius uxorem auferre, eandemq; duci Aurelianenſi fratri moderni regis Francorũ uxorem tradere ſatagebat, & ſuper his ſatis notabiliter nuncios CL. numero, quos uidi Papiæ tunc euntes ad Franciam, ipſa Eliſabeth regina deſtinauit, ſed non perfecit, quia ipſe dux Mediolanenſis ſecum inſtituiſſet filiam ſuam duci Aurelianenſi in uxorem tradere, & ſuper hoc iam contractus inter ipſos duces proceſſerant. Idem mox cap. ſeq. hæc adiungit: Succeßiuè inter illos nobiles, qui Eliſabeth reginæ Hungariæ, atq; illos qui regis Caroli prædictorum partes fouebant, magnæ diſſenſiones exortæ fuerũt: tandem Eliſabeth regina & Maria eius filia, ac quidam potens comes de Hungaria cum eis per aduerſarios capti fuerunt, & ſtatim comite in præſentia eorundem matris & filiæ interempto, matrem & filiam captiuas inde per multas dietas uſq; ad Sclauoniam Hungariæ ad quoddam caſtrum fortiſſimum perduxerunt, in quo ipſas tam diu detinuerunt, donec ipſe Sigiſmundus rex cum ualido exercitu ad regnum Hungariæ reuerſus, dictum caſtrum potenter obſedit: & tandem ipſi obſeßi, eadem Eliſabeth

regina per eos iugulata, & extra fenestram dicti castri suspensa, prædictam dominam Mariam reginam ipsi domino Sigismundo regi reddiderunt, sed in hoc eum omnino non placarunt: quia postea illorum nobilium, qui illa commiserunt, una die XXXII, qui ad eius manus peruenerant, fecerat decollari: & etiam plures eorum complices partim capitis supplicio affecit, partim à sui regni limitibus propulsauit. Hæc ille. Mirum uerò, Pandulphum Collenutium in historia Neapolitana de his Ducis Aureliæ sponsalibus nullo uerbo meminisse, cum reliquam omnẽ historiam lib. 5. copiosè describat, ac Cuspiniano pulchrè consentiat. Cæterum ex ea Nyemi narratione, item ea quæ mox hic ipsum apud Cuspinianum subiecta, simulq; ijs quæ pag. proxima uers. 1. & uers. 11. sequũtur, clare liquet, apud Aen. Syluium sub finem cap. XXXIII historiæ Bohemicæ, deprauatè legi, pugnauit feliciter contra Turcas. Triginta duos Turcarum regulos securi percussit. Veram lectionem meo iudicio ita repones: Pugnauit infeliciter contra Turcas: triginta duos Hungarorum regulos securi percussit. Equidem ipse quoque Aeneas eandem rem de supplicio per Sigismundum à tot regni Hungarici optimatibus sumpto, narrat Lib. 3. parallelorum ad Panorm. cap. 21. his quidem uerbis: Tum Sigismundus unà cum iudicibus causa cognita, duos & triginta regulos securi percussit, quæ res multorum deinde laborum & discriminum causa fuit. Mox uers. 31. pro tanquam, legi oportere tam'q;, præcedentia ibidem uerba ostendunt. Sic quoq; inferius Pag. 585. uers. 7. ubi scriptum extat, tanquam alacres ad bellum, leges, tam'q; alacres ad bellum.

Pag. 491. uers. 43.

298. Alteram uerò maiori natu uiduæ, quæ eum seruauerat, cui paternum nomẽ Nicon Garius despondet.) Prætermissam ab amanuẽse dictionẽ filio, atq; ita legendũ esse, Alteram uerò filio maiori natu, &c. sequentia clarè docent. Mox Pag. 492. uers. pro Annirate, lege Amurate.

Pag. 492. uers. 50.

299. In Augea maiori peninsula, haud longè à Constantia.) Qui præceptoris nostri Henrici Glareani Annotationes in li. 4. Comment. C. Cæsaris, aliásue lacus Podomici & Cellensis descriptiones legêre, statim deprehendunt, ab authore hic scriptum fuisse, in Augea maiori Rheni insula, siue maiori peninsula. Pag. 493. uers. 16. pro Comitum, lege Comitem: ac repete uerbum creauit, quod est initio periodi. Et ibidem uers. 42. Dalmaticæ, pro Dalmatiæ: nisi hoc etiam adiectiuè accipi uelis, ut Cilicia spica, Ambraciæ sinus, Phrygia classis, & consimilia non pauca.

Pag. 497. uers. 10.

300. Ita autem auxit opibus hoc templũ) Cum de nullo templo author meminerit, apparet locum mutilum esse: quanquam ex re ipsa satis liqueat, intelligi oportere de templo apud Varadinũ, in quo Sigismundus Augustus sepultus fuit. Quod autem mox autor scribit, Hungaris olim à longis barbis Longobardorum nomen fuisse: nemo est hodie paulo eruditior, qui ignoret erroneum esse. Longobardi enim Germanica fuere natio, non Schlauonica.

EX ALBERTO CAESARE.

Pag. 502. uers. 23.

301. Cæteris'q; omnibus obsignatis. Hãc anui clam.) Sola praua distinctio lectorẽ hic morari potest. Non est autem post uerbum recognouit, superiori uersu claudenda periodus: sed demum ante hæc ipsa uerba, quæ nouam, sed præcedenti cohærentem ordiuntur, ac ita sunt distinguenda: dum thesaurum regni, diuitemq; Regum supellectilem in arce Vissegradensi haud longè à Strigonio, quibusdam Baronibus ad eam rem selectis præsentibus recognouit: Georgio Palotio Strigoniensium Pontifice defuncto, qui custos thesauri erat, cæterisq; omnibus obsignatis, hanc anui clam custodiendã tradens, &c. Mirum uerò, cur Hædio omnia de Georgio Palotio uerba, sua in uersione hic prætermiserit, cum neq; obscura ea sint, neq; ociosa: nempe quæ exponant causam, cur Regina non sine Baronum præsentia regni thesaurum, Regumq; cimelia inspexerit: scilicet quia Georgius Palotius Pontifex Strigoniẽsis, qui gazæ regiæ fuerat præfectus custos, iam uita decesserat. Inferius autem uers. 40. lege coronaretur, pro coronaret.

Pag. 503. uers. 22.

302. Cum patruo suo Carolo Imperatore Pragę in æde S. Viti sepultus.) Vnius uocis immutatione est huic quoque loco inuectus scrupulus. Qua enim ratione constitues Ladislao patruum Carolum Quartum Imperatorem? Quod si cogites Ladislao matrem fuisse Elisabetham, filiam Sigismundi Imperatoris, neptem Caroli Quarti, iam clarè conspicis pro patruo legendum esse proauo.

Pag. 505. uers. 30.

303. Iter ingreditur Anno Christi millesimo quadringẽtesimo quinquagesimo primo.) Hic calculus ne pugnet cũ alijs historijs, quæ hanc ipsam rem in annũ sequentem, puta M. CCCC LII. magno consensu referunt, credam in numeralibus autographi literis, quas amanuensis uerbis integris descripsit, unum iota defuisse. Eam autem defensionem, qua doctissimus iureconsultus Carolus Molinæus in Commentarijs ad edictum quoddam Caroli VI. regis Francorum, glossa XIIII, numero IIII, Marianum Soccinum in cap. cum contingat. de foro competenti, ab eadem menda conatur uendicare, scilicet rectè quoq; habere numerũ LI, si iuxta morem Franciæ annum a paschate ordiamur: non puto ad Cuspinanum, ut hominem in superiori Germania natum, uersatumq;, commodè adferri posse.

Ibid. uers. 44.

304 Leonoram doctissimam suam sponsam.)

sam.) Quanquam in fœmina quoq; commendatione in primis digna sit eruditio, ut rectè cesset doctissimus uir Ioan. Ludouicus Viues, nimirum quæ ad mores, uitæ sanctimoniam, liberorũ educationem, reiq; domesticæ curã attinet: tamen ea quæ hac ipsa periodo sequuntur, puta quòd ereptam ab immensis maris periculis sponsam iucundissimo amplexu Cæsar ipse exceperit, uidẽtur innuere, ab authore fuisse scriptum nõ doctissimam, sed potius optatissimam. Paulo suprà uers. 27. pro infante, lege Infante. est enim Infans, præter uulgatã significationem, in regnis Hispaniarũ certi cuiusdã iuris nomẽ, quod Spiegellius noster in Dictionario suo ex Volzianis reliquijs bellè explicat. Pag. præced. uers. 40. ante dictionem Ceciliæ, interpone S. literam, malè ab amanuensi omissam.

Pag. ead. uers. 46.

305 Cum qua uersus urbẽ tendẽs, ad Idus Martias summo mane ex Sutrio Romã applicauit.) Sed quo modo cũ Idibus Martijs compones, id quod mox Pag. 506. uers. 10. sequitur, scilicet Fridericũ Cæsarẽ Romã ingressum die proxima, octaua Martij scilicet, quæ est sanè VIII. Idus Martij. Quid, quòd statim uers. 14. narratur, Idibus Martijs Friderichum Cæsarẽ a Pontifice collata corona ferrea fuisse regẽ Longobardorũ consecratum? At paulo antè author ipse narrat, Cæsarẽ quo die Romam applicuit, pro ueteri more ante urbẽ in tentorijs pernoctasse. Fatendũ itaq;, amanuẽsis hic quoq; extare erratũ, & pro ad Idus Martias, legi oportere, ad Nonas Martias. quæ quidem est septima eius mensis dies: ac planissime cũ eo conuenit, quod subijcitur, Cæsarẽ die Martij octaua Romã ingressum, itẽ Idibus Martijs, id est octiduo pòst, nẽpe eiusdem mẽsis die XV. regẽ Longobardorũ coronatũ, die XVI per manus Pontificis sponsæ iunctum, ac XVII unà cũ ipsa Augustali unctione consecratũ fuisse. In ipsa huius rei narratione extat apud Nauclerum generatione 49. tum idem erratũ: tum præterea, id quod postridie Idus Martij factum ipse Nauclerus narrat, mox perperam tribuit eius mẽsis diei XVIII. itemq; de sponsæ coniunctione die uno à Cuspiniano uariat. Ipsum autem XVIII. diem Martij coronationi Friderichi plerique omnes contra Cuspinianum adsignant historici.

Pag. 507. uers. 30.

306 Cũ suo exercitu tãtam fortitudinem Viennensibus incussisset.) Res ipsa, ac mox sequentia uerba satis ostendunt, legendũ esse non fortitudinem, sed formidinem, quẽadmodum & Hædio transtulit. Infrà Pag. 511. uers. 30. lege ac distingue rectius, scilicet hoc modo: schisma quod inter Eugeniũ ac Fœlicem, Sabaudię prius Ducem Amedeum ortum erat. Ibid. uers. 35. pro Pauumkucher, lege Paumkircher. Item uers. 41. ubi sunt uerba, eius Martis fulmen: puto pro eius ab authore fuisse scriptũ aliud quippiam. Hædio quum parum hoc intelligeret, fortiter transiluit. Pag. 513. uers. 24. pro marmore, leger ẽ marmora. Item Pag. sequent. mutilum Pentametrum, Quid'ue ferant singula membra Ducis, ad hunc aut consimilem modũ explerẽ, Quidue ferant facri.

EX MICHAELE PALEOLOGO.

Pag. 516. uers. 45.

307 Respondit Petrus, in terrorẽ tunicam se laceraturũ esse suspicaretur.) Vtcunq; Hædio uerba, in terrorẽ, pro genuinis agnouerit, ueritq;: tamẽ ego haud sanè intelligo quid hic illa sibi uelint, atq; omnino persuasum habeo, authorem scripsisse, interiorẽ tunicam se laceraturũ. Conuenit autẽ hoc Petri regis dictũ cum isto Cæcilij Metelli, qui cum in Hispania exercitus Dux à tribuno quodã ex iunioribus interrogaretur, quid' nam postera die facturus esset? respondisse fertur: Si huius rei scirem mihi cõsciam tunicam, exuerem, & in ignem conijcerẽ: siue, ut Sex. Iulius Frontinus lib. 1. Stratagematum refert: Tunicam meam, si id eloqui posset, comburerẽ. Suprà uers. 36. pro confirmare, lege conformare. & uers. 10. pro tuto, lege tutor. & Pag. 517. uers. 7 pro Lascorum, lege Lascarorum. Pag. 518. uers. 50. pro prius, lege primus. Item Pag. 520. uers. 12. totã periodum planiorẽ reddes, si in parenthesi leges hæc uerba: Sancti Andreæ Apostoli caput ex Pelopõneso secum deferens.

EX CONSTANTINO VIII.

Pag. 521. uers. 50.

308 Itaq; amnis captura Byzantij, Chalcedonensibus penuria.) Pro amnis, lege omnis, dictantis alicuius uitiosa pronunciatione haud dubiè sic mutatum. Neq; admonerem de unius literæ permutatione, nisi hic ageretur de piscium captura, & amnis dictio lectorẽ minus doctũ uel attentum aliquid fortè turbare posset. Ac uidi postea hæc uerba ita extare apud Io. Bapt. Egnatiũ, è quo post Zoneriaræ historiæ finẽ, & multa alia in Græcis Imperatoribus Cuspinianus totidẽ uerbis suum in opus trãscripsit. Neutiquã uerò superuacaneè hunc quoque locũ me annotauisse, quantũuis sua sponte apertũ (ut quia de solo mari, nulloq; prorsus flumine hic agitur) testatur luculenter Hædio interpres, in hoc amne tantũ non malè submersus. At idẽ ea quæ hoc ipso loco prorsus sincera claraq; sunt, nihilo melius percepit: uerba illa, Pisces enim ex Euxino in Propontidẽ illati, &c. perinde uertens, ac si pisces ita olim importati fuissent à negatiatorib. quemadmodum illi merces aliàs exoticas huc illucq; inuehũt. Sic enim uertit: Quũ enim pisces ex mari Euxino in Propontidẽ importassent. Quis uerò puer nõ ilico sentiat, uerbũ illati idẽ hic significare, quod ingressi, & ut Germanicè ferè dicimus, Vuan die fisch dahin gestrichẽ khumẽ, sich dahin begebẽ. Cæterũ hoc in loco nõ satis cõpertũ habeo, an hæc uerba (ex ea causa Chrysoceras appellatũ) suum locũ teneant.

Videntur enim fermè rectius referri ad candicãs ſaxum, quaſi à fulgore dictum aureum, atq; legi oportere hoc modo: territi à candicãte ſaxo, ex ea cauſa Chryſoceras appellato, quod à uado ad ſumma pelluceat, aduerſum Bayzãtii promontorium præcipiti petunt agmine. *Sed quia periculoſum eſt, ſine certo authore, aut ratione firma quicquam mutare, ac fortè ipſum Byzantinum promontorium uideri poteſt ideo hoc nomine exornatum, quòd ex ubere piſcium captura multum quæſtum adferat, malo eam quæ extat lectionem relinquere. Equidem ex Strabone, ubi lib.* VII. *pelamidum piſcationem deſcribit, expedire hunc nodum non poſſum. Apponam tamen eius uerba, uti extant in Latinam linguam translata: Hinc primum, inquit, earum uenatio exiſtit non copioſa admodum. Nondum enim conueniens eſt multitudo: ut uerò Sinope propius acceſſerint, ſpecioſior nimirum earũ eſt piſcatio ſimul, & ſalſamentaria. Poſtquam uerò Cyaneas tranſierint, & ex ripa Chalcedonia albicans occurrerit petra quædam, tantus beſtijs ipſis terror incutitur, ut ueſtigiò in ulteriorem conuertantur ripam. Quas cùm præceps aquarum curſus corripiat, & innata locorum aptitudo maris fluxum ad Bayzantium cornuq; Byzantij deflectat, & eo naturæ impetu propellat, copioſum Byzantinis populoq; Rom. ſuppeditat prouentum. At enim Chalcedonij in ulteriore propè conſiſtentes littore, in nullam eius ubertatis communionem accedunt: quoniam ad eorum portus, ne una quidem Pelamis ſeſe applicat. Hæc Strabo.* Pagina 527. *uerſ.* 45. *diſpunge copulam &.* Et Pag. 528. *uerſ.* 3. pro Nandaraliæ, lege Nandaralbæ.

EX LIBELLO DE TVRCORUM origine, eorundem q; regibus.

Pag. 529. *uerſ.* 25.

309 Prohibiti manu ualida pro domo, Duce Strangolipe.) *Hic quoq; amanuenſis, cũ uerbum authoris non intelligeret, ſuam ipſe ſaliuam ſuppoſuit, quæ tamen Hædionis uicario uiſa eſt neutiquam inſipida. Scripſit haud dubiè author, manu ualida prodromo, hoc eſt præcurrente, ſcilicet relinquens uerbum Græci authoris Scilicis, cuius hic narrationem de Turcorũ origine refert. Quem enim ſenſum hoc loco habeat pro domo? Obſeruandũ item, quòd is quem hic Mucalethum Strãgolipem uocat, primum Turcorum ductorẽ, proximo ſtatim Verſu Strangolix dicitur: & Pag. prox. Trangolipix, iuxta Ioan. Zonaræ hiſtoriam, ſi modò per amanuenſem aut typographum nihil hic depraua tum eſt.* Pag. 531. *uerſ.* 10. *malim legere* præſcribentium, *quàm* perſcribentium.

EX MAHOMETE SARACENORVM PHYLARCHO.

Pag. 535. *uerſ.* 47.

310 Frater enim Ptolomæus Lucẽſis ſcribit ob tyrannidẽ.) *Periodus hæc mutila eſſe uidetur, atq; è proxima quod colligi poteſt, inferendũ eſſe Heraclij nomen, ita quidem:* ſcribit Heraclium ob tyrannidem. *Viderat etiam interpres hunc defectum, ac Roman. Imperatorem citra aliquid nomẽ proprium interpoſuerat. Pagina* 533. *uerſ.* 21. pro ut *lege* ut, *ſublato puncto præcedente: ac quicquid eſt eò uſq; uerborũ à uoce* exiſtimationem, *parẽtheſi claude. Contrà* Pag. 536. *uerſ.* 46. *poſt uocem* ſolitudinem, *punctum conſtitue, ac inde nouam ordire periodum.* Pulſis profligatiſq;, &c. *Indeq; periodo proximè ſequenti* pro per multas, *lege* per multas, *una dictione.*

EX ORCHANE OTHOMANNO.

Pag. 540. *uerſ.* 24.

311 Primus ab eo in Euro accerſitus traiecit.) *Quis obſecro non uideat, pro* Euro *legendũ eſſe* Europam? *At non uidit hoc interpres qui ita hunc locum uertit:* Primus ab eo accerſitus, ad eum traiecerit apud Eurum. *Vt non res ipſa longè clariſſima, poterãt interpretem à tam euidenti lapſu retinere, ea ſaltem, quæ de hac Græcorum Imperatorũ inter ſe æmulatione author ipſe in uita Ioan. Palæologi & Ioan. Cantacuzeni, ſcilicet ſuperius* Pag. 519. *latius narrat.*

EX MACHOMETE I.

Pag. 546. *uerſ.* 31.

312 Nos alium ordinem.) *Videtur prætermiſſum ac inferendum ſecuti, uel eius generis uerbum aliud, ne manca ſit periodus: quam totam cur interpres tranſiluerit, demiror herclè, cùm in procliui eſſet ſupplere id unum quod deerat uerbum.*

EX AMVRATHE II.

Pag. 548. *uerſ.* 27.

313 Georgius imperat genero.) *Sequentia ſatis probant, legendum eſſe* impar genero: *quomodo & Hædio interpres uertit. Mox uerò uerbũ* inclinare *huic periodo adnectes, non adimes: ut nunc perperàm puncto & maiuſcula ſeparatur.*

Pag. 551. *uerſ.* 3.

314 Maior q; longe cædes, quàm primo numero eorum qui uicerunt.) *Legendũ eſſe,* quàm pro numero, *facilè cuiuis apparet. ſed tamen quia lectorem tenere fortè hoc poſſet, admonere libuit. Certè pòſt inueni interpretis Vicarium hic ſenſum ſibi planè abſurdum ſomniaſſe, nempe qui ita uertit:* multo plures Turcæ, qui prius ſæpe uicerant, cæſi ſunt quàm antea unquã. *Quid uerò hic ſenſus cum præcedentibus ac ſequentibus commune habet? quæ nominatim de uniuerſo exercitu Chriſtianorum, ad numerũ decem milium, à rege Huniadi Duci commiſſo, ac contrà de trigintà milibus Turcarum cæſis narrant, noſtramq; aſſertionem euidenter probant: ſcilicet id ſenſiſſe Cuſpinianum (iniquè hic, ut alibi ſæpe, ſuo ab amanuenſi deprauatum) multo plures eo in prælio cæſos Turcas quàm uideatur cuiquam fieri potuiſſe, pro exiguo ſcilicet Chriſtianorum numero, qui tum in exercitu erant, præclara illa potiti uictoria.*

EX

EX BAIAZETHO II.

Pag.569.uerſ.11.

315 Pari tamen ſucceſſu.) Pro tamen, *lege* etiam, *ſiue* itē. *Paulo*q; *infrà uerſ.41. Videtur in ſcitia amanuenſis iterum eadem prorſus extare depranatio, eodem*q; *modo reſtituenda.*

Ibid.uerſ.48.

316 Et ſpolia Hungaris relinquere (ut ſupra ſcripſimus) Machumetus hunc ſolum Matthiam) *Poſt uerbum* relinquere, *puncto finienda eſt periodus, atque inde citra parentheſim noua ita exordienda: Vt ſupra ſcripſimus, Machumetus hūc ſolum Matthiam inter Chriſtianos Duces, &c. Hoc ipſum autem, cuius hic eſt mentio, nempe Mahomethum hunc alterum, cum omnibus ſe Regibus qui eſſent, aut unquam fuiſſent, belli gloria anteponeret, ſolitum tamen ſemper Matthiam Hungariæ regē excipere, ac ſtrenui Principis nomine dignari, legis ſuprà Pagina 565. uerſ.10. Præterea autē uerſ.16. Pag. ſequentis, ante dictionem* ſilentium, *inſere præpoſitione m* per.

EX LIBELLO DE MILITIA, magiſtratibus & religione Turcarum.

Pag. 580. uerſ. 17.

317 Agnianicam.) *Eadē lingua mox uerſ.48. uocatur* Agiamica, *et ab authore exponitur* Arabica, *uel* Perſica. *Vtra uox germana ſit (alterutram enim corruptè ſcriptā opinor) uiderint ipſi Arabes, aut Perſæ. Ego quidem adito hac ſuper re Theodori Bibliandri Opere ſanè luculento de linguis & literis, & perlectis locis linguam Arabicā & Perſicam tractātibus, neutrobi de lingua ſeu Agnianica ſeu Agiamica quicquam inueni.*

Pag.581.uerſ.51.

318 Ad octingenta milia.) *Incredibile profectò, duntaxat unum genus equitum ad tantum accedere numerum. Plinius miraculi inſtar memorat, Italiam ciſpadanam uniuerſam nunciato quondam Gallico tumultu, armaſſe equitum omnis generis* octoginta milia. *At hic de equitibus ordinarij ſtipendij agitur. Suſpicor ab authore ipſo fuiſſe ſcriptum,* ad octoginta milia. *Certè equitatus prædatorij, nulloq; ſtipendio militātis, mox narrat citer quadraginta tantum milia. Imò Pag. ſequent. iuxta Felicis Petantij, ut quōdam Turcorum uicini certiorem narrationem, ait equitum ſtipendiariorū eſſe in uniuerſum non plus quàm milia quinquaginta. Et in procliui ſanè erat, amanuenſem uel male auritum per octoginta exaudire octingenta: uel ex autographo deſcribentem, poſteriorem ciſram geminare, eaq; ratione ex numero decenario facere centenarium. Quanquam herclè ſi equitum ſtipendiariorum octingentas adeò myriades ſcripſiſſet amanuenſis, fidem illi, ut apparet, habiturus erat Hædionis uicarius. Pag. 584. uerſ.8. indicāt præcedentia & ſequētia, pro experti legēdū eſſe inexperti: quemadmodū & idē Hædio uertendo emēdauit.*

Pag.584.uerſ.33.

319 Et id genus quaſcunq; turmas. Quæ cum longè diuerſæ ſint ab eo ordine qui hodie fiunt.) *Neſcio equidem quo modo authoris oſcitantiam circa elocutionem hoc loco tuear. Vt fingamus, amanuenſem pro uoce* quo (*ſic enim numerus uerbi* fiunt *congruet*) *perperàm ſcripſiſſe* qui, *tamen accuſatiuus* quaſcunque turmas, *præcedentibus proximè minus conuenit: niſi ad uerbum* docuit, *longius ſuprà poſitum, uelimus referre. Eadem Pag.49. aut uerbū* præſidet *mutādum eſt in numerum pluralem: aut legendum non* principes, *ſed* princeps. *Vtrumuis autem legas, intelliges è Beglerbeghis duobus ſuo unumquemque equitum cornui præſidere, hunc ſcilicet Europæo, illum Aſiatico. Pagina 586 uerſ.13. pro* mecham, *lege* Mecham. *De eo autem quod eadem Pagina paulo antè, ſcilicet uerſu 5 & ſequentibus, author breuiter attingit, unde impius & nefarius ille codex qui Machumeti mandata, uel potius aconita peſtilentißima continet, & Alchorani & Alfurcani nomen habeat: libet ampliorem adijcere explicationem clariſſimi Iureconſulti, adfinis noſtri honorandi Ioan. Alberti Vuidmeſtadij, qui hodie doctißimi & literatorum omnium amantißimi Principis, Dom Otthonis Dapiferi à Vualpurg, S. Romanæ Eccleſiæ titulo S. Sabinæ Cardinalis, & Epiſcopi Auguſtani, longè doctißimus eſt cancellarius. Is annotatione ſecunda in Machumeti theologiam ita ſcribit: Machometes duobus uocabulis librum ſuum nuncupauit, Alcorani ſcilicet, & Alfurcani. Alcorani nomen habet, à lectione: Alfurcani uerò, à diſtinctione, ſiue quod uetus Teſtamentum à nouo, nouum à ſe ipſo, ab utroque doctrinam ſuam diſcrepantia cœlitus, ut gloriatur, ſibi tradita diſtinguatur: ſiue quòd uerſus non uno tempore omnes, ſed diuerſis afflatibus diſtinctos acceperit. Nō nulli à redemptione Alfurcanū dictum contendunt, propterea quòd iræ diuinæ ſubtrahat eos, qui iuſſa ipſius exequantur. Hæc Vuidmeſtadius.*

Pag.586.uerſ.45.

320 Cur uinum indixerit, cur uxores plures conceſſerit.) *At uerò Mahometus in lege ſua uini uſum non præcepit, imò diſertè prohibuit: quod omnibus eſt notißimum. Itaque dubium eſſe non debet, ab authore ſcriptum fuiſſe* interdixerit, *eiusq; loco per male oculatum amanuenſem ſuppoſitum uerbum* indixit. *Quare autem Machometus ſuis ſectatoribus uini uſum interdixerit, habes ab ipſo authore expoſitum ſuprà in Mahometi uita, Pagina 534. uerſ.33 & ſequentibus. Item ex Alchorani deliramentis rationē alterā, infrà Pag.593. uerſ.51. & ſequent. Idem Mahometus ebrietatis pœnam conduplicauit, percuſſiones quadraginta lege Moſaica præſcriptas ad ictus octoginta producēs: nimirum ut ea ſeueritate à uini uſu deterreret Arabes, natura calidos, nec aliàs facile in officio retinendos, quem-*

Videntur enim fermè rectius referri ad candicãs saxum, quasi à fulgore dictum aureum, atq; legi oportere hoc modo: territi à candicãte saxo, ex ea causa Chrysoceras appellato, quod à uado ad summa pelluceat, aduersum Bayzãtii promontorium præcipiti petunt agmine. Sed quia periculosum est, sine certo authore, aut ratione firma quicquam mutare, ac fortè ipsum Byzantinum promontorium uideri potest ideo hoc nomine exornatum, quòd ex ubere piscium captura multum quæstum adferat, malo eam quæ extat lectionem relinquere. Equidem ex Strabone, ubi lib. VII. pelamidum piscationem describit, expedire hunc nodum non possum. Apponam tamen eius uerba, uti extant in Latinam linguam translata: Hinc primum, inquit, earum uenatio existit non copiosa admodum. Nondum enim conueniens est multitudo: ut uerò Sinope propius accesserint, speciosior nimirum earũ est piscatio simul, & salsamentaria. Postquam uerò Cyaneas transierint, & ex ripa Chalcedonia albicans occurrerit petra quædam, tantus bestijs ipsis terror incutitur, ut uestigiò in ulteriorem conuertantur ripam. Quas cùm præceps aquarum cursus corripiat, & innata locorum aptitudo maris fluxum ad Bayzantium cornuq; Byzantij deflectat, & eo naturæ impetu propellat, copiosum Byzantinis populoq; Rom. suppeditat prouentum. At enim Chalcedonij in ulteriore propè consistentes littore, in nullam eius ubertatis communionem accedunt: quoniam ad eorum portus, ne una quidem Pelamis sese applicat. Hæc Strabo. Pagina 527. uers. 45. dispunge copulam &. Et Pag. 528. uers. 3. pro Nandaraliæ, lege Nandaralbæ.

EX LIBELLO DE TVRCORUM origine, eorundem q; regibus.

Pag. 529. uers. 25.

309 Prohibiti manu ualida pro domo, Duce Strangolipe.) Hic quoq; amanuensis, cũ uerbum authoris non intelligeret, suam ipse saliuam supposuit, quæ tamen Hædionis uicario uisa est neutiquam insipida. Scripsit haud dubiè author, manu ualida prodromo, hoc est præcurrente, scilicet relinquens uerbum Græci authoris Scilicis, cuius hic narrationem de Turcorũ origine refert. Quem enim sensum hoc loco habeat pro domo? Obseruandũ item, quòd is quem hic Mucalethum Strãgolipem uocat, primum Turcorum ductorẽ, proximo statim Versu Strangolix dicitur: & Pag. prox. Trangolipix, iuxta Ioan. Zonaræ historiam, si modò per amanuensem aut typographum nihil hic depraua tum est. Pag. 531. uers. 10. malim legere præscribentium, quàm perscribentium.

EX MAHOMETE SARACENORVM PHYLARCHO.

Pag. 535. uers. 47.

310 Frater enim Ptolomæus Lucẽsis scribit ob tyrannidẽ.) Periodus hæc mutila esse uidetur, atq; è proxima quod colligi potest, inserendũ esse Heraclij nomen, ita quidem: scribit Heraclium ob tyrannidem. Viderat etiam interpres hunc defectum, ac Roman. Imperatorem citra aliquid nomẽ proprium interposuerat. Pagina 533. uers. 21. pro ut lege ut, sublato puncto præcedente: ac quicquid est eò usq; uerborũ à uoce existimationem, parẽthesi claude. Contrà Pag. 536. uers. 46. post uocem solitudinem, punctum constitue, ac inde nouam ordire periodum. Pulsis profligatis q;, &c. Indeq; periodo proximè sequenti pro per multas, lege per multas, una dictione.

EX ORCHANE OTHOMANNO.

Pag. 540. uers. 24.

311 Primus ab eo in Euro accersitus traiecit.) Quis obsecro non uideat, pro Euro legendũ esse Europam? At non uidit hoc interpres qui ita hunc locum uertit: Primus ab eo accersitus, ad eum traiecerit apud Eurum. Vt non res ipsa longè clarissima, poterãt interpretem à tam euidenti lapsu retinere, ea saltem, quæ de hac Græcorum Imperatorũ inter se æmulatione author ipse in uita Ioan. Palæologi & Ioan. Cantacuzeni, scilicet superius Pag. 519. latius narrat.

EX MACHOMETE I.

Pag. 546. uers. 31.

312 Nos alium ordinem.) Videtur prætermissum ac inferendum secuti, uel eius generis uerbum aliud, ne manca sit periodus: quam totam cur interpres transiluerit, demiror herclè, cùm in promptu esset supplere id unum quod deerat uerbum.

EX AMVRATHE II.

Pag. 548. uers. 27.

313 Georgius imperat genero.) Sequentia satis probant, legendum esse impar genero: quo modo & Hædio interpres uertit. Mox uerò uerbũ inclinare huic periodo adnectes, non adimes: ut nunc perperàm puncto & maiuscula separatur.

Pag. 551. uers. 3.

314 Maior q; longe cædes, quàm primo numero eorum qui uicerunt.) Legendũ esse, quàm pro numero, facilè cuiuis apparet. sed tamen quia lectorem tenere fortè hoc posset, admonere libuit. Certè pòst inueni interpretis Vicarium hic sensum sibi planè absurdum somniasse, nempe qui ita uertit: multo plures Turcæ, qui prius sæpe uicerant, cæsi sunt quàm antea unquã. Quid uerò hic sensus cum præcedentibus ac sequentibus commune habet? quæ nominatim de uniuerso exercitu Christianorum, ad numerũ decem milium, à rege Huniadi Duci commisso, ac contrà de trigintà milibus Turcarum cæsis narrant, nostramq; assertionem euidenter probant: scilicet id sensisse Cuspinianum (iniquè hic, ut alibi sæpe, suo ab amanuensi deprauatum) multo plures eo in prælio cæsos Turcas quàm uideatur cuiquam fieri potuisse, pro exiguo scilicet Christianorum numero, qui tum in exercitu erant, præclara illa potiti uictoria.

EX

EX BAIAZETHO II.

Pag.569.uerſ.11.

315 Parí tamen ſucceſſu.) Pro tamen, lege etiam, ſiue itē. Pauloq; infrà uerſ.41. Videtur inſcitia amanuenſis iterum eadem prorſus extare depraua tio, eodemq; modo reſtituenda.

Ibid.uerſ.48.

316 Et ſpolia Hungaris relinquere (ut ſuprà ſcripſimus) Machumetus hunc ſolum Matthiam) Poſt uerbum relinquere, puncto finienda eſt periodus, atque inde citra parentheſim noua ita exordienda: Vt ſupra ſcripſimus, Mahumetus hūc ſolum Matthiam inter Chriſtianos Duces, &c. Hoc ipſum autem, cuius hic eſt mentio, nempe Mahomethum hunc alterum, cum omnibus ſe Regibus qui é ſent, aut unquam fuiſſent, belli gloria anteponeret, ſolitum tamen ſemper Matthiam Hungariæ regē excipere, ac ſtrenui Principis nomine dignari, legis ſuprà Pagina 565. uerſ.10. Præterea autē uerſ.16. Pag. ſequentis, ante dictionem ſilentium, inſere præpoſitionem per.

EX LIBELLO DE MILITIA, magiſtratibus & religione Turcarum.

Pag. 580. uerſ. 17.

317 Agnianicam.) Eadē lingua mox uerſ.48. uocatur Agiamica, et ab authore exponitur Arabica, uel Perſica. Vtra uox germana ſit (alterutram enim corruptè ſcriptā opinor) uiderint ipſi Arabes, aut Perſæ. Ego quidem adito hac ſuper re Theodori Bibliandri Opere ſanè luculento de linguis & literis, & perlectis locis linguam Arabicā & Perſicam tractātibus, neutrobi de lingua ſeu Agnianica ſeu Agiamica quicquam inueni.

Pag.581.uerſ.51.

318 Ad octingenta milia.) Incredibile profectò, duntaxat unum genus equitum ad tantum accedere numerum. Plinius miraculi inſtar memorat, Italiam ciſpadanam uniuerſam nunciato quondam Gallico tumultu, armaſſe equitum omnis generis octoginta milia. At hic de equitibus ordinarij ſtipendij agitur. Suſpicor ab authore ipſo fuiſſe ſcriptum, ad octoginta milia. Certè equitatus prædatorij, nulloq; ſtipendio militātis, mox narrat circiter quadraginta tantum milia. Imò Pag. ſequent. iuxta Felicis Petantij, ut quōdam Turcorum uicini certiorem narrationem, ait equitum ſtipendiariorū eſſe in uniuerſum non plus quàm milia quinquaginta. Et in procliui ſanè erat, amanuenſem uel male auritum per octoginta exaudire octingenta: uel ex autographo deſcribentem, poſteriorem ciſram geminare, eaq; ratione ex numero decenario facere centenarium. Quanquam herclè ſi equitum ſtipendiariorum octingentas adeò myriades ſcripſiſſet amanuenſis, fidem illi, ut apparet, habiturus erat Hædionis uicarius. Pag. 584. uerſ.8. indicāt præcedentia & ſequētia, pro experti legēdū eſſe inexperti: quemadmodū & idē Hædio uertendo emēdauit.

Pag.584.uerſ.33.

319 Et id genus quaſcunq; turmas. Quæ cum longè diuerſæ ſint ab eo ordine qui hodie fiunt.) Neſcio equidem quo modo authoris oſcitantiam circa elocutionem hoc loco tueari. Vt fingamus, amanuenſem pro uoce quo (ſic enim numerus uerbi fiunt congruet) perperàm ſcripſiſſe qui, tamen accuſatiuus quaſcunque turmas, præcedentibus proximè minus conuenit: niſi ad uerbum docuit, longius ſuprà poſitum, uelimus referre. Eadem Pag.49. aut uerbū præſidet mutādum eſt in numerum pluralem: aut legendum non principes, ſed princeps. Vtrumuis autem legas, intelliges è Beglerbeghis duobus ſuo unumquemque equitum cornui præſidere; hunc ſcilicet Europæo, illum Aſiatico. Pagina 586 uerſ.13. pro mecham, lege Mecham. De eo autem quod eadem Pagina paulo antè, ſcilicet uerſu 5 & ſequentibus, author breuiter attingit, unde impius & nefarius ille codex qui Machumeti mandata, uel potius aconita peſtilentiſſima continet, & Alchorani & Alfurcani nomen habeat: libet ampliorem adijcere explicationem clariſſimi Iureconſulti, adfinis noſtri honorandi Ioan. Alberti Vuidmeſtadij, qui hodie doctiſſimi & literatorum omnium amantiſſimi Principis, Dom Otthonis Dapiferi à Vualpurg, S. Romanæ Eccleſiæ titulo S. Sabinæ Cardinalis, & Epiſcopi Auguſtani, longè doctiſſimus eſt cancellarius. Is annotatione ſecunda in Machumeti theologiam ita ſcribit: Machometes duobus uocabulis librum ſuum nuncupauit, Alcorani ſcilicet, & Alfurcani. Alcorani nomen habet, à lectione: Alfurcani uerò, à diſtinctione, ſiue quod uetus Teſtamentum à nouo, nouum à ſe ipſo, ab utroque doctrinam ſuam diſcrepantia cœlitus, ut gloriatur, ſibi tradita diſtinguatur: ſiue quòd uerſus non uno tempore omnes, ſed diuerſis afflatibus diſtinctos acceperit. Nō nulli à redemptione Alfurcanū dictum contendunt, propterea quòd iræ diuinæ ſubtrahat eos, qui iuſſa ipſius exequantur. Hæc Vuidmeſtadius.

Pag.586.uerſ.45.

320 Cur uinum indixerit, cur uxores plures conceſſerit.) At uerò Mahometus in lege ſua uini uſum non præcepit, imò diſertè prohibuit: quod omnibus eſt notiſſimum. Itaque dubium eſſe non debet, ab authore ſcriptum fuiſſe interdixerit, eiusq; loco per male oculatum amanuenſem ſuppoſitum uerbum indixit. Quare autem Machometus ſuis ſectatoribus uini uſum interdixerit, habes ab ipſo authore expoſitum ſuprà in Mahometi uita, Pagina 534. uerſ.33 & ſequentibus. Item ex Alchorani deliramentis rationē alterā, infrà Pag.593. uerſ.51. & ſequent. Idem Mahometus ebrietatis pœnam conduplicauit, percuſſiones quadraginta lege Moſaica præſcriptas additus octoginta producēs: nimirum ut ea ſeueritate à uini uſu deterreret Arabes, natura calidos, nec aliis facile in officio retinendos, quem-

dos, quẽadmodũ Alchorani cribratores adfirmãt: quæ tertia potuit esse ratio, caq; physica.

Ibid. uers. 53.

321 Iussit in domum Dei illicitam semel quæ in Mecha est peregre proficisci, illãq; inconsutilibus tegumẽtis circumdare.) Vt ingenuè, quod uerum est, fatear, super dictione illicitam, genuinã ne esset hoc loco, aliquando uehementer dubitaui. Frigidum enim, adeoq; superuacaneum uidebatur, templum illud dici illicitum, nimirum quòd iam antè uulgò omnibus constet, à pestilentißimo impostore ad manifestam impietatem fuisse cõsecratum. Certè Hædio uertendo eandem dictionẽ prætermisit: at nec ullam commodiorẽ substituit. Cæterùm ex Alchorani cribratoribus postea didici, templum istud Mechanum dici solere domum Dei illicitam, non eo quidem quo nos credebamus sensu, sed potius contrario, scilicet quòd in eo nihil illiciti fieri debeat: perinde ac si sacrosanctum dicas. Porrò hac ipsa in periodo uox illamq;, prorsus absurda est & ridicula: quanquã agnita ab Hædione pro germana. Quis enim templum totum inconsutilibus tegumentis circũdet? Quid hoc ad ea quæ statim sequuntur de fœmoribus, eamq; circumuelationẽ, quam fieri narrant ob uerecundiam, & quòd narratur aliàs eo mysterio Veneris opus insinuari? Itaq; non obscurè apparet, pro illam que, legendum esse iliaq;. In summa, hanc periodũ ab amanuensi defœdatam, ego puto ab authore ipso hunc ad modum fuisse exaratam: Iussit in domũ Dei illicitam, quæ in Mecha est, semel peregrè proficisci, iliaque incõsutilibus tegumentis circumdare. Quo autem totus hic Cuspiniani locus plenius intelligatur, & nostra castigatio omni prorsus liberetur scrupulo, adscribam quæ in disputatione Christiani cuiusdam docti cum Saraceno amico, cap. 21. hac ipsa de re non sine recondita eruditione explicãtur. Quid est autem, inquit Christianus ad Saracenum, quòd me inter alia legis uestræ optima etiam ad Alahagh, hoc est, ad peregrinandum in domum Dei illicitam, quæ est in Mecha, exhortatus es: ad proijciẽdos quoq; lapillos, & ad inuolutionem luteoli circa renes? Quod quale sit, uel à quibus cœperit, quoniam tu te ignorare simulas, audi. Duarũ Indiæ gentium, quæ uocantur Zechiam & Albarachuma, antiqua cõsuetudo fuit, nudos & decaluatos, magnisq; ululatibus personãtes simulachra dæmonũ circumire, angulos quoq; oscularì, & proijcere lapides in aceruum, qui quasi pro honore dijs extruebatur. Inde enim est, quod in libro Salomonis dicitur: Qui proijcit lapidẽ in aceruum Mercurij. Faciebant autẽ hoc bis in anno, sole scilicet existente in primo gradu arietis, & rursum cum esset in primo gradu libræ: hoc est, initio ueris & autumni. Hæc ergo consuetudo cum ab Indis ad Arabes descendisset, eamq; suo tempore apud Mecham in honore Veneris Machumet celebrari reperisset, sic illam manere præcepit, cum tamen cætera idololatriæ præstigia remouisset. Illud uerò soli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi solitum, ut lapilli retro, id est, sub genitalibus membris proijcerentur, eo quòd Venus illis maximè partibus dominetur. Vnde adhuc ita fit in domo Dei, quam tu uocas illicitam: id est, ubi nihil licet nisi quod sacrũ est. Veruntamen cũ hoc à nudis ex toto hominibus semper fieri soleret, non tulit hoc humana uerecundia. Instituerunt aliqui, ut proiectores lapidũ paruo sal tem linteolo renes obtegerent, ne omnino denudati homines canum impudentiã imitarentur. Hãc ergo insaniam meritò creditur Machumet saluam & incolumẽ, cum reliquas dæmonũ culturas cessare præciperet, dimisisse: ne dominã suam Venerem, in qua se esse potentißimum ipse iactabat, penitus sine honore relinqueret. Pro quo beneficio talem illi gratiam Venus repẽdit, ut ad eum totam huius gloriam referri, utpote ad singularem amicum, æquanimiter sustineret: dum uos modò nõ Veneri, sed ipsi prophetæ eius hoc obsequium impendatis. Quod apud quosdam uestrũm tantæ stulticiæ deputatur, ut uir prudẽs Gomar filius Hazha, cũ ad osculandos lapides (quod ante alia Machumet & fecerat, & fieri iusserat) aliquando accessisset, sic locutus fuisse dicatur: Ego scio, quia lapides istos osculari nec obest, nec prodest. Sed quia sic fecit, fieriq; iußit noster propheta, facio: licet sit omnino inutile. Hæc Christianus ille. Pag. 588. uers. 39. corrupta itidem sunt per amanuensem hæc uerba, uel aliquo tractatur, itidem ab interprete prætermissa: neque tamen succurrit quid author scripserit, nisi fortè, uel aliquid tractatur. Ibidẽ uers. 49 pro curati, lege curuati, pariter omissum interpreti. Pagina 589. uers. 43. ut planã atq; perfectam habeas sentẽtiam, distpunge post nostri, & punctum: & præpositionem In, sine maiuscula scribe. Pagina 490. uers. 52. uidetur pro eorum legi debere ullius, certè uox ipsa redundat. Pag. 595. uers. 19. Sed in ea oratione, dele uoculam ea. Pag. 596. uers. 11 pro adiacẽt, lege adiacet. loquitur enim de una ciuitate Niso. Pag. 600. uers. 40. pro monumento, lege momento, sic uertente & Hædione.

EX MAXIMILIANO CAESARE.

Pag. 603. uers. 51.

322 Castrense Latinum, ut uulgus loquitur, militare didicit.) Res ipsa mõstrat, ante parentheſim interponendam particulã uel. Nam & hodie latinitatem expeditam quidem, sed parum doctam, uocamus Latinum equestre, lingua nostrate Reutter Latein: nimirũ quia nobiles plerique omnes hactenus grammmaticæ rudimenta & nõnihil Latinitatis pueri addiscebant, sed plerunq; ulterius nõ progrediebãtur. Atq; ita in hoc loco intelligi debet dictio militare (quam Hædio prorsus omisit) nempe non pro bellico, sed equestri. Sic maximus Imperator Maximilianus, cum die quadã rerum à se uno

anno

anno gestarum commentarios excipiēti scribæ dictasset, exhibuisse eos dicitur doctißimo uiro Biliboldo Pirckamero, tum fortè præsenti: & ex eodē quæsiuisse, qualis uideretur equestris illa Latinitas, ut scribit in Chronicis uernaculis Io. Chariō. Eius tamē interpres Hermannus Bonus, Latinitatē militarem dixit. Re ipsa quidē haud sanè multum interest, siue dicas equestre, siue militare, aut castrēse Latinum: sed ego tamen uernaculam uocē indicare uolui, quò etiam homines externi huius nostris usitatæ phrasis originē ipsam certò cognoscerēt. Ea item quæ hic proximè sequitur periodus, uitio non caret, & oculatū requirit lectorē. Suprà uers. 4. pro Petrū, lege Petrus. et infrà Pag. 605. uer. 42. ante se, insere particulam in. Pag. sequent. uers. 22. post Iuliacensis, uidetur inserenda dictio Dux, unà cū nomine quod isti Megaloburgensi erat prorium. Et mox uers. 26. pro Pruesthenck, uidetur legi oportere Pruyschenck: quo cognomine olim sub Friderico III. clarißimus fuit, qui deinde, uti hic narratur, in posteros suos Comitis ab Hardeck titulū transmisit. De Ioānis Comitis ab Hardeck ornatu splēdido & precioso in cōgressu triū regū cum Maximiliano Cæsare, legis infrà in Diario Pag. 624. uers. 1.

Pag. 608. uers. 45.

323 Dum suos cōsiliarios (ut bene rex educaretur, &c. Est hæc periodus nōnihil perplexa & ambigua. Si intelligas Cæsarem ac regem Poloniæ in aula regis Ludouici, ipsorū pupilli, Cō siliarios suos agere, rebusq; prospicere uoluisse, aptè quidē consentit hoc cum uerbis in parentesi positis: sed perfrigidè sanè cū uerbis in rem suam, cumq; uerbo moliuntur. Cōtrà ut hæc rectius ad Hungaros inuidos, priuatiq; magis quàm publici studiosos referes, quo sensu particula dū repeti uidetur: ita uerba in parēthesi posita ijs nequaquā, sed tutoribus ipsis cōueniunt, qui desiderabāt rem pupilli saluam esse, adeoq; regnum uniuersum sartum tectumq;. Vtcunq; uerò hæc Lector ipse tibi repones, uides uerbum patefecit, mox hac ipsa periodo sequens, cum eius exordio nequaquā conuenire. Mihi eius loco uidetur ab authore scriptū fuisse, prædę fuit.

Pag. 611. uers. 5.

10 324 Sic itaq; duodecima Ianuarij, post noctem mediam hora tertia, anno humanæ salutis millesimo quingentesimo decimooctauo spiritū suum Deo reddidit.) Amanuensem hic in numerorum notis aberrasse, atque octauo pro nono scripsisse, probat tum res ipsa, quæ in omniū adhuc hæret memoria, tum recentiorum historiographorū concors sentētia. Nam Cuspinianū res gestas supputare solitū iuxta morem ecclesiæ Romanæ, quæ annum auspicatur à festo Natalitio seruatoris nostri IESV CHRISTI, non uerò ab annunciata per angelum Gabrielem eiusdem incarnatione, aut ipso Resurrectionis Dominicæ festo, ostendit (ne longius exēpla petamus) uel unus locus suprà in hoc ipso Maximiliano, Pag. 604. uers. 41. dum author narrat ipsum fuisse Francofordiæ designatum Romanorum regem, Anno Salutis humanæ M.CCCC LXXXVI, die Februarij XVI. quo cum Germanici scriptores omnes consentiunt, nec soliti quidem illi alium auspicandi anni quàm Romanæ Ecclesiæ usum sequi. Mox. uers. 39. uidetur pro ciuilibus, legēdum ciuibus. Pag. 612. uers. 49. pro Stanis, lege Stams, de quo Comitatus Tyrolis monasterio suprà quoq; in Cæsaribus Austriacis aliquoties extat mentio.

ANNOTATIONVM IN CAESARES IOAN. Cuspiniani Finis.

NOBILI AC SVMMAE SPEI ADOLESCENTI IACOBO VVILLINGERO, MAGNIFICI DOM. *Caroli Villingeri, Baronis à Syfridſperg, Rom. Imp. & Regiæ M. Conſiliarij filio, Volph. Hungerus Iurecos. S. P. D.*

QVanquam, ornatiſsime Iacobe, caſtigatorem in Ioan. Cuſpiniani Cęſares profeſſus, poſt Maximilianum Imp. opt. & maximũ commodè quidem deſinere poteram: tamen eiuſdẽ Cuſpiniani quoq; Diarium, ſuper memorabili illo trium regum apud Viennam Auſtriæ congreſſu, locis aliquot annotare, atq; adeò uniuerſam editionem pro mea uirili mendis purgare libuit. Ipſum uerò Diarium, quũ auo tuo Dom. Iacobo Villingero, uiro illuſtri honore, & nomine in eiuſdẽ Imp. aula quondam conſpicuo, nuncupatum ab authore uiderem: ſtatui, etiam noſtra in illud Caſtigationes, quamuis paucas & leuiculas, tibi ea præcipuè de cauſa inſcribere, ut auum ipſum unà cum Cuſpiniano & monarchis illis tribus potentiſsimis, atque illuſtribus multis heroibus, in publica literarum memoria cum honeſtiſsima prędicatione perpetuò uicturum, hoc quoq; magis & lubentius ob oculos tibi proponeres, ita quidẽ imitandum, quo tum eius, tum patris quoq; optimi: & ſplẽdidiſsimi uiri gloriã & titulos longè te ſuperaſſe aliquando omnes adfirmare poſsint. Equidem ad hanc præclaram laudem conſequendam prędipua adiumenta tibi pleraq; omnia cumulati Dei benignitas eſt largita, nimirum ingenium felicíſsimum, ualetudinem optatã, patrem ut literatum, ita bonorũ ſtudiorum, & tui in eiſdem profectus mirificè ſtudioſum & amantem. Si dicam & puerítiæ tuæ formatorem maturè contigiſſe, quo melior & cõmodior optari uix poterat: uereor ne quiſpiã neceſsitudini hoc me dediſſe ſuſpicetur, dum uxoris fratrẽ multo chariſsimũ Ioan. Baptiſtam Bohemum cõmendo. Sed bene habet, quòd fructus ipſi de cultoris peritia & cura iamdudum palàm teſtificantur. Quo autẽ ampliores in ſtudiorum ac uirtutũ circulo antehac puer feciſti progreſſus: eo magis nunc ſimul cum ætatis acceſsione elaborandũ tibi intelligis, ut excitatæ pulcherrimæ de te omnium expectationi plenè ſatisfacias. Id uerò ita fiet quàm rectiſsimè, ſi, ut cœpiſti, in timore Dei ſobriè uitam egeris: ſi labores honeſtos nunquam refugeris: ſi deniq; iuxta & dicendi & faciendi bene præclara doctrina copioſe te inſtruxeris. Ad hanc autem ueræ uirtutis uitam perſequendam, cum & domeſtica, ut dixi, tibi exempla, & præceptoris optimi aſſidua præcepta & cohortationes ſuppetant: & pręter auum plurimos in ipſo Cuſpiniani Diario lecturus ſis heroes illuſtriſsimos, qui eadẽ uia pulcherrimã in omni poſteritate memoriam ſibi parauerunt, ſuperſedeo longiore nũc ſermone ad uirtutis cultum te adhortari. Noſtrum uerò hoc in te ſtudium, & ſingularem quandam uoluntatẽ, ſi gratam tibi eſſe cognouero, non prætermittam grauioribus aliquando teſtimoniis eandem tibi comprobare. Deus incolumem & bene ualentem te, unà cum Bohemo noſtro, conſeruare dignetur. Datum Friſingæ, Pridie Calend. Februarij, Anno Salut. M. D. L V.

EX

EX DIARIO IO. CVSPINIAni, de congressu Cæs. Maximiliani & trium Regum.

325. *Pagina 617. circa uersum 14. prolixior est periodus ob maiusculas alicubi omissas, alicubi scriptas perperam, itemq; non signatam parenthesim confusa. Eam sincerè hunc ad modum leges:* Scribi non potest, qua crudelitate usi sint. Hoc satis sit indicij, cum auxilio diuino rabies hæc extincta foret, ductu Ioannis Comitis Zepusiensis Veiuodæ Transsyluaniæ (qui ducem illorum, nouo quodam tormenti genere, à suis dentibus laniari iussit, & hinc decollari) & de mense Nouembri illius anni: *&* cætera, *quæ inde sequuntur castigatiora. Pagina præcedenti Versu duodecimo, ne forte quid desideres, tolle distinctionem post* Præfectus. *Fuit enim ipse Cuspinianus* Præfectus Senatus Viennensis, *qui uulgo* Anbaldus *dicitur. Mox uersu quadragesimosexto, pro* peragraret, *lege* perageret.

Pag. 619. uers. 13.

326. Palatinus Liblienſis, Andreas Cancellarius Schidlouiczki.) *Si huc conferas ea quæ infrà Pagina 620. uersu trigesimosecundo, iisdem de uiris repetuntur, apertè uides amanuensem hic praua distinctione Palatino sum ademisse nomen, atque in Cancellarium transtulisse: qui quidem non Andreas, sed Christophorus uocabatur, quod & suprà Pagina 617. uersu uigesimosexto, & infrà Pagina 620. uersu trigesimoprimo & 621. uers. 51. extat. Cæterùm Pagina 621. uersu decimooctauo pro,* consiliarium, *lege* consiliarij.

Pag. 622. uers. 1.

327 Cum equis centum & quadraginta sex cataphractis.) *Sæpius & infrà cataphractos dicit, quàm ut librarij culpa uideri possit. Alicubi & cataphractarios dicit. Eruditi ferè cataphractos appellant.*

Ibidem uersu 10.

328 Ioannes Episcopus Ratisponensis Palatinus Rheni.) *Ne fortè ob interiectum comma, hunc non eundem, sed duos fuisse putes, ac fortè Palatini nomen prætermissum, uides clarius expositum Pagina proxima uersu uigesimo secundo, scilicet hunc episcopum fuisse ex domo Palatinorum Rheni, nimirum Philippi Electoris filium. Eadem Pagina proxima uersu trigesimotertio, pro* Serenstein *lege* Serentein. *Id enim cognomentum fuit Cancellario Cypriano.*

Pag. 623. uers. 50.

329 Equites cuspides albis uexillis paruis ornatas, duo pueri. Alba uexilia lata & pulchra. Subsequebantur deinde Comites.) *Trunca hæc est periodus, ac uitiosè distincta. Tu uoces* pueri *&* alba *neutiquã distingues, & in fine supplebis uerbum* gerentes, gerebant, *aut consimile.*

Ibidem uersu 19.

330 Quos succedebant utriusq; Regis Tibicines in aëra usq; clangentes.) *Legendum* tubicines: *ut quorũ hic sublimis clangor est proprius, ac tympanis sonoris, de quibus statim sequitur, adeò per Hungaros & Polonos coniungi solitus, ut inde reliquæ nationes mutasse uideri possint. Quin nec opus erat hac annotatiuncula, si uidissem quæ inferius pagina 625. uersu uigesimooctauo, extant: scilicet ista,* iterum ingens excitus tubarum clangor. *Plures enim erant tubicines, tot* Regum, Principum ac Præsulum. *Item Pagina 628. uersu quinquagesimoprimo:* chorea est incepta, clangentibus tubis, & bene sonantibus, quas Cæsaris tubicines inflabant. *Paulo suprà hunc locum pro* Hussenorum, *lege* Husserorum, *uti integrè ea uox extat statim uersu decimoseptimo.*

Pagina 625. uersu 44.

331 Sed ne omni careret fœlicitate, suborta est pluuia.) *Ergo prorsus infœlix ille conuentus, nisi pluuia prosperasset? Minimè uerò. Quin ipse autor infrà pagina 627. uersu quadragesimoprimo, ita scribit:* Nimirum pulcherrimus ingressus, & rarò uisus, etiã in pluribus seculis, si non pluuia ordinem contnrbasset, & hanc solam fœlicitatem abstulisset.) *Iterum sub finem huius Diarij inquit: Sed quanquam sola hæc fœlicitas nobis defuit, quod crebræ erãt pluuiæ, &c. Itaque perspicuum est, hic amanuensem scribere debuisse,* infœlicitate.

Pagina 626. uersu 2.

332 Canonici regales apud sanctam Dorotheam.) *Suspicabar ilico, legendum esse* regulares: *sed quia fortè à rege aliquo fundatore & regales dici poterant, consului post doctissimi uiri Volphg. Lacij Viennam Austriæ, qui non frustrà me hæsitasse, hisce uerbis ostendit: ter-*

dit: Tertia est, inquit, duæ Dorotheæ præpositura, ab Andrea Blanckh, Alberti Quinti et præceptore & Cancellario posita, circa annum Domini MCCCCX. ubi Canonici sunt regulares Præposito subiecti. Mox uersu decimosexto pro Fabri ferrei, lege ferrarij: & Setarij, pro Zetarij. Intelligendi autem, qui è setis porcinis instrumenta concinnant, quibus ad caput mundandum, comas que digerendas mulieres in primis utuntur. Pagina 628. uersu decimooctauo, pro audiens, legendum est adiens. Minutiora multa errata eius paginæ & proximè sequentium, sciens prætereo.

Pagina 631. uersu 2.

333 Chantarum deinde argenteum faberrimè factum, cuius labor æquabat precium, in quo admirabilis erat ueneranda uetustas, donauit. Regi uerò Ludouico equum cataphractatum.) Ostendit res ipsa, per amanuensem post uerbum donauit, prætermissas esse duas dictiones, scilicet Regi Vladislao, aberrante librarij oculo, ac posterius Regi accipiente pro priore. Cur enim solus rex Vladislaus indonatus abiret? Et sanè ipsi, ut seni, bellè conueniebat donum canthari, uulgatam iuxta parœmiam, Aquilæ senectus. Cum uerò inquit Cuspinianus, cuius labor æquabat precium, ne uideatur ineptè dictum, scilicet quasi non etiam manus seu operæ, artisq; sit preciũ, intellige per precium materiam ipsam: nisi malis suspicari, uocẽ materiæ ab amanuẽsi malè omissam esse. Mox uersu 25., pro curam lege curiam. Sequenti inde Pagina corrupta esse quædam propria Germanicarum familiarum nomina, facilè quiuis intelligit.

ANNOTATIONVM VOLPHGANGI
Hungeri I. C. in Cuspiniani Cæsares
FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN IOHANNIS CVSPINIANI CAESARIBVS memorabilium Index.

A

Aaron rex Persarum fœdere iunctus cũ Carolo Magno 219. 29
Aba rex Hungarorum 348. 6. inde
abaha mater Maximini Imper. 80. 20
abaſgorum inducię renouatæ 331. 48
abdala Sarracenorũ fœdus ferit cum Conſtãtino V. 210. 32
abimelech dux Arabũ 196. 38. inde
aborigines 598. 41
abroditarum ſeu Noruegorum reges Chriſtiani facti 295. 14
Acatius patriarcha Cõſtantinopolitanus 166. 37. & 167. 34. falſam doctrinam ſparſerat 169. 11
acarnania Turcis ſubiecta 547. 52
accarnanes 600. 17
M. Accius Balbus ſocer Octauij 6. 47
achaia in Prouinciam Romanam redigitur 37. 40.
achilleus, qui ſeſe in Aegypto Imperatorem fecerat 107. 9 inde
achmat Zultan f. Baiazethis 574. 36
acies inſtruendi modus Turcorum 584. 11 Scriptores de eodem ibid. 22
acilius Glabrio à Domitiano poſt exilium occiditur 44. 2 (6. 43
actia, ſecunda uxor Octauij
actiacum bellum 7. 38
actis liberta à Nerone amata 25. 26
Adalbertus Lotharingus cancellarius 385. 37
adalbertus Moguntinenſis præſul 386. 17
adalgiſus f. Deſiderij regis Longobardorum 218. 16
adalgiſus dux deficiens à Ludouico II Imp. 248. 3. inde
adalheida uxor Ludouici Balbi 270. 43
adalheida Lotharij uidua, in carcerem coniecta & erepta 281. 22
adata ciuitas obſeſſa 252. 40
adelbertus Eporregiæ ciuitatis Marchio proditor 277. 46
D. Adelheida f. Rodulphi regis Burgundiorum 280. 14
adelheida uxor Hermanni Franconiæ comitis, mater Conradi Imp. 328. 34
adelheida Gelriæ comitis filia 431. 30
adeltrudis f. naturalis Caroli Magni 220. 30
adiabenorum gens à Nerua Imp. ſubigitur 50. 22
adolphus comes de Vualdeck 433. 33
adolphus Cæſar 442. 40 ab imperio depulſus 445. 1. eiuſdem & Alberti ducis Auſtriæ pugna 445. 12. mors 445. 19
adolphus II ex comite dux Cleuenſis 493. 24. & 490. 35
adria oppidum agri Piceni 53. 6
S. Adriani martyris gladius in Vualdberch aſſeruatus 325. 28
adriani uenatica ſepta, urbs in Myſia 53. 17
adrianopolis obſeſſa Thomam tradit 234. 45. iterum obſidione cingitur 416. 3
adrianus quibus artibus fiat Imperator 52. 6. Imp. deſcribitur 53. inde eius monumenti inſcriptio 63. 31
adrianus põtifex maximus, Lotharĩ excõmunicatione liberat 241. 29. muſcam in fonte bibens, moritur 245. 30
Aechanus dux Michaëlem recipit in militiam et familiaritatem 233. 5
ædificandi ſimplicitas apud Turcos 594. 11
Adelinda concubina Caroli Magni 220. 39
Aegæum pelagus 418. 52
ægyptus in prouinciam redigitur, & annonam Romæ præbet 8. 20. Rom. Imp. reſtituta per Heraclium Cæſ. 291. 7
ægyptij ritus à Nerone compeſcuntur 14. 38
ægypto ac Cypro clades illata ab Artemione Iudæo 51. 12
ælia Pætina ſecunda uxor Claudij 22. 44
ælianus Caſperius quoſdam ſeditioſos occidit 45. 53 idem & prætorianæ cohortes propter ſeditionem amouentur 47. 50. apud Moguntiam Imperator factus 95. 39
P. Aelius Adrianus in Syria legionibus præfectus 51. 24
P. Aelij Adriani Imp. deſcriptio 53. inde
ælius Lamias à Domitiano interimitur 44. 3. cur 44. 43
Q. Aelius Lætus, conſpirationem mouet in tyrãnum 63. 13
ælius Pertinax Imp. deſcribitur 64. inde
L. Aelius Verus. Vide L. Verus
æmilia lepida ſpõſa Claudij Neronis 22. 30
æmilia altera pars Exarchatus 210. 18
æmilianus dux Mœſiæ, Scythis fugatis, Imperator ſalutatur 90. 24
æmilianus Alexandrinus, in Aegypto Imperator 95. 23
ætuus amicus Iuliani Apoſtatæ 130. 51
aetius ductor, præfectus Galliæ 157. 2. inde
aetus eunuchus connubium Irenes & Caroli Magni impedit 215. 13 (52
ætolia Turcis ſubiecta 547.
Africani Romanas urbes pleraſque occupant 278. 46
Agapitus uir conſularis, legatus ad Iuſtinum pro Arrianis 172. 51
agareni rebellãt Neruæ Imperatori 50. 50. Orientem populantes 170. 20 in Cretam Coloniam ducunt 235. 9. inde contra Romanum Imperatorem 290. 4. inde cum Agarenis bellum Michaëlis Cæſaris 244. 46. inde bellum Baſilij Cæſaris 252. 11. inde imperio Iohanis Zimiſcis 311. 35. inde imperio Romani Argeri 332. 1. inde
agatho pontifex Roman. 295. 53
agdulphus rex Longobardorum 180. 18
ἁγία σοφία templum à iuſtiniano conditum 176. 46
agnes uxor Arnulphi Cæſ. 272. 35
agnes filia Henrici Quarti Imperatoris, uxor Friderici ducis Sueuiæ 358. 2. 389. 11
agnes Othonis Merauiæ ducis filia 426. 35
M. Agrippa ob patientiam ab Auguſt. diligitur 10. 38. gener Auguſti 11. 3
agrippa Poſthumus nepos Auguſti 11. 10
agrippæ regis Iudæorum doloſum ingenium 20. 46
agrippina neptis Auguſti 11. 17 prima uxor Neronis 15. 49. mater Caij Caligulæ 17. 1. perit inedia ibid. 35
agrippina Claudio marito uenenum præbet 22. 18

agrippina Coloniam Vbiorum oppid. denominat 23. 25
agrippina f. Germanici necatur à filio Nerone 42.10 & 25.44
Abia castrum 436.3
Aiathanas Anastasius adoptatus à Thoma Imperat. 234.9
aistulphus, capta Rauenna, iterum superatus 180.9
aistulphus Longobardorum regum superbissimus 209. 39. inde
Alamander Sarracenorum rex 154.6
alani à ueteribus Albani dicti 204.12
alanus uictor, Imp. prosequitur 140.32
alaricus rex Gothorum electus 148.19 eius contra Rom. acta. inde eius edictũ pro templis 149.52. mors 150.15
alba Bulgarica, olim Belgradum dictum 548.18
alba græca ciuitas à Turcis obsessa 559.48
alba Regalis, urbs expugnata 605.29
ad Albam Mariam, templũ circa Budam 219.9
albani Romanis auxilia polliciti 92.1
albertus f. sororis Henrici regis, nepos Othonis ducis Saxoniæ 274.5
albertus Tuscorũ Marchio rebellis Lamberto 276. 44
albertus filius Berengarij secundi 281.29. inde
albertus comes frater Henrici comitis & Babæ 293. 50
albertus Moguntinus episcopus 388.44
albertus Magnus, philosophus 431.19 eius opera arbores media hyeme floruerunt ibid.
albertus Tyrolis ac Goriciæ comes 437.4
albertus Secundus comes Habspurgẽsis 441.30 Rodulphi Cæs pater ibid.
albertus Austriæ dux 442. 47 eiusdem cum Adulpho Cæs. bellum 445.12
Albertus de Hagerloch 445.37
Albertus Cæsar 446.1 Rodulphi Cæs. filius ibid. 2. cur Monoculus dictus 448.30. cur triumphator ibid. 33 eius mors miserrima 449.1
albertus Saxoniæ dux senior 458.29
albertus sapiẽs Austriæ princeps 469.20
Alberto Austriæ duci Boemia donata 494.20
albertus quartus dux Austriæ, &c. 498. 48.
Albertus Quintus Austriæ dux, gener Sigismũdi destinatus imperio 496.46 Imperator describitur 498.44. inde
albertus Marchio Brandeburgensis 500.48
albertus Bauariæ dux regnũ Hungariæ recusat 502. 14. de eodem 606.8
albertus filius Ernesti ducis Austriæ 504.12. inde
albertus Marchio Brandeburgensis, Achilles Teutonicus 503.35. inde. & 507.14. inde
albia Terentia mater Othonis Imp. 31.22
albinus spe honoris fallitur à Seuero 68.37 eius cum exercitu casus 69. 25
albinus Alcoinus præceptor Caroli Magni 217. 23
albuinus dux Lõgobardorũ 179.46
Alcoinus uide Albinus
alcoranus in latinum uersus & refutatus 534.7
alda Hugonis uxor 280.34
alectus socius Carausium interimit 107.33
alemannorum xxx milia fusa 142.3
aleonora Henrici regis Anglorum uxor 434.17
in Alexandriam, repudiato Vario Imperatore milites inclinant 76.43
alexãder adoptatus neci destinatur 77.5 Cæsar describitur 78. inde
alexander filius Basilij Cæsaris 251.49 Cæsar describitur 268.38. inde
alexander sextus papa 605. 21
alexandri magni prouerbiũ 614.38
alexandria capta 107.13 rursus extructa 406.14
alexandrinum bellum 4.34
alexandrini honorifice excipientes Caracallam Imperatorẽ. ab eodem trucidantur 73.6
alexius Mosele gener Theophili Cæs. 237.46
alexius Comnenus Rom. copijs præponitur 375.2 Basilatianos in fugam uertit 375.58 Mega dictus 377.11 Nouellosinus cognominatus ibi. 11 multos Manichæos ad fidem orthodoxam reduxit 381.42 monachorum habitationes extruxit 382.39. optimis uirtutibus præditus 383.45 eius obitus 382.30 & 383.20 ætas 383.34 quotannis imperarit ibid. 36 eiusdem temporibus incendia multa facta 384. 14 Colossus corrruit 384.17
alexius Manuelis fil. 398. 34 quindecim annos natus ab Andronico Comneno clàm interficitur, sac coq; inclusus in mare abijcitur 399.1.2
alexius angelus 400.39 frater Isaatij angeli ibidẽ, per parricidiũ imperium adeptus ibidem 42
alexius Iunior 401.21 serpẽtẽ in gremio (ut dicitur) nutriuit ibid. 38 à Murzyphlo ignobili interficitur 401.46
alexius dux Massouiæ 503. 53.
alibeus dux Thraciæ 551.18
aligildus legatus mortem Constantij Iuliano nunciat 128.39
de Alimentis publicis nouæ leges inuentæ 59.40
almamõs in Illyrico uitibus consitus 103.15
alnius Hungarorum rex 384.53 à fratre Colomanno eiectus 385.1
alphini prædones 8.40
alphonsus Cremonensis episcopus Imperatori rebellis 230.28
alphonsus X Cæsar 433.26. 434.21 Ferdinandi Tertij filius ibidem 23. insignis astrologus 435.1
alphonsus Arragonum rex 505.19
alsatia deuastatur 411.52
altenburg in superiori Pannonia 219.6
alusianus Aaronis Bulgarorum regis filius 337.5 inde
Amalasuntha uxor Theoderici, mater Atelarici regũ Ostrogothorum 173.8. balneo suffocata 174.36
amãdus dux Bugaridarum 107.1
amãtius spado libertus Anastasij 172.13. inde
amarumnas rex Agarenorũ 238.48
amasgi Alanis uicini 204. 13
amastactus Theophylactus, pater Romani Lacapeni 252.12
amazonius, dicitur Commodus Cæsar, item mensis Augustus 62.47.
amberga 490.26
ambiensis antistes legatus Caroli Magni ad Irenen Augustam 215.6
ambitus grauissimè punitus 78.47 & 89.17
D. Ambrosius orator Valentiniani ad Maximũ Imperatorem 142.44. præsul Mediolanensis infestatur à Iustina 143. 25 Theodosium Imperatorem templo prohibet 146.48
ambrosius Pergami comes suspensus 271.10. 275 51
amedeus comes fit dux Sabaudiæ 493.26

amida

amida à Persis euicta 123. 47
amillinus senator patronus Diocletiani 106. 3
amitas rex Arabum creatus 205. 15
amoriũ op. patria Theophili Cæs. oppugnata & prodita 238. 50
amortheus dux Sarracenorum 204. 51. inde
amphitheatrum Romæ conditur 38. 5
amura Turcorum princeps 492. 1
Amurathes Turcorum tyrannus 521. 22
amurathes Othomannus Maior, tertius Turcorum rex 540. 30. inde
amurathus Iunior Secũdus, septimus Turcorum Imperator 547. 14. inde montes Traciæ munit 551. 13
Amyras Tarsi filium Mariæ contemnit 252. 52
amyras Turcæ Cæsares appellant 532. 26
amysia fl. 9. 22
Anaso fl. 218. 53
anastasia filia Constantij Imp. 126. 15
anastasinæ thermæ ibid.
anastasia filia Valentiniani Imperatoris 139. 51
anastasinæ thermæ ibid.
anastasia ciuitas in Mesopotamia condita 171. 22
anastasia uxor Tiberij Cæsaris 181. 47
anastasia f. Theophili Cæs. 236. 47
anastasia Theophona, uxor Constantini Porphyrogeniti 291. 19
anastasius Dicorus Cæsar describitur 168. 42.
anastasius patriarcha Antiochiæ interemptus 188. 24
anastasius Arthemius Cæsar describitur 202. inde
anastasius antistes à papa excommunicatus 206. 24
anastasius patriarcha Constantinopolitanus consensit Constantino Quinto in omnibus 208. 24. Leonem IIII Imperatorem coronauit 211. 7
ancharia prima uxor Octauij 6. 43
ancona urbs à Sarracenis uastata 239. 32
andalanum monasterium in Alsatia extructũ 263. 4
andegauum à Normannis direptum 240. 40
adernacum urbs 431. 51
andingeli 539. 10
andragathius præfectus classis, occisor Gratiani Imperatoris 142. 33 inde in mare se præcipitat 145. 47
andreas dux Iudæorum Romanos sternit 51. 8
andreas socius insidiarũ, obtruncatur 172. 27
andreas magister equitũ dux contra Agarenos 252. 51. inde
andreas Hungariæ rex 447. 23
andreas plebanus Garsensis, præceptor & consiliarius Alberti V ducis Austriæ 499. 33
andreas Paumkircher 511. 35
andreas de Burgo insignis Caroli Cæsaris orator 609. 26
andronicus præstantißimus dux contra Agarenos electus 267. 6
andronicus Ciliciam expugnat 371. 12
andronicus Comnenus uir callidus & impius 398. 44. 399. 9 Alexij tutor 399. 11 eius & in ciues & peregrinos sæuitia 399. 27 eiusdem ignominioſißima mors 399. 39
andronicus Palæologus Imperator Orientis describitur 517. 21. inde
andronicus Iunior f. Michaëlis, Imperator describitur 518. 19
angeli inebriati coitum puellæ petierunt 593. 52
angli Britanniam sibi subijciunt 157. 7
aniballianus pater Dalmatij Cæsaris 116. 40
annibalianus Gallus nascitur 110. 20
anna f. Theophili Cæs. 236. 47.
anna Comi issa de Hohenberg 441. 43 Rodulfi Cæs. uxor ibid.
anna ducissa Braunschuuicẽsis 490. 34
anna filia Alberti Quinti Imperatoris uxor Vuilhelmi ducis Saxoniæ 501. 50
anna Francisci ducis Britanniæ filia, uxor Caroli Regis Franciæ 605. 19
anna Vladislai Hungarorũ regis f. nupta Ferdinando 607. 10 612. 13
anna Vladislai regis filia Maximiliano desponsata 612. 50 & 616. 23 & 629. 16. inde
anna f. Francisci ducis Britanniæ uxor Maximiliani 612. 42
Annenius Myzisius Imperator à militibus creatus 194. 34
anna Faustina uxor M. Antonini Pij Imperatoris 57. 51. 60. 14
annius Verus ab Antonino Pio adoptatur 55. 38. pater Marci Antoniũ Imperatoris 58. 26
annius Cornicula, fingit 96. 16
P. Annius Tapitus Imperator describitur 99. 35. inde
M. Annius Florianus Imperator describitur 99. 36
Annius Antoninus. Vide Antoninus Pius
annius ordinatur à Iulio Cæsare 4. 41. 9. 40
Annius M. urbis conditæ 87. 1
annius à C. Cæsare urbe condita, à Gothis capta, natiuitate saluatoris 165. 5
anni à Christo 191. 14.
Anshelmus Mediolanensis episcop. Imperatori rebellis 230. 57. 389. 25
anshelmus Baro de Rapolstein 443. 53
anscarius Marchio Eporregiæ 276. 17
ansgarda uxor Ludouici Balbi 260. 23
anthemius gener Martiani Imp. 161. 34
anthemius Imperator 163. 50 & 164. 22
anthemij monasterium ædificatum 237. 53.
anthirius fl. 600. 19
antimachus Homero præfertur 54. 53
antiochia expugnata 543. 22
antiochẽses odio habuit Adrianus Imperator 54. 43 ijdem puniũtur 69. 13 ob deiectam statuam Flacillæ 147. 28
antonia minor nunquam exisse dicitur 20. 15
antonia f. Claudij recusans nuptias Neronis, occiditur 27. 22
antonina Belissarij coniunx 177. 39
M. Antonius post mortem Cæsaris populo cõquestus 5. 33
antoninus Pius adoptatur in successorem imperij 55. 36. Imp. describitur 56. 29 inde
Antoninus f. maior Seueri Imp. in bellum contra Barbaros educitur 70. 31
antoninus Baßianus Caracalla Imp. describitur 71. 30. inde
ad Antoninum Varium milites deficiunt 75. 4
M. Antoninus Varius Imperator describitur 76.
M. Antonius amicitia iunctus cum Octauiano Cæsare 8. 2 Idem ab Octauiano uincitur & extinguitur ibid. 19
M. Antonius Augusto reconciliatur 10. 47
antonius propugnator fortis Vespasiani 35. 9
cum L. Antonio Saturnino bellum

bellum ciuile 43.32
antonius Studetus patriarcha 311.12
Aphrica Roman. Imper. restituta per Heraclium Imperatorem 191.7
apocalypsis bestia duo cornua habens 535.23
apodemius percussor Galli Imp. 123.24
apollinaris contra Iulianum apostatam scripsit 130.42
apollinaris conscius cædis Antonini Caracallæ 73.22
apollodorus Pergamenus præceptor Octauij Augusti 10.35
appollonia Epiri urbs 7.14
ex Apollonia in Macedoniam uia 600.10
apollonius Chaledonius Stoicus Phil. præceptor Marci Antonini Imperatoris 58.36.
appollonij Tyanei patria 98.36
apothaps Hispanorum dux 235.16
apronianus Dionis pater 53.42
apsimarus Tiberius imperio potitus 198.34. inde fugiens capitur à Iustiniano 199.25
Aquam Claudiam introduxit Romam Claudius 21.31
aquileia euersa 158.29
aquileias Pannoniorum tyrannus à Ludouico Pio uictus 230.49
aquilinus centurio missus ad occidendum Seuerum 66 42
aquisgrani basilica & sepultura Caroli Magni 217.42 ossa Caroli Magni 219.19 palatium regis factum est stabulum equorum à Normannis 261.46
aquisgranum urbs 431.52 obsessum à Carolo Caluo 240.4
aquitani prouincijs Romanis coniunguntur 8.46
aquitanicum bellum per Carolum Magnum 218.5
Ara Decij 89.15
arabes à Persis ablati 187.31 pro pace Romanis tributum pendentes sub Iustiniano tertio 196.37. inde grassantes contra Roman. imperante Theophilo 238.1. inde armati arcis inclusi occisi sunt 335.25
arabum equos primo impetu esse ueloces 367.47
cum Arabibus bellum Constantini, filij Leonis quarti Imperatoris 214.18. inde
arabiã Mahometus obtinet 191.9
arabiæ pars ad Petram uergens Rom. imperio subijcitur 49.31
arabo fl. 218.53
aracunculus morbus 288.2
aradaburius consularis dux contra Persas 154.2. inde
aradianes in Aphrica duello sternitur 101.40
aragisius Beneuentanus dux subactus à Carolo Magno 218.39
araricus Rogus Gothicus rex factus 175.21
arbanus regio 600.15
arbitio deserto Arbogasto ad Theodosium se confert 146.31
arbogastus Alanorum præfectus Valentinianum Imperatorem strangulat 144.1 146. inde
arbores media hyeme efflоruerunt 431.39
arcadius consors imperij factus 145.38 Imperator describitur 148. inde
arcadij parentes 139.50
statua, in columna Xerolophij, lapsa est 207.25
arcadiopolis in Thracia condita 152.20
archelaus rex Cappado à Nerone detinetur 14.47
archelaus dux contra Persas 179.2
archimedis inuẽtiones 169.51
archottus rex Turcorum Virogrissæ successor 536.51
ardaburis cubicularius insidiarum socius 172.25
ardaburius Persarum duces interimit 154.8
ardamanes dux Persarũ contra Rom. 178.52
ardaricus Ostrogothorum rex 157.53. inde
areobindas magister militum 154.10
areobindus Olybrij socer dux contra Persas 171.11
arethas Aethiopum rex contra Persas 178.48
aretinus Clemens à Domitiano occiditur 44.5
argentina f. Opicini, uxor Theodori Palæologi 517.49
argentina urbs 431.48 obsessa 437.51 eius suburbia incendijs deformata 411.52
argentinenses diuisi 461.15
argius dispensator corpus Galbæ Imperatoris sepelit 30.45
argunthis rex Scytharum finitima regna uastat 85.27
ariadne f. Odoacri regis Gothorum 165.33. inde
ariebes Armenus 380.4.
arintheus legatus 136.25 Parthos Armenia repellit 140.10
aristo dux contra Anastasium Cæs. 169.35
aristocratia cõmendata 1.21
armatius dux 166.41 prætor factus interficitur 168.2
in Armeniam expeditio Neruæ Imp. 49.51
armenij à Persis ablati 187.31 arma mouentes uicti à Constantino filio Leonis quarti Imperatoris 214.25
arnoldus Malus cum exercitu contra Henricum Aucupem Imperatorem 294.4
arnoldus Cancellarius Colonienſis 394.12
arnoldus Sabinensis episcopus 455.6
arnoldus princeps Treuerensis 431.45
arnolphus Malus dux Bauariæ rebellis Conrado Imp. 292.44
arnulphus Malus fil. Arnulphi Cæsaris 272.36 per tumultum rex Italiæ acclamatus 281.2
arnulphus f. naturalis Carolomanni rex et Cæsar electus 263.9 Cæsar in Occidẽte describitur 269.24. inde contra Guidonem Arnulphũ iuuat 275.36. inde
arnulphus comes 387.51
aron Arabum dux, contra Rom. 213.47
arria fatidilla mater Antonini Pij 56.32
arriana hæresis defenditur 138.11
contra arrianam hæresim Themistij Phil. oratio 140.6 Valentiniani epistola ad Valentẽ frat. Imp. 140.7
arriani expelluntur 172.42
arricidia prima uxor Titi Vespas. 42.28
arrius Antoninus quomodo Imperatori Neruæ gratuletur 45.24 auus maternus Antonini Pij 56.32
arrius Aper imperium affectans, generum occidit 104.50

arſaci regi Armeniæ fido, auxilium à Romanis uetitũ. 134. 4
arſenius olim præceptor Arcadij Imp. 148. 9
artabanus rex Parthorum fugatur à Seuero Imp. 70. 7
artaxerxes Perſarũ rex uincitur 79. 4
artemidorus admonet Iulium Cæſarem ante mortem 5. 22
ab Artemione duce Iudæo clades Aegypto ac Cypro illata 51. 12
artes fouentur 38. 53. honorantur 48. 18. & 25
artibus ſalaria inſtituuntur 78. 41
arthabanus, dum putat nuptias expeti filiæ, penè occiſus eſt 73. 10
cum Arthabano fœdus init Macrinus Imperat. 74. 28
arthabaſdus Byzantij tyrannidem aggreſſus oculis priuatus 208. 39. inde
arthabeſtes Armeniorũ rex 91. 52
arthemius Philippicum regno expellens 201. 35. inde
arula Heluetiorum flumen 449. 3
aſaracus nauarchus contra Agarenos 254. 13
aſculanus ager uaſtatus 424. 9
aſciburgium urbs 431. 51
aſclepiodotus præf. præto. Alectum ſuperat 107. 33
aſia ad Helleſpontum uſq; à Turcis ſubiugata 537. 2
aſiatici quales 579. 14
aſiaticus libertus libidinoſus amatus à Vitellio Imp. 34. 40
aſpar Ardaburij filius Iohãnem tyrannum captum occidit 154. 27
aſſembeccorum familia in Aſia 538. 12 inde
aſſenbeccus Haſuncaſon Tãberlani ſucceſſor 544. 11
de Aſſertionibus leges nouæ rogatæ à Marco Antonino 59. 33
Aſſyria à Perſis occupata 187. 28
aſſyriæ magna pars à Nerua Imperat. ſubigitur 50. 22
atalarichus rex Geuitugiorum in fugam uerſus 140. 20. inde
atalaricus filius & ſucceſſor Theoderici regis et Amalaſunthæ 173. 8 inde
atanarichus rex Gothorum à Theodoſio excipitur 145. 26
ataulphus rex Gothorum electus 150. 15. inde
atauorum inſula 262. 21
athanaſius Magnus Alexandriæ reſtituitur 134. 24
athemis Byzantius, dux contra Scythas 94. 34
athenais, quæ poſt Eudoxia, uxor Theodoſij Imperatoris 156. 13
athenodorus tyrannus Ciliciæ, pœnas dat 170. 42
athinus dux Sarracenorum 204. 51. inde
attalus Rom. Imperatoris titulo ſumpto deportatur 152. 27. inde
attianus municeps & procurator Cæſaris 52. 6
attica à Baſaite Turco occupata 542. 8
atticus Veſtinus propter uxorem à Nerone trucidatur 27. 26
atticus epiſcopus Conſtant. Eudoxiam baptizat 155. 33
attila Hunnorum rex 157. 27. inde. eius finis 161. 20
auar Hungaricè, ſuperior Pannonia 219. 6
auares ijdem qui Hunni 183. 33
auaricum bellum cum Carolo Magno 218. 51
auaricia nihil deteſtabilius, præſertim in principe 184. 40
de Auctionibus leges nouæ rogatæ à Marco Antonino 59. 34
audientius præfectus Imperium abnuit 74. 22
aufidius Victorinus dux contra Cattos mittitur 59. 21
augeum monaſterium prope Conſtantiam 263. 14
S. Auguſtini oſſa Papiæ 207. 32
auguſti ædes in Tarracone reſtitutæ 54. 37
auguſtulus adhuc puer Imperator effectus 164. 46
auguſtus menſis appellatus Commodus 62. 49
aulonis lacus 600. 13
aulus Vitellius, uide Vitellius
auidius Caßius rebellat Imperatori 60. 40
auitus Patricius Imperator 162. 7. inde
aurelia mater C. Iulij Cæſ. 3. 19
aurelianus Cæſar electus 97. 31. idem deſcribitur 98. inde
T. Aurelius Fuluius pater Antonini Pij 56. 30
L. Aurelius Commodus Verus à fratre in conſortium Imperij aſſumitur 59. 8
M. Aurelius Antoninus Imp. deſcribitur 71. 30 inde
aurelius Philippus præceptor Alexãdri Imp. 78. 20
aurelius Ambroſius Romanus 165. 14
aureoli pons circa Mediolanum 93. 20
aureolus in Illyrico Imperium ſumpſit 93. 13. occiſus ibidem. 20. tyrannus interficitur 97. 16
auſcarius Eporregiæ comes latet 272. 4
auſcatius Eporregiæ marchio occiſus 281. 7
Auſonius præceptor Gratiani Imperatoris 141. 34. eius epigramma de Valentiniano & Gratiano 138. 48
auſtria à Friderico ſecundo aucta 425. 52. Romani Imperij cor & clypeus appellata 425. 53. rapinis ab Vngaris uaſtatur 428. 46. eiuſdem quatuor campi 437. 45
in Auſtria hominum tertia pars per peſtem ſublata 613. 8
ex Auſtria multi Imperatores prouenerunt 426. 1
azanea regio à Romanis uaſtata 154. 4
baanes Heptadamanus Armeniam Agarenis prodidit 198. 39
baba Othonis ducis filia nomen dedit Babenbergæ ciuitati 293. 49
babenbergenſis epiſcopatus erectus 325. 42
bactra occupantur à Nerua Imperatore 50. 14
bactriani Romanis auxilia polliciti 92. 1
badiula iuuenis rex Gothorum factus 175. 23
badomarius potentiſſimus rex Germanorum captus 127. 26
baianus filius Simeonis Bulgarorum principis, magus 285. 51
baiazethus ſecundus Othomannus, nouus Turcorum Cæſar deſcribitur 566. inde
baioaricum bellum cum Carolo Magno 218. 40
balbinus Imperator contra Maximinum eligitur 81. 52. deſcribitur, inde & 83. 7
balduinus ſecundus, undecimus comes Cleuenſis 272. 44
balduinus Hieroſolymorũ rex 395. 32
balduinus Flandrẽſis comes 401. 6. 415. 24
balduinus ſecundus Cæſar 418. 20. filium ſuum Philippum, ob mutuũ Venetis obſidem dedit 419. 6
balduinus de Lucelburg Treuerenſis epiſcopus 472. 9

baldus contra Iustiniani edictum 176.26
Baliſta cum exercitu Odenato auxilium fert 92. 24. præfectus Valeriani 92. 48. Macriani præfectus 93. 24
balthicum mare 440.24
baptizatus iam uir Theodoſius, licet Chriſtianis parentibus ortus 145.22
baram copiarum Perſicarũ dux 182.34. inde
barbara imperatrix uxor Sigiſmundi Cæſaris alteras nuptias meditata 496. 25. 497. 48
barbara regina uidua Sigiſmundi Cæſ. uicta 500.42
barbari Meſopotamiam diripiunt 365. 42.
bardas auunculus Michaëlis Cæſ. 243. 53. inde
bardas Phocas in Oriente contra Agarenos 291. 26 rebellis 311. 19
bardas Durus dux cõtra Roxolanos 311. 51
bardas Sclerus Orientis prætor, imperium affectans 319. 13. inde
bardanes patricius ex duce monachus factus 222. 44
bardanes imperium affectãs 226. 10
bardenes dux à militibus rex creatus 200. 27
barnabas Belus legatus Vladislai regis Hungariæ 578. 21
barrabanus Perſarum rex Sarracenorum auxilium implorat 154. 5
barrus ciuitas in Lambardia à Sarracenis occupata 253. 22
bartolus contra Iuſtiniani edictum 176. 26 cum Baldo contemptus 603. 21
baſartes Othomannus, Amurathis frater, quartus Turcorum rex 541. 41. inde
baſilea urbs 431. 48 obſidione cincta 438. 15 ab Vngarijs incendio uaſtata 292. 51
Baſilienſes ciues duas factiones habebant 437. 23
baſilienſe concilium 494. 39. inde
baſilicinus laudatus & rex pronunciatus 246. 50
baſilina uxor Conſtantij, fratris Conſtantini magni 126. 38
baſiliſcus affinis Leonis primi Imperatoris præfectus claſsis 162. 42. patricius 164. 8. inde in regali ſolio locatus 166. 22. inde
baſilitzes dilectus ab Alexandro Cæſare 268. 47 rector, curia electus 286. 6
baſilius Magnus, antiſtes Cappadociæ 138. 22
baſilius epiſcopus infantem ab ægritudine precibus liberat 141. 15
baſilius f. Leonis Cæſ. caſtratus 229. 4
baſilius Macedo equorum domitor, ſtabularijs præpoſitus & Protoſtrator 246. 30 Cæſar Orientis deſcribitur 250. inde
baſilius f. Romani Iunioris corona imperij inſignitus 304. 15 conſors imperij 310. 42 Imperator Græciæ deſcribitur 318. 36. inde
baſilius ex præſidente cubicularius 310. 46
baſilius Scamandrenus, ex monacho patriarcha 311. 9
baſilius quidam, Bogomilorum hæreſis præco 380. 26 quot annos hæreſim ſuam docuerit ibid. 28. inde
baſſa dux Turcicus per alpes irruens 549. 48 inde
baßiani Antonini nuptiæ et acta quædam 70. 21. inde
baſtarnæ pop. in ſolum Romanum conſtituti 102. 34
baſtarnæ ad concordiam rediguntur 8. 49
bauaria ſuperior igne deuaſtata 461. 41
bauarorum bellum Ruperti Palatini cũ Maximiliano 606. 36
baugaridarum in Gallia tumultus 106. 53
Beatrix Reginaldi comitis filia, Friderici primi uxor 407. 9
beatrix abbatiſſa in Quitelburg 407. 2
beatrix comitiſſa Hannoniæ 451. 4
beatrix regina Hungariæ 605. 35
bebius Macrinus præceptor Alexandri Imperatoris 78. 21
beda in Anglia multæ eruditionis 217. 25
bedirina Illyrica ciuitas poſt Iuſtiniana dicta 173. 36
beglerbeghi magiſtratus Turcicus 580. 8
bela Hungariæ rex 429. 3
belgradum recentioribus Alba bulgarica 548. 18 à Turcis oppugnatum fruſtrà 549. 5
belgradum, arx obſeſſa 159. 47
belgradum oppidum ſuperioris Myſiæ 596. 4
belimer Galliarum rector 164. 27
beliſſarius dux belli contra Perſas 173. 44 inde
belloſus regum rex 91. 52
bellum nulli ſine iuſtis cauſis inferendum 8. 50
benedictus decimustertius cognominatus Petrus Luna 493. 2
beneuentum oppidum à Conſtante obſeſſum 947. à Sarracenis oppugnatum 247. 46
beneuentani ſubacti à Carolo Magno 218. 39
beneuolus quæſtor Arrianus approbare recuſat 143. 27
bentiuolorum & Maluitiorum factio 423. 50
berchtolſdorff caſtrũ 450. 6
berengarius auxilium impetrauit ab Arnulpho Cæſ. 271. 9 inde Cæſar deſcribitur 274. 40. inde
berengarius ſecundus Adalberti Eporregiæ Marchionis filius Italiam inuadit 281. 12. inde
berenguela Alphonſi X filia 436. 5
berenice regina amatur à Tito Veſpaſiano 41. 20
berina Auguſta 164. 10
berina uxor Odoacri regis Gothorum 165. 33
berittus urbs Phœniciæ concidit 178. 8
berna tributaria facta 437. 52
bernardus Longobardorum rex 230. 3 Imperatori rebellis 230. 22
bernardus Hiſpanus cubicularius & præfectus palatij apud Ludonicum Pium Imp. 231. 9
bernardus Marchio bellum renouat 260. 11
bernhardus filius Caroli Craſſi 263. 13
D. Bernardus abbas Clarevalenſis 389. 45 Galliam peragrat 393. 23
bernhardus de Anhalt 406. 21
bernhardus Carinthiæ dux 422. 24
bernhardus Carẽtaniæ dux 43. 73
bernardus de Hohenberg 440. 9
bernardo Auernorum comiti Ludouicus Balbus puer commiſſus 260. 13
beroë ciuitas ſolo æquata 214. 10

Bertha filia Heraclij, mater Caroli Magni 216.45
Bertha filia Caroli Magni 220.29
Bertha mater Caroli Magni 220.43
Bertha filia Arnulphi Cæsaris uxor Luthardi comitis 272.42
Bertha Alberti comitis uxor 276.48
Bertha filia Burchardi ducis Sueuorũ, uxor Rodulphi 280.13
Bertha uidua, Lotharij Cæsaris, uxor Hugonis regis Italiæ 280.30
Bertha spuria Hugonis Cõstimo desponsanda 280.44
Bertha filia Ottonis marchionis, uxor Henrici quarti Imp. 357.52
Bertha Marchionissa Italiæ 384.34
Bertoldus comes factiosus 351.4 inde
Bertholdus dux Zaringiæ 405.13 & 441.35
Bertholdus patriarcha Aquileiensis 422.22
Bertholdo ducatus Bauariæ datus 297.26
Besi à Turcis subacti 541.13
Bibliothecæ ordinantur à Nerua 49.40. à Domitiano 43.25
Biorgus Alanorum rex. 163.34
Bisantium à Vespasiano in prouinciam redigitur 37.46. quo augurio et quo modo à Constantino reparatum 118.11. inde
Bizabda à Persis euicta 123.47
Blacherius templum Mariæ condidit 151.39
Blanca regina Frãciæ. 447.49
Blanca Comitissa Valesij 480.18
Blemij oculos in pectore gerentes 102.29
Blickersperg oppidum imperiale 469.29
Bœditzis proditor Amorij oppidi 239.6
boemanicum bellum cum Carolo Magno 219.14
boemi Bauariã ingressi. 389.39
cum Boemis bellum Caroli Magni 220.7. Henrici tertij Imper. 447.46
boemundus filius Roberti Franci 380.52. eius dolus ne caperetur. 381.6
boetius uir consularis à Theoderico Arriano occisus 173.1
bohemia imperio subiugata 325.26
bohemiæ rex pincerna imperij 317.27
bœoba Turcis subiecta 547.52. à Basaite Turco occupata 542.8
bogomilorum hæresis quo tempore exorta 380.25
boronia Procilla auia materna Antonini Pij 56.34
bostlabus Scytha profugus & latro insignis 344.3 inde
bolizlaus rex Bohemiæ, subiugatus imperio 325.26
Bona, Mediolanensium & Barri ducis filia, nupta regi Poloniæ 608.33
bonifacius à Romanis deficiens 153.5. præfectus Aphricæ 159.3
bonifacius primus papa Romæ 187.15
bonifacius Moguntinensis archiepiscopus, Fuldensis cœnobij conditor 211.12 Pipinum regem unxit 216.27
bonifacius Marchio de Mõteferrato 401.6
bonifacius V Papa 538.38
de bonis maternis uide Maternis
bononia studio priuatur & Paduã transfertur 424.17
bonosus iuxta Agrippinam imperium arripiens 102.48
borises dux Bulgarorum Pag. 311.46
borsias Estensis Marchio, creatus dux Mutinæ & Rhegij 506.36
borysthenes equus Adriani 53.21
bos locus 188.49
boso gener Ludouici secundi Imperatoris 249.13. prouinciæ rex contra Ludouicum & Carolomannum 260.29. dux Papiensium et rex Prouinciæ factus 274.52
boso episc. Placentinus spurius Hugonis 280.43
Bracilias comes occisus 165.20
braillouum oppidum 598.53
brandenburgensis marchio, Camerarius Imperij nuncupatus 317.26
brefouia oppidum Transsyluaniæ 598.34
brilagum oppidum. 598.53
bringæ Iosepho cura et administratio imperij committitur 304.14. inde
brisacum urbs 431.49
britanni antea Romanis ignoti, à Iulio Cæs. oppugnati 4.20. nomen & patriam perdunt 157.7
britannia ad deditionem cogitur à Claudio 21.20. subacta 472.22.
britanniæ post decennium receptæ 107.19 inde
in Britannia murus per octingenta milia passuũ ducitur 54.33
britannicum bellum sub M. Antonino Imperat. 59.20
britannicus filius Cl. Tib. Neronis 23.15. & 34. necatur 25.41
britannion in Pannonia imperium sibi uendicat 121.34
britones in ordinem redacti à Carolo Magno 218.35. à Ludouico Pio Imp. subacti 230.47
brixia domita 454.36
apud Bructeros Romani cæsi 9.21
brugenses Maximilianum ceperunt 604.50. inde
brunnum Morauiæ oppidũ 487.7
bruno dux cum exercitu inundatione perijt 274.21
bruno dux f. Othonis 293.48
bruno Tullensis antistes fit Papa 349.4
brusca Alsatiæ fluuius. 461.13
M. Brutus interfector Iulij Cæsaris 5.21
bryennius illustris, dux Macedonicarum copiarum 359.25
buda regia Hungariæ urbs 492.6. 598.22. regni Hungarici metropolis 605.32
budæ exercitus tumultus inter Germanos et Hungaros 500.26
bugaridarũ in Gallia tumultus 106.53
bulgari populi in Illyricum & Thraciam incursiones faciunt 170.14. laceßiti Iustinianum tertium Imp. in angustias redigũt. 197.13 prædantes Sarracenos ulciscuntur 205.10 odio Constantini nouum regem faciunt 210.35. in Thracia grassati sub Michaele Rãcobi Imp. 224.22. sub Leone Cæsare 227.25. Christiani facti 243.18. inde ob legatos ab Alexandro contẽptos oppugnãt Rom. 269.14. tributarij 324.26
bulgarorum cum Constantino Barbato bellum & fœdus 195.38. cum Constantino Porphyrogenito 285.43. inde cum Leone quinto Cæs. 266.20. inde contra Constantinum Porphyrogenitum Imperatorem 286.7. inde cum Romano Argyro Imperatore.

332.3 inde cum Constã tino f. Leonis quarti Imperatoris 214.16
contra Bulgaros, Nicephorus uenit 222. 7
bulosydes princeps Turcarum ad fidem conuersus 291. 6.
bunna urbs 431. 51
burchardus sueuorum dux socer Rodulphi 280. 12
alemanniæ dux contra Albertum 281.50. inde rebellis Hẽrico aucupi Imp. 294. 26
burgouia obsessa 463. 25
burgundiones à Valentiniano Imperat. opprimuntur 138. 48
burrus Militiæ princeps 23. 35
bustris urbs prope Thebas euertitur 107. 12
byzantium à Sarracenis obsessum 205. 1. descriptum & captum à Turcis 521. 41
bysuntina Burgundiæ urbs 438. 7

C

Cachanus Auarum rex primum benignus, deinde perfidus in Iustinianum 189 51 inde
cæsarea in Cappadocia, olim Mazara 14. 48
cæsarea regina Persarum Cõstantinopoli baptizata 193. 23.
cæsares unde dicti 3. 8
cæsarum primus Christianus 87. 23. familia defecit 27. 38. familiæ typus ac series 28
cæsonia quinta Caligulæ uxor maximè adamata 19. 27
caiacusinus Patricius Constantinopoli Imper. 540. 44.
caimus comes Ruffini bellum Arcadio mouens 151. 21 inde
caius nepos Augusti 11. 10
caij priuigni Neronis natiuitas & mors 16. 7
caij Caligulæ cæsaris natiuitas 16.18. eiusdem descriptio 17 inde
calabria unde dicta 375. 23
calapinus quintus Turcorũ rex 544.22 inde
calapinus Amurathi filius, frater Mahometi Secundi 558.4 inde
calibassa gubernator imperij Turcici, ac tutor Mahometi secundi 557.12 inde
caligæ antiquitus calciamenti genus 17.23
caligares claui 17.25
C. Caligula Suetonium carpebat 503.43
calis portus 472.40
calixtus pontifex 387.18 560.35 eius mors 387. 49
callinicus patriarcha 198.2
callinicus faber ignem humectum reperit 205. 27
callipolis oppidum captum à Turco 541.11
caloioannes cæsar 394. 43
carloioannes dictus ibidem 44 Turcos et Persas uicit 394. 52. quot annos rexerit 395.35 eius bella multa contra barbaros ibidem. 36 eius fœdus cũ Conrado Rõ. rege 395. 20. mors 395.39
calor fluuius 194.8
calphurnia, quarta Iulij cæsaris uxor 6.2
M. Calphurnius bibulo consul 4.8
calphurnius Agricola dux contra Britannos 59. 22
caluina Iunia Italia pellitur 23.32
caluisius Tullus auus maternus Marci Antonini Imp. 58.28
campania uastatur 159. 43. deficiens à Ludouico secundo Imp. 248. 4
camparta naues Sarracenicæ 253.53
campi liliorum, cœnobium in Austria 504.21
candauia uia 690.10
candelori 538. 12
canes duo magni Lacapeno Imper. donati 280.50
canopi, templum subuersum 147.2
cantabri latrones oppressi 8.38
capellianus contra Gordianum profectus, filium eius occidit 81.48
caphata Genuensium olim colonia 543.27
capito Fonteius legatus in Germania 29.26
capitolium Rom. incenditur 35.19 restituitur 37. 50
capitolinorum agonum author 43.17
cappadocia in prouinciam à Nerone uertitur 14. 48 eidem consularis rector datur 37.48
capua euertitur 159. 44 rebellis Ludouico secundo Imper. 248.10. à Soldano obsessa 253.40 solo æquata 429.39
caracolla Imperator describitur 71.30 inde
caramannus Ciliciæ rex cõtra Turcos 551.27. 567. 24
caramanni 538.12
carambus dux Phrygiæ 551 16
caransius in Britannia bellum mouet 107.19 inde
carbonopsia Zoe quarta uxor Leonis quinti Imperatoris 264.53
cardanus dux Bulgarorum 214.16 inde
carinus Cæsar nuncupatus ad Gallias tuendas mittitur 104.17. describitur 105.11
caritas annonæ sub Tiberio Cæs. 181.37
carnuntum ubi 69.50
caro Asinina comesta 397. 17
carolomannus frater Caroli Magni 217.15
carolomannus Bauariæ rex 249.37 filius Ludouici Balbi 260. 25. 269. 36
carolus Magnus Rauennam Pontifici confirmat 180. 10 papæ donat 210, 23 Auares deuicit 213. 43 cæsar salutatus 215. 2. primus Germanorum Imperium adeptus 215. 46 inde cæsar describitur 216. 43 inde
carolus filius Caroli Magni regnum cum fratre diuidit 220. 7
carolus Caluus filius Ludouici Pij ex Iuditha 231. 13. inde & 249. 22. contra fratrem Lotharium 239.47 inde contra Normannos 240. 45 inde Imperator describitur 256 inde
carolus Lotharij Imperatoris filius 241.2
carolus Iunior seu Crassus filius Ludouici senioris post Imp. 249.39 tutor Caroli simplicis 260. 30. Imperator describitur 261. 26 inde
carolus f. Caroli Calui Aquitaniæ rex 258. 22
carolus Simplex Posthumus 260. 40 inde regno restitui petit 271. 5. oppressus à Ruberto 294. 33
cum Carolo Francorum rege bellum Arnulphi Cæs. 271.17
carolus frater Lotharij regis Francorum dux Lotharingiæ fit 314. 32 ad regnum Franciæ capessendum ueniens 326. 41 inde
carolus comes Flãdriæ 388. 52
carolus dux Calabriæ 450. 38
carolus Hũgariæ rex 464 5. 469.18
carolus Andegauẽsis comes 428.30
carolus Quartus 474.1 in baptismate Vuenceslaus dictus ibidem 2. eiusdem genealogia 474 uxores quatuor 480. 16
carolus Burgũdiæ dux. 604 1 inde
carolus octauus, Ludouici regis Franciæ filius 604 30 Francorum rex contra

tra maximilianũ 606.32
Carolus Cæſar, filius Philippi Cæſaris 607.6
Carolus nepos Maximiliani legitimè coronatus & deſignatus rex Romanorum 611.40
Caroſa filius Conſtantij Imperatoris 126.15 Caroſæ thermæ ibid.
Carthago reſtituta 174. 22
Carus cæſar deſcribitur 104 inde.
caſia pulchritudine et facundia inſignis monialis facta 236.28
S. Caſimirus ſ. Caſimiri regis Poloniæ ex Elizabetha 511.24
Caſimirus marchio Brandeburgenſis 608.37
Caſpar Slichus trium Cæſarum magiſter epiſtolarũ, legatus ad Bohemos 500.28
Caſſianus dux Meſopotamiæ, Romano exercitui cibos adfert 134.13
C. Caſſius interfector Iulij Cæſaris 5.21
Caſſius Labienus Poſthumus ad imperium uocatus 93. 39. inde.
Caſſius rebellat. uide, Auidius Caſſ.
caſtel uilla 481.52
caſtellum S. Angeli Romæ 317.7
Caſtin⁹ Schytha militiæ præfectus contra Vandalos et cætera 153.4 Iohannem ad imperium promouet 154.21
caſtoria expugnatur 379.7
caſtra Tamberlani quomodo ordinata 543.31
caſtrametandi modus turcorum 584.11
catalaunici campi 157.42 inde
Catalon Nicephori phordæ filius 378.11
Cato Ciceroni præfertur. 54.52.
Catharina Rodolphi Cæſaris filia 442.7
Catharina Sabaudiæ comitis filia 449.49
Catharina filia Eduardi regis Portugalliæ 505.17
Catharina poſthuma Philippi regis, uxor Ioannis Friderici ducis Saxoniæ 607.16
Catti delentur 8.47. in Germaniam ac Rhetiam irruperant 59.21. Romanos duces uincunt 43.29
cauci populi Germ. 9.27
Cecaumenus Catatalon Antiochiæ præfectus, dux fortiſſimus 336.20 358.51 inde
Cecilius Saluſtio præfertur 54.53
Cecinna dux à Vitellio ad Veſpaſianum deficit 35.10
à Cecinna ad cœnam uocatus conficitur 41.17
Cegenes dux Patzinacarum 344.50
Ceronius Commodus Verus adoptatur in ſucceſſorem imperij, & moritur 55.30
L. Ceronius, Aelius, Commodus, Verus, Antoninus. uide L. Veri
Celeb populorum uictor 546.42
Celerianus ſatelles Vitalliani 172.38
Celer, ordinum præfectus, dux contra Perſas 171. 12
Celius Tacianus tutor Adriani Imperatoris 53.11
Celſus uir conſularis ob inſidias uita mulctatur 54.9
Celſus C. conſiliarius Adriani Imperatoris 55.14
Celſus Imperator in Africa appellatus 95.27
Celſo poetæ ſtatua ponitur 48.20
Cenis Antoniæ liberta adamatur à Veſpaſiano 39. 33
centenaria porticus Romæ exuſta 87.12
cercuſium oppidum 129.13
cete ingens Byſantij captum 177.42
Chabata natio 288.35
Chadaium oppidum 444. 51
Chaganus princeps Auarũ, fabris à Tiberio petitis abuſus 181 29 dux Hunnorum 183.33 inde Thrax Hunnorũ rex 187.35 fœdifragus 189.27 inde. & 190.29 inde 10.
Chalcedonis mœnia ſolo æquata 137.22
Chalcedonenſe conciliũ confirmatum 169.15 172.39
Chalcidis urbis in Eubœa inſula expugnatio 562. 36
chalibaſſa ſeu chalis 557. 21. inde
Chamedas Turcorum dux contra imperatorem 304. 31. inde.
Charitas ſeu Charitia filia Tiberij Cæſaris 181. 48.
Charitis uxor Iuuiani Imperatoris 135.6
Caroſa filia Valentiniani Imperatoris 139.51
Charoſæ Thermæ ibid.
charſij porta 376.7
chartularius quid 205.36
Cherea præfectus arcis interfectus 235.7
in Cherſoneſo crudeliter ſæuitum 199.43
Cheruſci populi Germaniæ 927
Childepertus Francorum rex muneribus ſollicitatur contra Longobardos 183.26
chius inſula 379.26
chonas à Barbaris capta 368.40
chorarches quid 227.21
choreæ principum ac regum Viennæ, deſcriptæ 628.27 inde & 632. 25
choroleates quid 227.11
chroßia amnis 598.24
Chriſtianus Moguntinus archiepiſcopus 405.49
Chriſtiana Daciæ regis filia 435.48
chriſtiani perſecutionem patiuntur. 89.22 cœperunt præfici gubernationib. politicis 116.46 ſcholis excluduntur 131.17 die feſto pugnare nolunt 149.32
chriſtianorum Deus colendus decernitur 115.41. nonaginta milia occiſa 189. 52
chriſtianis parentibus ortus & in religione inſtitutus, in ſenectute baptizatus Theodoſius 145.28
chriſtianam legem gladio uti prohibere 129.10 & 131.21
Chriſtiernus rex Daciæ. 607.12
de Chriſti duplici natura, falſa doctrina 169.11
Chriſti duas naturas, & ex ijs diuinitatem neque mortuam neque paſſam 170. 24.
Chriſti imago lancea ſuffoſſa 215.35
Chriſtophorus filius Conſtantini Copronymi 211. 10 & 241. 24
Chriſtophorus dux contra Agarenos 252.14
Chriſtophorus filius Romani Lacapeni magnus Hetteriarches, obſes 287.6 Cæſar coronatus 288.8 inde.
Chriſtophorus Bauariæ dux, poſt Daciæ rex 500. 48
Chrumnus rex Bulgarorum 222.10 pacem petit à Michaele Imperatore 224. 27
chryſargiron tributum 168. 51
Chryſochir dux Agarenorum 252.17 inde
Chryſophilus eunuchus Imperatoris facilitate abuſus 156.25
Chryſoſtomus ob admonitionem Arcadij exulat 151. 44 eiuſdem libri combuſti 214.46
Chunegundis regis Anglorũ filia, uxor Henrici III Imperatoris 350.12
Chunradus archiepiſcopus Herbipolenſis 409.46
Chunradus archiepiſcopus Moguntinus 409.46
Chunradus Cæſar, Frederici II filius 429.12
Chunradus uicedominus in Rudesheim 433.50

chunradus Salisburgẽſis antiſtes 448. 15.
chunradus Peutingerus Auguſtenſium archigrammatæus 603.41
Cicero primus pater patriæ 5. 11. eodem Cato præfertur 54. 52
cilicia à Veſpaſiano in prouinciam redigitur 37. 46. populata à Barbaris 365. 44
cilpericus Francorũ rex dona Tiberij Cæſ. accipit 180. 37
cimburga uxor Erneſti ducis 503. 49
cingani. pop. 233. 11
L. Cinna ab exilio reductus 5. 50
ciuicas Cærealis Aſiæ proconſul à Domitiano occiditur 44. 1
ciuile bellum Iulij Cæſaris 4. 28
ciuilia bella quinq; ab Octauiano confecta 7. 35
Clara Aemilia mater D. Iuliani Imp. 66. 2
clariſsimus uir ſacri palatij 169. 7
claudius nepos ſororis Auguſti 11. 20
claudij Imp. origo 11. 32
claudius Felix legionibus Iudææ præficitur. 21. 37
claudius maximus philoſophus 58. 39
Fl. Claudius Imp. deſcribitur 96. 36. inde
claudius de Batre duello congreſſus cum Maximiliano 606. 27
claudia Auguſti uxor 10. 48 intacta repudiatur ibid.
claudia uxor Criſpi mater Conſtantij Imp. 96. 45 Conſtãtia mater Conſtantij Imp. 109. 52
claudiani uerſus de Theodoſio 146. 25
clauis crucifixi Domini 294. 44
clemens ſeruus Agrippæ tumultum excitat 13. 33
clemens II papa, antè Suidegerus dictus 348. 39
clemens VI Rothomagenſis archiepiſcopus 470. 50
de Clemẽtia Neronis 24. 40
cleochanus Byzantius dux contra Scythas 94. 33
clephes Longobardorũ rex crudelis 180. 48
clodianus Cornicularius Domitianũ confoſſum contrucidat 44. 28
P. Clodius in muliebri habitu in ſacris Bonæ Deæ 5. 52
clodius Macrus legatus in Aphrica 29. 26
clodius Albinus ad Imperiũ aſpirat 68. 9
clodius Balbinus contra Maximinum Imperator eligitur 81. 52. deſcribitur, inde & 83
clodoueus Francorũ rex muneribus & honoribus ornatus 171. 2
ex Clua oppido iter uerſus Hun Fl. 599. 32
Cocceus Nerua Imp. deſcribitur 45. inde
coel rex Angliæ 112. 19
cœna Cæſaris, regũ & principum deſcripta 627. 49
in Cænomanos, expeditio Ludouici Balbi 259. 36
collegia multa Pragæ fundata 479. 25
colomannus Aulici Hungarorum regis frater 385. 1
colonia urbs 431. 48. ab Henrico V. Rom. Imp. obſidione cincta 384. 48
coloniæ Agrippinæ nomen inditum 23. 25
colonienſis archiep. archicancellarius Italiæ & electior factus 317. 21
coloſſus centum & ſeptem pedum altitudinis erectus 39. 3. in Rhodo deſtructus 193. 38. quo tempore corruerit 384. 17
columba aſſuefacta in aure paſci 533. 51. ſub nigra in triremi Diogenis Ro. capitur 368. 50
columbaria urbs 431. 49
columnienſium & Vrſinorum factio 423. 50
commentariorum Cæſaris VII libris, quis octauum addiderit 4. 24
commentiolus dux contra Sclauos 183. 50. inde
cometa uiſus 5. 37. ſex menſibus 26. 10. Item alius 170. 18. Lampadias interdiu 174. 3. alius 134. 20. 203. 40. 249. 8. 278. 40. 364. 53. 607. 20.
comitia imperij 605. 23. Vuormaciæ 606. 24. regum & principum Viennæ imperante Maximiliano 607. 50. Vuormatiæ ſexagintaduorum principum 612. 6
commagene à Veſpaſ. in prouinciã Imp. redigitur 37. 46
commodus f. Marci Antonini Cæſar conſtituitur 59. 53. Imp. deſcribitur 62. 12 inde
cõmodus Verus. Vide L. Aurelius Com. Item, uide Ceronius
comneni cognomine angeli dicti 400. 2
concilium Chalcedonenſe 166. 36. ſextum uniuerſale armis impugnatur 201. 21. Neconomicum 220. 45. Nicænum 213. 13 Lateranum 386. 11. Conſtantienſe 492. 43. Papienſe 493. 20 & 494. 36. Baſilienſe 494. 39 Lugdunenſe 516. 31
confluentia oppidũ 391. 44
congreſſus Cæſaris Maximiliani & trium regũ, Hungariæ, Poloniæ & Bohemiæ 616. inde
coniugiũ ſacerdotibus Græcis promiſſum 296. 7
cõiurati in Iulium Cæſarem 5 20
conon Imp. idem qui Leo Iſaurus 203. 26
conradinus Cõradi Cæſaris filius 430. 5 captus ſecuri percutitur 430. 31
conradus f. Conradi comitis Franconiæ diſcordia flagrans 247. 4 Cæſar deſcriptus 292. inde
conradus Saliquus Imperator deſcribitur 328. 20. inde
conradus f. Hẽrici IIII. Imperatoris 357. 53
conradus Marchio Brandeburgenſis 388. 38
conradus Tertius 391. 42. de eius laudibus rythmi 394. 34
cõradus princeps Colonienſis 431. 45
conradus de Vuinsberg 451. 39
conradus Salisburgenſis antiſtes 460. 22
conradus dux Glogonienſis 465. 22
conradus Vueſtphalus archiepiſcopus Pragẽſis 493. 50
conratum caſtellum 485. 11
conſiliorum neminem participem facit Nero 14. 23
conſpirationes in C. Caligulam 18. 40
conſpirationes ob tyrannidem motæ 63. 13
conſtans f. Conſtantini Magni Imp. 119. 4 deſcribitur 120. inde
conſtans in Anglia ex monacho Cæſar 151. 2. inde
conſtans f. Conſtantini Noui 192. 35 Cæſar deſcribitur 193. inde
conſtãtia uxor Licinij Imp. 110. 20 & 116. 39
conſtantia fil. Conſtantini Magni Imp. 119. 24. uxor Galli Imp. 123. 6
conſtantia Poſthuma uxor Gratiani Imp. 143. 9
conſtantia f. Tiberij Cæſ. nupta 181. 48
conſtantia Friderici II mater 420. 26
conſtantia Ludouici Haßiæ Landgrauij uxor 426. 42
conſtantia Germaniæ urbs inſignis 492. 35
conſtantina ſoror Claudij & Quintilli Imperatorũ 96. 43
conſtantina filia Tiberij Cæſaris 281. 28 uxor Mauritij Cæſ. 186. 29
conſtantinopolis quo augurio et quomodo cõdita 118. 11. inde deſcripta & capta à Turcis 521. 41 & 558. 25
conſtãtinopoli, ſeditio 174. 6 triclinium Iuſtinianeũ extructum 197. 23
conſtantinopolitanum, incendium 137. 50
conſtantinus Magnus Imp. natus 110. 15 deſcribitur 112. inde conſtan-

Constantinus II. F. Constantini Magni, Cæsar factus 117.37 de eodē 119.4. inde Imp. describitur 120 inde
Constantinus obscurus, ob nomē, imperium in Anglia assecutus 150.50 inde
Constantinus F. Mauritij Cæs. 186.30
Constantinus nouus F. et successor Heraclij Imp. 192. 23 inde
Constantinus IIII. Constantis f. consors imperij 194. 3. Cæsar describitur 195. 10 inde
Constantinus pontifex Ro. à Iustiniano minore accersitus 200.11
Constantinus Quintus natus 207.50 Idem Cæsar describitur 208. inde
Constātinus antestes Byzantij fustibus cæsus, & interemptus 210.38
Constantinus f. Leonis quarti 211.51 & 212. inde
Constantinus, ante Thomas dictus 233.51
Constantinus f. Basilij Cæs. 251.49 & 252.37 inde
Constantinus Septimus genitus 264.13
Constātinus Paphlagon eunuchus falso delatus 267. 49
Constantinus Andronici ducis f. Sammonactem capit 266.47 cubicularius creatus 268.15 cubicularius et excubitor ab exilio reductus 286.5
Constantinus Porphyrogenitus, Leonis ex Zoe fil. Imp. describitur 285. inde
Constantinus f. Romani Lacapeni Cæsar dictus 288. 9. inde
Constantinus eunuchus cubicularius 286.40
Constantinus & Romanus filij contra Romanum patrem rebelles 289.30 inde
Constantini Cæs. liber in bibliotheca Venetorum 290. 45
Constantinus f. Romani Iunioris 304.17 consors imperij 310.42. 328.39 Imperator Orientis describitur 324 inde
Constantinus Diogenes Sirmij dux, Bulgariæq; princeps contra Patzinacas pop. 324.24 inde
Constātinus Dalassenus 335. 1. inde
Constantinus frater Michaelis Cæs. dux Antiochiæ factus 335.20
Constantinus Monomachus Imperator describitur 341.40. inde
Constantinus Ducas Andronici Ducæ filius 363.24. Isacio Imperatori succedit ibidē 29 Ducitzes dictus forma diminutiua 363.39 tyrannidis inuasor 285.11 inde pius in Deū 363.40 consilio tardus ibidem 41 honoribus spoliatos restituit 363 513. quomodo puniuerit suos insidiatores 365.26 tres habuit filias 365.28
Constantinus Lichudes 362. 17 inde patriarcha mortuus 365.5
Constantinus VIII. & ultimus Orientis Imp. describitur 521.15 inde
Constātius Chlorus adoptatur Augustus 107.21 describitur inde 109.51
Constantinus pater Iuliani principis oritur 110.20
Constantius f. Constantini Magni Imp. 119.4. inde describitur 120 inde eius
Constantius frater Constantini magni 126.38
Constātius militiæ magister contra Gothos 150.46 ab Honorio ad liberādas Gallias missus 151.6 inde
Constantius Cæsar filius Eutropij 96.45
Conuiuium regale Hungariæ regis 621.26
Copos urbs iuxta Thebas euersa 207.12
Copronymus Constantinus unde dictus 208.8
Coranda sacerdos 484.51 ad Corbauiæ montes iter ex Varbosania 599.6
Corinthus urbs 562 30
Cornelia uxor Iulij Cæsaris 5.43
Cornelius Laco ignauus cōsiliarius Galbæ Imp. 29. 43
Cornelius Repētinus gener D. Iulij. Imp. 67.11
P. Cornelius Licinius Valerianus exercitui præficitur 88.23
Cornelius Tacitus historicus pater Imperatoris appellatur 100.18
Cornix è fastigio Capitolij græca uoce canit 47.41
Cosmas patricius cum exercitu in Calabriam 306.53
Cosmas monachus 374 22 patriarcha 383.12
Cosroes Persarum rex 182. 44 inde & 536.25 contemptor Imp. legatorum 189.23 inde
Cossutia à Cæsare repudiata 5.41
Cotrigori Scytharum generatio 180.2
Cottiæ Alpes 25.1
Crassus Calphurnius cōtra Neruā conspirauit 45.45
Craterus præfectus classis contra Agarenos 235.23
Crema obsessa 405.14
Crescentius Momentanus Cos. Romanus 316.25 inde
Crescius adiutor conspirationis contra Constantem Imp. 121.2
Fl. Cresconius Corrippus scriptor 176.6
Creta ab Agarenis occupata 235.9. inde & 252 11 eius defectio 379.30
Crispina uxor commodi Cæsaris 63.42
Crispus frater Claudij & Quintilli Imperatorū 96. 43
Crispus Cæsar factus 117.37. occisus 119.4 inde
Crispus præfectus in Cappadociam missus 1892.7
Cruciati rustici omnia defœdant 617.6
Crucis signum apparet Constantino Imp. 113.35
Ctesiphon urbs capta 70.6 à Persis 140.11 eandem transfire Romana arma nephas est 104.28
Cubiculariorum præfectus quid 227.11
Cundauia uia 600 1
Cuno comes 328.33 inde
Cuno Treuerensis archiepiscopus 483.12
C. uno C. de filijs natis de matrimonio ad Morganaticā contracto 329 3
Cunradus Portuensis episcopus 421.39
Cunradus de Tanne pincerna 420.16
Curfolium Insula 396.49
Curopalates, ante regnum dictus Iustinus minor 178. 21
Curopalates Arthabasdus 208 47 inde
Curticius Armenius armatus contra Constantinum 285.26
Cucupes Saracenorum dux captus 304.27
Cuspinianus Bonam reginā in Poloniā comitatus 608. 37. annis quinq; continuis in Hungariam orator iuit 616.36
Cuspiniani epistola ad Iacobum Villinger Maximiliani Thesaurarium 612.10 inde
Cypri insulæ defectio 379. 30
Cyprū attingere Iudæis prohibitum 51.12
Cyrenicon & Carchedonia con libros scripsit Claudius 22.11
Cyriacus patriarcha Constātinopolitanus 186.20
Cyriades in Oriente Imperator factus 95.33
Cyrillus iudex à Stoza interemptus 174.42
Cyrillus Cortinæ episc. martyrium passus 235.20
Cyrilli contra Iulianū apostatam liber 127.9
Cyrrus Alexandrinus antistes Monothelita 292.12
Cyrus ex abbate Constantinopolitanus antistes 199. 32 electus 201.43
Cyzicum occupatum à Sarracenis 195.25

D

Dacia Romano imperio subiecta 49.22 à Romano Imp. recuperatur 97.14

à Gothis uaſtata 142.5
Dacia olim, quam nunc Vualachiam appellamus 561. 52.598.35
Daci cum Imp. Romano bellum gerunt 43.29 prælio uincũtur à Nerua Imp. 48.43 Turcam ſuperant 561.52
Dagalaiphus magiſter militiæ Alemannorum uires atterit 136.36
Dagobertus Frãcorum rex Iudæos ad baptiſma cogit 191.50
Dalmatiæ prouincijs Romanis coniunguntur 8.46 debellati ab Henrico Aucupe Imp. 295.11
Dalmatio à Rom. Imp. defecit. 235.34
Dalmatius f. Anaballiani, Imperator. 119.30 deſcribitur 120.14 inde
Damaſcus capta 543.25
Damiata Acthiopiæ urbs 420.34
Daniel Pragenſis epiſcopus 404 33
cum Danis bellũ Caroli Magni 220 7
Danorum ſeu Normannorũ rex Chriſtianus factus 295. 14
Danquardus frater Ottonis primi Imp. 297.30
per Danubiũ pons ſtruitur à Nerua 49.13 iterum pons conſtructus 118.26
Dardani à Perſis ablati 187.32 olim ubi 548 14
Darius monarchiam cõmendat 1.26
Dauid f Heraclij Imp. 292. 29
Dauid Comnenus Trapezũtius imperator 561.44
Daza, q̃ poſtea Maximinianus Imp. 116.53 inde
Debeltos locus 243.41
December appellatur Amazonius 62.48
decẽtius Cæſar factus, in Gallias mittitur 121.31. inde
decibalus Dacorum rex uictus, ſupplex Neruæ Imp. 48.45
decibalus fœdifragus iterum uincitur 49.12
decius Brutus interfector Iulij Cæſaris 5.21
decius uaticinatus de pœna ſeditioſi, dux contra Scythas mittitur 87.31. Imperator eligitur. inde deſcribitur 88.15. inde
decius ſenator F. Auiti Imp. 164.39
decretum in Francofurt publicatum 470.46.
delphinus dux Viẽnæ 479. 8
dementiolus magiſter frater Phocæ 188.12
demetrius Cynicus oblatrãs, canis appellatur 38.27
Demetrius Palæologus ad Turcum deficit 562.15
Democratia laudatur 1.15
Derthona ſolo æquatur 403.36 rurſus inſtauratur 404.49
Deſiderius frater Magnentij 122.24 inde
Deſiderius Longobardorũ rex 218.15
Deuderus Nanus Theophili Cæſ. 237.10
Deum authorem operũ ſuorum cõfitetur Titus Veſp. 41.2
De rordanck liber Maximiliani 603.30
Deyta ij uxor Arnulphi Cæſ. 272.38
Diadema quis primum capiti inuexerit 99.16
Diadumenus f. Macrini Imper. tranſnominatur Antoninus 74.33 de eodem alia quædam ibid. inde
Diarium de congreſſu Maximiliani & trium regum, Bohemiæ, Vngariæ & Poloniæ 616.1 inde
Dicorus unde dictus Anaſtaſius 169 3
Didia Clara f. D. Iuliani Imper. 67 10
Didius Iulianus Imp. corpus Pertinacis ſepelit 65.27 deſcribitur 66 inde
Die feſto pugnare nolunt 149 32
Dierũ nomina Ethnica mutata in Chriſtiana 119.34
Dinocrates architectus Alexandriæ ingenioſus 537.28
Dioclea mater Diocletiani Imp. 106.4
Diocletianus Aprũ concionantẽ confodit 105.1 idem Cæſar deſcribitur 106 inde eius dictum 483.2
Diogenes Romanus 367.1 eius bellum contra Turcas 368.9 à Barbaris captus 370.9 oculis priuatur 371.22
Diogenis Rom. pater 371.31
S. Diomedes in ſomnis apparet diacono 250.23
Dionis paucæ reliqui ad nos peruenerunt 47.6
S. Dionyſij brachium Henrico Aucupi Imp. donatum 294.36
Dioſcori hæreſis 166.34
Diſciplinæ militaris 579.23 inde
Diuan locus tribunalis 580. 4
Diurpaneus rex Dacorum, qui alias Decibaldus dictus 48.47
Doctos fouet Auguſtus 10. 36
Dolianus filium ſuum diffamat 336.24
Domicilla, uxor Veſpaſiani, mater Titi Veſp. 39.28 & 40.2
Domicilla f. Veſpaſiani Imper. 39.29
Dominica uxor Valentis Imper. 141.7
Dominum ac Deum appellari ſe uoluit Domitianus 43.19
Domitia Longina uxor Domitiani 44.39
Domitia Paulina, mater Adriani Imp. 53.3
Domitia Luculla Caluilla, mater Marci Antonini Imper. 58.27
Domitianus f. Veſpaſiani Imp. 39.29 inſidians fratri, quam amicè admoneatur 42.4 uenenum fratri dediſſe fertur 42.16 deſcribitur 42.43 inde
Domitianus Aureoli dux fortiſſimus 93.15
Domitianus præf. præt. propter admonitionem trucidatur 123.15
Domitius Aenobardus affinis Auguſti 11.19 pater Neronis 24.2
Dornberg arx 462.8
S. Dorotheæ monaſterium, canonicorum regularium extructum 499.35
Dorotheus iuris corrector ſub Iuſtiniano 176.22
Drogo f. naturalis Caroli Magni 220.39 Metenſis pontifex, frater Ludouici Pij imp. 232.16
Dronſdorff arx 616.34
Dronlas Dacorũ dux aliàs Dracula dictus 562.1
Drungarius patricius præfectus claſſis contra Agarenos 254.6
Druſus priuignus Auguſti 11.19
Druſus Neronis fil. 11.30 ex qua matre 15.50 eius mors 12.43 mors 16 10
Druſus Pompeius f. Claudij 22.40
Dryas Gallica uates 105.4 & 106.10
Duellum Maximiliani cum Claudio de Batre 606 27
Durlach caſtrum Alſatiæ 437.48
Durus princeps contra Bardam Phocam miſſus 311.23
Duumuiratus magiſtratus Turcicus 580.8
Dyndimus præfectus clauſtrorum Pyrenæi, interfectus 151.4
S. Dionyſij corpus 269 52

E

Eberhardus Francorũ dux Henricum uinctum ducit. 297.29
Eberhardus f. Cunonis comitis 328.35
Eberhardus comes de Hohenlohe f. Hermanni 328. 39
Eberhardus Salisburgenſis archiepiſcopus 422.29
Eberhardus comes Vuirtembergẽſis 451.36 pacificus dictus 473.37
Eberhardus Greyner 463.1
Eberhardus Barbatus comes, creatus primus dux Vuirtenbergenſis 606.25
Eboracum cœnobium quando conditum 391.1
Ebrietas odio habita 512.24
de Eccleſiaſtico ordine ac ritu uiuendi Codex 230.9

Eccebolus Sophista, præceptor Iuliani Imp. 126 53
Echina rex Gothorum Decium Imp. fugat 89.8
Ecius patricius militiæ præfectus cõtra Vandalos etc. 153.1
Eclipsis solis raræ magnitudinis 84.27 alia 183.22 et 260.17 609.41 solis, & lunæ 268.9 lunæ prodigiosa 203.39
Edessa funditus euertitur 50. 43
Edmondus cornubiæ comes 434.14
Edoardus rex Angliæ electionem recusat 476.48 de eodem 443.36
Eduardus Portugalliæ rex 505.16
Egẽburga expugnata 464. 8
Egesippi dictum de Vitellio Imp. 34.45
Eggibertus episcopus 413.1
Egnatia uia ex Epiro in Thraciam 599.45
Egra oppidum 444.48
Ehenheym Alsatiæ ciuitas 462 52
Eitzingerus capitaneus, & dux factionis in Austria 507.4 inde
Electus cubicularius Pertinacem ad imperium uocat 64.28 Idem in necẽ eiusdem iuuat 65.13
Eligãdus comes, legatus Caroli Magni ad Irenẽ Aug. 215.6
Eliginia Anglorum regis f. uxor Caroli Simplicis 261. 10
Elisabetha Ottonis ducis Bauariæ filia 430.1
Elizabetha Meinhardi comitis filia 449.29 Alberti Cæs. uxor ibidem
Elizabeth ducissa Stetinensis 480.16
Elizabeta f. Sigismũdi Hungarorũ regis, uxor Alberti V. ducis Austriæ 499. 48 inde 501.49 et 504. 30
Elizabet f. Alberti V. Imp. uxor Casimiri Polonorũ regis Poloniæ 501.51.511. 20
per Emathiam uia ex Epiro in Thraciam 599.45
Embricon Herbipolẽsis episcopus 396 51
D. Emerami templum & cœnobium Ratisbonæ 270.1
Emicho comes de Leiningen 433.49
Emanuel rex Portugalliæ 607 12
Encius Sardiniæ rex 426.50
Ennia Næuia ad stuprum inuitatur 19.11
Ennius Virgilio præfertur 54.53
Ephyre urbs 562.30
Epilogus exhortatorius ad inuadendum Turcos 600. 34
Epiphania f. Heraclij Imp. 192.22
Ex Epiro in Thraciam uia 599.45
Epitaphia Friderici Tertij 512.46 & inde
Epponina uxor Sabini, rari exempli mulier 37.38
Equites aurati plusquam du centi creati 630.22
Equina caro comesta 397. 17
L. Equitius præfectus Illyriciani exercitus 136.27
Equus edoctus procidendo adorare & caput pedibus submittere 50.2
Eraclius spado Aetij 158. 53
Erarius Thendibaldo Visigothorum regi substituitur 175.21
Ericus dux Saxoniæ 475 38
Ermeneteli 539.10
Erina Isaacij Angeli filia 400.35
Ernestus dux Austriæ 480. 38 503.49 tutor Alberti V. ducis Austriæ 499.11 inde
Ernestus dux Bauariæ nepos ex sorore Maximiliani 606.38
Erpuerch uilla 409.21
Esselinga 461.2
Ethicon filius Vuelffonis comitis Altorffensis 232.26
Ethisa filia Philippi Cæsaris 413.21
Eubœa insula 562.37
Eucherio filio pater Stilicon fraudulenter imperiũ parat 148.51 idem occisus 149.39
Eudocia f. Aetij 159.40 inde
Eudocia f. Inferis nupta Basilio Macedoni Cæsari 246.44 & 251.8
Eudocia Opsicij f. uxor III. Leonis V. Cæs. 264.48 Imperatrix 365.31 iuramenti oblita, cõiunxit sibi Diogenem Ro. maritum 366. 46
Eudoxia uxor Arcadij Imp. 151.33 inde alia, uxor Theodosij simulatè uendita 155. 12 describitur inde alia f. Theodosij Imp. uxor Valentiniani Imp. 155.36 alia uxor Aetij 159.34 alia uxor Valentiniani Imper. 161 39
Eufemia Rodulphi Cæs. filia 442.1
Eufrates fl. ponte iungitur 50.20
Eugenius pont. Maximus 402.40
Eugenius ob eloqnentiam in palatium ascitus tyrannidẽ affectat 144.5 inde Imperator factus 146.8 inde
Eugenius IIII. papa 495.2 in de 504.47
Euinus fl. 600.17
Eunomiani ab ecclesia remouentur 141.50
Euphemius patriarcha 169. 8
Euphrosyne f. Constantini, uxor II. Michaelis Trauli 235.30
Euricus f. Theodorici regis Gothorum 157.40 Vesogothorum rex 163.49
Euries Maura, regina à Iulio Cæs. amata 6.14
Eurithius exarchus papæ necem moliẽs abdicatur 206. 19
Euritius Clarius, Neruæ Imper. legatus 50.44
Eusebia uxor Constãtij Imper. 126.4 eius dolus 131. 37
Eusebius Nicomed. episcop. Cõstantinũ Imp. baptizat 118.41 præceptor Iuliani Imp. 126. 50 contra Julianum scripsit 130.42
Eusebius eunuchus cubicularius 123.27 & 124.12 & 125.36
Eustratius eunuchus monachus 383.26
S. Euthymius Sardiniæ præsul 233.26
Eutropia Syra mater Maxentij 109.19
Eutropius Dardanus pater Constantij Imp. 96.45 et 109.51
Eutropius spado, opes Ruffini promeritus 148.29
Eutychiana hæresis 166.33
Eutychius patriarcha Amasiam relegatus 177.2
Eutychus patriarcha 179.21 Tiberium Cæsarem coronat 180.44
Euthymius patriarcha exilio addictus 268.43
Exaltatio crucis, festum institutum 191.14
Exarchatus magistratus primùm inuẽtus 180.4 Græcorum in Italia desijt 210. 20
Exceptus Cæsar Viẽnæ quo modo 625.46 inde

F

Faber Callinicus ignem humectum inuenit 205.27
Fabia appetit matrimonium Marci Antonini 50.34
Fabia Eudocia sponsa Heraclij Imp. 189.15 prior uxor 192.22
Fabius Valens dux, primus Vitellium Imp. salutat 33. 45 dux Vitellij capitur 35. 11
Fabius Pompeianus Dux in Libya 95.28
Fabius f. Heraclij Imp. 192. 29
Facilla mater Honorij & Arcadij 139.50
Fames 51.39 & 249.3 in exercitu obsidente Byzantium 205.18 magna sub Michaele Parapinaceo 373. 20 crudelissima sub Henrico II. Imp. 387.47
Fannius Cepio ob coniurationem morte mulctatur 8.27
Fanũ Laurentij Romæ 417.
Faras iudex à Stoza interemptus 174.42

Farina gypso & calce contaminata, multos enecauit 393.37 & 397.5
Faſtrada f. Rotalij comitis, IIII. uxor Caroli Magni 220.30
Fauentinum oppidum à Gothis captum 175.27
Fauſta filia Maximiani Herculei Imp. 109 20
Fauſtæ uxoris Conſtantini Imp. in priuignum odium 119 7
Fauſtina f. Antonini Pij nupta M. Antonino 57.53 mater Commodi Cæſaris 62.13
Fauſtina ij uxor Conſtantij Imp. 126.12
Fax in cœlo apparuit 129.35
Felicibus etiã trimeſtres naſci filios, prouerb. 12.36
Felix ille, ad quem Paulus in actis deducitur 21.38
Ferdinandus de Lacerda Alphonſi X. F. 436.6
Ferdinandus ſenior, Arragonum rex 607.4 fil. Philippi Imp. 607.8
Fernandus frater Alphonſi regis Arragonum 505.26
de Feudorũ uſibus liber Friderici Tertij 512.14
de Filiorum ſucceſsionibus pro parte materna leges rogatæ 59.36
Firmus Seleucius, Aegyptũ ſibi uendicans extinguitur 98.42.
Firmus in Aphrica prælio uictus capitur 139.11
Fiſci, lienes 51.52
Flaccilla f. Arcadij Imp. 151. 36 & 154.43
Flaccij, quos nunc Valachos dicimus 546.35
Flaccilla prior uxor Theodoſij Imp. 147.25
Flagellatorum ſecta 479.19
Flambertus proditor 279 12
Flandri Philippum f. Maximiliani in ſuam tutelam accipiunt 604.29
Flauia Domicilla uxor Veſpaſiani Imp. 39.28
Flauia Ticiana, uxor Ael. Pertinacis Imp. 63 30
Flauius Sabinus frater Veſpaſiani in Capitolium fugatur 35.18 à Domitiano occiditur 44.4
Flauius Liberalis ſocer Veſpaſiani Imp. 39.28
Flauius Clemens à Domitiano occiditur 44.5
Flauius Sulpitianus ſocer Ael. Pertinacis 65.30
Flauius Claudius Imperator deſcribitur 96.36 inde
Flauius Veſpaſianus, uide Veſpaſianus
Flochberg caſtrum 394.3
Florentinorũm cum Lucenſibus & Senenſibus pugna 393.20
Florentius præf. præt. abdicatur 124.51
Florentius Hollãdiæ comes 390 50
Florianus Imp. deſcribitur 99.36
Florianus interimitur 102.5
Florus procurator Iudææ auarus 36.47
Florus Alexandrinæ urbis procurator 161.26
Florus præſes inſignis & ſcriptor, ſed deſideratus 177.48
Fœlicis Petancij Cancellarij Segniæ opuſculum de uijs in Turciã 595.40 inde ad Fontem, locus iuxta Conſtinopolim 288.20
Forchhaim oppid. Franciæ Orient. 273.16 ad Fomoniacum uicum in agro Altiſiodorenſi prælium 239.53
Formoſus Portuenſis epiſc. & Papa Rom. 271.18
Fortunæ ludibrium 543.4
Forum Auguſti Romæ reſtauratur 55.16
Francia orientalis & occidentalis 216.15
Franci à Beliſſario repulſi 175 9 populi Germaniæ 215.51 inde Hieroſolymorum urbẽ expugnant 380. 24
Francorũ cum Græcis pax per Carolum Magnũ 219. 53
Frãciſcus petrarcha 478.33
Franciſcus Cardinalis 551. 42
Franciſcus f. Maximiliani 604.8 inde
Francofurt urbs 431.50 emporium nobile, 391.33 unde dicatur ibid. 34
Francofordianorum ciuium conſuetudo 481.41
Friburgum urbs 431.49
Friberga Miſniæ oppidum 444.11
Fridancus inſignis Medicus 482.17
Fridberg urbs 431.50
Fridperga à quo condita 465.15
Fridegernus dux Gothorum 140.16
Fridericus f. Theodorici regis Gothorum 157.40
Fridericus de Glichberga rebellis ad deditionem compulſus 350.50
Fridericus dux Sueuiæ 388. 44
Fridericus archipræſul Colonienſis 388.47
Fridericus primus 402.9 Barbaruſſa & Aenobarbus dictus ibidem 10. Friderici ducis Sueuorum f. ibidem 11. eius uirtutes 402. 14. Italiã aggreditur 403. 20. Longobardos domuit 404.6 in Burgundiã profectus 405.8 Hungariam & Bulgariam penetrat 406.43 eius mors 406. 48 uxores 407.4 quinque filij 407.14 duæ filiæ 407.22
Fridericus, idem quod pacificus 407.45
Fridericus II. Henrici VI. Imper. F. 419. 42 adoleſcens adhuc eligitur Ro. rex ibidem 52. Ro. profectus 420. 6. Saracenos deuicit 420. 33 Auſtriæ domum auxit 425.52
Friderici II. ad Rom. pontificem carmina 423.10 uxores 426.25 mors 425.19 eius ſepulchro carmina inſcripta 425.48
Fridericus comes de Leiningen 442.15
Fridericus pulcher 459.42 eiuſdem contra Duces Bauariæ bella 460.20 mors 464.22
Fridericus Burgrauius Norinbergẽſis 461.47 486. 24
Fridericus Marchio Miſnienſis 476. 49 factus dux Saxoniæ electo r 493 30 Bohemiam pacare iuuat 500. 49
Fridericus dux Braunſchuuicenſis 487. 50 de eius obitu, rithmi latini 488. 25
Fridericus Marchio Brandeburgenſis, dux belli contra Boemiæ rebelles 494. 25 de eodem 503.38
Fridericus ſenior comes Tyrolis 501. 7
Fridericus Iunior comes Tyrolis poſt Cæſar 501 7
Fridericus III, dux Auſtriæ, rex Roman. electus 502. 15 inde. Idẽ Imperator deſcribitur 503. 30 inde
Fridericus IIII Imper. pater Maximiliani 602 inde
Fridericus Ratisbonenſis epiſc. 507. 46
Frigus inſolitum 211. 14
Friſia Normannis donatur 231. 2
Friſlaria urbs 488 10
Fronauuer ab Auſtria tributa extorquet 509. 49
Fronto Cornelius philoſophus præceptor Marci Antonini Imp. 58. 35
Frontonis conſulis elegans exclamatio 45. 40
Cor. Fuſcus in prælio occũbit 43. 30
Fuldenſis cœnobij conditor 211. 12
Fuluia Pia mater Seueri Imper. 69. 30
Furius Camillus Scribonianus, bellum ciuile mouet cõtra Claudium Cæſ. 21. 3 Idẽ interficitur ibid. 8 (21
Furſtẽfeld monaſteriũ 465.
Furtum atrox ſcelus habetur 79. 15
Fuſtus affectator imperij mori cogitur 55. 27

G

Gaiſon interfector Conſtantij Imp. 121. 10
Galumbog caſtrum 545. 39
Galatæ olim ubi habitarint 523. 29
Galba dux in Hiſpania, Imperator ſalutatur 26. 19 eiuſdem Imperatoris deſcriptio 28. 19 inde

Galeria Fundana ij uxor Aul. Vitellij Imp. 35.43
Galerius Maximianus Armentarius adoptatur Augustus 107.20 inde
Galiena Celsum Imp. Asiæ interimit 95.31
Galiena regis Galastriæ f. uxor I. Caroli Magni 220. 17
Galienus Imperator describitur 91.26 inde cum Aureolo facit pacem, communicato Imperio 93.18
Galla mater Galli Imperatoris 122.53
Galla f. Valentiniani maioris Imp. 139.47 Theodosij altera uxor 147.32
Gallia subiugatur à C. Iulio Cæsare 4.16 à Nerone deficit 26.18 quomodo sub acta 106.52
Gallicanus Cæsar Godescalcum cepit 180.17
Gallina, cui nomen Roma inditum 150.5
Gallinicus antistes Romam relegatur 199.30
Galli semper rerum nouarũ cupidi 94.3 nunquàm imperium obtinuerunt 215.51
Gallonius Basilius Claudio Imp. indumenta regia defert 97.5
Gallus Iulius Saturninus 87.49 proditor Decij Cæs. 88.42 idem Cæsar describitur 89.40 inde
Gallus oriẽti imperator præficitur 121.41 describitur 122.52 inde
Gama comes Ruffini bellum Arcadio mouens 151.21
Gamala ciuitas Iudææ expugnatur 40.30
Gamfredus comes Audegauensis 388.23
Gandauum urbs 444.35
Garchaneli 539.10
Garglianus mons Italiæ ab Africanis munitus 278.48
Gebehardus Eistatẽsis episc. fit papa 349.21
Gebhardus antistes Ratisbonensis 328.36
Geylhausen urbs 431.50
Geldria Maximiliano dedita 604.19
Gelimer Vandalorũ rex captus 174.21
ex Genere pessimo ne catulus quidem habendus 82.28
Generis nobilitas 579 35
Genesius frater Eudoxiæ uxoris Theodosij Imp. 156. 10 inde
Genius tutelæ Constantium deserit 125. 12
Genius Iuliano in somnio apparens 127.43
Gensericus rex Gothorum creatus 150.43
Gensericus dux Vandalorũ in Aphrica 157.6 inde uictus 164.7 eiusdem cum Martiano captiuo, pòst imperatore fœdus 161.7
Gentianus Imperij affectator morte plectitur 55.28
Georgius insidians Cæsari Basilio, deprehẽsus 281.45
Georgius Maniaces patricius contra Sarracenos in Sicilia 335.52 inde bellum ciuile contra Imp. mouet 342.22 inde
Georgius Merula homo maledicus 425.39
Georgius Bogiebatius gubernator regni Bohemiæ 507.21
Georgius Scenderbech f. Ioannis Castrioti 548.3
Georgius Despotus Seruiæ 548.12 inde & 561.4
Georgius f. Maximiliani 604.8 inde
Georgius Collinutius medicus & mathematicus 610. 14
Georgius quidã Ceculus rusticorum Cruciatorũ dux 617.6
Georgius Thurso Hũgariæ regis Camerarius 618.1
Gerbirga f. Henrici aucupis Imp. uxor Giselberti Lotharingiæ ducis 294.34 soror Otthonis Imp. 297. 40
Gereoni comiti Saxonia data 297.32
Gerhardus princeps Mogũtinus 431.45
Merlacus Moguntinus episcopus 442.43 comitis de Nassaw filius 471.53 comes de Nassaw 476.9
Germania à Traiano in ordinem redigitur 47.32 bello superata, à Maximino Imp. 81.31
Germaniæ inferioris principes fœdere regi Angliæ sunt deuincti 470.7
Germania lingua cur omniũ duriss. 407.49
Germaniciæ suburbia euersa 252.39
Germanicus Iunior triumphat 9.30 nepos sororis Augusti 11.20 adoptatus à Tib. Nerone 13.21 eiusdem Cæs. fides erga Tiberium 14.9 mors 16.13
Germanicus Drusi f. 17.3
Germani à C. Iulio Cæsare oppugnati 4.21 Octauianum Cæs. prælio superant 9.6
Germanorum insignia aquilæ duæ, non aquila biceps 9.9 CCCC. milia cæduntur 102.13 eisdem rex constituitur 54.38
Germanus Capuanus præsul, legatus 172.46
S. Germani epis. corpus 248. 4
Germanus patricius contra Gothos missus moritur 175. 43
Germanus patriarcha f. Iustiniani patricij castratus 195.16
Germanus patriarcha Constantinopolitanus factus 202.12 dignitate priuatus 206.23 uaticinatus 209. 27
Germenteli 539.10
Germersheym oppidũ 441. 27
Gerontius Cõstantem Aug. Imp. interficit 151.9 occisus ibid.12
Gerocomiũ ab Alexio Comneno instructum 383.47
Gersuinda concubina Caroli Magni 220.37
Gertrudis, Cõradi regis Ro. uxoris epitaphium 391.13
Geruntius Magnentianæ factionis comes 122.31
M. Geta eques, pater Seueri Imp. 69.30
Geta f. minor Seueri Imp. in parte insulæ Britanniæ relinquitur 70.31 Imperator, describitur 71.53 inde
getæ ad cõcordiam redigũtur 8.49 superantur 97. 14 Macedoniam &c. diripuerunt 170.35
Gibelini unde 423.37
gildo præses uniuersæ Africæ 148.8 inde
gilla f. Caroli uxor Rollonis Normannorũ ducis 261.2
gisela f. Caroli magni 220.29
gisela soror Caroli Magni 220.46
gisela soror Henrici Imperatoris 326.7 inde
giselbertus comes à Berengario flagellis cæsus 279.3
giselbertus Lotharingiæ dux gener Henrici Aucupis Imper. 294.34 socius factionis 297.39
gisla f. Lotharij coniugata Gotofrido 262.6
gisla f. Berengarij, uxor Adelberti marchionis 277. 47
Gladij usum prohibere Christianam legem 129.10 & 131.21
glauca Ludouici Franciæ regis filia 436.7
glicerius senator, Imperator salutatus 164.34 cæsus 164.49
globus ingens in cœlo uisus 129.38
gmunden oppidum 448. 22
gizerichus nothus frater Bonifacij 159.16 inde
Godescalcus gener Adulphi regis captus 180.18
godomiri campi 596.6
gogidascius Gothus dux cõtra Persas 171.17
gontharis frater Bonifacij 159.16 inde
gorblingen, familia 328. 27
gordianus Imperator eligitur 81.39 inde
gordianus nepos, III. Imperator eligitur 82.3
gordianus III. Cæsar describitur 82.45 inde
goslariense palatium 362.20
gotefredus Lotharingiæ dux, contra Henricum III. Imp.

Imp. 348.17 Hierosolymitanam expeditionẽ parat 356.9 inde
Gothi Asiam & Achaiã uastarunt 94.35 à Romanis superantur 97.18 à Probo subiguntur 102.25 sedibus expulsi auxiliũ Valentis Imp. postulant 140.15 Thraciam uastantes uincũtur 142.5 inde iurarũt Imperatori ac fœderati dicti sunt 145.30 donarijs priuati à confœderatione Rom imperij deficiunt 148.18 ob festum pugnare nolentes stragem patiuntur 149.32 uincunt, Italiã populantur, Romam capiunt ibid. inde cum Honorio Rom. Imp. fœdus feriunt 50.30 unà cum Hunnis iterum fœdus feriunt cum Romanis 157.5 Hispaniam & Galliam inuadunt 162.10 diu regnum occidentale tenuerunt 165 9 Rauennæ à Belissario uicti 175 11
Gothici belli sub Iustiniano Cæs. scriptores 175.52 inde
Gotofridus rex Nortmannorum 261.44 Gislam uxorem ducit 262.6
grata f. Valentiniani Imper. 139.47
Gratianus pater Valentiniani Imp. 136.10
Gratianus appellatur Augustus 138.48
gratianus f. Valentiniani Imperator describitur 141 30 inde
gratianus in Britãnia tyrannidem occupauit 150. 49
gratianus Romanorũ dux, cõtra Persas & Saracenos 154.7
græcia uastatur 397.21
græci à Francorum rege Carolo Magno pacem petũt 219.53 adducti in sententiã Romanæ Ecclesiæ 516.33 quales 579.14
cum græcis bellum Ottonis ij Imp. 315.1 inde
grando copiosa 386.48
greczingen Alsatiæ oppidũ 437 48
gregoras secundas cum Heraclio partes in castris obtinens 187.49
gregoras f. Ducis, armatus contra Constantinum 285. 25 inde
gregoria Niceteæ f. Constantini noui uxor 792.34
D. Gregorius pontifex Max. 186.10
gregorius Constantinopolitanus antistes Monothelitas defendit 196 3
gregorius rex pronunciatus & Tiberius dictus 205.32
gregorius à Secretis, Romã missus, ad Pipinum transit 210.9
gregorius f. Leonis Cæs. castratus 229.4
gregorius V. papa 316. 50
gregorius Palotius Strigonum Pontifex 502.22
gregorius Colocienſis epis. 603.10
gremperius Cuspinianũ numismate donat 191.22
guelphi unde 423 37
guido dux contra Sarracenos & Mauros 235.38
guido Spoletinorum dux factus 275 1 inde
guido Tusciæ Marchio f. Adelberti senioris 280.32
guidol Longobardorũ dux 290.15
guido archiepiscopus Viennensis 387.9
guido Turrianus 453 49
guilhelmus Achaiæ & Bithyniæ princeps 419.22 et 516.13
guilhelmus dux Austriæ à Polonis electus 504.3
guilielmus Siciliæ rex, Alexij mortem ulturus, Andronico Comneno bellum infert 399.33
guilielmus Cæsar 431 19
guilielmus Hollãdiæ comes 431 25
guilielmus Putschius 464. 47
guilielmus montis ferrati Marchio 398.23 socer Andronici Palæologi Imper. 517.33
guilielmus dux Bauariæ 608.14 nepos ex sorore Maximiliani 606.37
guilielmus Polymnius medicus 610.14
gundibarus patricius creatus 164.32
guntharius episc. Colonienſis 241.19
guntherus comes de Schuuartzenberg 475.39 rex Romã. 481.10 Caroli Quarti competitor ibid. 12. Francofordiam introire uolẽs, à ciuibus prohibetur 481. 41
guta Rodulphi Cæs. filia 439.41
gutẽstain Austriæ arx 464. 22
gylas Turcorum dux ad fidẽ conuersus 291.7
gyres fl. 245.18

H

Habspurg castrum ubi situm 438.19
Hadriani moles Rom. munita 317.6
Hadrianopolis à Turcis occupata 541 19
de Hæreditatum uicesima leges rogatæ à Marco Antonino 59.35
Hæreses 166.33 169.11 201. 20 Arriana 172.42 Pelagiana 178.35 Mahometi et Monothelitarum 192.6 in de de Homousio 199.38 Manichæa 223.28 de resurrectione ac dæmonib. 233. 28 Manichæorum 243.44 abominabilis sub Alexio Comneno orta 380.25 Neſtoriana & Acephalorum 533.24 Sabelliana, Manichæa, Eunomij, Macedonij & Nicolaitarum 535. 27
Hæretica Synodus sub Iustiniano III. Imper. 197. 27
Hæretici Eunomiani Phorniani, Manichæi 141.50 alij in Boemia 494
Hagenauu Alsatiæ ciuitas 431.49 462.52
Hagnes f. Gulielmi principis, uxor Henrici III. Imp. 350 17 inde
Hannibal unus ex omnibus Aphricæ ducibus laudatus 72.47
Halis destructio 448.21
Halotus spado uenenum præbet Claudio 22.21
Halotũ, ut puniat P.R. procuratione amplissima ornat 30.6
Harmstein capellum firmissimum 388.6
Hart, campus iuxta Viennã 608 4
Hart fylua 623.2
Hartmannus de Vualdeck 440.9
Hasenfurt ciuitas, unde nomen habeat 391.32
Hasenphuel 445.11
Hastiludij spectaculum 630. 31. & 631.8
Hatto Moguntinensis archiep. proditor Adelberti 274.10 292.40
Hecatonstylon exustum 87. 12
Heidelberga urbs 431.50
Heidelbergensis studij fundator quis 490.42
Heiduuiga comitissa de Kyburg 441.33
Helbardus comes contra Iohannem VIII. papã, 259.43
Helena uxor Constantij Imper. 110.15
Helena f. Constantini Magni Imp. 119.24
Helena uxor Iuliani 124.10 Constantij soror 131.35 nõ expulsa ibid. 46
Helena, f. Romani uxor Constantini Cæs. 287.8
Helena Pancratij Abasgorũ principis uxor 331.49
Helena Roberti Longobardorum regis filia 374. 29
Helena Caroli Quarti filia 481.2
Helianus dux Bugaridarum 107.1
Helias Spatarius præfectus classis cõtra Chersonesum 199.42 amissis filijs Iustinianũ obtrũcat 200.25 inde heliogabalus nascitur 73. 37
helpidius patricius, miles, Siciliæ præfectus 213. 53
heluetij à C. Iulio Cæsare oppugnati 4.21
Sabaudiæ cõiti subditi 439. 53 Suitenses & Leopontij dicti

dicti 460.51
helueticum bellum cum Maximiliano Imp. 606.34
heluidus Priſcus ob cõtumaciam perit 38.35
heluidius Priſci f. à Domitiano tollitur 44.4
heluus Succeſſus, libertinus pater Aelij Pertinacis Imper. 64.2
S. Hemerani monaſterium Ratiſbonæ, ueteribus deplomatibus & libris ſcatens 272.13
hemericus f. Theodorici Gothorum regis 157.40
hemma uxor Ludouici ſenioris regis 249 35
hencius uulgo Heintz Sardiniæ rex 426.50
henricus dux legatus Caroli Craſſi ad Gotofridum 262.22
henricus Saxonum dux 292. 39 & 409 47
henricus Auceps f. Othonis ducis Saxoniæ 292.23 Cæſar deſcribitur 293.28 inde
henricus Rebellis filius Leopoldi ducis Sueuiæ 293. 51
henricus dux frater Ottonis primi Imp. captiuus 297. 28 inde
henricus Heyzilo Baioariæ dux 314.23 Cæſar futurus proclamatus 316.26
henricus f. Henrici Hezelo ducis Bauariæ, Imperator deſcribitur 325 inde
henricus marchio rebellis, donatus ab Imp. 325.22
hẽricus III Imp. Aug. Niger, &c. deſcribitur 347. 34 inde
henricus IIII f. Henrici tertij Imperatoris rex creatus 349. 36 Imperator deſcribitur 350.43 inde
henricus V. Iunior, Cæſ. filius Henrici IIII Imper. 358.2 Pannoniam ingreditur 348.53. V. Ro. Imp. Aug. 384.31. ubi rex Ro. factus 384.42 Gentorem ſuum impie perſequutus ibidem 40. Coloniam obſidione cinxit 334. 48. Poloniam ingreſſus tributũ uiolenter exigit 385. 4 cum Pontifice reconciliatus 385. 42. à pontifice coronatus 385.44
henrici V. iunioris Imp. mor bus natiuus 388.2. mors 388.7
henricus rex Angliæ 387 42
henricus Nortmanniæ dux 333. 21
henricus Dandalus legatus 397. 40
henricus ſextus 408.19. Friderici primi filius ibi 20 9
henricus Dapifer de Vualpurg 412 53
henricus de Calladin Mareſcalcus 413 4
henricus Flandrenſis 416. 20
henricus Palatinus rheni 420.5
henricus Iagſamergot unde nomen habeat 426.14
cœnobium Scotorũ Viennæ fundauit ibid. 15
henricus Cæſar Friderici II filius 428.2
henricus Thuringiæ et Haſſiæ Landgrauius 430. 53
henricus Baſilienſis epiſcopus 440.30
henricus VII. 451.1
henricus comes de Lutzelburg 451.4
henrici VII. mors 456.50
henricus de Virnburg 458. 38. & 469 36
henricus de Vualſee baro. 460 38
hẽricus F. Vlrici de roſis dux exercitus Bohemici 507. 39
henricus Prueſthenck Baro, factus comes de Hardeck 606 26
heracleus dux contra Agarenos 198. 35. ſuſpenſus 199 26
heraclianus cõtra Attalum miſſus, tyrannidem occupat 152 32
heraclides ſenator Nepotianum dolo perimit 12.19
heraclianus cum exercitu in Thraciam contra Phocam Cæſ. 187.53. coniurat in Phocam Cæſ. 187. 6
heraclius Heracliani f. ex Aphrica ad Phocam mittus 187. 47. inde Cæſar deſcribitur 189.10. inde de eodẽ 538.38
heraclius paruus, nouus Cõſtantinus appellatus 192.23
heraclonas coniurat in Phocam Imp. 187.6
heraclonas F. Heraclij Imper. 192.29
herbipolis ciuitas 387.14
herculei populi in Gallijs origo 106.42
herdelia regio 598.28
herennianus filius Zenobiæ 92.27
herennius Macro Caium ſalutat 17 33
heribertus Carolum ſimplicem decipit 261.8
heribertus archiep. Colon. inſignia regni ui tenet 325 8
hermannus Franconiæ comes F. Cunonis comitis 323.33
hermãnus comes de Hohenlohe 328 39
hermannus nobilis Germanus, rex creatus 355. 11
hermãnus Lãdgrauius Thuringiæ 409.49
hermannus Badenſis marchio 428. 42
hermannus comes de Henneberg 433 21 (41
hermãnus comes Ciliæ 4 1.
hermendrudis II uxor Caroli Calui 253. 18
hermingarda uxor Adelberti Eporregiæ marchionis, ſcortãdo Italiam occupat 279 38
hermingardus f. Deſiderij regis, uxor II Caroli Magni 220. 19
hermingardis prima uxor Ludouici Pij Imp. 233.18
hermingardis uxor Lotharij Imp. 240. 53 mater Ludouici II 247.34
hermingardis f. Ludouici II Imp. uxor Boſonis 249.12
hermogenes hiſtoricus à Domitiano necatus 44.6
Hermogenes magiſter officiorum legatus pro pace 173.53
herodes f. Odenati decurionis interemptus 92 20
herodianus dux Galliæ à Palmirenis uictus. 92 31
Hesler Cardinalis Herbipolenſis 604.2
hiberi Romanis auxilia polliciti 92. 1
hienſel rex Babiloniæ 538.31
Hieronymus Pragẽſis 493. 44
Hieronymi teſtimonium de Valentiniano 139.32
Hieroſolyma crudeliter à Tito oppugnatur 40.49 depopulata 187.39 deuaſtata à Coſroe rege 189.50 à Francis expugnata 389.24 à Turcis capta 578.28
Hieroſolymitana peregrinatio & expeditio 356.5
hildebrandus comes rebellis Lamberto 276.46
hildegarda f. Ludouici ſenioris regis Germaniæ, &c. 349 39
hildegardis f. Hildebrãdi regis, uxor III Caroli Magni 220.22
hildericus Honorichi filius 159 40 inde
hildericus rex Merouingorum ultimus 217 3
hildico puella nuptias celebrat cũ Attila rege 158.40
hildrini, uide Batazethus
hiltebrandus ex milite rex Gothorum 175.18
heltrudis F. Caroli Magni 220 35
himeltrudis concubina Caroli Magni 220.40
A. Hirtius octauum librum Commẽtarijs Cæſaris adiecit 4.24 eiuſdẽ alij libri ibid. 36
hiſmarus Tiberius Cibyrreotarum Drungarius 198.22
hiſpania à Nerone Cæſ. deſicit 26.19
hiſpani demiti à Carolo Magno 218.25
hiſter fl. 598.53
hiſtoriarum Claudij XLIII libri 22.9
hiſtri et Saui cõfluens 596.3
homero Antimachus præfertur 54 53
homeri centones 155.29
honoria f. Honorij Imp. genita 151 20
honorius pontifex 417.6
honorij obitus 420.46
Horatius ab Auguſto fouetur 10. 37

Hormisdas Persarum rex cõtra Rom. 178. 52. 18. 1. 182. 33 537. 9
Hostes per blanditias uincũtur 14. 46
Hugo f. Naturalis Caroli Magni 220. 39
Hugo nothus Lotharij defectionem à Carolo Crasso Imp. mouet 62. 9
Hugo Arelatensis comes, ad regnum Italiæ uocatus cõtra Rodulphum 280. 4 inde
Hugo Capetus contra Carolum Lotharingiæ ducem 316. 44 inde
Hugo de Bucheck Comes 455. 45
Hugolinus hostiensis episcopus 420. 46
Hũbertus Tusciæ princeps spurius Hugonis 280. 36
Hunfl. 599. 32
Hunericus f. Genserici 157. 23 inde
Hũgari ex Scythia pulsi nouas sedes quærunt 270. 15 latissimè crudeliter grassati imperãte Ludouico IIII Cæs. 273. 31 inde iterũ grassati 277. 14 inde ad Christianismum perueniniunt 326. 24 Austriam incendijs uastant 428. 46
Hungaricũ bellum cum Maximiliano 606. 40
Huniad oppidum 598. 29
Hunni Pannonias uastant 140. 12 in Oriente excursiones faciunt 170. 38 glacialis Oceani accolæ 179. 51 alias Auares appellantur 183. 33
Hunnorum bellum cum Carolo Magno 218. 51
Hunoldus rex Aquitaniæ 218. 7
Hussitarum doctrina sub Vẽceslao Cæs. orta 483. 33 484. 2
Hussitarum furor 500. 4
Hypatius Anastasij Cæs. ex fratre nepos pugnaturus capitur 169. 41 dux cõtra Persas 171. 14 Anastasij Imper. ex sorore nepos occisus 174. 10

I

Iaboleno I. C. usus Antonino Pius 57. 35
Iacobus Tepulus prætor 417. 34
Iacobus princeps Metensis 431. 46
Iacobus Aragoniæ rex 460. 38
Iacobus Treuerensis archiepisc. 504. 46
Iacobus Manlius Friburgensis 603. 44 Maximiliano res suas legit 610. 9
Iacobus Villinger Maximiliani Cæsaris thesaurarius 615. 10
Iaica regni Bosnensis caput 562. 10
Iamblichus literis uaticinatus, uenenum sumit 138. 36
Iberi à Persis ablati 187. 31
Iconium Cycaoniæ urbs 393. 41
Idolorum templa subuersa 146. 53 inde
Ignatius Ecclesiæ præpositus 246. 3 pontificatui suo restitutus 251. 41
Ignis fluxilis in aquis ardens 205. 26
Ignis fusilis 254. 6
Ildebaldus rex Gothorum factus 175. 19
Illus dux 166. 45 magister officiorum gratus 167. 28 inde
Illyria ab Imp. recuperatur 173. 51
Illyrici defectio & rursus subiectio à Nerone 13. 37
Illyrici, id est Bosnenses 542. 9
Imagina Adolphi Cæsaris uxor 443. 24
Imago Christi lancea suffossa 215. 35
Imagines ex templis radi, edictum 201. 30 templis restitutæ 203. 17 ex templis deleri postulãtur 206. 11 in templis repositæ 212. 30
Imaginum cultus 22 inde reprobatus à Theophilo Cæs. 236. 22 inde in controuersia 246. 12 in Oriente erectus 242. 14 inde
Imbrael dux Saracenorum contra Rom. 238. 13 inde
Imber uehementissimus, sub Alexio Comneno 384. 25
Imbres prodigiosi sub Tiberio Cæs. 181. 34
Imerius Logothetis contra Agarenos missus 267. 5
Imperatoris prænomen 5. 3
Imperatoris eligẽdi per Germanos formula introducta 317. 17
De Imperatore elegans exclamatio Frõtonis 45. 40
Imperatorum primus Christianus 87. 23
Imperium Occidentale corruit 165. 9
Imperij constitutio ex prouidentia diuina respõdet 17. sedes Byzantio Romam translatum 215. 43 arbitrium Apostolicæ sedis esse 215. 48 translatio à Romanis ad Græcos, ab his ad Germanos 215. 50 inde diuisio inter filios Ludouici Pij 240. 13 Rom. ob duos competitores, diuisio 458. 1
Importunus, uir consularis, legatus ad Iustinũ pro Arrianis 172. 51
Incendium capitolij 355. 19 Romæ 42. 8. 82. 3. 87. 10
Incendia multa falsa, sub Alexio Comneno 384. 14
Inedia magna incidit 397. 16
Ingelheim uilla patria Caroli magni 215. 53. 216. 46
Ingelheym oppidum Rhenanum 479. 36
Ingenia magna, ut uirtutibus, ita uicijs magnis imbuta 6. 24
Ingenuũ Mæsiacæ legiones imperatorem faciunt 95. 18
Ingramus dux Saxoniæ, socer Ludouici Pij 232. 18
Ingressus Cæsaris Viennam cum regibus ac principibus plurimis describitur 625. 41 inde
Iniuriarum obliuio, præstantissimum donum 38. 29
Innocentius Tertius pontifex 424. 18
Insprugk 606. 3
Inundatio Tyberis 51. 38
Ioanna ducissa Austriæ 473. 9
Ioannes patriarcha Synerestiotes 239. 27
Ioannes imperator, Alexij filius, templum salutatori Iesu Christo ædificat 362. 47
Ioannes Caietanus pontifex 386. 51 Gelasius secundus dictus ibid. 52
Ioannes Cardinalis 399. 28
Ioãnes Sirmiẽsis abbas 406. 34
Ioannes Diptobatazius 425. 51
Ioannes Brennius rex 418. 34
Ioannes Lascaris 418. 47
Ioannes Exagonarum imperator 418. 48
Ioannes comes Hannoniæ 432. 12
Ioannes Stadlauuer 460. 17
Ioannes dux Brabantiæ 475. 3
Ioannes dux Normandiæ 475. 4
Ioannes Galeatius dux Mediolanensis 480. 47
Ioãnes archiepiscopus Strygonensis 491. 45
Ioannes Cuspinianus præfectis urbis Viẽnensis 616. 3
Iodocus Comes de Oetingen 473. 2
Iodocus Barbatus Marchio Brandeburgẽsis, rex Rom. 486. 1
Iohãna f. Eduardi regis Portugalliæ 505. 17
Iohanna Ferdinandi senioris Aragonum regis filia, nupta 607. 4
Iohannes pont. max. Ormisdæ successor 172. 50 carcere consumptus 173. 2
Iohannes tyrannus Rauennæ imperium ui arripit 154. 21 inde
Iohannes magister militum Vuittigem cepit 175. 31
Iohannes patricius legum corrector sub Iustiniano 176. 22
Iohannes Nescens patriarcha, coronat Mauritium Cæs. 181. 5 & 182. 18 Theodosiũ coronauit 185. 22 patriarcha Constantinopolitanus 186. 20

Iohannes Pizigandes patricius legatus ad faciendam pacem 195. 33 dux contra Sarracenos 198. 10
Iohannes Pontifex Romanus 199. 38
iohannes Diaconus dux naũ contra Saracenos 202. 20
iohãnes patriarcha Constãtinop. submotus 202. 10
iohannes Lurio Romam spoliaturus 205. 31
iohannes Silentiarius Romam missus ad Pipinũ profectus 210. 9
iohannis Chrysostomi libri combusti 214. 46
iohannes patriarcha Antiochenus 233. 47
iohannes patriarcha Const. abdicatus 242. 22
iohannes VIII Papa auarus 256. 17. 259. 42 Carolum Crassum imp. coronat 26. 40
iohannes Rauennas Romanus pontifex 280. 8
M. Iohannes Eladon regni moderator & tutor Constantini 269. 12 contra Cõstantinum Ducam 285. 24 inde
iohannes Garidas scholarũ domesticus creatus 286. 53
iohannes Bogas Patzinatos confœderatos contra Bulgaros ducit 286. 22
iohannes Curbas Agarenorum uictor 290. 4
iohannes Xiphilinus Lichudis successor 365. 5 quot annos ecclesiam gubernarit 374. 24
iohannes metropolita 372. 2
iohannes Zimisces imp. describitur 310. 40 inde
iohannes pseudopõtifex sede turbatus 317. 11
iohãnes eunuchus cognatus Michaelis Cæs. 334. 23 inde
iohannes Rationarius Monomacho Cæs. charus 346. 25
iohãnes Patricius Opsaras, quæstor, uinctus iterumq; solutus 359. 33
iohannes Boemiæ rex 464. 5 471. 30
Ioannis Henrici, regis Boemorũ filij, cum uxore dißidium 466. 7
iohannes Vuickleff 484. 25
iohannes Huß 484. 26. 493. 43
iohãnes Horkwathius 491. 21
iohannes Rochezana hæreticorum Apostolus in concilio Basil. 494. 44 inde
iohannes Pragensis Archiepiscopus 483. 12
iohannes comes de Hardeck captus à Bohemis 500. 31
iohãnes Fridericus marchio Brandeburgensis 503. 39
iohannes Comes de Schaunburg, legatus 507. 1
iohannes Frisingensis episc. 507. 46
iohannes Hunniadis regni gubernator delectus rex Hungarorũ 502. 40 inde & 505. 9 Comes Bistricensis creatus 508. 13 pater Mathiæ regis armis clarus 549. 17 inde mortuus 560. 49
iohannes Palæologus Imperator describitur 518. 40
iohannes ij Palæologus Orientis Imper. describitur 520. 31
iohannes Hispanus Segobiensis theologus, Alcorani uersor & refutator 534. 8
iohannes Antiochenus hæreticus 535. 42
iohannes Burgundiæ dux fusus 542. 26
iohannes de Gara dux cõtra Turcos 545. 44
iohannes de Marothbauis dux cõtra Turcos 545. 44
iohannes Castriotus Epiroti gubernator 547. 53 inde.
iohannes Vranas præfectus arcis, Belgradi 549. 9
iohannes Caruagralla Cardinalis, legatus Apostolicus 560. 2 inde
iohannes Capistranus professor ordinis minorũ 560. 3 inde
iohannes Fridericus dux Saxoniæ 607. 16
iohannes f. Ferdinandi regis Arragonum 607. 21
iohannes Castriotus Scãderbecchi filius 569 34
iolanta Henrici Flandrensis filia 416. 50
ioles uxor Petri Antisidorẽsis 417. 7
ionij populi in Gallijs origo 106. 42
iordannes Chartularius Romam spoliaturus 205. 51
iosephus dux belli, uates, idemq; postea scriptor 37. 5
iosephus Thessalonicẽsis episc. 224. 18
iosephus Bringas tumultum excitat 306. 11
iouianus magister equitum Valentem Imp. in oriẽtem sequitur 136. 25
iouinus Gallus tyrannidem affectãs periclitatur 152. 25
iouis mons 385. 16
ioui custodi templum erexit Domitianus 43. 25
irene uxor Constantini Copronymi 208. 34
irene Athenensis uxor Leonis quarti 211. 51 regina legatos pro pace mittit ad Carolum Magnũ 219. 51
irene Alexij Cõneni coniũx 377. 45
irene neptis Ioan. Ducæ Cæs. 377. 45 Augusta dicta 377. 45
irene Philip. Cæs. uxor 413. 16 aliàs Erina ibid.
irnst oppidum 607. 33
isaacius uir sanctus uaticinatur Valenti Imp. interitum 140. 40
isaatius Angelus 400. 1 eiusdem cum Guilielmo Siciliæ rege pax 400. 14 eius res gestæ ibid. 16 mors 400. 35
isaac rex Bosnensis 546. 45
isaac præfectus Sinederouiæ, fugatus 549. 27
isabella Friderici II uxor 426. 38. Ludouici Bauariæ ducis filia ibid.
isabella Reinoldi Geldriæ comitis filia 464. 41
isabella uxor Ferdinandi regis Aragonum 607. 5
isabella f. Philip. regis uxor Christierni regis Daciæ 607. 21
isaacius Comnenus dux belli fortißimus 358. 5 inde 361. 16 ex tyrãnide legitimũ imperium fecit 361. 4 patri archam cum nepotibus in exilium mittit 362. 5 quot annos imperauerit 363. 13 in rebus bellicis præstans 363. 14 in Venere temperatus ibid. à Turcis uictus 372. 26 eius imago in numismate quæ 361. 22 amicitia cum patriarcha 362. 1 bellum contra Vngros 362. 29 còntra Scythas ibid. 31 mors 362. 48 inde responsum, cùm tyrãnidis accusaretur 363. 21 fimilia 377. 14 inde & 378
isara fluuius 461. 37
isauri per Taurum populantur 151. 26 arma mouẽt contra Anastasium Cæs. 169. 24.
isdigertes Persarum rex tutor Theodosij f. Arcedij Imp. 152. 7
Isennach Thuringiæ oppidum 431. 16
isenacum oppidum 478. 17
isiaci sacerdotes in crucẽ adiguntur 14. 39
isidorus Cardinalis incognitus à Turcis redemptus 523. 21
isocaßius quæstor sordidatus 163. 1
Isthmus à Venetis munitus 562. 23
Isthmum perfodere tentans frustratur 25. 4 (4
itacylas prætor Opsicij 234.
Italia à Gothis depopulata 149. 43 omnium factionum mater 423. 49
italiæurbesdiripiũtur 158. 28
Italorum odium in Germanos 451. 15
itellus libertus, Galbæ Imp. amicitia abutitur 29. 47
de Iudæa triumphus Vespasiani 37. 43
iudæa direptà 189 50
iudæi cõtra Romanos bellũ gerunt 36. 48 ducenta & uiginti milia Rom. & Græcorum trucidant 51 7 profligati, crudelitatis pœnas dant 51 17
iudaicus exercitus iurat Vespasiano Imp. 37. 18
iudaici ritus à Nerone compescuntur 14 38

Iuditha

Iuditha f. Hermanni Franconiæ comitis 328. 37
iulia Cæsaris amita 3. 33 Põpei uxor 4. 9
iulia, filia Iulij Cæsaris 5 44
iulia Augusti filia 11. 2 Augusta 11. 37 altera Neronis uxor 15. 53
iulia Augusti neptis 11. 16
iulia Drusilla Caligulæ filia 29. 33
iulia Agrippina IIII Cl. Tib. Neronis uxor 23. 22
iulia familia deficit 27. 38
eiusdem series typo descripta 28
iulia, secũda uxor Seueri Imper. 31. 13
iulia mater Antonini Caracallæ, sepulto filio, seipsam conficit 73. 26
iulia Mammea Syra, mater Alexandri Imp. 78. 2
iulianus Domitiani legatus strategemate usus 48. 52
iulianus turbat Italiam 107. 19.
iulianus Imperator frater Galli Imper. 123. 6 describitur 124. 9 inde
iulianus Byzantius Imperator & apostata describitur 126. 36 inde
contra Iulianum apostatã scripserunt, Cyrillus 127. 9 Methodius, Eusebius, Apollinaris 130. 420 Gregorius Nazianzenus 132. 10
iulianus Saba religiosus, de morte Iuliani apostatæ 130. 16
iulianus Cardinalis inchoat concilium Basilienſe 494. 39
iulianus Cæsarinus Cardinalis 550. 13. 551. 41
D. Iulianus Imper. Vide Didius
C. Iulius Cæsar 2. 39
iulius Vindex dux in Gallia 26. 18
iulius Sabinus bellum ciuile mouet in Italia 37. 32
iulius Alexãder legatus Neruæ Imp. 50. 45
iulius I. C. consiliarius Adriani Imp. 55. 14
iulius Frontinus præceptor Alexandri Imp. 78. 20
M. Iulius Philippus Arabs, Imperat. describitur 86. inde proauus Licinij 115. 30
iulius comes Gothorum incursus oppreßit 137. 2
iulius Germanus in uenatu cum Martiano Imp. 160. 46 inde
iulius Nepos 164. 35
iunia Claudilla Caligulæ uxor 19. 5
T. Iunius malus consiliarius Galbæ Imp. 29. 43
iunius Rusticus à Domitiano perimitur 44. 4
iunius rusticus philosophus 58. 39
iunij Mauri lepida admonitio 46. 6
iuris ciuilis compositor & corrector Iustinianus 176. 17
iurisconsulti in consiliũ adhibentur 55. 14
iusta f. Valentiniani Imper. 139. 47
iustina secunda uxor Valentiniani Imp. 139. 36
iustina Valentiniani iunioris mater Arrianos defendit 143. 23 inde
Iustiniana ciuitas Illyrica, antè Bedirina dicta 173. 37
iustinianus & Iustinus in cõspiratione deprehensi per somnium seruantur 171. 38
iustinianus adoptatus à Iustino Cæs. 173. 10 Cæsar describitur ibid. 35 inde
iustinianus præfectus Orientalis exercitus sub Tiberio Cæs. 181. 3 Iustini nepos, ob regnum affectatũ deiectus & reconciliatus 181. 36
iustinianus patricius occisor Constantis Cæs. 195. 16
iustinianus iunior, aliàs Iustinus, tertius describitur 196. 14. inde fuga elapsus ad Auares, gener Cachani factus 198. 49 regno restitutus 199. 7 inde
iustinus dux contra Persas, postea Cæsar 171. 14 Cæsar describitur 172 inde
iustinus minor Iustiniani Cæsaris ex filia nepos consors imperij factus 177. 22 Cæsar describitur 178. 20 inde
iustus socer Valentiniani Imperatoris 139. 37
iuuianus successor Iuliani Imper. Constantium Imp. sepelit 125. 15 Cæsar describitur 132. 20 inde

K

Karamaneli pop. 539. 10
katzenelenpogen Comitatus 466. 28
keiserſperg oppidum Imperiale 469. 28
khelheym oppidum 426. 38
kirchberg Comitatus 46. 27
kongsfeld monasteriũ 464. 31
krembs Austriæ oppidum 429. 6
kunegundis filia Philippi Cæs. 413. 20
kunegund. f. Friderici, uxor Alberti ducis Bauariæ 606. 9

L

Labacum Carmiolæ oppidũ obsessum 505. 1
Labarum quid 114. 50
Labezlaus Boemiæ dux 404. 25 regio diademate insignitus 404. 32
Lacapenus Drũgarius 286. 23
Ladislaus Vngariæ rex 439. 21
Ladislaus f. posthumus Alberti V. Imp. 502. 2
Ladislaus f. Ioannis Huniadis ab Hungaris rex nominatus 802. 38 inde pupillus Vlrico Ciliæ comiti traditus 507. 49 inde
Ladislaus Sũthemius ex Rauenſpurgo, Viennenſis canonicus 603. 37
Ladislaus Vacienſis, cancellarius Hungariæ 608. 11
D. Ladislaus de Sternberg Boemiæ Cãcellarius 617. 52
Lætus præfectus prætorio Romæ incendiũ prohibuit 63. 13 Pertinacem ad imperium uocat 64. 28. Idẽ eundem in palatio confodit 65. 10
Lætus Pompeianus occiditur 72. 37
Lalacaon regio 245. 18
Lalia Austriæ oppidũ 439. 32
Lampadias interdiu apparuit 174. 3
Lambertus comes contra Iohannem VIII papam 259. 43
Lambertus f. Guidonis Imperatorem ſe uocat 271. 21 Roman. imperiũ affectans 276. 22 inde
Lambertus archiepiſc. Mediolanenſis 280. 22
Lambertus Hoſtiẽſis Epiſcopus 387 50. Honorius ſecundus dictus ibid.
Lambertus Raginerij Montẽſium comitis f. tumultuatur 314. 26
Lancenus ad Oriẽtis ducem legatus 208. 53
Landſperg oppidũ 460. 35
Laodicea urbs à Turcis capta 536. 52
Lariſſa expugnatur 379. 7
Lateranum Concilium habitum 386. 11. 424. 12
Latrocinia magna in agro Vuirtzburgenſi 386. 42 in agro Moguntino 386. 44
Lauacrum Agrippæ Romæ reſtauratur 55. 16
Lauda urbs 405. 10
Laurentius presbyter comes 617. 7
Lazarus monachus pingendo celeberrimus 237. 23
Lazarus Seruiæ Deſpota, dux contra Turcos 541. 21
Leges rogatæ à Marco Antonino Imper. 59. 33 religioſæ latæ 116. 41
Legum conditor atque corrector Iuſtinianus Imper. 176. 17
Lemannus lacus 438. 20
Leo pontifex, Theodoſium Imp. pijßimũ appellat 155. 21 ſalutem Italiæ ab Attila impetrat 158. 31
Leon primus, Imp. 162. 32 Cõſtantinopoli 164. 25
Leon ſecundus Zenonẽ coronauit 166. 2
Leo Iſaurus ab exercitu Imperator dictus 203. 19 inde. Idem Imperator deſcribitur 204. inde

Leo Spatarius Legatus Irenes Augustæ ad Carolum Magnum 215. 3
Leo Thraciæ et Macedoniæ præpositus 215. 15
Leo III Pontifex à Carolo Magno defensus 219. 36
Leo Orientalis dux insidias struit Imp. Michaeli 224. 53 inde Cæsar describitur 226 inde
Leo uir insignis ex professo re pontifex Thessalonicēsis 245. 46
Leo V. f. Basilij Cæs. 251. 49 à patre carceri inclusus 255. 2 Cæsar Orientalis describitur 264. inde
Leo Cherophractes rebellis 285. 34
Leo f. Phocæ Bardæ præfectus Cappadociæ factus 290. 38 dux cōtra Turcos 304. 32 inde
Leo IIII Papa 538. 39
Leo IX Papa 349. 6
Leon Athenienſis Sophista pater Eudoxiæ 156. 7
Leonardus Aretinus Procopij uersor 176. 2
Leonas quæstor legatus ad Iulianum 124. 46 & 128. 4
Leonina urbs 385. 22
Leonora f. Eduardi regis Portugalliæ, uxor Friderici III Imper. 505. 17 inde uxor Maximiliani Cæsaris 602. 5
Leonora f. Philippi Imp. uxor Emmanuelis regis Portugalliæ 607. 11
Leontia f. Odoacri regis Gothorum 165. 33 uxor Phocæ Imp. 189. 1
Leontius cum exercitu missus contra Illum 167. 43
Leontius dux contra Mardaitas 196. 50 carcere emissus, dux Græciæ, salutatus Imperator 197. 46. inde calcatus & occisus 199. 28
Leopoldus Orientalis Marchio 388. 51
Leopoldus Vuormatiēsis episcopus 412. 25
Leopoldus Austriæ dux 422. 24 Alberti Cæs. filius 450. 19 prope Sempach ab Heluetijs occisus ibid. 21
Leopoldus dux Sueuiæ, primus Marchio Austriæ 293. 51
Leopoldus dux frater Alberti IIII ducis Austriæ, tutor Alberti filij 499. 10 inde
Lepidam amitam occidit Nero 26. 2
Lepida unica uxor Galbæ Imp. 31. 10
Lepidus triumuir cum Octauiano 8. 4
Idem circeijs exulat ibid. 17
Leptis Ciuitas Aph. 69. 31
Lepus Romæ uincendæ occasionem præbet 271. 26
Lesbos insula à curcis capta 379. 27. 561. 48
Lescharchadij, iudices exercitus 580. 52
Leytta fluuius 428. 41
Libanius rhetor, præceptor Iuliani Imp. 126. 50
Libanius Sophista, Christianum rogat quid fabri filius agat 130. 12 amicus Iuliani apostatæ 130. 49 uaticinatus per literas 138. 36
Liberalitas optimum militibus remedium 185. 9
Lichus fl. 218. 43
Licinius Mutianus Syriæ præfectus 37. 24 insolescens reprimitur 38. 23
Licinius consors Imperij in Illyrijs 111. 11 describitur 112. 12 inde
Licinius iunior f. Licinij Cæsar creatus 117. 37 occiditur 119. 12
Licinij iunioris ortus 116. 40
Lilingus dux strenuus Isancorum 169. 29
Limonicum bellum cum Carolo Magno 229. 14
Literæ nouæ inuētæ & obliteratæ 21. 35 (22
Literæ Gothicæ inuētæ 140.
Literarum uaticinium exponitur 138. 35
Literati amantur 78. 21
Littorius dux Humiorum in Gallijs 157. 4 inde
Liturgia quid 385. 48
Liuia Drusilla quarta Augusti uxore 11. 29
Liuia Horestilla à Caligula rapitur et repudiatur 19. 15
Liuia Medullina spōsa Claudij 22. 35
Liuius reprehensus ab Antonino Cæs. 503. 46
Locusta uenenum lentū præparat 22. 20
Locustarum magnitudo & multitudo maxima 248. 46 solē obscurauit 380. 19. 20
Loestain castum 476. 19
Lollia Paulina quarta Caligulæ uxor 19. 19 C. Cæs. uidua 23. 20
Lollia Auli Gabini uxor corrupta 6. 11
Loliana clades Rom. à Germanis illata 9. 7
Lollianus Imperator à Gallis declaratur 94. 2
Longinus legatus Neruæ Imper. in uinculis 49. 15
Longinus Selimētheus militiæ magister, dilaniatus 170. 44
Longinus præfectus Italiæ 179. 35 primus Exarchus 180. 13
Lōgis tibijs canere prouerb. 32. 23 (53
Lōgobardia tota euersa 422.
Longobardi ex Pānonia in Italiā inuitati 179. 40 Romam obsidētes sub Tiberio ab imbribus pulsi 181. 33 Beneuentū opp. diu occupatum amittunt 290. 13
Longobardorū cū Cōstante Cæs. bellum 294. 8 regnū euertit Carol. Magnus 220. 24 imper. compressum 216. 20 bellū sub Mauritio Cæs. 183. 25 bellum cum Carolo Magno 218. 11
Loracēse monasteriū 394. 21
Lorissæ sepultus Ludouicus senior Imp. 249. 33
Losogastus primas Sicāber 328. 47
Lotharius f. Caroli Magni, cōsors imperij cum fratre 230. 7
Lotharius ij f. Ludouici Pij, sedato Italico tumultu coronatus 230. 52 in patrem conspirans 231. 19 inde Cæsar describitur 239. 40 inde
Lotharius Lotharij Imp. filius 241. 2 fratri Ludouico subueniens contra Saracenos 247. 50 inde
Lotharij stirps 249. 28
Lotharius f. Caroli Calui 258. 21
Lotharius f. Hugonis & Aldæ rex Italiæ 280. 35 ex parte Italiæ rex 281. 19
Lotharius rex Franciæ contra Imp. 314. 35
Lotharius Cæsar Gebhardi comitis f. 388. 36 eiusdem mors 390. 33
Lucania deficiens à Ludouico ij Imp. 248. 4
Lucas de Flisco Genuensis episcopus 455. 5
Luceria à Constante solo æquata 194. 5
Luchinus de Mediolano 477. 37
Lucilla filia Marci Antonini nupta Pompeiano 50. 23
Lucilla patruo desponsata 59. 11 f. Marci, uxor L. Veri Imp. 61. 45 à fratre Commodo Cæsare occiditur 62. 46
Lucillianus socer Iuuiani Imperatoris 155. 6
Lucius nepos Augusti 11. 10
Lucius Munimius Achaicus 28. 22
Lucius Vitellius pater A. Vitellij Imp. 33. 16
Lucius Vitellius, frater A. Vite. Imp. exercitum ducit 35. 6 perit. ibid. 35
Lucius dux Neruæ Imp. multa prospere gerit 50. 43
Lucius Quietus Iudæos uincit 51. 18
Lucij ueri descriptio uide L. Veri
Ludouicus, Pius rex Aquitaniæ f. Caroli Magni 220. 22 Cæsar in occidente describitur 229. 34 inde dux Bauariæ 230. 8
Ludouicus f. Ludouici Pij in Bauariam ablegatus 231. 28 inde contra fratrem Lotharium 239. 47 inde. Senior dictus 249. 22
Ludouicus ij Lotharij Imp. filius 241. 2 ij seu iunior dictus, Cæsar Occidētis, describitur 247. 20 inde 249. 36
Ludouicus f. Caroli Calui, rex Italiæ à Berengario excæcatus 249. 16

Ludouici Pij ſtirps 249. 21
Ludouicus F. Ludouici Balbi 260. 25
Ludouicus F. Caroli Simplicis 261. 20
Ludouicus IIII.F. Arnulphi Cæſ. 272. 39. Imperator deſcribitur 273. 12 inde
Ludouicus Boſonis regis F. ad regnum Italiæ inuitatus 277. 43. inde
Ludouicus Lotharij F. rex Franciæ 316. 39 inde rex Galliæ 387. 42. 393. 25. 419. 9
Ludouicus Comes Bleſenſis 401
Ludouicus maritus S. Eliſabeth 421. 10
Ludouicus Palatinus Rheni 431. 46
Ludouicus ſenior de Oetingen 460. 53 una nocte canus factus 465. 19
Ludouicus Cæſar 465. 6
Friderici pulchri cõpetitor 465. 7 eiuſdem mors 473. 32
Ludouici Iunioris progoni 465. 10 inde
Ludouicus Hungarorũ rex 491. 13
Ludouicus S. Ceciliæ Cardinalis legatus concilij Baſilienſis 504. 41
Ludouicus Caroli VII regis Francorum filius 505. 21 Franciæ rex contra Maximilianum 404. 11 inde
Ludouicus Aquileienſis antiſtes, præfectus triremium 561. 21
Ludouicus dux Bauariæ, nepos ex ſorore Maximiliani 606. 38
Ludouic. dux Bauariæ 608. 14
Ludouicus filius Vladislai regis Hungariæ & Bohemiæ 607. 52. rex Hungariæ 607. 14 & 608. 39 inde choreas ducit 628. 53
Ludouici Boemiæ regis & Maximiliani Cæſ. & Poloniæ & Hungariæ regum congreſſus 616 inde
Ludus curſus equorum inſtitutus 620. 36
Luidolphus F. Othonis magni, Berengarium debellauit 281. 34
Luipoldus dux Auſtriæ 405. 2. 409. 48
luitburga uel Lutberta Thaſſilonis ducis rex 218. 41
Luitgarda V. uxor Caroli Magni 220. 35
Luitgarda ſecũda uxor Arnulphi Cæſ. 272. 38
Luitgarda uxor Ludouici 2 Imp. 274. 18
Luitprandus Longobardorum rex Rauẽnam fruſtra obſedit 206. 5
Luituualdus Vercellenſis epiſc. de adulterio ſuſpectus 262. 49
Lupicinus magiſter equitum Valẽtem Imp. ſequitur 136. 25
Luppia fl. 9. 22
Lupoldus Babenbergius de trãslatione & iurcibus imperij redarguitur 216. 7
Lupus Vaſconum dux 218. 8
Luſius cõſularis ob inſidias morte plectitur 54. 9
Luſores pro pecunia quocũque genere ludi, ignominia afficiuntur 594. 20
Lutetia à Normannis ſpoliata 240. 41
Luthardus primus, comes Cleuenſis 272. 42
Luther monaſterium 392. 31
Luxus cohibetur à Nerone 14. 36
Lybici belli ſub Iuſtiniano Imp. ſcriptor 176. 6
Lycia à Veſpaſ. in prouinciã redigitur 37. 45
Lycus fluuius 460. 34
Lygos primò dictum, deinde Byzantium, poſtea Conſtãtinopolis 521. 44

M

Macarius Antiochenus antiſtes monothelitas tutatus 196. 3
Macedonia à Perſis Roman. Imp. ablata 187. 32 deuaſtata ſub Alexio Comneno 379. 46 à Baſaite Turco occupata 542. 8
Macellinus cur dictus ſit Macrinus Imp. 75. 20
Macharius pontifex, in inſulam relegatur 138. 21
Macrianus cum filijs Imp. fit 92. 47. uincitur 93. 15
Macrinus præf. prætorio, Antonin. Caracallã Imp. interfici curat 73. 18
Op. Macrinus Imp. deſcribitur 74. inde
Macron proſtituit uxorem, & uenenum præbet Tiberio 19. 11
Macron tichos, murus à mari ad Zelymbriam 170. 53
Mæonius, conſobrinum Odenatum interimit 92. 19
Magdalena f. Caroli Frãcorũ regis, ſponſa Ladislai regis 505. 11
Magdeburgenſi eccleſiæ paſtor à Friderico primo collocutus 403. 9
Magica 170. 16
Magnifridus comes Mediolanenſis capitis damnatus 276. 40.
Magiſtratus uendi non paſſus Imp. 78. 47. de Magiſtratib. publicis Turcorum 579 inde
Magnentius factionem commouet in necem Cõſtantis Imp. 120. 49 inde idem Imp. deſcribitur 121. 15. inde Imperator à militibus creatus 194. 34
Magnus patricius ob inſidias Maximino paratas punitur 81. 19
Magnus magiſter, hæreſios Bogomilorum preco 380. 25. combuſtus 380. 36
Mahometi lex circumlata 192. 6
Mahometh contra Rom. Armeniam recuperat 198. 43
de Mahomete Saracenorum Phylarcho & pſeudopropheta 532. 20 inde
Mahometus Primus, Sextus Turcorũ rex 546. 10 inde
Mahometus Secundus, VII Turcorum rex 557. 6 inde
Mahometus filius Triballi 559. 10 inde
Mahumetes Amurathis filius Turcorum dux 521. 43 inde
Maianardus dux belli ciuilis in Bohemia 494. 52 eidem regnum Bohemiæ commiſſum 501. 17
Maior domus quid 217. 5
Maiorianus apud Rauẽnam Occidentale arripit imperium 163. 15
Maluitiorum & Bentiuolorum factio 423. 50
Malum malo additum ſymbolum facit 533. 28
Mamertianus Italiã & Gallias gubernat 136. 28
Mammæa ſoror Scenidis ſeu Symiamiræ 76. 13
Mamia Scantilla uxor D. Iuliani Imp. 67. 10
Manfredus Friderici 2 ſpurius 426. 43
Manias dux Arabum 196. 38
Manichæa hæreſis 223. 28
Manichæi ab Eccleſia remoti 141. 50. 243. 44 Philippopolim relegati 311. 18. ad fidem orthodoxam conuerſi 381. 42
Manichæorũ lex uetus 380. 8. factio depellitur 380. 7 bellum cũ Baſilio Cæſ. 252. 17. inde
Mannia regina Saracenorũ 141. 11
Mãtile cui Chriſti imago re ipſa impreſſa 290. 26
Manuel præſtãtiſſimus bello contra Arabes 238. 3 inde
Manuel præceptor Michaelis Cæſaris 242. 8. magiſter 244. 1 inde
Manuel Comnenus Iſacij nepos exercitui præficitur 368. 30
Barbaros uicit ibid. 32 captus 368. 38
Manuel Cæſar 395. 44 à pueris Tryphon uocatus ibid. 53. quomodo imperium ſit adeptus 396. 2. Solimannum fugauit 398. 20
Manuelis Cæſ. nomen Francis odioſiſſimum 397. 20 præliũ cũ Turcis 39. 28. mors 398. 6. tres uxores 398. 9
Manuel Palæologus Imper. deſcribitur 519. 35. inde
Marabaudus Germanus à Nerone decipitur 14. 49
Marahenſes ſeu Maramani 270. 22 inde
Marburgum urbs 431. 51
Marcellinus adiutor conſpirationis contra Conſtantem Imp. 121. 2
Marcellus Auguſti gener 11. 2

Marcellus Niceæ principatũ capessens 138.2
Marcellus iudex à Stoza interemptus 174.42
Marcello I. C. usus Antoninus Pius 57.35
Marchia fluuius 429.1
Marcia Flauia II uxor Titi Vespasiani 42.30
Marcia concubina Commodi Cæs. 62.46 conspirat in eundem 63.13
Marcia uxor Seueri Imperatoris 71.2
Marcianopolis urbs Mœsiæ condita 49.24
Marcius Philippus consularis 7.4
Marcius Turbo Pannoniæ ac Daciæ præficitur 54.8
Marcomanni, terrore incusso Romanis, tandem superantur 98.27
Marcomannicum bellum cõfectũ à Marco Antonino 59.42
Marcomannorum conspiratio 465.48
Marcus Antoninus ab Antonino Pio adoptatus 55.38. & 57.1. Imperator describitur 58.20. inde
Marcus Aurelius Antoninus Bassianus accipiẽs Imper. nomine augetur 71.2 describitur ibid. 30. inde.
Marcus Antoninus Heliogabalus nascitur 73.37
Marcus Antoninus Bassianus Varius Heliogabalus Imp. describitur 76. inde
Marcus philosophus Imperator eligitur 85.29
Marcus Iulius Philippus Arabs Imperator describitur 86. inde
Marcus f. Basilisci Cæsar factus 166.29
Marcus Craienicus Bulgarorum princeps 542.11
Mardonius præceptor Iuliani Imperatoris 127.1
Margarita Leopoldi ducis Austriæ filia 428.19
Margarita comitissa Flandriæ 432.12
Margarita ducis Brabantiæ filia 457.21 Henrici VII uxor ibid.
Margarita f. ducis Stetinensis, uxor Ernesti ducis 503. 50.
Margarita f. Ernesti ducis Austriæ, uxor Friderici ducis Saxoniæ 540.14
Margarita f. Maximiliani 604.9 inde 607.2
Maria uxor Honorij 153.14
Maria uxor Leõis Isauri Imperatoris 207.49
Maria Philarethi f. uxor Nicephori Cæs. 213. 33
Maria f. Theophili Cæsaris 236.47 & 237.45
Maria de Arragonia uxor Ottonis III Imp. 318.9
Maria Alana Michaelis Parapinacei cõiunx 374.28
Maria Ludouici Hungariæ et Poloniæ regis f. uxor Sigismundi Imp. 497.48
Maria Caroli Burgundiæ ducis filia, uxor Maximiliani 604.3
Maria f. Philippi regis, uxor Ludouici regis Hungariæ et Bohemiæ 607.14
Maria regina Hungariæ 609.30.
Maria fil. Caroli ducis Burgundiæ 612.24
Maria Blanca filia Galeacij ducis Mediolanensis, uxor Maximiliani 606.3 612.48
Marianus dux contra Vitalianum 169.48
Marinus Spatharius Romã spoliaturus 205.48 socer Theophili Cæs. 236.42
Marinus Michael prætor 417.46
Maritus dux contra Scythas ob affectatum imperium pœnas dat 87.28
Marius faber ferrarius, triduanus Imp. 94.20
Marquardus Henrici VI da pifer 409.37
Marquardus comes de Randeck 468.52
Martialis centurio, Antoninum Caracallam Imperatorem confodit 73.19
Martiana soror Traiani 52.11
Martiani insidiæ defectæ 79.35
Martianus Scythas uariè agitat 94.37
Martianus Cæsar describitur 160.20 inde
Martianus filius Anthemij Imperatoris 165.34
Martina filia Arcadij Imperatoris 151.36 & 154.43
Martina altera uxor Heraclij Imperatoris & ex fratre neptis 192.28
Martinianus officiorum magister Imperator creatus 116.15
D. Martinus præsul mortem maximo tyranno uaticinatus 145.46
Martinus Patricius magister militũ in Aphrica 174.41 dux contra Persas 178. 50
Martinus filius Maximi, cõcilio habito, Monothelitas damnat 193.19
Martinus quintus Papa electus 493.11
Marusia scortum uxor Guidonis 280.32
Masaldas Arabũ præfectus, cũ exercitu in Thraciam 204.52 inde
Mascezel fratrem ob impietatem oppugnat ac superat 148.33 inde
Massagetæ Persiam inuaserunt 124.2
Mastor Iazix rogatus ut mortem inferret Adriano Imperatori fugit 55.49
Maternus Lasciuius, cùm milites ipsum ad imperium trahere uellent, nudus fugit 64.42
de maternis bonis leges rogatæ à Marco Antonino 59.36
Mathesuenta Theoderici regis neptis, Vuitegi regi nupta 174.51
Mathilda uxor Ludouici IIII Imperatoris 274.18
Mathilda f. Henrici III Imperatoris rapta 351.2
Mathildis obitus 386.28
Matthæus Tusciæ comes 420.20
Matthæus Mediolani magnas 453. 9
Matthæus Salisburgẽsis cardinalis 608.9
Matthias rex f. Ladislai, captus 503. 4
Matthias Huniadis rex Hungariæ creatus 510.39 inde contra Turcos 562.9 inde, et 569.38 inde mortuus 605.24
Mauuerbachium monasterium 464.24
Mauias Sarracenorum dux contra Romanos 293. 26 inde & 195.32
Mauriaci campi 157.42 inde.
Mauri Romam oppugnant 235.36
Maurus comes ordinis, torque aureo Iulianum Imperatorem coronat 127.40
Mauritius comes fœderatorum, præfectus exercitus Tiberiani 181.24 gener et f. adoptatus Tiberij imperium accipit ibid. 49 in de Cæsar describitur 182. 13 inde
Mauritius patricius classis præfectus contra Chersonesum 199.41
Mausolæũ cineres capit Augusti 12.9
Maxẽtius filius Maximiani Herculei 109.19 à prætorianis militib. Imp. factus, tyrannus 111.3 inde describitur 112.10 inde
Maximinianus Herculeus Imp. describitur 106.31 inde
Maximilianus fil. Friderici tertij, consors imperij reditus 512.6 inde Cæsares proprias scripsit 601. 25 idem describitur 602 inde Arragonum regem sibi coniunxit 616.17 in Maximiliani morte admiranda duo obseruanda 613.2
Maximiliani cũ trib. regibus Hũgariæ, Poloniæ et Boemiæ cõgressus 616. inde
Maximilianus dux Mediolanensis 609.34.
Maximinus dux Alexandrũ Imp. trucidat 79.19
Maximinus Thrax Imperator describitur 80.18 inde.
Maximinus, qui seipsum in Oriente Cæsarem fecerat, describitur 116. 48 inde

Maximus libertus Domitianum confossum contrucidant 44.28
Maximus dux Neruæ, acie uictus occubuit 50.43
Maximus Puppienus contra Maximinũ Imperator eligitur 81.52 inde et 83.7
Maximus philosophus familiaris Iuliani Apostatæ 130.52
Maximus dux Romani exercitus, quomodo Imperium arripuerit 142.23 inde
Maximus Britanniæ tyrannus occisus 145.45
Maximus senator fraudulentus arripuit imperium 158.48 inde tyrannus uiolentis nuptijs infelix 161.37
Maximus q̃ repugnaret Monothelitis, occisus 193.10
Mazaca ciuitas, Cæsarea cœpit appellari 14.48
me mortuo terræ ignis misceatur, adagium 17.19
in Mecha Persidis urbe sepulchrum Mahometis 537.34 566.18
Mechtildis f. Theoderici Saxonis, uxor Henrici Aucupis imperatoris 296.2
Mechtildis comitissa de Henneburg 433.8
Mechtildis comitissa in Spãheym 465.32
Mechtildis Henrici Angloru̇ regis filia 388.19 Henrici V imp. uxor ibid.
Mechtildis soror Friderici comitis Palatini, sponsa Alberti ducis 507.11
Medarses f. Cosrois consors regni 190.47
Medicorum turba interfecit regẽ, dictũ Adriani 56.3
mediocritas optimũ, prouerbium 613.38
Mediolanũ diruitur 158.30
Mediolanenses rebelles 405 9. superbissimi 404.48 in fugam uertuntur 404.53
Mediolanensium ager deuastatus 405.18 tertiò deuastatus à Friderico primo 405.37
Megabyzus aristocratiã laudat 1.20
Meinhardus comes Goriciæ 430.5 Tyrolis ac Goriciæ comes 437.1
Melisenus Theodotus Dyonymus 226.33
Melitene urbs Cappadociæ, 365.43
Melobaudes armaturarũ tribunus 123.28
Memmia uxor Alexãdri imperatoris 79.48
Mẽdi sedes Turcici regni cõstituta 536.53
de mensarijs leges rogatæ à Marco Antonino 59.34
mensium nomina germanica primus qs inuenerit 216.32
menteschebeli 539.10
Merobaudis tribunus consulit Gratiano 141.47
Meroueus Francorum rex 157.48 inde
Mesembria ciuitas 204.7 oppugnata à Bulgaris 224.32
Mesene insula in Tigri à Nerua imp. subigitur 50.30
Mesetbegus superatus ab Hũniada 549.31
Mesopotamia à Rom. populata 154.4 à Tiberio Cæsare recepta 180.53 à Persis occupata 187.28 uastata sub Heraclio Cæs. 289.47 Rom. Imp. restituta per Heraclium Cæs. 191.8 à barbaris direpta 365.42
Messas Gothus dux contra Persas 171.17
Metellinus insula 561.51
Methodius contra Iulianum scripsit 130.42
S. Methodius martyr 233.26 in Panno. relegatus 237.31
Methodius patriarcha Constant. electus 242.23 inde
Metianus filius Cassij occiditur 60.48
Metis sepultus Ludouicus Pius Imperator cum matre 232.14
Metius Pompositanus, à Domitiano occiditur 44.3 propter genesim occisus 45.15
Metoposcopi ex facie Titum imperaturum prædicunt 40.42.
Metropolites Amasias Stephanus pontifex Constantinopolitanus 288.46
Mezentius Imperator à militibus creatus 194.34
Micæas seu Meccas Gothus, pater Maximini Imperatoris 80.19
Michael Curopalates Rancabe, cõiugatus, electus imperator 223.39 Cæsar describitur 224. inde
Michael Traulus nudo ense Leonẽ ad imperium cogit 225.21 omina imperij accipit 226.6 inde ad supplicium ductus et à regina exemptus 227.47 inde rex proclamatus 228.52 inde Imperator describitur 232.45 inde
Michael f. Theophili Cæsaris 237.52
Michael Rangabe filius prostrator 238.10 inde
Michael f. Theophili Cæsar orientalis describitur 242. inde
Michael Christophori filius clericus 290.41
Michael cubicularius amore reginæ fretus, periurat. 333.38. inde Cæsar describitur 334.18. inde
Michael Calaphates, Imperator describitur 339. inde
Michael Bysantius Cæsar describitur 358.40 inde
Michael Parapinaceus Constantini Ducæ imperatoris filius 371.41. unde nomen habeat ibid. 42 quot annos regnarit 374.31 eiusdem coniunx 374.29
Michael Anemas 380.45
Michael Palæologus Oriẽtis Imp describitur 516. inde.
Michael fil. Andronici Palæologi Imperatoris describitur 517.21 inde
Michael Zylogi Albæ Græcæ præfectus 561.13
Michael monachus 617.8
S. Michaelis templum Constantinopoli præclarum 252.1
militare nolentes, monachi relegantur 138.18
militaris disciplina 78.51
de militari instituto Turcorum 579. inde
militum Turcicorum genera 581.46 inde
Milo proditores Berengarij ulciscitur 279.27
Mimas mons Asiæ 140.15
Mimas Macedonum præfectus 141.4
Mineruina concubina Constantini Magni 117.38
ministri Cæsaris Turcici 581.16
miraculum milites mouẽs ad imperium Claudio reformandum 21.6 duorum equitum 116.16 libri Euangeliorum in igne non combusti 254.39
miracula Vespasiani in Aegypto 37.28
Misithei soceri Gordiani Imperatoris, prudentia, honor & interitus 84.31 inde.
Misnensis Marchio elector factus 493.30
Misohel cubicularius insidiarum socius 172.25
Mitra id est Sol, unicus Deus Persarum 189.40
Mittenburgum urbs 432.46
Mitylene insula à Turcis uicta 561.48
Mnesteus notarius, imperatore interempto, bestijs obijcitur 99.9
Mœcenas ob taciturnitatem ab Augusto diligitur 10.37
Moesa soror Iuliæ 76.6
in Mœsiam & Sarmatas expeditio 54.7
Mœsiacus exercitus Vespasianum eligit Imperatorem 37.20
Moguntia urbs 431.48
Moguntinus archiep. archicancellarius Germaniæ et elector factus 317.21 cancellarius imperij 216.28
in Moguntino agro ingètia latrocinia facta 386.44
Moldauia recuperata imperio 549.42 598.45.
monachi militare coguntur 138.18
monachorum habitationes ab Alexio Comneno ædificatæ 383.29
monarchia laudatur 1. inde
monasteria multa Pragæ fundata 479.35

monaxyla naues 344.21
mone domicilium, ubi sepultus Stauratius 223.51
moneta adulterina corrigitur à Nerua Imp. 49.37
monothelitarũ hæresis 192.10 causa in Synodo tractata & condẽnata 196.1
mons Iouis 385.16
monstrum, duorũ iuuenum concreta corpora 290.31
mõtius Afer quæstor ob admonitionem trucidatur 123.15
morathbeg, septimus Turcorum Imperator 547.14 inde
morauia tributaria facta 325.38
morea hodie dicitur, Pelopõnesus peninsula 562.14
demoribus domesticis Turcorum 592.16. inde
mortagos Bulgarorũ princeps Romanis auxiliũ fert contra Thomam 234.32
moschus quidã in medio cursu, ex uno equo in alterum salijt 620.40
mosella fluuius 391.44
moses, infante perẽpto, pœnas dat 557 28. inde
moyses patruus Orchanis 545.51
Muldorff 462.7
mulenbach oppidũ Hungariæ 538.50
mulenberg Alsatiæ oppidũ 437.48
mulier primùm in senatu sedet 76.36
mulieres per S.C. Senatu excluduntur 77.15
mulierum Senatus in colle Quirinali extructus 76.37
mulhausen urbs 431.51
mummia Achaia mater Galbæ Imp. 28.20
munster oppidum imperiale 269.28
murcia ciuitas 434.48
L. Murena ob coniurationẽ morte plectitur 8.27
apud Mursam magna strages 121.48
murus octingentorum miliũm passuũ, Barbaros à Romanis discernens 54.38
murzyphlus Alexium Iunio rem necat 401.47 eiusdem mors ignominiosa 401.52
muse Turcorum Imperator 546.26
musices studio addictus Nero 25.7
mustapha Baiazetis filius 347.28
mutilius præfectus Romanorum in Iudæa 36.50
mutinense bellum 7.37
Mylhausen oppidum 411.38
mysia utraq; Bulgaris concessa 195.43 à Turcis subacta 541.17
in Mysiam transitus ex Pannonia 598.4
mysij, qui hodie Seruij 542.9
myzisius Imperator à militibus creatus 194.34

N

Nandoralbensis arx à Turcis obsessa 559.47
narbonẽsis Gallia nunc Prouincia dicta 241.6
narcissus præcedit in triumpho Claudij 21.45 athleta strangulat Commodum Cæsarem 63.16
narses eunuchus cubicularius contra Gothos missus 175.47
narses patricius Italiam gubernans 179.29
narses cubicularius præfectus exercitus Tiberiani 181.25 victoria potitus Cosroen restituit 183.2 contra fidem extinctus 188.8
narsetis thesaurus inuentus 180.32
narseus in Oriente bellum mouet 107.18. inde
narseus rex Persarum 107.47. inde
narsius Parthorum dux superatus 154.3
natolia pars regni Turcici 580.11
S. Nazari cœnobium prope Vuormaciam 249.34
Neapolis spoliata à Belisario 174.46 obsessa 409.6
nebridius præfectus prætorio factus 124.52 & 128.9
necarus fluuius 461.3
nemesianus conscius cædis Antonini Caracallæ 735.22
neoptelemica uindicta prouerb. 432.34
nepotianus Imperator salutatus dolo occiditur 121.17
neptuni basilica Romæ restauratur 55.16
neratus Priscus I. C. consiliarius Adriani Imp. 55.15
neronæum certamen in musica institutum 25.11
nero Domitij f. adoptatur à Cl. Tib. Nerone 23.33
nero f. Domitij Aenobardi, Cæs. descriptus 24. inde
nerua. Vide Cocceius
nestoriana hæresis 166.33
neustria descripta & Rollo ni Normannorum duci in dotem data 261.3
neustri imperium detrectantes 262.38
Nicenum concilium 212.41 & 213.15
nicephoritzes 372.5
nicephorus patricius pater Philippici Bardanij Cæs. 201.2
nicephorus patricius rex pronunciatus 215.13. inde Imp. in Oriente, regnante Carolo Magno in Occidẽte 221.40. inde
nicephorus f. Cõstantini Copronymi 211.10 Cæsar describitur 212.17. inde
nicephorus Constantini patruus Cæsar decretus, obcæcatur 214.23
nicephorus patriarcha Michaẽlẽ Imp. coronat 224.6 exulat 226.47
nicephorus phocas dux contra Agarenos 254.2 præfectus bello contra Bulgaros 266.27. inde Phocæ Bardæ f. dux Orientalis exercitus, post Cæsar 290.37 contra Sarracenos 304.24 Imp. describitur 206. inde
nicephor. Bryennius cũ Turcis congressus 369.19 oculis priuatus 375.7 tyrannidem affectauit 378.4
nicephorus Basilacius Bryennij successor 375.10
nicephorus eunuchus 372.3
nicephorus Botoniates ex Oriente, Byzantiũ proficiscitur 373.23 Botoniates imperator creatus 373.27 374.40 quomodo imperiũ assecutus sit 374.44
nicephorus Maurus Aemiliano substitutus 377.4
nicetas filius Patricij coniuratus contra Phocam & Cæs. 187.50
nicetas Xylinites nouitatis studiosus 202.46
nicetas Arthabasdi f. captus 209.18
nicetas f. Constãtini Copronymi 211.10 lingua truncatus 214.24
nicetas Oriphas fusili igne hostium naues cõcremauit 254.6
nicetas dux consanguineus Michaẽlis Cæs. ab Antiochensibus exclusus 335.8
nicocles Lacon gram. præceptor Iuliani Imp. 127.1
nicolaus mysticus patriarcha 265.2 tutor Cõstantini Porphyrogeniti 285.15 curia electus 286.5 restitutus 268.41 regni moderator ac tutor Constantini 269.11
nicolaus publicanus apostata 285.32
nicolaus f. Petri de Macedonia strenuus miles 546.47
nicolaus Graticus patriarcha 383.29
nicolaus Senensis 453.26
nicolaus Hostiensis episcopus 455.5
nicolaus de Boock miles 458.42
nicolaus Sarra 467.27
nicolaus Galecus Thaboritarum pontifex 494.45
nicolaus Catalusius Lesbi princeps trucidatus 561.50
nicomedia terræmotu collapsa defletur à Iuliano 128.53
nicopolis à Nerua Imp. extructa 49.28
niger. Vide Pescennius
nigra legio Austriam lacessens 511.53
nigrinus consularis ob insidias uita multatus 54.9
nigropontus insula 562.37

Nisa urbs expugnata 550.42
Nisana fl. 596.12
Nisantibassa, custos sigilli 580.49
Nisibis occupatur à Nerua Imperatore 50.14 euer titur 50.43 Persis resti tuitur 133.52 obsidione premitur 154.4
Nisus ciuitas 596 9
nobilitas non generis sed uir tutis 579 35
Nodomarius rex germanorum captus 127.24
Nola urbs prosternitur 159. 44
Nolæ mortuus Augustus 12.2
Nomades Scythæ Pannonias uastant 140.12
nomina insignia ut onerosa recusantur 78.30
Nonia Gellia uxor Macrini imperatoris 75.24
Norbanus Appius Saturnini prælio sternit 43.35
Normannia in Gallijs notiter ab incolis dicta 262. 40 prouincia 387.43
Normanniæ etymologia et descriptio 261 5
Normanni ad fidem reducti. 231.2 Britannicum mare occupãtes, uastatores 240. 35 inde grassantes impe rante Carolo Crasso 261. 42 inde
Normãnorum incursiones in Franciam 260.25
Normannorum seu Danorũ rex Christianus factus 295. 14
Normannicum bellum cum Carolo magno 219.13 con tra Arnulphum Cæsarem 270.10 inde
Noruegorũ rex Christianus factus 295.14
Noua ciuitas Austriæ 602.5
Nouember appellatur Exuperatorius 62.48
Nouomontum Mysiorũ oppidum captum 548.33
Nouomontani fideles ac stre nui 548.33
nox non solum quieti, sed et musis & reipublicæ 131.3
Numerianus Imperator de scribitur 104.18 inde
numismata antiquũ descriptũ 191.22
nundinæ Francofordienses à Carolo Quarto ablatæ. 482.28
nuptiæ consobrinorum uetitæ 147.24
nuptiæ Maximiliani & Annæ Vladislai regis filiæ, de scriptæ 629.16 inde.
nussia urbs 431.52 capitur 412.18
Nymphæa quid 117. 43
nymphidius Sabinus Caligulæ Spurius 29. 24

O

Occidentale imperium corruit 265. 9
Ochsenfurt ciuitas unde nominetur 391 33
ociosis salaria subtrahuntur 57.21
Octauiæ duæ filiæ Octauij 6.44
Octauia Octauij filia Antonio nubit 8.9 Augusti soror 11.2
Octauia fil. Glaudij Tiberij Neronis 23.13. nubit 23.33 prima uxor Neronis 26.49
octauia Tragœdia Senecæ 27.7
Octauianus Cæsar describitur 6.34
C. Octauius adoptatus à Iulio Cæsare 6.9 Octauiani pater 6.36
Octila miles occisor Valentiniani principis 158.53
October appellatus est Inuictus 62.49
Odenatus Palmirenus rem Romanam tutatus 92. 8 interemptus ibidem 19
Odera fluuius 465. 50
odium excitantia uitia 5 10
Odo Roberti Andegauensium ducis f. tutor uentris à Ludouico Balbo 260.21 Carolo Simplici repugnat 271.7
Odo dux f. Rudperti, rex Franciæ constitutus 275. 13 inde
Odoacer Gothorũ rex 164. 53 inde rex gentium 165.19 uictus & excarnificatus 167.6 inde
Oecónomus præceptor cum xij contubernalibus concrematus 207.6
Oenipons ciuitas 606.2
Olibrius Aetij gener 159. 42 purpura indutus 164. 25
Onosandri aureolum opus, de eligendo Imperatore 47.30
Opilius Macrin. Imp. describitur 74. inde.
Opilio fit Imperator 80.21
Oppenheym ciuitas 431. 50
Oppius Sabinus in bello occiditur 43.30
Oppij scripta 4 36
Opsicij regio 234.3
orant quinquies in die Turcæ 587.49
Orchanes Othomannus Secundus Turcorum rex descriptus 540.5
Orchanes f. Calepini V. Turcorum regis 545.50
Orchan secundus Turcorum Imperator 546.25
Orchanes f. Othomanni primi regnũ accepit 539.49
Oresta ciuitas condita 77.2
Orestes magister militum ordinatus 164.45
Orbasius familiaris Iuliani apostatæ 130.51
orientalis ecclesia de Homousio 199.38
orientale imperium labare cœpit 210.22
Origenis ad Philippũ Imp. epistolæ 87.20
oringau monasterium exstructum 328.42
Ormisda regis Persarum filius Romæ 124.15 inde.
Ormisdas Pontifex maximus 171.25
orphanotrophium ab Alexio Cõneno structũ 383.47
Ort castellum expugnatum 507.28
Orthogrulaus pater Othomanni primi 539.25
Oryphas dux classis contra Agarenos 235. 29
Ostanes Persarum Satrapa ab Heracleo superatus 190.21
Othanes democratiam laudat 1.15
Ottinga templum in Bauaria extructum 269.44
Othomaneli 539.9
Otho Galbam Imperatorem trucidat 30.32
Othonis Imperatoris descriptio 31.20 inde
Otho Magnus dux Saxonũ factus 274.22 rex Germanorum, Cæsar factus 281.26 filius Henrici Aucupis, imperio præfectus 295.46 Imperator primus Germanorum describitur 297 inde.
Otho secundus fil. Othonis Magni 281.28 Imperator describitur 314.18 inde
Otto III. f. Ottonis II Imperator describitur 316. 17 inde.
Otho Saxoniæ dux salutatus Augustus excusat se 292.6
Otho Palatinus de Vuitilspach, homicida 412.49
Otho Quartus 413.43 Henrici Iunioris superbi primogenitus ibid. 45 dysenteria corruptus moritur 414.52
Otho de Ochsenstein 445.23
Otho dux de Lunenburg 465.35
Otho Iocũdus Austriæ princeps 469.20
Otho Hyldesheimensis præsul 489.5
Otho Frisingensis præsul, annalium scriptor 601.2
Otto Sueuiæ dux de Sueuenfurt 349.33
Otto Merauiæ dux 422.24
Otto comes de Vuolffertzhusen 426.37
Otto Brandeburgensis Marchio 433.22
Otto comes de Strasberg 460.49
Othomannus primus Turcorũ rex describitur 539.22
Othomannorũ origo, familia, & successio 538.5 inde
Ottacarus Boemorum rex 410.6

P

Pachicolamus amnis 600 16
Pacis templum Romæ extruitur 38.3

Padua urbs 478.39
Paduanus ager deuastatus 422.53
Paganus rex Bulgarorũ creatus 210.36
Paiazetes Othomannus Amurathis f. IIII Turcorum rex 541.41
Palæstina direpta à Cosroe 189.49
Palatinus comes Rheni, dapifer et elector Imp. factus 317.27
Palfurius latro occisus 102.27 (12
Palladius celer & fortis 154.
Pallas libertus prætorijs ornamentis sublimatus 21.46
Palma Syriæ præfectus 49.31
Palma uir consularis ob insidias uita multatus 54.9
Paneratius Abasgorũ princeps, Curopalatinus factus 331.50 fœdus cum Romanis rupit 335.41
Pandulphus Calabriam obtinens 307.1
Panium urbs Thraciæ 235.1
Pannonia ab Hunnis habitata 218.52
ex Pannonia trãsitus in Mysiam 598.4
Pãnonias oppressas liberat M. Antoninus Imp. 59.50
Pãsa uulneratus moritur 8.1
Pantheon Romæ restauratur 55.16 sanctis consecratur 187.18
Papa primus Romæ 187.15
Papam Rom. Christi uicem obtinere, eiusdemq; electio 196.9
Paphlagonia à Turcis subacta 561.42
Papiæ ossa diui Augustini seruata 207.34
Papiense gymnasium institutum 217.35
Papinianus I. C. eo quòd Parricidium defendere nolit, occiditur 72.38
Papyrium castellum 167.47
Parapinaceon quid 371.45
Parma capta 419.15
Parthamasiris Armeniorũ rex mulctatus à Nerua Imperatore 50.3
Parthenaspates rex Parthorum coronatur 50.49
Parthenius Domitianum cõfossum contrucidat 44.38
Parthi signa Crasso ablata rursus perdunt 13.16 regem repellunt 51.26 superantur 70.5 totum Orientem sibi uendicantes subiguntur 78.50
in Parthos expeditio 50.10
Parthis rex præficitur 50.48
Parthicum bellum sub Marco Antonino 59.20
Paschalis seu Paschasius papa absq; Imperatoris consensu 229.51. inde
Passienis oratoris dictum de Caligula 19.9
Pasteus dux Asparis 154.28
Pastoris boni est tondere pecus, non deglubere 14.32
Pater patriæ 5.11
Patriciolus dux contra Persas 171.15
Patricius Phryx dux contra Persas 171.13
Patricius coniuratus contra Phocam Cæs. 187.50
Patricius Baccagius acriter se defendendo moritur 209.22.
Patricius Nicephorus rex pronunciatus 215.23. inde
Patricius Nicephorus Phocas præfectus bello contra Bulgaros 266.27
Patzinacæ, Scythiæ pop. cõtra Imp. 324.23. inde
Patzinacarum bellum cum Monomacho Imp. 344.48
Paulinus ob põmum in suspicionem uenit apud Theodosium 155.45
Paulitianorum hæresis 243.44
Paulus Satelles Vitaliani 172.38
Paulus episc. Antiochiæ electus 172.43
Paulus patriarcha Constantinopolitanus monathelita 193.6
Paulus monachus astrologus 197.48
Paulus Chartularius præfectus Siciliæ contra Sergium creatus 205.36
Paulus patricius Exarchus 205.52. inde
Paulus I. pont. Rom. 210.29
Paulus Cyprius anagnostes et orthodoxus patriarcha 211.46 & 212.51. inde
Pauperes ab Imperatore aluntur 78.42
M. Pausanias ob suspicionẽ stupri captus 331.40
Pectes Basilius insidias regi parat 264.43
Pelagiana hæresis 178.35
Pelagius patricius uir iustus à Zenone Imp. occisus 167.50
Pẽtapolis una pars exarchatus 210.17
Pera Genuensium Colonia iuxta Constantinopolim 523.28
de Peregrinis apud Turcos 587.27
Pergamum captum ab Arnulpho Cæs. 271.10
Pergamẽses ab Arnulpho expugnati 275.50
Perinthius urbs Thraciæ, à ueteribus Heraclea 235.2
Perleich turris Augustana 9.19
Persæ obsides Octauiano Cæs. offerunt 9.1
Nisibi obsidione premuntur 154.4 pro salute Imp. Orient. munera capiunt 222.3 Mahometis legẽ planè aspernantur 537.4 à Mahomete subacti etiam nomen amisere 537.10
Persarum cum Romanis fœdus sub Iuuiano 133.46
Persas domare aggreditur Iulianus Imp. 128.48. inde
in Persas Tiberij Cæs. gesta 180.51
cum Persis bellum Anastasij Cæs. 171.9 Iustiniani 173.43
Persicum fœdus sub Iustino minore Cæs. dissolutum 178.44
Pertinax sepulturæ mandat Commodi Cæsaris corpus 63.29
Perusinum bellum 7.40
Perusium captum à Belissario 175.3
Pescennius Niger ad urbis præsidium uocatur 66.33
Pescẽnij Nigri ipsiusq; exercitus casus & descriptio 68.43. inde
Pestis atrox 42.8 51.39 90.52 249.3 578.33 in exercitu Arabum 205.20 sub Michaele Parapinaco 373.23 ex cadaueribus sub orta 454.37 tertiã hominum partem in Austria sustulit 613.8
Pestis occasio assumendæ Christianæ religionis 243.23
Petronas Michaelis Cæs. auunculus, dux contra Agarenos 245.10
Petronia I. uxor A. Vitellij Imp. 35.37
Petronianus filius Vitellij Imp. 35.38
Petronius à militibus iugulatur 44.33
Petronius Didius Seuerus pater D. Iuliani Imp. 66.2
Petrus frater Mauritij Imp. ob auaritiam fugit 185.12
Petrus Mauritij frater occisus 188.16
Petrus Pisanus præceptor Caroli Magni 217.23
Petrus post Bulgarorũ princeps, cum Simeone 285.52 f. Simeonis dux Bulgarorum 288.37
Petrus Phocæ spado dux cõtra rebellẽ Sclerum 319.27
Petrus Hungarorũ rex 348.2. inde
Petrus Antisiodorẽsis 417.2
Petrus de Vineis uir eruditissimus 423.6
Petrus Moguntinus archiepiscopus 451.22
Petrus Corbariẽsis 467.36
Petrus Deckinger theologus insignis 490.9
Petrus Luna, qui se Benedictũ XIII cognominabat 493.2
Petrus Lauretanus Venetus, dux contra Turcos 547.20
Mag. Petrus præceptor Maximiliani, Nouæ ciuitatis antistes 602.48
Petrus Primislaensis, Poloniæ cancellarius 608.13
Pharamundus Marcomiri fil. Francorũ rex 328.44.
Pharesmanas Colchus dux contra Persas 171.17

Pharſalicum bellum 4. 31
Phaſianus conuiuijs inferri uetitur 125. 32
Philibertus dux Sabaudiæ 607. 23
Philippicus gener Mauricij cum ualido exercitu cõtra Perſas 182.21
Philippicus affinis Mauricij ſuſpectus de affectato imperio 184. 46
Philippicus clericus Chryſopoli ſolitarius 188.18
Philippicus Bardanius Nicephori patricij f. ob ſomnium Imp. de Aquila relegatus 198.48. in Cephaleniam relegatus, à Cherſonenſibus Imp. creatus 200.21 Cæſar deſcribitur 201. inde
Philippi inſidiæ & impietas in Miſitheum & Gordianum 84.51 inde.
Philippus Imp. à ſenatu Auguſtus confirmatur 85.33 deſcribitur 86. inde.
Philippus Cæſar 410.43 Friderici primi filius ibid. 44 Coloniã obſidione cingit 412.14 eiuſdem mors 412.50
Philippus de falckerſteint 433.39
Phippus Frãciæ rex 443.36
Philippus de Valeſio 470.2
Philippus Mariæ uicecomes Mediolani dux 495.10
Philippus fil. Maximiliani 604.8 inde 607.2
Philippus Gundelius profeſſor, funebrem orationem habuit 611.17
Phillis nutrix Domitianum ſepelit 44.32
philoſophi & mathematici ab Italia relegantur 446
Phlegon Trallianus Adriano à ſecretis 554
Phocas accuſator proditionis, percuſſus 184.30 Imperator à militibim deſignatus ibid. 44. inde Cæſar deſcribitur 186.42 inde.
Phocas Nicephorus dux generoſus contra Agarenos 254.29.
Phocas ſcholarum domeſticus, dux contra Bulgaros 286.13 inde
Phocas Bardas, magiſter & domeſticus ſcholarum orientis factus 190.36
Phocis à Baſaite Turco occupata 542.8
Phorniani ab eccleſia remouentur 141.50
Photius ob uxorem ſtupratã tyrannum capit 188.39
Photius Proto à ſecretis fit patriarcha 246.11 Baſilium coronat ibid. 45 et 251. 6. abdicatus 251. 38
Photius dux factioſus Agarenorum cõtra Rom. 254. 4
Phthiriaſi mortuus Arnulphus Cæſar 272. 6
Phylarchus Alamãdarus baptizatus 170. 21. inde
Pictauia occupata 472 22
pietas in fratrem 12.46
Pingia urbs 431.51
Pipera cõcubina Gelieni Imperatoris 96.7
Pipinus Rauennam pontifici tribuit 180.9 Francorum rex opitulatur papæ cõtra Lõgobardos 209 44 à quo rex unctus 216 27
Pipinus Gippoſus f. naturalis Caroli Magni 220 40
Pipinus fil. legitimus Caroli Magni regnum cum fratre diuidit 220.7 rex Aquitaniæ 230.7
Pipinus in patrem Ludouicum Pium conſpirans 231. 17 inde
Pipinus f. Ludouici ſenioris dux Aquitaniæ 249.38
Piſo frugi Licinianus à Galba Imp. adoptatus 30 27 idem necatur 30 41
Piſo conſularis in Achaiam mittitur contra Valentem 93 1 Imperium ſumens occiditur ibid. inde
Placentina ciuitas 404 45
Placida Galla fil. Theodoſij Imperatoris 147.32 & Gallæ 139.49
Placida ſoror Honorij captiua 150.10 uxor Ataulphi regis dirutionem urbis impedit ibidem 26
Placidia ſoror Honorij Conſtantio promiſſa 151.13 inde.
Placidia Valentiniani Imp. mater 159.4
Placidia Valentiniani filia 164.33
Plato præceptor monaſterij ſub Nicephoro Imperatore 224.17
Platonis de magnis ingenijs dictum 6.24
Plaucia Herculanilla uxor Claudij 22.38
Plautianus ſocer Baßiani Antonini, inſidias detegit. 70.24
Pletorius affectator imperij morte mulctatus 55 27
C. de pœnis, l. Si uindicari 147.6
Poeſis honoratur 48.20
Poganias cometes interdiu apparuit 174.4
Polemoniacus pontus unde dictus 25.1
Polla ſoror Veſpaſiani Imperatoris 36.9
Polonia ab Henrico Rom. Impetore debellata 325.27 inde.
Poloni propria oppida cremant 404.24
Polybius inter conſules incidit 21.45
Polieuctus ex monacho patriarcha Conſtantinopolitanus 289.26 Nicephorum coronat 306.30
Pompea Sabina ſecũda uxor Neronis 27.9
Pompeia tertia Iulij Cæſaris uxor 5.51
Pompeia Plotina uxor Traiani Neruæ 51.45
Pompeianus ob imperialia inſignia in odium incurrit 61.47
C. Põpeius M. Craſſo reconciliatus 4.8
C. Põpeij cum Iulio Cæſare inimicitiæ & ciuile bellum 4.28 ſepulchrum innouatur 54.47 Pompeius cõtra Anaſtaſium Cæſarem 169 34 Anaſtaſij Imp. ex ſorore nepos occiſus 174. 10.
pons D. Ambroſij 427.2
Pontinæ paludes pontibus ac ſtratis uijs permeabiles redditæ 49 38
pontus in prouinciam redigitur à Nerone 24. 52
poppæa expugnata 433. 4
porcus I. C. contra edictũ Iuſtiniani 176. 26
porphyra domus Byzantij 264. 8
porphyrius quomodo exilio liberatus 118.29
portenta uiſa 134.17
poſidi eunucho arma inſignia & haſta pura donantur 21.42
poſonienſis compoſitio de regno Vngariæ 605.38
poſthuma Seruij Sulpitij uxor corrupta 6.11 Poſthuma fil. Conſtantij Imp. uxor Gratiani 126. 14
poſthumus ad imperium uocatus 93.39 inde
poteſtates uendi non paſſus Imperator 78.47
præceptores boni & mali, quid mereantur 603. 4
præfectus palatij quid 217. 4
prælia cruẽtißima 190 inde
prælium cruentißimum circa Murſam 121. 48 à meridie uſq; ad noctẽ 158. 4.
prætoriam milites ſcelerati 111
Praga ſubiecta Imp. Henrico Aucupi 295.11
praga Bohæmia metropolis 385. 4 duplo maior extructa 479. 25
praſina & Veneta factio 185. 28 & 187.21
prate inſula 371. 24.
à Principis facie neminem debere triſtem diſcedere, dictum Titi Veſpaſiani 41. 41
à principib. egregijs duo expectantur 48.10
principum Chriſtianorum ſocordiam contra Turcos, oratio 574.36
priſcus hiſtoricus, legatus ad Attilam regem 156. 36
priſcus Romanorum dux contra Hunnos 183. 53
priſcus patricius coniurat in Phocam Imperatorem 187.5. inde Phocam obtruncat 188.2

probæ & Falconiæ centones Virgilij 155.28
probus gener fit Seueri Imp. 31.15
probus Cæsar describitur 101 inde
probus, consularis & præfectus prætorio 143.19 inde
proclus familiaris Iuliani apostatæ 130 51 philosophia & mechanica floret 169.49
procopia f. Nicephori uxor Michaelis Rancabis 224.4
procopius, translato, corpore, Iuliani, purpuratus 130.22 in Oriēte res nouas moliens 136.37 inde
procopius dux hostium insidias detexit 154.18
procopius scriptor, consiliarius Belissarij 123.49 à quibus translatus 176.1
procopius Moraviæ marchio 433.52
procopius Holi Bohemorū legatus in cōcilio Basilien si 494.43
procopius de Rabenstein comitia prorogat 502.12
proculus Tesserarius princeps coniurationis contra Galbam Imp. 32.5
proculus iuxta Agrippinam tyrannidem arripiens 102.48
procundus dux 166.45
prodigia uisa 51.3 203.39 170.18 in aëre 44.17 cornicis græcè è capitolio canentis 47.41 aquilarum funiculos Bisantium transferentium 118.11 crucis ex æthere uestibus impressæ 128.32
proditor à Mahomet pro præmio crudeliter punitus 524.1
protopsalles quid 227.12
protosybulus Agarenorum 198.17
prouincia, olim Narbonensis Gallia 241.6
prudentij uersus de Constantino Magno 114.20
pruliacum monasteriū à Lothario Imp. conditum & inhabitatum 240.43
prumia monasterium à Lothario Imp. conditum & inhabitatum 240.48
psellus Diogeni Rom. inimicus 370.47 philosophus honoratißimus 371.43
pseudosfridericus combustus 440.3
psitacus clamans, Leo, Leo, Leo 255.24
ptolemæus regis Iubæ f. à cōsobrino Caligula necatur 18.8
Ptolemæus Seleucus mathemat. 31.49
Ptosis locus 245.13
publicæ utilitati cōsulit Nerua Imp. 46.43
puer monstrosus natus 183.22
pulcheria f. Arcadij Imp. 151.36. & 154.43 & 160.26
pulcheria f. Theophili Cæs. 236.47
M. Puppienus contra Maximinum Imperator eligitur 81.52 describitur inde & 85.7
puteolis templum & sepulchrum Adriani Imp. 56.11
Pyralis scortum 18.24
Pyrrhus Constantinopolitanus antistes, Monothelita 192.11 ab exilio reductus 193.47 erroris damnatus 196.6

Q

Quadi consumpti 97.14
quarcinus dux à Maximino Imp. deficit 82.21
quatuoruiratus apud Turcas 580.1
L. Quietus præses Iudææ factus 51.20
quietus filius Macriani Imper. 92.49 occiditur 95.23
quingentiani Africam infestantes 107.3
Quintilius Varus Imp. 9.29 describitur 96.36 inde

R

Raba fl. 218.53
Rachosius Longobardorum rex repressus à papa, fit monachus 209.36
Racherius Ticinensis episc. coniurationis author 281.20
Radulphus rex Frāciæ creatus 261.9
Ragani pop. 219.1
Raginerius Montensium comitis f. tumultuatur 314.26
Raguſei à Venetis in amicitiam recepti 418.53
Raguſium opp. à Sarracenis euastatū 239.31 obsessum ab Agarenis 253.18
Rasciæ Despotus profugus in Hungariam 501.27
Rastat oppidum obsessum 448.19
Rastupolis Thrax à Nerone decipitur 14.50
Ratisbonam corpus S. Dionysij delatum 269.53
Rauenna exculta & XIIII. urbium caput facta 159.50 obsessa 175.8 sedes Exarchatus, Pontifici tradita 180.9 occupata 424.12
Raymundus Antiochenus princeps 395.23
Raymundus Tholosanus comes 419.14
Regillianus in Illyria Imperium sumit 95.5
Regina, concubina Caroli Magni 220.38
Reginaldus comes 390.27
Regino abbas annalium scriptor 240.50
de Regis officio scriptor 177.28
Regna Turcorum diuisa & enumerata 380.10
Regnorum fortunæ ludibriū 543.4
Regnicolarum in Buda congregatio 617.18
Reinaldus Colonienſis archiepiscopus 405.48
Reinfeldum oppidum 448.50
Reinoldus Geldriæ dux 468.42
De religione Turcorum, ritu & more uiuendi domestico in uniuersum 585.33 inde
Religio Turcorum specialis 587.26 inde
Reliquiæ sanctæ Constantinopoli 522.41
Rens oppidum Rheni 470.43
Resurrectio mortuorum negata 233.28
Retza urbs in finibus Austriæ à Boëmis expugnata 500.13
Rhadagasus dux contra Ro. Imp. 149.5 inde
Rheginbertus frater Mechtildis Imperatricis Danos coercuit 296.4
Rheti prouincijs Romanis coniunguntur 8.46
Rhinauu oppidum 442.52
Rhium oppidum 598.24
Rhoba urbs Mesopotamiæ 536.52
in Rhodano præpositio iustitia Valētiniani Imp. 140.2
Rhodiorum gesta cum Turcis Zyzymo et Baiazetho 567.43 inde
Rhodus à Vespas. in prouinciam redacta 37.45 à Sarracenis capta 193.38 à Turcis subacta 379.27
Rhos Scythica gēs Christiana facta 254.35
Rhotrudis f. Caroli Magni 220.25
Richardis uxor Caroli Crassi 262.47
Richardus Frisonū dux maiorem partem Auorum secutus 207.37
Richardus Angliæ rex 409.11
Richardus Cæsar 433.15
Richardus Tusciæ comes 412.38
Richardus Cornubiæ comes 434.10
Richentis uxor Caroli Calui 238.14
Richfridus f. Luthardi comitis Cleuensis 273.44
Richildis soror Bosonis, cōcubina & uxor Caroli Calui 249.14
Richisa, Henrici pinguis comitis in Northeim f. 390.38
Ricimer f. Theodorici regis Gothorum et ipse rex 157.40. & 162.13 & 163.42 & 164.23
Riotimus rex Britonum 163.51
Rithmi de Friderici Braunsuicensis ducis interitu 488.25
Rixa uidua Imperatrix 392.5
Rodulphus Burgundiorum rex 294.4

Rodulphus comes de Reinfeld uxorem rapit 351.1 inde
Rodulphus Sueuorum dux 389 12
Rodulphus Cæsar 436.42 eiusdem mors 441.27 uxores 441.43 filij, & filiæ 441.44
robenſpurg munitio 464.8
Robertus Francus Epidamnum pergit 379.1
Robertus comes Baſileæ 405.13
Robertus Antiſiodorus 417.40
Robertus Apuliæ rex 455. 24
Robertus dux Bauariæ 472. 53
Rodulphus de Liechtẽſteyn baro 460.38
Rodulphus comes Habſburgenſis 434.40 462.39
Rodulphus dux Lotharingiæ 472.32
rogericus rex Gothorum creatus 150.43
rogerius Siciliæ rex 390.23 Corinthũ ſpoliat 396. 47 Manueli Cæſ. bellum indicit 397.21
rolãdus nepos ex ſorore Caroli Magni, cadit 218. 26
rollo Normannorum dux 261.1
roma incenditur à Nerone 26.14 ædificijs reparatur 37. 49 incendi iubetur à Commodo Cæſare 63.12 à Gothis capta 149.49.175. 28 obſeſſa à Longobardis Imperante Tiberio 181.33 caput Eccleſiarum ſtatuitur 187.15 à Conſtante Cæſare ſpoliatur 194. 15
romæ incendium caſu 42.8
romam trãslata imperij ſedes 215.43
romandiola regionis pars 280.11
romania pars regni Turcici 580.24.
de romaniæ ſitu & cognomine 597.46 inde
romanum populum interimi à militibus iubet Commodus Cæſ. 63.13
romanum imperiũ diuiſum 110.10
romani Scythis primùm tributa pendent 90.6 Viterbienſis adoriuntur 422. 39
rom. ciuium tumultus cõtra pontificem 393.21
romanus patricius imperiũ affectans capite plexus 164.6
romanus patricius Exarchus Italiæ 183.31
romanus curquatus author coniurationis, excæcatus 251.47
romanus Lacapenus f. Amaſtacti Theophylacti poſt Imp. 252.13
romanus Lacapenus Drangarius 286.23
romanus Stephani f. eunuchus factus 290. 40
romanus Iunior f. Conſtantini Imp. deſcribitur 304. inde
romanus dux Bulgarorum 311.47
romanus Argyropolus ſeu Argyrus Cæſar pronunciatus 324.51 Imp. deſcribitur 331.30 inde
romanus Belas balbus imperium affectat 346.3
romanus Diogenes 367.1
roſarum uallis, monaſteriũ 445.25
rosheym Alſatiæ ciuitas 462.52
roſſiuſslaus Bulgariæ dux 429.3
rotunda, templum Pantheonis romæ 187. 20
roxolani Scythæ Conſtantinopolim oppugnant 289. 46 inde
roxolanicum bellum Ioannis Zimiſcis Imp. 311.43 aliud Imperante Monomacho 344.23 inde
rudolphus Chunradus imperium affectãs fugatus 270. 12
rudolphus tranſiurenſis, f. Richardi ducis, Burgũdiorum rex 279.5
rudolphus de Vuart 448. 43
rubriæ ueſtaliuis à Nerone inſertur 25.26
rudbertus Palatinus rheni 483.12
rudingerus de Starenberg, capitaneus Cæſaris 507. 29
ruffinus adiutor ac ductor Arcadij Imp. 148.4 inde
ruffinus patricius legatus pro pace 137.53
ruffus Egnatius ob coniurationem pœnas dat 8.30
rumoldus Conſtantiẽſis epiſcop. 351.1
ruoggerius Herbipolẽſis epiſcopus 387.51
rupertus Flandriæ comes 390.50
rubertus Pipan Palatinus 490.24
rupertus Palatinus 484. 13 contra Maximilianum 606.36
rupertus Carolum Simplicem opprimit 294. 31
Rupertus Bauariæ dux Ro. Rex 487.23
Ruſa Heluetiorum flumen 449.3
Ruſelij mors 375.35
ruſſi Conſtantinopolim oppugnant 289.46 inde
ruſticus apes curãs pro X C. libris prandet apud Nicephor. Imperat. 223. 16
Rutina Friderici II. uxor 426. 36

S

Sabaia quid 137.6
Sabaria 69.50
Sabba dux Sarracenorũ 235. 36
Sabbatius patricius Sarracenis ſe adiunxit 197. 25
Sabbatius f. Leonis Cæſaris caſtratus 229.4
Sabina uxor Adriani Imp. 56.13
Sabinianus & Mundo duces contra Anaſtaſium Cæſ. 169.34
Sabinus frater Veſpaſ. Imp. 36.8
Sabinus pater Veſpaſiani 36.11
Sabinus præfectus urbis occiditur 81.42
Sabinum Iulianum imperiũ inuaſiſſe 105.27
Sabinus gener Heracliani 152.34
Sabinus Bulgarorum rex in amicitiam receptus à Conſtantino V. Imp. 210. 32
Saburrus Neapolitanus præfectus equitum 194. 12
Sacellarius Anaſtaſius inſidias molitus Romano 288. 11
Sacerdotibus græcis uxorem habere permiſſum 196. 7
de Sacerdotibus Turcorum 587.27 inde
Sait Apochaps præfectus Cretæ 254.3
Salardus dux Hungarorum ingreſſus in Italiam 279. 32
Saleius Baſſus poëta donatur quingentis HS. 39.1
Saliceti comment. contra edictum Iuſtiniani 176. 26
Saliorũ ſacerdotio functus Marcus Antoninus Imp. 58.42
Saliquæ leges 328.48
M. Salius Otho uide Otho
Salonina uxor Galieni Imp. 96.1
Saloninus Galieni Imp. filius occiſus 93.48 cum patre occiſus 96.2
Saloninus præſul imperator factus 164.37
Salſon oppidum 598.5
Saluidienus Orficus à Domitiano occiditur 44.2
Saluius Cocceianus à Domitiano perimitur 44.3
Saluius Iulianus I. C. conſiliarius Adriani Imper. 55. 14
Saluius Iulianus proauus D. Iuliani Imp. 66.2
Saluſtius Lucullus à Domitiano uocatur 44.4
Saluſtius præfectus admonet Iulianum ex Sibyllinis 129. 17. electus, imperium recuſat. 132.29 præfectus Orientis 136.28

Saluſtio Cecillus præfertur 54.53
Samandrini ſtrenui & fideles 548.33
Samata ciuitas obſeſſa 244. 46
ſambocchus rex Turcorum 536.38
ſammonax Agarenus inſidias regi detegit 264. 44 transfuga 266. 45
ſamnia deficiens à Ludouico II Imperat. 248.4 inde
ſamſon dux Hugonis 281.5
ſamus inſula à Veſpaſ. in prouinciam redigitur 37 46 à Turcis ſubacta 379.27
ſancya Richardi Cæſaris uxor 434.12
ſangiarchi, præſides prouinciarum 580.19
ſangibanus Halanorum rex 157.48 inde
ſantabarinus monachus mortuum, ſe uiuum oſtenſurum promittit 254. 48 inde
ſapores rex Perſarum Valerium Imperatorem in turpem ſeruitutem redigit 91. 46 eiuſdem tyrannis, ſuperbia & exitus, ibidem, inde
ſapores rex Perſarum Niſibin obſedit 123. 49 pacem petens belli indictionem recipit 124.35 inde fœdus rumpit 140.11
Sarabaſſes dux Perſarũ prælio cecidit 190.23
Saraces dux Perſarum prælio cecidit 190. 2
ſarbarus dux ab Heraclio Cæſ. fugatus, nuncium fallacem accipit 190. 8 inde
ſarmatæ legionem Ro. cum duce interficiunt 43.28 uincuntur Ro. 97.14. 97. 18 partim occiduntur, partim ſubiguntur 104.39 uicti à Conſtantino Magno 112. 29 Mæſiam & Pannoniam populantur 124. 30 præſide Romano ejecto Pannonias uaſtãt 139. 17
ſarochus nepos Tamerlain 538.30
ſarraceni Romanis auxiliantur 141. 11 Heraclium Imp. opprimunt 191. 49 inde ſub Conſtantino Barbato Cæſ. 195. 19 pe-Ludouicum Pium ex Italia pulſi 231. 3 Romam oppugnant 235. 36 contra Rom. imperante Theophilo 238. 1 inde Italiam partim occupant partim uaſtant 278. 43 inde dicti quaſi Carehaceni 536. 4
ſarracenorum bellum cum Conſtante Cæſ. 193. 25 inde bellum & fœdus cum Iuſtiniano Tertio Imper. 196. 40 inde bellum cum Anaſtaſio Arthemio Imp. 202. 14 inde cum Leone Iſauro Cæſ. 204. 51 inde imperante Ludouici II 247. 49 inde imperante Carolo Craſſo 261. 38 inde Leonæ V. Cæſ. 266. 42 inde imperante Nicephoro Phoca 306. 48 inde in Creta imperãte Romano iuniore 304.24
ſtatilia Meſſalina, III Neronis uxor 27.24
ſaturius libertus Domitiano confoſſo adcurrit 44. 28
ſaturninus Imperator à militibus factus 95. 36 imperans ni Oriente, ſternitur 102.35
ſaulus Hebræorũ dux Gothos die feſto aggreditur 149.31
ſaxenhauſen oppidum 45. 19
Saxones domiti à Valentiniano Imp. 138.46
ſaxonicum bellum cum Carolo Magno 218.20
ſaxonum dux Protoſpatarius & electior factus 317. 25 rebellio contra Henricum II. 386. 24 dux à multitudine hominum oppreſſus 446.13
ſays Perſarum dux 190. 24
ſchaff hauſen Auſtriæ ducis oppidum 492.47
ſcanderbech uel ſchenderbech 548.3 inde
ſceuola I.C. operam præſtat Marco Antonino Imper. 59.38
ſcẽderouia caſtellum obſeſſum 501.29
ſchebeſch oppidum Hungariæ 538 50
ſcherdinga Bauariæ urbs 460.22
ſchiſma nouũ ex electione duorum põtificum ortum 389.47
ſclaui contra Mauritiũ Cæſ. 183. 35 inde prælijs fatigatur ab Henrico Aucupe Imp. 295.10 tributarij facti 325. 75
ſclauonicum bellum cum Carolo Magno 219.13
ſclerus frater Monomachi Imper. Protoſtratus 342. 26 inde
ſcholaſticus patricius legatus ad Papam Conſtantinum 202.8
ſcopia Myſiorum ciuitas capta 348.38
ſcotorũ & Pictorum in Britannia rapinæ 157.7
ſcrebonia, tertia Auguſti uxor 10.52
ſchwartzenberg Comitatus 466.27
Scythæ metũ incutiunt Romanis 87.23 à Decio Cæſare oppugnati in angustias redacti proditionis inſidijs uincuntur 88.34 inde latè prædantur & regnant 90.13 Romanum ſolum populantur 94.26 à Romanis ſuperantur 97. 28 in Europa ſub Heraclio Imperat. 189. 22 inde ad Taurum ſiti Romam oppugnant 146. 16 fortiores & ualidiores cum uxoribus ac liberis in Moglenorũ agrum imponuntur 376. 52 uincunt & ad ſeruitutem redigũtur 379.50
ſcytharũ, qui & Vnni dicti, uariæ gentes 180. 1
ſcythicum bellum ſub Mauritio Cæſ. 183. 25 cum Conſtantino Barbato bellum & fœdus 195. 39
ſebaſtianus in Gallia Imperator factus 152.26
ſebaſtis expugnata 543. 23
ſegedunum, olim dicebatur Singidonenſis ager 132. 39
ſegericus rex Gothorũ electus 150.43
ſeleſtadium 431.49 urbs
ſeleucia urbs capta incendio deletur 50.45 iterũ à Turcis capta 536.52
ſeleucus mathematicus 31. 47
ſelinus Ciliciæ urbs, poſtea Traianopolis 51.32
ſempach oppidum 450. 21
ſenecæ ludus de morte Claudij Cæſ. 23. 40 eidem in diſciplinam traditur Nero. 24.16 ſenecam præceptorem interimit Nero 26. 7 ſepta Romæ reſtaurantur 55.16
ſeptem caſtra' 598.27
ſeptember appellatus Hercules 62.49
ſeptimius interfector Pompeij 4.33
ſeptimius Imperator apud Dalmatas effectus 99.15
ſeptitius Clarus præfectus prætorio abdicatur 56. 35
ſepultura intra urbes uetita 57.36
ſerapidis templum ſubuerſum 147.2
ſergij Galbæ Imp. deſcriptio 28.19 inde
ſergius monothelita erroris damnatus 196. 63
ſergius Roman. Pontifex refragatur hæreticæ ſynodo 197.30 Ludouicum II Imper. coronat 274. 39
ſergius Siciliæ præfectus 205. 31
ſergius Roman. pontificem perſequutus 271.20
Sergius Conſtantinopolitanus patriarcha, Heraclium Cæſ. coronat 189. 12
ſergius monachus Neſtorianus hæreſiarcha 533. 20
ſeruandus Arabundus Gallorum præfectus 164.4
ſeruia regio, cor uocabulo raſcia dicta 548.12

ſeruiæ Deſpotus profugus in Hungariam 501.27
ſeruianus affectans imperiũ reijcitur moriq; cogitur 55.27
ſeruianus percuſſor Galli imper. 123.24
ſeruilia M. Brutimater à Cæſare amata 6.12
ſeſtrada IIII uxor Caroli Magni 220.31
ſeuera uxor Philippi Imp. 87.48
ſeuera prior coniunx Valentiniani Imp. 139.36
ſeuerianus Pannonias tuetur 136.27
ſeuerus in Illyrico à D. Iuliano Imp. deficit 66.39. Idem Imp. declaratur ibid. 50 inter Deos retulit Commodum Cæſarem 63.36 Imp. deſcribitur 67.29 inde
ſeuerus Oſtilianus Imp. eligitur ac moritur 85.31
ſeuerus epiſ. Antiochiæ Arrianus 172.42
ſeufridus Auguſtenſis epiſcopus 422.10
ſeufridus Ratisbonenſis archiepiſcopus 422.23
ſextus Pompeius ſuperatur 8.12
ſexti Claudij libido 15.7
ſextilia mater Vitellij Imp. 33.17
ſextus Cheronenſis Phil. Plutarchi nepos 58.38
ſibinium ciuitas 598.25
ſibotus Auguſtẽſis archiepiſcopus 422.23
ſibyllini libri conſuluntur 97.28
ſicambriæ urbis ruinæ 216.12
ſicambri in Galliam iuxta Rhenum transferuntur 8.47
ſicilia prædationibus expoſita 253.15 à Sarracenis uaſtata 195.20
ſiculum bellum 7.41
ſidenra locus 243.40
ſigefridus rex Danorũ 261.44
ſigefridus f. Cunonis comitis 328.33
ſigefridus comes de Hohenloche f. Hermanni 328.39
ſigibertus Bauariæ Comes 390.52
ſigiſmundus archiep. Salesburgenſis 507.45
ſigiſmundus Hungariæ rex 484.42 fuſus 542.26 poſt imperator 544.28 inde
ſigiſmundus Brãdenbergenſis marchio 483.14
ſigiſmundus dux Lutzelburgenſis rex Rom. 491.1
ſigiſmundus archidux Auſtriæ 606.8 cum Heluetijs pacem pepigit 509.53 inde
ſigiſmundus rex Poloniæ, frater Vladislai regis 607.52 inde cum celeberrima pompa Poſonium eſt ingreſſus 618.43
ſigiſmundi Poloniæ regis, Maximiliani, Boemiæ itẽ & Hungariæ regum congreſſus 616 inde
ſilentiarius quid 169.5
C. Silius pulcherrimus amatur à Valeria Meſſalina 22.53
ſiluanus Boſonij filius 122.41 inde
ſimeon Labas ex philoſopho monachus, inde miles, tandem dux Bulgarorum 266.18 ob legatos contemptos bellum mouet 269.14 contra Conſtantinum Pophyrogenitum 285.43 indeſimplicius Pontif. Max. 165.8
ſingara urbs à Perſis capta 123.47 reſtituitur 133.52
ſingidonenſis ager nunc Segedunum 132.39
ſinopis à Turco ſubacta 561.42
ſirmium captum ab Hunnis 183.39
ſiroe f. Coſrois regis neglectus 190.48
ſiſebutus Viſigothorum rex, in Hiſpania 191.43 inde
ſiſinnatius ad Thracenſium ducem legatus 208.53
ſmaragdus dux in Italia contra Longobardos 186.16
ſmyrnæ expugnatæ 543.22
ſobeslaus marchio Moraniæ 486.15
ſobrietas amata 512.24
ſockol prædonũ dux in Auſtria 500.18
ſœnis ſcortum, mater Antonini Varij Imp. 76.4
ſol à locuſtis obſcuratus 380.20
ſoldanus dux Agarenorum captus 253.26
ſoldanus Magnus à Meridie egreſſus 539.6
ſolyman Turcorum Imperator 546.25
ſolimannus f. Amurathis regis Turcorum 541.27
ſologaſtus primas Sicamber 338.47
ſolomet Zelymi filius, Turcorum princeps 578.38
ſolomon dux in Aphrica infeſtatus à Stoza tyranno 174.43
ſolymas archiſatrapes claſſis 205.2
ſomnium fatidicum Conſtantij Imp. 125.7
ſomnium diuinum 134.50
ſophia uxor Iuſtini minoris Cæſ. 179.9
ſophia uxor Chriſtophori Lagaperi Auguſta 288.40
ſophia urbs in Bulgaria theermis clara 550.25
ſophiæ ædes Conſtantinopoli exuſtæ 174.9
ſophiades ædes Iuſtini 179.10
ſophiæ inſidiæ contra Tiberium Cæſ. 181.38
ſophius portus 129.10
ſophoniæ caſtiſſimæ mulieris factum 113.6
ſoracte mons 385.40
ſotiropolis urbs, antea Pytha uocata 118.44
ſpalt oppidum Franconiæ 328.40
ſpectacula centum & uiginti tribus diebus 49.33
ſpendoslaus dux Bulgarorum 311.53
ſpira urbs 431.48 obſeſſa ſub Lothario Cæſare 389.33
ſpiræ indictus dies 482.10
ſpitigneus dux, Boleslai pater, ad fidem Chriſt. conuerſus 295.13
ſpoletum funditus euerſum 404.4
ſponſalia Cæſaris deſcripta 629.16
ſpurinna admonet Iulium Cæſarem ante necem 5.22
ſtatuas ſanctorum è templis radi, edictum 201.30
de Statu defunctorum leges rogatæ à Marco Antonino 59.34.
ſtauratius dictator uerberatus 214.11
ſtauratius f. Nicephori uulneratus 222.18 Imp. deſcribitur 223.30
ſtephaniũ prima uxor Leonis V. Cæſ. 264.33
ſtephanus qua arte Domitianum interemerit 44.18
ſtephanus Eunuchus Perſa, factus ſacellarius 197.37 & 198.14
ſtephanus Ro. pontifex donis placare nititur Aiſtulphum 209.41
ſtephanus IIII papa Ludouicum pium Imp. coronat 229.49
ſtephanus f. Baſilij Cæſ. patriarcha 251.49
ſtephanus Euchaicæ Eccleſiæ præpoſitus 264.19
ſtephanus magiſter regni moderator & tutor Conſtantini 269.11
ſtephanus f. Romani Lacapeni Cæſar dictus 288.9 inde
ſtephanus Hungarorum rex baptizatus 326.26
ſtephanus regis affinis dux claſſis uerberatus ulciſcitur 336.7 inde
ſtephanus præſes apud Dyrrachium contra Boiſthlabum latronem 344.7 inde
ſtephanus pannoniæ rex 397.40
ſtephanus dux Bauariæ 466.24
ſtephanus Columna 467.27
ſtephanus comes de Veldẽtz 490.29
ſtephanus Vuauioda 491.48
ſtella mons 542.31
ſtilicon ductor & adiutor Honorij Imp. 148.5. inde Stozas tyrannidẽ in Aphrica ar-

ca ar-

ca arripiens 174. 41
strágolix Sultanus efficitur 529. 26
strategema 48. 52. 547. Decibali 49. 3. Mauritij Cæs. contra Chaganũ 184. 2 (27
stratagematũ scriptor 584.
studia iuuãtur ac uigent 48. 25
styperus dux factus Tarsum se euersurũ promittit 253. 7
Suetonius à C. Caligula cur carptus 503. 43
suetonius Trãquillus epistolarum magister abdicatur 56. 15
sueuiæ 4 rura 437. 44
sueui delentur 8. 47
sueui & Vandali Rom. ditionem uastantes 149. inde
sueuinfurt urbs imperialis 391. 28. olim hæreditaria ibidem. 29
suidegerus I I Babenbergensis antistes, papa factus 348. 39
suitenses populi qui 460. 51
sulpitius consularis, socer Alexãdri Imperatoris 79. 48
sultanus Diogenẽ Rom. pro prijs uestib. ornat 370. 37 copias in Rom. fines emittit 372. 20
sumen conuiuijs inferri uetitur 125. 32
desumptib. publicis leges rogatæ à Marco Antonino 59. 34
suras philos. per calumniã damnatus 45. 39
sylla unus ex omnib. Romanis ducib laudatus 72. 47
syllanus socer Caligulæ 18. 7
L. Syllanus prætura abdicatus mori iussus 23. 13
syluanus Bonosij f. 122. 41 inde
symbatius Basilio Cæs. insidians deprehensus 251. 45
symiamira mater Antonini Varij Imp. 70. 5
symmachus maiestatis reus ob doctrinam absoluitur 146. 2
symmachus uir consularis à Theoderico Arriano occisus 173. 1
syncellus Euthymius patriarcha 265. 4
synderichus dux à Belisario superatus 174. 39
synderouia Seruiæ regia 548. 32
synodus propter Monothelitas 196. 1. Constantinopolitana 210. 44. Lateranensis 210. 47. Niceæ 212. 41. & 213. 15. Viennæ. 387. 7
syracusæ à Sarracenis captæ 195. 21. euersæ 254. 26
syrochis rex Persarum post Cosroen 537. 8

T

tacianus Germanus in uenatu cũ Martiano Imp. 160. 46. inde
Tacitus, Imper. describitur 99. 36
taciti primi 5 libri nuper inuenti 15. 26. & 16. 30
tadæus Suessanus l. C. 424. 21
tamerlanes Massageta Tomyris Scytharum rex potens 542. 29. inde
tarasis Codicus uocatus Zeno Cæs. 166. 15
tarasius patriarcha Constãtinop 213. 1. in somnis apparet 228. 28
targouiscus Metrupolis Valachorum 598. 36
tarichea ciuitas Iudææ expugnatur 40. 24
in Tarracone ædes Augusti restitutiur 54. 37
tarus fluuius 424. 38
taurinus Augustus effectus dicitur 79. 25
tauroscythe Romanis auxilia polliciti 92. 1
taurus Mahometi librũ adfert 534. 17
templa soli Deo sacranda 494. 2
templum pragense 479. 31
taphrice metropolis Agarenorum in Oriente 252. 19
terbonæ in Francia prælũ 604. 13 (rupta 6. 12
tartula M. Crassi uxor cortertulla auia Vespasiani Imperatoris 36. 13
tertullus socer Titi Vespas. 42. 28
teruius fl. 275. 31
terræmotus 193. 44 246. 17 254. 31 funestißimus Antiochiæ 50. 15 Romæ & circa 51. 38 Byzantij plures 178. 6 miraculosus 573. 36. inde ingens Leone Isauro imperante 207. 23. in Palestina & Syria 210. 6. ingens sub Constãtino Duca 364. 48. sub Alexio Conmeno 380. 15
terribilis sub Henrico II 386. 47
de Testamentis leges conditæ 64. 47
tethomeron Bulgarorũ dux 336. 32
tetricus in Gallijs imperans in deditionem ab Aurelio accipitur 98. 48
tetrici duo in Gallia imperarunt 94. 48
teutonicum regum 269. 47
T litera nomen incipientes occiduntur 138. 32
thaboritæ hæretici 494. 9. fugati 500. 46
thaiphali Thraciam uastantes uincuntur 142. 5 inde
thaßilo dux Baioariorum 218. 40. inde
theatrum Pompeij exustum 87. 11
thecla f. Theophili Cæsaris 236. 47
themistij philosophi oratio contra Arianos 140. 6
thendibaldus rex Visigothorum factus 175. 19
theobaldus phyretarum comes 446. 36
theobaldus comes de Blomont 449. 12
theobaldus Brixiæ magnas 453. 9
theobaldus Brussatus 4 54 33
theocretianus familiaris Amantij frustratus 172. 16. inde
theoctiste socrus Theophili Cæs. 236. 42
theoctistus præceptor Michaelis Cæs. 242. 8. Theoctistus Dromi Logothetis 244. 1. inde
theodatus dux Galieni 93. 40
theodatus successor Atalarici regis Gothorum 174. 35 inde
theodericus regem Gothorum superat 165. 22
theodobertus Francorũ rex 175. 9
theodomiris frater Valamiri regis 158. 1. inde
theodora uxor Constantij Imp. 109. 12 & 110. 19
theodora uxor Iustiniani Imp. 177. 30
Chagani f. 200. 44
theodora soror cachani regis Auarum 198. 52
theodora f. Caroli Magni 220. 35
theodora Paphlagona uxor Theophili Cæs. 236. 35
theodora mater Michaelis Imp. describitur 242. inde
theodora fil. Romani Iunioris uxor Ioannis Zimiscis Imp. 310. 44.
theodora soror Zoes reginæ 380. 27. inde imperat 396. 42 inde
theodoricus ductor & rex Vesogothorum 157. 3. inde
theodoricus filius Theodorici regis Gothorum 157. 40
theodoricus filius naturalis Caroli Magni 220. 39
theodoricus archiep. Colonienſis 504. 40
theodorocanus dux contra Roxolanos 344. 30
theodorus legatus ad Iustinum pro Arrianis 172. 50
theodorus summus pontifex 193. 9. inde
theodorus exarchus 194. 44
theodorus patricius Philippicum Bardanium oculis priuauit 201. 36
theodoros præceptor monasterij sub Nicephoro Imperatore 224. 17
theodorus confessor uerberatus 237. 29

theodorus Fortis præfectus exercitus cõtra Agarenos 238. 52
theodorus Cuphara obſes Bulgaris datus 243. 16
theodorus Sãtabarenus monachus dat pœnas 264. 15
theodorus Cizicus in monte Olympo 291. 32
theodorus Epeirota 412. 35
theodorus Laſcaris 415. 48
theodorus Lotharingiæ dux 450. 29
theodorus f. Andronici Palæologi Imperatoris, marchionatum ſuſcipit 517. 34
theodoſius pater Firmi in Aphrica 139. 12
theodoſius, ex Hiſpania uocatus, magiſter militum, uictor, conſors imperij &c. 142. 8. inde Cæſar deſcribitur 144. 40. inde
theodoſius alter patri Arcadio Imp. ſuccedit 151. 28. inde Imp. deſcribitur 153. 32. inde
theodoſius fil. Mauritij rex coronatus ad Coſroen cõfugit 185. 20. inde
theodoſius f. Conſtantini noui 192. 35
theodoſius monachus Generalis 197. 44. & 198. 5
theodoſius Conſtantinopolitanus inuitus Cæſ. appellatus 202. 27. tertius cognomine Adramyttenus Imp. deſcribitur 203. 10 inde
theodoſius quartus f. Leonis Cæſ. 229. 5
theodoſius Præſes patruelis Cõſtantini Monomachi de riſus exulat 359. 8. inde
theodota ex ancilla uxor Conſtantini, filij Leonis IIII. Imp. 213. 36
theodatia oppidũ nũc Thatta 70. 11
theodotus fit patriarcha Cõſtantinop. 227. 4
theodulphus Aurelianenſis epiſc. Imperatori rebellis 230. 28
theolaiphus legatus mortẽ Conſtantij Iuliano nunciat 128. 39
theophanes magiſter, rerum publicarum adminiſtrator 209. 3. Nicephorum patriarcham excipit 226. 51
theophanes confeſſor uerberatus 237. 29
theophania Athenea uicopulata Stauratio 223. 33
theophania prima uxor Leonis V Cæſ. 264. 33
theophilactus f. Michaelis Imp. 224. 11. genitalibus priuatus 225. 25
theophilactus fil. Romani, pontifex 288. 44
theophilagius Exarchus in Italiam miſſus 198. 30
theophilitzes minus honoratus quàm miniſter ipſius Baſilius 251. 21
theophilus Alexãdrinus adiuuat Chriſoſtomum 151. 45
theophilus iuris corrector ſub Iuſtiniano 176. 22
theophilus fil. Thomæ præfectus terreſtris exercitus 234. 31
theophilus filius Michaelis Trauli, Imp. deſcribitur 236. inde
theophilus auus Iohannis Imp. Agarenorum uictor 290. 4
theophobus præſtãtiſſimus bello contra Arabes 238. 5. inde
thermantia mater Theodoſij Imp. 144. 42
theſſalia à Baſaite Turco occupata 542. 8
theſſalonica Græciæ ciuitas expugnata à Turcis 547. 43
thetemannus Thuringiæ Marchio 444. 17
thietgandus epiſc. Treuerenſis 241. 20
thomas regnum affectãs ſub Leone Cæſ. 226. 11. inde tyrãnus bellũ ciuile mouet cõtra Michaelẽ Imp. 233. 34. inde (38
thomas Maurocenus 415.
thomas Tuſciæ comes 420. 20
thomas Mocenicus 492. 8
thomas Haſelpach inuerecũdus theologus 508. 29
thomas Palæologus Romã fugit 562. 15
thomas Strigonienſis Cardinalis 608. 9
thoriſmundus f. Theoderici regis Gothorũ 157. 40. & 158. 18. inde
thracia à Gothis uaſtata 142. 5. Rom. Imperiõ ablata 187. 32. ſubacta à thoma Imp. 234. 2. Turcis ſubiecta 541. 17. deuaſtata ſub Alexio Comneno 379. 45
in Thraciam tranſitus per Trãſſyluaniam 598. 15. ex Epiro uia 599. 45
thuringia oppugnatur 412. 8
thurſines à fratre Mahometo II occiſus 557. 21
thuſſagetæ pop. 528. 44
thyana ciuitas expugnata 98. 36
tiberinus Tractitius & Impurus 77. 12
tiberius priuignus Auguſti 11. 25. Neronis f. 11. 30. hæres adoptatus Auguſti 12. 12
Cl. Tiberius Nero deſcribitur 12. inde Caldius Biberius Mero per iocũ dictus 15. 5
tiberius nepos Neronis ex Druſo 16. 19. et 17. 10. inde ueneno perimitur 18. 6
tiberij Claudij deſcriptio 20. inde
tiberius Alexander præfectus Aegypti 37. 18
tiberius ſucceſſor Iuſtini minoris Cæſ. 179. 6. Cæſar deſcribitur 180. 24. inde
tiberius f. Mauritij Cæſaris 186. 30
tiberius Iuſtiniani f. ad aram mactatus 200. 33
tibiſcus fl. 219. 12. 598. 23
tietburga ſoror Hugberti abbatis, uxor Lotharij 241. 15
L. Ticianus frater Othonis Imp. 31. 23
ticinenſes coniurant contra Hugonem 281. 8
tigillinus emiſſarius Neronis 30. 7
tigranes Armeniæ rex à Nerone reſtituitur regno 13. 16
tigris limes Rom. & Perſici Imperij 191. 11
timeſſoclis, ſoceri Gordiani Imperatoris, prudentia, honor & interitus 84. 31. inde
timolaus f. Zenobiæ 92. 27
timotheus in locũ Euphemij patriar ſubſtitutus 169. 22
tinganus ex aſpectu uaticinatus 233. 4
titus f. Veſpaſiani 39. 29. cũ patre Veſpaſiano Iudæam oppugnat 37. 1. deſcribitur 40. inde
tizza fl. 219. 11
tonitrua homines & iumenta perdunt 386. 48
Tornacũ obſeſſum 470. 27
torneamenta, ludi equeſtres primò inuenti 296. 37
torneamentum deſcriptum 631. 16
tornitius Leo ciuile bellum mouit contra Monomachum Imp. 343. 3. inde
totilas rex Gothorum factus 175. 24. inde
trachea à Veſpaſ. in prouinciam redigitur 37. 46
traianopolis, antea Selinus dicta 51. 32
traianus, uide Vlpius
tranquillina uxor Gordiani Cæſ. 85. 19
tranſſyluaniæ trãſitus 598. 15
tranſtila percuſſor Valentiniani principis 158. 53
tranſſyluania 598. 27
trapezuntius Imp. 538. 28
trapezus à Turcis uicta 561. 43
traſullus magiſter Tiberij Neronis 13. 1
trauſnitz arx 462. 48
trebellianus in Iauria factus Imp. 95. 21
trebellius Bulgarorum rex Iuſtinianum armis defendit 199. 6. inde
trebonianus Gallus proditor Decij Cæſaris 88. 42. idẽ Cæſar deſcribitur 89. 40. inde

treuerensis archiep. archicã cellarius Galliæ 317. 21
triaria uxor L. Vitellij 35. 8
triballi Thraciã uastãtes uincuntur 142. 5. inde cõmuniter Bulgari dicti 542. 9
tribonianus iuris corrector sub Iustiniano 176. 22 inde
Tridentina uallis 385. 16
triphyllius ueneno sublatus 222. 44
tripolis expugnata 543. 23
trizocopus patricius Exarchus in Italiam missus 200 15 (631. 16
troianus, ludus descriptus
tryphon monachus, patriarcha Constant. factus 283. 47
tulcia austriæ oppidũ 439. 35
tumultus in Sueuia 478. 10. in Germania 386. 40
turci cõtra Bulgaros muneribus excitati 266. 24. Vgri dicti Rom. regiones inuadunt, imperante Constantino Porphyrogenito 291. 3. inde post obitum Maximiliani irrumpentes in Hungariam 609. 1 inde
de Turcorum origine 528. 39
turcorum magistratus et militare institutum 579. inde
contra Turcarum sæuitiam oratio ad principes Christianos 524. 36
in Turcos expeditio magna, imperante Vladislao 550. 20. inde
turcicum nomen primum auditum 183. 7
turcicum bellum sub Constãtino Quinto 210. 1. imperante Romano Iuniore 304. 31. contra Monomachum Imp. 344. 42
thuregum oppidum 476. 30
turinckheim oppidum Imperiale 499. 28
turonensis urbs à Normannis spoliata 240. 43 (20
turriani in exiliũ acti 454.
turulum oppidum obsessum à Chagano 184. 1
tusci populi 528. 52
tusculanus Cardinalis de Francia 479. 7
de tutelis liberorum leges rogatæ à Marco Antonino 59. 36
tyberis alueus repurgatus 9. 38
tyberis fluuij exundatio 51. 38. 203. 35
tyberius calcatus & occisus 199. 28
tyrach dux Patzinacarum 344. 49
tyrenstein arx 409. 22
tyropium arx 371. 5
tytus, princeps defectionis Ofroenorum à Maximino 81. 22

V

Vuolfranus de Nellenburg 473. 1
ualachia, olim Dacia appellata 561. 53. 598. 35
ualamirus Gepidarum rex 158. 1. inde
ualdemarus Marchio Brãdeburgensis 458. 28
ualdaricus fil. Richfridi, episc. Traiectensis 272. 45
ualeia arx 392. 40
ualens Imperatorẽ se uocãs, interemptus 93. 2
ualens Imperator describitur 135. 53. inde
ualentinianus Imperator describitur 135. 35. inde
ualentinianus iunior oritur 139. 46. inde frater Gratiani ex alia matre cõsors imperij 141. 45. inde Imperat. describitur 143. 16. à Theodosio restituitur 145. 40
ualentinianus alter Imp. genitus 151. 20. describitur 153. 32. inde
ualentinianus consobrinus Theodosij Cæs. factus Romam mittitur 154. 35. f. Constantini Imperator describitur 156. 48. inde quo modo mortuus 161. 7
ualentinus dux Pictorum et Scotorum noua moliens 139. 15
ualeria Messalina iij uxor Claudij 22 47
ualeria f. Diocletiani Imp. 109. 9
ualerianus Imperator describitur 91. 26
ualeriani Imp. duces omnes ad imperium uocati 95. 45
ualerius Catulinus successor datur Seuero, sed frustrà 66. 41
ualerius Cordus præceptor Alexandri Imperat. 78. 20 (52
ualerius Caduſiorũ rex 91.
ualerius Maximianus, Herculeus describitur 109. 13
ualerius frater Eudoxiæ 156. 10. inde
uuallia seu Vuallis rex Gothorum electus 150. 45. inde
ualramus de Iuliaco Colonienſis archiepisc. 472. 9
ualramus Colonienſis archiepisc. 475. 11
ualtfredus comes, Italiæ præpositus capitis damnatus 276. 39
ualtherus de Escenbach 448. 43
ualtrada concubina Lotharij 241. 18
ualtramus Henrici VII frater 454. 38
uallis Tridentina 385. 16
uandali, Sueui, Alani, uastatores Romanæ ditionis 149. inde
cum Vandalis bellũ Iustiniani Imp. 174. 20
ex Varbosania iter ad montes Corbauiæ 599. 6
uariana clades Romanis à Germanis illata 9. 7
umaringen oppidũ 431. 24
ad Varium Heliogabalũ milites deficiũt 75. 4
uarius Imp. describitur 76. inde
uarnæ campus 599. 2
uarraranes Persarum rex Rom. agrum uastare nititur frustra 152. 14
uarronianus pater Iuuiani Cæs. 132. 38
uarronianus f. Iuuiani Imp. 135. 7
uascones Carolum Magnũ insidijs excipiunt 218. 25. à Ludouico Pio Imperatore subacti 230. 48
uasillum castrum 598. 44
uaticiniũ Cosroes de regnorum et fine mundi 183. 15
udalricus Aquileiensis patriarcha 335. 36
udalricus Eistatensis Episc. 387. 50 (426. 36
udalricus Carinthiæ dux
udalricus Phyretarũ comes 461. 11
udalricus Patauiensis Antistes 503. 8
uehuuisen 462. 10
ueldsperg munitio 464. 8
uuelffo primus comes Altorfensis in Sueuia 232. 26
uuelfa superioris Austriæ oppidum 609. 46
ueltkirch dominium 450. 20
uenatio Cæs. cum regibus et principib. quàm plurimis 625. 27
uenceslaus dux Pragæ subigitur 295. 12
uuenceslaus Ottacari Hungarorum regis f. 439. 42
uenceslaus comes Luzelburgensis 479. 12
uenceslaus Cæs. 483. 31. matrem suam partu interfecit 483. 28. Baptisma primo ingressu fœdauit ibidẽ gulæ & Veneri deditus 483. 36. dignus, non diadema, sed laqueo 485. 2. eiusdem mors 485. 17
uuendelmunda cõcubina Hugonis 280. 36
uenerianus dux Gothos depulit 94. 36
ueneta & Prasina factio 185 28. & 187. 2
ueneti Isthmũ celerrimè muniunt 562. 20
uenetorum cum Rauennatibus diſsidia 393. 19
uenetis infestus Pipinus 221. 52
uenetum bellum cum Maximiliano 606. 42
uentorũ nomina Germanica primus quis inuenerit 216. 32
uentorum uiolentia sub Alexio Comneno 384. 24.
uerconius Iurinus fumũ uendens, fumo perit 79. 26
uuerdea Cæsareum monasterium 465. 17
uuerdẽberg comitatus 466. 27

Verginius Ruffus collega cõ sulatus Neruæ 46.37
Verimanus præfectus clauſtrorũ Pyrenæi interfectus 151.4
Verloren Bayren locus in Hungaria 348.25
Vuernere de Bălădia 433.50
Vuernherus comes de Holtenberg 454.21
Vernulphus regem occidit 150.40
Verona capta 422.50
Veronenſium cum Vicentinis diſſidia 393.19
Vertigoniarus rex Anglorum 157.9. inde
Verus Cæſar filius Marci Antonini 50.25
L. Verus adoptatiue ab Antonino Pio 57.2 dux contra Parthos mittitur 59.23
L. Veri filius L. Aelij Veri deſcriptio 61.1
Verus. Vide Ceronius
Veſpaſia Polla mater Veſpaſiani Imp. 36.12
Fl. Veſpaſiani Imp. deſcriptio 36.10. inde
in Veſpaſiani uerba iurarunt milites 35.3
Veſpaſianus Pollio auus Veſpaſ. Imp. 36.12
Veſtales uirgines uiuæ terra obruuntur 72.45
Veſtitus ordinatus 9.44
Veſtitu ſimplici utitur Alexander Cæſar 78.26
Veſtnempti locus in Hungaria 348.25
Veſuuij mõtis in Campania conflagratio 42.8
Vetrannio Imperium in Pannonia aſſumunt 121.34.
Veturius Optio præficitur coniurationi contra Galbam Imp. 32.6
Vezenas Decibali legatus qua arte effugerit 49.2
Vgri glacialis Oceani accolæ 179.51 ijdẽ qui Turci 291.3
de Vijs, quibus Turci ſunt aggrediendi 595.40. inde
de Viceſima hæreditatũ. Vide Hæredit.
Viciſti tandem Galilæe, dictum Iuliani 129.50
Vuickuuoldus Coloniẽſis epiſcopus 446.10
Victoria mater caſtrorum 94.5
Victoria urbs 425.3
Victor f. Maximi Cæſar trucidatus 145.49
Victor III papa 349.22
Victorinus Lollianũ interfecit 94.5 in principatum imperij uocatur ibidem 8.
Vidimiris frater Valamiri regis 158.2
Vidua Baſilium Cæſ. honorata remuneratur 251.21. inde
Vienna Auſtriæ quomodo muro cincta 409.15 obſeſſa 438.42
Viennæ Synodus cõgregata 387.7 Scotorum cœnobium à quo conditum 426.16 comitia regum & principum ſub Maximiliano Cæſare 607.50
Viennenſis docta ſchola indoctam ſententiam protulit 508.25
Viennenſium porta Iouia, et Herculea 106.43
Vigilius pontifex in car. e ẽ deiectus 177.32
Vuilhelmus de monteforti 461.48
Vuilhelmus Iuliacẽſis comes 468.43
Vilhelmus Hollădiæ comes 472.16
Vuilhelmus III Icomes Hollandiæ 483.20
Vuilhelmus Marchio Iuliacenſis 479.11
Vuilhelmus dux Bauariæ choreas ducit 629.4
Vuilhelmus Coſta Bohemorum legatus ad concilium Baſilienſe 494.92
Vuilibertus Coloniæ epiſcopus legatus Caroli Craſſi ad Gotofridum 262.23
Vuilla uxor Guidonis Spoletinorum ducis 276.21
Vuilla uxor Berengarij II 281.35 inde
Vuilligiſus archiepiſcopus Moguntinenſis Imperatorem ungit 325.24.
Vuinpina urbs 431.50
Vincẽtia per uim capta 422.52
Vindelici prouincijs Romanis coniunguntur 8.46 obſidione barbarorum liberantur 99.4
Iunius Vindex occiditur 29.17
Vuindi tributarij facti 325.25
Vindicta Neopolitãica, prouerbium 432.34
Vini faciendi & uitis ſerendæ poteſtas cõceditur 103.13 (593.52
Vinum cur auerſentur Turci
Vuinſperg arx 392.42
Violãta Iacobi Arragonum regis filia 435.46 Alphonſi X uxor ibidem
Violantis fil. Guilhelmi Mõtis ferrati Marchionis, uxor Andronici Palæologi Imp. 517.33. inde
Vir clariſſimus ſacri palatij 169.7
Virgilius ſuadet Auguſto, ut imperium retineat 10.10
Virgilij centones 155.28
Virgilio Ennius præfertur 54.52
Virginius in Gallia imperium Romanum affectat 29.16
Virida Barriabouis principis Mediolanenſis filia 450.22
Virogriſſa rex Turcorum poſt Sambochum 536.47
Vuirtẽbergenſis primus dux 606.25
Viſierbaſſa, magiſtratus Turcicus 580.2
Viſogaſtus primas Sicãber 328.47
Viſſegradẽſis arx 485.10
Viſurgis fl. 9.26
Vitalianus bellum ciuile gerit cum Anaſtaſio Cæſare 169.38 laudatus 170.9 filius Patricioli cum patre contra Perſas 171.16 fœdere icto magiſter militum & conſul 172.35
Vitellius Imp. eligitur ab exercitu Germanico 32.26
A. Vitellij Imperatoris deſcriptio 33.15. inde
Vitiges rex Gothorum factus 174.49. ind
S. Viti oppidum 608.35
Vitus de Furſt doctor 618.24
T. Viturius præceptor Alexandri Imp. 78.20
Vuitoldus Lituaniæ dux 490.11
Viuus Paßienus, proconſul Africæ 95.27
Vladislaus Boëmorum dux contra Hungaros 348.13
Vladislaus Poloniæ rex Alberto V. duci Auſtriæ filiã obtulit 499.53
Vladislaus Magnus dux Lituaniæ in Hungaria 502.32 quomodo rex Polonorum factus 504.5
Vladislaus filius Caſimiri regis Poloniæ, rex Bohemiæ deſignatus 511.1. inde potentia & autoritate auctus cõtra Turcos 550.10. inde rex Hungariæ & Bohemiæ 607.51
Vladislai Hungariæ regis et Maximiliani, & regum Poloniæ et Bohemiæ congreſſus 616. inde
Vldinus & Sarus præfecti exercitus Hungarorum & Gothorum 149.10
Vlma obſeſſa 431.11
Vlpia bibliotheca 49.40
M. Vlpius Traianus à Nerua Imp. adoptatur 46.39 Imp. deſcribitur 47.15. inde
Vlpius Traianus tutor Adriani Imp. 53.10
Vlpio I. C. Antoninus Pius uſus 57.35
Vlrichs kirchen munitio 464.8
Vlricus Palatij comes Sueuus à Berengario occiſus 279.2
Vlricus de Palm 448.43
Vlricus comes Ciliæ in Bohemia relictus regnum affectare uiſus 501.16 de eodem 502.53. inde 504.53 507.50. inde
Vlrico Roſenſi regnum Bohemiæ comiſſum 501.17
Vlricus Eytzingerus 503.1
Vlricus dux Vuirtenbergenſis

ſis 608.15
umbricius aruſpex ſacrificã tem Galbã Imp. necis admonet 30.35
Vmptopolus Frãcus 380.4
ungarij iuxta Oenũ fl. à Germanis cæſi 292.46. *Saxoniam populantes, imperante Henrico Aucupe* 294.48. *inde*
unni populi 528.49. *circa lacum Mœotidem uerſus arcturum* 179.53
uuolffertzhauſen in Bauaria 426.37
uologeſus Parthorũ rex 37.25
uoluſio I. C. uſus Antoninus Pius 57.35
uuormatia 387.33.431.48
uuormatienſium rebellio 387.44
Voſtris Arãbiæ urbs 86.2
uranos nepos Michae. Cæſ. magiſter ac dux Antioch. creatus 358.53. *inde*
uratislaus dux Boemorum 347.52
urbanus quartus 430.9
urbanus pontifex 470.4
urbis conditæ milleſimus annus 87.1
urbitius eunuchus 168.45
urſinorum & Columnenſiũ factio 423.50
uſan Caſſanus rex Perſarũ 561.24. *inde*
uſuzaſtus primas ex Sicambris 328.47
uulfilas Gothorum epiſcop. literas Gothicas inuenit 140.22
uultzuri Scytarum generatio 180.2
Vuuringui uilla 451.6
uurugundi Scytarum generatio 180.2
Vxiorum ſecta omnib. futura prædicebat 233.9
uxorem ducere ſacerdotibus Græcis permiſſum 196.7

X.

Xenodochium loco diuerſorij meretricum ædificatum 237.40
Xenephon medicus uenenũ parat Claudio 22.25
Xerolophiũ terræmotu dirutum 207.25
Xij. q. ij. cap. in legibus in prima gloſſ. 329.2
Xiphias cometes interdiu apparuit 174.4
Xiphilinus improbus diſcerptor Dionis 47.6
Xylinites nouitatis ſtudioſus perit 202.46

Z

zacharias antiſtes Hieroſolymis 191.39
zacharias protoſpatarius, ad capiendum Sergiũ pontifi. miſſus 197.31
zacharias põtifex Rom. legatos mittit ad Conſtantinũ Copronymũ 209.32
zacharias orator munera fert Carolo Magno 219.39
zachas Turcus nauigio inſulã Chiũ occupat 379.25
zagora regio Bulgaris data 243.42
zagorenus præfectus arcis interfectus 235.7
zaita locus 129.21
ad zelymbriam uſq; à mari murus 170.53
zelymus Othomannus, decimus Turcorum cæſar 574.32 *inde*
zendiboldus fil. Rudolphi Chunradi 270.14
zenebaldus nothus Arnulphi Cæſ. 272.40
zeno Cæſ. gener Odoacri regis Gothorũ 165.43. *idẽ deſcribitur* 196. *inde*
zenobia Odenati uxor 92.23 *inde*
zenobia Palmirenorum Augusta cũ filijs ab Aurelia no capta 92.33
zenobia magno certamine fugatur 98.38
zenobia urbs in Sarracenorum regione 92.36
zenorida uxor Baſilici 166.29
zidemonis mors ſeditionem mouet 207.14
ziſca hæreticorum dux in Boemia 494.1
zita Arabum princeps tenuit duos Aſtrologos 206.34 (41
zobeſlaus Boemiæ dux 389.
zoe filia zantzi Stiliani, ij uxor Leonis V Cæſ. 264.35
zoe f. Conſtantini Salui, uxor Romani Argyri Imp. 331.31
zoe regina 331.47. *Michaelem amat* 333.29. *Imperat* 341.1.
zozopetra patria Amarum næ regis, à Romanis capta 238.47
znoyma oppidum 486.13
zuendebaldus Marahenſiũ Sclauorum rex 270.22. *inde*
zuendebaldus f. Arnulphi imperio deturbatur 273.20
zuendebaldus Arnulphi nothus auxilium fert Berengario 275.39. *inde*
zulemon dux claſſis 205.3
zyzymus f. Mohometi ſecũdi 566.16. *inde.*

FINIS.

ERRATA INTER EXCVDENDVM COMMISSA *ſic emendabis, priore numero paginam, poſteriore lineam indicante.*

Pag. 32. linea 17. principum honores. ibid. 30. aduerſis diis. ibid. 34. urgebatur hoſtis. 33.25. principum indulgentia. 34.49. mãderet. 35.40. inſimulatum. 43.4. et ab aliis. 45.10. deſignatur Nerua. 47.42. qui id agebat. 59.45. apoplexia arreptus. 60.47 quod tamẽ. 63.26. apoplexiam incidiſſet. 68.32. uberrimo congiario. 74.10. Caracallæ g.iiij numerus foliorũ falſus, debet eſſe 79. 88.33. Reimpub. patribus. 89.21. Decianas thermas. Ibid. 22. In omnibus laudandus. 97. Inſcriptio erit, CLAVDIVS Q VINTILLVS. Ibid. 34 eius fratrem Quintillum. Ibid. 37. conatibus ſe imparem. 101.22. offerretur. Ibid. 37. fauore. 116.49. Auguſtum fecerat. 117.16. Maximianus Galerius. Ibid. 30. perſecutione in Chriſt. 129.35. illic cum exercitu. 133.2 Iulianum Imperatorem. Ibid. 31. Craſſi nobilis. 139.5. uolo currere. 141.4. ubi periit. 146.2. fanciuit. 155.31. reaſſumẽs, in 162.30. LEO PRIMVS CÆSAR. Ibid. 45. Leonem ui compul. 163. Inſcriptio erit, LEO CÆSAR. 175.30. nã Pirthi. 179.6 quem ante aliquot. 181.13 Illi nec breuem. 182.26. uocatos in concionem. 183.11. Sic Chofroes. Ibid. 47. fraude cum Romanis. 201.27. de Homouſio ſtipularetur. 202.1. ARTHEMIVS. 203. 26. electus pridem dux. 204.32. pro deis uenerabantur. 206.30 de Homouſio. 207.9. accerſebant. 214.10. inſtrumentis multis. 217.28. & in delicijs. 220.2. Fraus cum amicum. Ibid. 37. Saxonici ſanguinis. 222.26. Dolorem uerò minuebat. 227.5. Michael Rancabe. 228.2. habita oratione. 231.35 Dehinc patrem. 233.2 militiam exercere. 235.26. ſomno indulſit. 252.33. tranſire ſinerent. 260.8. alter regum. 265.13 deprehendebatur. 266.18 Simeone Laba. 268.53 promittentes uitam. 287.46. deferebant. E ij. altera pagina numerus foliorum falſus ſic corrigendus: 328. 329.30. Dum petit. 334.20. throno imponeret. 347.3. temporis tranquillitas. 347.42 principũ ignorantes. 370.11 Imperatori inſidiab. 389.9 de Stouffen. 397. facinus commentus. 402.29 in Germania. 404.9 fabrefactum. 456.1 Maultaſch. 476.21 nunciũ accepit. 501.35 Schenderouia. 537.9 Hormiſdã. 541.7 exhauſtos. 631.18 toti, uel, ex toto greſ.



Opr aūr te mino saluet̄ p̄ñet̄ ñ
ñ illū a spe deponet̄ t ñ ipe depet̄
opio n. cor. aī affēm sp mhēr. ..

Si se mīm nō debet̄ mouet̄ pōt̄ ñ sp
saluet̄ p̄ñet̄ q̄ q̄ depat̄ t alīq̄ cāz q̄
ñ cor. ē. sp̄ se q̄ ñ nō tollū mouet̄
ñ ē alēt̄ mā vsq; ñ t nō indue ñ
solet̄ ñ t nō vnt̄ ñ
mouet̄ palā ñ nō ipedit̄ opōt̄ cōtemp
ñ t mouet̄ cōtēp. q. q. cor. sepe affēm ñ amt̄
m ē de illis pōt̄ cāz dīp q̄ p̄ne ad ē vñ ñ
sup̄ñ t ñ t ñ ñ t nō q̄
mīm q̄dā t ñ ē adolet̄